




SACROSANCTA CONCILIA

AD REGIAM EDITIONEM EXACTA

QUÆ NUNC QUARTA PARTE PRODIT AUCTIOR

Studio PHILIP. LABBEI, *&* GABR. COSSARTII, *Soc.* JESU *Presbyterorum.*

TOMI XI. PARS I.

Ab anno M. C. XCVIII. *ad annum* M. CC. LXXXIV.



LUTETIÆ PARISIORUM,

Impensis SOCIETATIS TYPOGRAPHICÆ Librorum Ecclesiasticorum jussu Regis constitutæ.

M. DC. LXXI.

CUM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

SYLLABUS

EORUM QUÆ TOMO XI. CONTINENTUR.

*Quæ asterisco * notata sunt, non erant in prioribus aliis editionibus : quibus vero hæc nota † impressa est, eorum incertus est annus.*

TOMI UNDECIMI PARS PRIMA.

TOMI UNDECIMI PARS SECUNDA.

TOMI UNDECIMI.

SYLLABUS TOMI UNDECIMI.

Hac appendice continentur, cum multa alia, quæ ad annos suos singula in hoc Syllabo jam relata sunt, tum constitutiones Nicosienses, *pag.* 2326. *quarum corpus cum ad certum annum revocari non potuerit, earum partes, quibus aliqua temporis adscripta nota est, supra suo loco commemoratæ sunt.*



VITA



VITA
INNOCENTII PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 1198.

INNOCENTIVS eius nominis tertius, A Lotharius antea appellatus, iuuenis triginta annorum vel paulo amplius, sed egregie prudens & eruditus, mirabili omnium consensu ex cardinale diacono, altero die post obitum Cælestini papæ quinti, nimirum Idibus Iunii anno M198. creatus est pontifex tempore Ottonis quarti regis Germaniæ: cui contra Philippum Barbarossæ filium reclamantem magis fauens, coronam imperii cum benedictione solita contulit, & ex causa iustissima vicissim abstulit. Nam cum donationem illam, qua Mathildis filia Rogerii principis Siciliæ Marchiam Apuliæ Romanæ ecclesiæ donauerat, ille post impetratam imperii coronam, tamquam inualide citra consensum imperii principum factam sibi vendicasset; ac præterea etiam contra iusiurandum quod paulo ante emiserat, vt beatus Antoninus tertia parte chronici titulo decimonono annotauit, Apuliam & B Calabriam vi & armis sibi subiiciens, mandatis apostolicis obedire contemneret: papa sententiam excommunicationis primum, ac postea priuationis & depositionis in eum ferens, Sigefrido archiepiscopo Moguntino, vt est apud Trithemium in chronico Hirsaugiensi, præcepit vt per totam Alemanniam imperatorem excommunicatum & ab imperio depositum denuntiaret: quod & fecit. Interea cum Otto archiepiscopum persequens neque de absolutione petenda, neque de transactione ineunda quidquam curaret: Innocentius papa Fridericum II. Henrici sexti filium ex Constantia, de consilio regis Franciæ, ex voluntate etiam certorum principum Germaniæ, e Sicilia euocatum in Alemanniam misit, mandans principibus imperii vt ipsum in imperatorem susciperent. Otto cum exercitu suo Friderico quidem occurrit; sed derelictus a suis, loco cedere, & in Saxoniam secedere compulsus est. Fridericus vero ab omnibus tamquam rex, in conuentu principum Aquisgrani habito, susceptus est. Postea Otto contra Philippum Francorum regem, qui Friderico studebat, in bellum vna C cum rege Angliæ auunculo suo, cumque Brabantiæ duce & comite Flandriæ profectus, apud Tornacum superatus, ac demum anno Domini 1216. ab omnibus desertus, & præ mentis dolore infirmatus, meritaque oppugnatæ Romanæ sedis pœna Deo vindice mulctatus, post multas angustias mortuus est. Initio ponti- *Ottonis obitus. Quid Innocentius Romæ egerit.* „ficatus sui, ait Rogerus, qui sub ipso historiam An„gliæ scripsit, statum curiæ in melius mutare volens, „maiorem partem ianitorum & ostiariorum curiæ ab„iecit, vt conquererētes tam clerici quam laici, liberio„res ad eum haberent accessus. Et paulo infra: Post „consecrationē illius, præfectus & senatores & tribu„ni Vrbis & cæteri Romani, exegerūt ab eo reditus & „consuetudines, quas prædecessores sui Romani pōti„fices iis impendere solebant. Quibus ipse respondit, se „hoc nunquā facturum: cum, si fecisset, contra Deum „& in præiudicium Romanæ ecclesiæ faceret. Quod „Romani audiētes irruerūt in bona illius, & diripue„runt ea: ipse vero excommunicauit eos. Hierosolymitanæ vrbis, quam sub Vrbano III. Saraceni occupauerant, recuperationem plurimum exoptans, litteris legatisque missis, omnes ad hoc bellum est cohortatus: secutusque prædecessorum suorum vestigia, ad deprauatos mores populi corrigendos, ad hæreticos damnandos, & principes populumque ad terram sanctam recuperandam, Lateranensem synodum œcumenicam XII. indixit, eique inter 412. episcopos præsedit. *Lateranense conciliū indixit.* Ad omnes pene Europæ reges & episcopos litteras salubrium consiliorum plenissimas scripsit, quas legi, & vt ait Trithemius in chronico Hirsaugiensi, in iudiciis obseruari mandauit. *Epistolæ Innocentii quales.* Eodem autore Liuonia, vt ait Blondus, fidem Christi amplexa fuit. Huius pontificis mandato per Simonem comitem Montifortensem, Germanorum auxilio fretum, Albigenses hæretici in Gallia ante annos aliquot exorti, partim fugati, partim vero per legatum sedis apostolicæ ad pœnitentiam & vnionem ecclesiæ recepti fuerunt. Hoc tempore sanctus Dominicus Hispanus ordinem Prædicatorum, sanctus Franciscus ordinem Minorum, in Italia instituerunt, multosque hæreticorum & infidelium ad fidem Christi conuerterunt.

Almaricus de viginti erroribus conuictus, cum sectariis pluribus Parisiis post obitum exhumatus, combustus est. *Almaricus cum suis sectatoribus combustus.* *Gaguinus libro 6.* Hæreticorum eorum, qui Trithemio auctore in Alsatia docebant esum carnium quouis tempore, etiam in quadragesima, licitum esse, fornicationem, vt quæ naturali inclinationi conueniens foret, non esse prohibitam, octoginta apud Argentinam vno die combusti fuerunt. Pontifex dum post hæc tandem pacis faciendæ causa inter Pisanos & Genuenses Perusium se contulisset, in opido illo mortuus est, vt ait Vrspergensis, decimosexto Kalendas Augusti, anno Domini 1216. peractis in pontificatu suo annis octodecim, mensibus quinque, & aliquot diebus.

ADMONITIO GABR. COSSARTII. S. I.

De Innocentii III. & consequentium pontificum epistolis.

Finem hic facimus coaceruandi pontificum epistolas, quarum nimia varietate & copia in immensum hæc volumina excrescerent. Quis enim bullarum, & breuium modus? Accedit quod nullo eas periculo prætermittimus, cum in bullario, in Bzouii, Raynaldi, Vaddingi, Spondanique annalibus, aliisque collectionibus, requiri a studioso lectore possint.

Innocentii vero huius omittendarum epistolarum causa multo etiam est iustior, cum vnum in corpus collectæ breui, vt speramus, proditurae sint.

ANNO CHRISTI 1198.

**CONCILIVM SENONENSE.

ADVERSVS HÆRESIN POPVLICANAM.

Anno Dom. M. C. XCVIII. celebratum.

ANno Domini M. C. XCVIII. *inquit chronicon Autissiodorense Roberti Monachi S. Mariani*, hæresis Populicana, omnium hæreseon feculentissima, virulentas radices suas late quidem, sed latenter, hoc tempore propagarat. Apud vrbem Niuernis, Abbas S. Martini, & decanus maioris ecclesiæ, de hoc pestilentissimo errore notati, episcoporum sistuntur concilio, Senonis conuocato: ibique Abbas deponitur, Decanus suspenditur: & sic ad sedem apostolicam destinantur. *Hactenus chronicon.*

Raynaldus vt constat ex epistola Innoc. III.

Abbatis & Decani causam Innocentius III. amplius explicat in epistolis, quas subiicio.

lib. 2. ep. 59.

**INNOCENTII III. EPISTOLA ad Michaëlem Archiepiscopum Senonensem.

cap. inter solicitudines. Extra de purg. Canon.

INter solicitudines nostras, &c. *Et infra.* Sane sicut ex litteris tuæ fraternitatis accepimus, cum ad preces venerabilis fratris nostri Autissiodorensis episcopi ad villam, quæ Caritas dicitur, accessisset, præsentibus eodem, & venerabilibus fratribus nostris Niuernensi & Meldensi episcopis, in vnum fecisti eiusdem villæ populum congregari: vbi de hæreticis, & eorum dogmatibus inquisitione diligenti habita, inter alios, quos super hæretica prauitate reperisti publice infamatos, Decanum Niuernensem communi didicisti opinione grauari, & in eo, & per eum non modicum fuisse scandalum catholicorum animis declaratum. Vnde propter vehementem infamiam, & graue scandalum, ipsum ab officio, & beneficio suspendisti: apud Autissiodorum ei diem certum assignans, quo tuo se conspectui præsentaret, ab obiecto crimine defensurum. Cumque statuto termino ad tuam præsentiam accessisset, præsentibus dictis Autissiodorensi & Niuernensi episcopis, ac pluribus in vtroque iure peritis, cum certus accusator contra eum minime compareret, tu ex officio tuo testes tam pro ipso, quam contra ipsum recipi, ac diligenter examinari fecisti, & attestationes etiam publicari. Cumque postmodum se non ad concessum ei diem, tuo se conspectui præsentasset, cum facultatem ei liberam indulsisses, in testes ac eorum dicta dicendi, ac proponendi suas in medium rationes, quibusdam propositis probationibus & allegationibus, tandem renuncians, sententiam postulauit. Tu vero cum venerabilibus fratribus nostris, Trecensi, ac dictis Autissiodorensi & Niuernensi episcopis, secedens in vnum, inspectis attestationibus diligenter, & adhibito plurium consilio sapientum, quia crimen contra eum liquido probatum non erat, ipsum non duxisti de hæresi condemnandum. Verum quoniam ex dictis testium multa erat præsumptio contra eum, vt pote cum esset manifeste probatum, eum familiaritatem hæreticorum non solum habuisse, sed etiam captasse scienter; cum publica etiam laboraret infamia, & tantum suscitatum esset scandalum contra ipsum, quod non posset canonica purgatione deleri: nec ipsum absoluere, nec purgationem quam obtulerat ab initio, & tunc etiam offerebat, recipere voluisti, sed ipsum cum litteris tuis ad sedem duxisti apostolicam destinandum:

in concilio Senonensi.

intelligens, quod ex concessa nobis plenitudine potestatis, citra pœnam canonicam dispensare possimus, & vltra eam rigorem seueritatis augere. Cæterum ei postmodum in nostra præsentia constituto, communem audientiam in consistorio nostro concessimus, vbi se multipliciter nixus est excusare: illud præsertim allegans, quod cum non apparente accusatore legitimo purgationem offerret, testes contra eum non fuerant aliquatenus admittendi. Nos igitur litterarum scientiam, & honestatem morum in te pariter attendentes, licet ecclesiastica constitutio tales ab officio tantum vsque ad purgationem canonicam doceat suspendendos: quod tamẽ etiam eum à beneficio propter immanitatem criminis, vt credimus, suspendisti, nolumus improbare. Nec illud etiam propter causam improbamus eandem, quod licet nullus contra eum legitimus accusator compareret, ad detegendam tamen huius mortiferæ pestis, immo pestiferæ mortis radicem, ex officio tuo, fama publica deferente, voluisti plenius inquirere veritatem. Attendentes autem vulgatam infamiam, graue scandalum, & vehementem suspicionem ex testium dictis obortam, quæ contra eundem decanum facere videbantur, cum propter eorum quodlibet ei esset purgatio iniungenda: & seruantes & mollientes rigorem, de consilio fratrum nostrorum archiepiscoporum, & episcoporum, apud sedem apostolicam existentium, purgationem quartædecimæ manus sui ordinis ei duximus indicendam. Ipsum igitur ad te cum litteris apostolicis remittentes, vt ibi purgetur, ubi noscitur infamatus: fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ascitis tecum dicto Niuernensi & venerabili fratre nostro Parisiensi episcopis, indictam ei a nobis purgationem accipias. Ita tamen vt qui ad eius purgationem processerint comprobandam, sint fide catholici, vita probati: qui conuersationem, & vitam ipsius, non tam moderno tempore nouerint, quam transacto. Purgatione vero recepta, beneficium ei restituere non postponas, ne cogatur in cleri opprobrium mendicare. In pœnam autem familiaritatis illius, quam cum hæreticis scienter habuisse dignoscitur, eum ab officio manere suspensum volumus, donec scandalum sopiatur: ita tamen, vt publice familiaritatem hæreticorum abjuret. Præcipias insuper illi districte, vt in prædicta & aliis villis circumpositis profiteatur & prædicet fidem catholicam, ac confundat & detestetur hæreticam prauitatem: sic deinceps vitam suam bonis adornans operibus, vt infamia conuertatur in famam, & omne scandalum & suspicio de catholicorum mentibus deleatur. Quod si forsan in purgatione defecerit, eum ecclesiasticæ districtionis mucrone percellas: & ab officio, beneficioque depositum ad agendam pœnitentiam in arctum monasterium retrudere non omittas. Datum Laterani, nonis Maii.

**INNOCENTII III. EPISTOLA, Ad Petrum S. Mariæ in via lata diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum: & ad Odonem episcopum Parisiensem.

lib. 2. epist. 90.

QVod legimus in Apocalypsi, &c. *Et infra.* Nuper enim sicut ex tenore litterarum venerabilis fratris nostri Senonensis archiepiscopi, & relatione dilectorum filiorum R. & D. nunciorum eius nobis innotuit, multa de hæreticis & eorum sectis in partibus Gallicanis, quæ ab huiusmodi fece prorsus olim intactæ manere solebant, increbrescente iam vehementer infamia, cum idem archiepiscopus ad villam, quæ Caritas appellatur, in qua plurimi dicebantur professores hæreseos delitescere, rogatus a venerabili

ANNO CHRISTI. 1198.

nerabili fratre nostro Autissiodorensi episcopo, in cuius diœcesi prædicta villa consistit, accessisset perscrutaturus diligentius veritatem, clero & populo conuocatis, post diligentem indagationem, præter alios quamplures, qui erant ibi de hæresi publice infamati, Raynaldum quondam Abbatem S. Martini Niuernensis comperit huiusmodi contagione respersum, & publica super hac infamia laborantem. Et quoniam in eo plurimum scandalizabatur & populus, & clerus: de consilio prædictorum Autissiodorensis, Meldensis, & Niuernensis episcoporum qui aderant, & plurium prudentum virorum, eum officio, beneficioque suspendit: diem apud Autissiodorum illi præfigens, vbi coram eo forte si posset se de tanto crimine tueretur. Cumque die præfixa suam coram eodem archiepiscopo exhibuisset præsentiam, assistentibus prædictis Autissiodorensi & Niuernensi episcopis, multisque aliis viris discretis, & prior ecclesiæ S. Martini, de hæresi, adulterio, & vsura, & quibusdam aliis eum intenderet & paratus esset protinus accusare: ante litis ingressum, licet nullum inferretur ipsi grauamen, sedem apostolicam appellauit. Cuius appellationem frustratoriam, quoniam propter infamiam & publicam notam criminis dictus archiepiscopus non admisit, & præfatus prior paratus fuit in continenti obiecta probare: spontaneus causam subiit, & obiecta crimina penitus denegauit. Prior autem confestim quosdam ex canonicis suis testes produxit: qui cum a præfato archiepiscopo recepti canonice, ac diligenter examinati fuissent, & attestationibus, prout debuit fieri, publicatis, ipsi etiam Raynaldo postulanti copiam earum sufficienter exhibitis, ei dies esset apud Senones assignata, vt in concilio suffraganeorum exciperet, si vellet, contra testes, & eorum dicta, & suæ defensionis proponeret rationes: die præfixa, & loco etiam assignato, suis libere, ac plenarie propositis rationibus, interrogatus pluries si pro se vellet aliquid aliud allegare, probationibus, & allegationibus omnino renuncians, sententiam postulauit. Et postmodum sæpe dicto archiepiscopo pariter cum venerabilibus fratribus nostris Trecensi, Autissiodorensi, & Niuernensi episcopis, aliisque prudentibus viris, secretæ deliberationis tractatum habentes, aduocatus prædicti Raynaldi sine illo ad consilium eorum intrauit, & proposuit, ipsam appellationem, quam ante litis ingressum interposuerat, ratam habere, & eam iterum innouare. Cumque postmodum ad ferendam sententiam exeuntes, comperissent pro certo, eum clanculo recessisse: dictus aduocatus eius, sicut fecerat in secreto, appellationem denuo publice innouauit. Vnde memoratus archiepiscopus, quamuis non fuisset appellationi huiusmodi deferendum, noluit eum de hæresi condemnare. Pro adulterio tamen, & aliis, quæ in damnationem eius erant manifestius diuulgata; & quoniam propter infamiam hæresis, & scandalum, quod in populo fuerat inde subortum, nullatenus, etiam ad tempus, in administratione abbatiæ sine omnimoda desolatione monasterij poterat tolerari: de communi cõsilio coëpiscoporum, & aliorum prudentum qui aderant, ipsum in perpetuum per sententiam diffinitiuam officio priuauit abbatis: & canonici S. Martini, de licentia eius, quendam alium elegerunt. Cæterum idem archiepiscopus attestationes contra eum receptas, nobis transmisit redactas in scriptum: ex quibus duo grauia satis probata esse videntur: videlicet, eum serio, & assertiue dixisse disputando, & defendendo hæreticorum errorem, quod corpus Domini mittitur in secessum; & iuxta verbum Origenis, omnes tandem fore saluandos. Allegationes autem, & rationes prædicti Raynaldi, de quibus sæpedictus archiepiscopus in suis litteris fecerat mentionem, no-

A bis per litteras vel per nuncios exponere non curauit. Propter quod diutius expectauimus, si forte alij nuncij super hoc instructi plenius aduenirent. Quoniam igitur causam transmisit ad nos minus sufficienter instructam, & ex hoc nobis scrupulus non modicæ dubitationis emersit, maxime cum sit plena maturitate in tam arduo negotio procedendum: discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus Deũ habentes præ oculis, & catholicæ fidei veritatem, tam attestationibus quæ contra prædictum Raynaldum nobis transmisse fuerunt, quas vobis sub bulla nostra transmittimus, quam etiam allegationibus, & rationibus sæpe dicti Raynaldi, quas coram præfato archiepiscopo proposuisse proponitur, attente ac diligenter inspectis, publica quoque fama nihilominus inquisita, nisi ex eis aliquid perpendere poteritis, quod a ferenda condemnationis sententia contra eum meri-
B to animum vestrum debeat retardare, sublato cuiuslibet contradictionis & appellationis obstaculo, vt in eo puniatur, in quo peccauit, ipsum a sacerdotali officio deponatis. Et quoniam metuendum est, ne in laqueum desperationis incidens, & ad perfidorum hæreticorum infidelitatem ex toto conuersus, eorum præuaricationibus contaminet gregem intactum: retrudi eum in districto monasterio faciatis, & ibi ad agendam pœnitentiam sub arcta custodia detineri: attentius prouisuri, vt ita mandatum apostolicum exequamini, quod deuotionem vestram debeamus merito commendare, &c. Datum Lateran. XIII. Kal. Iulij.

ANNO CHRIST. 1198.

NOTÆ GABR. COSS. S. I.

C Quia Petro monacho Populicani hæretici dicuntur, iidem a Vvillelmo Britone vocantur Popelicani: & sic describuntur Philippidos lib. I.

Qui bona coniugii reprobant, qui carnibus vti
Esse nefas dicunt, aliasque superstitiones
Inducunt; breuiter quos tangit epistola Pauli,
Omnes qui fidei saperent contraria nostræ:
Quos Popelicanos vulgari nomine dicunt.

Eosdem autem esse qui ab Alexandro tertio, in Lateranensi concilio generali cap. XXVII. Publicani vocantur, temporum, regionum, nominum ratio persuadet. *In Gasconia,* inquit, *Albigesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis, hæreticorum, quos alij Catharos, alij Patarenos, alij Publicanos, alij aliis nominibus vocant, inualuit damnata peruersitas.* Quibus ex verbis apparet eandem esse hæresim, diuersis appellatam nominibus: quam cum in Albigesio inualuisse ait, satis indicat esse Albigensem.

A Petro Capuano cardinale sedis apostolicæ legato cele-
D bratum esse hoc concilium qui asseruit Baronij continuator illustrissimus Spondanus, vir de historia ecclesiastica optime alioqui meritus, testimoniis duobus refellitur. Alterum est Rigordi, qui in gestis Philippi Augusti cardinalem hunc, missum hoc anno vt pacem inter Francorum Anglorumque reges cõstitueret, in Gallias non ante exeuntem Decembrem venisse affirmat, Senonensi igitur præesse concilio ante anni huius finem qui potuit? præsertim cum sanciendæ, cuius causa legatus erat, paci, prius operam nonnullam ab eo datam oportuerit, quam de celebrandis alia de re conciliis cogitaret. Alterum est testimonium Innocentij III. cuius ex epistolis duabus paulo ante descriptis intelligitur præfuisse archiepiscopum Senonensem huic concilio: ipsumque, & episcopos, Trecensem, Autissiodorensem, ac Niuernensem, iudices vnos fuisse.

Quæ vero addit Spondanus idem: *Rex præsentiens legatum velle procedere* " *contra ipsum, per nuncios suos fecit ad sedem apostolicam appellari. Legatus vero non vt appellationi de-*
E *ferret, sed vt differret ad tempus,* &c. totidem verbis descripta sunt ex gestis Innocentii tertii, vbi hæc dicuntur non de Senonensi concilio anni M C X C V I I I. sed de Diuionensi ann. M C X C I X. vt mox leges.

" *Nempe ob matrimonium illicitum.*

ANNO CHRISTI 1199.

** CONVENTVS EPISCOPORVM AC PROCERVM IN REGNI FRANC. & Angl. limite.

Pro pace inter vtrumque regem ſancienda, anno ineunte M C X C I X.

PEtri Capuani, legati Apoſtolici, in Gallias appulſi prima cura fuit, vt pacem, cuius conſtituendæ cauſa venerat, inter Francos Angloſque ſanciret. Eam ad rem concilium celebratur, vt ait Aquicinctinus monachus, in vtriuſque regni limite: nempe in Franciæ ac Normanniæ finibus, atque vt certius deſignat Rogerius Houedenus, inter Vernonem & Andeliacum. In Marchis vtriuſque regni, *inquit Aquicinctinus*, concilium agitatur: vtrique reges, Francorum & Anglorum, conueniunt cum multitudine epiſcoporum, abbatum, comitum, priorum, præpoſitorum, & vtriuſque ordinis infinita multitudine hominum. De pace inter reges & comitem Flandrorum facienda multum laboratur: ſed ad effectum minime perducitur. Sed tamen induciæ in quinquennium retinendæ verbo tenus obtinentur: quæ vix vſque ad Paſcha tenentur.

ANNO CHRISTI 1199.

CONCILIVM IN DALMATIÆ ET DIOCLIÆ REGNIS PER LEGATOS ſedis apoſtolicæ in cauſa reformandæ eccleſiaſticæ diſciplinæ anno M C X C I X. celebratum ſub Innocentio papa I I I.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Vt epiſcopi pecuniam ab ordinandis non accipiant.*
2. *De cælibatu clericorum, & ordinibus conferendis.*
3. *De diuiſione & adminiſtratione oblationum.*
4. *De ſigillo confeſſionis.*
5. *De honore ſacerdotibus exhibendo.*
6. *De gradu conſanguinitatis in contrahendis matrimoniis obſeruando.*
7. *Vt clerici tonſuram teneant clericalem.*
8. *Vt laici a rebus eccleſiaſticis abſtineant.*
9. *Excommunicantur theſaurorum eccleſiaſticorum detentores, & qui Latinos in ſeruitute detinent.*
10. *Excommunicantur illi qui vxores ſine iudicio eccleſiæ dimittunt.*
11. *Vt nothi ad ſacros ordines non accedant.*
12. *Vt nullus ante trigeſimum annum ad ſacerdotium promoueatur.*

PRÆFATIO.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Nos Ioannes capellanus, & Simon ſubdiaconus domini Innocentii papæ III. apoſtolicæ ſedis legati, ad euellenda nociua de agro dominico, & virtutum plantaria vtiliter inſerenda, videntes multa in clero & populo Dalmatiæ & Diocliæ corrigenda, de ſanctorum patrum conciliis decreta præſentia duximus innouanda.

CAPITVLA.

I. *Vt epiſcopi pecuniam ab ordinandis non accipiant.*

IN primis itaque decernimus, vt nullus epiſcopus aliquem ad ſacros ordines per pecuniam promouere, ſeu eccleſiaſtica beneficia alicui, precio interueniente, concedere præſumat. Cum enim Dominus præceperit apoſtolis, *Gratis accepiſtis, gratis date*; & Spiritus ſancti gratia venalis eſſe non poſſit, quæ confertur in ſacris ordinibus: graui puniendus eſt pœna, qui Spiritus ſancti dona venalia exponere non veretur. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus, vt quicumque epiſcopus hoc agere conuictus fuerit, omni eccleſiaſtica careat dignitate: & ſine ſpe reſtitutionis, tam ille qui dederit, quam ille qui ſcienter ſacros ordines pecunia interueniente receperit, perpetuo deponatur. *Matth. 10.*

II. *De cælibatu clericorum, & ordinibus conferendis.*

Cum Domini ſacerdotes, & ſi qui ſacro altario deſeruiunt, continenter viuere debeant, iuxta illud: *Mundamini qui fertis vaſa Domini*: in partibus Dalmatiæ atque Diocliæ ſacerdotes & vxores habere & eccleſias tenere dicuntur. Quocirca præſenti decreto ſtatuimus, vt ſacerdotes & diaconi, ante ſuſceptum officium, niſi eorum coniuges in manu epiſcopi votum fecerint continentiæ, vxores habentes cum ipſis maneant, & eccleſias dimittant. Non enim poſſunt ſecundum ordinem Romanæ eccleſiæ manentes in coniugio, niſi defunctis vxoribus, aut continentiam vouentibus, ſi digni inuenti fuerint, ad ſacerdotium promoueri. Illi vero, qui poſt ſuſceptum ſacerdotii vel diaconatus honorem adulteras potius quam vxores accepiſſe probantur, niſi eas dimiſerint, & dignam egerint pœnitentiam, ab officio & beneficio eccleſiaſtico fiant penitus alieni. Prohibemus etiam, ne aliquis epiſcopus, niſi in quatuor temporibus, iuxta ſanctorum patrum conſtitutionem, aliquem ad ſacros ordines promouere præſumat: ſolus enim Romanus pontifex dominicis diebus ſubdiaconos ordinare poteſt. Cum autem epiſcopus ordinationem fecerit, non niſi vnum ordinem a ſubdiacono & ſupra conferre præſumat. Ordinatus autem in ſubdiaconum, ad minus per annum in eodem officio deſeruiat, & diaconus ſimiliter faciat. Quicumque autem epiſcopus contra hoc venire præſumpſerit, tamdiu a conferendis ordinibus abſtineat, donec a Romano pontifice miſericordiam conſequatur. *Iſai. 52.*

III. *De diuiſione & adminiſtratione oblationum.*

Quoniam ſecundum gradus & ordines perſonarum beneficia eccleſiaſtica in domo Domini, ſecundum ſanctorum patrum conſtitutionem diſtributa noſcuntur: decernimus, vt decimæ, ſeu oblationes fidelium, tam pro viuis, quam pro defunctis, in quatuor partes diuidantur: quarum vna ſit epiſcopi, alia eccleſiarum, tertia pauperum,

quarta

ANNO CHRISTI 1199.

quarta clericorum. Portionem quidem pauperum episcopus administret; portionem vero ecclesiarum archipresbyter conseruet, & ex mandato episcopi in vsibus ecclesiæ fideliter expendat. Quicumque autem clericorum contra hoc venire præsumpserit, sua portione priuetur.

IV. De sigillo confessionis.

Districtius inhibemus, ne aliquis sacerdos, filii sui vel filiæ spiritalis priuatam confessionem alicui reuelare præsumat. Quod si facere conuictus fuerit, officio & beneficio ecclesiastico perpetuo spolietur. Idem dicimus de quolibet clerico, qui de homicidio, adulterio, periurio, falso testimonio, publice accusatus fuerit, & conuictus.

V. De honore sacerdotibus exhibendo.

Cum terrenarum potestatum nuntiis siue ministris honor exhibeatur ab omnibus, multo magis ministris Dei honor a laicis exhibendus est, a quibus eis non solum diuina celebrantur officia, verum etiam sacrum baptisma, & corpus Domini, & pœnitentia, & cætera ecclesiastica sacramenta iugiter ministrantur. Quapropter iuxta decretum domini Innocentii papæ II. districtius inhibemus, ne aliquis in personam episcopi, sacerdotis, vel cuiuslibet clerici, vel religiosi viri, violentas manus iniicere præsumat. Quicumque autem hoc attentauerit, tamdiu excommunicatus maneat, donec de tanta præsumptione satisfacturus, apostolico se conspectui repræsentet; vel ab eius legato, præstita congrua satisfactione, absolutionis beneficium consequatur. Similiter sub excommunicatione prohibemus, ne aliquis laicus clericum ad peregrina iudicia trahere præsumat, veluti candentis ferri, vel aquæ, vel cuiuslibet alterius iudicii. Non enim pertinet ad laicum, clericum iudicare. Si autem clericus peccauerit, ab archiepiscopo, vel episcopo, vel etiam prælato suo, aut Romano pontifice, si necesse fuerit, iudicetur.

VI. De gradu consanguinitatis in contrahendis matrimoniis obseruando.

Cum sacrosancta Romana ecclesia, quæ mater est omnium ecclesiarum, & magistra, decreuerit vt nullus Christianus vsque ad septimum consanguinitatis gradum coniugium contrahere præsumat: graue nimis est, & diuini dignum animaduersione iudicii, quod in partibus Dalmatiæ ac Diocliæ a multis factum in veritate comperimus, vt homines Dei timorem non habentes, cum consanguineis in quarto gradu & quinto, vel infra, contra sanctorum patrum constitutionem coniugia contrahere non formident. Quapropter præsenti decreto statuimus, vt quicumque in quarto gradu præsertim, vel infra, coniugium habere conuincitur, nisi ad mandatum ecclesiæ satisfecerit, & a suæ consanguinitatis incesta coniunctione recesserit, tamdiu maneat excommunicatus, & ab omnibus ecclesiæ sacramentis separatus, donec a nefaria copula separetur, & ad mandatum ecclesiæ satisfaciat.

VII. Vt clerici tonsuram teneant clericalem.

Item præcipimus vt clerici rasuram & tonsuram teneant clericalem. Qui autem hoc non fecerit, ab episcopo districtione canonica compellatur.

VIII. Vt laici a rebus ecclesiasticis abstineant.

Cum duæ sint in terris potestates a Domino constitutæ, spiritualis videlicet & sæcularis, & vna de spiritualibus & ecclesiasticis, altera de sæcularibus habeat iudicare: graue committit peccatum quicumque laicus vel ecclesias donare, vel ecclesiasticas personas iudicare præsumit. Quocirca præsenti decreto statuimus, autoritate Dei omnipotentis, & beatorum apostolorum Petri & Pauli, & domini papæ Innocentii, vt quicumque clericus de manu laica ecclesiam vel ecclesiastica beneficia receperit, tam qui dederit, quam qui receperit, tamdiu vinculo excommunicationis teneatur astrictus, donec ad mandatum ecclesiæ satisfaciat: & quod contra sacros canones factum fuerit, irritum habeatur & inane. Illos autem laicos, qui ante constitutionem istam ecclesias donauerunt, vel in ecclesiasticas personas manus iniecerunt violentas, volumus per episcopos tertio commoneri; &, nisi pœnitentiam egerint competentem, eadem sententia teneantur astricti.

IX. Excommunicantur thesaurorum ecclesiasticorum detentores, & qui Latinos in seruitute detinent.

Excommunicamus omnes illos qui thesauros ecclesiarum iniuste detinent, donec restituant; & eos qui Latinos detinent in seruitute, nisi recepta pecunia quam dederunt eos pristinæ restituant libertati.

X. Excommunicantur illi qui vxores sine iudicio ecclesiæ dimittunt.

Excommunicamus item illos omnes qui proprias dimiserunt vxores, vel de cætero dimiserint sine iudicio ecclesiæ, donec ad ipsas reuertantur.

XI. Vt nothi ad sacros ordines non accedant.

Prohibemus etiam vt filii presbyterorum, & qui de legitimo non sunt nati matrimonio, ad sacros ordines non accedant.

XII. Vt nullus ante trigesimum annum ad sacerdotium promoueatur.

Similiter prohibemus, vt nullus ordine-

ANNO CHRISTI 1192.

tur in sacerdotem, nisi trigesimum expleuerit annum.

SVBSCRIPTIONES.

Ego frater Ioannes domini papæ capellanus, apostolicæ sedis legatus, scripsi & subscripsi.

Ego frater Simon domini papæ subdiaconus, apostolicæ sedis legatus, subscripsi.

Ego Ioannes Diocliensis & Antibarensis archiepiscopus subscripsi.

Ego Dominicus archipresbyter Arbanensis subscripsi.

Ego Petrus Scuariensis episcopus subscripsi.

Ego Ioannes Polatinensis episcopus subscripsi.

Ego Petrus Aruastinensis episcopus subscripsi.

Ego Dominicus Soacinensis episcopus subscripsi.

Ego Natalis Dulcinensis episcopus subscripsi.

Ego Theodorus Sareanensis episcopus subscripsi.

** CONCILIA DVO, DIVIONENSE ET VIENNENSE.

A Petro Capuano cardinale sedis Apostolicæ legato celebrata anno M CXCIX. de Philippi Augusti illicitis nuptiis.

ANNO CHRISTI 1199.

IN gestis Innocentij III. editis a Fräcisco Bosqueto, qui postea virtutum maximarum & summæ eruditionis merito episcopus fuit, Luteuensis primũ, ac demum Monspeliensis, concilium vtrumque describitur. Narraturque primum, vt Philippus Augustus Francorum Rex, pulsa legitima coniuge, aliam contra fas adsciuit. Tum: Innocentius Celestino succedens statim, per litteras suas, & per Parisiensem episcopum, sæpe dictum regem studuit commonere, vt eam remoueret a se, quam contra interdictum ecclesiæ superduxerat; & reciperet illam in gratiam coniugalem, quam legitime ductam, illegitime duxerat amouendam: iuris ei licentia non negata, quo minus facta restitutione postmodum audiretur, si quid duceret proponendum. Contestans eidem, quod quantumcumque sibi molestum existeret, eum aliquo molestare: quia tamen oportebat eum plus cælesti, quam terreno deferre Regi, & sine personarum acceptatione sicut ratio postularet. Quia vero idem rex sæpe commonitus noluit acquiescere, sæpe dicto legato per apostolica scripta præcepit, quatenus sublato appellationis obstaculo, totam terram ipsius ecclesiastico subiiceret interdicto: vt nullum in ea, præter baptismum paruulorum, & pœnitentiam morientium, diuinum celebraretur officium, si forsan ei vexatio tribueret intellectum.

Diuionense. Congregato igitur apud Diuionem, archiepiscoporum, nec non abbatum, & aliorum multorum concilio, Rex præsentiens quod idem legatus vellet procedere contra ipsum, per nuncios suos fecit ad sedem apostolicam appellari. Legatus vero, non vt appellationi deferret, sed vt differret ad tempus, quatenus alibi mandatum apostolicum commodius adimpleret:
Viennense. tandem apud Viennam multis archiepiscopis conuocatis, inter quos quidam de regno Franciæ fuere præsentes, interdicti sententiam promulgauit: mandans per litteras suas, quibus etiam tenorem apostolicarum inseruit litterarum, vniuersis ecclesiarum prælatis in terra regis Franciæ constitutis, vt eam & ipsi seruarent, & facerent per suas litteras obseruari. Quod si forsan episcoporum aliqui contra eam venire præsumerent, scirent se ab officio pontificali suspensos. Cæteris vero cuiuscumque dignitatis, vel ordinis, officiorum & beneficiorum administrationem penitus interdicit. Omnes autem ad festum Ascensionis Domini proxime tunc futurum de inobedientia responsuros, ad sedem appellauit. Receptis igitur litteris quidam in auditu auris obedire cœperunt, sicut canonici Senonenses, Parisienses; episcopus Siluanectensis, Suessionensis, Ambianensis, Atrebatensis, & quidam alii sententiam interdicti firmiter obseruantes. Alii vero distulerunt obseruare sententiam, sicut Remensis Archiepiscopus, Laudunensis, Nouiomensis, Autissiodorensis, Beluacensis, Morinensis, Meldensis, Carnotensis, Aurelianensis, & alii forte perpauci, nuncios suos ad sedem apostolicam destinantes, per quos quasdam excusationes licet friuolas prætendebant; sed promittebant quod illis expositis, si demum placeret summo pontifici, sententiam obseruarent. Cum igitur summus pontifex excusationes illas euidentissimis rationibus improbaret: præcepit eisdem vt & ipsi pariter obseruarent sententiam interdicti: qui audito præcepto humiliter paruerunt. *Vide & quæ sequuntur, quæ hic describere longius foret.*

ANNO CHRISTI 1199.

Chronicon vero S. Benigni ad cyclos Paschales, Anno, *inquit*, M C C. Concilium apud Diuionem in ecclesia ista conuocatum est a domino Petro Capuensi S. Mariæ in via lata diacono cardinale Apostolicæ sedis legato: & interfuerunt ibi Lugdunensis, Remensis, Bisuntinensis, & Viennensis archiepiscopi, & cum eis 18. episcopi; & abbates, Cluniacensis, Verzeliacensis, S. Remigii Remensis, S. Dionysii Parisiensis, & alii quamplures quorum numerum non expressimus: & durauit concilium a festo Nicolai quod est mense Decembri vsque ad septem dies. Post paucos vero dies prædictus cardinalis apud Viennam particulare reuocauit concilium, vbi promulgauit sententiam a domino papa Innocentio datam in omni terra quæ subjacet & obedit regi Francorum: ita quod in ecclesiis nullum celebraretur officium diuinum, præter baptisma puerorum, & pœnitentiam morientium. Et durauit interdictum apud nos a tertia die post Purificationem B. Mariæ, vsque in vigilia exaltationis S. Crucis.

Corr. M.ICC. Concilium Diuionense. Viennense.

Vtrumque vero concilium confudit Rigordus in gestis Philippi Augusti ad annum M CXCIX. & Diuionensi vni tribuit omnia, quæ tum Diuione, tum Viennæ gesta sunt. Eodem, *inquit*, anno, mense Nouembri, in festo S. Nicolai conuocatum est concilium apud Diuionem a Petro cardinali, omnium episcoporum, abbatum, & priorum totius regni. Sed quia contra regem Franciæ, regnum ipsius sub interdicto ponere moliebatur: a nuntiis regis ad Romanam sedem est appellatum. Tamen ipse cardinalis, appellationi non deferens, in eodem loco adstantibus episcopis vniuersis sententiam protulit: sed vsque ad xx. dies post natiuitatem Domini non esse publicandam præcepit. Transactis verò xx. diebus a natiuitate: tota terra regis Francorum, interdicto subjacuit. Quo audito rex vehementer iratus quia episcopi sui interdicto faciendo consenserant, ipsos episcopos a propriis sedibus perturbauit, & canonicos eorum seu clericos, omnibus rebus suis expoliatos de terra sua ejici præcepit, & bona eorum confiscauit. Presbyteros etiam, qui in parochiis manebant, omnes ejecit, & bona eorum diripuit. Ad cumulum vero totius mali, Ingeburgem vxorem suam legitimam, reginam sanctam, omnibus bonis moribus & virtutibus ornatam, omniumque suorum solatio destitutam, apud Stampas in castro suo reclusit. *Hæc Rigordus.*

Guillelmus Armoricus, res in vtroque concilio gestas vni pariter Diuionensi tribuit. At Petrus, *inquit*, Capuanus, conuocato concilio apud Diuionem oppidum Allobrogum regnum Franciæ interdixit. *Audierat Guillelmus, id quod erat, latam esse interdicti sententiam, in Allobrogum vrbe (nempe Vienna) Diuione*

ANNO CHRISTI 1199.

Diuione vero latam persuaserat Rigordus; cuius est breuiator. Hinc Diuionem in Allobrogibus constituit. A

Grauius errauit monachus Aquicinctinus, dum Viennam trans Apenninum constituit. Petrus, *inquit*, cardinalis pertrāsiit Burgundiam: transcendit Apenninum montem: sententiam, quam in Francia ex domni Papæ præcepto ferre debuerat, ibi dedit. *Addit.* Interdicti sententiam episcopi quidam feruentissime obseruauerunt, Parisiensis, Siluanectensis, Ambianensis, Atrebatensis & alii, quorum non habemus notitiam. Hos papa Innocentius miris, per epistolas illis missas, effert laudibus: contemptores autem verbis terret minacibus.

Rogerius Houedenus hæc dum refert, Philippi coniugem, non Ingeburgem, sed Botildam vocat. Ianuario mense latam sententiam asserit, confirmatam fuisse ab Innocentio Papa, exceptosque eos qui susceperant, vel susciperent crucem peregrinationis Hierosolymitanæ. B

ANNO CHRISTI 1200.

CONCILIVM LONDONIENSE APVD VVESTMONASTERIVM CONTRA prohibitionem Gaufridi comitis de Essexia pro reformatione ecclesiæ Anglicanæ per Hubertum Cantuariensem archiepiscopum, celebratum anno Domini M C C. tempore Innocentii Papæ III.

Extat apud Rogerum de Houeden rerum Anglicanarum scriptorem, his verbis: Eodem anno Hubertus Cantuariensis archiepiscopus generale celebrauit concilium Londoniis apud Vvestmonasterium, contra prohibitionem Gaufridi filii Petri comitis de Essexe, tunc temporis summi iustitiarii Angliæ. In quo concilio idem archiepiscopus subscripta promulgauit decreta, statuens ea a suis subiectis inuiolabiliter obseruari. C

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Vt verba diuini officii distincte proferantur.*
2. *Quod non liceat presbytero bis in die celebrare.*
3. *De baptismate vel confirmatione, si dubitetur.*
4. *De pœnitentia.*
5. *Quo modo archiepiscopus, episcopus, & eorum officiales, debeant hospitari cum subiectis.* D
6. *Ne quis ordinetur sine certo titulo.*
7. *Quod non liceat excommunicationis sententiam proferre, nisi canonica commonitio præcedat.*
8. *Nihil exigendum pro sacramentis administrandis.*
9. *Ne decima minuatur occasione mercedis seruientium vel messorum.*
10. *Ne clerici in sacris ordinibus constituti focarias habeant.*
11. *Quales personæ debeant contrahere matrimonium.*
12. *Diffamatis publica fama indicatur purgatio.*
13. *Vt leprosi cœmeterium & propriam habeant capellam.*
14. *Ne aliquis, sine episcopali autoritate, ecclesiastica beneficia de manu laica recipiat.*

E

DECRETA HVBERTI CANTVAR. ARCH.

I. *Vt verba diuini officii distincte proferantur.*

CVM in diuinis officiis non sine periculo corporum & animarum erretur, salubri prouisione consilii prospeximus, vt a quolibet sacerdote celebrante, verba Canonis rotunde dicantur, & distincte, nec ex festinatione retracta, nec ex diuturnitate nimis protracta. Non est enim ibi diu immorandum propter insurgentes cogitationes *, quæ, vt muscæ morientes, perdunt suauitatem vnguenti. Similiter & omnes horæ & omnia officia aperte & distincte dicantur, ita quod ex festinatione nimia non præcidantur, vel syncopentur. Quod si obseruatum non fuerit, sacerdotes hoc non obseruantes post trinam admonitionem vsque ad condignam satisfactionem suspendantur. Saluo in omnibus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ honore & priuilegio.

ANNO CHRISTI 1200.

* quia muscæ.

II. *Quod non liceat presbytero bis in die celebrare.*

Non liceat presbytero bis in die celebrare, nisi necessitate vrgente: & tunc idem cum in die bis celebrat, post primam celebrationem & sanguinis sumptionem nil infundatur calici. Sane post primam celebrationem diligentissime absorbeantur stillulæ de calice, & digiti sugantur, vel lingua lambantur, & lauentur, reseruata lotura in vase mundo ad id specialiter deputato; quæ lotura sumatur post secundam celebrationem. Hæc ita se habeant, nisi in prima celebratione adsit diaconus, vel alius minister honestus, qui loturam sumere possit. His adiicimus, vt reponatur eucharistia in pixide munda & honesta, & in pixide munda & honesta deferatur ad ægrum linteo mundo superposito, & lucerna præcedente ac cruce, nisi æger valde remotus fuerit. Renouetur quoque hostia ipsa singulis dominicis diebus, habeaturque certitudo circa ipsam eucharistiam, ita quod non sumat non consecratam pro consecrata. His adiiciendum decreuimus, vt secreto non detur communio eucharistiæ impetenti, sed publice & instanter petenti danda est, nisi publicum sit eius delictum. Saluo in omnibus, &c.

III. *De baptismate vel confirmatione, si dubitetur.*

De baptismate vel confirmatione si dubitetur, sacrorum canonum statuta sequentes, statuimus vt conferatur, quia non dicitur iteratum quod non scitur fuisse collatum. Ideoque baptizentur expositi, de quorum baptismo dubitatur; siue inueniantur cum sale, siue sine sale. Adiicimus etiam, vt nullus teneatur ad confirmationem a patre vel matre, vel vitrico, vel nouerca. Et vt non liceat diaconibus baptizare, vel pœnitentias dare, nisi duplici necessitate, videlicet, quia sacerdos non potest, vel absens, vel stulte non vult, & mors imminet puero, vel ægro. Si vero in necessitate puer baptizetur a laico, quod fieri potest a patre vel a matre absque matrimonii præiudicio, sequentia immersionem, non præcedentia, per sacerdotem expleantur. Saluo in omnibus, &c.

IV.

ANNO CHRISTI 1200.

IV. De Pœnitentia.

Cum pœnitentiæ, quæ est secunda tabula post naufragium, tanto maior adhibenda sit circumspectio, quanto magis est necessaria post lapsum reparatio: nos sacrorum canonum statuta sequentes, præcipimus vt sacerdotes in pœnitentia diligenter attendant circumstantias, quantitatem [o] scilicet personæ, & quantitatem delicti; tempus, locum, causam, moram in peccato factam, deuotionem animi pœnitentis; & vt pœnitentia talis iniungatur vxori, vnde non reddatur marito suo suspecta de aliquo occulto & enormi peccato: idem de marito conseruetur. Nullus etiam sacerdos post lapsum, antequam confiteatur, ad altare præsumat accedere celebraturus. Id adiicimus ad sacerdotum cupiditatem resecandam, vt Missæ non iniungantur in pœnitentia his qui non fuerint sacerdotes. Saluo in omnibus, *&c.*

[o] Corr. qualitatem.

V. Quomodo archiepiscopus, episcopus, & eorum officiales, debeant hospitari cum subiectis.

Cum inter ea quæ statuta sunt a modernis patribus Lateranense concilium celeberrimum sit, & omni modo conseruatione dignissimum: nos ipsius instituta humiliter ac deuote sequentes, decernimus, vt archiepiscopus parochias visitans, quadragesimum vel quinquagesimum euectionis numerum; episcopus, vicesimum vel tricesimum, nequaquam excedant: archidiaconus vero, quinque aut septem; decani constituti sub episcopis, duobus equis contenti existant. Nec cum canibus venatoriis aut auibus proficiscantur: sed ita procedant, vt non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere videantur. Prohibemus etiam, ne subditos suos talliis & exactionibus episcopi grauare præsumant. Sustinemus autem pro multis necessitatibus, quæ aliquotiens superueniunt, vt, si manifesta & rationabilis causa extiterit, cum caritate modicum ab eis valeant auxilium postulare. Cum enim dicit Apostolus: *Non debent filii thesaurizare parentibus, sed parẽtes filiis:* multo longe a paterna pietate videtur, si præpositi subditis suis graues existant, quos in cunctis necessitatibus pastoris more debent fouere. Archidiaconi aut sui decani nullas exactiones vel tallias in presbyteros seu clericos exercere præsumant. Sane, quod de supradicto numero euectionis secundum tolerantiam dictum est: in illis locis poterit obseruari, in quibus ampliores sunt reditus, & ecclesiasticæ facultates. In pauperibus autem locis tantam volumus teneri mensuram, vt ex accessu maiorum minores non debeant grauari: ne sub tali indulgentia illi qui paucioribus equis vti solebant hactenus, plurimam sibi credant potestatem indultam. Spectat autem ad visitationis officium, ea in primis quæ ad salutem animarum pertinent, cum omni diligentia procurare, & vt vnaquæque ecclesia habeat calicem argenteum, & vestimenta sacerdotalia sufficientia & honesta, & libros necessarios, & vtensilia, & cætera, quæ spectant ad cultum & reuerentiam sacramenti. Sane ad præcidendum tam auaritiæ quam negligentiæ vitium, autoritate Toletani concilii subnixi, præcipimus: vt visitator, ab ecclesia, in qua visitationis officium debito modo non exercet, procurationem aut procurationis redemptionem exigere non præsumat. Saluo, *&c.*

Concil. Lateran. sub Alexand. III. cap. 4. fere ad verbum.

2. Cor. 12.

VI. Ne quis ordinetur sine certo titulo.

Illud etiam iuxta tenorem Lateranensis concilii firmiter obseruari præcipimus, vt si episcopus aliquem sine titulo certo in diaconum vel presbyterum ordinauerit, tamdiu ei subministret, donec ei in aliqua ecclesia conuenientia stipendia militiæ clericali assignet: nisi forte talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua vel paterna hereditate subsidia vitæ possit habere. Idem in subdiaconi ordinatione statuimus: adiungentes, vt si archidiaconus citra speciale mandatum episcopi sui aliquem prędictorum ordinationi præsentauerit, & is ad eius præsentationem ordinatus fuerit, prædictæ pœnæ subiaceat. Saluo in omnibus, *&c.*

Idem Lateran. cap. 5.

VII. Quod non liceat excommunicationis sententiam proferre, nisi canonica commonitio præcedat.

Rursus Lateranensis concilii statuta sequentes, præcipimus: vt nec prælati, nisi canonica commonitione præmissa, suspensionis vel excommunicationis sententiam proferant in subiectos, nisi forte talis sit culpa, quæ in ipso genere suo excommunicationis pœnam inducat: nec subiecti contra disciplinam ecclesiasticam ante ingressum causæ in vocem appellationis prorumpant. Si vero quisquam pro sua necessitate crediderit appellandum: competens ei ad prosequendam appellationem terminus præfigatur, infra quem si prosequi forte neglexerit, libere tunc episcopus autoritate sua vtatur. Si autem in quocumque negotio aliquis appellauerit, & eo qui appellatus fuerit veniente, qui appellauerit, venire neglexerit: si proprium quid habuerit, competentem illi recompensationem faciat expensarum; vt hoc saltem timore perterritus, in grauamen alterius non facile quis appellet. Præcipue vero in locis religiosis hoc volumus obseruari, ne monachi siue quicumque religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem prælati sui & capituli disciplinam,

Idem cap. 6.

ANNO CHRISTI 1200.

nam, appellare præsumant, sed humiliter ac deuote suscipiant quod pro salute sua eis fuerit iniũctum. Ad reprimendam etiam multorum malitiam his duximus annectendum, vt singulis annis in genere solenniter excommunicẽtur sortiarii, periuri supra sacramenta, incendiarii, fures, atrociores raptores. Ita vt qui scienter in dispendium cuiuslibet peierauerint, non absoluantur, nec eis pœnitentia ab aliquo iniungatur, nisi ab episcopo diœcesano, vel eius autoritate, præterquam in articulo mortis: & tunc eis iniungatur, quod ex quo conualuerint, episcopum adeant, ab eo vel eius autoritate pœnitentiam suscepturi. Saluo in omnibus, &c.

VIII. Nihil exigendum pro Sacramentis administrandis.

Ibid. c. 7. Sicut in Lateranensi concilio salubriter a sanctis patribus est prouisum, inhibemus, ne a personis ecclesiasticis deducendis ad sedẽ, vel sacerdotibus, vel aliis clericis instituẽdis, aut sepeliendis mortuis, aut benedicendis nubentibus, seu pro chrismate, seu quibuslibet aliis sacramentis, aliquid exigatur. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, portionem cum Giezi se nouerit habiturum, cuius factum exactione turpi muneris imitatur. His adiicimus, ne pro licentia celebrandi diuina, à sacerdotibus, vel docendi, a magistris, aliquid exigatur, & si solutum fuerit, repetatur. De eiusdem etiam autoritate concilij prohibemus, ne noui cẽsus ab episcopis, vel abbatibus, aliisve, imponantur ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redituũ suis vsibus applicare præsumant: sed libertatem, quam maiores sibi conseruari desiderãt, minoribus quoque suis bona voluntate conseruent. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur. Nulla insuper ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia, vel ecclesiæ alicui tribuantur, vel promittantur, antequã vacent: ne desiderare quis proximi sui mortem videatur, in cuius locum vel beneficium se credit successurum. Cum enim & in ipsis locis gentilium, legibus inueniatur prohibitum: turpe nimis est, & diuini plenum animaduersione iudicii, si in ecclesia Dei futuræ successionis expectatio locum habeat; quam & condemnare ipsi gentiles homines curauerunt. Saluo in omnibus, &c.

IX. Ne decima minuatur occasione mercedis seruientium vel messorum.

Cum Deo & sacerdotibus Dei decimas dandas Abraham factis, & Iacob promissis insinuent, & autoritas veteris & noui testamenti, nec non & sanctorum patrum statuta, declarent decimas de omnibus, quæ per annum renouantur, præstandas: id inuiolabiliter decernimus obseruandum, ita quod, occasione mercedis seruientium vel messorum, decima pars non minuatur, sed potius integrum persoluatur. Habeant etiam presbyteri potestatem ante autumnum excõmunicandi omnes fraudatores decimarum suarum, & eosdem secundum formam ecclesiasticam absoluendi. Huic adiicimus sanctioni, vt de terris nouiter excultis non alias dentur decimæ, quam ecclesiis parochialibus, infra quarum limites terræ illæ, de quibus decimæ proueniunt, excoluntur. Detentores verò decimarum, iuxta Rotomagensis concilii constitutum, si semel, secundo, & tertio commoniti, excessum suum non emendauerint, vsque ad satisfactionem condignam anathematis vinculo feriantur. Saluo in omnibus, &c.

X. Ne clerici in sacris ordinibus constituti focarias habeant.

Statuimus vt in ecclesia, cuius reditus annuus quantitatem trium marcarum non excedit, nullus instituatur, nisi qui in propria persona ibidem voluerit deseruire. Statuta etiam Lateranensis concilii reuerenter amplectentes, decernimus vt clerici in sacris ordinibus constituti, si mulierculas in domibus suis sub incontinentiæ voto [a] tenuerint: aut abiiciant eas, & continenter viuant, aut ab officio & beneficio ecclesiastico fiant alieni. Ibid. c. 11. [a] al. notã His etiam annectimus, vt clerici non intersint tabernis & publicis potationibus. Hinc etenim accidunt contentiones & rixæ, adeo quod laïci quandoque clericos verberantes incidãt in canonem. Qui cum ad papam mittantur, non est æquum quod clerici, qui culpa sua quodãmodò tamen dedere delictum, maneant impuniti. Clerici etiam omnes habitum habeant clericalem, & tonsuram canonicam. Archidiaconi autem, & alii in dignitatibus constituti, & presbyteri, cappis manicatis vtantur. Saluo in omnibus, &c.

XI. Quales personæ debeant contrahere matrimonium.

Vir non contrahat cum aliqua consanguinea olim vxoris suæ; similiter nec vxor cum aliquo consanguineo quondam viri sui. Et susceptus in baptismo non contrahat cum filia baptizantis, vel suscipientis, ante vel post genita. Nec contrahatur aliquod matrimonium sine trina denuntiatione publica in ecclesia, neque si fuerint personæ incognitæ. Sed nec copulentur aliquæ personæ matrimonio, nisi publicè in facie ecclesiæ, & præsente sacerdote: & si secus factum fuerit, non admittantur alicubi in ecclesia, nisi speciali autoritate episcopi. Nulli etiam coniugatorum liceat, iter remotum peregrinationis arripere, nisi mutuo consensu publicato. Saluo in omnibus, &c.

XII. Diffamatis publicà fama indicatur purgatio.

Diffamati fama publica, vel verisimilibus indiciis super crimine, de quo vinci non possunt, commoneantur semel, secundo, & tertio, vt confiteantur, & satisfaciant: si vero

ANNO CHRISTI 1200.

ro incorrecti in negatione perstiterint, indicatur eis purgatio, & non occasione pecuniæ captandæ differatur de die in diem, sed statim primo die, si parata fuerit, suscipiatur, & canonicum numerum non excedat. Saluo, &c.

XIII. Vt leprosi cœmeterium & propriam habeant capellam.

Affectu pietatis inducti, concilii Lateranensis etiam institutione suffulti, decernimus vt vbicumque tot leprosi simul fuerint congregati, qui ecclesiam cum cœmeterio sibi construere & proprio valeant gaudere presbytero, sine contradictione aliqua habere permittantur. Caueant tamen vt iniuriosi veteribus ecclesiis non existant. Quod enim eis pro pietate conceditur, ad aliorum iniuriam nolumus redundare. Statuimus etiam, vt de ortis nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur. Saluo in omnibus, &c.

XIV. Ne aliquis, sine episcopali autoritate, ecclesiastica beneficia de manu laïca recipiat.

Ibid. c. 9. Lateranensis concilii tenore perpenso decernimus, ne fratres templi, vel hospitalis, siue quicumque alii religiosi, ecclesias, vel decimas, vel alia beneficia ecclesiastica sine episcopali autoritate de manu laïca recipiant: dimissis etiam, quas contra tenorem istum moderno tempore receperunt. Excommunicatos, & nominatim interdictos, tamquam ab omnibus aliis, iuxta sententiam episcoporum, statuimus euitandos. In ecclesiis suis, quæ ad eos pleno iure non pertinent, instituendos presbyteros episcopis præsentent: vt eis quidem de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos autem inconsultis episcopis non audeant remouere. Si vero templarij siue hospitalarii ad ecclesiam interdictam venerint, non nisi semel in anno ad ecclesiasticum admittantur officium, nec tunc ibi corpora sepelient defunctorum interdictorum. De fraternitatibus autem hæc constituimus: vt, si non se prædictis fratribus omnino reddiderint, sed in proprietatibus suis duxerint remanendum, propter hoc ab episcoporum sententia nullatenus eximantur; sed potestatem suam, sicut in alios parochianos suos exerceant, cum de excessibus suis fuerint corrigendi. Quod autem de prædictis fratribus dictum est, ab aliis quoque religiosis, qui præsumptione sua episcoporum iura præripiunt, & contra canonicas eorum sententias & tenorem priuilegiorum suorum venire præsumunt, præcipimus obseruari. Si autem contra hoc statutum venerint: & ecclesiæ, in quibus ista præsumpserint, subiiciantur interdicto, & quod egerint, eiusdem auctoritate cōcilii irritum habeatur & vacuum.

Monachi etiam sub precio non recipiantur in monasterio, nec peculium habere permittantur, nec singuli per villas & oppida, siue quascumque parochiales ponantur ecclesias: sed in maiore conuentu, aut cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter sæculares homines, spiritualium hostium "afflictum expectent, Salomone dicente: *Væ soli, quia, si ceciderit, non habebit subleuantem.* Si quis autem exactus pro sua receptione aliquid dederit, ad canonicos ordines non accedat: is autem qui acceperit, officii sui priuatione mulctetur. Si vero peculium habuerit, nisi ei ab abbate fuerit pro iniuncta administratione permissum, a communione remoueatur altaris: & qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter fratres recipiat sepulturam: quod etiam de diuersis religiosis præcipimus obseruari. Abbas autem, & qui diligenter ista non curauerit, officii sui iacturam se nouerit incursurum. Prioratus quoque, seu obedientiæ, precii datione nulli tradantur: alioquin & dantes & accipientes a ministerio fiant ecclesiastico alieni. Priores vero, cum in conuentualibus ecclesiis fuerint constituti, nisi pro manifesta causa & rationabili non mutentur: videlicet si dilapidatores fuerint, si incontinenter vixerint, aut tale aliquid egerint, pro quo amouendi merito videantur: aut si etiā pro maioris necessitate officii fuerint transferendi. Et illud præterea dignum adiectione videtur, ne monachi, aut canonici nigri, vel moniales nigræ, cappis coloratis vtantur, sed tantum nigris: nec vtantur coopertoriis, nisi nigris vel albis, cum pellibus agninis, vel catinis, vel vulpinis. Monachi etiam aut alii religiosi pileis non vtantur: nec obtentu peregrinationis claustrum egrediantur. Decernimus etiam, vt in qualibet ecclesia monachorum, vel quorumlibet religiosorum, suis vsibus canonice appropriata, vicarius instituatur prouisione episcopi, honestam & sufficientem sustentationem de bonis ecclesiæ percepturus.

ANNO CHRISTI 1200. Ibid. c. 10. — "conflictū — Eccles. 4.

ANNO CHRISTI 1200.

** CONCILIVM NIGELLENSE, AB OCTAVIANO, SEDIS APOSTOLICÆ LEGATO, celebratum mense Septembri, pridie natiuitatis B. Mariæ, anno Dom. MCC. in quo interdictum Galliæ solutum, indictumque concilium Suessionense, vbi de regio matrimonio iudicaretur.

INterdicti sententia, quam in Galliæ regnum tulerat Petrus Capuanus in concilio Viennensi sub finem anni MCXCIX. vim obtinere cœperat vigesimo post Christi natiuitatem die, hoc est, medio Ianuanuario anni MCC. Iam octauum mensem lugebat Gallia sacrorum omnium expers: cum venit sub initium Septembris Octauianus Ostiensis & Velletrensis episcopus, cardinalis, sedis apostolicæ legatus: Galliamque religione tristissima exoluit. De quo sic Rogerius Houedenus. Eodem, *inquit*, anno MCC. Octauianus Ostiensis episcopus, cardinalis, & apostolicæ sedis legatus, venit in Franciā missus a latere domini Innocentii papæ ad cognoscendū de diuortio facto inter Philippum

ANNO CHRISTI 1200.

Philippum regem Franciæ, & Botildam reginam A sponsam suam, & vt ipse in primis ante ingressum litis compelleret prædictum regem Franciæ dimittere adulteram suam Theutonicam, & resumere sponsam suam Botildam, & modo debito tractare. Factum est autem in vigilia natiuitatis B. Dei genitricis semperque virginis Mariæ, prædicto cardinali & archiepiscopis, & episcopis, & clero Franciæ conuenientibus apud S. Leodegarium in Niuele: Philippus rex Franciæ, & Botilda regina, & adultera eius Theutonica, conuenerunt illuc: & rex Franciæ admonitione præfati cardinalis, & consilio suorum, dimitit adulteram suam, & Botildam sponsam suam recepit. Et statim conquestus est de ea cardinalis, dicens; quod B ipse eam de iure habere sibi in coniugem non debet, quia multum erant affines in consanguinitate, & hoc probare modis omnibus præsto erat, & ideo petebat diuortium inter eos fieri. Statuit ergo eis prædictus cardinalis spatium sex mensium, & sex hebdomadarum, & sex dierum, & sex horarum, a vigilia illa natiuitatis B. Mariæ ad deliberandum super hoc, & locum placitandi statuit eis apud "Sessuns, electione reginæ Botildæ. Eodem die, scilicet in vigilia natiuitatis S. Mariæ, postquam rex Franciæ adulteram suam dimiserat, & Botildam sponsam suam receperat: statim relaxata est sententia interdicti ecclesiarum de regno Franciæ, & pulsatis campanis facta est lætitia magna in clero & populo, quia interdictum illud iam durauerat plusquam per triginta hebdomadas, & corpora C defunctorum sepulta erant extra villam per vicos & plateas.

" *Soissons.*

Quibus autem conditionibus sublatum sit interdictum, distinctius explicant gesta Innocentii III. his verbis. Octauianum Ostiensem Episcopū legatum in Francia de [illegible]inauit, talem ei formam præfigens, vt ante omnia satisfactionem plenariam de damnis & iniuriis clericis irrogatis faceret exhiberi. Ita quod ii qui propter obedientiā & reuerentiā apostolicæ sedis graues perpessi fuerant contumelias, & iacturas, per apostolicam sedem sibi sentirent & gauderent congrue satisfactum. Deinde superinductam præciperet a regis consortio tam localiter, quam carnaliter remoueri; vt non solum a regis amplexibus, verum etiam a regni D finibus faceret illam excludi, & præfatam reginam ab ipso rege solenniter recipi, & regaliter pertractari; recepta publice iuratoria cautione, quod eam sine iudicio ecclesiæ non dimitteret: & sic relaxaret sententiam interdicti, reseruata sibi correctione illorum, qui ab initio non seruauerant interdictum. Et si, post frequentes & diligentes admonitiones & exhortationes, idem rex præfatam reginam sicut legitimam habere nollet vxorem, sed mallet matrimonium accusare: præcepit legato, vt pro termino peremptorio ad inchoandam causam spatium sex mensium assignaret. Infra quod, si præfata vellet, commoneretur rex Danorum germanus ipsius, vt ad defensionem eiusdem viros prudentes cum aduocatis, & testibus, & aliis quibuslibet necessariis, sub apostolica, & regia secu- E ritate dirigeret, competenti loco de libera voluntate partium assignato. *Quod ab Octauiano fuisse seruatum, eadem acta deinde testantur.*

G. C. Legati aduentum in Galliam memorat Rigordus ad annum MCCI. Non quod eo anno venerit, certum enim est ab eo sublatum interdictum initio Septembris, octauo postquam promulgatum fuerat mense: ac proinde anno MCC. vt ex iis quæ ante dicta sunt constat. Sed cum narrandas haberet Rigordus res concilii Suessionensis anno MCCI. ab Octauiano celebrati: ex occasione aduentum legati, & quædam quæ concilium antecesserant refert, licet ad annum præcedentem pertineant.

ANNO CHRISTI 1201.

** CONCILIVM SVESSIONENSE,

MENSE MARTIO ANN. DOM. MCCI. ab Octauiano & Ioanne legatis apostolicis celebratum, de matrimonio Philippi Augusti cum Ingeburge.

E*Lapso sex mensium spatio quod a legato assignatum superiore concilio vidimus, Suessionense concilium habitum est. De quo sic Rigordus.* Conuocatum est conciliu[m] Suessionis ab Octauiano, & Ioanne de S. Paulo presbytero cardinali, apostolicæ sedis legatis. Cui interfuit Philippus rex cum archiepiscopis, episcopis, & totius regni principibus, mense Aprili, vbi tractatum fuit per xv. dies de matrimonio Ingeburgis reginæ confirmando, vel separando. Post varias & multas disputationes iurisperitorum, rex longa mora tædio affectus, relictis ibi cardinalibus & episcopis, cum Ingeburge vxore sua summo mane ipsis insalutatis recessit: mandans illis per nuntios suos, quod vxorem suam secum ducebat sicut suam, nec separari tunc ab ea volebat. Quo audito solutum est concilium, stupefactis cardinalibus & episcopis, qui ad diuortium faciendum conuenerant. Et tunc Ioannes de S. Paulo cum nimia erubescētia penitus recessit. Octauianus autem in Francia remansit. Et sic Philippus hac vice manus Romanorum euasit. *Eadem fere, sed minus copiose narrantur in gestis Innocentii.*

Rogerius vero multo amplius & explicatius. Cū enim Rigordus, & Innocentii gesta, conciliū ab Octauiano & Ioanne legatis habitum dicant, perinde quasi vterque semper adfuisset: ipse docet Octauianum initio solum interfuisse ante Ioannis aduentum. Eodem, *inquit*, anno MCCI. in medio quadragesimæ, mense Martio, Philippus rex Franciæ, & Botilda regina vxor eius, conuenerunt cum partibus suis apud Sessuns coram Octauiano Ostiensi episcopo, a domino papa Innocentio, iudice delegato. Ex parte autem prædictæ reginæ interfuerunt ibi episcopi, & alii honesti viri, & discreti, missi a Cnut rege Dacorum " fratre prædictæ reginæ: & ante ingressum litis petierunt a rege Franciæ securitatem libere respondendi, & allegandi, & a terra sua recedendi. Et his concessis, rex Franciæ constanter petebat diuortium fieri inter ipsum, & Botildam sponsam suam, dicendo, quod ita affines erant in consanguinitatis linea, quod eam de iure non deberet cognoscere. Ad hoc responderunt nuncii regis Dacorum: Nos cognouimus, audiuimus, & vidimus, quod cum venerabiles viri nuncii vestri, quos excellentia vestra misit ad dominum nostrum Cnut regem Dacorum, pro matrimonio contrahendo inter vos, & Botildam sororem suam, essent in præsentia illius, & proponerent, quod desiderio desiderastis ducere vobis in vxorem Botildam regiæ stirpis egregiam puellam, sororem suam, & eam constanter petissent vobis transmitti: dominus noster Cnut rex Dacorum, hostium suorum magnificus triumphator, cui nemo impune resistit, communicato magnatum regni sui consilio, dignum iudicauit petitionem vestram exaudiri. Iurauerunt ergo prædicti nuncii vestri in animam vestram, iurauerunt que in animas suas, quod vos præfatam Botildam, statim ex quo ipsa fines regni vestri intraret, eam vobis desponsari, & in reginam coronari faceretis, & eam sicut reginam & sponsam vestram honorifice tractaretis, quandiu vos duo vixeritis. Et super hoc misistis domino nostro regi Dacorum chartam vestram, quam hic præ manibus habemus: habemus etiam chartas magnatum vestrorum qui hoc idem iurauerunt. Et quia vos secus, quam magnates vestri iurauerunt, præfatam Botildam reginam

" *Corr.* Danorum.

ANNO CHRISTI 1201.

sponsam vestram tractastis: nos appellamus eos de periurio, & fide læsa coram domino papa: appellamus etiam ad dominum papam a iudice isto domino Octauiano Ostiensi episcopo, qui nobis suspectus est, vt pote qui consanguineus vester est, vt dicit, & causam vestram nimio fauore prosequitur. Similiter & ipsa Botilda regina appellauit pro se ipsa a iudice illo ad dominum papam. Octauianus igitur Ostiensis episcopus, apostolicæ sedis legatus, audiens quod appellatum esset ab eo ad summum Pontificem, dixit ad nuncios regis Dacorum: Expectate donec collega meus, quem associauit mihi dominus papa, veniat, qui in proximo venturus est, & quod ab eo iudicatum fuerit, recipite. Illi autem abierunt, dicentes, appellauimus. Post triduum venit ille alius legatus, de cuius sanctitate & iustitia dominus papa plenam habebat fiduciam: & sedens pro tribunali, nullam inuenit causam, quare diuortium fieret inter Philippum regem Francorum, & Botildam reginam sponsam suam. Et cum ille super hoc vellet dare diffinitiuam sententiam contra regem Franciæ: rex Franciæ inde præmunitus, ante sententiæ pronunciationem abiit, & duxit secum Botildam reginam vxorem suam, & posuit eam in arctiori custodia.

Explicatius etiam nonnulla Monachus Aquicinctinus, dum & quandiu Octauianus solus præfuerit, & quando venerit Ioannes, & alia quædam docet ab aliis prætermissa. Mediante, *inquit*, mense Martio, Octauianus cardinalis, archiepiscopi, & episcopi, cum Philippo rege Francorum, in vrbe Suessionica, cum innumera cleri & populi multitudine conueniunt: vt de regis & reginæ diuortio, certum & iustum, iuxta Innocentii papæ præceptum, agitarent iudicium. Sed quia Ioannes cardinalis S. Pauli monachus nostri ordinis, nondum aduenerat, cui hæc causa principaliter ab Apostolico commissa fuerat, colloquium prolatatur vsque ad aduentum eius. Qui adueniens, mense Maio, cum magno, in prædicta Suessionensi vrbe, a rege, archiepiscopis, & episcopis, in ecclesia sanctorum martyrum Geruasii & Protasii, excipitur gaudio: cui oblata sunt munera a rege, sed ille iustus manus suas excussit ab eius munere. Ad colloquium conueniunt: rex vallatus & armatus multitudine aduocatorum, qui causam suam pro suo velle perorarent, accessit: regina vero sola, proh dolor! nullum præter Deum habens aduocatum venit. Cumque in tanta multitudine nullus esset, qui pro ea, metu regis, litigaret: quidam ignotus pauper clericus, surgens e medio, cum licentia regis & cardinalium, causam reginæ ita litteratissime dilucidauit, vt ipsi regi & cardinalibus, omnibusque episcopis fieret admirationi. Qui post, nec ante, in eadem ciuitate, a nullo dicitur visus fuisse. Rex vero non exspectato, secundum decreta sanctorum patrum, ecclesiastico iudicio, recessit a colloquio. Cardinales etiam & episcopi reuersi sunt ad propria, caussa nondum terminata.

G. C. Aprili habitum narrat hoc concilium Rigordus: Rogerius vero & Monachus Aquicinctinus, Martio: melius, si concilii spectes initia: indictum enim est post sex menses quam habitum est Nigellense, quod initio Septemb. celebratũ est. Deindequadragesimæ tempore habitum ait Rogerius. At hoc anno ad Aprilem vsque quadragesima non peruenit, cũ pascha inciderit in diem Martii XXV. Quod de ignoto clerico narrat Aquicinctinus, consentit cum gestis Innocentii in quibus sic habetur: *Et licet rex plures & maiores aduocatos haberet, non tamen defuit, qui propter Deum verbum faceret intrepidus pro regina.* Neque contra pugnat Rogerius, dum ait adfuisse episcopos, aliosque, missos a Canuto Danorum rege, qui reginæ causam tuerentur. Illi enim discesserant ante Ioannis aduentum, coram quo ignotum illum clericum reginæ causam egisse refert Aquicinctinus.

** CONCILIVM PARISIENSE.

ANNO CHRISTI 1201.

IN QVO EVRAVDVS HÆRETICVS CONDEMNATVR.

ANNO Domini MCCI. *inquit Robertus S. Mariani monachus*, Euraudus miles, quem Henricus Niuernensis comes, terræ suæ præfecerat, vir in rebus sæculi versutus admodum, oppressorque minorum, hæresis illius, quam Bulgarorum vocant, coram legato arguitur, & dies ei præfigitur de obiecta hæresi publice se purgandi. Legatus Parisius concilium conuocat, in quo assidentibus cum legato archiepiscopis & episcopis regni, Parisiensibusque magistris, Euraudus statuitur: & multis contra eum testimoniis testibusque productis, maximeque Hugone Autissiodorensi præsule vrgentius insistente, hæreticus esse conuincitur, & expleta iudicii diffinitione puniendus traditur potestati. Attamen vt dispensationis suæ redderet rationem, redditur interim comiti Niuernensi. Dehinc Niuernis adducitur, & in conspectu omnium quibus ob illata grauamina exosum se fecerat, flammis exuritur. *Eiusdem Parisiensis concilii, & in eo condemnati militis, mentionem facit Petrus Vallis-cernensis, historiæ Albigensium, cap. 3.*

** CONCILIVM PERTHVSANVM.

ANNO CHRISTI 1201.

IN SCOTIA PRO ECCLESIASTICORVM moribus reformandis.

ANNO Domini MCCI. *Thomas Dempsterus lib. XVI. histor. Scot. ad hunc annum.* Ioannes, *inquit*, S. R. E. cardinalis S. Stephani de monte Cœlio, legatus a latere per Scotiam & Hiberniam, indicto Perthum concilio dierum quatuor, mores ecclesiasticorum reformauit. Tum in Hiberniam ex officio legationis concessit. *Hæc Dempsterus, qui addit Radulfum abbatem ordinis Cisterciensis, ac deinde Dunensem episcopum, scripsisse acta concilii Perthusani.*

** CONCILIVM IN SCOTIA CELEBRATVM,

ANNO CHRISTI 1201.

De initio celebritatis dominicæ habitum anno Domini MCCI.

Causam concilii hac de re in Scotia celebrati dedisse videntur ea quæ de dominici diei obseruatione describit Rogerus anno 1201. *his verbis:* Eodem anno Eustachius abbas de Flay rediit in Angliam, & prædicans in ea verbum Domini de ciuitate in ciuitatem, & de loco in locum, prohibuit ne quis forum rerum venalium in diebus dominicis exerceret. Dicebat enim, quod hoc mandatum subscriptum de obseruatione diei dominicæ venit de cælo.

De obseruatione diei dominicæ.

MAndatum sanctum dominicæ diei, quod de cælo venit in Ierusalem, & inuentum est super altare sancti Simeonis, quod est in Golgotha, vbi Christus crucifixus est pro peccatis mundi, & mandauit Dominus hanc epistolam, quæ apprehensa est super altare sancti Simeonis; quam per tres dies & tres noctes homines aspicientes corruerunt in terram, rogantes Dei misericordiam: & post horam tertiam erexit se patriarcha, & Akarias archiepiscopus, & expanderunt infulam, & sanctam acceperunt epistolam Dei. Quam cum accepissent, inuenerunt » superscriptum istud: Ego Dominus, qui præcepi vobis vt

ANNO CHRISTI. 1201. Marc. 4.

» bis vt obseruaretis diem sanctum dominicum, & A non custodistis eum, & de peccatis vestris non pœnituistis, sicut dixi per euangelium meum: *Cælum & terra trāsibunt, verba autem mea non transibunt.* Feci autem prædicare vobis pœnitentiam vitæ, & non credidistis, & misi super vos paganos, qui effuderunt sanguinem vestrum in terra, nec tamen credidistis: & quia sanctum diem dominicum non custodistis, per paucos dies habuistis famem: sed cito dedi vobis saturitatem, & postea peius fecistis. Volo iterum vt nemo ab hora nona sabbati vsque ad solem surgentem diei lunæ aliquid operetur, nisi quod bonum sit. Quod si quis fecerit, cum pœnitentia emendet; & si huic mandato non obedieritis, Amen dico vobis, & iuro vobis per sedem meam, B & thronum meum, & cherubim, qui custodiunt sanctam sedem meam, quia non mandabo vobis aliquid per aliam epistolam: sed aperiam cælos, & pro pluuia pluam super vos lapides, & ligna, & aquam calidam per noctes, vt nemo præcauere possit quin destruam omnes malos homines. Hoc dico vobis: Morte moriemini propter diem sanctum dominicum, & alias festiuitates sanctorum meorum, quas non custodistis. Mittam vobis bestias habentes capita leonum, capillos mulierum, caudas camelorum, & ita erunt famelicæ, quod carnes vestras deuorabunt: & vos desiderabitis fugere ad sepulcrum mortuorum, & abscondere vos propter metum bestiarum: & tollam lumen solis ab oculis vestris, & C mittam super vos tenebras, vt occidatis vos inuicem non videntes, & auferam a vobis faciem meam, & non faciam vobiscum misericordiam. Incendam enim corpora vestra, & corda, & omnium illorum qui non custodiunt diem sanctum dominicum. Audite vocem meam, ne pereatis in terra propter diem sanctum dominicum. Recedite a malo, & pœnitentiam agite de malis vestris. Quod si non feceritis, quasi Sodoma & Gomorrha peribitis. Nunc scitote quod salui estis per orationes sanctissimæ genitricis meæ Mariæ, & sanctorum angelorum meorum, qui orant pro vobis quotidie. Dedi vobis triticum & vinum abundanter, & inde non obedistis mihi. Nam viduæ & orphani clamant ad vos quotidie, D quibus nullam facitis misericordiam. Pagani habent misericordiam, vos autem non habetis. Arbores quæ fructificant siccari faciam pro vestris peccatis: flumina & fontes non dabunt aquam. Dedi vobis legem in monte Sinai, quam non custodistis. Dedi per me legem, quam non obseruastis. Pro vobis natus fui in mundo, & festiuitatem meam nesciuistis. Praui homines diem dominicum resurrectionis meæ non custodistis. Iuro vobis per dextram meam, nisi dominicum diem & festiuitates sanctorum meorum custodieritis, mittam vobis paganas gentes, vt occidant vos. Tollitis tamen res alterius, & de hoc nullam considerationem habetis. Propter hoc mittam super vos bestias peiores, quæ deuorent E mulierum vestrarum mamillas. Maledicam illis qui in die dominica aliquid mali operati fuerint. Maledicam illis qui iniuste agunt versus fratres suos. Maledicam illis qui male pauperes & orphanos iudicant, quos terra portat. Me autem derelinquitis, & principem huius sæculi sequimini. Audite vocem meam, & habebitis misericordiam bonam. Vos autem non cessatis ab operibus malis, nec ab operibus diaboli, quia facitis periuria & adulteria. Ideo circumdabunt vos gentes, & deuorabunt, vt bestiæ.

Peruenit igitur dominus Eustachius abbas de Flay Eboracum, & a Gaufrido Eboracensi archiepiscopo, & clero, & populo ciuitatis, honorifice susceptus, prædicauit verbum Domini, & de transgressione dominicæ diei & aliarum festiuitatum dedit populo pœnitentiam & absolutionem sub tali conditione, quod ipsi de cætero debitam impenderent dominicæ diei & aliis sanctorum festiuitatibus reuerentiam, non faciendo in eis quidquam operis seruilis, nec in diebus dominicis exercerent forum rerum venalium, sed bonis operibus, & orationibus deuote insisterent. Hæc seruanda constituit ab hora nona sabbati vsque ad ortum solis in die lunæ. Populus autem Deo deuotus ad prædicationem illius vouerunt Deo, quod de cætero in diebus dominicis nequicquam emerent, nec venderent, nisi forte cibum & potum prætereuntibus. Vouerunt etiam quod de singulis quinque solidatis rerum, quascumque venderent, darent vnum quadrantem ad lumen ecclesiæ emendum, & ad sepulturam indigentiū. Et ad hoc colligendum statuit prædictus abbas, in singulis ecclesiis parochialibus fieri truncum concauum sub custodia duorum vel trium fidelium hominum, vbi populus iactaret prænominatum æs. Statuit etiam præfatus abbas, quod discus eleemosynarius haberetur quotidie in mensa diuitum: in quo partem ciborum suorum mitterent ad opus indigentium, qui non præparauerunt sibi. Prohibuit autem idem abbas, ne quis in ecclesiis vel atriis earum venderet vel emeret quidquam, aut placitaret. His ergo & aliis sancti huius viri monitis inimicus humani generis inuidens, misit in cor regis & principum tenebrarum, quod ipsi præceperunt, vt omnes qui prædictas traditiones custodirent, & maxime omnes qui in diebus dominicis forum rerum venalium deiecerant, ad regium examen satisfacturi de obseruantia diei dominicæ ducerentur. Sed Dominus noster Iesus Christus, cui obediendum est magis quam hominibus, qui natiuitate & resurrectione sua, & aduentu suo, & missione Spiritus sancti in discipulos suos sibi hunc diem, quem dominicum vocamus, illustrauit, & celeberrimum dedicauit, virtutis suæ miracula suscitauit, & in quosdam dominicæ diei transgressores manifestauit sic.

Quodam sabbato post nonam quidam carpentarius in Beuerlaco, contra salubria vxoris suæ monita clauum ligneum faciens, corruit in terram percussus paralysi. Et quædam textrix post horam nonam in sabbato, cum ad pertexendum partem telæ anxia insisteret, cadens in terram paralysi obmutuit. Et apud Nasfertun villam magistri Rogeri Arundel, quidam homo fecit sibi panem subcinericium die sabbati post nonam, & inde comedit, & partem reseruauit sibi vsque mane. quem cum die dominica fregisset, exiuit sanguis: & qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et apud Vvatefeld, quodam sabbato, cum molendinarius post nonam operam daret, vt bladum suum moleret, subito exiuit loco farinæ tantus impetus sanguinis, quod vas suppositum pene impleretur sanguine, & rota molendini stetit immobilis contra vehementem impulsum aquæ: & qui viderunt, mirati sunt, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo. Item in Lincolnisiria parauerat quædam mulier pastam: quam deferens ad furnum post horam nonam sabbati, misit eam in furnum calidissimum: & cum eam extraheret, inuenit crudam; & iterum misit eam in furnum valde calidum, & in crastino, & in die lunæ, cum æstimaret se inuenisse panes coctos, inuenit pastam crudam.

Item in eadem prouincia, cum quædam mulier pastam suam præparasset, volens eam ad furnum portare, dixit ei vir suus: Sabbatum est, & hora nona iam præteriit, dimitte vsque ad diem lunæ. Mulier autem obediens viro suo fecit sicut præceperat: & inuoluit pastam linteaminibus mundis, & in crastino, cum visitaret pastam suam, ne propter fermentum impositum vas excederet, inuenit panes inde diuino nutu factos,

ANNO CHRISTI 1201. ctos, & bene coctos sine igne materiali. Hæc est mutatio dexteræ Excelsi. Et quamuis omnipotens Dominus, his & aliis potentiæ suæ miraculis, populum ad obseruationem diei dominicæ inuitaret: tamen populus plus timens regiam & humanam potestatem, quam Diuinam, plusque timens illos qui corpus occidunt, & quod vltra faciant non habent, quam illum, qui postquam corpus occiderit, animam potest mittere in gehennam; & plus timens terrena amittere, quam cælestia, & transitoria quam æterna, proh dolor! vt canis ad vomitum, reuersus est ad forum rerum venalium exercendum in diebus dominicis. Hæc ille.

G. C. Cur hoc cælestis epistolæ figmentum in conciliorum collectionem Binius intruserit, & concilium cur appellauerit, non video.

ANNO CHRISTI 1204.

*** CONCILIVM MELDENSE.

PRO PACE INTER FRANCORVM ANGLORVMQVE reges constituenda a Ioanne abbate Casemarii Cisterc. Ord. sedis Apostol. legato anno MCCIV. celebratum.

ANno Domini MCCIV. conquestus erat Innocentio III. papæ Ioannes rex Anglorum, vi occupatum a Philippo Augusto Francorum rege Pictauiensem comitatum: & violatũ fœdus iuramento sancitum, quo regionem illam in feudum acceperat. Pontifex Ioannem abbatem Casemarii Cisterc. Ord. legatum apostolicum in Galliam misit, vt ea de re cognosceret. Quod intelligimus ex Innocentii III. litteris ad Galliarum episcopos, quarum hoc exemplum.

Archiepiscopis & episcopis per Galliam constitutis.

Ex 3. collectione ab Antonio Augustino edita, lib 2. tit. 1. c. 3. & extra de iudic. c. 13.

Nouit ille, qui nihil ignorat, qui scrutator est cordium, ac cõscius secretorũ, quod carissimũ in Christo filium nostrũ Philippum regem Francorũ illustrem, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta diligimus, & ad honorem & profectum & incrementum ipsius efficaciter aspiramus: exaltationem regni Francorum, sublimationem apostolicæ sedis reputantes; cum hoc regnum benedictum a Deo, semper in ipsius deuotione permanserit, & ab eius deuotione nullo vnquam, sicut credimus, sit tempore discessurum: quia, licet interdum hinc inde fiant immissiones per angelos malos, nos tamen, qui satanæ non ignoramus astutias, circumuentiones ipsius studebimus euitare: credentes, quod idem rex illius seduci se fallaciis non permittet. Non ergo putet aliquis, quod iurisdictionem aut potestatem ipsius minuere aut perturbare velimus: cum ipse iurisdictionem nostram & potestatem non debeat aut velit etiam coarctare. Cumque iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam vsurpare velimus? Sed cum Dominus dicat in Euangelio: *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corrige eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Luc. 17. Et rex Angliæ, sicut asserit, sit paratus sufficienter ostẽdere quod rex Francorũ peccat in eum, & ipse circa eum in correctione processit secundum regulam euangelicam, & tandem, quia nullo modo profecit, dicit ecclesiæ: quomodo nos, qui sumus ad regimen vniuersalis ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum diuinũ possumus non exaudire, vt nõ procedamus secundum formam ipsius? nisi forsan ipse coram nobis, vel delegato nostro, sufficientem in contrarium rationem ostendat. Non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum spectat iudicium, nisi forte iuri communi per speciale priuilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum; sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quolibet" possumus & debemus. ANNO CHRISTI 1204. "al. in quolibet exercere.

Non igitur iniuriosum sibi debet regia dignitas reputare, si super hoc, apostolico iudicio se committat: cum Valentinianus inclitus imperator Mediolanensis suffraganeis ecclesiæ dixisse legatur: Talem in pontificali sede constituere procurate, cui & nos, qui gubernamus imperium, sincere nostra capita submittamus; & eius monita, dum tanquam homines deliquerimus, suscipiamus necessario velut medicamenta curantis." Vt illud humiliter omittamus, quod Theodosius statuit, & Carolus innouauit, de cuius genere rex ipse noscitur descendisse: Quicunq; videlicet, litẽ habẽs, siue possessor, siue petitor fuerit, vel initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, si iudiciũ elegerit sacrosanctæ sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiamsi pars alia refragatur," ad episcoporũ iudicium cum sermone litigantiũ dirigatur. Hist. tripartit. l. 7. c. 8. "al. nec illud humillimum omittemus. Cod. Th. lib. 16. de episcopali iudicio. l. 1. §. Quicumque. Capitular. Car. M. l. 6. c. 281. "al. ad episcopum.

Cũ non humanæ constitutioni, sed diuinæ legi potius innitamur: quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo. Nullus enim, qui sit sanæ mentis, ignorat quin ad officium nostrum spectet de quocumque mortali peccato corripere quemlibet Christianum; & si correptionem contempserit, ipsum per districtionem ecclesiasticam coërcere. Quod enim debeamus corripere, & possimus, ex vtriusque patet pagina testamenti, cum clamet Dominus per prophetam: *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Is. 58. Et subiungat ibidem: *Nisi annunciaueris impio impietatem suam, ipse in iniquitate quam operatus est, morietur: sanguinem autem eius de manu tua requiram.* Ezech. 33. Apostolus quoque nos monet: *Corripe inquietos.* 1. Thess. 5. Et alibi dicit idem: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* 2. Tim. 4. Quod autem possimus & debeamus coërcere, patet ex eo quod inquit Dominus ad prophetam qui fuit de sacerdotibus Anathot: *Ecce constitui te super gẽtes & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plãtes.* Ierem. 1. Cõstat vero quod euellendum, destruendũ, & disperdendũ est mortale peccatum. Præterea cum Dominus claues regni cælorum Petro tradidit, dixit ei: *Quodcũque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Matth. 16. Verum nullus dubitat quin omnis mortaliter peccans, apud Dominum sit ligatus. Vt ergo Petrus Diuinum iudicium imitetur, ligare debet & in terris, quos ligatos esse constat in cælis. Sed forsan dicetur, quod aliter cum regibus, & aliter cum aliis est agendum. Cæterum scriptum nouimus in lege diuina: *Ita magnum iudicabis vt paruum: nec erit apud te acceptio personarum*: quam B. Iacobus interuenire testatur, *si dixeris ei qui indutus est veste præclara: Tu sede hic bene; pauperi autem dicas: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum.* Iac. 2. Et licet hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus ab errore ad veritatem, & a vitio ad virtutem: præcipue tamen cum contra pacem peccauit, quod est vinculum caritatis. Et infra: *Nunquid apud nos debet esse pondus & pondus, mensura & mensura, quorum vtrumque est abominabile apud Deum?* Prou. 20. Postremo cum inter reges ipsos formata sint pacis fœdera, & vtrinque præstito iuramento firmata; quæ tamen seruata vsque ad præfixum terminum non fuerunt: nunquid non poterimus de iuramenti religione cognoscere, quod ad iudicium

ANNO CHRISTI 1204

dicium ecclesiæ non est dubium pertinere, vt A rapta pacis fœdera reformentur?

Ne igitur, tantam discordiam videamur sub dissimulatione fouere, dissimulare religiosorum locorum excidium, stragem negligere populi christiani: dilecto filio abbati Casemarii dedimus in præceptis, vt nisi rex ipse, vel solidam pacem cum prædicto rege reformet, vel treugas ineat competentes, vel saltem humiliter patiatur, vt idem abbas, & venerabilis frater noster archiepiscopus Bituricensis, de plano cognoscant, vtrum iusta sit querimonia, quam contra eum proponit coram ecclesia rex Anglorum, vel eius exceptio sit legitima, quam contra eum per suas nobis duxit litteras exprimendam: iuxta formam sibi datam a B nobis, procedere non omittat. Ideoque vniuersitati vestræ per apostolica scripta mandamus, & in virtute obedientiæ districte præcipimus, quatenus, postquam idem abbas super hoc mandatum fuerit apostolicum executus, sententiam eius, immo nostram verius, recipiatis humiliter; & vos ipsi seruetis, & faciatis ab aliis seruari: scituri, quod si secus egeritis, inobedientiam vestram grauiter puniemus.

Pontificiis mandatis vt pareret Ioannes legatus, concilium Meldense conuocauit: in quo quid sit gestum, quid scriptum ad pontificem, quid ab eo decretum, ex eius ad Galliarum episcopos litteris intellige.

Archiepiscopis & episcopis per Galliam constitutis. C

Ad nostram noueritis audientiam peruenisse, quod cum dilectus filius abbas Casemarii, nuncius noster, vos Meldis ad colloquium conuocasset, exhibitis litteris quæ vobis pro reformanda pace inter carissimos in Christo filios nostros Philippum Francorum, & Ioannem Anglorum, reges illustres, a sede apostolica mittebantur, habito concilio, respondistis: quod cum prædictus rex Angliæ, iuxta nostrarum constantiam litterarum, minime processisset, vos propter perplexitates multas, & magnas, quas imminere verebamini ecclesiæ Gallicanæ, nos consulere decreuistis; & ne interim præfatus abbas procederet, ad nostram audientiam appellastis, certum appellationi terminum præfigentes, ad quam prosequendam, data fide in manu eiusdē abbatis, vos per pacis osculum adstrinxistis: ita quod D post terminum esset ab officio pontificali suspensus, si quis appellationem ipsam in termino prosequi non curaret, præsentibus nunciis regis vestri, qui hoc ipsum vobiscum pariter approbarunt. Vtrum autem præfatus abbas exegerit huiusmodi cautionem, an vos spontanee obtulistis, ignoramus. Commendamus tamen in illo zelum, si gratis recepit oblatum; & in vobis deuotionem, si spontaneam obtulistis. Verum quia fidem, & obedientiam vestram, nos & prædecessores nostri sumus frequenter experti: vt ostendamus affectum, quem non solum ad vos, & ecclesias Gallicanas, verum etiam ad ipsum regem, & regnum Francorum habemus: nolumus vos hoc titulo tenere ligatos; sed appellationem interpositam prosequamini, prout regno, & sacerdotio noueritis expedire: quia nos E ita volumus sacerdotii iura integra conseruare, vt etiam regni iura custodiamus illæsa. Datum Laterani septimo Idus Augusti.

Quid deinde actum fuerit, discimus ex Anonymi narratiuncula, quam post Innocentii III. epistolas super negotio terræ sanctæ, edidit Franciscus Duchesne Tomo V. historicorum Franc. pag. 809. sub hac inscriptione: De guerra Franciæ & Angliæ regum: *qua, & concilium & concilii euentus describitur his verbis:* Hic (*Innocentius III.*) ad reformandum pacem, vel componendum treugam inter Philippum regem Frācorum, & Ioannem regem Anglorum, abbatem Casemarii destinauit: qui cum ad hoc per annum integrum laborasset, de Francia ad Angliam, & de Anglia ad Franciam discurrendo: videns tandem se non posse proficere, conuocauit archiepiscoporum, & episcoporum, & abbatum concilium, in quo præfatus rex Franciæ, per eosdem archiepiscopos, episcopos, & abbates, fecit ab eo ad sedem Apostolicam appellari. Quorum appellationi noluit ipse deferre, nisi iurassent quod in termino, quem eis præfigeret, appellationem ipsam in propriis prosequerentur personis. Sed summus pontifex ab huiusmodi iuramento illos absoluit, indulgens eis de speciali gratia, vt aliquot ex parte omnium ad prosequendum appellationem venirent. Venerunt igitur in termino constituto Senonensis, & Bituricensis, archiepiscopi; Parisiensis, Meldensis, Catalaunensis, & Niuernensis episcopi; & multi honorabiles clerici, procuratores omnium aliorum, quibus diutius expectantibus, prænominatus rex Angliæ pro se destinauit neminem, negligens prosequi causam suam. Ex qua negligentia quantum ei damni prouenerit, satis patet: cum in breui tempore totam Normanniam, & Andegauiam, & Aquitaniam perdiderit pene totā. Prædicti vero archiepiscopi, & episcopi, post expectationē diutinā, in publico consistorio sub verbo veritatis tanquam pontifices sunt professi, quod ipsi non appellauerant ad mandatum apostolicum eludendum; sed quia sua interesse credebant: maxime cum crederent, in hac parte suum regem iustam causam habere. Sed si nec istud sufficeret, & in aliquo essent domino papæ suspecti: purgationem canonicam offerebant, quam eis domnus papa remisit.

ANNO CHRISTI 1206.

"**CONCILIVM LAMBETHENSE,

SEV CONSTITVTIONES PROVINCIALES Stephani Langton Cantuar. Archiepiscopi editæ apud Lambyth.

I. De modo dandi mortuarium.

I. Statutum felicis recordationis & prædecessoris nostri de mortuariis editum, quod nonnulli minus sano peruertunt intellectu, præsentis concilii approbatione duximus declarandum. Satagebat autem prædecessor saluti consulere animarum, eo quod considerabat laïcos modousque " sexus subditos suos, " vtriusque quandoque per ignorantiam, nonnunquam vero per negligentiam, & iniustam decimarum & oblationum suarum detentionem, grauiter deliquisse. Et quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, prudenter attendentes, salubriter statuit; quod pro recompensatione decimarum taliter subtractarum, licet suo statuto causam non inseruit, secundum melius animal defuncti ecclesiæ damnum passæ debuit applicari. Quia autem huius occasione statuti inter rectores ecclesiarum & parochianos suos lites, quas extingui cupimus, frequentius oriuntur: illud duximus synodali interpretatione declarandum, quod si decedens tria tantummodo & plura cuiuscunque generis in bonis suis habuerit, optimo cui de iure fuerit debitum reseruato, ecclesiæ suæ a qua sacramenta recepit, dum viueret, sine dolo, fraude, & contradictione qualibet, pro recompensatione subtractionis decimarum tam personalium, nec non oblationum, melius animal post optimum, reseruetur. Quod si duo tantum in bonis decedentis extiterint animalia, de mansuetudine ecclesiæ exactio qualibet nomine mortuarii remittatur. Hoc autem adiiciendum statuendo duximus: quod si materfamilias, viro suo superstite, obierit, ad præstationem mortuarii minime coërceatur, non teneatur, vel obligetur. Quod si post obitum mariti in domo & familiæ regimine vidua per annum superuixerit

ANNO CHRISTI 1206.

uixerit iuxta formam ſuperius ſcriptam, ad mortuarium obligatur. Hac autem noſtra conſtitutione, vel interpretatione, conſuetudine laudabili ſuper mortuariis in noſtra diœceſi attentius obſeruata nolumus præiudicium generari, quin ſi, decedens huiuſmodi animalium numerum non habuerit præſtatione mortuarii, conſuetudo eccleſiaſtica obſeruetur. Ad ſolutiones autem debiti mortuarii, contradictores & rebelles, volumus per locorum ordinarios, cenſura eccleſiaſtica coarctari.

II. *Ne ſcotallæ, ſeu potationes fiant, & de pœnis facientium.*

PRohibitionem ſcotaliarum ſeu ſcotallarum, & aliarum potationum pro communi ſalute animarum & corporum, introductarum, prouida approbatione proſequentes, rectoribus, vicariis, & aliis capellanis parochialibus præcipimus ſub obedientiæ debito firmiter iniungendo: quod parochianis ſuis crebra exhortatione diligenter indicant, ne prohibitionis huiuſmodi temerarii violatores exiſtant. Alioquin quos in hac parte culpabiles inuenerint, ab ingreſſu eccleſiæ & ſacramenti canonice tamdiu ſuſpenſos eſſe denuncient, donec aliis pœnis ceſſantibus ad pœnitentiarium noſtrum acceſſerint, quod ab eo pro tranſgreſſione huiuſmodi pœnitentiæ nomine iniunctum fuerit, humiliter recepturi: & prout dederit Deus, imprimetur, ac expietur. Communes autem potationes declaramus, quoties virorum multitudo numerum denarium exceſſerit, eiuſdem domicilii * potationis gratia immoratur. Viatores vero & peregrinos, & in nundinis ac mercatis conuenientes, quamuis in tabernis conuenerint, ſub iſta prohibitione nolumus comprehendi. Communes potationes quas ſcotallas, mutato nomine caritatis, appellant, deteſtantes: huiuſmodi potationum autores & publice conuenientes ad eaſdem, excommunicatos præcipimus publice & ſolenniter denunciari, donec ſuper hoc ſatisfecerint competenter, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

III. *Quando licet in die bis celebrare.*

BIs in die Miſſam nullus celebrare præſumat, niſi in diebus natiuitatis & reſurrectionis dominicæ; & quando corpus in propria eccleſia fuerit duntaxat tumulandum. Et tunc in prima Miſſa, ablutio digitorum vel calicis a celebrante non ſumatur. Qui contra fecerit, ab officio ſe nouerit ſuſpenſum, niſi forte canonica neceſſitate ſit compulſus: quam ſic duximus declarandam & limitandam, ſi in feſtis ix. lectionum, vel in quadrageſima, vel in quatuor temporibus, vel ſponſalia fieri oporteat, vel ſubueniendo ſocio infirmo, vel pro eccleſiæ ſuæ negotio, vel propria neceſſitate, manifeſte abſente.

ANNO CHRISTI 1206.

** CONCILIVM RADINGENSE,

In Anglia a Ioanne Ferentino ſedis Apoſtol. legato celebratum.

ANno MCCVI. *ait Matthæus Pariſius*, Ioannes Ferentinus ſedis apoſtolicæ legatus, veniens in Angliam, eamque perluſtrans, magnam pecuniæ ſummam congeſſit: & tandem apud Radingum, in craſtino S. Lucæ Euangeliſtæ, concilium celebrauit. Quo facto *eum Anglia diſceſsiſſe ait. Eadem narrat Matthæus Vveſtmonaſterienſis.*

G. C. Hæc vbi retulit Spondanus ad hunc annum mox ſapientiſſime ſubiicit: *Suſpecta omnino eſt accuſatio in hominibus parum in pontificem æquis, ob ſimultates, quæ poſtea inter ipſum & Ioannem regem interceſſerunt.*

ANNO CHRISTI 1207.

** CONCILIVM IN PROVINCIA NARBONENSI,

Incerto loco celebratum an. Dom. MCCVII. pro conuertendis Albigenſibus.

COncilii huius mentionem faciunt geſta S. Dominici, quorum hic locus a Vincentio Bellouacenſi, ſpeculi hiſtor. lib. xxix. cap. xciii. refertur ſub annum MCCVII. *Miſſi ſunt ab Innocentio papa, XII. abbates Ciſtercienſis ordinis cum vno* (*Arnaldo abbate Ciſterc.*) apoſtolicæ ſedis legato in terram Albigenſium, vt fidem catholicam prædicantes, hæretica venena pro viribus expulſarent. Qui conuocato archiepiſcoporum, & epiſcoporum, aliorumque in partibus illis eccleſiæ prælatorum concilio, conquirebant inter ſe quonam modo commodius id, cuius gratia venerant, executioni mandarent. Illis autem ſuper hac deliberatione ſollicitis, venerabilis Didacus Oxomenſis epiſcopus ſuperuenit: cum honore autem ſuſcipitur, conſulitur, & fides eius conſiliis adhibetur. Hoc autem fuit eius, ſpiritu diuino ſuggerente, conſilium: vt abiecta pompa ſuperflui apparatus, quam equidem ſatis incongrue, qui ad Chriſtum pauperem prædicandum aduenerant, in expenſis, ac equitatibus, ac veſtibus, & varia ſupellectili præferebant, veram atque euangelicam in ſe prætenderent paupertatem, & fidem Chriſti non verbis tantum & labiis perſonarent, ſed rebus, & manibus demonſtrarent: atque hoc modo animas, quas hæretici falſa virtute ac pietatis imagine deludebant, ipſi vera ſanctitatis ac religionis exhibitione poſſent ad fidei veritatem reuocare. Fauentque omnes eius conſilio, & iuxta verbum eius ſe facere pollicentur. Ipſe vero primus dictis ſuis facta compenſans, cœpit facere quæ aliis ſuadebat: ſtatimque miſit ſuos Oxomam cum equitaturis, & ſupellectili, & diuerſo quem ſecum tulerat apparatu. Retinuit tamen ſibi paucos ex clericis, & fratrem Dominicum, ſcilicet ſuæ Oxomenſis eccleſiæ ſuperiorem, qui extunc cœpit frater Dominicus, & non ſuperior appellari: remiſſiſque ad loca ſua temporalium ſarcinis, cœperunt ſinguli Euangelicam paupertatem amplecti, pedites diſcurrere, ac ſtrenue fidem Chriſti verbo & opere prædicare, habentes ſuper ſe quaſi totius negotii ducem epiſcopum Oxomenſem.

G. C. Abbatum ordinis Ciſtercienſis cum Didaco Oxomenſi epiſcopo, & S. Dominico, aduerſus Albigenſes prædicantium, meminerunt quoque Robertus monachus Autiſſiodorenſis, Petrus Vallis-cernenſis, Guillelmus de Podio Laurentii, & alii: ſed concilii & congregatorum epiſcoporum, nemo præter autorem geſtorum S. Dominici. Anno MCCVII. recte id a Vincentio tributum eſſe diſcimus ex Roberto monacho, qui abbates illos cum aliis eiuſdem ordinis, hoc anno menſe Martio Ciſtercio egreſſos eſſe docet circiter triginta. Abbates erant duodecim, ac præterea Arnaldus abbas Ciſtercienſis, legatus apoſtolicus, qui cæteris præerat: vnde & nonnunquam tredecim numerantur.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1208.

GALLONIS S. R. E. CARDINALIS CONSTITVTIONES.

Index capitulorum.

4. De

A

CAPITVLA.

I. Ne cum clericis & sacerdotibus mulieres commorentur.

B

IN nomine Domini, nos Gallo, miseratione diuina sanctæ Mariæ in porticu diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, excommunicamus omnes sacerdotes & clericos quoscunque, qui post legitimam admonitionem focarias vel mulieres alias, de quibus mala suspicio suboriri possit, in domibus propriis, vel alibi, vnde populus vel ecclesia scandalizetur, duxerint retinendas: nisi sint clerici qui in minoribus ordinibus legitime contraxisse probentur, qui cum vxoribus ecclesiastica non debent beneficia retinere. C Moneantur quoque, ne matres vel vxores, aliasque coniunctas personas secum habeant: cum quibus etsi nihil sæui criminis fœdus naturale existimari permittat, tamen frequenter, suggerente diabolo, cum talibus noscitur fuisse facinus perpetratum.

II. Ne pro sacris aliquid exigatur.

Prohibemus etiam sub eadem excommunicatione, ne sacerdotes vel clerici, occasione alicuius consuetudinis, pro baptismo, sepultura, benedictione, aliisue sacramentis ecclesiasticis, aliquid exigere vel extorquere D præsumant. Sed ea liberaliter & sine difficultate studeant canonice ministrare. Moneantur tamen laici diligenter, ne, quod pro reuerentia sacramentorum deuotio fidelium introduxit, ex auaritia velint aliquatenus reuocare.

III. De vestibus sacerdotum.

Item & prohibemus, ne sacerdotes de cætero cappis manicatis vtantur: & ne constituti in sacris ordinibus manicas consutitias, sotulares rostratos, vestesque rubri coloris E habeant, districtione consimili prohibemus.

IV. De vestibus archipresbyterorum, archidiaconorum, præpositorum.

Decanis quoque, archipresbyteris, & archidiaconibus, ne vestes rubri coloris, vel virides habere præsumant: & specialiter archidiaconibus & præpositis qui habent curam animarum, ne cappas foratas habeant manicatas.

V. De vestibus monachorum.

Monachi etiam vt cappis sumptuosis & non nigris de cætero non vtantur, sub eadem pœna duximus inhibendum.

VI. Ne clerici & monachi fœnus & negotiationem inhonestam exerceant.

Inhibemus etiam omnibus tam clericis quam monachis sub excommunicationis vinculo, ne fœnus exerceant: & ne aliquam negotiationem exerceant inhonestam, prohibentur indistincte.

VII. Vt prælati supradicta obseruent, & faciant obseruari.

Vt autem ab omnibus, in tonsura, habitu, & conuersatione, honestas ecclesiastica conseruetur: districte præcipimus vniuersis prælatis, sub attestatione diuini iudicii, firmiter iniungentes, vt omnia supradicta obseruent; &, quantum in ipsis fuerit, faciant a subditis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam inuiolabiliter obseruari.

VIII. Vt cum magistris & scholaribus agatur indulgentius.

Volentes autem, quantum cum Deo & honeste possumus, magistris & scholaribus deferre: eatenus erga ipsos rigorem, si quis est nostræ constitutionis, duximus temperandum, vt antequam periculum excommunicationis incurratur, admonitio generaliter fiat per magistros, & comminatio excommunicationis in transgressores. Quibus præmissis, si qui forte contumaces & rebelles extiterint: iterum & nominatim sub eadem comminatione & in scholis moneantur, indulta nihilominus ad satisfaciendum dilatione competenti.

IX. Vt iidem, si sæpius admoniti, resipiscere noluerint, excommunicentur.

Quod si forte nec taliter resipiscere voluerint, ex tunc per cancellarium, qui pro tempore fuerit, excommunicati denuntientur; & tamdiu ab omnibus euitentur, donec satisfecerint competenter, & ab episcopo, si fuerit præsens; vel eo absente, ab abbate S. Victoris, cum forma ecclesiæ fuerint absoluti.

X. Vt magistri prædicta diligenter exequantur.

Præcipimus autem magistris in virtute Spiritus sancti, vt prædicta omnia, excepto tamen necessitatis excusabilis articulo, diligentius exequantur: ne per negligentiam vel malitiam aliquorum, nostræ constitutionis autoritas contemnatur.

ANNO CHRISTI 1208.

NOTÆ GABR. COSS. S. I.

Quis iste sit Gallo cardinalis satis ipse declarat. *Nos*, inquit, *Gallo miseratione diuina, S. Mariæ in porticu diaconus cardinalis.* At quæ illius ætas? *Anno MCCVIII.* ait Rigordus, *Innocentius papa III. misit legatum in Franciam Gual. tituli S. Mariæ in porticu, diaconum cardinalem.* Idem vtrobique Gallonis nomen, (nam & Gallo, & Gualo, & Guala dicitur,) eadem cardinalis dignitas, idem ordo diaconi, idem titulus S. Mariæ in porticu. Qui vero has constitutiones ediderunt primi, cum Gallonem non alium nossent, nisi eum qui episcopus Parisiensis, Paschalis papæ tempore, præcedente sæculo fuerat: hunc & cardinalem, & harum autorem constitutionum dixerunt. Adeo persuasi erant, ex omnibus ætatibus, nulli alteri nomen Galloni fuisse. Animaduertere autem debuerant nullum esse vel in tabulario S. Mariæ Parisiensis, vel alibi vspiam monumentum, quod episcopo illi Parisiensi cardinalis dignitatem tribuat. Immo extat in magno pastorali ecclesiæ Parisiensis epistola Paschalis papæ II. a nobis edita tomo X. pag. 680. ad hunc Galonem, quem Parisiensem tantum episcopum appellat, minime vero cardinalem. Data est autem hæc epistola IX. Kal. Februarii anno MCXIV. hoc est mense vno ante Galonis episcopi obitum, qui contigit VII. Kal. Mart. anni eiusdem.

Scio a Ciacconio Parisiensem hunc Galonem, inter cardinales a Paschale II. creatos recenseri. At nullo alio argumento ab iis affirmatum scio, nisi quod ex falso harum constitutionum titulo petitum est. Frustra opponitur epistola XXXVIII. Hildeberti episcopi Cenomanensis, qui Gallonis Parisiensis episcopi æqualis erat. Neque enim inscripta est, vt volunt, Galoni legato: sed *Engolismensi episcopo* G. (hoc est, Girardo) *legato.* Satin' diserte? Cui non notus ille in Galliis sub Paschali II. legatus? Galo iste Parisiensis, legatione functus est in Polonia, cum adhuc esset Bellouacensis episcopus; in Gallia, minime. At neque legati apostolici omnes, cardinales fuere: vt ex infinitis exemplis constat.

Quod autem legitur in Martyrologio S. Victoris Parisiensis: *II. Kal. Iunii obiit domnus Galo cardinalis frater noster*: neque de Parisiensi episcopo intelligi potest, qui VII. Kal. Mart. vita functus est, vt fertur in obituario S. Quintini, cuius abbas fuit, antequam Bellouacensis primum esset, ac deinde Parisiensis episcopus: & Gualoni cardinali, qui Innocentii III. tempore legatus in Gallia fuit, apprime conuenit. Hunc enim fratrem suum appellant Victorini, quia sicut ipsi, canonicus regularis ex S. Augustini disciplina fuit, vt testantur Ciacconius, Panuinius, & Pennottus. Certe insigne cœnobium S. Andreæ, magnis dotatum opibus, canonicis regularibus S. Augustini extruxit: primumque abbatem Thomam, ex Victorina domo euocauit. De quo vide Pennottum in historia clericorum regularium.

ANNO CHRISTI 1209.

** CONCILIVM MONTILIENSE.

IN PROVINCIA NARBONENSI.

In quo Milo Apost. sed. legatus Raymundum comitem Tolosanum Albigensium fautorem pœnitentiæ subiecit, anno Domini MCCIX.

Raymundus comes Tolosanus, Albigensium fautor, iam sæpius excommunicatus, cum & ditionem suam cuiuis occupanti a pontifice concessam cerneret, & sacri belli Albigensibus indicti ingentem apparatum formidaret, nossetque episcopos duos, Fulconem Tolosanum, & Nauarrum Consoranensem, ad Innocentium legatos esse, vt eius opem exposcerent: suos ipse simulata pœnitentia oratores ad eum misit, rogaturos vt de latere suo aliquem mitteret, cui se per omnia futurum obsequentem spondebat: nam Arnaldum Cistercii abbatem legatum apostolicum seueriorem sibi ad illam diem fuisse. Sperabat mittendum aliquem faciliore virum ingenio, quem circumuenire posset. Misit autem pontifex Milonem, vnum de collateralibus suis clericis, vt ait Petrus monachus, (Cap 9.) *simulque Theodisium canonicum Genuensem; ambo scientia eximios, intrepidos, incorruptos. Milo cum Cisterciensi abbate congressus, & de eius consilio, vti iussus erat, omnia gerens*, cum collega suo Magistro Theodisio, *inquit Petrus historiæ Albigensium autor*, ad partes Prouinciæ perrexit: veniensque ad quoddam castrum quod Montilum nuncupatur, conuocauit archiepiscopos, & episcopos quamplures: qui cum ad eum venissent, quæsiuit ab eis diligenter, (Cap. 11.) qualiter procedendum esset in negotio pacis & fidei, præcipue in facto comitis Tolosani. Voluit etiam, vt singuli prælati, super certis capitulis, de quibus eum abbas instruxerat Cisterciensis, sua ei traderent consilia scripta & sigillata. Factum est vt præcepit, & quod auditu est mirabile, omnia tam abbatis Cisterciensis, quam prælatorum consilia, sine dissensione aliqua conuenerunt. A Domino factum est istud. Post hæc misit M. Milo ad comitem Tolosanum, mandans ei, vt ad diem quam sibi præfigebat, veniret ad ipsum apud Valentiam ciuitatem. Venit comes ad diem illum, & sicut fallax & sæuus, lubricus & periurus, promisit legato videlicet M. Miloni, licet in dolo, quod suam faceret in omnibus voluntatem. Legatus autem, vtpote vir cautus & prudens, prælatorum vsus consilio: voluit & præcepit, vt comes Tholosanus traderet ei pro securitate de terra quã tenebat in Prouincia, castra septem. Voluit etiã, vt consules Auenionensis & Nemausensis ciuitatum, & villæ S. Georgii, iurarent ei, quod si comes Tolosanus mandato ipsius legati venire præsumeret ex aduerso, non tenerentur ei hominii seu fœderis fidelitate astricti. Comitatus insuper "Ingruensis, S. R. E. caderet in commissum. ("Corr. Melgoriensis.) Comes vero Tolosanus, quamuis dolens & inuitus, necessitate compulsus, omnia quæ legatus mandauerat, adimplere promisit. Statim vir totius bonitatis M. Theodisius, de mandato legati venit in partes Prouinciæ, vt septem castra de quibus supra tetigimus, reciperet, & ea occuparet ex parte S. R. E. & muniret.

(Cap. 12.) His omnibus rite peractis, descendit legatus ad Villam S. Ægidii, reconciliaturus ibi comitem Tolosanum: modus autem reconciliationis & absolutionis talis fuit. Adductus est comes nudus ante fores ecclesiæ B. Ægidii, ibique coram legato, archiepiscopis & episcopis qui ad hoc conuenerant plusquam viginti, iurauit super corpus Christi, & sanctorum reliquias, quæ ante fores ecclesiæ expositæ cum magna veneratione, & in multa copia a prælatis tenebantur, quod mandatis S. R. E. in omnibus obediret. Mox legatus stolam ad collum comitis poni fecit, ipsumque comitem per stolam arripiens, absolutum cum verberibus in ecclesiam introduxit. *Hactenus Petrus monachus Vallis-sarnensis. Ex Catelli libro 2. historiæ comitum Tolosanorum instrumenta quædam subiicio eodem spectantia.*

Iuramentum Raymundi comitis.

Hæc est forma iuramenti facta a Raymundo comite Tolosano apud S. Ægidium, in manu domini Milonis. In nomine Domini, anno pontificatus domni Innocentii papæ tertii, duodecimo, XIV. Kal. Iulii. Ego Raimundus dux Narbonensis, comes Tolosæ, Marchio Prouinciæ, sacrosanctis reliquiis, Eucharistia, & ligno crucis dominicæ compositis supra sancta Dei euangelia corporaliter manu tacta, iuro quod super singulis & vniuersis capitulis, pro quibus a domno Papa, vel eius legato, vel aliis, ipso iure fui vel sum excommunicatus, stabo mandatis, in primis domni papæ, ac vestris magister Milon domni papæ notari, apostolicæ sedis legate. Ita videlicet, vt quicquid per se vel litteras suas nuncius vel legatus mihi præceperit, super vniuersis capitulis quibus excommunicatus fui, vel sum, bona fide, sine fraude ac malo ingenio adimplebo, super istis præcipue capitulis quæ hic nomino: videlicet quod pacem aliis iurantibus, dicor noluisse

ANNO CHRISTI 1209.

iuisse iurare : item quod iuramenta quæ feci super expulsione hæreticorum vel eis credentium non seruasse dicor : item quod hæreticos dicor semper fouisse, eisdemque fauisse : item quod de fide suspectus habeor : item quod Ruptarios siue Mainadas tenui : item quod dies quadraginta festorum & temporum, qui securitate gaudere debent, dicor violasse : item quod aduersariis meis, qui se iustitiæ offerebant, pacemque iurauerant, dicor noluisse iustitiam exhibere : item quod Iudæis publica commisi officia : item quod monasterii S. Guilielmi, & aliarum ecclesiarum, possessiones & ecclesias iniuste detineo : item quod incastellaui ecclesias, & incastellatas detineo : item quod indebita pedagia vel quidagia colligo, vel colligere facio : item quod Carpentoratensem episcopum a propria sede depuli : item de interfectione sanctæ memoriæ Petri de Castro-nouo suspectus habeor, pro eo maxime, quod interfectores ipsius in magna familiaritate recepi : item quod Vasionensem episcopum & eius clericos cepi, & palatium eiusdem episcopi & domos canonicorum destruxi, & castrum Vasionense per violentiam abstuli : item in religiosas personas manus iniecisse. Super his & aliis, si qua poterunt inueniri, prædicto modo iuraui, & alios iurare feci, & septem castrorum dedi cautiones, quorum nomina sunt hæc, Fiaci, Epeda, Balme, Roquamaura, Castrum Mornacii, Faniaux in * Argentea Montferrati. Si autem ea quæ supra dixi capitula, & alia quæ iniuncta mihi fuerint in perpetuum, bona fide non seruauero : volo & concedo, vt septem supradicta castra cadant in commissum Romanæ ecclesiæ, & ius quod habeo in comitatu Melgoliensi, ad Romanam ecclesiam plenissime reuertatur. Volo etiam & concedo, vt persona me excommunicet, & terra supponatur ecclesiastico interdicto, & coniuratores mei, tam consules, quam alii, & successores eorum, ex hoc ipso absoluti a fidelitate, iure, ac seruitio, quibus mihi tenentur, ratione ecclesiæ pro feudis & iuribus quæ habeo in ciuitatibus & castris de quibus erant, tam consules quam illi qui iurarunt, fidelitatem facere teneantur, pariter & signare. Item sub eodem iuramento & eadem pœna stratas publicas secure seruabo. Eisdem pœnis subiacere volo si prædicta omnia non seruauero, vel aliquod prædictorum.

Præcepta Raymundo comiti Tolosano a Milone legato facta.

In nomine Domini. Ego Milo domni papæ notarius, apostolicæ sedis legatus, præcipio tibi domno Raymundo comiti Tolosano sub debito præstito iuramento, & sub forma eiusdem iuramenti adiecta, vt domnum episcopum Carpentoratensem, tam in ciuitate quam extra, in pleno iure restituas, & damnis datis tam de rebus quam de fructibus eidem episcopo reseruandis fidejussores præstes idoneos, & vniuersos ciues Carpentoratenses a iuramento quod citra terminum tibi vel alii tuo nomine præstiterunt, absoluas omnino, & indictionem quam tibi fecisti fieri, mihi, vel cui dixero facias assignari. Item præcipio tibi sub eadem pœna, vt dictum episcopum, præpositum, & canonicos Vasionenses, tam in castris, quam in aliis, pleno iure restituas, & de damnis datis, ædificiis destructis, & rebus aliis & fructibus resarciendis, eisdem fidejussores præstes idoneos : castrum Vasionense mihi vel cui dixero facias assignari. Item sub eadem pœna tibi præcipio, vt Aragonenses, Ruptarios, Cotarellos, Bascolones, Mainadas, vel quocumque alio nomine censeantur, de tota terra tua & posse tuo prorsus expellas : nec in alienam terram eos immittas vel concedas, nec eorum auxilio tempore vllo vtaris. Item sub eadem pœna tibi præcipio, vt vniuersos " in tota terra tua & posse ab omni administratione publica vel priuata prorsus amoueas, nec vnquam eos ad ipsam vel aliam restituas, vel alios Iudæos ad aliquam administrationem adsumas ; nec eorum consilio vllo tempore contra Christianos vtaris. Item sub eodem iuramento & eadem pœna tibi præcipio, vt stratas publicas securas obserues. Saluis iis quæ vel domnus papa, vel ego vel alius de mandato ipsius, eodem tempore, vel diuersis, tibi duxerit in posterum iniungenda.

" *deest*, Iudæos. *Vide Concil. Auenion. huius anni cap. 2.*

Hæc sunt præcepta facta domino comiti Tolosano postquam fuit absolutus.

Deest in codice MS. primum folium In secundo hæc supersunt.

Item præcipio, vt hæreticos, quos diœcesani episcopi, vel alii ecclesiarum rectores, hæreticos, receptatores, vel fautores eorum, tibi vel tuis baiulis nominabunt, tanquam hæreticos habeas. Item præcipio, vt pacem a legatis statutam, vel deinceps statuendam, iures & signes inuiolabiliter seruari : & ipsius pacis statuta vniuersos homines tuos tenere, & iurare pacem facias, & secundum stat ita pacis seruare. Item præcipio, vt septem castra, quæ mihi ratione ecclesiæ tradidisti, eorum aliquod non auferas per te vel per aliam quandam personam; ablata, cum toto posse tuo ad recuperandum illud viriliter labores, statim illud pristinæ custodiæ restituas. Hæc omnia tibi præcipio perpetuo obseruanda, & si quæ alia statuta prædictis capitulis vel aliis, pro quibus excommunicatus fuisti, domnus papa vel eius legatus duxerit in posterum adiungenda.

Iuramentum comitum & baronum.

In nomine Domini, pontificatus domni Innocentii anno XII. XIV. Kal. Iulii. Nos G. de Baucio, & Hugo filius eius, Raymundus nepos noster, Dragonetus, G. Arnaldus, Raymundus Dagot, Ricardus de Champo, Bertrandus de Laudinio, & Guilielmus filius meus, Bernardus de Adusia, & P. Bernardus filius meus, & Raymundus de Vsetia, & filius meus decanus, & Rostrandus de Poscariis, & R. Gaucelinus de Lanello, & Pontius Gamelini, iuramus tibi magistro Miloni domni papæ notario, apostolicæ sedis legato, coram sancta Eucharistia, & cruce Dominica, & sanctorum reliquiis, supra sancta Euangelia corporaliter manu tacta : quod stabimus omnibus mandatis ecclesiæ, vel tuis, vel alicuius nuntii seu legati domni papæ, super istis capitulis quæ inferius exprimuntur, vel super abiuratione etiam Mainaturum perpetua. Item super Iudæis ab omni administratione seu officio perpetuo amouendis, & vllo numquam tempore restituendis, vel aliis Iudæis ad aliquam administrationem assumendis. Item super pedagiis, & quidagiis dimittendis, & nunquam vllo tempore restituendis Item super pace vel treuga iuxta mandatum tuum, vel alterius domni papæ legati, instituenda pariter & seruanda. Item super ecclesiis incastellatis demoliendis & penitus dimittendis, & nullo vnquam tempore incastellandis. Item super damnis per vos datis ecclesiis, & aliis personis seu laicis seu clericis, resarciēdis. Item quod de nobis querentibus iustitiā exhibebimus. Hæc omnia sicut supra statuta sunt, & in omnibus supra statutis articulis, & aliis qui forsitan emerserint, & in * * * tibi dandis, pro posse nostro fideliter

liter adimpleuimus : similiter sub eodem iuramento stratas publicas seruabimus, & eos quos episcopi nostri hæreticos nominabunt, & receptatores, & fautores, animaduersione debita puniemus.

Iuramentum consulum Auenionensium.

In nomine Domini, anno pontificatus domni Innocentii papæ tertii XII. XIV. Kal. Iulii. Nos consules Auenionenses de consensu & voluntate domini R. comitis Tolosani, præcise iuramus super sancta Dei euangelia manu tacta, tibi magistro Miloni domni papæ notario, sedis Apostolicæ legato, quod bona fide, & sine fraude & malo ingenio, consulemus & operam dabimus pro posse nostro, quod dictus dominus comes tam per se, quam per successores suos, super his omnibus pro quibus fuit excommunicatus, quæ supra exposuit in forma quam ipse antequam absolueretur, iurauit, pareat omnibus mandatis ecclesiæ, & quod ea in perpetuum seruet : ita quod si quod illorum non fecerit, vel contra quod illorum venerit manifeste, nos ei nullum consilium, vel auxilium, seu obsequium per nos vel homines seu amicos nostros aliquatenus ei pendemus : scientes, ex hoc ipso dicti comitis delicto, absolutos nos esse a fidelitate, si qua, vel seruitio, illi vllo modo tenebamur ; immo quousq; plene paruerit, faciemus contra ipsum pro posse nostro quidquid Romana ecclesia, vel eius nuncius, siue legatus, nobis mandet faciendum, non obstante fidelitate, vel iure aliquo, vel seruitio, si quo ipsi vllo modo tenebamur : a quo etiam tam tu quam dictus comes nos absoluistis, si forte ipse, vt dictum est, contra præcepta quæ facta sunt vel fuerint ei, venerit manifeste : tunc etiam pro iure siue seruitio, si quod in villis vel castris nostri consulatus, & ipsa ciuitate habere dignoscitur, fidelitatem Romanæ ecclesiæ faciemus, ipsam eidem fidelitatem & perpetuo seruaturi. Item stratas publicas securas seruabimus, & faciemus per totum nostrum distractum inuiolabiliter obseruari. Item guidagia vel pedagia, vel exactiones aliquas a transeuntibus per stratas, vel etiam per flumina nullatenus accipiemus : nisi quæ vel quas antiquorum regum vel imperatorum concessione constiterit nos habere. Item ecclesias omnes, & domos religiosas in nostro distractu, tam in ciuitate, quam extra, in plena seruabimus libertate : neque ab eis exactiones aliquas seu taillas exigemus : & defunctis eorum episcopo vel aliis rectoribus, episcopia vel domos eorum nullomodo expoliabimus, nec administrationi earum seu custodiæ, occasione alicuius consuetudinis, vel aliqua alia, nisi forte rogati ab episcopo vel capitulo, nos immiscebimus: sed omnia, sine diminutione aliqua, defunctorum successoribus reseruentur. Et electioni episcopi, vel alterius rectoris ecclesiæ, faciendæ per nos, vel per quamcumque aliam personam, nos nullatenus immiscebimus, nec aliquam violentiam faciemus, vel impedimentum præstabimus, quo minus electio canonice ac libere celebretur. Item pacem seu treugam, sicut nobis iniunctum fuerit, bona fide seruabimus. Item si episcopus, vel capitulum, vel alia persona ecclesiastica, nobis aliquos hæreticos nominauerit, vel per nosmetipsos cognoscere poterimus aliquos hæresim prædicare, vel facere conuenticula aliqua: ipsos persequemur, secundum legitimas sanctiones, & eorum bona omnia infiscabimus. Hæc omnia singulis annis per manus episcopi nostri faciemus consulibus nostris iurare. Si quis autem hoc iurare noluerit, ipsum tanquam hæreticum habebimus manifestum : nec eius iudicium siue autoritas, vigorem in aliquo sortietur.

In eadē forma idē iurarunt consules Montis-pessulani.

Immunitas ecclesiis & domibus religiosis quinque prouinciarum a Raymundo comite Tolosano ibidem concessa.

Ego R. comes Tolosanus, dux Narbonæ, marchio Prouinciæ, pro animæ meæ remedio, & progenitorum meorum, omnibus ecclesiis & domibus religiosis prouinciarum Viennensis, Arelatensis, Narbonensis, Burdigalensis, & Bituricensium, immunitatem concedo. Ita quod videlicet Albergarias, procurationes, vel exactiones quascumque, seu talias, nullo vnquam tempore per me vel per alios requiram in eis; & requirentes seu postulantes pro posse meo fideliter coërcebo: defunctis etiam eorum episcopis, vel rectoribus aliis, ipsos vel domos eorum per me vel per alium nullo modo spoliabo. Nec administrationi earum seu custodiæ, occasione alicuius consuetudinis, vel aliqua alia, me vllatenus immiscebo : sed omnia sine aliqua diminutione, defunctorum successoribus teneantur. Electioni etiam episcopi, vel alterius rectoris ecclesiæ, faciendæ per me, vel per quamcunque personam, me nullatenus immiscebo: nec aliquam violentiam faciam, vel impedimentum præstabo, quo minus electio canonice fiat ac libere celebretur. Præterea possessiones omnes & iura ecclesiarum, si qua iniuste detineo, eis restituo pleno iure. Insuper promitto, quod omnia iura ecclesiarum, & domorum religiosarum, sicut decet catholicum principem, in præfatis prouinciis, totis viribus protegam & defendam. Si quis autem contra præfatam immunitatem & libertatem, a me indultam ecclesiis & aliis domibus religiosis, venire præsumpserit : ipsum pro posse meo viriliter coërcebo. Istam autem concessionem & promissionem feci apud S. Ægidium anno* pontificatus domni Innocentii tertii. XIII. Kalend. Iulii, ad mandatum & exhortationem M. Milonis domni papæ notarii, apostolicæ sedis legati. *adde XII.

OBSERVATIO GABR. COSS. S. I.

Concilium hoc Spondanus & Raynaldus Baronii continuatores, & alii, anno MCCVIII. attribuerunt. At sequenti celebratū esse constat ex illo ipso, quem autorem sequuntur, Petro Valli-sarnensi. Ait enim, Raymundum a legato absolutum esse in villa S Ægidii, cum cruce signati proxime venturi essent. Absolutus est autem XIV Kal. Iulii, ut ex instrumentis modo descriptis apparet. At sacer exercitus post octo circiter dies, Lugdunum conuenit, scilicet, vt ait Petrus, circa festum Ioannis Baptistæ anno MCCIX. quem in annum alia chronica consentiunt. Accedit quod primus eorum labor, excidium Biterrense fuerit : quod eo anno die S. Magdalenæ factum esse constat. Dissentit liber inscriptus, *Præclara Gallorum facinora*, anno MCCVIII. illud tribuens. Sed reuincitur, & chronicorum omnium consensu, & vetere illo disticho.

Anno milleno ducentenoque noueno
In Magdalena ruit vrbs Biterris amœna.

Ex eo forsan erroris occasio, quod Valli-sarnensis, post narrata quæ Montilii & in villa S. Ægidii gesta sunt, caput XIV. ab his orditur verbis : *Anno igitur ab Incarnatione Domini MCCIX. circa festum S. Ioannis Baptistæ, cruce signati Lugdunum conuenerunt.* Quod persuadere potuit, cætera quæ prius commemorata sunt, ad annum antecedentem pertinere. At non est ita. Nam paulo ante narrat legatum, post Raymundi absolutionem, Lugdunum periisse, vt cruce signatis, qui proxime venturi erant, occurreret : quod eiusdem esse anni manifestum est. Non igitur initium anni designare, sed rem cumprimis memorabilem, anno atque die adscriptis, insignire voluit.

**CONCI-

ANNO CHRISTI 1209.

** CONCILIVM AVENIONENSE

AB HVGONE REGIENSI ARCHIEPISCOPO, & Theodisio, sedis apostolicæ legatis, celebratum Anno Domini MCCIX.

TITVLI CAPITVM.

PRÆFATIO.

IN nomine Domini, anno Incarnationis eiusdem millesimo ducentesimo nono, pontificatus domni Innocentii papæ III. anno XII. octauo Id. Septembris. Hæc quæ sequuntur, statuta fuerunt apud Auenionem in concilio generali sub Hugone Regiensi episcopo, & Milone domni papæ notario, apostolicæ sedis legatis, præsentibus Viennensi, Arelatensi, Ebredunensi, & Aquensi archiepiscopis, & episcopis viginti numero, necnon & multis abbatibus, & aliis ecclesiarum rectoribus. Cum in Prouinciæ partibus refrigescente caritate adeo abundauerit malitia, quod fere omnes indigenæ in profundum venerint vitiorum: vt præsentibus & futuris temporibus Prouincialium malitiis occurratur, innouare antiquos, & nouos etiam canones sancta synodus promulgare decreuit: ea potissimum ratione inducta, quod morbis insuetis adhibere conuenit excogitata remedia, & anti-

A dota insueta; & vulnera quæ leuia foměta non sentiunt, mordicatiuis seu vexatiuis remediis curari decet.

CAPVT I.

I. Vt episcopi frequentius vel prædicent, vel faciant prædicari.

Quia igitur propter formidandam & puniendam negligentiam prælatorum, qui existentes mercenarii potius quam pastores, se murum pro domo Israël non opponunt, nec populis suæ gubernationi commissis euangelizant euangelicam disciplinam, in his partibus diuersæ ac damnatissimæ hæreses pullularunt: præsentis comprobatione concilii duximus statuendum, vt in sua diœcesi quilibet episcopus frequentius & diligentius solito fidem prædicet orthodoxam; & cum expedierit, per alias honestas & discretas personas faciat prædicari. In eo tamen diligens & cautus prædicator existat, vt adulteria, fornicationes, periuria, vsuras, odia, aggressiones, & cætera mortalia vitia adeo verbo detestetur, & opere, quod exinde honestas, pax, patientia, & iustitia, & cæteræ inserantur virtutes.

II. Vt hæretici exterminentur ac puniantur; Iudæi omni administratione priuentur.

Quia omnes non obediunt Euangelio, & ad supplementum gladii spiritualis, materialis auxilium sæpius ab ecclesia imploratur: decernimus, quod quilibet episcopus ciues suos, comites, castellanos, milites, & alios parochianos suos, de quibus viderit expedire, per censuram ecclesiasticam, si opus fuerit, iurare compellat, sicut illi de Montepessulano iurauerunt, præcipue circa exterminandos hæreticos excommunicatos, perdurantes in sua pertinacia pecuniariter puniendos: Iudæos a publica seu priuata administratione priuandos, & quod nunquam ad suum ministerium in domibus propriis permittantur habere Christianos. Et in eo præsertim dicti nobiles & alii adstringantur, quod coram suo iudice, siue sit ordinarius, seu delegatus, de se conquerentibus exhibeant iustitiæ complementum. Et vt plenius episcopus exterminare valeat de sua diœcesi hæreticam prauitatem: in singulis parochiis suis tam in ciuitate, quam extra, sacerdotem vnum, & duos vel tres bonæ opinionis laïcos, vel plures si opus fuerit, iuramenti religione adstringat; quod si quos ibi repererint hæreticos, credentes, fautores, vel receptatores eorum, ipsi episcopo, & consulibus ciuitatum, & dominis locorum, seu baiulis eorumdem, cum omni studeant festinantia intimare, vt eos puniant secundum canonicas & legitimas sanctiones, nihilominus bona ipsorum omnia confiscantes. Si autem in hoc obsequio diuino præfati consules, & alii, ab

ANNO CHRISTI 1209.

ab episcopis requisiti, fuerint negligentes, vel etiam contemptores: ipsorum personæ excommunicentur specialiter, & terræ interdicto ecclesiastico supponantur. Et vt ipsis efficacius det vexatio intellectum: si qua castra, vel possessiones, tales ab ecclesia noscuntur habere: propter ingratitudinem & indeuotionem suam, ad ipsam redeant pleno iure. Illud præcipue non duximus dimittendum, quod defensores, receptatores, & hæreticorum fautores, cum ipsis hæreticis pari volumus pœna feriri.

III. Vt vsurarii excommunicentur.

Licet ad exstirpandum vsurarum vitium vtriusque conueniat pagina testamenti, & nihilominus super hoc canonica plurima emanauerint instituta: quia tamen prætermissis aliis negotiis, multi quasi licite vsuras exercent, ad detestationem vitii memorati, aliquid duximus apponendum: vt videlicet festiuis diebus & solemnibus, & maxime cum synodus celebratur, vsurarii omnes, siue suo, siue alieno nomine crimen illud exerceant, generaliter excommunicationis vinculo innodentur. Si vero fuerint publici, aut de crimine illo conuicti: si post trinam admonitionem satisfacere noluerint, nominatim eadem feriantur censura, & insuper infligantur eisdem pœnæ contra vsurarios in Lateranensi concilio constitutæ: scilicet, vt eorum non recipiantur oblationes, nec, si in illo peccato decesserint, ecclesiasticam habeant sepulturam.

IV. Vt Iudæi restituant vsuras: ne publice aut diebus festis laborent, aut diebus abstinentiæ vescantur carnibus.

De Iudæis vsurariis illud statuit concilium, vt per excommunicationis sententiam in Christianos, qui eis in commerciis, seu alio modo participauerint, ab vsurarum exactionibus compescantur; & secundum constitutionem domni Innocentii papæ III. ad remittendas easdem compellantur. (extra. de vsuris. c. 12.) Quibus etiam prohibemus, & iubemus, per episcopos pœna simili prohiberi, ne diebus Dominicis & solemnibus publice laborare præsumant; nec carnibus, abstinentiæ diebus, vescantur.

V. Vt decimæ ab omnibus persoluantur.

Ad notitiam huius sanctæ synodi multiplici querela peruenit, quod laïci, & cæteræ personæ, quæ de mandato Dominico ad præstationem decimarum & primitiarum tenentur, eas in graue animarum suarum præiudicium non dandas penitus contendunt, in erroris sui fauorem alii diffuetudinem, alii præscriptionem temporis allegantes. Cum igitur decimæ ac primitiæ adeo debitæ sint, vt sine voluntate eorum quibus debentur, A absque mortali peccato non valeant retineri: volumus, & præcipimus, vt tam laïci, quam aliæ personæ, de bonis omnibus sibi collatis a Deo, non deductis expensis, ad solutionem ipsarum per ecclesiasticam censuram compellantur, præscriptione aliqua, titulo, seu consuetudine, non obstante. Prohibemus insuper, ne episcopus, aut alia persona ecclesiastica, alicui laïco collectionem decimarum perpetuo concedat habendam; nec laïci, si eis concessum fuerit, ex huiusmodi concessione aliquod ius sibi valeant vendicare. B Ad hæc Vallem de Tretis, quæ vt acephala in nullius diœcesi asseritur instituta, domino episcopo Regiensi apostolicæ sedis legato ad custodiam decernimus specialiter assignandam: qui spirituali, & etiam si oportuerit materiali gladio, expellat ex ipsa hereticam prauitatem, & fidelibus, qui fuerint ibi pro tempore, sicut debuerint, ecclesiastica ministret sacramenta, donec summus pontifex aliud de ipsa duxerit exponendum. Saluis priuilegiis Romanorum pontificum.

C *VI. Vt vectigalia nisi legitima non exigantur.*

Onera importabilia, & deprimentes fasciculos, quantum cum Deo possumus, attenuare volentes: iubemus vt tam ecclesiasticæ personæ, quam sæculares, a pedagiis, quidagiis, salinariis, & aliis indebitis exactionibus, per excommunicationis sententiam in personas, & interdictum terrarum, penitus desistere compellantur: nisi forte regum, vel imperatorum concessione probauerint se habere. Prohibemus insuper, vt nullus propter pedagia, vel alias indebitas exactiones, excommunicatus ab episcopo, vel alia persona D ecclesiastica, reconcilietur ecclesiæ, nisi quidquid a tempore latæ sententiæ probabitur extorsisse, cum integritate restituat, & distribuat secundum reconciliantis arbitrium.

VII. Vt ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ sint a vectigalibus immunes.

Cum ecclesia Dei, & ecclesiasticæ personæ beneficium in domo Domini habeant, siue sint expertes illius quæ secundum canonica & ciuilia iura ab angariis & parangariis, & (mancum hic aliquid) prorsus ab omnibus indebitis exactionibus E censentur immunes, a laïcis, diuina reuerentia & timore abiectis, ancillatæ, & sub tributo importabili constitutæ: sub anathematis districtione modis omnibus prohibemus, vt albergarias, procurationes, exactiones, seu tallias aliquas ab ipsis de cætero laïci exigãt, vel extorquere præsumant: immo tam ecclesias & domos religiosas, quam & nominatas personas, in plenissima libertate conseruent. Ita videlicet, quod episcopis, vel aliis earum rectoribus defunctis, ipsas nullo modo audeant spoliare; nec se administrationi earũ,

seu

ANNO CHRISTI 1209.

seu custodiæ, nisi forte rogati ab episcopo, vel capitulo, occasione alicuius consuetudinis, seu aliqua alia, immiscere: sed omnia cum integritate qualibet defunctorum successoribus reseruentur.

VIII. Vt electionibus sacris laïci non se immisceant, neue vicesimam partem redditum ab ecclesiis, ecclesiasticis personis, religiosis domibus extorqueant.

Inhibemus ne electioni episcopi, vel alterius rectoris ecclesiæ faciendæ, per se, vel per quamcumque aliam personam, se immisceant, vel violentiam faciant, vel impedimentum adhibeant, quo minus electio canonice ac libere celebretur. Illud autem, tanquam abominabile ac præposterum, districtione qualibet prohibemus: ne videlicet ab ecclesiis seu religiosis domibus ac ecclesiasticis personis, sicut in quibusdam locis hucusque præsumptum audiuimus, vicesimam partem annuorum redditum in posterum ratione murorum, vel aliqua occasione, laïci extorquere contendant.

IX. Vt ecclesiæ non incastellentur, nisi ad repellendos paganos.

Propter abominationes quas vidimus & intelligimus ab illis, qui ecclesias incastellando, domos Domini conuertunt in speluncam latronum, aliquid seuerius constituimus contra huiusmodi præsumptores: sub anathematis pœna districtissime inhibentes, ne quis vlterius, nisi forte ad repellendam instantiam paganorum, aliquam ecclesiam incastellare præsumat & attentet; immo incastellatas, videlicet totam incastellaturam, & quidquid infra cimiterium ædificatum est, ad arbitrium diœcesanorum episcoporum quam celerius poterunt ad diruendum iubemus, præter illam vel illas quas ad tuitionem parochianorum episcopis visum fuerit reseruari: quæ perpetuo possideantur ab eis, vel aliis personis ecclesiasticis teneantur. Si forte aliquis temerarius & violentus detentor, ecclesiam incastellatam ad mandatum sui episcopi noluerit diruere, vel ei noluerit tradere possidendam: nominatim excommunicationis vinculo percellatur, & interdicti sententiæ supponatur tota terra ipsius.

X. Vt ad pacem seruandam etiam inuiti cogantur.

Sicut peccatis exigentibus multo tempore sumus experti, propter guerram, seu baronum & ciuitatum discordiam, tam personæ quam terræ ipsorum, in exterminium & direptionem trahuntur. Ad cuius iacturæ remedium, pacem & concordiam etiam inuitis prædicari & seminari oportet. Iubemus ergo, vt ciues, & ciuitatum rectores, comites, barones, castellani, milites, & alii, qui ab episcopis ad hoc idonei videbuntur, ad pacem seu treugam faciendam pariter & seruandam, necnon & vt stratę publicę seruentur secure, ab episcopis, si forte fuerint difficiles, per ecclesiasticam districtionem cogantur: & interim, quousque pacem iurauerint, sint a pacis beneficio alieni. Et quoniam triplex funiculus difficilius rumpitur: præcipimus, vt ad pacem faciendam firmiter & seruandam, episcopi sibi mutuum auxilium studeant exhibere, sicut in capitulo felicis recordationis domni Alexandri papæ tertii plenius continetur. (Concil. Lateran. c. 21.) Quia vero per Aragones, Brabanzones, Basclones, Ruptarios, seu quocunque alio nomine censeantur, multotiens discordia & perturbatio & rapina generantur in terris: de ipsis ad memoriam reuocamus, quod ab eodem dicto Alexandro (Ibid. c. 27.) contra ipsos noscitur constitutum, vt videlicet, sicut hæretici, & .... ante alios excommunicentur, & ab omnibus fidelibus expugnentur vbique locorum. Qui autem illos tenuerit, aut in terra sua esse permiserit, censura simili percellatur.

XI. Vt iudices ecclesiastici ius diligentius vnicuique reddant.

Inter cæteras querelas quæ ad hanc synodum perlatæ fuerunt, illam seuerius puniendam & corrigendam censemus: videlicet, quod archiepiscopi, episcopi, & ecclesiarum prælati, siue ordinarii sint, siue iudices delegati, tepidi sunt nimium & remissi ad iustitiam coram se querelantibus faciendam. Propter quod quanta possumus & conuenit ratione censemus, vt causas quæ in conspectu ipsorum propositæ fuerint, quam diligentius & festinantius poterunt, studeant terminare: cogantque subditos suos in iudicio seruare illud idem.

XII. Vt faciliores non sint in relaxanda excommunicationis aut interdicti sententia.

Intelleximus etiam, quod sententias tam excommunicationis, quam interdicti, sine congrua satisfactione relaxant. In quo casu illam districtionem præcipimus inuiolabiliter obseruari, quam domnus Innocentius papa III. in quadam sua decretali noscitur expressisse: hoc est, vt si quis quia datum damnum noluerit emendare, fuerit excommunicationis vinculo astrictus, præter iuratoriam cautionem, ante faciat de damno dato emendam, quam eius sententia relaxetur. Si vero excommunicationis sententia feratur in aliquem, qui citatus ad iudicium venire contempsit: ad eam relaxandam sufficit, si, quod iuri pareat, præstiterit iuramentum. Et quia interdum huiusmodi iudices a malo non reuocat amor Dei, nec ecclesiastica disciplina: negligentes & contemptores huiusmodi ad restituendum damnum passis duximus condemnandos.

XIII.

ANNO CHRISTI 1209.

XIII. Vt periuri, & qui per sex menses in excommunicatione permanserint, ad sedem apostolicam absoluendi mittantur.

Contra publice periuros, seu conuictos de periurio, & eos qui pertinaciter in excommunicatione per sex menses permanserint, pro eo quod faciles sunt homines ad periuria, & ad censuram ecclesiasticam contemnendam, specialem & nouum canonem promulgamus: scilicet, vt nulli episcoporum liceat huiusmodi anathematizatos absoluere, sed ad sedem apostolicam, sicut sacrilegi & incendiarii, absoluendi mittantur. Periuris vero, propter aliam satisfactionem, dictam sedem in præsentia visitare iniungatur. Si forte clerici fuerint, in vtroque casu ab officio & beneficio ecclesiastico repellantur: ad quorum neutrum restitui valeant, nisi per summum pontificem, vel ipsius legatum.

XIV. Vt patroni infra sex menses vacantis ecclesiæ idoneum præsentent.

Quorumdam monachorum, & aliorum, siue sint religiosæ, siue aliæ quæcunque personæ, prouisio indiscreta, qui ecclesias ad præsentationem ipsorum pertinentes, ex certa scientia quandoque faciunt vltra tempus a canone indultum vacare, nos Lateranensem constitutionem innouare compellit: in qua noscitur constitutum, quod nisi a monachis, & aliis personis, infra sex menses, ad vacantes ecclesias episcopis idoneæ fuerint personæ præsentatæ, postmodum appellatione remota, liceat in illis ordinare rectores, qui præesse nouerint & prodesse: ita tamen, quod ex hoc nullum patronis in posterum præiudicium generetur.

XV. Vt religiosi professi, proprietatem habere non sinantur.

Ad hæc, episcopis, abbatibus, præpositis, & cæteris religiosis, prioribus, conuentus insinuat synodalis, & sub attestatione diuini iudicii districte iniungit, vt subditis suis professis licentiam habendæ proprietatis non tribuant, cum etiam hoc Romano pontifici
extra. de statu monach. &c. c. 12. non liceat, sicut domnus Innocentius papa tertius, in quadam sua constitutione testatur.

XVI. Vt raptores, & violatores pacis, anathemati subiiciantur: alioquin episcopus resarciat iniuriam damnum passis.

Vt raptorum, violatorum pacis, & eorum, qui in stratis publicis aggressuram committunt, necnon qui captos homines ad redemptionem compellunt, nimium grassanti malitiæ occurratur: antiqua innouantes statuta, decernimus, vt in quacumque diœcesi præfatas iniquitates dicti malefactores deprehensi fuerint exercere, ab episcopo illius loci anathematis districtioni subdantur: ipsum alii circumadiacentes episcopi, quousq; passis iniuriam plene satisfactum fuerit, teneantur viriliter adiuuare, sententiam quam in delinquentem tulerit obseruantes, & auxilium ei manu militari etiam, si opus fuerit, impendentes. Quod si quis episcoporum contempserit, ad resarciendum damnum passis iniuriam teneatur.

XVII. Vt in sanctorum vigiliis saltationes indecoræ non fiant in ecclesiis, & cantilenæ amatoriæ ibidem non dicantur.

Statuimus, vt in sanctorum vigiliis in ecclesiis histrionicæ saltationes, obscœni motus, seu choreæ non fiant, nec dicantur amatoria carmina, vel cantilenæ ibidem: ex quibus præter id quod aliquotiens auditorum animi ad immunditiam prouocantur, obtutus & auditus quorumlibet spectantium polluuntur.

XVIII. Vt clerici tum regulares, tum sæculares, habitu sint honesto & decenti.

Pro eo quod clerici, & qui religioni adstringuntur ex voto, & etiam sæculares, nec opere, nec habitu professionem suam ostendunt, immo, quod dolentes & inuiti dicimus, adeo dissoluti sunt, & multipliciter immunditiis & excessibus implicantur, quod sicut laïcus sic & sacerdos: laïci quibus ipsi sunt signum positi ad sagittam, eorum corrumpuntur exemplo; & quos in omnibus actionibus suis ad honestatem præuenire deberent & vitam, tanquam cæci cæcos eos in foueam trahunt, & ad gehennam præcedunt. Circa religiosos igitur seruandum iubemus, vt in quacumque sint dignitate aut ordine constituti, habitum & tonsuram & * in aliis suæ professioni habeant congruentem. Quibus firmiter inhibemus, ne panno de stamine forti, aut alio colorato, vel sumptuoso, seu aliquo serico, in futurum vtantur. Cappas similiter coloratas, & manicatas prohibemus eisdem. Circa sæculares quoque illud firmiter præcipimus obseruandum: vt amodo, maxime in sacris ordinibus constituti, conuenientem coronam habeant, & clausa deferant indumenta; nec rubeis, aut viridibus, seu aliquibus sericis, in posterum vti præsumant: sed honestatem clericorum quæ in decretali felicis memoriæ Gregorii euidentius exprimitur, seruent.

XIX. Vt clerici, cum episcopus iusserit, ad sacros ordines promoueantur: & ne aduocationis officio fungantur.

Iubemus insuper tam præpositos, quam alios clericos, ad exhortationem, vel ad mandatum sui episcopi, sine difficultate qualibet ad sacros ordines promoueri. Præterea in sacris ordinibus constituti, qui stipendiis ecclesiæ sustentantur, coram iudicibus sæcularibus

ANNO CHRISTI 1209. laribus officium aduocationis non sumant contra canonica instituta: nec detestabiles conspirationes faciant de cætero, seu coniurationes, in quacunque sint ecclesiæ professione aut ordine constituti. Quicumque autem constitutionis huius propria temeritate se constituerint transgressores, a suis episcopis canonice puniantur.

XX. *Pœnæ decretæ in consanguineos eorum, qui Petrum de Castro-nouo, & Gaufredum interfecerunt.*

Miserabilem & lacrymosam interfectionem sanctæ memoriæ Petri de Castro-nouo, apostolicæ sedis legati, ad memoriam reducentes; & atrox facinus necis magistri Gaufredi canonici Gebennensis, piæ & religiosæ conuersationis & vitæ, his temporibus nequiter perpetratum; & aliorum plurimorum religiosorum virorum, quos non sufficimus ad præsens, nec expedit enarrare: tanti facinoris frequentia, & atrocitate commoti, vltione qua possumus prosequentes, sacri approbatione concilii duximus statuendum: vt nullus de parentela illorum, qui præfatos clericos occiderunt, vsque ad tertiam lineæ cuiuscumque generationem, ecclesiasticum beneficium consequatur. Immo si qua forsitan sunt adepti, tamdiu suis beneficiis spolientur & officiis, donec per Romanum pontificem fuerint restituti. Statuimus etiã, vt si qui simile facinus commiserint in futurum, circa ipsorum consanguineos similis censura seruetur. Quem rigorem circa illos tantum volumus obseruari, qui de perpetrata iniquitate, apud bonos & graues fuerint infamati.

XXI. *Vt archiepiscopi, & episcopi has constitutiones obseruari faciant.*

Archiepiscopis, & episcopis, sub attestatione diuini iudicii districte iubemus, vt omnes suprascriptas constitutiones pro sua possibilitate bona fide obseruent, & faciant ab omnibus subditis suis inuiolabiliter obseruari.

ANNO CHRISTI 1209.

** CONCILIVM PARISIENSE

ADVERSVS ALMARICI HÆRESIN ET SECTATORES; & libros quosdam Aristotelis atque aliorum, anno Domini M CCIX.

I. DE ALMARICI HÆRESI; EIVSQVE sectatoribus damnatis.

Rigordus ad annum MCCIX. Fuit, *inquit*, in eadem sacra facultate (*Parisiensi*) studens quidam clericus Almaricus nomine, de territorio Carnotensi, villa quæ Bena dicitur, oriundus. Qui cum in arte logica peritus esset, & scholas de arte illa & de aliis artibus liberalibus diu rexisset, transtulit se ad sacram paginam excolendam. Semper tamen suum per se modum docendi & discendi habuit, & opinionem priuatam, & iudicium quasi sectum & ab aliis separatum. Vnde & in ipsa theologia ausus est constanter asseuerare, quod quilibet Christianus teneatur credere se esse membrum Christi, nec aliquem posse saluari qui hoc non crederet, non minus quam si non crederet Christum esse natum & passum, vel alios fidei articulos: inter quos articulos ipse hoc ipsum audacter audebat dicere annumerandum esse.

Cum igitur hoc ei ab omnibus catholicis vniuersaliter contradiceretur, de necessitate accessit ad summum pontificem: qui audita eius propositione & vniuersitatis scholarium contradictione, sententiauit contra ipsum. Redit ergo Parisius, & compellitur ab vniuersitate confiteri ore, quod in contrarium prædictæ opinioni suæ sentiret: ore dico, quia corde nunquam dissensit. Tædio ergo & indignatione affectus, vt dicitur, ægrotauit, & lecto incumbens decessit in breui, & sepultus est iuxta monasterium S. Martini de Campis.

Post mortem eius surrexerunt quidam venenosa eius doctrina infecti, qui eo subtilius plusquam oportet sapere sapientes, ad exsufflandum Christum, & ad euacuandum noui testamenti sacramenta, nouos & inauditos errores & inuentiones diabolicas confinxerunt. Inter alios eorum errores impudenter astruere nitebantur, quod potestas patris durauit, quandiu viguit lex Mosaica. Et quia scriptum est: *Nouis superuenientibus abiicientur vetera*: postquam Christus venit, aboleuerunt omnia testamenti veteris sacramenta, & viguit noua lex vsque ad illud tempus. In hoc ergo tempore dicebant testamenti noui sacramenta finem habere, & tempus sancti Spiritus incepisse, quo dicebant Confessionem, Baptismum, Eucharistiam, & alia sine quibus salus haberi non potest, locum de cætero non habere, sed vnumquemque tantum per gratiam Spiritus sancti interius sine actu aliquo exteriori inspiratam saluari posse. Caritatis virtutem sic ampliabant: vt id quod alias peccatum esset, si in virtute fieret caritatis, dicerent iam non esse peccatum. Vnde & stupra, & adulteria, & alias corporis voluptates in caritatis nomine committebant: mulieribus, cum quibus peccabant, & simplicibus quos decipiebant, impunitatem peccati promittentes: Deum tantummodo bonum & non iustum, prædicantes. *Leuit. 26.*

Fama huiusmodi peruenit occulte ad viros venerabiles Petrum Parisiensem episcopum, & fratrem Garinum regis Philippi consiliarium: qui misso clam magistro Rad." de Nemurcio clerico, diligenter inquiri fecerunt huius sectæ viros. Idem Rad. articulosus & astutus, & vere catholicus, sic missus, fingebat se esse mirabili modo de secta eorum cum ad singulos veniebat: & illi reuelabant ei secreta sua, tanquam suæ sectæ participi, vt putabant. Et ita huius sectæ plures sacerdotes, clerici, & laici, ac mulieres, diutius latentes, prout Domino placuit, tandem detecti, & capti, & Parisius adducti, & in concilio ibidem congregato conuicti & condemnati, & ab ordinibus in quibus erant degradati, traditi fuerunt curiæ Philippi regis: qui tanquam rex Christianissimus & catholicus, vocatis apparitoribus fecit omnes cremari: & cremati sunt Parisius extra portam in loco qui nuncupatur Campellus. Mulieribus autem, & aliis simplicibus, qui per maiores corrupti fuerant & decepti, pepercerunt. Prædictum autem hæresiarcham Almaricum, quia plane constitit sectam illam ab eo originem habuisse, licet in pace ecclesiæ, vt putabatur, sepultus fuisset: ab vniuerso concilio etiam post mortem excommunicatus fuit & condemnatus, & a cimeterio sacro eiectus; & ossa ac cineris eius per sterquilinia

" Radulfo

ANNO CHRISTI 1209.

quilinia sunt dispersa. Benedictus Deus per omnia. *Eadem Vincentius Bellouac. specul. histor. lib. xxix. cap. CVII. ex Rigordo describit ad verbum: nisi quod paulo contractius. Robertus monachus Antissiodorensis idem refert in chronico: sed anno MCCX. ait esse gesta. Ea tantum ex eo decerpam quæ ad Rigordum addit.* Erant, *inquit*, numero quatuordecim, quorum erant aliqui sacerdotes animarum curam habentes; quibus fecerat fauorem apud populum species honestatis, & vitæ grauitas superducta. *Et infra:* Decem traduntur incendio, reliqui quatuor murali reclusione damnantur.

Cæsarius vero Heisterbachiensis, eorumdem æqualis temporum, libro v. dialogorum cap. XXII. illorum hæreticorum prodit nomina, & qui ex iis igni damnati sint, qui minime. Eorum, *inquit*, nomina sunt hæc: VVillelmus Pictauiensis subdiaconus, qui legerat Parisius de artibus, & tribus annis studuerat in Theologia; Bernardus subdiaconus; VVillelmus aurifex, propheta eorum; Stephanus sacerdos de veteri Curbuelo; Stephanus de cella; Ioannes sacerdos de Vnciuis. Isti omnes in theologia studuerant, excepto Bernardo. Dudo specialis clericus magistri Elmerici sacerdotis, qui fere decem annis in theologia studuerat; Elmangus acolytus, & Odo diaconus; magister Garinus qui conuentauerat Parisiis de artibus, & hic sacerdos audierat theologiam a magistro Stephano archiepiscopo Cantuariensi; Vlricus sacerdos de Lucri, qui sexagenarius studuerat in theologia tempore multo; Petrus de sancto Clodoualdo sacerdos, & sexagenarius, qui etiam audierat theologiam; Stephanus diaconus de veteri Curbuelo. *Et infra:* Quatuor ex eis fuerunt examinati, sed non combusti, videlicet magister Garinus, Vlricus sacerdos, Stephanus diaconus, qui perpetuo reclusi sunt carcere. Petrus vero antequam caperetur, præ timore monachus effectus est.

De illorum erroribus, & quomodo sint detecti, plenius idem & explicatius, quam Rigordus, loquitur. Dicebant, *inquit*, non aliter esse corpus Christi in pane altaris, quam in alio pane, & in qualibet re: sicque Deum locutum fuisse in Ouidio, sicut in Augustino. Negabant resurrectionem corporum, dicentes nihil esse paradisum, neque infernum: sed qui haberet cogitationem Dei in se, quam ipsi habebant, habere in se paradisum; qui vero mortale peccatum, habere infernum in se, sicut dentem putridum in ore. Altaria sanctis statui, & sacras imagines thurificari, idololatriam esse dicebant. Eos qui ossa martyrum deosculabantur, subsannabant. Maximam etiam blasphemiã ausi sunt dicere in Spiritum sanctum, a quo omnis mũditia est & sanctitas. Si aliquis est in Spiritu sancto, aiebant, & faciat fornicationem, aut aliqua alia pollutione polluatur: non est ei peccatum, quia ille Spiritus, qui est Deus, omnino separatus a carne, non potest peccare: quandiu ille Spiritus qui est Deus, est in eo, ille operatur omnia in omnibus. Vnde concedebant, quod vnusquisque eorum esset Christus & Spiritus sanctus. *Et paulo post.* Quorum perfidia hoc ordine detecta est.

Prædictus VVilhelmus aurifaber venit ad magistrum Rodulphum de Namuntico, dicens se esse missum a domino: & hos infidelitatis articulos ei proposuit. Pater sub quibusdã formis operatus est in veteri testamento, scilicet legalibus; & Filius similiter sub quibusdam formis, vt in sacramento altaris, & baptismi, & aliis. Sicut ceciderunt formæ legales in primo Christi aduentu, ita nunc cadent omnes formæ, quibus Filius operatus est, & cessabunt sacramenta, quia persona Spiritus sancti clare manifestabit se in quibus incarnabitur, & principaliter per septem viros loquetur, quorum vnus ipse VVilhelmus erat. Ipse prophetabat, quod infra quinque annos istæ quatuor plagæ euenire deberent: prima super populum, qui fame consumetur; secunda erit gladius, quo se principes interficient; tertia in qua terra aperietur, & deglutiet Burgenses; in quarta descendet ignis super prælatos ecclesiæ, qui sunt membra Antichristi. Dicebat enim quia papa esset Antichristus, & Roma Babylon; & ipse sedet in monte Oliueti, id est, in pinguedine potestatis. Iam tredecim elapsi sunt anni, & nihil horum contigit, quæ pseudo ille propheta futura infra quinquennium prædixerat. Et vt fauorem sibi captaret Philippi regis Franciæ, etiam hoc adiecit: regi Francorum subiicientur omnia regna, & filio eius, qui erit in tempore Spiritus sancti, & non morietur; & dabuntur duodecim panes regi Francorum, id est, scientia scripturarum & potestas.

His auditis, magister Rudolphus interrogauit, si aliquos haberet socios, quibus ista fuissent reuelata. Qui cum respondisset, habeo multos, supradictos viros nominans: perpendens vir prudens imminens periculum ecclesiæ, se solum ad inuestigandam eorum nequitiam, eosque conuincendos non posse sufficere, ex quadam simulatione dicebat sibi esse reuelatum a Spiritu sancto de quodam sacerdote, qui cum eo prædicare deberet sectam eorum. Et vt famam suam seruaret illæsam, nunciauit hæc omnia abbati S. Victoris, & magistro Ruperto, & fratri Thomæ: cum quibus adiit episcopum Parisiensem, & tres magistros legentes de theologia: videlicet decanum Saleburgiensem, & magistrum Rupertum de Koren, & magistrum Stephanum; omnia hæc eis insinuantes. Qui territi valde, iniunxerunt prædicto Rudolpho in remissionem peccatorum suorum, & alteri sacerdoti, vt se fingerent esse de illorum consortio, donec sententias omnium audiuissent, & plenius omnes articulos incredulitatis eorum explorassent.

Magister vero Rudolphus & sacerdos socius eius, in executione huius laboris, cũ ipsis hæreticis circuierunt episcopatum Parisiensem, Lingonensem, Trecensem, & archiepiscopatum Senonensem, in tribus mensibus, & quamplurimos de eorum secta inuenerunt. Vt itaque ipsi hæretici plene de ipso magistro Rudolpho confiderent, quandoque vultu eleuato se spiritu in cælum raptum simulabat, & postea aliqua se vidisse dicebat, quæ in conuenticulis eorum narrabat: & publice eorum fidem de die in diem se prædicaturum spopondit. Tandem reuersi ad episcopum, visa & audita narrauerunt.

Quo audito episcopus prædictus per prouinciam pro eis misit, eo quod non essent in ciuitate, excepto vno Bernardo. Qui cum essent in custodia episcopi, congregati sunt ad eorum examinationem vicini episcopi, & magistri theologi. Proposita sunt eis supradicta capitula, quæ quidam ex eis in præsentia omnium attestabantur; quidam vero cum resilire vellent, & se conuinci viderent, cum cæteris stabant in eadem pertinacia, nec negabant. Tanta audita peruersitate, consilio episcoporum & theologorum ducti sunt in campum, & coram vniuerso clero & populo degradati, & in aduentu regis, qui tunc præsens non erat, exusti.

II. DE LIBRIS ARISTOTELIS IBIDEM DAMNATIS.

In diebus illis, *inquit Rigordus*, legebantur Parisius libelli quidam ab Aristotele, vt dicebantur, compositi, qui docebant metaphysicam, delati de nouo a Constãtinopoli, & a græco in latinũ translati. Qui quoniam non solum prædictæ hæresi sententiis subtilibus occasioné præbebant, immo & aliis nondũ inuentis præbere poterant: iussi sunt omnes comburi, & sub pœna excom-

ANNO CHRISTI 1209.

excommunicationis cautum est in eodem concilio, ne A quis de cætero eos scribere, legere præsumeret, vel quocumque modo habere.

Robertus Autissiodorensis monachus: Librorum, *inquit*, Aristotelis, qui de naturali philosophia inscripti sunt, ante paucos annos Parisius cœperant lectitari: interdicta est lectio tribus annis, quia ex ipsis errorum semina viderentur exorta.

Cæsarius vero: Eodem, *inquit*, tempore præceptum est Parisiis, ne quis infra triennium legeret libros naturales.

III. DE LIBRIS ALIIS IBIDEM DAMNATIS.

Libri magistri Dauid, *ait eodem loco Cæsarius*, B & libri gallici de theologia perpetuo damnati sunt & exusti. Sicque per Dei gratiam hæresis tota exusta est.

NOTA GABR. COSS. S. I.

Metaphysicam Aristotelis damnatam ait Rigordus, physicam Robertus & Cæsarius: quibus suffragatur Gregorius IX. in Bulla ad Magistros & scholares Parisienses, data anno V. eius Pontificatus, hoc est anno Christi MCCXXXI. *Libris illis naturalibus*, inquit, *qui in concilio prouinciali ex certa scientia prohibiti fuere Parisius, non vtantur, quousque examinati fuerint & ab omni errorum suspicione purgati*. Quid vero si & metaphysica & physica simul damnatæ tunc fuerunt? Certe R. Legatus apostolicus, qui anno MCCXV. hoc est annis sex post hoc concilium, Parisiensem academiam reformauit: C *Non legantur*, inquit, *libri Aristotelis de metaphysica, & de naturali philosophia*.

Extat in magno pastorali ecclesiæ Paris.

Ad triennium damnatos esse hos libros Robertus & Cæsarius testantur: Rigordus vero iis interdictum asserit, sine vllo temporis limite.

ANNO CHRISTI 1210.

**CONCILIVM AVENIONENSE.

IN QVO MILO APOST. SED. LEGATVS Tolosanos excommunicauit: item sub conditione comitem Tolosanum, anno Domini MCCX.

cap. 33.

INterea, *inquit Petrus Vallis-Sarnensis*, magister Milo, qui, sicut supra dictum est, in terra Prouinciæ, legatione pro pacis & fidei negotio fungebatur, D conuocauit apud Auenionensem prouinciam concilium prælatorum. In quo concilio excommunicati fuerunt & expositi ciues Tolosani, pro eo quod ea quæ legato & cruce-signatis promiserant de expulsione hæreticorum, contempserant adimplere. Comes etiam Tolosanus in prædicto concilio excommunicatus fuit: sub conditione tamen, si abiurata pedagia de vllo accipere attentaret.

G C. Auenionense concilium anno superiore celebratū est, sed non a Milone legato. neque in eo mentio de excōmunicatione Tolosanorum, nec comitis Tolosani. Quæ gesta esse hoc anno patet ex Vallisarnensi, qui cum cap. 14 narrationem suam consignet anno MCCIX. circa festum S Ioannis Bapt. pergit deinde anni eiusdem res gestas, adscriptis nonnumquam diebus persequi: vt cap. 16. festo S. Magdalenæ; cap. 32. festo S. Michaëlis, ac denique circa festum E dominicæ natiuitatis. Hinc cap. 33 cum rerum aliarum mentionem facit; tum huius concilii, quod circa initium anni oportet habitum esse: cum ante obsidionem Mineruæ, quam anno MCCX. captam esse constat ex Vallisarnensi cap. 37 & aliis scriptoribus, *in præterita hyeme apud Montempessulanum decesserit magister Milo*, vt autor est idem, cap. 39.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1210.

**CONCILIVM IN VILLA S. ÆGIDII.

AB HVGONE EPISCOPO REGIENSI, ET Theodisio, legatis apostolicis, celebratum, anno Domini MCCX.

IN QVO RAYMVNDVS COMES TOLOSANVS iterum excommunicatus.

REpetenda nobis concilii huius memoria ex Petro Vallisarnensi, cuius hæc verba: Circa idem tempus (*anno scilicet MCCX.*) comes Tolosanus, cap. 39. qui, sicut supradictum est, accesserat ad dominum papam, redierat a curia Romana. Dominus autem papa, sicut superius tetigimus, mandabat episcopo Regiensi & M. Theodisio, vt præfato comiti indiceret purgationem super duobus maxime criminibus, super morte videlicet F. P. de Castronouo apostolicæ sedis legati, & super crimine hæreseos. Magister vero Theodisius intrauit Tolosam, dum essent nostri in obsidione Mineruæ. *Et infra*: Habuit secretum colloquium cum abbate Cisterciensi, super admittenda purgatione comitis Tolosani. M. vero Theodisius, vt pote circumspectus & prouidus, de negotio Dei valde sollicitus, ad hæc omnimodis aspirabat, vt posset de iure repellere ab indicenda ei purgatione comitem memoratum. Videbat enim quod si admitteret eum ad purgationem, & ipse per aliquas falsitates & dolos posset se purgare, destrueretur ecclesia in partibus illis, periret fides & deuotio Christiana.

Dum igitur super his omnibus sollicitus esset, & secum tentaret, aperuit Dominus viam: modum insinuans quo posset negare purgationem comiti sæpe dicto. Habuit recursum ad litteras domni papæ, in quibus summus pontifex inter alia dicebat: Volumus vt comes Tolosanus impleat mandata nostra. Multa quippe mandata facta fuerant comiti Tolosano: vt pote de expulsione hæreticorum de terra sua, de dimittendis nouis pedagiis; & plura alia, quæ omnia adimplere contempsit. Igitur M. Theodisius cum socio suo, episcopo scilicet Regiensi, ne viderentur grauare vel iniuriari comiti Tolosano: præfixerunt ipsi comiti diem admittendæ purgationis ipsius apud villam S. Ægidii.

Igitur conuocatis in villa S. Ægidii ab episcopo Regiensi, M. Theodisio, archiepiscopis, & episcopis, & aliis pluribus ecclesiarum prælatis: comes etiam affuit Tolosanus, conaturus si posset, quoquomodo purgare se de morte legati, & crimine hæreseos. M. vero Theodisius de consilio prælatorum dixit comiti: quod non admitteretur purgatio ipsius, eo quod iuxta mandatum summi pontificis, eorum quæ sibi mandata fuerant, & quæ se impleturum multotiens iurauerat, nihil implesset. Dicebat siquidem magister, quod veri simile erat, immo manifestissimum, quod comes, qui quædam iuramenta non tenuerat de mandatis leuioribus adimplendis, super purgatione sua de tam enormibus criminibus, vtpote morte legati ac crimine hæreseos, facillime, immo libentissime, per se & suos complices peieraret: ideoque ipsum comitem nullo modo admittendum esse dicebat ad purgationem super tantis criminibus, nisi prius mandata impleuisset leuia. Quod audiens comes Tolosanus, ex innata sibi nequitia cœpit flere. Magister vero sciens, quod lacrimæ, non erant lacrimæ deuotionis & pœnitentiæ, sed nequitiæ & doloris, dixit comiti: *In diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt*. Psalm. 31. Statim communi consilio & assensu prælatorum, propter multas & multum rationabiles causas,

ANNO CHRISTI 1210.

iterum excommunicatus fuit in eo loco comes nequissimus Tolosanus, & omnes fautores & adiutores eiusdem.

G. C. Excommunicationem hic a legatis latam approbauit Innocentius papa per litteras anno sequenti ad Arelatensem episcopum & eius suffraganeos datas: *Vnde*, inquit, *cum in ipsum a venerabili F. N. episcopo Vticensi & dilecto filio .... Cisterciensi abbate, apostolica sedis legatis, de multorum prælatorū consilio sententia promulgata fuerit ob eiusdem contumaciā manifestam: per apostolica vobis scripta mandamus, quatenus eandem sententiam rationabiliter promulgatam, publicari per vestras diœceses faciatis, & appellatione remota, per censuram ecclesiasticam, vsque ad satisfactionem condignam firmiter obseruari. Datum Lateran. XVII. Kal. Maii. Pontificatus nostri anno XIV.* In legatorū autem describendis nominibus errorem irrepsisse oportet. Nam ab episcopo Regiensi & Theodisio latam esse illam excommunicationis sententiam non ex Petro monacho tantum discimus, sed etiam ex vtriusque ad Innocentium epistola, qua huius concilii res gestæ referuntur. Operæ pretium erit eam videre. Nos eam in concilio Vaurensi ad annum 1213. exhibebimus.

ANNO CHRISTI 1210.

CONVENTVS NARBONENSIS

IN QVO A LEGATIS APOSTOLICIS TRIBVS cum rege Aragonum, comite Montisfortis, & comite Tolosano, de comitum Tolosani & Fuxensis rebus est actum, anno Dom. MCCX.

ANNO *Domini MCCX. habitum hunc conuentum esse, patet ex serie narrationis Petri Vallis-sarnensis, cuius hæc sunt verba:* Non post multos dies, conuenerunt apud Narbonam rex Arragonensis, comes Montisfortis, comes etiam Tolosanus, inter se colloquium habituri. Huic colloquio affuerunt Vticensis episcopus, & venerabilis abbas Cistercii, qui præcipue post Deum, Iesu Christi negotium promouebat. Iste Vticensis episcopus, Raimundus nomine, a multis diebus ardenter negotium fidei diligebat, & quantum poterat promouebat, & illis diebus super eodem negotio cum abbate Cisterciensi legationis officio fungebatur. Affuit & prædicto colloquio magister Theodisius, de quo superius facta est mentio, & multi alii viri sapientes & boni. Tractatum fuit in prædicto colloquio de comite Tolosæ: & facta fuisset ei magna gratia & copiosa misericordia, si idem comes sanis cōsiliis acquiescere voluisset. Volebat siquidem abbas Cistercii Apostolicæ sedis legatus, quod comes Tolosanus, dummodo hæreticos de terra sua expelleret, omnes dominicaturas & proprietates suas haberet integras & illæsas. Illa etiam iura quæ habebat in castris aliorum hæreticorum, quæ de feudo eius erant, quæ idem comes dicebat esse ad minus quinquaginta, volebat præfatus legatus, vt quarta vel etiam tertia pars cederet in proprietatem comitis supradicti. Spreuit supradictus comes illam magnam gratiam, Deo vtique in posterum ecclesiæ suæ prouidente: & ita omni beneficio & gratia reddidit se indignum. Tractatum fuit præterea in prædicto colloquio de pace reformanda inter ecclesiam & suum immanissimum persecutorem, comitem videlicet Fuxensem. Ordinatum etiam fuit ad preces regis Arragonum, quod si comes ille iuraret mandatum ecclesiæ se facturum, iuraret etiam quod cruce-signatos, præcipue comitem Montisfortis, de cætero nullatenus impugnaret, comes noster redderet ei illud quod iam habebat de terra ipsius, præter castrum quoddam quod Appamiæ nuncupatur. Castrum siquidem illud nullomodo recuperare debebat propter multas causas quæ inferius exprimentur. Sed Deus æternus qui absconditorum est cognitor, qui nouit omnia antequam fiant, nolens tot & tantas immanissimi hostis sui crudelitates remanere impunitas, sciensque quanta mala de hac compositione contingerent in futurum, alto suo & incomprehensibili iudicio indurauit cor comitis Feuxensis, ita quod noluit recipere pacem istam: Deo vtique ecclesiam suam misericorditer visitante, vt dum hostis pacem recipere recusaret, futuræ deinde turbationis suæ ipse iam confirmatiuam sententiam in se daret. Nec prætereundum, quod rex Arragonum a quo comes Feuxi tenebat pro parte maxima terram suam, in castro Feuxi posuit custodes milites suos: & coram episcopo Vticensi & abbate Cisterciensi promisit, quod per terram illam nullum malum inferretur Christianitati. Iurauit etiam idem rex coram dictis legatis, quod si comes Feuxi vnquam a communione sanctæ ecclesiæ vellet recedere, & a familiaritate & amicitia & seruitio comitis Montisfortis, rex ipse ad primam sæpedictorum legatorum vel comitis nostri requisitionem, in manus ipsius comitis nostri traderet castrum Feuxi. Super hoc dedit rex comiti nostro litteras suas patentes, conuentionem istam plenius continentes: & ego qui litteras vidi, tenui, & diligenter inspexi, testimonium perhibeo veritati. Sed quia male postea rex seruauit quod promisit, & quantum exinde nostris reddiderit se infamem, luce clarius innotescit.

cap. 43.

CONCILIVM ROMANVM,

QVO OTTO IMPERATOR QVARTVS per Innocentium papam imperio depositus est anno Domini MCCX.

ACta concilii breuissime Palmerius in chronico his verbis describit: Otto Romæ ab Innocentio coronatus, statim cum Romanis pugnans Vrbe pellitur, & contra pontificis voluntatem plura oppida in Apulia capit, Siciliam quoque suæ ditioni adiecit. Quapropter eodem anno, habito Romæ concilio imperio deponitur. *Eadem Nauclerus anno 1212.* Pontifex Romanus, *inquit*, monitum prius imperatorem per litteras & nuntios, deinde vt rebellem apostolicæ sedi, & inobedientem, anathemate primum, deinde in pertinacia perseuerantem, in concilio præsulum, quod Romæ tum Innocentius celebrabat, ab imperio depositum percussit & pronuntiauit. *Hæc Nauclerus.*

Otto imperator omnium hominum erga sedem apostolicam ingratissimus, statim quam diadema imperii ab Innocentio papa anno Christi millesimo ducentesimo nono, quinto Idus Octobris consecutus fuisset, in Tuscia hærens, anno sequente flagrans odio Friderici regis Siciliæ, qui erat nepos Philippi ducis, simulque æstuans cupiditate regni Siciliani, aliorumque bonorum ad ecclesiam Romanam spectantium, omni conatu egit, vt Fridericum sub eo prætextu, quasi is imperium ambiendo pacem imperii turbaret, e regno Siciliæ, quod erat ecclesiæ feudum, expelleret, eoque per vim potiretur.

Innocentius papa epistola centesima octuagesima octaua, & centesima octuagesima nona, Ottoni rescripsit, se neque Friderico neque vllo alii fauturum vel auxiliaturum iuxta pacta inter vtrumque conuenta: verum cum regnum Siciliæ sit feudum ecclesiæ, non posse intermitti quin paterno affectu Otto a se moneatur, vt a regni Siciliæ inuasione abstineret, & contra iura & patrimonium ecclesiæ, prout iurato promiserat, modis quibus posset omnibus tueretur ac defenderet; alioquin futurum vt anathematis gladio feriretur.

Hanc paternam admonitionem pontificis Otto imperator ægre ferens, litterisque acerrimis mentis ingratissimæ indicibus præmissis, contra iuramentum ponti-

ANNO CHRISTI 1210.

pontifici præstitum, Tusciam & Marchiam peragrando, Faliscos & Flaminiam subigendo, Apuliæ, Siciliæ, & Capuæ vrbes obsidendo, cæterasque terras ad sancti Petri patrimonium pertinentes inuadendo, quasi furiis agitatus, omnia pacta, etiam iurata, de iuribus ecclesiæ defendendis, de pace inter Philippum Franciæ & Fridericum Siciliæ reges componenda, sacrilege violauit.

Quare cum illum frustra sæpius admonuisset, & frequenter anathematis gladium eidem comminatus fuisset: tandem euaginatum in contumacis verticem exeruit, vibrauit, impegit, & per sententiam hanc synodalem hostem ecclesiæ declarauit, paludamentoque imperiali exutum imperio priuauit: eoque per Sufridum Moguntinum archiepiscopum denuntiato, electores imperii Francofordiæ decimotertio die Decembris congregati Fridericum regem Siciliæ eidem in imperio subrogarunt. Qua occasione fautores Ottonis, circa festum Michaelis totum episcopatum Moguntinum inuadentes, incendio ac rapinis ecclesias, monasteria, villas, ac cuncta quæuis obuia deuastantes, totam fere terram desolauerunt. *Chronicon Hirsangiense, & Vrspergensis.*

*** CONCILIVM PARISIENSE.

A ROBERTO DE CORCEONE, CARDINALE, legato apostol. celebratum, pro restituenda ecclesiastica disciplina, anno Domini MCCXII.

PRÆFATIO.

ANNO CHRISTI 1212.

CVm ex iniuncto legationis officio teneamur quæ sunt plantanda plantare, & exstirpare quæ videntur exstirpanda: ad hoc vt fructum faciamus, & fructus noster maneat ad informationem ecclesiæ, autoritate domni papæ & nostra, cum assensu præsentis concilii, communicato virorum prudentum & religiosorum consilio, constitutiones quæ sequuntur duximus promulgandas, incipientes a subditis, tanquam a pauimento domus Domini vario lapide strato, vt per medios quasi per parietem progredientes, ad episcopale fastigium quasi tectum pertingamus.

STATVTORVM CONCILII PARS PRIMA.

Ad clericos sæculares.

TITVLI CAPITVM.

1. *De vita & honestate clericorum.*
2. *Vt qui horarum principio vel fini intersunt, in medio se absentantes, non recipiant portionem.*
3. *Ne beneficiati habeant canes aut aues ad venandum; & in equis phaleras inhonestas.*
4. *Vt qui sunt in sacris ordinibus, pariter & beneficiati, focarias non habeant.*
5. *Vt quilibet clericus prælato suo obediat, eidemque confiteatur.*
6. *De clericis aduocationem exercentibus: & aduocatis qui clerici non sunt.*
7. *De clericis qui iuramentum fecerint, de non commodando, mutuando, fideiubendo.*
8. *Ne admittantur quæstuarii prædicatores.*
9. *Ne sacerdotes ignoti admittantur ad celebrandum sine idoneo testimonio.*
10. *Ne excommunicatus, interdictus, ignotus, vel alienus parochianus laicus, ad sepulturam, vel ad communionem admittatur.*
11. *De pactione vel exactione pro Missis; deque sacerdotibus qui earum multitudine onerati, vel conductitios alios sacerdotes habent, vel siccas Missas faciunt.*
12. *Ne ad firmam accipiant vel dent ecclesias: neue confessiones audiant alienorum.*
13. *Ne sectio beneficiorum fiat.*
14. *Ne decanatus rurales pro pretio conferantur.*
15. *Ne archidiaconus pretium exigat pro redemptione procurationum ab ecclesiis quas non visitat.*
16. *Ne in domibus clericorum & religiosorum &c. fiant inhonestæ comessationes, ludi talorum, & alia indigna.*
17. *Vt capitula conuentualium ecclesiarum prælatum extra eligant, si in suo collegio non reperiant dignum.*
18. *Quomodo conferenda a capitulo beneficia, & electiones in ecclesiis facienda.*
19. *Ne plura habeantur beneficia, quibus cura sit animarum.*
20. *Ne beneficia sint hereditaria, & ne pro danda licentia docendi, aliquid exigatur.*

ANNO CHRISTI 1212.

CAPVT I.

De vita & honestate clericorum.

Et quoniam *ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei sensatus: & amictus corporis, & risus dentium, & incessus hominis, enuntiant de illo*: præsentis concilii autoritate inhibemus, ne clerici tonsuram habeant similem laïcali, sed rotundam & circularem, & irreprehensibilem. Præcipimus etiam, vt sint in habitu, & gestu, & conuersatione honesta, abstinentes se a confabulationibus frequentibus vel vitiosis in ecclesia & in choro, & a superflua deambulatione & mora extra chorum dum horæ cantantur, vel Missa celebratur, per quæ diuinum officium impediatur vel scandalum generetur. Nec sine iusta causa, maxime in maioribus solemnitatibus, post euangelium a choro exeant ante finem Missæ. Siquis autem contra hanc constitutionem nostram venire præsumpserit, si monitus a prælato se non correxerit, beneficii sui suspensione mulctetur. Quod si adhuc contumax extiterit, a superiore excommunicetur. Eccl. 19.

II. *Vt qui horarum principio vel fini intersunt, in medio se absentantes, non recipiant portionem.*

Quia vero in quibusdam ecclesiis consuetudo reprehensibilis inoleuit, scilicet quod quidam canonici & clerici in horis anniuersariis, pro quibus aliquid percipi debet, principio vel fini intersunt, in medio se absentantes, vt inde portionem recipiant: talem consuetudinem reprobantes, statuimus & districte præcipimus decanis ecclesiarum, & his ad quos horum correctio pertinet, vt prædictam consuetudinem vitio cupiditatis & negligentiæ inductam exstirpare procurent, increpando delinquentes, & subtrahendo eis alias debitam portionem.

ANNO CHRISTI 1212.

III. Ne beneficiati habeant canes aut aues ad venandum; & in equis phaleras inhonestas.

Prohibemus etiam vniuersis clericis beneficiatis, ne canes aut aues habeant ad venandum vel aucupandum, aut venationi siue aucupationi inseruiant. Et ne habeant in equis phaleras inhonestas, aut sellas inhoneste depictas, sed vnius coloris tantum, non ad instar vanitatis sæcularium hominum: cum ex his Deus tentari videatur, & honestas ecclesiæ deformetur. Huius autem constitutionis transgressores, postquam a prælatis suis moniti se non correxerint, pœna prædicta decernimus percellendos.

IV. Vt qui sunt in sacris ordinibus, pariter & beneficiati, focarias non habeant.

Inhibemus etiam districtius, ne clerici in sacris ordinibus constituti, etiamsi beneficiati non fuerint, in propriis domibus, vel in alienis, publice focarias habeant, vnde scandalum oriatur. Quod si aliqui contra huius constitutionis tenorem venire præsumpserint, & ad admonitionem prælati sui focarias non dimiserint, & a se prorsus non expulerint: elapsis quadraginta diebus a prima die monitionis, nouerint se excommunicationis sententiæ subiacere. Idem etiam de beneficiatis duximus statuendum, adiicientes quod post tempus prædictæ admonitionis, ab officio & beneficio se nouerint esse suspensos, nec absoluantur, vel ad beneficia restituantur, nisi graui ab episcopis suis iniuncta pœna.

V. Vt quilibet clericus prælato suo obediat, eidemque confiteatur.

Præcipimus etiam, vt quilibet clericus prælato suo debitam obedientiam exhibeat, & eidem prælato suo, & non alii confiteatur, nisi de consensu sui prælati, vel ab eo licentia expetita. Huius vero mandati transgressores, pœnæ prædictæ de habitu clericorum volumus subiacere.

VI. De clericis aduocationem exercentibus: & aduocatis qui clerici non sunt.

Præterea inhibemus arctius, ne canonicus aliquis, vel alius clericus sufficiens habens beneficium ecclesiasticum, pactione interueniente aduocationem exerceat, nec causas penitus desperatas scienter assumat, nec eas malitiose protrahat, vel earum processum debitum per malitiam impediat, nec in contumelias partis aduersæ prorumpat. Sed suscepta negotia fideliter & diligenter exerceat secundum veritatem; & nullum ius falsum allegans, erga iudices se habens reuerenter pariter & modeste. Insuper idem districtius inhibemus, & sub excommunicationis inferendæ pœna præcipimus, decanis & aliis personis habentibus ecclesiasticam dignitatem. Inhibemus etiam, ne aduocati beneficia ecclesiastica non habentes, immoderata salaria exigere aut extorquere præsumant. Quod si quis contra hæc improbe venire præsumpserit, nisi monitus a prælato destiterit; si beneficiatus est, beneficio priuetur; alioquin excommunicetur.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1212.

VII. De clericis qui iuramentum fecerint de non commodando, mutuando, fideiubendo.

Insuper prohibemus, ne clericus aliquis vel persona ecclesiastica iuramentum faciat de non commodando libros, vel domos, vel alias res, vel de non mutuando, siue de non fideiubendo pro aliis, & ne excommunicatio super huiusmodi fiat: & si qua facta est, eam autoritate apostolica & nostra relaxamus, & districte præcipimus non seruari. Si quis vero huius prohibitionis nostrę contemptor extiterit: si monitus se non correxerit, & beneficiatus fuerit, a beneficio suspendatur; alioquin excommunicetur.

VIII. Ne admittantur quæstuarii prædicatores.

Districte quoque prohibemus, ne quis sit quæstuarius vel conductitius prædicator: nec talibus officium prædicationis committatur, nec ad prædicandum admittantur, siue reliquias portent, siue sine his accedant; nisi ex iusta causa, & cum litteris sui diœcesani. Nec prædicatio alicuius prouinciæ eis, vel quibusdam aliis, committatur ad firmam. Transgressoribus huius constitutionis pœna supradictæ simili percellendis.

IX. Ne sacerdotes ignoti admittantur ad celebrandum sine idoneo testimonio.

Ad hæc inhibemus districtius, ne sacerdotes ignoti, de quorum ordinatione non constat, ad diuinorum celebrationem admittantur, sine litteris testimonialibus, vel testimonio bonorum virorum: & eos qui contra hæc venerint decernimus puniendos arbitrio prælatorum.

X. Ne excommunicatus, interdictus, ignotus, vel alienus parochianus laïcus, ad sepulturam, vel ad communionem admittatur.

Similiter prohibemus, ne excommunicatum aliquem, vel interdictum, vel penitus ignotum, vel alienum parochianum laïcum, in præiudicium primi sacerdotis, vel ad sepulturam, vel ad communionem eucharistiæ scienter aliquis sacerdos admittat, præcipue in solennitate paschali. Transgressores vero, si qui fuerint, pœnæ prędictæ de quęstuariis subiacebunt.

XI. De pactione vel exactione pro Missis: deque sacer-

sacerdotibus qui earum multitudine onerati, vel conductitios alios sacerdotes habent, vel siccas Missas faciunt.

Præterea a viris ecclesiasticis monstrum auaritiæ exstirpare volentes, autoritate legationis nostræ in virtute Spiritus sancti prohibemus, ne pro annalibus, vel triennalibus, vel septennalibus Missarum faciendis, laïci vel alii dare aliquid vel legare cogantur in testamento: & ne super his aliqua pactio vel exactio, vel sub aliqua alia specie palliata, a sacerdotibus vel aliis mediatoribus fiat: & ne superflua multitudine talium annalium se onerent sacerdotes, ad quæ explenda honeste sufficere non possint, & propter quæ ipsos oporteat habere conductitios sacerdotes, vel alia eis vendere facienda. Nec, vt a prędictis se exonerent, siccas Missas faciant pro defunctis, sub eadem districtione prohibemus, ne sacramenta ecclesiastica vel sacramentalia vllo modo vendantur, sicut in concilio Lateranensi est institutum.

XII. Ne ad firmam accipiant vel dent ecclesias: neue confessiones audiant alienorum.

Autoritate quoque prædicta firmiter inhibemus, ne qui proprias ecclesias habent, alienas ecclesias ad firmam recipiant: & ne, suis dimissis, in alienis ecclesiis capellani existant, aut proprias dent ad firmam: sed per se ipsos curam exerceant, nisi forte eos abesse ex iusta causa oporteat, & de licentia superioris. Et ne quis sacerdos sine mandato superioris, aut eius qui in aliqua parochia curam animarum gerit, confessiones recipiat, omissis propriis sacerdotibus, vel contemptis, nisi in articulo necessitatis. Transgressores autem pœna prædicta de quæstuariis statuimus percellendos.

XIII. Ne sectio beneficiorum fiat.

Præterea adhærentes concilio Turonensi, sectionem beneficiorum ecclesiasticorum & diuisionem præbendarum fieri prohibemus, decernentes irritum & inane si quid contra hoc fuerit attentatum.

XIV. Ne decanatus rurales pro pretio conferantur.

Inhibemus etiam ne decanatus rurales ad tempus vel in perpetuum pro pecunia vel aliquo pretio alicui conferantur, sicut statutum est in concilio Lateranensi & Turonensi. Eos qui contra hæc venerint decernentes, præter pœnas in conciliis comprehensas, iuxta prælatorum arbitrium graui pœna plectendos.

XV. Ne archidiaconus pretium exigat pro redemptione procurationum ab ecclesiis quas non visitat.

Firmiter etiam inhibemus iuxta concilium Toletanum, ne quis archidiaconus exigat procurationem aut pretium pro redemptione procurationum ab ecclesiis quas personaliter non visitat, & quibus debitum visitationis officium non impendit. Si quis autem contra hoc venire tentauerit: si monitus non destiterit, prædictas procurationes sibi subtrahi præcipimus, vt in eo puniatur in quo deliquerit. Si vero nec per hoc correctus fuerit, excommunicetur.

XVI. Ne in domibus clericorum & religiosorum, &c. fiant inhonestæ comessationes, ludi talorum, & alia indigna.

Cæterum inhibemus ne in domibus clericorum, vel religiosorum in claustris, vel in atriis ecclesiarum, vel in aliis locis vbicumque vinum vendi contingit, religiosi illi qui pręsunt, inhonestas comessationes vel ludos talorum fieri permittant, vel conuentionem ribaldorum ibi recipiant. Item ne in locis sitis extra claustra, sua autoritate idem fieri faciant firmiter prohibemus. Transgressoribus pœna prædicta contra quæstuarios plectendis.

XVII. Vt capitula conuentualium ecclesiarum prælatum extra eligant, si in suo collegio non reperiant dignum.

Præterea capitulis conuentualium ecclesiarum districte præcipimus, vt cum electionem prælati facere debent, si in suo collegio idoneum non inuenerint, extra eligant, & promoueant in prælatum: nec vnquam prohibeant, ne tractatus fiat de aliena persona.

XXVIII. *Quomodo conferenda a capitulo beneficia, & electiones in ecclesiis facienda.*

Insuper statuimus & præcipimus firmiter obseruandum, quod quando beneficia ecclesiastica vacant, quæ sunt a capitulo conferenda, vel electiones fiunt in aliquibus ecclesiis, publice præfigatur prima quæ ad notitiam absentum possit peruenire: ad quem diem absentes & præcipue residentes commode valeant conuenire: qua die illi qui conueniunt in capitulo potestatem habeant de prædictis disponendi & statuendi quod ecclesiæ videbitur expedire. Alias quod ab eis super hoc factum fuerit, decernimus irritum & inane.

XIX. *Ne plura habeantur beneficia quibus cura sit animarum.*

Ad hæc prædicta autoritate decernimus: vt si quis prælatus personatum cui annexa est cura animarum . . . . . tam dans quam accipiens se nouerit excommunicationis vinculo innodandum. Sed & secundam electionem decernimus non tenere. Insuper statuimus

ANNO CHRISTI 1212.

statuimus quod si quis in diuersis ecclesiis siue in eadem plures habuerit ..... siue curam animarum in pluribus ecclesiis, vno illorum beneficiorum quod maluerit infra duos menses dimisso, altero sit contentus: alioquin omnes patronatus amittat, & aliis personis idoneis, ab his ad quos collatio pertinet, conferantur.

XX. Ne beneficia sint hereditaria: & ne pro danda licentia docendi, aliquid exigatur.

Inhibemus etiam, ne quis aliquod beneficium ecclesiasticum sibi hereditario iure vendicet, nec eodem iure a quoquam alii conferatur. Et ne quis pro danda licentia docendi, vel pro scholarum regimine conferendo, ante vel post aliquid exigere vel extorquere præsumat. Si quis autem contra hanc constitutionem venire, vel in fraudem eius quicquam facere præsumpserit: si monitus a prælato suo non emendauerit, a beneficio ecclesiastico suspendatur. Alioquin si contumax fuerit, excommunicetur.

STATVTORVM CONC. PARISIENSIS

PARS SECVNDA.

Ad viros regulares.

ANNO CHRISTI 1212.

NVnc ad viros regulares & ad religiosas personas, quasi ad domus Dei parietem transeamus: qui quanto arctius se diuinis obsequiis manciparunt, tanto ab inquinamentis huius mundi abdicare tenentur.

TITVLI CAPITVM PARTIS SECVNDÆ.

CAPVT I.

De ingressu simoniaco in religionem, & de proprietate.

De ingressu itaque monachorum simoniaco licet habeamus speciale mandatum domini papæ ad archiepiscopos & episcopos per totum regnum Franciæ, quod in hoc articulo bene sufficere potest: tamen cum monachi & viri religiosi non tantum rebus mundanis, sed propriis voluntatibus renuntiauerint, id præcipue cupimus statuendum, quod in regula B. Augustini & B. Benedicti constat esse statutum: quod nullus omnino regularis proprium habere præsumat. Priores tamen & administrationem habentes, de generali licentia prælatorum suorum, ad communem vsum habere possunt ea quæ pertinent ad suam administrationem. Claustralis quoque aliquid modicum potest ad vsum suum habere: ita tamen, si prælatus suus ei specialiter dederit, vel concesserit.

II. Ne aliquis recipiatur infra 18. annum.

Iuxta ætatem recipiendorum ad religionem, cuiuscunque fuerint ordinis, districte prohibemus, ne aliquis recipiatur infra octauum decimum annum.

III. Vt suspecta ostiola & diuersoria obstruantur.

De suspectis ostiolis & diuersoriis, siue in abbatiis, siue in prioratibus, siue in quibusdam locis vbi religiosi conuersantur, ne qua occasio diabolo detur, districte præcipimus, vt omnino obstruantur per episcopos locorum.

IV. Vt infirmorum habeatur diligens cura, & eleemosynæ faciendæ.

Cum ad opera misericordiæ indigentibus exhibenda, non solum regulares, verum & sæculares

sæculares ex præcepto Domini teneantur: religiosis maxime præcipimus, vt curam infirmantium & debilium operam adhibeant diligentem, & reditus assignati eleemosynæ nullo modo imminuantur, vel aliis vsibus deputentur, & subtracti restituantur. Idem de infirmariis duximus statuendum. Ita quod secundum loci facultates iuxta vniuscuiusque debilitatem vel infirmitatem omnia eis necessaria prouideantur.

V. Vt religiosi sint hospitales: & ne fraus circa eleemosynas fiat.

In hospitalitate quoque exhibenda, non tantum potentibus & familiaribus, sed pauperibus & magis indigentibus, secundum vniuscuiusque conditionem & loci facultatem, præcipimus, vt in necessariis adhibendis curam adhibeant. Præcipimus etiam, vt eleemosynæ pauperibus deputatæ secundum vniuscuiusque domus constitutionem, siue in cibariis, siue in veteribus indumentis, vel calceamentis, nullatenus eis subtrahantur, vt causa familiaritatis illicitæ aliis conferantur. Sed si qui circa huius distributionem fraudem fecisse conuicti fuerint: quasi imitatores Iudæ, qui ea quæ mittebantur in loculos Domini ad opus pauperum, fraudulenter asportabat, a prælatis suis grauiter puniantur.

VI. Vt nullus occasione nationis tantum, modo sit idoneus, ab ingressu religionis repellatur.

Act. 10. Cum Apostolorum princeps dicat: *In omni gente, qui timet Deum & operatur iustitiam, acceptus est illi*: districte præcipimus, vt remota omni acceptione personarum, nullus occasione nationis tantum, dummodo alias honestus fuerit, & ecclesiæ credatur esse vtilis, ab ingressu religionis repellatur.

VII. Ne vsurarii, vel excommunicati, ad religionem, sepulturam, & sacramenta recipiantur.

Vsque adeo quorumdam inualuit etiam religiosorum cupiditas, vt manifestos vsurarios & alios excommunicatos, seu nominatim interdictos, ad religionem, vel sepulturam, vel alia sacramenta, irrequisita sui prælati licentia, recipere præsumant: propter quod multæ ecclesiæ non modicum damnificantur. Quod de cætero districte fieri prohibemus: & si factum fuerit, ad damna resarcienda illæ ecclesiæ compellantur. Et si vsurarios acceperint, vsuras illas a quibus extortæ fuerint restaurent: vel si inuenti non fuerint, dentur pauperibus per episcopos locorum.

VIII. Vt qui vni cœnobio alligatus est, in alterum non recipiatur.

Cum quidam monachi vel religiosi igne cupiditatis adeo sint inflammati, vt in variis cœnobiis varias fraternitates venari non erubescant, vt hoc prætextu promoueantur ipsi vel aliqui suorum ad aliquem prioratum, vel aliam quamcumque administrationem: præcipimus, vt nullus, ex quo alicui loco religioso vinculo professionis fuerit obligatus, recipiatur in aliud cœnobium religiosum: nisi vehementius præsumatur, quod sincera deuotione illud requirat, vel hoc ipsum fiat cum licentia abbatis.

IX. Ne religiosi vtantur chirothecis albis, calceamentis sæcularibus, & aliis minus decentibus. Extra refectorium ne comessentur.

Cum non tantum a malo, sed ab omni specie mali abstinere nos omnes oporteat, & maxime religiosos, ne inordinatus eorum habitus vel gestus possit offendere oculos intuentium sæcularium, vnde religioni plurimum detrahatur: inhibemus districte illis autoritate apostolica, ne chirothecis albis de corio quibus vti solent sæculares, & quæ sunt quasi signum lasciuiæ, vtantur; vel calceamentis sæcularibus, puta hosellis, vel calceis nimis strictis & peracutis, vel pileis quæ vulgo dicuntur de coton, vel opertoriis pretiosis, puta variis, vel griseis, vel de ciragrillis, vel de cuniculis, vel de venetis. Pannis etiam non vtantur nisi nigris vel albis, & non sumptuosis, aut sellis pictis, vel discoloribus, suis vel alienis. Insuper singulares comessationes extra refectorium sine licentia abbatis; vel prioris, absente abbate; vel superioris, absente vtroque.

X. De multis religiosæ disciplinæ capitibus.

Cubicula extra dormitorium, nisi illis quibus permittitur propter officium suum, secundum statutum ordinis, litem in capitulo, rumorem in claustro, ingressum mulierum per loca suspecta, ludos illicitos, puta talorum, scaccorum, alearum, & huiusmodi, aucupia, venationes, & illicita iuramenta, eis omnino prohibemus. In monasterio quoque, dormitorio, claustro, & refectorio, & aliis locis, secundum statuta ordinis, silentium districte præcipimus firmiter obseruari. Si circa horum obseruantiam prælati eorum manifeste negligentes fuerint, & nimis remissi: puniantur pœna inferius præfixa contra abbates & abbatissas manifeste remissas.

XI. Vt religioso iter agenti necessaria prouideantur: ne cogatur mendicare.

Quotiescumque monachus, vel regularis canonicus egreditur e domo sua, puta de licentia sui abbatis, vel prælati: præcipimus districte, vt in equitatura & expensis sibi & societati suæ necessariis ei a prælato suo, compe-

ANNO CHRISTI 1212.

competenter prouideatur, ne in opprobrium Domini & ordinis aliunde mendicare cogatur.

XII. Vt subditi humiliter obediant, & prælati discrete ac prouide imperent.

1. Reg. 15. Quia *melior est obedientia quam victima*; quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur: summopere cauendum est subditis, ne vitium inobedientiæ incurrant, sed prælatis suis in his quæ secundum Deum sunt, & statuta sui ordinis, humiliter obediant & deuote. Prælatis quoque nihilominus in periculo animarum suarum iniungimus, vt in exercendo sui magistratus officio proprios motus, scilicet rancorem & odia, vel affectiones carnales non sequantur: sed adeo discrete & prouide in præcipiendo, vt sub prætextu debitæ sibi obedientiæ subditos suos nullatenus scandalizent: quod quandoque contigisse cognouimus, vt & vel honesti de abbatiis suis exire cogerentur.

XIII. Ne abbates præposituras suas dent monachis ad firmam.

Consuetudo detestabilis in quibusdam cœnobiis inoleuit, scilicet quod abbates præposituras suas quibusdam monachis suis residentiam claustri quoquomodo eludere cupientibus, sub certa forma pecuniæ dent ad firmam, & ab ipsis monachis recipiant inde fidejussores personas sæculares. Ex quo non modica sequuntur incommoda & scandala: quia si aliquid excrescit supra firmam, monachus illud quasi proprium suum retinet. In quo etiam materiam habet inordinate viuendi. Si autem reditus præposituræ non suffecerint ad firmam, quærit per fas & nefas vnde possit abbati satisfacere quodammodo. Quod ne de cætero fiat, abbatibus sub pœna suspensionis officii sui inhibemus.

XIV. Vt qui abiecto religionis habitu, in sæculo viuit, excommunicetur a sacerdotibus locorum.

Quoniam quidā apostatæ salutis suæ immemores, abiecto Dei timore, de ordine suo egredi sine licentia prælatorum suorum, & in sæculo sæculariter conuersari, abiecto religionis habitu, non verentur: præcipimus, vt quoties hæc ad notitiam prælatorum peruenerint, vbicumque inuenerint tales, dummodo eis de veritate canonice constiterit, excommunicentur a sacerdotibus locorum; & tanquam excommunicati, ab omnibus euitentur.

XV. De excommunicatis, vel interdictis, religionem ingredientibus.

Interea de ingressuris religionem constituimus, quod si sint excommunicati, vel interdicti, vel alia irregularitate vel obligatione alia præpediti, id primo abbati indicent; & si est casus de quo ab eo possint absolui, absoluantur: sin autem, ad maiorem absoluendi remittantur. At si per negligentiam vel ignorantiam recepti fuerint tales, & postea per confessionem vel alio modo de veritate abbati constiterit: absoluantur ab abbate. De eo tamen quod celauerunt, grauis eis pœnitentia iniungatur. Et si talis est casus, in quo non possunt absolui ab abbate: abbas bona fide apud eum qui habet potestatem absoluendi, beneficium absolutionis procuret.

XVI. Ne monachi per ecclesias singuli ponantur, & soli.

Concil. Later. III. c. 10. Cum in concilio Lateranensi constet esse statutum, ne monachi per villas, & oppida, seu etiam per ecclesias parochiales singuli ponantur, & non soli inter sæculares homines spiritualium hostium conflictum expectent: præcipimus quod nullus tam reuerendi concilii statutum in hoc casu transgredi præsumat. Quod si per negligentiam abbatis vel alterius prælati fuerit attentatum: per sollicitudinem diœcesani episcopi quam citius emendetur.

XVII. Ne quis duos prioratus seu obedientias vsurpet.

Ibid. c. 13. Cum singulos prælatos locis quibus præsunt debitam oporteat residentiam & sollicitudinem impendere, quod etiam circa sæculares in Lateranensi concilio est statutum: graue nimis & indecens, quod quidam religiosi duos prioratus seu obedientias sibi præsumant vsurpare. Quibus timendum potius fuerat, ne, dum ad vtrumque festinant, neutrum peragant. Vnde constituimus, vt quicumque contra hoc statutum venire præsumpserit, in condemnationem suæ cupiditatis vtroque priuetur ipso iure.

XVIII. Vt clerici, vel monachi, qui coniurationem fecerint, gradu excidant.

Concil. Calch. c. 18. A longe retroactis temporibus, constitutum est in Calchedonensi concilio, quod vnum est de quatuor principalibus: vt clerici seu monachi, quicunque coniurationum vel conspirationum, * cuiusmodi publicis etiam legibus inhibitum, incurrerint, cadant a proprio gradu. Et nos tam sancti concilii vestigia sequentes, id ipsum maxime de religiosis qui faciunt partes & conspirationes in capitulis, vel pro prælato, vel contra prælatum, vel pro quocumque priuato commodo, decernimus obseruandum.

XIX. De religioso aduocationem exercente.

Si quis religiosorum, aduocationis officio,

zelo

ANNO CHRISTI 1212.

zelo cupiditatis, functus fuerit, in causa ad suam domum vel aliam religiosam non pertinente, & maxime sine licentia sui abbatis: ipso iure proprium sciat impositum sibi silentium.

XX. *Vt regulares qui extra claustra iurisprudentiæ & medicinæ dant operam, nisi infra duos menses redeant, sint excommunicati.*

Append. ad conc. Later. III. part. 27. c. 2.

Cum quidam regularium, vt verbis concilii Lateranensis vtamur, sub obtentu languentium fratrum consulendi corporibus, & ecclesiastica negotia fidelius pertractandi, ad leges mundanas legendas, & confectiones physicas ponderandas, vt iurisprudentiæ & medicinæ dent operam, de claustris suis exire non formident, & ex eo ipso deficiant in interioribus, quando se putant aliis in exterioribus prouidere: ipsius concilii vestigiis inhærentes, præcipimus, vt nisi infra duorum mensium spatium ad claustrum suum redierint, non obstante abbatis sui licentia, quam dare non potuit, sint excommunicati, & ab omnibus euitentur, & in nulla causa, si patrocinium præstare voluerint, admittantur.

XXI. *Ne bini iaceant in lecto.*

In contemptum regulæ B. Benedicti, nullatenus permittendum est ab abbate, quod monachi vel canonici regulares bini iaceant in vno lecto, sed singuli in suis lectis, singuli vestiti secundum statuta ordinis. Cum etiam de clericis sæcularibus qui laborant incontinentia contra naturam, *propter quam ira Dei venit in filios diffidentiæ*, & quinque ciuitates igne combussit, sit statutum in concilio Lateranensi, vt si deprehensi fuerint, deiiciantur a clero, vel ad agendam pœnitentiam in monasterio detrudantur: multo magis circa religiosos qui iter perfectionis aggressi sunt, hanc iuris seueritatem duximus obseruandam. Eph. 5.

XXII. *Vt numerus monachorum non minuatur.*

Cum cultum Domini non oporteat imminuere, sed ad imitationem B. Dauid pro viribus adaugere: indignum nimis est, quod in quibusdam prioratibus numerus monachorum ibidem Deo seruientium diminuitur vel adnihilatur, cum ipsæ facultates ecclesiæ non sint imminutæ aut diminutæ. Vnde statuimus, vt si abbates vel priores hoc facere præsumpserint, per sollicitudinem diœcesani episcopi numerus Deo seruientium loco suo restauretur.

XXIII. *Ne religiosi iuramentum faciant de non commodando libros.*

Interdicimus inter alia viris religiosis, ne emittant iuramentum de non commodando libros suos indigentibus, cum commodare inter præcipua misericordiæ opera computetur. Sed adhibita consideratione diligenti, alii in domo ad opus fratrum retineantur, alii secundum prouidentiam abbatis, cum indemnitate domus, indigentibus commodentur. Et amodo nullus liber sub anathemate teneatur: & omnia prædicta anathemata absoluimus.

XXIV. *Vt qui seditiones mouent, vt mittantur in cellas, arctius in claustro permaneant.*

De perturbatoribus pacis in claustro, quorum quidam dicuntur mouere seditiones, vt mittantur ad cellas: constituimus, vt si abbati innotuerit, vel ex præcipua eorum consuetudine, vel alio modo hoc eos vitio laborare, diutius & arctius in claustro permaneant, ne ex fraude sua videantur commodum reportare.

XXV. *Quod qui merces suas vendunt ad terminum, & carius propter ipsum terminum, vsurariorum culpa obligentur.*

Omnes tam sæculares, quam regulares, siue clericos, siue laïcos, qui merces suas vendunt ad terminum, vt propter ipsum terminum eas carius vendant: tam pœna quam culpa vsurariorum apud Deum & homines decernimus obligatos.

XXVI. *Ne clerico vel laïco liceat prioratus tenere ad vitam.*

Prioratus autem nulli clerico vel laïco liceat emere ad vitam suam: nec in fraude huius constitutionis aliquid faciat, præcipue cum dicat apostolus: *Ab omni specie mala abstinete vos*: & in clerico, temporis quæstus debeat reputari: nisi causa meliorationis, vel pro vrgenti debito, cum assensu diœcesani alicui conferantur. Laïcis vero nullo modo dentur. 1. Thess. 5.

XXVII. *Ne ab ingressuris claustrum pastus vel vestimentum exigantur.*

Præcipimus etiam sub pœna suspensionis, ne ab ingressuris claustrum, vel pastus vel vestimentum exigantur, neque denarii, neque aliud in fraudem prædictorum, ita quod propter hoc non repellantur.

STATVTORVM CONC. PARISIENSIS

PARS TERTIA.

" Ad moniales.

"*Tamen postrema capita XII. spectant viros regulares.*

TITVLI CAPITVM.

ANNO CHRISTI 1212.

custodibus boni testimonii & ad breue tempus.
4. *Choreas ne ducant; quod ne sæcularibus quidem licet.*
5. *De vita & honestate, ac paupertate monialium.*
6. *Vt de bonis monasterii eis in communi necessaria subministrentur.*
7. *Vt confessores iis prouideantur discreti & honesti.*
8. *Vt abbatissæ negligentes puniantur.*
9. *De iis qui manent in domibus leprosorum, & hospitalibus, vt infirmis & peregrinis ministrent.*
10. *De abbatibus negligentibus circa obseruantiam, & ne sint aduocati, iudices, &c.*
11. *De iisdem, si vitam reprobam manifeste duxerint.*
12. *De iisdem, si excedant in numero equitaturarum; & si habeant in familia vel societate iuuenes lasciuos.*
13. *Ne bona ecclesiæ suæ dent cognatis.*
14. *Vt iuuenculæ & suspectæ non recipiantur in domibus religiosorum: vt non amoueant obedientiarios pro consanguineis introducendis: vt reddantur rationes accepti & expensi.*
15. *Ne abbates vel priores, magna negotia contrahent, & magnam pecuniæ summam mutuo accipiant sine consilio seniorum.*
16. *Ne sint immisericordes fratribus pœnitentibus, & ne vendant obedientias.*
17. *De his qui proponunt aliquid in capitulo ad correctionem domus.*
18. *Non sinant aliquos in villis vel cellis inordinate viuere.*
19. *Ne in cameris suis inordinate comedant.*
20. *Ne quis exeat causa eundi ad scholas, sed in claustro addiscat.*
21. *Ne capellanos habeant minus religiosos.*

CAPVT I.

I. Ne circa moniales versentur clerici & seruientes suspecti.

Quanto infirmior est sexus muliebris: tanto monialium prælati, circa earum custodiam, maiorem debent adhibere sollicitudinem & cautelam. Vnde constituimus & districte præcipimus, quod episcopi diligenter inuestigent & procurent, ne circa mulieres tales, conuersentur clerici vel seruientes, qui merito debeant haberi suspecti. Et vt non patiantur clericos sæculares cum iuuenibus in monasterio vel in claustro & officinis, maxime in locis suspectis, inanes
1. Cor. 15. habere confabulationes. *Corrumpunt enim bonos mores colloquia praua.* Sed nec earum parentes habeant ad eas secretum accessum sine testimonio seniorum, & omni suspicione carentium mulierum, quæ videlicet cum parentibus earum sciant, si forte parentes earum non sunt.

II. Vt singulæ iaceant in lectis.

Singulæ iaceant in lectis suis, non binæ.

III. Ne egrediantur ad visitandos parentes, nisi cum custodibus boni testimonii, & ad breue tempus.

Si quando de licentia abbatissæ vel prio- A rissæ, iusta causa interueniente, exierint de claustris ad visitandos parentes suos: sine custodibus boni testimonii non educantur, & infra breue tempus ad claustrum redeant, ne in sęculo diutius conuersentur. *Qui etenim tangit picem, inquinabitur ab ea.* Eccli. 13.

IV. Choreas ne ducant: quod ne sæcularibus quidem licet.

Choreas in claustro nullatenus ducant, sed nec etiam in alio loco: quod nec etiam sæcularibus licere credimus. Teste enim B Gregorio, melius est die dominico arare, vel fodere, quam choreas ducere.

V. De vita & honestate, ac paupertate monialium.

Quæcunque dicta sunt de monachis, de habitu & gestu honesto, de indumentis & calceamentis & coopertoriis religioni congruentibus, de non habendis propriis: de monialibus secundum statum suum repetita intelliguntur.

C *VI. Vt de bonis monasterii eis in communi necessaria subministrentur.*

Illud etiam inhonestum omnino iudicamus, vt propter victum & vestitum singulis modica summa pecuniæ assignetur, & adeo insufficiens, vt aliunde cogantur, & forte ex ignominiosa negotiatione, sibi necessaria mendicare. Quod potius volumus & præcipiendo mandamus, vt de bonis monasterii secundum facultatum exigentiam in communi eis necessaria ministrentur. Si autem facultates ecclesiæ ad hoc non sufficiant, D numerus ibidem Deo deseruientium per episcopalem sollicitudinem ad eam mediocritatem reducatur, vt ibi remanentes possint competenter viuere de communi.

VII. Vt confessores iis prouideantur discreti & honesti.

Inter cętera autem illud omittendum non est, quod abbatissæ & capellani earum prohibent ipsis monialibus, ne aliis quam ipsis confiteantur: ne forte si venerint peccata earum in notitiam bonorum sacerdotum, debita vltione plectantur. Cum autem dicat E Augustinus: Qui vult confiteri peccata sua, quærat sacerdotem qui sciat ligare & soluere, & talem coram quo magis erubescat. Nam ipsa erubescentia maxima pars est pœnitentiæ, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab eo qui misericorditer monet & petit, ne ambo in foueam cadant. Ideo districte sub diuini obtestatione iudicii præcipimus, vt episcopi diœcesani curam adhibeant diligentem de salute animarum ipsarum, & confessores eis prouideant discretos & honestos, & omni exceptione maiores: ne

ne sanguis ipsarum in die districti iudicii de A manibus eorum requiratur.

VIII. Vt abbatissæ negligentes puniantur.

Abbatissæ & priorissæ si negligentes sint & remissæ manifeste nimis circa obseruantiam ordinis, & correctionem subditorum vel subditarum: ab officio suspendantur. Et si post admonitionem superioris se non correxerint, ab officio suo penitus deponantur.

IX. De iis qui manent in domibus leprosorum, & hospitalibus, vt infirmis & peregrinis ministrent.

De domibus leprosorum & hospitalibus infirmorum, & peregrinorum, salubri consilio statuimus: vt si facultates loci patiantur quod ibidem manentes possint viuere de communi, competens eis regula statuatur, cuius substantia in tribus articulis maxime continetur: scilicet vt proprio renuntient, continentiæ votum emittant, & prælato suo obedientiam fidelem & deuotam promittant, & habitu religioso non sæculari vtantur. Cum autem pauci sani possint multis infirmis competentius ministrare: illud omnino indignum est, vt numerus sa- C norum ibidem manentium excedat numerum infirmorum aut peregrinorum. Bona etenim ibidem ex deuotione fidelium collata, non sunt sanorum vsibus deputata, sed potius infirmorum. Nec etiam est id sub silentio prætereundum, quod quidam sani viri & mulieres, & matrimonii vinculo copulati, quandoque transferunt se ad tales domos, vt sub obtentu religionis possint iurisdictionem & potestatem eludere sæcularium dominorum: qui tamen in domo religionis manentes, non minus, immo magis sæculariter & delicate viuunt, & operibus D carnis vacant, quam antea vacare consueuerant. Vnde statuimus vt in habitu religionis religiose viuant, vel de domibus eiiciantur: ita tamen quod bona domui collata secum non asportent, ne de fraude sua commodum reportare videantur.

X. De abbatibus negligentibus circa obseruantiam: & ne sint aduocati iudices, &c.

Item constituimus, vt abbates & priores & præpositi religiosorum, si fuerint manifeste remissi & negligentes circa obseruantiam ordinis & correctionem subditorum, E non promoueantur ad dignitates & maiora officia: & non sint iudices, vel aduocati, vel testes, vel assessores, vel ad alia publica officia admittantur: & si post admonitionem superioris se non correxerint, ab officio abbatis, vel prioratus, vel præpositturæ deponantur.

XI. De iisdem si vitam reprobam manifeste duxerint.

Si vitam reprobam manifeste duxerint, idem constituimus obseruandum.

XII. De iisdem, si excedant in numero equitaturarum, & si habeant in familia vel societate iuuenes lasciuos.

Idem etiam constituimus, si habuerint dextrarios, & equitauerint, vel manifeste vel publice in numero equitaturarum excedant consuetudinem secundum facultatem & dignitatem monasterii sui. Et si iuuenes nimis B lasciuos & suspectos in familia siue in societate sua manifeste habuerint, & ex consuetudine, idem statuimus.

XIII. Ne bona ecclesiæ suæ dent cognatis.

Idem constituimus, si dederint cognatis suis bona ecclesiæ suæ, nisi pauperibus, & vt pauperibus: vel circa hoc aliquid in fraudem fecerint. Nisi forsan aliquando & raro & moderate secundum facultatem monasterii darent: ita quod non redundet in grauamen ecclesiæ: & nihilominus admoneantur quod non faciant. Sub eadem pœna interdicimus, ne de proprietate monasterii reditum vel prouentum assignent cognatis.

XIV. Vt iuuenculæ & suspectæ non recipiantur in domibus religiosorum: vt non amoueant obedientiarios pro consanguineis introducendis: vt reddantur rationes accepti & expensi.

Insuper constituimus quod non recipiantur iuuenculæ vel mulieres suspectæ in domibus religiosorum virorum, nisi habeant separatas mansiones & remotas a viris. Si contra fecerint, coërceantur per episcopos locorum. Et vt non amoueant priores vel obedientiarios pro consanguineis introducendis, nisi pro manifesta vtilitate ecclesiæ; pro pretio, nullomodo. Si contra fecerint, eidem pœnæ subiaceant. Et vt ad minus bis in anno cunctis ad hoc statutis temporibus omnes obedientiarii & priores super receptis & expensis reddant rationem abbati: & abbas nihilominus vtrobique sibi adhibitis senioribus & discretioribus monasterii septem ad minus, electis a maiori parte capituli. Si non fecerint, ab administratione sint suspensi; si suspensi administrauerint, per superiorem deponantur.

XV. Ne abbates vel priores magna negotia contractent, & magnam pecuniæ summam mutuo accipiant, sine consilio seniorum.

Monemus abbates vel priores, vt non contractent magna negotia, nec magnam pecuniæ summam mutuo accipiant, sine consilio habito cum senioribus, ad minus septem, ad

ad hoc per capitulum vel maiorem partem electis. Si contra fecerint, sicut in præmisso capitulo puniantur.

XVI. *Ne sint immisericordes fratribus pœnitentibus, & ne vendant obedientias.*

Moneantur etiam, & in virtute obedientiæ præcipiatur eis, vt non sint immisericordes fratribus pœnitentibus, & in humilitate reuerti volentibus, salua ordinis disciplina: nec onera importabilia imponant debilibus. Et vt abbates, vel priores, vel capitula, non vendant, vel conferant obedientias fratribus vel aliis, hoc expresso quod ad vitam suam debeant tenere. Si contra fecerint proximo promissam pœnam sustineant.

XVII. *De his qui proponunt aliquid in capitulo ad correctionem domus.*

Item abbates, vel priores, ne inconsulto capitulo vel maiori parte capituli, festinanter comminentur, vel aliquid faciant vel statuant contra illum qui aliquid proposuit in capitulo, de his quæ pertinent ad correctionem domus, vel priorum: & si contra fecerint, factum eorum irritum sit; & nihilominus per superiores puniantur.

XVIII. *Non sinant aliquos in villis, vel cellis, inordinate viuere.*

Item ne abbates, vel priores, morari sustineant aliquos in villis vel obedientiis ita inordinate, vt obliuiscantur ordinis, vel desuescant, nisi pro debilitate vel aliqua manifesta causa. Quod si fecerint, per superiorem emendetur.

XIX. *Ne in cameris suis inordinate comedant.*

Prohibemus etiam ne in cameris suis inordinate vel temporibus indebitis comedant, nisi manifesta & iusta causa interuenerit. Si contra fecerint, publice imponatur eis pœnitentia in capitulo: ita vt pœna abstinentiæ respondeat huius transgressionis excessui.

XX. *Ne quis exeat causa eundi ad scholas, sed in claustro addiscat.*

Prohibemus etiam, ne quis, postquam intrat claustrum causa religionis, exeat causa eundi ad scholas, sed in claustro, si voluerit, addiscat. Et qui modo sunt in scholis, intra duos menses ad claustrum redeant.

XXI. *Ne capellanos habeant minus religiosos.*

Moneantur etiam in virtute obedientiæ, ne capellanos seu minus religiosos, vel socios minus maturos ætate vel moribus secum habeant.

STATVTORVM CONC. PARISIENSIS

PARS QVARTA.

Ad archiepiscopum & episcopos.

POst tractatum habitum de clericis & viris religiosis, ad eos qui excellentem locum & dignitatis apicem obtinent, & per quos structura templi dominici roboratur, & quasi per tecti cacumina à noxiis defenditur, nos transferamus: qui ornatu morum cæteris præcellere debent, sicut prominent dignitate.

TITVLI CAPITVM.

CAPVT I.

I. *De vita & honestate prælatorum.*

Statuimus itaque, vt prælati habeant coronas sufficienter latas, & tonsura eorum sit orbiculariter rotunda. Sic mitræ respondeat, vt capilli eam indecenter non excedant. Et vt habitum habeant regularem in longitudine, latitudine, & colore. Gestus eorum sit in facie maturus, in incessu temperatus, in verbis modestus: ita vt iuramenta terribilia & turpia non solum in vsu non habeant, immo nec etiam coram se fieri sustineant: quia per hoc eorum autoritas deformatur.

II.

ANNO CHRISTI 1212.

II. *Ne in lectis audiant matutinas, &c.*

Statuimus etiam ne dum fuerint sani & incolumes, in lectis iacentes audiant matutinas: & ne dum coram eis diuina officia celebrantur, sæcularibus negotiis vel confabulationibus occupentur.

III. *Vt in magnis solemnitatibus celebrent, prædicent, vel faciant prædicare.*

Statuimus etiam, vt in magnis solemnitatibus ipsi per se Diuina celebrent, & verbum Dei prædicent, vel saltem faciant prædicare.

IV. *Ne sint venatores: pellibus pretiosis non vtantur: alea abstineant.*

Prohibemus etiam, ne venatione siluatica, siue aucupio, vel aucellatione, in personis propriis vtantur. Pellitas etiam...... in palliis non vtantur: pelles quoque de erminiis caudatis omnibus ecclesiasticis personis prohibemus. Omnes ludos ad talos & aleas eis firmiter interdicimus.

V. *Vt in mensa eorum fiat sacra lectio.*

Statuimus etiam, vt in mensa, saltem in principio & in fine, coram eis sacra lectio recitetur: & ne in mensa histriones, vel mimos, vel eorum audiant instrumenta.

VI. *Vt habeant prouidos eleemosynarios: sint hospitales: pauperes audiant: confessionibus audiendis vacent: ipsi confiteantur.*

Statuimus etiam, vt singuli prælati prouidos & honestos eleemosynarios habeant: ipsi etiam prælati sint iuxta apostolum hospitales: & vt horis competentibus ad exhibendam iustitiam & audiendos pauperes publice se præsentent. Et in propria persona frequenter intersint confessionibus audiendis, & pœnitentiis iniungendis. Ipsi etiam per discretos confessores proprias cicatrices frequenter obducant.

VII. *Vt resideant in ecclesiis: maxime in solemnitatibus & quadragesima.*

In ecclesiis etiam cathedralibus frequenter residentes esse procurent, præsertim in maioribus solemnitatibus, & in tempore quadragesimali.

VIII. *Vt professionem in consecratione factam bis in anno legi faciant.*

Statuimus etiam, vt formam professionis quam in sua consecratione fecerint, saltem bis in anno, scilicet semel in synodo, & semel in capitulo, publice legi faciant.

IX. *Quales in euectionibus & procurationibus esse debeant.*

Diligenter superfluitatem sociorum & A præcipue euectionum caueant. Quando procurationes recipiunt, ne sibi subditos grauent: nec in propriis expensis sint parci, & prodigi in alienis.

X. *Quales habeant socios, & qualem familiam.*

Statuimus etiam, vt prælati socios habeant integræ opinionis & famæ, habitu compositos, ætate grandæuos, fide claros, & competentibus scientiis eruditos, & cubicularios honestos, qui iuxta canones sint testes vitæ ipsorum, & suorum conscii secre- B torum. Familiam habeant frugi, humilem, non superfluam, sed moderatam: exactiones indebitas faciant his qui debent episcopos dominos suos procurare.

XI. *Quales eorum ministri esse debent: quales officiales.*

Camerarius, buticularius, panetarius, cocus, marescallus, ianitor, senæschallus, vel eorum seruientes, pecuniam, vel aliam rem quam solent quasi pro consuetudine accipere, de cætero inhoneste non extor- C queant, nec stultos, vel infatuatos secum habeant, qui fabulam & derisum populi eos ad derisum moueant, vel cachinnum. Ianitores liberales & discretos habeant, & non venaliter pro loco & tempore recipiendos recipiant, & præcipue ab ordinandis nihil prorsus exigant. Officiales fideles habeant, & prudentes, sine personarum acceptione gratis iustitiam exhibentes.

XII. *Ne sint simoniaci.*

Quandoquidem gratia, sed non gratis da- D ta, gratia non est, simoniam generaliter & vniformiter prohibemus: videlicet in ordinum & beneficiorum collatione, in ecclesiarum dedicatione, in virginum benedictione, in illicita seruientium seu creditorum, seu quorumcumque remuneratione, in spiritualibus pro seruitio temporali, & in aliis variis articulis simoniæ: saluis honestis & licitis consuetudinibus ecclesiasticorum.

XIII. *Ne pecuniam accipiant pro sigillo, & aliis, quæ enumerantur.*

Prohibemus etiam ne prælati, vel eorum E ministri, ratione sigilli aliquid exigant pro iustitia simplici exhibenda; neque pro iustitia facienda, vel acceleranda. Neque pro redemptione procurationum, quæ eis ratione visitationis debentur, aliquid exigant, vbi nec per se, nec per alios visitationes faciunt. Nec defunctos excommunicatos, in quibus signa pœnitentiæ non comparuerunt, pro pecunia sepeliant, vel absoluant. Et ne cum focariis, sacerdotibus, vel clericis, pecunialiter componant: & ne beneficiatis ordinandis propter pecuniam, quominus ordinentur, indulgeant.

XIV.

ANNO CHRISTI 1212.

ANNO CHRISTI 1212.

XIV. *In concedendis beneficiis, in ferendis censuris, & in aliis quibusdam, quales esse debeant.*

A

Statuimus etiam, ne beneficia ecclesiastica, vel dignitates, vel curæ animarum, minoribus, vel indignis, contra sacros canones concedantur: & ne præcipitanter excommunicent, interdicant, vel suspendant, vel sententient, vel relaxent: & ne ab excommunicatis pœna tantum pecuniaria exigatur, nulla pœna spirituali inflicta: & ne quid exigatur pro redemptione edictorum illorum quæ debent per tres dies solemnes fieri ante desponsationem: & ne quis ad beneficium non vacans installetur: & ne clerici qui minus noti fuerint in litteratura & moribus, sine examinatione ad sacros ordines sublimentur.

B

XV. *De monomachiis & iudiciis peregrinis.*

Ne monomachiæ, vel iudicia peregrina, in sacris locis, vel cœmeteriis, vel episcoporum præsentia fiant.

XVI. *Vt a festis follorum abstineant.*

A festis vero follorum, vbi baculus accipitur, omnino abstineatur. Idem fortius monachis & monialibus prohibemus.

C

XVII. *Vt synodum quotannis celebrent: dent sacramentum confirmationis: excessus subditorum corrigant.*

Præterea statuimus, vt in singulis episcopatibus, saltem semel in anno, synodus celebretur: & vt pro loco & tempore sint prælati parati ad sacramentum confirmationis liberaliter indigentibus imponendum: & vt excessus subditorum suorum, canonicorum, & clericorum, & virorum religiosorum, nullius odio, gratia, vel timore dissimulent. Et si se non correxerint, non patiantur transire vllatenus impunitos.

D

XVIII. *Choreas mulierum in cœmeteriis, opera fabrilia diebus dominicis, illicita matrimonia ne permittant.*

Prohibemus etiam, ne choreas mulierum in cœmeteriis, vel in locis sacris, obtentu alicuius consuetudinis deduci permittant: nec sustineant opera seruilia seu fabrilia, sicut arantium, & opera similia, quæ & ipsis facientibus interdicimus, diebus dominicis exerceri. Et ne vllo modo permittant illicita matrimonia contrahi, & maxime in gradibus a canonibus interdictis.

E

XIX. *Vt testamenta non sustineant infirmari.*

Statuimus etiam, vt legitima testamenta morientium, & voluntates vltimas defunctorum, nullo modo sustineant infirmari.

XX. *Vt flagitium nec nominandum exstirpent.* ANNO CHRISTI 1212.

Insuper specialiter & districte prohibemus illud nec nominãdum flagitium, quod summi principis monetam falsificat, & naturæ reuerentiam dehonestat: ad quod exstirpandum etiam secundum iura ciuilia leges insurgere & iura iubentur armari, vt rei tanti sceleris vltore gladio finiantur. Et quanto scelestius est peccatum, tanto districtius in virtute sancti Spiritus prælatis præcipimus, ne illud alicubi pullulare sustineant; sed vbicumque deprehenderint, euellant, destruant, & exstirpent.

XXI. *Quomodo puniendi, qui illud admiserint, vel qui in eo corrigendo negligentes fuerint.*

Et ex autoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus sancti, & apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum Dei, & præsentis concilii, statuimus: vt qui de cætero, a quindecim annis supra, tale cuiusmodi commisisse fuerint deprehensi, secundum Lateranense concilium puniantur. Lateran. III. c. 11.
Et si canonici conuentualium ecclesiarum in huiusmodi deprehensi fuerint, & in eorũ correctione decanus & capitulum negligentes extiterint, per episcopos locorum arctius puniantur. Quod si infatuati fuerint, canonica eis purgatio indicatur in præsentia episcopi, decani & capituli. In qua si defecerint, ab officio & beneficio suspendantur. Hoc autem sub pœna suspensionis episcopis præcipimus exequendum.

*** CONVENTVS APAMIENSIS ANNO CHRISTI 1212.

EPISCOPORVM ET PROCERVM AD Simonis Monfortii ditionem bonis moribus ac legibus temperandam. Mense Nouemb. MCCXII.

ANno incarnationis Dominicæ MCCXII. *inquit Petrus Vallissarn. in hist. Albig.* mense Nouembris, conuocauit nobilis comes Montisfortis episcopos & nobiles terræ suæ, apud castrum Apamiarũ, celebraturus colloquium generale. Causa autem colloquii huius ista fuit, vt comes noster, in terra quam acquisierat, sanctaquæ R. E. subiugauerat, institui faceret bonos mores, hæretica spurcitia procul pulsa, quæ totam corruperat terram illam, bonæ, tam de cultu religionis Christianæ, quam etiam de temporali pace & quiete, consuetudines plantarentur. Terra siquidem illa, ab antiquis diebus, deprædationibus patuerat & rapinis: opprimebat quippe potens impotentem, fortior minus fortem. Voluit igitur comes nobilis, cunctas consuetudines, fixosque limites terræ dominis ponere, quos transgredi non liceret: quatenus etiam milites de suis certis & rectis redditibus recte viuerent; minor etiam populus sub alis dominorum posset viuere, immoderatis exactionibus non grauatus. Ad quas consuetudines statuendas, electi fuerunt viri duodecim, qui super sacrosancta euangelia iurauerunt, quod pro posse suo tales consuetudines ponerent, per quas Ecclesia Cap. 65.

ANNO CHRISTI 1213.

ecclesia sua libertate gauderet, tota etiam terra in A statu firmaretur meliori. De illis autem duodecim electoribus, quatuor fuerunt ecclesiastici, duo scilicet episcopi, Tolosanus & Consoranensis, vnus templarius, vnusque hospitalarius; quatuor praeterea Francigenae milites, quatuor etiam indigenae, duo milites, & duo burgenses, per quos dictae consuetudines, satis competenter positae & firmatae. Vt autem consuetudines illae inuiolabiliter seruarentur: antequam proferrentur in medium, nobilis comes, omnesque milites sui, super quatuor euangelia iurauerunt, quod supra memoratas consuetudines nunquam praesumerent violare. Vt etiam maiorem obtinerent firmitatem, redactae sunt in scriptum, sigillo etiam comitis & omnium episcoporum, qui ibi plures erant, B firmatae & munitae.

** CONCILIVM VAVRENSE

IN CAVSA PETRI ARAGONVM REGIS comitem Tolosanum protegentis celebratum, anno Domini MCCXIII.

G. C. Bzouii verbis res in hoc concilio gestas Binius enarrauerat: ego Petri Vallisarnensis, e quo Bzouius totum hauserat, verba profero: litterasque & instrumenta ipsa, tum ex Petro eodem, tum aliunde conquisita.

Cap. 66. CIrca festum dominicae apparitionis (*ait Petrus Vallissarnensis*) rex Aragonum Petrus, qui ne- C gotio fidei plurimum inuidebat, venit Tolosam: & fecit ibi milites, excommunicatis & haereticis communicando. Mandauitque rex archiepiscopo Narbonensi apostolicae sedis legato, & comiti nostro, quod volebat habere colloquium cum eis, & de pace & de compositione inter comitem nostrum & hostes fidei tentare. Igitur assignata fuit communi assensu dies & locus inter Tolosam & Vaurum, vbi colloquium celebrari deberet. Cum igitur venissemus ad locum concilii, rex coepit rogare archiepiscopum Narbonensem & episcopos, de restituendis terris comitibus Tolosano, Conuenarum, & Fuxensi, & Gastoni de Bearno. Archiepiscopus autem Narbonensis respondit regi, vt omnes petitiones suas redigeret in scriptum, & scriptas & sigillatas mitteret episcopis apud Vaurum. D Rex vero Arragonensis, postquam applausum magnum fecerat comiti nostro, & fratri & filiis eius, rogauit ipsum comitem, vt octo diebus desisteret a male faciendo inimicis suis. Cui nobilissimus & vrbanissimus respondit: Non desistam, inquit, a male faciendo, sed ob reuerentiam vestram cessabo his octo diebus a benefaciendo. Similiter autem & rex promisit ex parte hostium nostrorum, quod ipso tempore colloquii non facerent nostris malum. Sed ipsi infidelissimi, cum scirent nostros conuenisse ad colloquium, licet nos per regem fecissent securos, discurrere coeperunt per terram nostram versus Carcassonam, & multa mala facientes, plurimos etiam occiderunt. Die tertio postquam recessit rex a loco E colloquii, & intrauit Tolosam, scripsit petitiones suas ad archiepiscopos & episcopos nostros, in haec verba:

Petitiones regis Arragonensium ad praelatos in concilio apud Vaurum congregatos.

" Quoniam sacrosancta mater ecclesia non solum " verba, sed verbera quoque docetur habere, deuo- " tus ecclesiae filius P. Deo miserante rex Arrago- " nensis, pro comite Tolosano, ad sinum eiusdem ma- " tris ecclesiae cupiens redire, a sanctitate vestra " petit humiliter, & rogat instanter, quatenus facien- " do satisfactionem personalem pro excessibus quibus- " cumque, prout ipsi ecclesiae visum fuerit expedire, ac pro damnis & iniuriis illatis diuersis ecclesiis & prae- " latis, satisfaciendo id quod clementia matris ecclesiae " ipsi comiti duxerit iniungendum, restituatur clemen- " ter & misericorditer ad possessiones suas, & alia quae " amisit. Quod si forte in persona comitis nollet eccle- " sia ipsius regis petitionem audire: petit & rogat hoc " idem pro filio, ita tamen quod puer nihilominus " satisfaciat personaliter pro excessibus, vel in frontaria Sarracenorum, cum militibus eundo in subsidium " Christianorum, vel in partibus transmarinis, secundum quod ecclesia melius arbitrabitur expedire: & " infans in terra sua, in tam diligenti custodia, & tam " fideli cura, ad honorem Dei & S. R. E. habeatur, " vsque quo de bonitate sua signa coppareant manifesta. "

Et quoniam comes Conuenarum, nec fuit vnquam haereticus, nec eorum susceptor, sed potius impugnator, & ideo terram dicitur amisisse, quod astiterit consobrino & domino suo, comiti Tolosano: " petit idem rex & rogat pro eo, sicut pro vassallo suo, " vt restituatur ad terram suam, satisfaciendo quoque " ad arbitrium ecclesiae, si eum apparuerit in aliquo " deliquisse. "

Item, comes Fuxensis, cum nec sit, nec fuerit haereticus, pro eo memoratus rex petit, & rogat sicut " pro consanguineo suo carissimo, cui sine verecundia " in iure sic deesse non potest, quatenus pro reuerentia " ipsius & gratia restituatur ad sua, satisfaciendo nihilominus ecclesiae in his & pro his, quibus clementiae " matris ecclesiae eum apparuerit deliquisse. "

Item, pro Gastone de Bearno vassallo suo petit " saepe dictus rex & rogat affectuose, quatenus restituatur ad suam terrã, & fidelitates vassallorum suorum: " maxime cum paratus sit parere, & ad arbitrium ecclesiae satisfacere coram iudicibus non suspectis, si " nobis causam ipsius audire & expedire non licet. "

In omnibus tamen praemissis, duxit memoratus " rex, misericordiam potius quam iudicium inuocandum, mittens ad clementiam vestram clericos & " barones suos super praemissis, ratum habiturus, quicquid a vobis cum eis fuerit ordinatum. Supplicans vt " talem dignemini habere circumspectionem & diligentiam in hoc facto, vt in negotio Christianitatis in " partibus Hispaniae, ad honorem Dei, & sanctae matris ecclesiae dilatationem, praedictorum baronum " & comitis Montisfortis subsidium possit habere. Datum Tolosae XVII. Kal. Februarii. "

Responsio Concilij.

ILLVSTRI ET DILECTO IN CHRISTO P. Dei gratia regi Arragonum, comiti Barchilonensium, concilium apud Vaurum salutem & sinceram in domino dilectionem.

PEtitiones & preces vidimus, quas pro Tolosano " & eius filio, & Fuxensi, & Conuenarum comiti- " bus, & nobili viro Gastone de Bearno, vestra rega- " lis serenitas destinauit: in quibus etiam litteris, inter caetera ecclesiae filium dicitis vos deuotum. Super " quo, domino Iesu Christo, ac regali vestrae celsitudini, gratiarum referimus actiones: & in cunctis quibus secundum Deum possemus, propter illam mutuam dilectionem, qua vos sancta Romana mater " ecclesia, sicut intelligimus, amplectitur, & vos ipsam, necnon & ob reuerentiam excellentiae vestrae " regalis, admitteremus affectuosius preces vestras. Super eo quod pro comite Tolosae petitis & rogatis: hoc " duximus serenitati regiae respondendum: quod tam " causa comitis, quam filii, quae pendet ex facto " patris, autoritate superioris est a nobis exempta, " cum idem comes Tolosae, Regiensi episcopo & " magistro

ANNO CHRISTI 1215.

magiſtro Theodiſio, à domno papa, negotium ſuum fecerit ſub certa forma cōmitti. Vnde ſicut credimus, memoriter retinetis, quot & quantas gratias dicto comiti poſt multos exceſſus ipſius, domnus papa fecit: nec non & quam gratiam, ad interceſſionem veſtram & preces, venerabilis Narbonenſis archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, tunc abbas Ciſtercii, apud Narbonam & Montempeſſulanum eidem comiti faciebat, biennio, ſi bene meminimus, iam tranſacto. Volebat ſiquidem idem legatus, omnes dominicaturas & proprietates, eidem comiti remanere integras & illæſas: & vt illa iura quæ habebat in caſtris aliorum hæreticorum, quæ de feodo eius erant, ſine alberga, ſine quiſta, ſine caualgata, eidem integra remanerent. De illis præterea caſtris, quæ erant aliorum hæreticorum, quæ de feodo eius non erant, quæ idem comes dicebat eſſe quinquaginta, volebat præfatus legatus, vt quartalis & tertia pars eorum caderet in proprietatem comitis ſupradicti. Spreta vero comes illa magna gratia domini papæ, ac prædicti legati, & eccleſiæ Dei, veniens directe contra omnia iuramenta, quæ olim præſtiterat in manibus legatorum, & addens iniquitatem iniquitati, crimina criminibus, mala malis, eccleſiam Dei & chriſtianitatem, fidem & pacem, cum hæreticis & ruptariis impugnauit & damnificauit, adeo vt omni gratia & beneficio reddiderit ſe indignum.

Quod autem pro comite petitis Conuenarum, taliter ſuper hoc duximus reſpondendum. Pro certo intelleximus, quod cum poſt exceſſus ſuos multiplices, & iuramenti tranſgreſſionem, fœdus cum hæreticis & eorum fautoribus contraxiſſet, & ipſam eccleſiam, licet nunquam in aliquo lęſus eſſet, cum eiſdem peſtilentibus impugnaſſet, licet poſtmodum diligenter fuerit admonitus vt ceſſaret a cœptis, & rediens ad cor, tandem reconciliaretur eccleſiaſticæ vnitati: nihilominus idem comes in ſua nequitia extitit excommunicationis & anathematis vinculo alligatus: de quo etiam, vt dicitur, comes Toloſæ aſſerere conſueuit, quod ipſe comes Conuenarum, eum ad guerram impulit & induxit. Vnde idem comes, autor per hoc guerræ & malorum, quæ eccleſiæ multipliciter peruenerunt, extitit. Verumtamen ſi talem ſe exhibuerit, vt abſolutionis beneficium mereatur, poſtmodum cum fuerit abſolutus, & habuerit poteſtatem ſtandi iudicio, ſi de aliquo queretur, eccleſia ei iuſtitiam non negabit.

Petit præterea regia celſitudo, pro comite Fuxenſi. Ad quod taliter reſpondemus: quod conſtat de ipſo, quod hæreticorum extitit a longo tempore receptator, præſertim cum non ſit dubium, quin credentes hæreticorum, hæretici ſint dicendi: qui etiam poſt multiplices exceſſus ſuos, poſt præſtita iuramenta, poſt obligationes tam perſonarum quam rerum, poſt iniectionem manuum in clericos, & detruſionem eorum in carcerem, pro quibus cauſis & multis aliis, anathematis mucrone percuſſus: poſt illam etiam gratiam, quam idem legatus ad interceſſionem veſtram, olim ipſi comiti faciebat, cruentam cædem exercuit in ſignatos, tam laïcos, quam clericos, qui in paupertate & ſimplicitate ſua, contra Vauri hæreticos in Dei ſeruitium ambulabāt. Qualis autem & quanta erat illa gratia, bene recolit, ſicut credimus, regia celſitudo: ad cuius preces cum eodem comite compoſitionem faciebat dictus legatus. Sed quod non fuit facta illa compoſitio, per ipſum comitem ſtetit. Extant enim litteræ ad domnum comitem Montisfortis regali ſigillo munitæ, talem clauſulam continentes. Dicimus etiam vobis, quod ſi comes Fuxenſis noluerit ſtare placito illi, & vos poſtea non

A audieritis preces noſtras pro eo, non erimus inde vobis dipacati: verumtamen ſi dederit operam, vt abſolutionis beneficium conſequatur, & poſtmodum, cum abſolutionis fuerit gratiam conſequutus, de aliquo quereletur, iuſtitiam ei eccleſia non negabit.

Poſtulatis inſuper & rogatis, pro Gaſtone de Bearno, vt reſtitueretur ad terram ſuam, & ad fidelitates vaſſallorum ſuorum: ſuper quo vobis taliter reſpondemus. Vt alia multa, immo potius infinita, quæ in ipſum Gaſtonem dicuntur, ad præſens ſilentio tranſeamus: confœderatus tamen hæreticis & receptatoribus ſeu defenſoribus eorum contra eccleſiam & ſignatos, eſt eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum manifeſtiſſimus perſecutor. Venit in auxilium Toloſanorum ad obſidionem Caſtri Noui: B interfectorem Fr. P. de Caſtro Nouo apoſtolicæ ſedis legati habet ſecum: ruptarios diu tenuit atque tenet: in anno præterito, ruptarios in cathedralem eccleſiam Olceronis induxit, vbi amputato fune de quo pendebat pixis continens corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti, in terram decidit: & quod nefas eſt dicere, ipſum corpus Dominicū eſt per terram expenſum. Tranſgreſſus iuramenta, manus in clericos violentas iniecit.

Pro quibus & aliis cauſis pluribus, quas ad præſens tacemus, idem Gaſto, excommunicationis & anathematis eſt nexibus innodatus. Verumtamen ſi ſatisfecerit eccleſie, prout debet, & abſolutionis beneficium conſequatur, & conqueſtus fuerit de aliquo: audietur de iure ſuo. Aliter ſiquidem, pro prædictis ſic excommunicatis, clariſ- C ſime princeps, veſtram regiam maieſtatem intercedere non deceret, nec nos pro talibus & in talibus audemus aliter reſpondere. Ad hæc, ſerenitatem veſtram regalem monemus & hortamur in Domino, quatenus ad memoriam reuocare dignemini honorem quem vobis fecit ſedes apoſtolica, & illum, quem in præſentiarum illuſtri regi Siciliæ ſororio veſtro facit, quid etiam domno papæ in veſtra promiſiſtis vnctione, & quid vobis ſedes apoſtolica dederit in mandatis. Oramus vt Deus ad honorem ſuum, & S. R. E. per multa tempora vos conſeruet. Quod ſi per hanc noſtram reſponſionem, veſtræ regiæ maieſtati non fuerit ſatisfactum: nos ob reuerentiam veſtram & gratiam, domno papę curabimus intimare. Datum Vauri XV. D Kal. Februarii.

Audiens rex Arragonum reſponſiones prælatorum noſtrorum, videnſque petitiones quas fecerat, penitus refutatas, affectumque ſuum non poſſe perduci ad effectum: alium circumuentionis modum inuenit. Miſit itaque nuntios ad prælatos, mandans & rogans, quatenus inducerent comitem Montisfortis ad hoc, vt comiti Toloſano, cæteriſque fidei Chriſtianæ inimicis, treugas daret vſque ad futurum proximum Pentecoſten, vel ſaltem vſque in Paſcha. Quod audientes prælati noſtri, animaduertenteſque quod rex ob nihil aliud peteret hoc, niſi vt hoc audiretur in Francia, ſicque deuotio tepeſceret ſignatorum: petitionem iſtam, ſicut primas fecerant, refutarunt. Quia ve- E ro longum eſſet enarrare omnia per ordinem, quæ rex ille mandauit, & noſtri ei reſpondenda duxerunt: iſtud breuiter dicamus, quod hæc fuit tota intentio dicti regis, laborare videlicet, vt comes Toloſæ, & alii religionis Chriſtianæ inimici ſui, reſtituerentur ad terras ſuas, vel ſaltem ipſis treugæ darentur a noſtris, ob intentionem ſuperius memoratam. Noſtri vero viri prouidi & conſtantes, nec terras reddere, nec treugas concedere voluerunt.

Videns

ANNO CHRISTI 1213.

Videns rex quod nihil proficere potuisset, in graue dispendium famæ suæ pariter & honoris: apposuit quod excommunicatos & terras eorum quas adhuc tenebant, in sua protectione reciperet. Et vt suam nequitiam aliquantulum palliaret, sedem apostolicam appellauit: prælati autem nostri, huic appellationi, quia multiplicibus ex causis friuola erat & inualida, minime detulerunt: sed archiepiscopus Narbonensis apostolicæ sedis legatus misit litteras in hunc modum.

ILLVSTRISSIMO DOMINO PETRO Dei gratia regi Arragonensi, frater A. diuina miseratione Narbonensis archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, salutem in caritate animi, & visceribus Iesu Christi.

„ INtelleximus non sine turbatione multa, ac amaritudine animi, quod ciuitatem Tolosæ, ac castrum Montis Albani, & terras propter crimen hæreseos ac alia multa ac nefanda facinora, traditas sathanæ, ac ab omni communione matris ecclesiæ separatas, & cruce-signatis autoritate Dei, cuius nomen in his grauiter blasphematur, expositas, disponitis in protectione & custodia vestra recipere, ac eas contra Christi exercitum defensare. Cum igitur hæc, si vera sint, (quod Deus auertat) non solum in salutis vestræ dispendium, sed in honoris regii, ac opinionis vestræ & famæ possint cedere detrimentum: nos qui salutem vestram, & gloriam & honorem zelamus, totis visceribus caritatis, celsitudinem regiam rogamus, consulimus, monemus, & hortamur in Domino, & in potentia virtutis huius, & parte redemptoris nostri Iesu Christi, ac sanctissimi eius vicarii domini nostri summi pont. autoritate legationis qua fungimur, inhibemus, & modis quibus possumus obtestamur, ne per vos, vel per alios, terras recipiatis, vel defendatis prædictas. Optamus autem, quatenus tam vobis quam & ipsis, taliter dignemini prouidere, ne communicando excommunicatis & maledictis hæreticis & fautoribus eorumdem, labem excõmunicationis incurrere vos contingat. Vnum autem non volumus serenitatem vestram latere, quod si quos de vestris, in defensionem prædictæ terræ duxeritis relinquendos: cum omnes excommunicati sint ipso iure, vos denunciari excommunicatos, tanquam defensores hæreticorum, publice faciemus.

Rex Arragonensis in nullo resipiscens, sed quæ male proposuerat, peius adimplens, hæreticos omnes & excommunicatos, comites Tolosanum videlicet, Conuenarum, & Fuxensem, Gastonem de Bearno, omnesque milites Tolosanos, & Carcassonenses, qui pro hæresi exheredati Tolosam confugerant, ciues etiam Tolosanos in sua protectione suscepit, & ab ipsis iuramentum recepit. Ciuitatem etiam Tolosanam quæ est proprie de dominio regis Franciæ, & totum illud terræ, quod illi adhuc tenebant, in sua custodia recipere præsumpsit. *Et infra*: Videntes igitur nostri, quod rex detineret eos nuntiis, litteris, & etiam appellationibus superfluis, & nihilominus tempore colloquii & treugarum, nostros ab excommunicatis, quorum causam fouebat, permitteret apertissime & sæpissime infestari: a Vauro recesserunt. Verumtamen antequam recederent, scripserunt D. papæ de communi negotio ecclesiæ, & de præfato colloquio in hunc modum.

Sanctissimo patri in Christo, ac beatissimo domino suo Innocentio Dei gratia summo pontifici, deuoti & humiles serui eius, archiepiscopi, episcopi, & alii ecclesiarum prælati, apud Vaurum pro sanctæ fidei negotio congregati, cum omni affectione longum vitæ spatium, & salutis.

„ Ad agendas paternitatis vestræ solicitudini dignas grates, cum nec lingua, nec calamus nobis sufficiant, retributorem omnium bonorum exoramus, vt nostrũ in hac parte suppleat defectum, & abunde vobis retribuat omne bonum, quod nobis, & nostris, aliisque partium nostrarum ecclesiis tribuistis. Cum enim in partibus istis pestis hæretica antiquitus seminata, nostris partibus vsque adeo succreuisset, quod cultus diuinus ibidem haberetur omnino in opprobrium & derisum; & in clerum & bona ecclesiastica, hinc hæretici, inde ruptarii grassarentur, & tam princeps, quã populus, in reprobum sensum datus, a fidei rectitudine deuiauit" vt per vestros exercitus signatorum, quos ad emundandas spurcitias pestis huius, sapientissime destinastis, & Christianissimum eorum principem, comitem Montis-fortis, intrepidum omnino athletam & inuictum Dominici prælii bellatorem, ecclesia quæ tam miserabiliter ibi corruperat, caput inde cœperit reuelare; & in parte maxima destructis aduersitatibus & erroribus vniuersis, terra dudum a cultoribus horum dogmatum conculcata, demum Diuino cultui assuescat. Restant vero adhuc reliquiæ dictæ pestis, Tolosa videlicet ciuitas, cum castris aliquot: vbi, tanquam sordes in sentinam cadentes, residuum prauitatis hæreticæ se collegit. Quorum princeps, comes scilicet Tolosæ, qui ab antiquis temporibus sicut multoties iam audistis, hæreticorum & fautor extitit & defensor, & pro viribus quæ sibi remanserunt, impugnat ecclesiam, & quoad potest, pro fidei hostibus, eius cultoribus se opponit. Ex quo enim rediit a sanctitatis vestræ præsentia cum mandatis, in quibus vltra omnem meritorum exigentiam suorum, egeratis misericorditer cum eodem: introiuit, sicut manifestissime videtur, angelus sathanæ in cor eius, & gratiæ vestræ beneficiorum ingratus, de his quæ coram vobis promiserat, nihil impleuit; immo pedagia sæpius abiurata vehementer adauxit, & ad omnes quos sciuit nostros & ecclesiæ aduersarios se conuertit. Sane per Othonem Dei & ecclesiæ inimicum, opinatus contra ipsam ecclesiam vires assumere, sub ipsius confidentia manifeste, sicut asseritur, minabatur quod ecclesiam de finibus suis, & clerum radicitus extirparet: hæreticos & ruptarios, quos multoties abiurauerat, ex tunc feruentius solito fouere studuit & tenere. Cum enim catholicorum exercitus obsideret Vaurum, vbi sedes erat sathanæ, & quasi huius erroris hæretici prouincia: ipse in subsidium peruersorum, misit milites & clientes, & in castro suo quod Casser appellatur, fuerunt inuenti & combusti a cruce-signatis plusquam quinquaginta hæretici, præter credentium eorum multitudinem copiosam. Inuocauit etiam contra Dei exercitum, Sauaricum inimicum ecclesiæ, regis Angliæ senescallum, cum quo Christi pugilem prædictum comitem Montis-fortis, apud Castrum nouum Arrii obsidere præsumpsit. Sed Christi dextera faciente, cito fuit eius præsumptio in confusionem conuersa: ita quod pauci catholici infinitam Arrianorum multitudinem effugarunt. Prædictorum autem Othonis & regis Angliæ confidentia defraudatus, vt qui baculo arundineo nitebatur: cogitauit iniquitatem abominabilem, & ad regem Marrochitarum nuntios destinauit, subsidium eius, non solum in terræ nostræ, sed totius Christianitatis exitium implorando. Sed conatum ipsius Diuina pietas impediuit. Episcopum Agennensem a sede propria expellendo, bonis omnibus spoliauit, & abbatem de Moisaico cepit, & abbatem Montis Albani fere per vnum annum tenuit captiuatum. Ruptarii quoque ipsius & complices, peregrinos clericos & laicos innumerabiles, variis tormẽtis affecerunt, & nõ nul-

"deest factum est, aut aliquid simile

ANNO CHRISTI 1213.

nullos detinent ac diutius tenuere captiuos. In his omnibus, non auersus est furor eius, sed adhuc manus eius extenta: ita vt fiat quotidie semetipso deterior, & omnia mala quæ potest per se ipsum, & filium, & complices suos Fuxensem & Conuenarum comites, & Gastonem de Bearno, viros sceleratissimos & peruersos, contra Dei ecclesiam operetur. Cum autem vltione Diuina, & censura ecclesiastica, memoratus athleta fidei, comes Christianissimus, terras ipsorum, tanquam hostium Dei & ecclesiæ, sancto & iusto occupauit prælio fere totas: ipsi adhuc in sua persistentes malitia, & humiliari sub potenti Dei manu contemnentes, nuper ad regem Arragonum recurrerunt, per quem forte intendunt vestram circumueniri clementiam, & ecclesiam suggillare. Adduxerunt enim eum Tolosam nobiscum, qui de mandato legati & delegatorum nostrorum apud Vaurum conueneramus, colloquium habiturum: qui, quæ aut qualia proposuit, & quæ nos ei duxerimus respondenda, ex rescriptis quæ vobis sigillata mittimus, plenius cognoscetis. Omnes igitur vnanimiter & concorditer hæc præmissa sanctitati vestræ intimamus, liberantes animas nostras, ne per defectum significandi in negotio fidei, de contingentibus aliquid omittatur. Pro certo namque sciatis, quod si terra quæ dictis tyrannis, cum tanta iustitia, & multa christianorum effusione sanguinis, est ablata, ipsis aut heredibus eorum restituatur, non solum fieret nouissimus error peior priore, sed exinde excidium clero & ecclesiæ inæstimabile immineret. Ad hæc quoniam enormitates abominabiles, & alia scelera prædictorum, per singula præsenti paginæ non credimus annotanda: ne librum texere videremur, quædam in ore nuntiorum posuimus, quæ sanctis auribus vestris, poterunt viua voce referri.

Nuntii, qui detulerunt litteras istas ad D. papam, fuerunt hi: venerabilis Conuenarum episcopus, abbas de Claraco, archidiaconus Parisiensis Guillelmus, M. Theodisius, & clericus quidam qui diu fuerat corrector litterarum in curia D. papæ, & dicebatur Petrus Marci. Priusquam autem venirent ad curiam dicti viri prouidi & discreti, rex Arragonum per nuntios suos circumuenire intendebat simplicitatem apostolicam.

Vere hoc a Vallissarnensi dictum esse probant hæ Innocentii litteræ.

Regest. xv. epist. 210.

Archiepiscopo Narbonensi apostolicæ sedis legato, & episcopo Regensi, & magistro T. canonico Ianuensi.

Etsi resecandæ sunt putridæ carnes, ne ad partes sinceras corruptionis contagium extendatur: sic tamen caute debet ac prouide manus medentis apponi, vt abscindantur ea cautela corrupta, quod sincera per improuidentiam non lædantur. Accepimus sane per litteras & nuncios carissimi in Christo filii nostri P. illustris regis Arragonum, quod postquam aduersus Prouinciales hæreticos mandatum apostolicum emanauit, cruce-signatis terram ingredientibus vice-comitis Biterrensis, eidem ipsius regis subsidium imploranti, tanquam Domini specialiter dexteram subtraxit auxilii, & omnis consilii remedium denegauit: & ne super hoc ecclesiæ propositum impediret, elegit tunc quibusdam deesse catholicis, ne adesse commixtis hæreticis videretur. Vnde vice-comes prædictus terram perdidit auxilio destitutus, ad vltimum miserabiliter interfectus. Tu autem, frater archiepiscope, ac nobilis vir S. de Monte-forti, cruce-signatos in terram Tolosani comitis inducentes, non solum loca in quibus habitabant hæretici, occupastis; sed ad illas nihilominus terras, quæ super hæresi nulla notabantur infamia, manus auidas extendistis: & cum ab hominibus terrarum illarum fidelitatis exegeritis iuramenta, & terras sustineatis inhabitare prædictas, hæreticos illos existere verisimile non videtur. Dicebant præterea nuncii supradicti, quod sic indifferenter aliena contra iustitiam minus prouide vsurpastis, quod vix remanserit comiti memorato castrum Montis-Albani, & ciuitas Tolosana. Interea vero, quæ idem rex sic asseruit occupata, expressis vocabulis designauit, terram quam claræ memoriæ rex Angliæ in dotem suæ sororis comiti dederat supradicto. Item terras comitis Fuxensis, comitis Conuenarũ, & Gastonis Bearnensis. Deduxit etiam specialiter in querelam, quod tu, frater archiepiscope, ac nobilis memoratus, licet iam dicti tres comites vassalli regis eiusdem existerent, ab hominibus terrarum quas iidem amiserant, petebatis, vt iuramentum fidelitatis ex ipsis terris alii exhiberent. Adiecit etiam, quod eum de prælio Sarracenorum obtenta victoria redeuntem comes adiit supradictus, & expositis ei damnis per cruce-signatos illatis, imputabat suorum merito peccatorum, quod satisfactionem eius non admittebat ecclesiæ, cum paratus existeret facere quæcumque sibi possibilia mandaremus. Et ne solus tantæ confusionis ferret opprobrium, terram, filium, & vxorem sororem regis ipsius, relinquebat eidem, vt eos si vellet defenderet, vel permitteret exulare. Sed quia ex hoc confusio sibi non minima immineret, & pœna suos tenere deberet actores, nec vltra extendi vindicta, quam inueniatur in excedente delictum: humiliter supplicabat, Tolosanum comitatum filio memorati comitis reseruari, qui nec vnquam venit, nec veniet, Deo dante, in hæreticæ pestis errorem. Promisit præterea, quod tam filium comitis, quam etiam comitatum, in sua tenebit, quamdiu nobis placuerit, potestate, vt circa fidem plenius instrui, & moribus faciat melius informari, & Arragonen. totam terram iam dictam committet, vt hæreticæ contagionis sordibus penitus expurgatam, ad cultum plene reducat fidei orthodoxæ: securitate oblata super iis omnibus obseruandis, quam sedes apostolica decerneret exhibendam. De comite quoque subiunxit, quod paratus est agere pœnitentiam de commissis, qualem decreuerimus iniungendam: siue quod partes adeat transmarinas, siue quod sit in Hispania circa frontariam contra gentis perfidiam Sarracenæ. Cæterum quia negotium arduum est, & multa in eo fuit deliberatione processum, ac per Dei gratiam satis est prosperatum: ne de leui, quod absit, deperire valeret, quod multis laboribus est patratum, in ipso non debet sine graui cautela & maturitate procedi. Quocirca mandamus quatenus in loco securo & apto, archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, comitum, baronum, consulum, & rectorum, & aliorum virorum prudentum, quos ad hoc necessarios, & idoneos esse videritis, concilio conuocato, & propositis coram eis quæ rex proponit & offert, odio, timore, gratia, & amore carnalibus omnino postpositis, quæ super præmissis pronisa & deliberata fuerint in communi, & in quo conuenerint omnes, vel pars, consilii sanioris nobis fideliter rescribatis, vt intellecto vestro consilio statuamus quæ secundum Deum viderimus statuenda: cum videatur proculdubio expedire, vt hoc modo, vel alio, dictæ terræ de rectore idoneo consulatur. Datum Laterani xv. Kal. Februarii, pontificatus nostri xv.

Pergit Vallissarnensis: Et per suggestionem falsitatis & veritatis suppressionem impetrauerat litteras, in quibus dominus papa, præcipiebat comiti Montis-fortis, quatenus comitibus Conuenarum, & Feuxi, & Gastoni de Bearno redderet terras suas.

Has litteras cum Petrus Vallissarnensis non repræsentet,

ANNO CHRISTI 1213.

præsentet, earum exemplum hic describere non erit alienum.

Exemplar litterarum Innocentii III. ad Simonem comitem Montisfortis.

Regest. XV. epist. 211. Ex parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri P. illuſtris Arragonum regis per nuntios eius fuit propoſitum coram nobis, quod tu conuertens in catholicos manus tuas, quibus ſuffeciſſe debuerat in homines hæreticæ prauitatis extendi, per cruce-ſignatorum exercitum ad effuſionem iuſti ſanguinis, & innocentum iniuriam prouocatum, terras vaſſallorum regis ipſius, videlicet comitis Fuxenſis, comitis Conuenarum, & Gaſtonis Bearnen. in eius graue præiudicium occupaſti; licet in eis nec hæretici aliqui habitarent, nec habitatores earum ſuper hæreticæ peſtis errore infamia conſperſiſſent. Aſſerebant præterea nuncii regis præfati, quod cum ab hominibus terrarum illarum fidelitatis exegeris iuramenta, & terras patiaris inhabitare prædictas, eos eſſe catholicos tacite confiteris, vt hæreticorum abneges te fautorem; vel hæreticos te fouere quodammodo reſpondes, ſi legitime occupaſſe terram illorum alleges. Formabant nihilominus ex eo querimoniam ſpecialem, quod dum rex ſeruitio Ieſu Chriſti contra Sarracenos inſiſteret, & effuſioni ſuum & ſuorum ſanguinem exponeret pro reuerentia fidei Chriſtianæ, tu bona vaſſallorum eiuſdem vt propria vſurpabas, eoque fortius ad depreſſionem inſtabas illorum, quo minus poterat eis rex opem ſuæ protectionis impendere, vires ſuas expendens contra Sarracenæ gentis perfidiam in auxilium populi chriſtiani. Et cum adhuc rex idem partes ſuas contra Sarracenos intendat armare, vt aduerſus eos, Deo duce, tanto efficacius poſſit inſurgere, quanto maiori quoad alios quiete gaudebit: in pace ſibi reſtitui per ſedem apoſtolicam, quæ vaſſallorum eius extiterant, poſtulabat. Nolentes igitur ipſum ſuo iure fraudari, nec iam dictum eius propoſitum impediri, nobilitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem regi & vaſſallis eius terras reſtituas ſupradictas, ne ad tuum ſpecialem, non generalem catholicæ fidei laboraſſe profectum, per retentionem illicitam videaris. Datum Laterani. XVI. Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno XV.

Eiuſdem ad eundem.

Regeſt. XV. epiſt. 212. Cum ad mandatum ſedis apoſtolicæ cariſſimus in Chriſto filius noſter P. illuſtris rex Arragonum in feudum tibi conceſſerit Carcaſſonam, quam ab eo vicecomes tenuerat Biterrenſis: poſtulabat, vt ea ſibi faceres, quæ dictus vice-comes ei ſuiſque prædeceſſoribus facere conſueuerat, & debebat. Quia vero intentionis noſtræ non extitit, quod ei de iure ſuo per talem feudatarium aliquid deperiret, nec te ſubtrahere debes illius oneribus, in cuius, quoad feudum ipſum, ſucceſſiſti commodum & honorem; cum poſſeſſionum onera mutari de leui non conſueuerint mutationibus poſſeſſorum, quia res cum onere ſuo tranſit: per apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatenus ea dicto regi facere non recuſes, ad quæ memoratus vice-comes tenebatur eidem. Quoniam quantumcumque te in Domino diligamus: ſic tibi, nec volumus, nec debemus adeſſe, vt ipſi regi deeſſe in ſua iuſtitia videamur. Datum Lateran. XVIII. Kal. Februarii. pont. noſtri anno XV.

Pergit Petrus Valliſſarnenſis: Scripſit etiam archiepiſcopo Narbonenſi alias litteras, in quibus D. papa indulgentiam quam fecerat proficiſcentibus contra hæreticos Albigenſes, videbatur reuocare. *Hanc quoque epiſtolam tibi exhibemus.*

Archiepiſcopo Narbonenſi apoſtolicæ ſedis legato.

Regeſt. XV. epiſt. 213. Cum iam captis vulpeculis demolientibus vineam Domini ſabaoth, in Prouincia quam virus infecerat hæreticæ prauitatis, & inſtantia bellicæ cladis, ſatis per Dei gratiam ſit negotium fidei proſperatum: quia cauſa nunc magis vrgens occurrit, expedit vt ad illam manus Chriſtiani populi conuertatur. Accepimus ſiquidem quod rex Sarracenorum partes ſuas armat ad prælium, nitens eo fortius in fidei Chriſtianæ cultores inſurgere, quo lapſu grauiore ſuccubuit ſub populo Chriſtiano, immo ſub Chriſto cauſam ſuã propitio nobis iudicio iudicante. Terra etiam quæ funiculus eſt hereditatis Dominicæ cum auxilio multum indigeat, expetit & expectat ſuffragia populi Chriſtiani. Quia vero frequenter, & quidem frequentius, vires collectæ proficiunt, in quibus ſparſæ de leui deficerent: vt Chriſtianorum generali ac ſpeciali negotio contra Sarracenæ gentis perfidiam tanto efficacius intendamus, quanto minus erimus aliis occupati; fraternitati tuæ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus habito cum cariſſimo in Chriſto filio noſtro P. illuſtri rege Arragonum, & tam comitibus, quam baronibus aliiſque viris prudentibus, quos ad hoc noueris neceſſarios, de pace ac treugis ſollicito & diligenti tractatu per pacis fœdera, vel treugarum, firma ſecuritate vallata, ſtudeas diligenter toti Prouinciæ prouidere: ſicque per indulgentias ſedis apoſtolicæ, quæ aduerſus hæreticos emanarunt, Chriſtianum populum non conuoces aut fatiges, niſi forte a ſede apoſtolica ſuper hoc mandatum ſuſciperes ſpeciale. Tu, denique, frater archiepiſcope, ſuper te ipſo, &c. Datum Laterani decimo octauo Kal. Februarii. pont. noſtri, anno XV.

Alia eſt vſus arte rex Arragonum, qua pontificis gratiam captaret, ſeque ſanctæ ſedi addictiſſimum perſuaderet. Anno ſuperiore a comitibus Toloſano, Fuxenſi, & Conuenarum, & Gaſtone Bearnenſi, ſyngraphas exegerat, quibus pollicebantur, interpoſita iuriſiurandi religione, ſe per omnia ſanctæ ſedi parituros; & ſe ditioneſque omnes ſuas regis poteſtati tradebant, vt ſi opus eſſet, cogi ab eo poſſent ad obediendum. Hoc prius pontifici rex ſignificauerat, vt intelligimus ex Innocentii epiſtola ad archiepiſcopum Narbonenſem, & epiſc. Regienſem, ac Theodiſium, legatos: & idem iterum inculcauit hoc anno, mittique ad Innocentium iuramentorum inſtrumenta iuſſit per Tarraconenſem epiſcopum. Ea cum archiepiſcopi litteris hic deſcribo, ex Catelli hiſtoria comitum Toloſanorum.

SANCTISSIMO PATRI ET DOMINO Innocentio Dei gratia ſummo pontifici, Raymundus per eandem Tarraconenſis archiepiſcopus, & epiſcopi, & abbates, qui ſecum præſentes fuerunt, ſumma cum deuotione ſubiectionem & debitum famulatum.

SAnctitati veſtræ notum facimus, dominum regem Arragonum, cum Toloſam acceſſit, vt comites Toloſanũ & Fuxenſem, & Conuenarum, & Gaſtonem de Bearno, ad beneplacitum & mandatum veſtrum libere & abſolute recipiendum induceret, & pro viribus fideliter adimplendum: ad abundantem cautelam, ſecuritatem in ſcriptis redactam ab eiſdem recepit in hunc modum.

ANNO CHRISTI 1213.

Iuramentum Raymundi comitis Tolosani, & Raymundi eius filii.

„ Ego Raymundus Dei gratia comes Tolosæ, dux „ Narbonæ, marchio Prouinciæ, & ego R. filius eius „ gratuita voluntate, non coacti, nec vi, nec dolo in- „ ducti, mittimus personaliter nos ipsos, & Tolosam „ ciuitatem, & suburbium, & villam Montis Albani „ cum omnibus eorum pertinentiis, terminis, siue adia- „ centiis, & totam aliam terram nostram, quam ha- „ bemus & habere debemus, cum militibus & homini- „ bus, singulis & vniuersis, nunc vel in futurum ha- „ bitantibus, & ad vltimum cum omnibus viribus, & „ rationibus, quæ ad nos vbique pertinent, vel perti- „ nere debent aliquo iure, siue aliqua ratione, in manu „ & posse vobis domno P. Dei gratia regi Arrago- „ nensi, & comiti Barch. & eis qui de voluntate vestra, „ vel mandato, vices vestras obtinuerint, mittimus, in- „ quam, in posse vestrum, ac potestatem prædictam, „ terram totam, sicut dictum est, & aliam, quam „ Deo præstante recuperabimus. Tradentes vobis „ etiam, & in vos, eosque qui locum vestrum tenue- „ rint, transferentes corporalem possessionem locorum „ omnium, & iura omnia, seu rationes, cum plena „ iurisdictione, ac potestate: tali modo quod tam in „ personis nostris, quam iis omnibus nominatis, vo- „ luntati domni papæ & mandato possitis obtem- „ perare, & satisfacere, & cogere cum effectu nos, si „ forte proni & accliues ad mandatum eius prosequen- „ dum, quod Deus auertat, noluerimus adesse: pro- „ mittens vobis bona fide, quod tam ea, quæ dom- „ nus papa, vel vos pro eo nobis mandaueritis, pro „ posse nostro faciemus, & adimplebimus fine dolo & „ fraude. Hæc omnia, quemadmodum superius scripta „ sunt, attendemus, & obseruabimus bona fide, & sine „ malo ingenio pro posse nostro, & contra non venie- „ mus per nos, vel per aliam quamcumque personam, „ vel venire contra faciemus, nec aliquid contra ma- „ chinabimus. Quæ omnia prædicta, per Deum, & hæc „ sacrosancta euangelia corporaliter a nobis tacta, iu- „ ramus. Mandamus præterea capitulo, & vniuersi- „ tati Tolosæ vrbis, & suburbii, vt vobis domno P. „ regi prædicto faciant fidelitatem, & sacramentum ad „ omnia supradicta exequenda, adimplenda, & fide- „ liter obseruanda. Hoc fuit ita appositum v. die Ia- „ nuarii in exitu, feria I. Ph. rege Francorum regnan- „ te, & eodem Raymundo Tolosano comite, & Fulco- „ ne episcopo, anno ab Incarnatione Domini millesi- „ mo ducentesimo duodecimo.

Iuramentum consulum Tolosanorum.

„ Nos consules Tolosæ vrbis, & suburbii, Bertran- „ dus &c. de voluntate expressa & mandato domini „ R. Dei gratia Tolosæ comitis, ducis Narbonæ, mar- „ chionis Prouinciæ, & R. filii eius, de communi „ consensu vniuersitatis Tolosæ, promittimus vobis „ domino P. Dei gratia regi Arragon. & comiti „ Barchinonensi quod, ad omnia tenenda & habenda, & „ plenarie exequenda, & potenter possidenda, quæ do- „ minus R. comes Tolosæ, & R. eius filius vobis pro- „ miserunt, quemadmodum in superiori instrumento „ ab eis vobis facto plenius continetur, curam dabi- „ mus & operam, & diligentiam, quam poterimus, ad- „ hibebimus, vt tam de personis suis, quam de hono- „ ribus suis, quos nunc habent, vel habere debent, vel „ Deo præstante recuperabunt, possitis satisfacere vo- „ luntati, & mandato domni papæ, & vobis in iis, „ quæ eisdem domnus papa decreuerit iniungenda. „ Promittimus bona fide, ac sine dolo & fraude, au- A xilium, consilium, & opem, quantam poterimus & „ iuuamen, & ad omnia adimplenda omnimodam fi „ delitatem vobis, & eis qui locum vestrum tenuerint. „ Promittimus etiam vobis nos singuli, & vniuersi „ prænominati consules, & tota Tolosæ vniuersitas, „ quod in iis omnibus quæ ex parte domni papæ, & „ S. R. E. nobis mandaueritis vos, vel illi qui vices „ vestras tenuerint, voluntati domni papæ stemus in „ omnibus, & per omnia, & arbitrio seu cognitioni „ vnusquisque per se, & contra non veniemus aliqua „ ratione. Hæc omnia superius scripta attendemus, & „ obseruabimus, ac complebimus bona fide, & contra „ aliquid non machinabimus per nos, vel per aliam „ quamcumque personam. Sic nos Deus adiuuet, & „ B hæc sacrosancta euangelia a nobis singulis iureiu- „ rando corporaliter tacta. Et ad huius negotii fidem „ pleniorem, hanc paginam, sigillorum comitis & fi- „ lii eius, & capituli Tolosæ, autoritate roboramus. „ Hoc fuit ita positum v. die Ianuarii, in exitu, feria I. „ Ph. rege Francorum regnante, & eodem R. To- „ losano comite. & Fulcone episcopo, anno ab Incar- „ natione Domini millesimo ducentesimo duodecimo. „

ANNO CHRISTI 1213.

Professio comitis Fuxensis.

In Dei nomine cunctis pateat, quod nos Raymun- „ dus Rogerii, Dei gratia comes Fuxensis, & Roge- „ C rius Bernardi filius eius, ad honorem Dei, & sanctæ „ matris ecclesiæ, & domni Innocentii, qui sacrosan- „ ctæ Romanæ sedis obtinet præsulatum, ponimus & „ mittimus personas nostras, & vniuersa castra no- „ stra, & munitiones, & fortia, & caumas, scilicet „ castrum de Fuxo, de Monte-Galardi, de Monte „ Oliuio, de Castro pendenti, de Tarascon. de Aif- „ nasco, de Rauato, de Miramonte, de Mereglos, de „ Cenacto, de Vgenacco, de Vico, de Monte Rega- „ li, de Castro Virdun. de Ludat, de Vnacco, & de „ Hauf, & vniuersas caumas, de Solobria, de Subitan, „ de Onolacco, de Verdun, de Agnauis, & de He- „ liato, & montana, & valles, & omnem aliam ter- „ ram nostram, quæ ad nos & nostros quocumque iu- „ re, vel causa pertinet, aut pertinere debet, aut po- „ D test, in manu, & potestate vestri domini nostri re- „ gis Arragonum, & comitis Barch. vt ea omnia „ plenarie & potenter teneatis, & possideatis. Eo ta- „ men pacti tenore apposito, & forma, vt per deten- „ tionem prædictorum bonorum, & nostrarum perso- „ narum, possitis compellere & vrgere nos ad omnia „ illa exequenda, & obseruanda, quæ dominus pa- „ pa, & sacrosancta Romana ecclesia, de personis no- „ stris & rebus decreuerit statuenda. Sub periculo „ ergo commissionis, & pœna omnium prædictorum „ castrorum, & totius terræ nostræ, vobis stipulantibus „ per solemnem stipulationem bona fide promittimus, „ quod omnia quæ domnus papa, nobis de personis, aut „ de terra nostra iniunxerit, fideliter curabimus adim- „ plere, & in perpetuum modis omnibus obseruare. Et „ E quod ita totū adimpleamus, & contra non veniamus, „ vel aliqua arte, vel ingenio, vel ab aliqua persona ve- „ niri sustineamus, de omnibus concedentes vobis po- „ testatem plenariam, per Deum, & hæc sancta euan- „ gelia corporaliter tacta, sponte iuramus. Cognos- „ centes per idem sacramentum vobis pridem nos ean- „ dem potentiam concessisse. Et ad maiorem huius fa- „ cti euidentiam, hanc paginam nostri sigilli præsen- „ tia communimus. Actum est hoc, & ita concessum „ apud Tolosam VI. Kal. Februarii, anno Dominicæ „ Incarnationis MCCXII. Bernardus de Vgena- „ uo prædicti domini comitis Fuxen. notarius exi- „ stens hanc circumscripsit, & sigillo eiusdem corro- „ borauit.

Professio

ANNO CHRISTI 1213.

Professio comitis Conuenarum.

„ In Dei nomine. Cunctis sit manifestum, quod nos Bernardus comes Conuenarum, & Bernardus filius eius, ad honorem Dei & sanctæ matris ecclesiæ, & domni Innocentii, qui sacrosanctæ Romanæ sedis obtinet præsulatum, ponimus & mittimus personas nostras in manu & potestate domini nostri P. Dei gratia regis Arragon. & comitis Barch. cognoscentes & veraciter confitentes, nos quidem tradidisse terram nostram vobis & militi vestro, nomine P. de Ascalano speciali nuncio a vobis ad hoc misso, vt eam plenarie teneatis & potenter possideatis: eo tenore apposito, & forma, vt per detentionem personarum nostrarum, & terræ nostræ, possitis compellere & vrgere nos ad illa omnia exequenda & obseruanda, quæ domnus papa & sacrosancta Romana ecclesia de personis nostris & rebus decreuerit statuenda. Sub periculo ergo commissionis, & pœna totius terræ nostræ, vobis stipulantibus per solemnem stipulationem, bona fide promittimus, quod omnia quæ domnus papa nobis de personis aut terra nostra iniunxerit, fideliter curabimus adimplere, & in perpetuum modis omnibus obseruare: & quod ita totum adimpleamus, & contra non veniamus, vel aliqua arte aut ingenio ab aliqua persona veniri sustineamus, de omnibus concedentes vobis potestatem plenariam, per Deum, & sancta euangelia corporaliter tacta, sponte iuramus: & ad maiorem huius facti euidentiam, hanc paginam nostri sigilli præsentia confirmamus. Hæc acta sunt apud Tolosam VI. Kal. Februarii, anno Dominicæ Incarnationis MCCXII.

Professio Gastonis de Bearno.

„ In Christi nomine. Sit notum cunctis, quod ego Gasto Dei gratia vicecomes Bearnensis, & comes Bigorræ, ad honorem Dei, & sanctæ matris ecclesiæ, & domni Innocentii, qui sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ sedis obtinet præsulatum, pono & mitto personam meam, & castra de Lurda, de Olerone, de Montanerio, de Miramon, de Cadelo, & omnem aliam terram, quam habeo, & habere debeo, vel ad me, vel meos pertinet, aut pertinere debet & potest aliqua ratione, aliquo iure, vel causa, & illam totam quam habere & recuperare potero Deo dante, in manu & potestate vestri domini mei P. Dei gratia regis Arragoniæ, & comitis Barch. vt ea omnia plenarie & potenter teneatis, & possideatis: eo pacti tenore apposito, & forma, vt per detentionem prædictorum bonorum & meæ personæ possitis compellere & vrgere me ad omnia illa exequenda, & obseruanda, quæ domnus papa, & sacrosancta R. E. de persona mea & rebus decreuerit statuẽda. Sub periculo ergo commissionis, & pœna omnium prædictorum castrorum, & totius terræ, vobis stipulantibus per solemnem stipulationem bona fide promitto, quod omnia quæ papa mihi de persona aut terra mea iniunxerit, curabo fideliter adimplere, & in perpetuum modis omnibus obseruare: & quod ita totum adimpleam, & contra non veniam, vel aliqua arte, vel ingenio, ab aliqua persona veniri sustineam, de omnibus concedens vobis potestatem plenariam, per Deum, & hæc sancta euangelia corporaliter tacta, sponte iuro: & ad maiorem huius facti firmitatem hanc paginam mei sigilli autoritate confirmo. Actum est hoc apud Tolosam VI. Kal. Febr. anno Dominicæ Incarnationis MCCXII.

Et quoniam visum est domino regi, eiusque curiæ, ipsa originalia penes se potius retinere, quam incertis fortunæ casibus committere: ad pedes sanctitatis vestræ eorum mittit scripta sigillis nostris communita, verbo ad verbum fideliter sumpta, nullo vel addito, diminuto, vel in aliquo immutato. Hoc autem transcriptum factum fuit apud Perpinianum fideliter II. Kal. April. ab Incarnatione Domini MCCXIII.

His aliisque artibus, præoccupatum, minusque sibi æquum pontificis animum repererunt oratores a Vaurensi concilio missi. Sed præstat Petrum Vallis-sarnensem audire. Venientes igitur, *inquit*, nuntii nostri ad curiam Romanam, D. papam inuenerunt aliquantulum durum, eo quod nimis credulus fuisset falsis suggestionibus nuntiorum regis Arragonensium: sed postea veritate comperta per nuntios nostros, quicquid fecerat ad regis nuntiorum suggestionem, reuocauit in irritum, & ipsi regi misit litteras in hæc verba.

Innocentius episcopus, seruus seruorum Dei, Petro illustri regi Arragonensium.

„ IS in cuius manu sunt omnium corda regum, inspiret tibi humiliter exoratus, vt prudenter attendens, quod iuxta mandatum apostolicum, nos oportet arguere, obsecrare, increpare, nostras increpationes, quas paterna affectione in te depromimus, deuotione recipias filiali, & sic obtemperes salubribus monitis & consiliis, & correctionem apostolicam recipiẽdo, demonstres te in his, etiã affectum habuisse sincerum, in quibus absque dubio nosceris per effectum deliquisse. Sane ad totius fere mundi notitiam iam peruenit, nec serenitatem tuam credimus ignorare, aut etiam diffiteri, quod inter cæteros principes Christianos, te specialiter studuimus honorare, per quod & potentia tibi accreuit & fama. Et vtinam cum his & prudentia & deuotio pariter accreuissent: quod licet nobis gratum existeret, tibi tamen amplius expediret. Verum in hoc, nec tibi prouidisse dignosceris, nec nobis vt decuit detulisse: quia cum Tolosani ciues, tanquam putrida membra, sint præcisi excommunicationis mucrone, & ipsa ciuitas supposita sit interdicto, pro eo quod quidam eorum manifesti sunt hæretici, plures vero credentes, fautores & receptatores eorum & defensores: adeo vt alii quoq; quos Christi exercitus, immo verius ipse Christus, quẽ contra seipsos suis adinuentionibus prouocarant, a suis fecit tabernaculis emigrare, ad Tolosanam quasi quandam sentinam erroris confugerint ciuitatem: tu diuini timoris oblitus, quasi præualere valeas contra Dominum, vel auertere manum eius contra eos exigentibus suis culpis extentam, ipsos in defensionem sub specie pietatis impietatem exercens, in scandalum populi Christiani & propriæ famæ dispendiũ, recepisti. Nuper igitur auditis quæ venerabilis frater noster Segobiensis episcopus, ac dilectus filius Colũbus, nuntii tui, ac nuntii legatorum nostrorũ & comitis Montisfortis, in præsentia nostra proponere voluerunt, & litteris hinc inde directis plenius intellectis: habito cum fratribus tractatu ac consilio diligenti, volentes honori tuo quantum ad famam, saluti quantum ad animam, indemnitati quantum ad terram, paterna sollicitudine præcauere: serenitati tuæ in virtute Spiritus sancti sub obtentu diuinæ ac apostolicæ gratiæ prouidimus iniungendum, vt prænominatos deseras Tolosanos, non obstante promissione vel obligatione quacumque præstita, in elusionem ecclesiasticæ disciplinæ, ipsis, quandiu tales extiterint, non impensurus consilium, auxilium, vel fauorem. Si vero iidem ad ecclesiæ redire desiderant vnitatem, prout fuit a dictis nuntiis tuis propositũ coram nobis: nos venerabili fratri nostro Fulconi Tolosano

ANNO CHRISTI 1213.

" Tolosano episcopo, viro integræ opinionis & vitæ, qui testimonium habet non solum ab his qui intus, sed ab his etiam qui sunt foris, nostris damus litteris in mandatis, vt adiunctis sibi duobus, eos qui voluerint de corde puro & conscientia bona, & fide non ficta redire, sufficienti ab eis cautione recepta, reconciliet ecclesiasticæ vnitati: illos vero quos in erroris sui tenebris persistentes, idem episcopus de labe notauerit hæreticæ prauitatis, exterminari faciat a ciuitate iam dicta, & bona eorum omnia confiscari, ita quod nullo vnquam tempore recipiantur in ipsa: nisi forte diuinitus inspirati, se veros fidei orthodoxæ Christianos, exhibitione bonorum operum demonstrarent. Et sic ipsa ciuitas reconciliata pariter & purgata, sub apostolicæ sedis protectione consistat, non molestanda de cætero a comite prædicto, vel aliis catholicis, B sed defendenda potius & fouenda. Miramur insuper & mouemur, quod pro terra nobilium vestrorum comitis Fuxensis, & Conuenarum, & Gastonis de Bearno restituenda sibi, apostolicum, per nuntios tuos suppressa veritate mendacium exprimentes, subripi fecisti mandatum: cum propter multa & magna eorum flagitia ob hæreticorum fauorem, quos manifeste defendunt, excommunicationis sint vinculo innodati: vnde cum mandatum pro talibus sic obtentum non teneat, illud tanquam subreptum penitus reuocamus. Si vero iidem ecclesiasticæ vnitati reconciliari desiderant, prout dicunt, venerabili fratri nostro Narbonensi archiepiscopo apostolicæ sedis legato, nostris damus litteris in mandatis, vt recipiens ab ipsis non solum iuratoriā cautionem, cū sua sint iam iuramenta C transgressi, sed & aliam quam viderint expedire, beneficiū absolutionis impendat. Et iis rite præmissis quasi veræ deuotionis indiciis, legatum de latere nostro, virum honestum, prouidum, & constantem ad partes illas curabimus destinare, qui non declinans ad dextrā vel ad sinistrā, sed incedēs regia via, semper quæ recte facta inuenerit, approbet & cōfirmet, errata corrigat & emendet, & tam nobilibus antedictis, quam aliis cōquerentibus exhiberi faciat iustitiæ cōplementum. Interim ergo inter te & terram tuam, & dictum comitē Montisfortis, volumus & mandamus firmas treugas fieri & seruari. Mandantes nihilominus comiti antedicto, vt pro terra quam a te tenet, reuerenter exhibeat quod exhibere tenetur. Illud autem excellentiam tuam volumus non latere, quod si Tolosani & D nobiles supradicti adhuc quoque in errore suo duxerint persistendum, nos per indulgentias innouatas, crucesignatos & fideles alios excitamus, vt ad extirpandam pestem hanc, diuino freti auxilio, insurgentes tam contra ipsos, quam contra quoslibet alios receptatores & defensores ipsorum, qui plus ipsis hæreticis sunt nociui, procedant in nomine Domini Sabbaoth. Monemus igitur serenitatem tuam, rogamus & obsecramus in Domino, quatinus, quæ præmisimus, prompto animo, quantum ad te pertinet, exequaris: pro certo sciturus, quod si aliter (quod non credimus) duceres faciendum, præter indignationem Dominicam, quam ex hoc contra te proculdubio euo- E cares, graue & irreparabile posses incurrere detrimentum. Nec nos quantumcumque diligamus personam, tibi contra fidei Christianæ negotium possemus parcere vel deferre. Quantam enim tibi immineret periculum, si Deo & ecclesiæ, præsertim in causa fidei, te opponeres, vt consummationem sancti operis impedires: non solum vetera, sed etiam moderna possunt te exempla mouere. Datum Laterani XII. Kal. Iunii. pontif. nostri anno XVI.

Hic consummatum prælatorum concilium apud Vaurum *admonet Petrus noster, qui tamen ea prætermisit, quæ ad Raymundi comitis purgationem attinēt: quam vt episcopus Regiensis ac Theodisius legati apostolici reciperent, si rite purgare se posset, iterum pontifex mandauerat. Prius enim id præceperat anno MCCX. quo successu, iam expositum est in concilio quod eo anno in villa S. Ægidii est celebratum. Deinde autem id denuo iisdem legatis hoc anno commisit: qui, vt res erat momenti summi, consuluerunt patres Vauri congregatos quid agendum sibi esset. Concilii sententia fuit, quæ & scripto consignata præsentibus legatis tradita est: non esse comitem ad purgationem admittendum. Consilium hoc, cæteraque modo a me narrata, subiecta epistola continentur.*

ANNO CHRISTI 1213.

SANCTISSIMO PATRI ET BENIgnissimo domino Innocentio Dei gratia summo pontifici, Hugo sola Dei permissione Regiensis episcopus, & Theodisius canonicus Ianuensis, humiles serui eius, cum longitudine dierum & vita perenni ad oscula pedum seipsos. Regest. XVI. epist. 39.

SAnctitati vestræ insinuatione præsentiū innotescat, quod de facto comitis Tolosani, quod olim insufficientiæ nostræ prouidentia vestra cōmisit, processimus in hunc modū. Sane prius apud S. Ægidium infra tres menses secundum tenorem apostolici rescripti concilium habuimus archiepiscoporum, & episcoporum, & aliorum prælatorū ecclesiæ, baronum etiam & aliorum, quorum præsentiam nouimus opportunam. Ante omnia per litteras nostras comiti memorato mandantes, vt hæreticos & rotarios de terra sua expelleret, alia etiam mandata impleret humiliter, ad quæ tenebatur adstrictus pluribus iuramentis: ne si forte mandata illa implere negligeret, purgationi suæ impedimentum præstaret. Cumque vocatus venisset ad concilium, & per operis euidentiam manifeste nobis & toti concilio constitisset, quod mandata quæ de hæreticis & rotariis expellendis, & aliis causis multis & negotiis, diuersis temporibus, a diuersis legatis, & præcipue a bonæ memoriæ magistro Milone, sibi facta fuerant, non impleuerat, nec implebat: consilium fuit omnium, & communis deliberatio, ipsum non debere tunc temporis ad purgationem admitti. Non enim verisimile videbatur, quod in tantis criminibus, videlicet super hæresi & nece legati bene iuraret, qui totiens in minoribus causis & articulis sua fuerat iuramenta transgressus. Iniunctum itaque sibi fuit a prælatis, qui conuenerant ad colloquium, & a nobis, vt hæreticos & rotarios de suo districtu expelleret, & alia nihilominus impleret humiliter & deuote, de quibus constabat, ipsum iuramentis plurimis obligatum fuisse: quatenus cum in iis & aliis se dignum fecisset, requisiti ab ipso circa personam eius, apostolicum exequeremur mandatum. At ille recedens a nobis, non solum non impleuit, quæ mandauimus: verum datus in reprobum sensum ex toto, & oblitus multam gratiam & misericordiam, quam vltra suorum exigentiam meritorum apud apostolicam sedem inuenit, cœpit iniquitati iniquitatem apponere, ac præteritis abominationibus & criminibus committere grauiora; propter quæ a legatis de communi consilio prælatorum multotiens fuit anathematis mucrone percussus, & exposita terra eius. Nec credat apostolica circumspectio, nos in exequendo mandato vestro extitisse aliquatenus desides, vel remissos. Sæpissime enim dictum comitem ex parte vestra citauimus, & ad præsentiam nostram venire contempsit. Nec venerabilibus patribus Carpentoractensi & Vaisonensi episcopis, & clericis eorum, quibus vsque ad summam fere mille marcharum per me Regensem, & bonæ memoriæ magistrum Milonem, sub pœna excommunicationis quondam fuerat condemnatus, & aliis ecclesiasticis & miserabilibus personis, quas exheredauerat, voluit

ANNO CHRISTI 1213.

voluit satisfacere corã nobis. Quæ omnia per venerabilem patrem Nemausen. episcopum, tunc S. Ruffi abbatem, & litteras nostras, & per me Theodisium, qui postmodum ad pedes vestros accessi, benignitati vestræ curauimus diligentissime intimare. Postquam autem a beatitudine vestra hoc anno recepimus super eodem negotio iterum mandatum: licet a comite ipso nunquam fuerimus requisiti, apud Auinion. ciuitatem in Prouincia continuo vocauimus ecclesiarum prælatos, quorum consilio & deliberatione mandatum vestrum tutius exequi valeremus. Verum ego Theodisius grauissima infirmitate præuentus, & multi ex prælatis, quia generalis corruptio aëris ibi erat, nequiuimus colloquio interesse: sicque factum est, vt necessario negotium differretur. Deinde quando tempus habuimus opportunum, venerabiles patres, Narbonẽsis apostolicæ sedis legatus, & Burdegal. archiepiscopi, multi præterea episcopi, & alii ecclesiarum prælati, iuxta Tolosam apud Vaurum ad citationem nostram ad concilium conuenerunt: a quibus prout tenebamur in tanto negotio consilium requisiuimus diligenter. Ipsi vero post multam deliberationem, & diligentem tractatum, consilium suum nobis in scriptis dederunt, quatuor, nomine omnium, sigillatum sigillis, sicut de verbo ad verbum inferius plenius continetur.

In nomine domini nostri Iesu Christi, Amen. Hoc est consilium, quod dominus Narbonẽsis archiepiscopus apostolicæ sedis legatus, & alii ecclesiarum prælati, qui fuerunt in concilio apud Vaurum, dederunt Regen. episcopo, & magistro Theodisio canonico Ianuensi, iudicibus delegatis a domno papa super negotio comitis Tolosani. Consuluerunt enim iis, quod comes Tolosanus, propter multiplices causas & rationes, non debebat ab eis ad purgationem admitti, tam super crimine hæreticæ prauitatis, quam super nece legati. Constat enim, & notorium est, quod de expellendis hæreticis & rotariis de terra sua, & alius multis articulis, multotiens præstitit iuramenta in manibus legatorum, quorum nullum seruauit. Immo postquam ab apostolica sede rediit, apud quam multam misericordiam & gratiam inuenit vltra suorum exigentiam meritorum, iniquitatem iniquitati apponens, adauxit pedagia, impugnauit ecclesiam, & pacem cum rotariis & hæreticis incessanter impugnat, receptauit hæreticos, fouit & fouet, & quanta potuit, & potest, virtute defendit. Mille insuper & vltra de crucesignatis clericis & laicis, rotarij eius & cõplices occiderunt. Præterea abbatem de Monte-Albano fere per annum captum detinuit, abbatem de Moysiaco cepit, episcopum Agennensem de propria sede cum rotariis eiecit, & ciuitate sua, & aliis bonis omnibus spoliauit, & damnificauit eum in valentia quindecim millia solidorum. Adeo præterea infamatus fuit & est de hæresi a longis retro temporibus apud bonos & graues, quod inuincibiliter præsumitur contra ipsum. Propter istas & alias plurimas enormitates & manifestos excessus ipsius, quæ longum est enarrare, dixerunt prælati, & concorditer responderunt, quod adeo se fecit indignum, vt ei fieri copia Euangeliorum non deberet a legatis, vel iudicibus delegatis: & etiam quia tali excommunicationis genere, propter ea quæ dicta sunt, tenetur adstrictus, quod ab eis sine speciali mandato domini papæ non potest absolui. Placuit enim toti concilio, vt præsens scriptum sigillis dicti domini Narbonensis archiepiscopi, & Albiensis, Tolosani, & Conuenarum episcoporum, suo & aliorum nomine, signaretur.

Et quia non poteramus ad purgationem iniungendam comiti procedere, iuxta concilium prælatorum, per litteras nostras bis protestati fuimus comiti sæpe dicto, quod per ipsum stabat, & impedimentum præstiterat, ne factum ipsius posset vlterius habere progressum, absque summi pontificis licentia speciali. Profecto præter alias iniquitates & abominationes ipsius, abbatem de Monte-Albano fere per annum tenuerat vinculis mancipatum: necnon de sede propria bonis omnibus spoliatum eiecerat episcopum Agennen. Ipse tamen nobis postea per quemdam notarium suas litteras destinauit, in quibus misericordiam potius, quam iudicium implorabat: postulans a nobis, vt vel mitteremus Tolosam ad ipsum, aut ei assignaremus locum alium competentem. Quibus diligenter in scriptis rescripsimus, quod in causa eius propter rationes præfatas procedere nullatenus poteramus, & idcirco noluimus eum grauare, vel etiam nos ipsos, inutiliter laboribus & expensis. Volentes igitur fines mandati diligentissime custodire, meram & plenam veritatem, scilicet totius facti seriem & processum, beatitudini vestræ breuiter intimamus: cui soli Dominus imponendi finem tantis cladibus, plenissimam scientiam, & potestatem concessit. Ecclesiæ suæ Omnipotens præsidentiam vestram in longitudinem dierum conseruet.

Eandem in sententiam ipsi Vaurensis concilii patres, eas ad Innocentium litteras dederunt, quas supra descripsimus. Dederunt & suas eiusdem argumenti episcopi Prouinciæ: item & episcopi Aquitaniæ tres, Burdegalensis, Vasatensis, Petragoricensis. Suas item singulares, tum Biterrensis episcopus, tum Aquensis. Quæ sunt Regest. XVI. epistolæ 40. 42. 44. 45.

Audita Vaurensis concilii sententia, scripserunt ad comitem Tolosanum legati, indignum ipsum esse qui absolueretur. Litterarum exemplum subiicio.

NOBILI VIRO R. COMITI TOLOSANO, Hugo Dei gratia Regensis episcopus, & magister Theodisius canonicus Iannensis, spiritum consilii sanioris. Regest. XVI. epist. 46.

NVper litteras vestras per quemdam militem, Quambonum nomine, recepimus, in quibus licet contineretur expresse, quod parati eratis mandatis nostris humiliter obedire; vos tamen neque mandatis domini papæ secundũ tenorem rescripti, quod olim obtinuistis ab ipso, neque mandatis quæ vobis fecimus in concilio apud S. Ægidium, neque insuper mandatis & monitis legatorum & ecclesiæ, quæ vobis apud Narbonam & Montempessulanum postmodum facta fuerunt, obedistis in aliquo, vel etiam obeditis: sicut per euidentiam operis manifeste apparet. Sane postquam recessistis a nobis, abiurata pedagia in vestræ famæ ac animæ preiudicium multipliciter adauxistis: & vt in paucis multa breuiter concludamus, fere nihil ex iis quæ diuersis temporibus in manibus legatorum iurastis, & præcipue tempore bonæ memoriæ magistri Milonis, prout satis manifestum est, curauistis implere: immo quod dolentes & inuiti dicimus, rotarios & hereticos contra fidem & ecclesiam, & pacem etiam, tenuistis postmodum & tenetis: A quibus, & aliis complicibus vestris, mille signati & vltra, clerici & laici, in grauissimam creatoris iniuriam & contemptum occisi fuerunt. Iniquitatem etiam iniquitati addentes, abbatem de Monte-Albano longo tempore tenuistis in vinculis: venerabilem patrem Agennen. episcopum ciuitate sua, & bonis aliis spoliatum, cum rotariis vestris a sede propria eiecistis. Ad nos etiam aliquando, autoritate domni papæ citati, contempsistis venire: nec super negotio vestro, quod nobis a summo pontifice postulastis committi, fuimus aliquando requisiti a vobis. Quamuis enim scieritis nos per octo dies fecisse moram propter factum vestrum iis temporibus in concilio apud Vaurum: ad nos neque litteras vestras direxistis, neque nuncium specia-

ANNO CHRISTI 1213.

ſpecialem. Propter igitur ſupradicta & alia multa, adeo vos feciſtis indignos, quod in negotio veſtro ad purgationem ſecundum mandatum domni papæ procedere non valemus: prout fuit coram nobis a toto concilio definitum. Ideoque vobis per præſentes litteras proteſtamur, quod hæc omnia per proprium nuntium litteris noſtris domino papæ curabimus diligentiſſime intimare, vt ipſe circa perſonam veſtram, & factum, ſecundum quod ſuæ beneplacitum fuerit ſanctitati, procedat.

ANNO CHRISTI 1213.

** CONCILIVM AD MVRELLVM, AB ARNALDO ARCHIEP. NARBON. apoſt. ſed. legato conuocatum ann. MCCXIII. vt placando Aragonum regi prouideretur.

ANNO Domini noſtri Ieſu Chriſti MCCXIII. (*inquis Petrus Valliſſarnenſis hiſt. Albig. c. 71.*) IV. Id. Septembr. feria 3. poſt natiuitatem B. Mariæ, rex Aragonum Petrus, congregatis comitibus Toloſano, Conuenarum, & Fuxi, & copioſo exercitu Aragonenſium & Toloſanorum, Murellum obſedit. Erat autem caſtrum Murelli ſitum ſuper Garonam fluuium prope Toloſam, ad tres leugas verſus Vaſconiam. *De Murello ab iis obſeſſo, de iiſdem victis, deque epiſcopis a legato apoſtolico hac occaſione congregatis, amplam iidem epiſcopi ſcripſerunt epiſtolam ad vniuerſos Chriſti fideles: quam, quia ſynodica eſt, minime a nobis prætermittendam duximus. Eam & monachus Valliſſarnenſis, cap. 73. & Matthæus Pariſius in hiſtor. referunt.*

Litteræ Synodicæ epiſcoporum concilii.

Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus, qui ſanctam eccleſiam bona diligunt voluntate. Deus fortis & potens, Deus potens in prælio, quinta feria infra octauas natiuitatis B. Mariæ Virginis, ſanctæ conceſſit eccleſiæ, deuictis miraculoſe inimicis fidei Chriſtianæ, victoriam glorioſam, & triumphum glorioſum in hunc modum. Poſt correctionem affectuoſiſſimã, zelo paternæ pietatis a ſummo pontifice diligentiſſime regi factam Arragonenſi, inhibitionemque diſtrictiſſimã, ne inimicis fidei præſtaret auxilium, cõſilium, vel fauorem, ſed ab eiſdem recederet indilate, & treugas haberet firmiſſimas cum comite Montisfortis; quibuſdam etiam litteris, quas eiuſdem regis nuntii per falſiſſimam ſuggeſtionẽ contra comitem Montisfortis impetrarãt de terris reddendis comitibus Fuxenſi, Conuenarum, & Gaſtoni de Bearno, poſt veritatis cognitionem caſſatis a domno papa, & tanquam nullius valoris penitus reuocatis: idem rex correctionem patris ſanctiſſimi non deuotione recipiens filiali, ſed tranſiiſſet *cõtra mandatum apoſtolicum ſuperbe recalcitrans, quaſi cor habens durius induratum, licet venerabiles patres, Narbonenſis archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus, & Toloſanus epiſcopus, ſibi litteras & mandatum ſummi pontificis tranſmiſiſſent, mala quæ pridem conceperat voluit poſtmodum parturire: quia in terram quæ per virtutem Dei, auxilio ſignatorum, contra hæreticos & eorum defenſores fuerat acquiſita, intrauit cum exercitu, eamque contra mandatum apoſtolicum ſubiugare, ac prædictis inimicis reddere attentauit, parte eius iam ſibi aliquantulum ſubiugata, cum pars multa reſidui, ob ipſius ſecuritatem apoſtatare intenderet, & ſe ad apoſtatandũ iam pararet. Congregatis inſimul comitibus Toloſæ, Fuxi, & Conuenarum, & Toloſanorum exercitu magno valde, feria tertia poſt natiuitatem B. Mariæ, Murelli caſtrum obſedit. Quo audito patrum venerabilium, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & abbatum, quos venerabilis pater Narbonenſis archiepiſcopus apoſtolicæ ſedis legatus propter ſanctum negotium fecerat congregari, qui vt de dicto negotio & de pace tractarent, diligenter aduenerant, in Chriſto vnanimes & deuoti. Simon comes Montisfortis habens ſecum quoſdam nobiles & potentes cruceſignatos, qui nuperrime de Francia venerant ipſi & Chriſti negotio in ſuccurſum, ſuamque familiam, quæ in Chriſti negotio diu ſecum laborauerat, iter arripuit ad caſtrũ obſeſſum viriliter ſuccurrendum. Et dum die Martis infra octauas ſupradictas veniſſet ille Chriſti exercitus ad quoddam caſtrum quod dicitur Sauerdunum, venerabilis epiſcopus Toloſæ, cui cõmiſſa erat a ſummo pontifice Toloſanorum reconciliatio, licet de reconciliatione ter vel quater monuiſſet, cuius admonitionibus licet ſalubribus acquieſcere poſtponebãt, reſpondentes ſuper hoc nullatenus reſpõdere: ad dictos regem & Toloſanos in obſidione Murelli aſſiſtentes ſuas miſit litteras, ſignificans eis quod epiſcopi memorati veniebant, vt de pace & concordia diligenter tractarent, & petebat ſibi dari ducatum ſecurum. In craſtino autem, prima die Mercurii ſubſequente, quia res ſic vrgebat, ſupradictus exercitus exiit Sauerduno, feſtinans ad ſuccurſum Murelli celeriter aduenire. Dicti vero epiſcopi memorati propoſuerant apud quoddã caſtrum quod dicitur Alta-ripa, quod medium inter Sauerdunum & Murellum, diſtatque ab vtroque duabus leucis, vt ibi miſſum nuncium expectarent. Qui nuncius rediens ex parte regis reſpondit, quod ex quo epiſcopi cum exercitu veniebant, non daret eis ducatum: ipſi quidem alio modo non poterant ire ſine manifeſto periculo propter guerram. Cum epiſcopi & Chriſti exercitus Murellum accederent, ex parte ciuium Toloſanorũ, prior hoſpitalis Toloſæ ad epiſcopum Toloſanum miſſus venit, ferens eorum litteras in quibus continebatur, quod modis omnibus parati erant domni papæ, & ipſius epiſcopi facere voluntatẽ. Quod quidem eis bonum fuiſſet, ſi compenſaſſent verius facta dictis. Eidem vero priori ſtatim remiſſo ab epiſcopo reſpondit rex, quod ducatum epiſcopo non præberet; ſed ſi vellet ire Toloſam, vt cum Toloſanis loqueretur, eum concederet illuc ire, & hoc deriſorie fuit dictũ. Ad quod epiſcopus: Non decet, inquit, ſeruum ciuitatem intrare, de qua Dominus ſuus exul eſt eiectus: nec ego, cum corpus Chriſti de ciuitate illa eiectum fuerit, illuc reuertar, donec Deus meus & dominus meus reuertatur. Verumtamẽ dicti epiſcopi cũ exercitu Murellum intrauerunt die Mercurii ſuperius memorata: qui ſollicitudine non pigra, duos viros religioſos ad regem & ciues Toloſanos deſtinarunt, qui a rege tale habuere reſpõſum, quod propter quatuor ribaldos quos epiſcopi ſecum adduxerant, petebant colloquium habere cum ipſo. Et hæc dixit in deriſum & cõtemptum ſignatorum. Toloſani vero prædictis nuntiis reſpõderunt, quod in craſtino ſuper hoc reſponderent, & hac de cauſa eos vſque in craſtinum tenuerunt. In craſtino autem prima die Iouis reſponderunt, quod ipſi regi Arragonenſi erant confœderati, & nihil facerent niſi regis in omnibus voluntatem. Quod cum redeuntes mane ipſa die Iouis nuncii retuliſſent, epiſcopi & abbates diſcalciatis pedibus ire propoſuerunt ad regem. Et cum quẽdam religioſum mitterent ad nunciandum regi aduentum ipſorum in hũc modum patefactis ianuis, cum comes Montisfortis ac cruce-ſignati eſſent inermes, pro eo quod de pace epiſcopi & abbates inſimul loquebantur, hoſtes Dei ſuperbe ac fraudulenter armati vicum ſubintrare cum impetu attentarunt: ſed per Dei gratiam a ſuo fuerunt deſiderio defraudati. Quorum ſuperbiam comes & cruceſignati videntes, cum ſine periculo & damno maximo vlterius differre non poſſent, per cordis contritionem & oris confeſſionem, vtpote viri cultores fidei Chriſtianæ, mundati ſalubriter a peccatis, armis ſuis ſe viriliter accinxerunt, vementeſque ad ſæpe-

ANNO CHRISTI 1213.

sæpe dictum Tolosæ episcopum, qui autoritate domini Narbonensis episcopi apostolicæ sedis legati, legationis officio fungebatur, exeundi licentiam contra hostes fidei humiliter petierunt, qua, quia negotium erat in arcto constitutum, necessitatis articulo compellente, concessa, pro eo quod ipsam domum in qua episcopi morabantur, ipsi hostes erectis iam machinis aliisque bellicis instrumentis festinabant protinus impugnare, balistarum quarellis, iaculis atque lanceis emissis hostiliter circumquaque: Christi milites, reuerendi ligni Dominici signaculo cum insigniis pontificalibus consignati, in nomine sanctæ Trinitatis tribus aciebus dispositis exierunt. Hostes vero e contrario multas habentes acies, & multum magnas, suis iam muniti armis tentoria sunt egressi. Quos licet multos milites & populum multum nimis, clientes Christi de ipsius auxilio confidentes, & licet eorum respectu paucissimi magnam eorum multitudinem non verentes, armati ex alto, viriliter sunt aggressi. Statim virtus Altissimi per manus seruorum suorum hostes suos confregit & comminuit in momento. Terga enim vertentes in fugam, facti sunt tanquam puluis ante faciem venti, & angelus Domini persequẽs eos erat: hi turpiter fugientes turpi fuga mortis periculum euaserunt, alii vitantes gladios aquæ periculo perierunt, quamplures vero fuerunt in ore gladii deuorati. De illustri rege Arragonensi, qui cum interfectis occubuit, plurimum est dolendum: quia princeps tam potens & nobilis, qui si vellet, posset & deberet ecclesiæ sanctæ vtilis multum esse, nunc Christi adiunctus hostibus, Christi amicos & sanctam ecclesiam improbe perturbabat. Cæterum cum victores a cæde & persecutione hostium reuerterentur cum victoria gloriosa: sæpe dictus Tolosanus episcopus, Tolosanorum stragi & miseriæ caritatiue & miserabiliter compatiens, corde pio, eos qui de stragis residuo adhuc intra sua tentoria morabantur, saluare cupiens ne perirent, vt saltem tantorum flagellorum verbere castigati, citum periculum euadentes, conuerterentur ad Dominum & viuerent, in fide catholica permansuri: missa eis per quemdam religiosum virum cuculla qua indutus erat, mandauit eis, quod nunc demum arma sua & suam deponerent feritatem, & inermes venirent ad ipsum, vt eos saluaret de morte. Qui adhuc quoque in sua perseuerantes malitia, & se qui iam victi erant, vicisse Christi populum autumantes, non solum parere sui episcopi ammonitionibus contempserunt, verum etiam ablata cuculla ipsum nuncium austerius verberarunt: post quos Christi militia recursum faciens, circa sua diffugientes tentoria interemerunt. Certus hostium interfectorum tam nobilium quam aliorum numerus præ multitudine nullatenus sciri potest: de militibus autem Christi vnus solus interemptus est in conflictu & paucissimi seruientes. Omnis igitur populus Christianus, pro Christianorum victoria, mente pia & toto cordis affectu gratias agat Christo, qui per paucos fideles infidelium multitudinem innumerabilem superauit, & sanctam ecclesiam suam de hostibus suis concessit fideliter triumphare. Ipsi honor & gloria, in sæcula sæculorum, Amen. Nos Tolosanus, Nemausensis, Vticensis, Lodouensis, Biterrensis, Agatensis, & Conuenarum episcopi, & de Claraco, Villa magna, & S. Tiberii abbates, qui mandato venerabilis patris Narbonẽsis archiepiscopi apostolicæ sedis legati veneramus, & de pace ac concordia tractare cum summa diligentia summoque studio nitebamur, præscripta omnia, sicut quæ vidimus & audiuimus, esse verissima in verbo Dei perhibemus, consignantes ea nostrorum munimine sigillorũ, vtpote reseruari digna in memoriam sempiternam. Datum Murelli in crastino victoriæ gloriosæ, scilicet sexta feria intra octauas natiuitatis B. Mariæ, anno Domini MCCXIII.

ANNO CHRISTI 1214.

**CONCILIVM DVNSTAPLIENSE A STEPHANO LANGTON ARCHIEPISC. Cantuar. celebratum in octauis Epiphaniæ, vbi appellatio interponitur per archiepisc. & cæteros a legato ad papam.

ANno Domini millesimo ducentesimo decimo quarto, rex Anglorum Ioannes ad Natale curiam suam tenuit apud VVindleshores, vbi multa magnatum suorum multitudini festiua distribuit indumenta. Deinde post octauas Epiphaniæ conuenerunt apud Dunestapliam Stephanus Cantuar. archiepiscopus, cum suis suffraganeis, vt de negotiis ecclesię Anglicanæ tractarent ibidem. Moleste enim supra modũ ferebant, quod legatus supradictus, vt prædiximus, illis inconsultis, regiis fauens voluntatibus, in ecclesiis vacantibus prælatos minus sufficientes posuerat, intrusione magis quam electione canonica. Tandem cum hinc inde varia forte tractassent, archiepiscopus Cantuar. duos clericos, apud Burtonam super flumen Trente, vbi tunc legatus erat, misit: qui eidem ex parte domini Cantuariensis, interposita appellatione prohibuerunt, ne contra dignitatem suam, ad quam ordinatio ecclesiarũ suæ diœcesis de iure spectabat, prælatos in ecclesiis vacantibus instituere præsumeret. Legatus autem appellationi factæ non deferens, misit assensu regio Pandulphum iam sæpe dictum, ad curiam Romanam, vt archiepiscopi & episcoporum propositum irritaret. Quo cum peruenisset, famam archiepiscopi Cantuariensis in conspectu summi pontificis non mediocriter denigrauit: regemque Anglorum tantis ibidem extulit laudum præconiis, asserens se regem tam humilem tamque modestum eatenus non vidisse, vt in oculis domini papæ idem rex gratiam admirabilem obtineret. Restitit autem Pandulpho ibidem magister Simon de Languetuna, frater archiepiscopi Cantuariensis. Sed quoniam charta regis auro bullata, domino papæ de subiectione & tributo regni Angliæ & Hiberniæ, a prædicto Pandulpho nuper delata fuerat: magister Simon in suis contradictionibus non potuit exaudiri. Asserebat præterea Pandulphus memoratus, in præsentia domini papæ, archiepiscopum & episcopos in exactione, & ablatorum restitutione tempore interdicti, nimis esse rigidos & auaros: quodque ipsum regem & regni libertates plus æquo deprimebant. Et sic propositum archiepiscopi & episcoporum ad tempus accepit dilationem.

Matth. Paris. in ann. 1214.

ANNO CHRISTI 1214.

CONCILIVM LONDONIENSE, QVO IOANNES REX ANGLIÆ AB INTERDICTO & depositione per Nicolaum Tusculanum episcopum & sedis apostolicæ legatum absolutus est anno Domini MCCXIV. tempore Innocentii papæ III.

CVm Ioannes rex Angliæ Stephanum de Langetuna Cantuariensem archiepiscopum legitime electum nollet suscipere: pontifex Innocentius totam Angliam interdicto subiecit, & paulatim regem ipsum grauius sæuientem & bona ecclesiæ inuadentem, episcopos & clericos relegantẽ, non tantũ non absoluit, sed etiam regno Angliæ deposuit, executione Philippo regi Francorum demandata. Exercitu copiosissimo, quem rex Angliæ conscripserat, territus, ad pœnitentiam recipi petiuit, deque ablatis restituendis sponsionem fecit. Qua de re cum pontifex Nicolaum Tusculanum sedis apostolicæ legatum certiorem reddidisset, eique accipiendi & absoluendi regis formam

Binius.

ANNO CHRISTI 1214.

Acta concilii.

formam præscripsisset: Legatus, *inquit Matthæus Paris*, in vrbe Londinensi apud sanctum Paulum grande congregauit concilium: vbi congregatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, comitibus, baronibus, & aliis ad hoc negotium interdicti spectantibus, proposuit coram omnibus formam restitutionis, super ablatis & damnis a domino papa partibus consentientibus Romæ prouisam: præcipiens constanter vt certificaretur de quantitate solutæ pecuniæ episcopis & aliis quibuslibet a ministris regis causa interdicti, quatenus per solutam pecuniam sciret quantum vnicuique ad soluendum restaret. Probatum est igitur ibidem certa computatione, archiepiscopum & monachos Cantuarienses, simul cum Londinensi, Eliensi, Herefordensi, Bathoniensi, Lincolniensi, antequam ab exilio in Angliam redirent, per manum Pandulphi duodecim millia marcarum legalium Esterlingorum accepisse. Post aduentum quoque eorum in concilio, septimo Idus Decembris apud Radingum celebrato, quindecim millia marcarum iidem episcopi cum monachis supradictis inter se diuidenda perceperunt: ita quod tota summa simul coniuncta vigintiseptem millium marcarum facit complementum. Residua autem tredecim millium marcarum, quæ ad supplementum quadraginta millium marcarum prædictarum soluendæ restant, sub fideiussione VVintoniensis & Norvvicensis episcoporum remanserunt, additis litteris regis patentibus ad maiorem securitatem, iuxta quod in litteris domini papæ continebatur expressum.

His ita gestis, Nicolaus Tusculanensis episcopus & apostolicæ sedis legatus, in die apostolorum beati Petri & Pauli, in ecclesia cathedrali, relaxauit sententiam solemniter interdicti, postquam durauerat annis sex, mensibus tribus, & diebus quatuordecim, ad irrestaurabile damnum ecclesiæ, tam in temporalibus quam spiritualibus. Qua relaxatione facta, gaudium per totam terram, pulsando, & hymno Te Deum laudamus cantando, exortum est. *Hæc de rebus in ista synodo gestis Matthæus Paris.*

ANNO CHRISTI 1214.

*** CONCILIVM APVD MONTEMPESSVLANVM.

A PETRO BENEVENTANO LEGATO APOSTOLICO celebratum: in quo Simoni comiti Montisfortis, ditio Raymundi comitis Tolosani concessa est anno Domini MCCXIV. exeunte.

G. C. Ex histor. Albigensium Petri Vallissarnensis monachi, qui cap. 80. celeberrimum & generalissimum concilium vocat. Petri autem autoris coætanei, quique illis ipsis rebus interfuit, verba maluimus afferre, quam Bzouii, vt Binius fecerat.

Cap. 81. ANno ab incarnatione Domini MCCXIV. in quindena natiuitatis Dominicæ, conuenerunt apud Montempessulanum archiepiscopi & episcopi vocati a magistro Petro Beneuentano apostolicæ sedis legato ad concilium, vt de his, quæ pacis erant & fidei, idem legatus secundum prælatorum consilium ordinaret. Conuenerunt autem ad illud concilium quinque archiepiscopi, videlicet Narbonensis, Accitanus, " Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis. Fuerunt episcopi XXVIII. pluresque de baronibus terræ ibi affuerunt. *Et infra.* Igitur conuenientibus, vt prædictum est, legato, archiepiscopis, & episcopis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis apud Montempessulanum, fecit legatus sermonem in ecclesia B. Virginis Mariæ. Postea vocauit in domo in qua manebat, archiepiscopos quinque, & episcopos XXVIII. abbates & alios ecclesiarum prælatos innumerabiles: quibus in vnum congregatis, primo eos allocutus est in hæc verba. Repeto & requiro a vobis, sub obtestatione Diuini iudicii, & obedientiæ debito, quo Romanæ ecclesiæ tenemini, vt omni gratia, odio, liuore postpositis, detis nobis fidele consilium, secundum scientiam vestram, cui melius & vtilius, ad honorem Dei & sanctæ matris ecclesiæ, & pacem terræ, ad expugnandam vel expurgandam spurcitiam hæreticorum concedi & assignari debebat Tolosa, quam comes Tolosanus tenuit, & aliæ terræ quas occupauerunt exercitus Christianorum crucesignatorum.

" Auxitanus.

Omnes archiepiscopi, & episcopi habuerunt longam & diligentem deliberationem, vnusquisque cum abbatibus suæ diœcesis & familiaribus clericis suis. Et quia bonum videbatur & rectum, redegerunt in scriptum: & in hoc tandem omnium & singulorum vota & consilia conuenerunt, vt nobilem comitem Montisfortis eligerent in totius terræ illius principem & monarcham. *Et post pauca:* Postquam ergo archiepiscopi & episcopi elegerunt prænobilem comitem modo quo prædiximus: instantissime requisierunt a legato, vt ipse statim traderet totam terram eidem comiti. Sed habito recursu ad litteras domini papæ, quas miserat legato: inuentum est, quod legatus non poterat istud facere, inconsulto D. papa. Et hac de causa, communi assensu tam legatorum, quam prælatorum, Ebredunensis archiepiscopus Girardus ", vir multæ scientiæ & totius bonitatis, missus est Romam, & quidam clerici cum eo, litteras tam legati quam prælatorum ferentes secum, in quibus supplicabant prælati omnes domino papæ instantissime, vt nobilem comitem Montisfortis, quem vnanimiter elegerant, concederet eis in terræ dominum & monarcham. *Et infra.* His omnibus rite gestis, & celebrato per multos dies concilio, prælati qui aderant, ad propria redierunt: legatus autem & comes noster, venerunt Carcassonam. Interea legatus episcopum Tolosanum misit Tolosam, vt ex parte ipsius occuparet & muniret castrum Narbonense. sic enim vocabatur munitio & palatium comitis Tolosani. Ciues autem Tolosani, ad mandatum domni legati, immo potius, timore ipsius, filium comitis Tolosani fecerunt exire a munitione iam dicta, quam hactenus tenuerant: & tradiderunt eam ex parte legati episcopo suo, qui intrans munitionem, tenuit eam, & muniuit eam militibus & seruientibus, tamen sumptibus ciuium & expensis. Anno Verbi incarnati MCCXV. ...... dum esset Ludouicus (*Philippi Aug. regis filius*) in villa sancti Ægidii, & comes nobilis Montisfortis cum eo: venerunt a curia Romana nuncii, quos sicut supra memoratum est, legatus & archiepiscopi & episcopi patriæ Prouincialis miserant ad domnum papam, postulantes ibi domnum & monarcham nobilissimum & Christianissimum comitem Montisfortis. Domnus autem papa misit litteras legato & prælatis, & etiam comiti Montisfortis, sub eadem forma: quibus continebatur, quod ipse domnus papa, totam terram, quam comes tenuerat Tolosanus, terras etiam illas quas crucesignati acquisierant, & quas legatus tenebat per obsides & custodes, commendabat comiti Montisfortis custodiendam, donec in concilio generali, quod in Kalendis Nouembris illius anni Romæ conuocauerat, de terris prædictis plenius ordinaret. Hoc audito Ludouicus & comes noster, significauerunt legato de aduentu nunciorum. Legatus autem tunc erat prope sanctum Ægidium cum pluribus episcopis in ciuitate Arelatensi.

" Al. Bernardus: vide præclara Francor. facinora.

Forma

ANNO CHRISTI 1214.

Forma litterarum domni papæ ad comitem Montisfortis, hæc est.

INNOCENTIVS EPISCOPVS, seruus seruorum Dei, dilecto filio suo nobili viro S. comiti Montisfortis, salutem & apostolicam benedictionem.

NObilitatem tuam dignis in Domino laudibus commendamus, quia pura dilectione, mente sincera, & viribus indefessis, tanquam verus & strenuus miles Christi, & inuictus catholicæ fidei propugnator, prælia Domini laudabiliter præliaris: vnde in omnem fere terram, tuæ fidei sonus exiuit: propter quod, super caput tuum, multæ benedictiones effunduntur ad gratiam tibi amplius acquirendam, & totius ecclesiæ precamina congeruntur, & multiplicatis intercessoribus, corona tibi gloriæ conseruatur, reddenda tibi a iusto iudice in futurum, quam propter tua merita speramus esse tibi repositam nunc in cælis. Eia miles Christi, ministerium tuum imple, currens per propositum tibi stadium, donec brauium comprehendas, nec in tribulationibus vnquam deficias: sciens collateraliter tibi assistere Deum Sabbaoth, Dominum exercituum, ac principem militiæ Christianæ, nec velis bellicos sudores abstergere, antequam palmam victoriæ consequaris. Quinimmo cũ bene inchoaueris bonum principium, ac media quæ postmodum laudabiliter prosequi curauisti: per longanimitatem & perseuerantiam quæ coronat, laudabilius optato fine studeas consummare: sciens iuxta verbum apostoli, neminem esse coronandum, nisi legitime decertantem. Cum igitur totam terram, quam comes tenuit Tolosanus, cum aliis terris a crucesignatis obtentis, quæ a dilecto filio nostro Petro S. Mariæ in" Aquito diacono cardinali apostolicæ sedis legato tenentur per obsides vel custodes, vsque ad tempus concilii generalis, in quo de ipsis consilio prælatorum plenius possimus salubriter ordinare, prudentiæ tuæ duximus committendas, vt eas conserues, custodias & defendas: concedentes tibi reditus & prouentus earum, cum iustitiis, & cum aliis ad iurisdictionem spectantibus, cum nec possis, nec debeas propriis stipendiis militare: saluis expensis, pro munitione & custodia castrorum, quæ de mandato nostro tenentur: nobilitatem tuã cum omni diligentia commonemus, totis affectibus in Domino postulantes, pro nomine ac sub obtestatione Diuini numinis obsecrantes, in remissionem peccaminum iniungendo, quatenus non refugias hanc pro Christo legationem recipere, cum ipse pro te a patre legatione suscepta tanquam gigas cucurrit vsque ad crucis patibulum & ad mortem. Cum te totum deuoueris in Christi obsequio, nõ deficias fatigatus, nec recuses vsque ad finem, bonam pro Christo militiam exercere, nec vnquam in cor tuum ascendat, vt tam dulcibus paternis obuies monitis & mandatis: sed potius toto desiderio & affectu, amplecti studeas quæ mandamus, vt in perpetuum Christi amplexibus fouearis, qui te ad amplexus inuitans, extendit pro te brachia indefessa. Prouida etiam deliberatione diligenter attendas, ne in vacuum cucurreris, aut etiam laboraueris, si per tuam negligentiam, locustarum multitudo, quæ de abyssi puteo sunt egressæ, sed per tuum ministerium de terra quam occupauerant eiectæ, ipsam, quod absit, iterum occupauerint in exterminium plebis Dei. Nos autem, quia pro certo speramus, quod de tua salute solicitus, nunquam debeas mandatis apostolicis obuiare, baronibus, consulibus, & aliis Christi fidelibus in terris prædictis constitutis, dedimus in mandatis, in virtute Spiritus sancti præcipientes districte; quatenus plenarie intendentes mandata tua super negotio pacis & fidei, & aliis quæ superius sunt expressa, inuiolabiliter obseruare procurent, contra impugnatores Catholicæ fidei & pacis disturbatores, magnifice ac potenter tibi consilium & auxilium impendentes: ita quod eorum cooperante subsidio, negotium pacis & fidei salubriter exequaris. Quod quoque legato præcipiendo mandamus, vt super his statuat & disponat, quidquid ipsi negotio viderit expedire, impendens tibi consilium, & auxilium opportunum, & quod statueris faciat firmiter obseruari: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, sublato cuiuslibet contradictionis vel appellationis obstaculo, ad id quod viderit expedire, districtione compellens. Datum Laterani IV. Non. April. pontif. anno XVIII.

" Aquiro.

Et infra. Ludouicus autem mouens a Biterris venit cũ suis Carcassonam, vbi cum per aliquot dies moram fecisset, venit legatus. Quadam igitur die conuocauit legatus ad se in domum episcopi Carcassonẽsis, episcopos qui aderant, Ludouicum, & comitem Montisfortis & nobiles qui erant cum Ludouico. Quibus omnibus congregatis, legatus iuxta formam mandati apostolici, commendauit comiti terram vsque ad concilium generale.

Conuentus Carcassonensis.

Habitum est eo anno generale concilium Lateranense, vt mox videbis, in quo ditio illa comiti Montisfortis adiudicata est. Quæ huius concilii sunt, referuntur etiam in chronico, inscripto: Præclara Francorum facinora.

** EIVSDEM CONCILII STATVTA.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De vestimentis episcoporum.*
2. *De vita & honestate canonicorum, & aliorum qui de beneficio ecclesiastico viuunt.*
3. *De vestimentis eorumdem.*
4. *De tonsura siue corona eorumdem.*
5. *Vt clerici vsuras non exerceant.*
6. *De clericis non habentibus locum, vel beneficium ecclesiasticum, qui habitum compositum non habent.*
7. *Ne episcopi & clerici aues venatorias habeant aut gestent.*
8. *Ne laici accipiantur in canonicos, nec ad præbendam.*
9. *Vt quicunque supradicta infra quindecim dies a publicatione contempserit adimplere, ab officio beneficioque sit suspensus: & a prælato censura notetur.*
10. *Vt prælato, qui omiserit id exequi, aditus ecclesiæ sit interdictus.*
11. *Vt episcopi beneficia gratis dent, & personis idoneis, &c.*
12. *Vt parochiales ecclesiæ adolescentulis, vel constitutis in minoribus ordinibus non tradantur.*
13. *De abbatum, monachorum, & canonicorum regularium disciplina.*
14. *Vt venationes & negotiationes deuitent.*
15. *Vt fræna, & alia huiusmodi, deaurata non habeant.*
16. *De forma vestimentorum quibus vti debent.*
17. *De materia eorundem.*
18. *Vt proprium non habeant.*
19. *Vt proprietarii in capitulo excommunicentur.*
20. *Vt nullus admittatur cum pacto aliquid dandi pro receptione.*
21. *Vt in causis alienis aduocati non existant.*
22. *Vt quæ in mensa supersunt, pauperibus tribuantur.*
23. *Vt canonici regulares, amplas coronas portent;* *mona-*

ANNO CHRISTI 1214.

monachi, amplissimas.

CAPVT I.

I. *De vestimentis episcoporum.*

Quoniam propter incompositum habitum quorumdam regularium personarum & sæcularium clericorum iam adeo laïci scandalizantur, quorum frequenter nobis sunt oblatæ querelæ, quod non solum in reuerentia viros ecclesiasticos habere contemnunt, verum etiam ipsos & ecclesias aggrauant multipliciter & molestant, non credentes his clericis magis deferendum esse quam laïcis, qui non solum a laïcis in habitu & alia conuersatione non discrepant, verum in his & aliis se magis exhibent dissolutos: nos volentes prædictorum vtilitatibus tam spiritualiter quam temporaliter prouidere, in synodo præsenti statuimus, quin potius sequentes antiqua statuta canonica, districte iubemus, vt quilibet archiepiscopus vel episcopus talaribus vestimentis & camisia linea super alios pannos extra domum suam, si pedes vadat, semper vtatur. Et idem obseruet in domo cum curiam publice cum extraneis tenet. Chlamydem quoque talarem habeat super scapulas consutam more Romano, vel cum laqueis constrictam super pectus: ita vt laquei ante pectus, palmi longitudinem non excedant.

II. *De vita & honestate canonicorum, & aliorum qui de beneficio ecclesiastico viuunt.*

Nullus canonicus cathedralis vel conuentualis ecclesiæ, vel alius clericus de beneficio ecclesiastico viuens, frænis vel calcaribus deauratis vtatur: nec frequentet curias, vel hospitia, vel colloquia mulierum, quod domuciare vulgariter appellatur: quia ex his solet multa dissolutionis & lasciuiæ materia exoriri.

III. *De vestimentis eorumdem.*

Nullus clericus cathedralis vel conuentualis ecclesiæ, vel alius clericus de beneficio ecclesiastico viuens, indumentis, vel caligis rubeis vel viridis coloris, vel manicis consutitiis, vel capellis ferratis, vel annulo, vel capa vtatur manicata. Archidiaconi vero, decani, cantores, & alii qui in ecclesiis cathedralibus vel conuentualibus obtinent personatus, superiorem vestem, siue lanea sit, siue linea, clausam habeant, & talarem. Quod & obseruari volumus a clericis curam habentibus animarum.

IV. *De tonsura siue corona eorumdem.*

Statuimus insuper, vt clericus cathedralis vel conuentualis ecclesiæ, vel " alterius qui de beneficio ecclesiastico viuit, talem tonsuram ferat, quæ gradum non habeat, sed dirigatur in gyrum, ita quod capilli qui inter inferiorem & superiorem rasuram remanent, propter suam rotunditatem merito possint dici corona.

" Corr: alius.

V. *Vt clerici vsuras non exerceant.*

Item nullus talis clericus pignora pro mutuo recipiat, vt fructus pignorum lucrifaciat; nec alias vsuras vel negotiationes exerceat, cum hoc sit in sacris canonibus interdictum.

VI. *De clericis non habentibus locum, vel beneficium ecclesiasticum, qui habitum compositum non habent.*

Si vero clericus non habens locum, vel beneficium ecclesiasticum, habitum suum vsque ad mensem non curauerit reformari: in ecclesia cathedrali lectionem, vel epistolam, vel euangelium solemniter legere non permittatur, nec ei beneficium ecclesiasticum assignetur, donec habitum compositum ferat.

ANNO CHRISTI 1214.

VII. *Ne episcopi & clerici aues venatorias habeant aut gestent.*

Nec episcopus, nec clericus cathedralis vel conuentualis ecclesiæ, vel alius clericus de beneficio ecclesiastico viuens, aues venatorias habeat in propria domo. Et si aliquando exeat cum laïcis ad venandum gratia spatiandi, quod raro fieri expedit, propria manu huiusmodi aues non portet.

VIII. *Ne laïci accipiantur in canonicos, nec ad præbendam.*

Districte quoque mandamus, quod in nulla ecclesia laïci recipiantur in canonicos & in fratres, nec etiam ad præbendam canonicalem quæ consistit in pane & vino, & quibusdam aliis, cum per hoc ecclesiæ multa damna proueniant.

IX. *Vt quicumque supradicta infra quindecim dies a publicatione contempserit adimplere, ab officio beneficioque sit suspensus, & a prælato censura notetur.*

Quia vero quidam propter diuitias, & alii propter nobilitatem, nonnulli propter diuturnum abusum quem ad excusandas excusationes in peccatis allegant, supradicta corrigere paruipendunt, hactenus tam a nobis quam ab aliis sæpius requisiti: quicumque supradicta vel eorum aliqua, infra quindecim dies postquam hoc mandatum eidem innotuerit, contempserit adimplere; sciat se, vsque dum mandatum nostrum impleuerit, per nostram sententiam ab officio beneficioque suspensum. Quod & circa illum volumus obseruare, qui postquam semel mandatum nostrum impleuerit, venire præsumpserit contra illud. Is autem qui iurisdictionem ordinariam obtinet super eum, postquam ad notitiam eius deuenerit pertinacia contemptoris, supradictam sententiam publicet, & eum faciat vsque ad satisfactionem condignam per censuram ecclesiasticam obseruari.

X. *Vt prælato qui omiserit id exequi, aditus ecclesiæ sit interdictus.*

Quod si ipse prælatus id omiserit exequi infra octo dies postquam innotuerit ei, ex tunc sibi sciat per sententiam nostram, donec id exequatur, ingressum ecclesiæ interdictum.

XI. *Vt episcopi beneficia gratis dent, & personis idoneis, &c.*

Ad tollendam quoque detractionis causam & materiam scandali, quod contra archiepiscopos & episcopos quotidie generatur, sub attestatione Diuini iudicii archiepiscopis & episcopis districte præcipimus, vt beneficia ecclesiastica gratis & liberaliter, & idoneis personis assignent; & in sua familia honestos clericos habeant, vt super honestate sua testimonium ei ferant; nec scienter excommunicatos, in casu a canonibus non permisso, ad colloquium, vel ad propriam mensam admittant. Ecclesias vero sui episcopatus in euectionum numero contra statuta Lateranensis concilii non aggrauent; & cum ad eas vadunt, corrigant quæ fuerint corrigenda; nec pecuniam pro procurationis redemptione recipiant, quando eas non visitant. Lateran. III. c. 4.

XII. *Vt parochiales ecclesiæ adolescentulis, vel constitutis in minoribus ordinibus non tradantur.*

Item parochialium ecclesiarum curam adolescentibus, vel in minoribus ordinibus constitutis, contra tenorem Lateranensis concilii non concedant. Ibid. c. 3.

XIII. *De abbatum, monachorum, & canonicorum regularium disciplina.*

Quia vero a nonnullis abbatibus & monachis, necnon & canonicis regularibus, multa fieri didicimus, quæ ab obseruantia dissonant regulari: præsentium vobis autoritate mandamus, vt nullus de consensu capituli sui *, & vt meliora prospiciat, nisi alia forte concurrant quæ in canonibus continentur.

XIV. *Vt venationes & negotiationes deuitent.*

Item tam abbates, quam priores, vniuersi monachi, & canonici regulares, venationes & negotiationes prorsus deuitent.

XV. *Vt fræna, & alia huiusmodi deaurata non habeant.*

Item fræna, pectoralia, & calcaria deaurata & deargentata non deferant, nec depictis sellis vtantur.

XVI. *De forma vestimentorum.*

Item tunicas non habeant curtas, vel apertas ab anteriori, vel posteriori parte, sed longas & clausas.

XVII. *De materia eorumdem.*

Item non vtantur cappis, tunicis, vel pallis, de aliqua bruneta clara vel nigra, nec etiam stamine forti, seu cuniculis, vel etiam cameloto.

XVIII. *Vt proprium non habeant.*

Item nullus monachus, vel canonicus regularis proprium habeat, nec etiam de sui abbatis vel prioris licentia, cum ipsis huiusmodi dare licentiam non possint. Quod si aliquam obedientiam de sui maioris præcepto teneant, donec illa secundum loci con-

suetudinem

ANNO CHRISTI 1214.

suetudinem expendantur, talis regularis non dicitur propter hoc, proprium retinere. Vnde firmiter inhibemus, vt in nullo monasterio, vel canonica regulari, certi reditus deputentur alicui monacho, vel canonico certa pecunia pro vestimentis detur, propter quod aliqua de perceptis ad tempus teneat, quia ex hoc datur materia proprium retinendi. Sed in omni monasterio, vel canonica regulari, certi reditus deputentur, de quibus, per manus vnius qui eos fideliter colligat, fratribus prouideatur de vestimentis.

XIX. *Vt proprietarii in capitulo excommunicentur.*

Item mandamus, vt in quolibet monasterio, vel canonica regulari, diebus Dominicis proprietarii in capitulo excommunicentur.

XX. *Vt nullus admittatur cum pacto aliquid dandi pro receptione.*

Item præcipimus, vt nullus in canonicum vel monachum admittatur, cum aliqua conditione, vel pacto, per quod aliquid debeat pro receptione eius dari.

XXI. *Vt in causis alienis aduocati non existant.*

Item iubemus, quod nulli monachi, vel canonici regulares, in causis alienis aduocati existant: nisi forte aliquis casus grauis necessitatis, vel magnæ vtilitatis occurrat, ob quam ab episcopo qui forte regulari loco præest, vel ab abbate, vel priore, idem fieri forte mandetur. Quod si contra hoc fecerint, tam a iudice quam a parte tanquam excommunicatus & infamis ab huiusmodi aduocatione repellatur omnino.

XXII. *Vt quæ in mensa supersunt, pauperibus tribuantur.*

Mandamus insuper, vt ea quæ in mensa monachorum vel canonicorum de " iustitiis sunt in pane & vino vel pulmentis supersunt, nullus de seruientibus alicui largiri præsumat, sed vniuersa colligantur ab eo qui curam refectorii obtinet, & iuxta ordinationem abbatis, vel prioris, pauperibus tribuantur.

" For. iusculis, siue.

XXIII. *Vt canonici regulares amplas coronas portent; monachi amplissimas.*

Item præcipimus, vt canonici regulares amplas coronas portent, & monachi amplissimas. Itaque duorum digitorum, vel trium, amplus sit monachis circulus capillorum.

XXIV. *Qualia illorum calceamenta esse debeant.*

Item non habeant calceamenta cum nodulis, vel alias aperta, sed sint clausa & alta calceamenta illorum.

XXV. *Nullus ab vna ecclesia transeat ad aliam; neque sint de multis ecclesiis.*

Item nullus monachus, vel canonicus censeatur, nisi propter maiorem religionem, vel aliam iustam causam a canonibus approbatam vna ecclesia dimissa, ad aliam transferatur. Quia non potest vnum pedem in vna, & alium pedem in alia retinere, quia ex hoc multam dissolutionis, contemptionis, & euagationis nouimus materiam generari. Si qui autem iam facti sunt monachi vel canonici regulares in diuersis ecclesiis, cogantur in illa ecclesia moram facere, in qua primo professionem fecerunt, nec in aliis vocem aliquam habeant. Sed si alia in qua professionem postea fecerunt, sit arctioris religionis, liceat eis in illa remanere.

XXVI. *Vt canonici regulares superpelliceis semper vtantur.*

Item districte præcipimus, vt canonici regulares superpelliceis semper vtantur, nisi propter infirmitatem, vel aliam necessitatem, de permissione suæ regulæ quandoque eis id intermittatur.

XXVII. *Vt nullus monachus, vel canonicus regularis ab aliqua ecclesia teneat aliquid pro præbenda.*

Item canonicus regularis capa nigra & clausa, non viuerita *, & consuta pellibus cum equitat, & in aliis locis, iuxta regulam B. Augustini deferat reuerenter.

XXVIII. *Vt qui contra prædicta fecerint, sint ab officio suspensi.*

Item nullus monachus vel canonicus regularis, a sua, vel alia ecclesia, vel persona ecclesiastica, ecclesiam vel aliquid aliud recipiat, vel teneat pro præbenda. Et si aliqui iam receperunt supradicto modo ecclesiam, vel aliquid aliud: eos mandamus huiusmodi ecclesiis, vel beneficio, per eos ad quos pertinent, absque qualibet dilatione priuari.

XXIX. *Ne religiosi vsurarios, excommunicatos, interdictos, ad religionem, seu sepulturam, vel alia sacramenta accipiant.*

Quicumque vero monachus, vel canonicus regularis, contra prædicta, vel aliquod prædictorum, scienter venire præsumpserit; si abbas vel prior fuerit, oportet vsque ad satisfactionem condignam iuxta episcopi diœcesani arbitrium per nostram sententiam ab officio & administratione suspensum. Si vero subditus sit, siue sit regularis canonicus, vel monachus, donec congrue satisfecerit, iuxta sui abbatis arbitrium, ab officio nouerit se suspensum, & ingressum ecclesiæ sibi interdictum.

XXX.

ANNO CHRISTI 1214.

XXX. *Vt ponantur tres fratres in prioratibus, qui sufficiunt tribus.*

Cum adeo quorumdam inualuerit religiosorum virorum cupiditas, vt vsurarios & etiam excommunicatos, seu nominatim interdictos, ad religionem seu sepulturam vel alia sacramenta recipiant, propter quod multæ ecclesiæ non modicum damnificantur: ne de cætero fiat, sub interminatione anathematis prohibemus; & si factum fuerit, ad resarcienda damna ipsis ecclesiis compellantur. saluis apostolicæ sedis priuilegiis. Cum monasteria & canonicæ regulares, prioratus seu obedientias habeant, & in ipsis singulos fratres ponere consueuerint, qui ibidem regulariter viuunt, & quandoque ab vno consumitur de quo possit pluribus prouideri: statuimus, vt si talis fuerit prioratus in quo tres fratres valeant commorari, tres ad minus fratres ponantur ibidem; & vnus ex eis prior fiat, qui curam omnium habeat.

XXXI. *De prioratibus qui tribus fratribus non sufficiunt.*

Si vero tot fratribus non sufficit prioratus, cum pauciores vix possent regulariter viuere, duæ vel tres ecclesiæ iuxta arbitrium episcopi, vbi præest episcopus, vel abbatis, seu præpositi, vbi non præest episcopus, iungantur in vnum, & illi priori qui instituetur, respondeant. Et idem prior in illis ecclesiis in quibus non sunt fratres, per sæculares capellanos ministret.

XXXII. *De pace seruanda.*

Quoniam in præsenti concilio agitur de negotio Iesu Christi, qui pacis est autor, quædam super obseruatione pacis duximus statuenda, quæ volumus firmiter obseruari. Si quis pacem infra quindecim dies postquam a diœcesano archiepiscopo, vel episcopo, viua voce, vel per litteras, seu per nuntium fuerit requisitus, iurare noluerit: ad id ecclesiastica censura cogatur, & ipse sit extra pacem, & homines eius si ei fauerint; si vero ei fauere noluerint, sed esse velint in pace, & adesse paci contra violatores eius, admittantur. Si quis pacem intrare noluerit, & querelam de alieno fecerit * * * * in pace non audiatur a pace, donec pacem iurauerit: ipse tamen aliis respondere compellatur.

XXXIII. *De eo qui admonitus a paciariis, iustitiam facere noluerit.*

Qui commonitus a paciariis, infra quindecim dies iustitiam ad cognitionem paciariorum facere vel firmare noluerit: episcopus eum excommunicet, & de pace deiiciat, & terram eius interdicto supponat. Quod si & homines sui ei fauerint, post quatuordecim dies eiiciantur a pace, & restituatur eis compensum, si quid dederunt; sed si homines ipsi velint mandatis pacis parere, dimittantur in pace.

XXXIV. *De eo qui pacem fregerit.*

Si aliquis pacem fregerit, & intrauerit postea cum forisfacto, vel sine forisfacto in ciuitatem, castrum, vel villam; dominus vel rectores ipsius loci, postquam hoc sciuerint, capiant eum, & tamdiu teneant, vel paci adsignent, donec satisfecerit de violatione pacis. Alioquin locus ipse emendet fracturam pacis. Qui totum castrum habet, vel partem castri contra violatorem pacis, & contra cōsortem suum paciariis cum episcopus fuerit assignet. Et ᵃ propter hoc aliquod damnum passus fuerit, qui voluntatem * pacis, pax debet eum manu tenere, & damnum quod passus est propter pacem emendare. Et si duo sunt domini alicuius castri & villæ, & alter illorum pacem fregerit, homines illius interdicto subiiciantur.

ᵃ Adde si.

XXXV. *De eo qui violatorem pacis receptauerit.*

Qui violatorem pacis scienter receptauerit, excommunicetur, & eiiciatur de pace, donec satisfaciat. Itaque etiam pater teneatur pro filio, qui pacem violat: dummodo sit in sua potestate, & obediens ei fuerit vsque ad illam horam quando pacem violauit.

XXXVI. *De eodem.*

Si exercitus contra violatores pacis collectus fuerit, & de loco vbi congregatus est se mouerit: violator pacis non audiatur, nisi resarciat expensas factas in bobus & aliis, quæ pertinent ad agriculturam, & etiam in strata. Nullus pignoret alium pro alio etiam pro certo debito, nec pro alia causa, nec homines sui debitores creditor pignoret, nisi pro eo quod domino suo de iure præstare tenetur. Et nisi post datam licentiam a paciariis, quam ipsi præstare debent, postquam eis constiterit quod in loco in quo est suus debitor, creditor ipse iustitiā habere non potest.

XXXVII. *Vt iuramentum pacis certis temporibus innouetur.*

Item statuimus, vt quilibet laïcus, & quilibet nobilis, infra quindecim dies postquam requisitus fuerit, pacis innouet iuramentum, & de cętero iuramentum pacis de quinquennio in quiquennium renouetur.

XXXVIII. *Vt a violatore pacis non tantum sacramentum accipiatur, sed pignora, vel propria persona.*

A violatore pacis * firmantis, vel sacramentum solum nequaquam recipiatur, sed pignora, vel persona propria, in bona custodia iuxta paciariorum arbitrium retineatur.

ANNO CHRISTI 1214.

XXXIX. *Vt fractura pacis vtroque gladio quæratur.*

Si pax fracta fuerit, ab iis qui sunt intra terminos pacis debet pax fracturam pacis quærere vtroque gladio; & si non poterit recuperare, debet emendare de compenso vel de noua collecta: de quo compenso, seu noua collecta, si compensum non sufficit, debent expensæ fieri equitibus qui cum armis pacem sequuntur.

XL. *De vassallo qui contra dominum rebellauerit.*

Si qui vassalli, vel homines aliquorum, propria temeritate insurgant contra dominos suos, vel rebellauerint, nisi admoniti a paciariis a sua præsumptione destiterint, pax adsistat dominis contra eos.

XLI. *Vt violatores pacis, diebus Dominicis excommunicentur.*

Violatores pacis singulis diebus Dominicis excommunicentur, & in sero post vesperas campanæ omnes per ciuitatis villas & castra in eorum detestationem pulsentur.

XLII. *Vt in principio Maii conueniant omnes maiores paciarii.*

Statuimus insuper, vt singulis annis in principio Maii conueniant maiores paciarii, & querimonias pacis expediant; & si aliquis articulus dubitationis occurrat, illum prout viderint expedire declarent.

XLIII. *Vt noua pedagia non imponantur.*

Præterea sub interminatione anathematis prohibemus, ne noua pedagia imponantur, vel augmententur antiqua, nec hi qui consueuerunt pedagia iusta recipere, in aliis locis illa recipiant, mutatis locis antiquis, sicut quosdam nouimus iam fecisse.

XLIV. *Qui pedagium recipiunt, faciant vias publicas custodiri.*

Barones & domini locorum, seu aliæ personæ quæ pedagium recipiunt, stratas publi- A cas in districtu suo fideliter faciant custodiri: & si forte mercatores, seu alii viatores, in illius districtu qui pedagium receperit, damnum per violentiam passi fuerint, is cuius est pedagium, si eum qui violentiam fecit potest distringere cum auxilio pacis, eum distringat. Alioqui tamdiu eum prohibeat per censuram ecclesiasticam & alio modo pedagium recipere, donec de damno fuerit satisfactum.

ANNO CHRISTI 1214.

XLV. *Ne confratriæ fiant, nisi de voluntate dominorum locorum, & episcopi.*

Quia propter coniurationes & conspirationes quæ confratriæ vocantur in ciuitatibus, B villis, & castris, quandoque multa discordiæ materia suscitatur: præsens synodus sub anathematis interminatione constituit, vt in ciuitatibus, villis, & castris, non fiant de cætero confratriæ, nisi de voluntate dominorum locorum ipsorum, & diœcesani episcopi, propter vrgentem necessitatem & euidentem vtilitatem id fiat. De his autem confratriis quæ hactenus factæ sunt, & de quibus querelam audiuimus, causa cognita, quod iustum fuerit faciemus.

XLVI. *Vt sint in singulis parochiis sacerdotes, qui hæreticos eorumque fautores, episcopo & consulibus, aut dominis, indicent.*

C Item capitulum statuti Auenionensis concilii innouantes, sub districti anathematis interminatione præcipimus, vt archiepiscopus & episcopus in singulis parochiis suis, tam in ciuitate quam extra, vnum sacerdotem, & duos vel tres bonæ opinionis laïcos, vel plures, si opus fuerit, iuramenti religione constringant: quod si quos ibi reppererint hæreticos, credentes, fautores, vel receptores, vel defensores eorum, ipsi archiepiscopo, vel episcopo, & consulibus ciuitatum, & dominis locorum, seu baiulis eorumdem; cum omni studeant festinantia intimare, & eos puniant secundum canonicas & legitimas sanctiones, nihilominus bona ipsorum omnia confiscantes. An. 1209.

CONCILIVM



ANNO CHRISTI 1215.

CONCILIVM LATERANENSE IV. GENERALE, SVB INNOCENTIO III. SVMMO PONTIFICE.

ANNO CHRISTI 1215.

HISTORIA EIVSDEM CONCILII.

VVilielmus Tyrensis de bello sacro, libro 1. cap. 15. & sequētibus. VVilielmus Malmesburius de rebus Anglicis libro 4. c. 2. & alii.



VRBANVS secundus pontifex in Claromontano satis frequenti concilio, graui oratione valde conquestus est, Hierosolymitanam regionem, in qua Christus dominus sanguinem vitamque nostra causa profudit, cæteraque sancta illa loca eiusdem Redemptoris nostri consecrata memoria, magno cum Christiani nominis dedecore in Saracenorum manus peruenisse. Quare Christianæ reipublicæ reges, principes, cæterosque Christianos adhortatus est, vt coniunctis viribus sanctam illam prouinciam ex hostium manibus eriperent, & quamprimum ad sacrum bellum se accingerent. Ita hæc pontificis oratio illorum animos incendit, vt pene dicto citius militum vndique ad trecenta millia sub diuersorum principum ductu coacta sint: ac militari amictu cruce insignito, vt sese ostenderent pro Christo domino bellum gerere, Antiochiam primum, mox finitimas regiones, postremo Hierosolymam ipsam, vt permagno labore, ita ingenti gloria sint adepti: creato ibidem in Hierosolymitana vrbe & ditione rege Gottifredo strenuissimo duce, omnium qui aderant principum consensu. Regnatum est Hierosolymis nonaginta circiter annos: ac per id tempus summi Romani pontifices officio suo ac muneri in eo regno tuendo, ac Saracenis procul arcendis, non defuere. Veruntamen effici non potuit quo minus, Guidone rege capto, Vrbano tertio pontifice Hierosolyma a Saracenis occuparetur. Cui pontifici cum Gregorius octauus successisset: is impiger, reges, principes, populosque Christianos omnes excitat cum litteris, tum legatis, atque ad Hierosolymam recuperandam vrget. Idem præstiterunt qui post eum pontifices fuerunt: sed permulta acciderunt, quæ sacro huic bello impedimentum attulere. Innocentius tertius, vir doctrina & moribus insignis, vbi pontificatum iniit, Hierosolymæ recuperationi animum adiecit. Et vero in magnam spem venit, fore vt voti compos fieret, cum suo tempore Latini aliqui principes, expugnata Con-

Rogerus annalium Anglicarū parte posteriori, & VVilielmus Neubrigensis lib 3 c 20.

Abbas Vrspergensis in chronico

A stantinopoli, Græciam ipsam suo imperio subiecissent, & Balduinus Flandriæ comes Constantinopolitanus imperator esset electus: idemque curam adhibuit, vt Græci diuturno schismate ab ecclesia catholica seiuncti, ad Romanæ ecclesiæ obedientiam reuerterentur. Quamobrem pontifex, & litteris & legatis missis, omnes ad sacrum hoc bellum cohortatus est. Cumque magnopere optaret Innocentius tum Hierosolymitanæ vrbis recuperationem, tum vniuersæ ecclesiæ reformationem, sanctorum patrum vestigia secutus, generale indixit concilium: in quo & deprauati mores corrigerentur, & hæretici damnarentur, & principes ac populi ad sacram hanc expeditionem adducerentur. Scripsit igitur omnibus B patriarchis & episcopis biennio ante concilii celebrationem, vt ad illud accederent. Scripsit quoque imperatori & regibus, vt ipsi quoque oratores ad synodum destinarent. Cogitur itaque Romæ in Lateranensi ecclesia satis magnum concilium: de quo abbas Vrspergensis, qui eo tempore floruit, hæc habet: Anno ab incarnatione Verbi 1215. celebrata est sancta vniuersalis synodus Romæ in ecclesia Saluatoris, quæ Constantiniana vocatur, mense Nouembri, præsidente domino Innocentio papa tertio: pontificatus eius anno 18. In qua fuerunt episcopi 412. Inter quos extiterunt de præcipuis patriarchis duo, videlicet Constantinopolitanus, C & Hierosolymitanus: Antiochenus autem graui languore detentus, venire non potuit; sed misit pro se vicarium Antheradensem episcopum. Alexandrinus vero, sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se diaconum suum Germanum. Primates autem & metropolitani 71. Cæterum abbates & priores vltra octingentos, archiepiscoporum vero, & episcoporum, abbatum, & priorum, & capitulorum absentium procuratorum non fuit certus numerus comprehensus. Legatorum vero regis Siciliæ in Romanorum imperatorem electi, imperatoris Constantinopolitani, regis Franciæ, regis Angliæ, regis Hungariæ,

Vincentius Bellouacēsis, lib. 29. historiæ c. 65. & 91. & alii.

Innocentius in epistola indictionis concilii.

ANNO CHRISTI 1215.

regis Hierosolymitani, regis Cypri, regis Aragoniæ, necnon & aliorum principum, & magnatum, ciuitatum, aliorumque locorum ingens fuit multitudo. Hæc Vrspergensis. In quo concilio primum explicata est catholica fides contra varios hæreticorum errores. Damnatus liber Ioachim abbatis in Petrum Lombardum de vnitate sanctissimæ Trinitatis. Damnatum quoque dogma peruersum impii Almarici, de quo fusius Vincentius Bellouacensis. Multa de hæreticis coërcendis, ac puniendis, ac de Græcis, qui ad catholicam fidem reuerterant, statuuntur. Item pleraque alia catholicæ ecclesiæ valde vtilia, quæ omnia capitibus septuaginta distincta sunt, ac in Gregorii noni decretalium collectione continentur. Postremo, pro recuperatione terræ sanctæ, multæ indulgentiæ & priuilegia concessa sunt ad sacrum illud bellum euntibus. Ad subsidium bello conferendum omnes est cohortatus. Atque ipse vna cum cardinalibus, cæterisque prælatis, non exiguam vim pecuniæ collaturum se esse promisit. Tum excommunicat quoscumque qui arma, naues, aut auxilia quæuis Saracenis suppeditant. Præcipit demum vt pax in Christiano orbe toto, saltem per quadriennium, conseruetur.

Vincentius lib. 30. cap. 64. Lib. 29. cap. 107.

EPISTOLÆ

INNOCENTII PAPÆ III.

Ad hoc concilium spectantes,

Vniuersis Christi fidelibus per Moguntinam prouinciam constitutis.

QVia maior nunc instat necessitas, quam vnquam institerit, vt terræ sanctæ necessitatibus succurratur, & de succursu speratur maior, quam vnquam prouenerit, vtilitas prouentura: ecce resumpto clamore, clamamus ad vos, & pro illo clamamus, qui moriendo, voce magna clamauit in cruce, factus obediens Deo Patri vsque ad mortem crucis, clamans, vt nos ab æternæ mortis eriperet cruciatu. Qui clamat etiam per se ipsum, & dicit: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*: ac si diceret manifestius: Qui vult me subsequi ad coronam, me quoque subsequatur ad pugnam, quæ nunc ad probationem proponitur vniuersis. Poterat enim omnipotens Deus terram illam, si vellet, omnino defendere ne in manus traderetur hostiles. Posset & illam, si vellet, de manibus hostium facile liberare, cum nihil possit eius resistere voluntati. Sed cum iam superabundasset iniquitas, refrigescente caritate multorum: vt fideles suos a somno mortis ad vitæ studium excitaret, agonem illis proposuit, in quo fidem eorum velut aurum in fornace probaret, occasionem salutis, immo saluationis causam præstando: vt, qui fideliter pro ipso certauerint, ab ipso feliciter coronentur; & qui ei noluerint in tantæ necessitatis articulo debitæ seruitutis impendere famulatum, in nouissimo districti examinis die iustam mereantur damnationis sententiam sustinere. O quanta iam prouenit vtilitas ex hac causa: quam multi conuersi ad pœnitentiam pro liberatione terræ sanctæ mancipauerunt se obsequio Crucifixi, & quasi per agonem coronam gloriæ sunt adepti, qui forte in suis iniquitatibus periissent, carnalibus voluptatibus & mundanis illecebris irretiti! Vetus est hoc artificium Iesu Christi, quod ad suorum salutem fidelium diebus istis dignatus est innouare. Si enim aliquis rex temporalis a suis hostibus eiiceretur de regno, nisi vassalli eius pro eo non solum res exponerent, sed personas, nonne, cum regnum recuperasset amissum, eos velut infideles damnaret, & excogitaret in eos inexcogitata tormenta, quibus perderet male malos? sic & rex regum, dominus Iesus Christus, qui corpus & animam, & cætera vobis contulit bona, de ingratitudinis vitio, & infidelitatis crimine vos damnabit: si ei quasi eiecto de regno, quod pretio sui sanguinis comparauit, neglexeritis subuenire. Sciat ergo se culpabiliter durum & dure culpabilem, quicumque in hoc necessitatis articulo suum negauerit obsequium Redemptori. Nam si quis sibi vel modicum quid hereditatis paternæ sentiret dure ablatum: mox secundum morem mundanum totis viribus laboraret, vt suam vindicaret iniuriam, & violentiam propulsaret; nec rebus parceret nec personis, donec ex toto recuperaret amissum. Quomodo ergo poterit excusari qui nec mediocriter laborare studuerit pro punienda sui Redemptoris offensa & eius iniuria vlciscenda, dum parcendo rebus & personis impedit ne locus recuperetur passionis & resurrectionis Dominicæ, in quo Deus rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari? Quomodo etiam secundum præceptum Diuinum diligit proximum suum sicut seipsum, sicut scriptum est, qui scit fratres suos, fide ac nomine Christianos, apud perfidos Saracenos ergastulo diri carceris detineri, ac iugo deprimi grauissimæ seruitutis; & ad liberationem eorum, efficacem operam non impendit, transgrediendo illius naturalis legis mandatum, quod Dominus in euangelio declarauit: *Quæcumque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* An forte nescitis quod apud illos multa millia Christianorum in seruitute ac carcere detinentur, qui tormentis innumeris cruciantur? Et quidem omnes pene Saracenorum prouincias, vsque post tempora sancti Gregorii, Christiani populi possederunt: sed extunc quidam perditionis filius Machomettus pseudopropheta surrexit, qui per sæculares illecebras & voluptates carnales multos a veritate seduxit. Cuius perfidia, etsi vsque ad hæc tempora inualuerit, confidimus tamen in Domino, qui iam fecit nobiscum signum in bonum, quod finis huius bestiæ appropinquat, *cuius numerus*, secundum Apocalypsim Ioannis, *intra sexcenta sexaginta sex clauditur*: in proximo finietur per operationem Spiritus septiformis, qui caritatis igne corda fidelium hactenus frigescentia reaccendet: ex quibus iam pene sexcenti sunt anni completi. Certe propter "priores iniurias grandes & graues Redemptori nostro pro nostris offensis a perfidis Saracenis illatas, nuper in monte Thabor, vbi discipulis suis futuræ glorificationis speciem demonstrauit, iidem perfidi Saraceni quamdam munitionis arcem in confusionem Christiani nominis erexerunt: per quam ciuitatem Acon sibi valde vicinam de facili cogitant occupare, ac deinde sine omni contradictionis obstaculo residuum terræ huius inuadere, cum sit viribus & opibus pene penitus destituta. Eapropter igitur, dilectissimi filii, dissensiones & æmulationes fraternas in pacis & dilectionis fœdera commutantes, accingimini ad obsequium Crucifixi: non dubitantes pro illo res exponere ac personas, qui pro vobis animam suam posuit, & sanguinem suum fudit; certi pariter & securi, quod si vere pœnitentes fueritis, per hunc temporalem laborem, quasi quodam compendio, ad requiem peruenietis æternam. Nos enim de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum apostolorum Petri & Pauli autoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque soluendi contulit potestate, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis,

Matth. 27. Marc. 15. Matth. 16. Luc. 9. Luc. 10. Matth. 7. Luc. 6. Apoc. 13. "Corr. præter

ANNO CHRISTI 1215.

sis, plenam suorum peccatorum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, iuxta facultatem & qualitatem suam, viros idoneos destinauerint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis assumptæ peregrinationis laborem impenderint, plenam suorum veniam concedimus peccatorum. Huius quoque remissionis volumus & concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidii, & deuotionis affectum, omnes qui ad subuentionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum, & bona, ex quo crucem assumpserint, sub sancti Petri & nostra protectione suscipimus: nec non & sub archiepiscoporum, & episcoporum, & omnium prælatorum ecclesiæ Dei defensione consistant: statuentes vt, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant, & quieta consistant. Quod si quisquam contra præsumpserit, per ecclesiarum prælatos, appellatione postposita, censura ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc, ad præstandas vsuras iuramento tenentur adstricti: creditores eorum per ecclesiarum prælatos, vt remittant eis præfatum iuramentum, & ab vsurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit vsurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animaduersione mandamus. Iudæos vero ad remittendas ipsis vsuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem: & donec illas remiserint, ab vniuersis Christi fidelibus, tam in mercimoniis, quam in aliis, per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Vt autem terræ sanctæ subsidium diuisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes & singulos, per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum solum verum, vnum æternum Deum postulantes vice Christi pro Christo, ab archiepiscopis, & episcopis, abbatibus, & prioribus, & tam cathedralium quam conuentualium ecclesiarum capitulis, & clericis vniuersis, nec non ciuitatibus, villis, & oppidis, competentem numerum bellatorum cum expensis ad triennium necessariis secundum proprias facultates. Et si ad hoc, vnum quodlibet non suffecerit, plura coniungantur in vnum: quia pro certo speramus, quod personæ non deerunt, si expensæ non desint: postulantes hocipsum a regibus, & principibus, comitibus, & baronibus, aliisque magnatibus, qui forsitan per seipsos personaliter non accesserint ad obsequium Crucifixi. A ciuitatibus vero maritimis naualesubsidium postulamus. Et ne aliis onera grauia & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro mouere nolimus: protestamur veraciter coram Deo, quia quod ab aliis exigimus faciendum, hoc ipsi prompto animo faciemus. Clericis autem ad hoc negotium necessariis prouidimus indulgendum, vt, omni contradictione cessante, beneficiorum suorum prouentus propter hoc valeant vsque ad triennium pignori obligare. Quia vero subsidium terræ sanctæ multum impediri vel retardari contingeret, si ante susceptionem crucis examinari quemlibet oporteret, an esset idoneus & sufficiens ad huiusmodi votum personaliter prosequendum: concedimus, vt, regularibus personis exceptis, suscipiant quicumque voluerint signum crucis, ita quod, cum vrgens necessitas aut euidens vtilitas postulauerit, votum ipsum de mandato apostolico possit commutari, aut redimi, vel differri. Et propter eamdem causam, remissiones & indulgentias hactenus a nobis concessas procedentibus in Hispaniam contra Mauros, vel contra hæreticos in Prouinciam, reuocamus: maxime cum illis concessæ fuerint ad tempus, quod iam ex toto præteriit; & istis, ob causam quæ iam ex maiori parte cessauit: vtroque negotio per Dei gratiam adeo prouecto, vt vehementem instantiam non requirat; & si forte requireret, nos ingruenti necessitati respicere curaremus. Concedimus tamen, vt huiusmodi remissiones & indulgentiæ apud Prouinciales remaneant & Hispanos.

Cæterū quia cursarii & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo, spoliando transeuntes ad illam, & reuertentes ab illa: nos eos, & principales adiutores & fautores eorum, excommunicationis vinculo innodamus: sub intimatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis tractatu; & iniungentes rectoribus ciuitatum, & locorum suorum, vt eos ab hac iniquitate reuocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare peruersos nihil est aliud quam fouere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obuiare, nec in personas & terras eorum seueritatem ecclesiasticam curabimus exercere, cum tales, non minus quam Saraceni, aduersentur nomini Christiano. Innouamus præterea excommunicationis sententiam in Lateranensi concilio promulgatam aduersus eos qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum, quique in piraticis Saracenorum nauibus curam gubernationis exercent: eosque rerum suarum priuatione mulctari, & capientium seruos, si capti fuerint, fore censemus, præcipientes, vt per omnes vrbes maritimas diebus Dominicis & festiuis huiusmodi sententia publice innouetur. (Concilium Lateranense sub Alexandro III. Can. 4.)

Verum cū longe plus de Diuina clementia, quā de humana potentia confidere debeamus: oportet nos in tali conflictu non tam corporalibus armis quam spiritualibus dimicare. Ideoque statuimus, & mandamus, vt singulis mensibus semel fiat generalis processio seorsum virorum, ac seorsum, vbi fieri poterit, mulierum, in humilitate mentis & corporis cum deuota orationum instantia postulantium, vt misericors Deus auferat hoc a nobis confusionis opprobrium, liberando terram illam, in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta peregit, de manibus paganorum, restituendo eam ad laudem & gloriam nominis sui sancti populo Christiano, prouiso prudenter vbi semper in ipsa processione verbum salutiferæ crucis cum diligenti exhortatione populo proponatur. Orationi vero ieiunium & eleemosyna coniungantur, vt his quasi alis facilius & celerius ipsa volet oratio ad piissimas aures Dei, qui nos clementer exaudiat in tempore opportuno. Singulis quoque diebus intra Missarum solennia, post pacis osculum, cum iam pro peccatis mundi offerenda vel sumenda est hostia salutaris, omnes tam viri quam mulieres humiliter prosternantur ad terram, & a clericis psalmus iste, *Deus venerunt gentes in hereditatem tuam*, alta voce cantetur: (Psalm. 78.) quo cum hoc versu deuote finito, *Exurgat Deus & dissipentur inimici eius; & fugiant a facie eius qui oderunt eum*: (Psalm 67.) sacerdos qui celebrat, orationem istam super altare decantet alta voce:

Deus qui admirabili prouidentia cuncta disponis, te suppliciter exoramus, vt terram, quam vnigenitus Filius tuus proprio sanguine consecrauit, de manibus inimicorum crucis eripiens, restituas cultui Christiano, vota fidelium ad eius liberationem instantium misericorditer dirigendo in viam salutis æternæ. Per eumdem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui, *&c.*

In illis autem ecclesiis, in quibus conueniet processio generalis, truncus concauus statuatur tribus clauibus consignatus, vna penes honestum presbyterum, alia penes deuotum laicum, & tertia penes aliquem

ANNO CHRISTI 1215.

regularem fideliter conſeruandis, in quo clerici, & laïci, viri, & mulieres, eleemoſynas ſuas ponant in terræ ſanctæ ſubſidium conuertendas, ſecundum diſpoſitionem eorum, quibus hæc fuerit ſolicitudo commiſſa. Porro ſuper proceſſu & tranſitu modeſto & ordinato, congruo loco & tempore, faciendo, nondum oportet aliquid diffinire, donec exercitus Domini cruce ſignetur. Sed tunc penſatis vndique circumſtantiis, quæcumque viderimus opportuna, de prudentum virorum conſilio ſtatuemus. Ad hæc igitur exequenda dilectos filios de Salem, & quondam de Nouo caſtro abbates, & C. decanum Spirenſem, & præpoſitum Auguſtenſem, viros vtique probatæ honeſtatis & fidei, deputamus, qui adſcitis ſecum viris prouidis & honeſtis, autoritate noſtra ſtatuant & diſponant quæcumque ad hoc negotium promouendum viderint expedire, facientes quæ ſtatuerint in ſingulis diœceſibus per viros idoneos ad hoc ſpecialiter deputatos fideliter & ſolicite procurari. Quocirca vniuerſitatem veſtram rogamus, monemus, & obſecramus in Domino, per apoſtolica vobis ſcripta mandantes, & in virtute Spiritus ſancti iniungentes, quatenus eis pro Chriſto legatione fungentibus tales vos exhibere curetis, neceſſaria miniſtrantes eiſdem, quod per vos & in vobis fructum faciant exoptatum.

In eodem modo per Magdeburgenſem & Bremenſem prouincias.
In eodem modo per Colonienſem prouinciam.
In eodem modo per Saltzburgenſem prouinciam.
In eodem modo per Treuerenſem prouinciam.
In eodem modo per Poloniam.
In eodem modo per Sueuiam.
In eodem modo per Lundenſem prouinciam.
In eodem modo per Angliam.
In eodem modo per Tuſciam.
In eodem modo per Hiberniam.
In eodem modo per Noruegiam.
In eodem modo vniuerſis per regnum Franciæ conſtitutis.
In eodem modo per Scotiam.
In eodem modo per Sardiniam.
In eodem modo per Dalmatiam.
In eodem modo per Rauennatem, Mediolanenſem, Ianuenſem prouincias conſtitutis.
In eodem modo per marchiam Anconitanam.
In eodem modo per Hungariam.
In eodem modo, Pragenſi archiepiſcopo, & abbatibus, prioribus, & vniuerſis Chriſti fidelibus per Bohemiam conſtitutis.
In eodem modo per Calabriam.

ARCHIEPISCOPO, ET EPISCOPIS, abbatibus & prioribus per Viennenſem prouinciam conſtitutis.

VIneam Domini ſabbaoth multiformes moliuntur beſtiæ demoliri, quarum incurſus adeo inualuit contra ipſam: vt ex parte non modica pro vitibus ſpinæ ſuccreuerint, &, quod gementes referimus, ipſæ iam vites proferant pro vua labruſcam, infectæ multipliciter & corruptæ. Illius ergo teſtimonium inuocamus, qui teſtis eſt in cælo fidelis, quod inter omnia deſiderabilia cordis noſtri duo in hoc ſæculo principaliter affectamus: vt ad recuperationem videlicet terræ ſanctæ, ac reformationem vniuerſalis eccleſiæ, valeamus intendere cum effectu. Quorum vtrumque tantam requirit prouiſionis inſtantiam, vt abſque graui & grandi periculo vltra diſſimulari nequeat vel differri. Vnde ſupplicationes & lacrymas frequenter effudimus coram Deo, humiliter obſecrantes, quatenus ſuper his ſuum beneplacitum reuelaret, ſpiraret affectum, accenderet deſiderium, & propoſitum confirmaret, facultatem & opportunitatem præſtando ad ea ſalubriter exequenda. Quapropter habito ſuper his cum fratribus noſtris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu, prout tanti ſollicitudo propoſiti exigebat, hoc tandem ad exequendum prædicta de ipſorum conſilio prouidimus faciendum, vt quia hæc vniuerſorum fidelium communem ſtatum reſpiciunt, generale concilium iuxta priſcam ſanctorum patrum conſuetudinem conuocemus, propter lucra ſolummodo animarum opportuno tempore celebrandum: in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus, & reformandos mores, eliminandas hæreſes, ad roborandam fidem, ſopiendas diſcordias, & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, & libertatem fouendam, inducendos principes & populos Chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium terræ ſanctæ tam a clericis quam a laïcis impendendum, cum cæteris quæ longum eſſet per ſingula numerare, prouide ſtatuantur inuiolabiliter obſeruanda *. Circa prælatos & ſubditos regulares & ſæculares quæcumque de ipſius approbatione concilii viſa fuerint expedire ad laudem & gloriam nominis eius, remedium & ſalutem animarum noſtrarum, ac profectum & vtilitatem populi Chriſtiani. Quia vero ante biennium, vniuerſale non poſſet concilium commode congregari: diſpoſuimus interim per viros prudentes in ſingulis prouinciis plenius explorare quæ apoſtolicæ prouiſionis limam expoſcunt, & præmittere viros idoneos ad terræ ſanctæ negotium procurandum: vt, ſi exigente neceſſitate ſacrum concilium approbauerit, nos perſonaliter ipſum negotium aſſumamus efficacius promouendum. Credentes igitur hoc ſalutare propoſitum ab illo deſcendere, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, vniuerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta præcipimus, quatenus vos taliter præparetis, quod a præſenti Dominicæ Incarnationis milleſimo ducenteſimo tertiodecimo anno vſque ad duos annos & dimidium, præfixis vobis pro termino Kalendis Nouembris, noſtro vos conſpectui præſentetis cum modeſtia & cautela: ita quod in veſtra prouincia vnus vel duo de ſuffraganeis valeant epiſcopis remanere pro Chriſtianitatis miniſteriis exercendis, & tam illi quam alii, qui canonica forte præpeditione detenti perſonaliter venire nequiuerint, idoneos pro ſe dirigant reſponſales, perſonarum & euectionum mediocritate ſeruata, quam Lateranenſe concilium definiuit, vt nullus omnino plures, quiuis autem pauciores adducere ſecum poſſit, nec quiſquam ſuperfluas faciat & pompoſas, ſed neceſſarias tantum & moderatas expenſas, oſtendendo ſe actu & habitu verum Chriſti cultorem; cum non ſæcularis applauſus, ſed ſpiritualis profectus in hoc ſit negotio requirendus. Iniungatis autem vos, fratres archiepiſcopi & epiſcopi, ex parte noſtra vniuerſis eccleſiarum capitulis, non ſolum cathedralium, ſed etiam aliarum, vt præpoſitum, vel decanum, aut alios viros idoneos, ad concilium pro ſe mittant, cum nonnulla ſint in ipſo tractanda, quæ ſpecialiter ad eccleſiarum capitula pertinebunt. Interim vero & per vos ipſos, & per alios viros prudentes, vniuerſa ſubtiliter inquiratis, quæ correctionis aut reformationis ſtudio indigere videntur, & ea fideliter conſcribentes, ad ſacri concilii perferatis examen, circa ſubuentionem neceſſariam terræ ſanctæ; vbi Deus rex noſter ante ſæcula ſalutem in medio terræ dignatus eſt operari, opem & operam efficaciter impenſuri, aſſiſtendo fideliter & prudenter iis quos deputauimus ad hoc negotium ſpecialiter procurandum. Nullus itaque ſe fallaciter excuſando ab executione tam ſancti operis ſubtrahat, ſi cano-

Ann. 1213.

Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. Canone 4.

ANNO CHRISTI 1215.

canonicam vult effugere vltionem. Nemo dissensionum obstacula vel itinerum impedimenta causetur, quæ, Domino faciente signum in bonum, ex magna iam parte cessare cœperunt. Nam & quanto imminent maiora pericula, tanto potiora remedia conuenit adhiberi: nunquam enim nauigabit per æquora qui semper expectat vt mare non concitet ex se fluctus. Datum Laterani decimotertio Kalendas Maii, pontificatus nostri anno sextodecimo.

In eodem modo, archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus per Moguntinam prouinciam constitutis.

In eodem modo per Bremensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Gegnenensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Saltzburgensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Treuerensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Magdeburgensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Coloniensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Cyprum.

In eodem modo per Eboracensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Tarantasiensem prouinciam constitutis.

In eodem modo per Dublinensem.

In eodem modo per Vpsalensem.

In eodem modo per Ebredunensem.

In eodem modo, Catholico, archiepiscopis & episcopis, nec non abbatibus per Armeniam.

In eodem modo per Casellensem prouinciam.

In eodem modo, archiepisco & episcopis per *Yracliensem prouinciam constitutis.

In eodem modo, archiepiscopo & episcopis per Atheniensem prouinciam constitutis.

In eodem modo, archiepiscopo & episcopis per Thessalonicensem prouinciam constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Larissensem prouinciam constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Patracensem prouinciam constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Cretensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Tuamensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Tarantasiensem prouinciam.

In eodem modo episcopo Pragensi.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Lundensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Strigoniensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Calaritanam prouinciam.

In eodem modo archiepiscopis & episcopis per Viennensem prouinciam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Andrinopolitanam prouinciam.

In eodem modo episcopis per Scotiam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Lugdunensem prouinciam.

In eodem modo episcopo Regensi.

In eodem modo archiepiscopo Maronitano.

In eodem modo archiepiscopo Gertensi.

In eodem modo archiepiscopo Miditensi.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Aquensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Antiuarensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Macrensem.

In eodem modo episcopis per Tusciam, & marchiam Anconitanam, & ducatum Spoleti, constitutis.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Neupratensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Messipolitanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus, per Pisanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Trinopolitanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Verisiensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Tyrensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Philippensem.

In eodem modo per Armacanam prouinciam constitutis.

In eodem modo per Apuliam, & Terram Laboris.

In eodem modo per Calabriam.

In eodem modo per Siciliam.

In eodem modo per Rauennatensem.

In eodem modo per Ragusiensem prouinciam.

In eodem modo per Mediolanensem.

In eodem modo per Arelatensem.

In eodem modo per Narbonensem.

In eodem modo per Iodrensem.

In eodem modo per Idrosiensem.

In eodem modo per Ianuensem.

In eodem modo per Bisuntinam.

In eodem modo per Arborensem.

In eodem modo per Aquileiensem.

In eodem modo per Bulgariam & Blachiam.

In eodem modo per Cantuariensem.

In eodem modo per Spalatinam.

In eodem modo per Gradensem.

In eodem modo per Turritanam.

In eodem modo archiepisco & episcopis, abbatibus, prioribus, per Tarraconensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus, per Toletanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus, per Bracarensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus, per Compostellanam.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Carinthiensem.

In eodem modo archiepiscopo & episcopis per Nazarensem.

In eodem modo archiepiscopis & episcopis, & abbatibus, tam Latinis quam Græcis, per Constantinopolitanam prouinciam.

In eodem modo episcopo Crotonensi.

In eodem modo, illustri Constantinopolitano imperatori: Vineam Domini sabaoth, vsque, Ex se fluctus. postea ponitur hæc clausula: Cum ergo deceat & expediat vt tua imperialis sublimitas ad synodum tam solennem nuntios dirigat speciales: serenitatem tuam monemus, & exhortamur in Domino attentius, quatenus præscripto termino, vita comite, viros idoneos dirigere non postponas, per quos tuæ nobis aperias beneplacitum voluntatis: quia, quantum cum honestate poterimus, ad tuum libenter & efficaciter intendemus commodum & honorem. Datum, &c.

In eodem modo illustri regi Cypri.

In eodem modo regi Noruatiæ.

In eodem modo regi Corkaiæ.

In eodem

ANNO CHRISTI 1215.

In eodem modo regi Lumbricensi.
In eodem modo regi Conacciæ.
In eodem modo regi Mindiensi.
In eodem modo regi Sueciæ.
In eodem modo, regi Aragonum: Nauarræ, Castellæ, Legionensi, Portugallensi regibus, ita quod cuilibet per se.

In eodem modo, magistro & fratribus militiæ templi: Vineam Domini sabaoth, *&c.* vsque, Donum perfectum. Vniuersis archiepiscopis & episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis per vniuersas fere Christianorum prouincias constitutis, per apostolica scripta præcipimus & mandamus, vt seipsos taliter præparent, *&c.* verbis competenter mutatis vsque, Requirendus. Iniungant etiam archiepiscopi & episcopi ex parte nostra vniuersis ecclesiarum capitulis, *&c.* vsque, Fluctus. Cum igitur in hoc generali concilio sint multa tractanda, quæ ad statum vestri ordinis pertinebunt: decet & expedit, vt ad idem concilium viros idoneos destinetis, qui negotia vestra debeant fideliter procurare.

In eodem modo, magistro & fratribus hospitalis Hierosolymitani.

In eodem modo, capitulo Constantinopolitano: Vineam Domini sabaoth, *&c.* vsque, Cum modestia & cautela. Qui vero canonica forte præpeditione detenti, personaliter venire nequiuerint, idoneos pro se dirigant responsales, nec quisquam superfluas, *&c.* vsque, Requirendus. Ideoque discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ei, qui autore Deo Constantinopolitanæ ecclesiæ præsidebit, ex parte nostra quæ præmissa sunt fideliter nuntietis, vt & ipse iuxta priscam formam nostro se conspectui repræsentet; nihilominus de collegio vestro viros idoneos pro vobis ad hoc sacrum concilium transmissuri, cum nonnulla sint in ipso tractanda, quæ specialiter ad ecclesiarum capitula pertinebunt. Interim vero per vos ipsos, & alios viros prudentes, *&c.* vsque, Perferatis examen. Nullus itaque se fallaciter, *&c.* vsque, Ex se fluctus. Datum, *&c.*

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, abbatibus, prioribus, per Lundensem prouinciam: Vineam Domini vsque, Ex se fluctus. Datum, *&c.*

In eodem modo archiepiscopo & episcopis, & abbatibus, prioribus, per Senonensem.

In eodem modo per Rothomagensem prouinciam.

In eodem modo per Bituricensem prouinciam.
In eodem modo per Remensem prouinciam.
In eodem modo per Turonensem prouinciam.
In eodem modo per Burdigalensem prouinciam.

In eodem fere modo Philippo illustri regi Francorum: Vineam Domini sabaoth, *&c.* vsque, Ex se fluctus. Cum ergo deceat & expediat, *&c.* vsque, Commodum & honorem. Datum, *&c.*

In eodem fere modo, abbati & conuentui Cisterciensis ordinis: Vineam Domini sabaoth, *&c.* vsque, Ex se fluctus. Cum igitur hoc in generali concilio, *&c.* vsque, Procurare. Datum, *&c.*

In eodem modo abbati & conuentui Præmonstratensi.

ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, abbatibus, prioribus, cæterisque clericis per regnum Franciæ constitutis.

Pium & sanctum propositum, quod de subuentione terræ sanctæ pro communi vtilitate Deo inspirante concepimus, & perducere satagimus ad effectũ, ex generalibus litteris poteritis aduertere manifeste. Ad hoc igitur salutare propositum exequendum, dilectum filium nostrum R. tituli sancti Stephani in Cælio monte, presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum vtique probatæ honestatis & fidei, destinamus, merito suæ probitatis speciali gratia nobis acceptum: per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus eum vice nostra, immo potius vice Christi, deuote suscipere ac honeste tractare curetis, ipsius salubribus monitis & mandatis humiliter intendentes; præsertim in iis quæ pertinent ad subsidium terræ sanctæ. Nos enim, quod super his & aliis ad suæ legationis officium pertinentibus prouida deliberatione statuerit, præcipimus inuiolabiliter obseruari: concedentes eidem, vt euellat & destruat, ædificet atque plantet, quæ sibi euellenda & destruenda, ædificanda occurrerint & plantanda. Datum, *&c.*

R. TITVLI SANCTI STEPHANI in Cælio monte, presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato.

Vt efficacius possis intendere ad subsidium terræ sanctæ, præsentium tibi autoritate concedimus, vt iis, qui ad tuam vocationem deuote conuenerint ad audiendum verbum salutiferæ crucis, de iniunctis sibi pœnitentiis vice nostra certam valeas indulgentiam impertiri. De torneamentis autem hoc tibi duximus concedendum, vt de virorum prudentum consilio salubriter studeas quod terræ sanctæ vtilitati secundum Deum videris expedire. Datum, *&c.*

ILLVSTRI REGI FRANCORVM.

Qvam sincerum dilectionis affectum erga te ac filium tuum & regnum Franciæ habeamus, nouit ille qui testis est in cælo fidelis, cuius super hoc testimonium secure possumus inuocare. Adeo quippe regni tui exaltationem diligimus, priuilegiata semper opera commendantes quæ processerunt de ipso: quod æquanimius, ecclesiæ Romanæ, quam ipsi regno, sustineremus magnum aliquid aduersitatis accidere, cum facilius hæc quam illud ab imminenti posset periculo liberari. Vt ergo super hoc amplius securus reddaris & certus, mittimus ad tuam regalem præsentiam dilectum filium nostrum R. tituli sancti Stephani in Cælio monte presbyterum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, virum vtique probatæ honestatis & fidei, qui ea, quæ plenius accepit a nobis, expressius tibi referat viua voce: serenitatem tuam monentes, & exhortantes in Domino, quatenus eum recipias, & honeste pertractes, ipsius acquiescendo salubribus monitis & consiliis propter Deum. Datum, *&c.*

In eodem modo, nobili viro Ludouico carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris primogenito.

In eodem modo, nobili mulieri Blancæ vxori nobilis viri Ludouici in Christo filii nostri illustris regis Francorum primogeniti.

PATRIARCHÆ ALEXANDRINO.

Ex litteris quas aliquoties tua nobis fraternitas destinauit, & aliis quoque indiciis, cognouimus euidenter, te non solum ad sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem tuam, verum etiam ad personam nostram specialiter deuotionem habere debitam & deuotam. Propter quod habentes te in visceribus caritatis, tibi compatimur in tribulationibus quas pateris & pressuris: quamquam & tibi & nobis sit in eis potius

ANNO CHRISTI 1215.

potius gloriandum: cum id quod in præsenti est momentaneum & leue tribulationis huiusmodi, supra modum in sublimitate pondus æternæ gloriæ operetur, nec sint condignæ passiones huius temporis ad futurã gloriam reuelandam in illis qui pro Christi nomine patiuntur. Propter quod Apostolus sibi placebat in infirmitatibus suis, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus & angustiis quas sustinebat pro Christo, & cum infirmabatur, tunc maxime potens erat: sciens quod virtus in infirmitate perficitur, & quod licet per eam homo corrumpatur exterior, interior tamen per eamdem iugiter renouatur. Timentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum; qui suos non solum de tribulationis angustia liberat, sed etiam in ipsa tribulatione dilatat: vt quasi meridianus fulgor consurgat eis ad vesperam, &, cum se consumptos putauerint, vt Lucifer oriantur. Benedicas igitur Deo & Patri domini nostri Iesu Christi, qui te in omni benedictione spirituali secundum gratiæ suæ diuitias benedixit, &, vt esses immaculatus in conspectu ipsius, dedit tibi vt non solum credas in Christum, sed vt pro Christo etiam patiaris. Porta ergo, carissime frater, in corpore tuo stigmata Iesu Christi, per quem mundus tibi crucifixus est, & tu mundo: stabilis esto, & aduersus mundanas aduersitates immobilis, abundãs in opere Dei, semper sciens quod labor tuus non est inanis in Domino: & sicut in te Christi passiones abundant, ita & per Christum abundet consolatio tua, qui te supra id quod potes non patietur tentari, sed faciet in ipsa tẽtatione prouentum, vt valeas sustinere: cum iam ipso docente didiceris, in quibus es esse sufficiens, & cum Apostolo scias satiari, scias & esurire, & abundare, & penuriam pati, ac possis in eo qui te confortat, omnia tolerare. Fideles quoque ab infidelibus in captiuitate detentos sedulis exhortationibus corrobora & confirma, ne deficiant in tribulationibus suis, sed cogitantes in luctu victoriam, & præmium in labore, bonum certamen certare non desinant, & fidem seruando cursum feliciter consummare; vt de reliquo coronam iustitiæ merito valeant expectare, quam reddet eis in illa die Dominus iustus iudex: scientes quod nos ad liberationem eorum, studium diligens & operam efficacem, si desuper datum fuerit, satagimus adhibere. Denique ad tuam duximus notitiam perferendum, quod cum inter omnia desiderabilia cordis nostri duo in hoc sæculo principaliter affectemus, vt ad recuperationem videlicet terræ sanctæ, ac reformationem vniuersalis ecclesiæ valeamus intẽdere cum effectu: hoc, ad exequẽdum prædicta, de fratrum nostrorum consilio prouidimus faciendum, vt scilicet, quia hæc vniuersorum fidelium communem statum respiciunt, generale concilium iuxta priscam sanctorum patrum consuetudinem conuocemus opportuno tempore celebrandum: in quo ad extirpanda vitia, & plantandas virtutes, corrigendos excessus, & reformandos mores, eliminandas hæreses, & roborandam fidem, sopiendas discordias, & stabiliendam pacem, comprimendas oppressiones, & libertatem fouendam, inducendos principes & populos Christianos ad succursum & subsidium terræ sanctæ tam a clericis quam laïcis impendendum, cum cæteris quæ longum esset per singula numerare, prouide statuantur inuiolabiliter obseruanda, circa prælatos & subditos, regulares & sæculares, ad Diuini nominis gloriam & honorem, remedium & salutem animarum nostrarum, ac profectum & vtilitatem populi Christiani: patriarchis, archiepiscopis, & episcopis, per vniuersas fere Christianorum prouincias constitutis perscripta nostra mandantes, vt se taliter studeant præparare, quod a præsentis Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo tertiodecimo anno vsque ad duos annos & dimidium, præfixis sibi pro termino Kalendis No-

uembris, nostro se conspectui repræsentent cum modestia & cautela: ita quod qui canonica forte præpeditione detenti, personaliter venire nequiuerint, aut remanserint pro Christianis ministeriis exercendis, idoneos per se dirigant responsales. Quia igitur in tanto negotio tuam desideramus habere præsentiam, fraternitatem tuam rogamus districtius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus si fieri poterit, personaliter ad præsentiam nostram accedas termino suprascripto: quod si forsan venire nequieris, saltem aliquem virum idoneum pro te ad cõcilium mittere non postponas. Tu denique, venerabilis frater in Christo, tuarum nobis apud iustissimum iudicem & piissimum patrem orationum impertire suffragium, quo plurimum indigemus.

A. HIEROSOLYMITANO PATRIARCHÆ, apostolicæ sedis legato.

PIum & sanctum propositum, quod de subuentione terræ sanctæ, pro communi salute, Deo inspirante concepimus, & perducere satagimus ad effectum, ex generalibus litteris ad vniuersas pene Christianorum prouincias destinatis, quarum tibi transcripta dirigimus, intelliges manifeste: super quo, tanto pleniori gaudio hilaresces, quanto profecto id ardentiori desiderio affectasti. Ne vero detestabilis conuersatio quorumdam inhabitantium terram ipsam, huius salutaris executionem propositi aut impediat aut retardet, cum Deum suis nefandis operibus non ad indulgentiam prouocent, sed ad iram: carissimam nobis tuæ fraternitatis prudentiam obsecramus in Domino, quatenus more prudentis medici ad letalem eorum plagam curandam diuersis experimentis vtaris, eosque studeas ad veram pœnitentiam reuocare, si forte salubribus acquiescendo consiliis, Diuinæ virtutis accipiant medicinã, per quam Diuinæ sentiãt medicinæ virtutem. Licet autem dura Saracenorum perfidia non consueuerit humilibus Christianorum precibus emolliri: vt tamen ille nostram humilitatem respiciat, qui superbis resistit, humilibus vero dat gratiam, de virorũ prudentum consilio, Diuinum præ oculis timorẽ habentium, Soldanum Damasci & Babyloniæ, qui hereditatem Christi detinet occupatam, apostolicis prouidimus litteris humiliter præmonendum, secundum formam quam in ipsis litteris videbis expressam. Nam & dispositionibus nostris auditis, quæ vtinam eum possent omnino latere, fortasse omnipotens Deus suum in eum terrorẽ immittet, & benigne rogatus ostendet facere se spontaneum, quod dure compulsus facturum se putaret inuitum. Vnde volumus, & mandamus, quatenus cum nunciis nostris viros prouidos & fideles ad eum facias destinari, qui apud ipsum, nostrum studeant promouere mandatum. Interim autem carissimum in Christo filium nostrum I. Hierosolymitanum regem illustrem, & tam hospitalis quam militiæ templi fratres, cum peregrinis pariter & indigenis, ad defensionem & custodiam huius terræ prudenter moneas, & inducas, ne (quod auertat Dominus) ei quidquam aduersi valeat euenire, Diuino sẽper auxilio inuocato. Quia vero tuã nobis præsentiam ad hoc salutare propositum exequendum valde credimus necessariam, immo quam maxime fructuosam: fraternitatem tuam rogandam duximus & monendam, per apostolica tibi scripta mandantes; quatenus, si videris posse fieri absque graui dispendio terræ sanctæ, præfixum ad vniuersale concilium celebrandum, quam cito poteris, satagas præuenire terminum, ducens aliquos viros tecum in consilio prouidos, & in commisso fideles, qui plene nouerint circumstantias causarum & rerum, temporum & locorum; quibus vndique circumspectis ad delibe-

ANNO CHRISTI 1215.

rationem hereditatis Dominicæ vtilius intendere valeamus. Tu denique, venerabilis frater in Christo, tuarum nobis, apud iustissimum iudicem & piissimum patrem, orationum impertire suffragium, quo plurimum indigemus.

SERMO I.

INNOCENTII PAPÆ III.

In concilio generali Lateranensi habitus.

Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar, id est, antequam moriar. Lucæ 22.

Philipp. 1. QVia mihi viuere Christus est, & mori lucrum, non abnuo, si dispositum est a Deo, bibere calicem passionis, siue pro defensione fidei catholicæ, siue pro subsidio terræ sanctæ, siue pro statu ecclesiasticæ libertatis, mihi fuerit propinatus: quamquam desiderem in carne permanere, donec consummetur opus inceptum. Verùmtamen non mea, sed Dei voluntas fiat. Luc. 22. Et ideo dixi vobis: *Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Multa sunt & varia hominum desideria: quis ea sufficit explicare? Omnia tamen reduci possunt ad duo, spirituale videlicet & carnale: spirituale, quod de cælestibus & æternis; carnale vero, de temporalibus & terrenis. Psal. 118. De isto, propheta dicit in psalmo: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* Cant. 2. Et sponsa dicit in Canticis: *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi: & fructus eius dulcis gutturi meo.* 1. Petr. 2. De illo dicit Apostolus: *Desideria carnis fugite, quæ militant aduersus animam.* Eccl. 23. Et alius: *Desideriū malignum longe fac a me.* Ego autem illius inuoco testimonium, qui testis est in cælo fidelis, quod non carnali, sed spirituali desiderio desideraui hoc pascha mãducare vobiscum: non propter commoditatem terrenã, aut gloriam temporalẽ, sed propter reformationem vniuersalis ecclesiæ, ad liberationem potissimum terræ sanctæ: propter quæ duo principaliter & præcipue hoc sacrum concilium conuocaui. Sed forte dicetis: Quid est hoc pascha quod desideras manducare nobiscum? Pascha namque diuersis modis accipitur in scripturis Diuinis. Luc. 22. Pro die, vnde: *Appropinquauit dies azymorum, qui dicitur pascha*; Leuit. 3. pro hora, vnde: *Quartadecima ad vesperam pascha Domini est*; Luc. 22. pro agno, vnde: *Venit dies azymorum, quando necesse erat occidi pascha*; Ioan. 18. pro azymo, vnde: *Non introierunt prætorium, vt non contaminarentur, sed comederent pascha*; Ioan. 13. pro festo, vnde: *Ante diem festum paschæ, sciens Iesus quia venit hora eius, vt transeat de hoc mundo ad Patrem*; 1. Cor. 5. & etiam pro ipso Christo, vnde: *Pascha nostrum immolatus est Christus.* Sane pascha Hebraice dicitur phase, quod est transitus, Græce vero a πάσχειν, quod est pati: quia per passiones debemus transire Exod. 12. ad gloriam, secundum quod Veritas ipsa dicebat: Luc. 24. *Oportebat pati Christum, & sic intrare in gloriam suam.* Rom. 8. Quia si volumus conregnare, oportet & compati: licet non sint condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Luc. 22. *Hoc pascha*, quod est phase, id est, transitus, *desiderio desideraui manducare vobiscum.* Exod. 12. De quo in Exodo dicitur: *Comedent festinanter.* Est enim phase, id est, transitus Domini. 4. Reg. 24. 2. Paral. 35. Legitur quippe in libro Regum, & in Paralipomenon apertissime continetur, quod 18. anno regni Iosiæ regis restauratum est templum, & celebratum est phase, quale non fuit factum in Israël a diebus iudicum atque regum. Vtinam hæc historia, instantis temporis sit parabola, vt in hoc nostri pontificatus anno 18. tẽplum Domini, quod est ecclesia, restauretur, & celebretur phase, siue pascha, videlicet hoc solenne concilium, per quod fiat transitus de vitiis ad virtutes, quale reuera non fuit factum in Israël a diebus iudicum atque regum, id est, a temporibus patrum sanctorum, atque catholicorũ principum, in populo Christiano, Deum vidente per fidem. Et ego pro certo spero in eo qui suis promittit fidelibus, dicens: *Vbicumque duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi in medio eorum sum*: Matth. 18. quia ipse in medio nostrorum adest, ad celebrandum hoc pascha, qui congregati sumus in hac Saluatoris basilica in nomine Saluatoris, pro his quæ pertinent ad salutem. Triplex autem pascha siue phase desidero vobiscum celebrare, corporale, spirituale, æternale: corporale, vt fiat transitus de loco ad locum, pro miserabili Ierusalẽm liberanda; spirituale, vt fiat transitus de statu ad statum, pro vniuersali ecclesia reformanda; æternale, vt fiat transitus de vita in vitam, pro cælesti gloria obtinenda. De corporali trãsitu clamat ad nos miserabiliter Ierusalem in Threnis per Ieremiam: Thren. 1. *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor similis, sicut dolor meus.* Ergo transite ad me omnes qui diligitis me, vt a tanta miseria me liberetis. Ego enim, quæ solebam esse domina gentium, modo facta sum sub tributo: Ibidem. quæ solebã esse plena populo, modo sedeo quasi sola. *Viæ Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solennitatem*: Ibidem. facti sunt hostes eius in capite: loca sancta profanata sunt vniuersa, & sepulchrum Domini est inglorium, quod solebat esse gloriosum. Vbi colebatur vnigenitus Dei filius Iesus Christus, modo colitur filius perditionis Machomettus. Insultant mihi filii alieni, & improperant lignum crucis, dicentes: Confidebas in ligno: ecce nunc adiuuet, si potest. O quantus pudor, quanta confusio, quantum opprobrium, quod filii ancillæ, vilissimi Agarem, detinent matrem nostram, matrem vniuersorum fidelium ancillatam! illam vtique de qua dicit Psalmista: *Mater Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus*: Psal. 86. vbi Deus rex noster ante sæcula salutem in medio terræ dignatus est operari. Quid itaque faciemus? Ecce ego, dilecti fratres, totum me vobis committo, totum me vobis expono, paratus iuxta consilium vestrum, si videritis expedire, personalem subire laborem, & transire ad reges, & principes, & populos, & nationes: adhuc autem & vltra, si clamore valido eos valeam excitare, vt surgãt ad Domini prælium præliandum, & vindicandam iniuriam crucifixi, qui pro peccatis nostris eiectus est de terra, & de sede sua, quam sanguine comparauit, & in qua vniuersa redemptionis nostræ sacramenta peregit. Quidquid tamen egerint alii, nos sacerdotes Domini hoc negotium specialiter assumamus, subuenientes & succurrentes, in personis & rebus, necessitatibus terræ sanctæ: ita quod nullus omnino remaneat, qui non sit particeps tanti operis, ne sit expers tantæ mercedis. Nam & olim in simili casu per sacerdotes fecit Deus salutem in Israël, quando per Machabæos, vtique sacerdotes, filios Matthatiæ, liberauit Ierusalem & templum de manibus impiorũ. 1. Mach. 4. De spirituali vero transitu Dominus ait ad virum vestitum lineis, habentem atramentarium scriptoris ad renes: *Transi per mediam ciuitatem, & signa Thau super frontes virorum gementium atque dolentium super cunctis abominationibus quæ sunt in medio eius.* Ezech. 9. Deinde dixit sex viris habentibus vasa interitus in manibus suis: *Transite per ciuitatem, sequentes eum, & percutite omnem, super quem non inueneritis Thau. Nemini parcat oculus vester, & a sanctuario meo incipite.* Vir vestitus lineis, habens atramentarium scriptoris ad renes eius, is debet esse qui loquatur, vir virtutibus virens, qualis erat ille de quo dicit scriptura: *Vir erat in terra Hus nomine Iob, & erat vir iste simplex & rectus, ac timens Deũ, & recedẽs a malo.* Iob 1. *Vestitus lineis*, id est, honestis moribus, & bonis ope-

ANNO CHRISTI 1215. nis operibus adornatus. Iuxta quod alibi dicitur: *Omni tempore vestimenta tua sint candida*, id est, opera tua munda. Linum enim munditiam & honestatem designat propter candorem, ad quem per carnis macerationem & contritionem perducitur, de quo vestis sacerdotalis fiebat in lege. Scriptor autem egregius & supremus Spiritus sanctus est digitus Dei, quo scriptæ fuerunt duæ tabulæ testamenti. De quo dicit Psalmista: *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*. Huius scriptoris atramentarium est donum scientiæ: de quo per calamum linguæ, atramentum doctrinæ profertur, & in cordis super-scribitur pergameno. In renibus sedes est desiderii, de quibus Dominus præcipit: *Renes vestros accingetis*. Et Psalmista orabat ad Dominum: *Vre renes meos & cor meum*. Ille igitur habet atramentarium scriptoris, qui per donum scientiæ sibi a Spiritu sancto datum desideria carnis cohibet & restringit, vt vita non discrepet a doctrina, ne sibiipsi dicatur: *Medice cura te ipsum: qui prædicas non furandum, furaris: qui doces non mœchandum, mœcharis*. Propterea Veritas ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris*. Hinc transire præcipitur per mediam ciuitatem, & signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium. T est vltima littera Hebraici alphabeti, exprimēs formam Crucis, qualis erat antequam Domino crucifixo Pilatus titulum superponeret: quam & sanguis agni positus super vtrumque postem, & in superliminaribus domorum mirifice designabat. Hoc signum gerit in fronte, qui virtutem crucis ostendit in opere: vt iuxta quod dicit Apostolus: *Crucifigat carnem suam cum vitiis & concupiscentiis*: idemque cum Apostolo dicat: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Tales profecto dolent & gemunt super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio ciuitatis: quia peccata proximorum frixoria sunt iustorum. *Quis*, inquit Apostolus, *infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Vir ergo vestitus lineis habens atramentarium scriptoris ad renes debet transire per mediam ciuitatem, & signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius: quoniam summus pontifex, qui super domum Israël constitutus est speculator, transire debet per vniuersam ecclesiam, quæ est ciuitas regis magni, ciuitas posita supra montem, inuestigando & inquirendo merita singulorum: ne dicant bonum malum, vel malum bonum; ne ponant tenebras lucem, & lucem tenebras; ne mortificent animas quæ non moriuntur, aut viuificent animas quæ non viuunt. Et ideo, vt distinguat & discernat inter illos & istos, debet signare Thau super frontes virorum gementium & dolentium, quatenus ostendat eos, qui dolent & gemunt super abominationibus quæ in medio ecclesiæ perpetrantur, signatos esse Thau in frontibus suis. Tales profecto pro culpa dolent, & pro infamia gemunt super abominationibus, quæ fiunt in medio ciuitatis: quoniam in tantum iam processit abominatio, quod & infamis est culpa, & est culpa infamia. Vnde si foderimus studiose parietem, sicut prophetæ præcipitur, videbimus abominationes maiores, abominationes pessimas, quas nonnulli exercent in templo. Sex viri habentes vasa interitus vnusquisque in manu sua, vos esse debetis viri virtutum: sex quidem propter numeri sacramentum, vt perfecti sitis in opere ac sermone: senarius enim numerus est perfectus, eo quod redditur ex suis partibus aggregatis. Vnde sexta die perfecit Deus cælum & terram, & omnem ornatum eorum. Et cum in plenitudine temporis, sexta venisset ætate, sexta die, sub hora sexta, genus redemit humanum. Ideoque sex vltima verba dixit in cruce. Vas interitus, quod tenere debetis in manibus vestris ad interimendum scelestos, est pontificalis autoritas, quam exercere debetis in opere ad perimendum iniquos, exemplo Psalmistæ dicentis: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem*. De his vasis alibi dicitur: *Tetendit arcum suum, & parauit illum, & in ipso parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit*. Vobis ergo præcipitur: Transite per mediam ciuitatem, sequentes eum, summum videlicet sacerdotem, quasi ducem, principem, & magistrum, vt percutiatis interdicendo & suspendendo, excommunicando & deponendo, prout culpæ qualitas postulauerit, omnem super quem nō inueneritis Thau signatum ab ipso, qui claudit, & nemo aperit; aperit, & nemo claudit. Signatis enim nocendum non est, iuxta quod alibi dicitur: *Nolite nocere terræ, neque mari, neque arboribus, quoadusque signemus seruos Dei nostri in frontibus eorum*. De cæteris autem dicitur: *Nemini parcat oculus vester*, vt non sit in vobis personarum acceptio, recolentibus illud quod Moyses legitur dixisse Leuitis: *Si quis est Domini, iungatur mihi. Ponat vir gladium super femur suum. Ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum. Feceruntque filii Leui iuxta sermonem Moysi*. Et vos similiter faciatis. Porro sic percutite, vt sanetis; sic occidite, vt viuificetis: eius exemplo qui ait: *Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo. Et a sanctuario meo*, inquit, *incipite. Tempus enim est*, sicut beatus Apostolus ait, *vt iudicium incipiat a domo Domini*. Nam omnis in populo corruptela principaliter procedit a clero; quia si sacerdos, qui est vnctus, peccauerit, facit delinquere populum: quippe dum laici vident turpiter & enormiter excedentes, & ipsi eorum exemplo ad iniquitatem & scelera prolabuntur. Cumque reprehenduntur ab aliquo, protinus se excusant, dicentes: Non potest filius facere, nisi quod viderit patrem facientem: &, sufficit discipulo, si sit sicut magister eius. Impletum est illud propheticum: *Erit sicut populus, sic sacerdos*: quinimmo, *erubesce Sidon, ait mare*. Hinc etiam mala prouenerunt in populo Christiano. Perit fides, religio deformatur, libertas confunditur, iustitia conculcatur, hæretici pullulant, insolescunt schismatici, perfidi sæuiunt, præualent Agareni. De transitu autem æternali Dominus ait: *Beati sunt serui illi, quos, cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes: amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit eis*. De hoc transitu sane martyres gloriantur in psalmo, dicentes: *Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium*. Hoc pascha præ cæteris desidero manducare vobiscum in regno Dei. Est autem manducatio corporalis, & spiritualis. De illa dicitur: *Date illis manducare*: de ista dicitur: *Macta, & manduca*. Item manducatio culpæ, & manducatio pœnæ. De illa dicitur: *Manducauerunt sacrificia mortuorum*: de ista legitur: *Gladius meus manducabit carnes*. Rursus est manducatio doctrinalis, & est manducatio pœnitentialis. De illa dicitur: *Ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis*: de ista legitur: *Cinerem sicut panem manducauerunt*. Est præterea manducatio eucharistiæ, & manducatio gloriæ. De illa dicitur: *Qui manducat me, vita viuet propter me*: de ista legitur: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei*. Hac vltima manducatione præcipue desidero manducare vobiscum hoc pascha, vt transeamus de labore ad requiem, de dolore ad gaudium, de infelicitate ad gloriam, de morte ad vitam, de corruptione ad æternitatem; præstante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Marginal references: Eccl. 9. Psal. 44. Exod. 12. Psal. 25. Luc. 4. Rom. 2. Luc. 12. Gal. 5. Gal. 6. 2. Cor. 11. Isa. 5. Ezech 13. Ezech. 12. Gen. 1. Psal. 100. Psal. 7. Apoc. 3. Apoc. 7. Ezech. 9. Exod. 32. Deut. 32. Ezech 9. 1. Pet. 4. Leuit. 4. Ioan. 5. Osee 4. Isa. 23. Luc. 12. Psal. 65. Matth. 14. Act. 10. Psal. 105. Deut. 32. Ioan. 4. Psal. 101. Ioan. 6. Luc. 14.

ANNO CHRISTI 1215.

SERMO II.

INNOCENTII PAPÆ III.

In concilio generali Lateranensi habitus.

Psal. 67. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in specie auri.*

DVo sunt nobis ad meritum necessaria, vita scilicet & doctrina. Alterum propter nos, alterum propter proximos. Cœpit enim Iesus docere & facere, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: peccatum non fecit, vt sit honestas in vita; nec inuentus est dolus in ore eius, vt sit veritas in doctrina. Quæ duo commendantur nobis in verbis propositis. De vita præmittitur: *Si dormiatis.* De doctrina subiungitur: *Inter medios cleros.* Hinc est igitur, quod a veste pontificali dependebant mala granata, cum tintinnabulis aureis. Per malum granatum accipitur operatio, per tintinnabulum aureum intelligitur prædicatio: quæ duo debent in sacerdote coniungi, ne sine illis ingrediens sanctuarium, moriatur. (Ibidem.)

Quia vero per meritum peruenitur ad præmium, recte post meritum promittitur præmium. Quod & duplex promittitur; vnum in præsenti, & alterum in futuro. Pietas enim promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ, vt centuplum accipiat, & vitam æternam possideat: centuplum in præsenti, vitam æternam in futuro. De præsenti præmittitur: *Pennæ columbæ deargentatæ.* De futuro subiungitur: *Et posteriora dorsi eius in specie auri. Quoniam misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.* Gratiam in præsenti præstat ad meritum, gloriam in futuro præstabit ad præmium. Est autem duplex dormitio, vna mortis, altera vitæ: sed vtraque diuiditur: nam alia est dormitio mortis corporalis, & hæc est pœna; & alia dormitio spiritualis, & hæc est culpa. De prima Dominus inquit apostolis: *Lazarus amicus noster dormit:* & Apostolus ait: *Nolo vos ignorare de dormientibus*, &c. de secunda dicit Dauid: *Numquid qui dormit non adiiciet vt resurgat?* & Apostolus inquit: *Surge qui dormis: exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.* (Psal. 83. Ioan. 11. 1. Thess. 4. Psal. 40. Ephes. 5.)

Hoc autem tribus modis admittitur, per ignorantiam, negligentiam, & concupiscentiam. De somno ignorantiæ dicit Psalmista: *Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte.* De somno negligentiæ Salomon ait: *Vsquequo piger dormis? quando consurges de somno tuo? paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus tuas, vt dormias: & veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus.* De somno cōcupiscentiæ dicit Dauid: *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Cæterum dormitio vitæ duplex quoque legitur in scripturis: vna vitæ corporalis prouemens ex natura, altera vitæ spiritualis procedens ex gratia. De prima Dominus dixit apostolis: *Dormite iam, & requiescite*: de secunda, sponsa dicit in Canticis: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Sic & nos carissimi vigilemus, & dormiamus: sed dormiamus a malis, & vigilemus in bonis. (Psal. 12. Prou. 6. Psal. 73. Matth. 26. Cant. 5.)

Siquidem vitæ perfectio in duobus consistit, in declinandis vitiis, & in exercendis virtutibus, secundum illud: *Diuerte a malo, & fac bonum.* Per alterum vitamus supplicium, per alterum acquirimus præmium. Quæ duo per dormitionem conuenienter intelliguntur. Somnus enim, vt asserunt qui de rerum naturis edisserunt, est quies animalium virtutum, cum intentione naturalium. Nos autem, qui spirituales sumus, spiritualiter has in spiritu possumus inuenire. Sunt enim tres naturales vires in anima, vis rationalis, vis concupiscibilis, vis irascibilis. Rationabilitas quasi vis digestiua, quæ discernit inter bonum & malum, inter lucem & tenebras, inter sanctum & profanum: concupiscibilitas, quasi vis appetitiua, bonum eligit, lucem appetit, & sanctum inquirit: irascibilitas, quasi vis expulsiua, malum abiicit, tenebras repellit, & profanum respuit. Econtra sunt tres animales defectus in anima, ignorantia, negligentia, & concupiscentia. Contra rationabilitatem, est ignorantia; contra irascibilitatem, negligentia; contra concupiscibilitatem, concupiscentia. Ab his tribus vitiis maxime nobis est dormiendum. Nam ex negligentia procedit delictum, ex concupiscentia procedit peccatum, ex ignorantia prouenit delictum atque peccatū. Differt enim inter delictum & peccatum: quia delictum in omittendo, peccatum in committendo consistit. Delictum vtique est non facere faciendum; peccatum vero agere non agendum. Dormiendum est nobis ab ignorantia, præsertim ab ignorantia mandatorum in præceptis Diuinis, & officiorum in sacramentis ecclesiasticis: quæ duo sine periculo non possumus ignorare. Scriptum est enim: *Ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam. Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulabant.* Ait autem Deus prophetæ: *Tu scientiam repulisti, & ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi. Et populus meus captiuus ductus est, quia non habuit scientiam: & nobiles eius interierunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Noluit intelligere vt bene ageret: iniquitatem meditatus est in cubili suo. Nam si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Caueamus igitur nos præcipue ignorantiam, quibus datum est ex officio nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in parabolis. Nos enim debemus esse boues arantes, cæteri sunt asinæ iuxta pascentes. Nos psallentes Deo repromittimus: *In tuis iustificationibus meditabor, non obliuiscar sermones tuos.* Nos debemus esse lux mūdi. Si vero lumen quod in nobis est tenebræ fiat, tenebræ quantæ erunt? Nos debemus esse sal terræ. *Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Quiescat igitur ignorantia, & rationabilitas intendatur, secundum illud: *Rationabile sit obsequium vestrum:* &: *Parati sitis reddere rationem omni poscenti vos de ea, quæ in vobis est, fide.* Hoc enim est logion, siue rationale, quod pontifex ferebat in pectore, in quo scriptum est vrim & tummim, id est, manifestatio & veritas. Nam in pectore sacerdotis manifesta debet esse cognitio veritatis, secundum illud propheticum: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est.* Erat autem rationale quadrangulum: quia sacerdos debet discernere inter quatuor: inter verum & falsum, ne deuiet in credendis; inter bonum & malum, ne deuiet in agendis. Erat & duplex: quia debet discernere pro duobus, pro se & pro populo: ne, si cęcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadant. Dormiamus ergo ab ignorantia: quia non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël. Non dormitabit a pœna, nisi nos dormiamus a culpa. Dormiendum est quoque nobis a negligentia, præsertim in oratione quæ spectat ad Dominū, & correctione quæ spectat ad proximum: quæ duo non possumus sine peccato negligere. Quidam enim orant tam negligenter & indeuote, quod ore quidem loquūtur cælestia, sed corde meditantur terrena; quibus Dominus improperat per prophetam: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorū longe est a me.* De talibus legitur: *Ore suo benedicebāt, & corde suo maledicebāt.* (Psal. 94. Osea 4. Isai 5. Psal. 35. 1. Cor. 2. Matth. 13. Psal. 118. Matth. 5. Rom. 12. 1. Petr. 3. Mal. 2. Isai. 26. Psal. 61.)

Ore

ANNO CHRISTI 1215.

Ore suo benedicunt, qui loquuntur eloquia veritatis; sed corde maledicunt, qui meditantur inania vanitatis. Alii vero tam festinanter orant & indiscrete, quod medio prætermisso non proferunt nisi caput & caudam. Sed qui semetipsum non audit, quomodo Deus illum exaudiet? Qui taliter orat, non inclinat Deum ad indulgentiam, sed prouocat illum ad iracundiam. Tu autem cum oras, intra in cubiculum, & clauso ostio ora Patrem tuum. Intra in cubiculum cordis, ostio sensuum intercluso, ne muscæ morientes perdant suauitatem vnguenti. Ora Patrem tuum non in multiloquio, sicut ethnici faciunt, qui putant in multiloquio exaudiri, sed in corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Sic orauerunt Moyses & Susanna, qui clamauerunt ad Dominum, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Clamauerunt, non tam vocis intentione, quam cordis deuotione, dicente psalmista: (Psal. 56.) *Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.* Hinc & Apostolus ait: (Ephes. 5.) *Cantantes & psallentes in cordibus vestris.* Deus enim non tam auditor est vocis, quam cordis: nec est admonendus clamoribus, qui renum est scrutator & cordium. Quod Anna gerens typum ecclesiæ legitur (1. Reg. 1.) obseruasse, quæ non petitione clamosa, sed oratione deuota, quod petiit, impetrauit. Legitur enim in libro Regum, quod Anna loquebatur in corde suo, tantumque labia sua mouebantur, & vox penitus non audiebatur. Vnde in psalmo: (Psal. 4.) *Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.* Quia (Psal. 50.) *sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Expedit tamen vt oris pronuntiatio deuotum comitetur affectum: quia quod facit flatus carboni, hoc facit pronuntiatio deuotioni. Audi psalmistam: (Psal. 65.) *Ad ipsum ore meo clamaui: & exaltaui sub lingua mea.* Vos ergo, carissimi, cum oratis, state coram Domino Deo nostro compuncti, humiles & deuoti, sine motu, sine risu, sine cachinno; nolite nimium clamare, nimium festinare, sed pronuntiate distincte ad intelligendum: quia (Ierem. 48.) *maledictus homo qui opus Dei agit negligenter.* Ergo (Psal. 2.) *seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* præsertim in sacrificio in quo mortis Christi memoria celebratur. (Luc. 22.) *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem.* Et Apostolus dicit: (1. Cor. 11.) *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* In quolibet enim officio negligentia est peccatum, sed in sacrificio est periculum: quoniam qui manducat indigne, iudicium sibi manducat, non diiudicans corpus Domini. Caueamus quoque negligentiam in correctione peccantium. Quidam enim sunt canes muti, non valentes latrare, palpantes vitia peccatorum, vel cupiditatis amore, vel fragilitatis timore: cupiditatis amore, ne forte perdant oblationes aut decimas; fragilitatis timore, ne forte incurrant indignationem aut odium. Contra tales dicitur per prophetam: (Ezech. 13.) *Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis.* Item: (Isa. 56.) *Ipsi ædificabant parietem, illi autem liniebant eum rursus. Prophetæ tui viderunt tibi stulta & falsa, nec aperiebant tibi iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent.* Econtra præcipitur: (Isa. 58.) *Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Hinc Apostolus dicebat Ephesiis: (Act. 20.) *Mundæ sunt manus meæ a sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Audi prophetam: (Isa. 6.) *Væ mihi, quia tacui: quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito.* Non timuit Ioannes Herodem, quo minus eum libere reprehenderet, propter Herodiadem, quam viuente viro suo Philippo, tenebat vxorem. (Marc. 6.) Quiescat ergo negligentia, & irascibilitas intendatur, secundum illud: (Psal. 4.) *Irascimini, & nolite peccare*, id est irascimini vitiis, ne peccetis. Hic est zelus ille, quo Christus accensus eiecit vendentes & ementes de templo, (Ioan. 2.) secundum illud: (Psal. 68.) *Zelus domus tuæ comedit me*: quo succensus Phinees Iudæum cum Madianitide coeuntem pugione transfodit. (Num. 25.) Discretus ergo sacerdos contra rebelles & obstinatos seueritatem exerceat, erga humiles & pœnitentes exhibeat pietatem. Non illum sequimini semiuiuo mortuo relicto in vulneribus, (Luc. 10.) quem Samaritanus duxit in stabulum, & vinum superinfudit & oleum. Et in arca tabernaculi virga continebatur & manna. Dormiendum est quoque nobis ab omni concupiscentia, præsertim a concupiscentia rerum quæ procedit ex auaritia, & concupiscentia mulierum quæ prouenit ex luxuria. Scriptum est enim: (Eccles. 10.) *Nihil est auaro scelestius, & nihil iniquius quam amare pecuniam.* Verbum est sapientis, quod confirmat Apostolus dicens: (1. Tim. 6.) *Qui volunt fieri diuites, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inutilia, & nociua, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem: radix enim omnium malorum est cupiditas.* Et alibi: (Ephes. 5.) *Auaritia est idolorum seruitus.* Audite quid contra cupidos sacerdotes dicat propheta: (Mich. 3.) *Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant.* (Prou. 27.) *Infernus & perditio nunquam replentur, similiter & oculi hominum insatiabiles.* (Prou. 30.) *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes: Affer, affer.* Nam crescit amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit. (1. Ioan. 2.) *Porro transit mundus & concupiscentia eius.* (Psal. 48.) *Ne timeamus ergo, cum diues factus fuerit homo, & multiplicata fuerit gloria domus eius. Non enim, cum morietur, accipiet hæc omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Nec hoc dico, quin liceat diuitias habere, sed quia non licet diuitiis inhærere, secundum illud: (Psal. 61.) *Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere.* Nullus ergo vestrum alienum parochianum seducat, aut alienam parochiam inuadat. Præceptum est enim, vt nemo mittat falcem in messem alienam, neque transgrediatur terminos, quos posuerunt patres nostri. Caueamus nihilo minus a concupiscentia mulierum. Nam (Eccles. 19.) *vinum & mulieres faciunt apostatare sapientes.* Et propter speciem mulieris multi perierunt. (Prou. 7.) *Viæ inferi domus eius, penetrantes in interiora mortis.* Semper illam præcedunt ardor & petulantia, semper comitantur fœtor & immunditia, semper sequuntur dolor & pœnitentia. (Prou. 5.) *Fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara sicut absynthium, & acuta quasi gladius biceps.* Familiaris est inimicus, habitans non procul, sed prope; non extra, sed intra. Nam virtus eius in lumbis eius, & fortitudo illius in vmbilico ventris eius. Nunquam fugatur, nisi cum fugitur: nunquam mactatur, nisi cum maceratur. Nos autem in sacris ordinibus constituti, iam ex necessitate tenemur pudicitiam custodire. Scriptum est enim, quod cum Dauid fugeret persecutionem Saul, venit in Nobe ad Achimelech sacerdotem, postulans sibi dari quinque panes ad esuriem expellendam. Et respondit sacerdos: (1. Reg. 21.) *Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum. Si mundi sunt pueri, maxime a mulieribus, manducent.* Non dixit, si habent fidem, spem, & caritatem; si habent iustitiam, fortitudinem, prudentiam & temperantiam; si habent spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii & fortitudinis, spiritum scientiæ & pietatis,

 &

ANNO CHRISTI 1215.

& spiritum timoris Domini: sed dixit, *Si mundi sunt, maxime a mulieribus, manducent*: quia panem sanctum digne manducare non possunt, nisi qui mundi sunt a coitu mulierum. Quiescat ergo concupiscentia, & concupiscibilitas incendatur, secundum illud: *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.* (Psal. 118.) Incendatur autem per tres principales virtutes, fidem, spem, & caritatem: vt rationabilitas illuminetur per fidem, irascibilitas confortetur per spem, concupiscibilitas informetur per caritatem. Illuminetur autem per fidei veritatem, vt rationabilitas expellat errorem ignorantiæ; confortetur per spei stabilitatem, vt irascibilitas excludat torporem negligentiæ; informetur per caritatis sinceritatem, vt concupiscibilitas extinguat B ardorem concupiscentiæ. Dormiamus igitur, sed inter medios cleros, id est, in medio clerorum, secundum idioma Græcorum. Ad litteram nos inter medios cleros totius orbis existimus, propterea nequeunt opera nostra latere, siue bona sint, siue mala. *Luceat ergo lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est*: (Matth. 5.) vt cortina cortinam trahat, & qui audit dicat: Veni. Aliter tamen hoc possumus intelligere: κλῆρος enim Græce sors vel hereditas interpretatur, vnde clerici dicuntur, quod in partem Domini sint sortiti, secundum illud: *Dominus pars hereditatis meæ.* (Psal. 15.) Est autem triplex hereditas, infima, media, C & suprema. Infima est terrena, de qua legitur: *Dedit terram eorum hereditatem, hereditatem Israel seruo suo.* (Psal. 135.) Media est sacra scriptura, de qua dicitur: *Hereditate acquisiui testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt.* (Psal. 118.) Suprema est beatitudo cælestis, de qua legitur: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hereditas mea præclara est mihi.* (Psal. 15.) Quælibet hereditatum istarum suas habet medietates. Terrena possessio res mobiles & immobiles, sacra scriptura spiritum & litteram, beatitudo cælestis stolam mentis, & stolam carnis. Inter hos medios cleros, inter has medias hereditates, dormire debemus: aliter autem & aliter: est enim medium, quod vtrumque extremorum contingit; & est medium, quod neutrum extremorum contingit; & D est medium, quod alterum tantum extremorum contingit. Verbi gratia, medium, quod vtrumque extremorum contingit, est aër, qui medius inter cælum & terram, vtrumque contingit. Medium, quod neutrum extremorum contingit, est sol, qui medius inter cælum & terram, neutrum contingit. Medium quod alterum extremorum tantum contingit, est arbor, quæ media inter cælum & terram alterum tantum contingit. Ad hunc modum inter hos medios cleros, inter has medias hereditates dormire debemus. Dormiamus igitur inter medios cleros possessionis terrenæ, per vim irascibilem, vt in neutra sui parte quiescamus, secundum illud quod legitur: *Filioli, nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt.* (1. Ioan. 2.) Dormiamus inter medios cleros sacræ E scripturæ per vim rationalem, vt in altera tantum sui parte quiescamus, secundum quod legitur: *Littera occidit: spiritus autem viuificat.* (2. Cor. 3.) Dormiamus inter medios cleros cælestis beatitudinis per vim concupiscibilem, vt in vtraque parte quiescamus, secundum hoc quod legitur: *Gaudete & exultate, quia merces vestra copiosa est in cælis.* (Matth. 5.) Gaudete pro stola cordis, & exultate pro stola corporis. Si sic dormierimus, profecto nos sumus pennæ columbæ deargentatæ. Sicut per columbam designatur ecclesia, sic per pennas columbæ designantur sacerdotes ecclesiæ, qui verbis & exemplis eam subleuant ad cælestia. Vnde sponsus de sponsa dicit in Canticis: *Vna est columba* (Cant. 6.)

A *mea, perfecta mea.* Cuius pennas perfecte prophetа describens, dicit: *Qui sunt hi qui vt nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* (Isa. 62.) Pennæ deargentatæ sunt illi qui Diuinis sunt eloquiis eruditi, secundum illud: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.* (Psal. 11.) Hinc alibi dicitur: *Oculi tui sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, sedentes super fluenta plenissima.* (Cant. 5.) Sunt autem pennæ virtutis, pennæ contemplationis, & pennæ doctrinæ. De primis legitur: *Volauit super pennas ventorum.* (Psal. 17.) De secundis dicitur: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* (Psal. 54.) De tertiis autē scribitur: *Iunctæ erant pennæ vnius ad alterum.* (Ezech. 1.) Porro sunt pennæ B veræ, sunt quidem & falsæ. Veræ sunt pennæ iustorum, qui signantur per pennas erodii. Falsæ sunt pennæ hypocritarum, quæ signantur per pennas struthionis. Legitur enim in Iob: *Penna struthionis similis est pennæ erodii & accipitris.* (Iob. 39.) Pennæ sumus despicientes mundana per vim irascibilem, dormientes inter medios cleros possessionis terrenæ. Pennæ columbæ sumus, appetentes cælestia per vim concupiscibilem, dormientes inter medios cleros beatitudinis sempiternæ. Pennæ deargentatæ sumus, intelligentes Diuina per vim rationabilem, dormientes inter medios cleros sacræ scripturæ. Nec tantum in præsenti sumus pennæ columbæ deargentatæ, sed C posteriora dorsi eius in specie auri. Sicut dorsum laborem vitæ præsentis significat, secundum illud, *Supra dorsum meum fabricauerunt peccatores*: (Psal. 118.) ita posteriora dorsi requiem futuræ vitæ designant, secundum illud: *Iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor: quoniam priora transierunt.* (Apoc. 21.) Ergo posteriora dorsi, id est, requies post laborem, erit in specie auri, hoc est in gloria contemplationis, quæ per fulgorem auri congrue designatur: propter illud: *Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum.* (Sap. 3.) Ad quam gloriam nos perducat Dominus Iesus Christus, qui est Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

DECRETA
D GENERALIS CONCILII
LATERANENSIS IV.
sub Innocentio papa III.

TITVLI CAPITVLORVM.

20. De

20. *De chrismate & Eucharistia sub sera conseruanda.*
21. *De confessione facienda, & non reuelanda a sacerdote, & saltem in pascha communicando.*
22. *Quod infirmi prius prouideant animæ quam corpori.*
23. *Quod ecclesia cathedralis vel regularis vltra tres menses non vacet.*
24. *De electione facienda per scrutinium vel compromissum.*
25. *Quod electio facta per sæcularem potestatem non valeat.*
26. *De pœna indigne confirmantis electionem.*
27. *De instructione ordinandorum.*
28. *Quod compellantur cedere qui postulauerunt licentiam cedendi.*
29. *Quod nullus habeat duo beneficia cum cura annexa.*
30. *De idoneitate instituendorum in ecclesiis.*
31. *De filiis canonicorum non instituendis cum patribus.*
32. *Vt patroni competentem portionem dimittant clericis.*
33. *De procurationibus non accipiendis sine visitatione.*
34. *De subditis non grauandis sub prætextu seruitii alicuius.*
35. *De causa appellationis exprimenda.*
36. *Quod iudex possit interlocutoriam & comminatoriam sententiam reuocare.*
37. *De litteris non impetrandis vltra duas diætas, & sine speciali mandato.*
38. *De scribendis actis, vt probari possint.*
39. *De restitutione danda contra possessorem, quæ non rapuit ipse.*
40. *De vera possessione.*
41. *De continuatione bonæ fidei in omni præscriptione.*
42. *De sæculari iustitia.*
43. *Ne sine causa clericus fidelitatem laïco faciat.*
44. *Quod constitutiones principum non præiudicent ecclesiis.*
45. *Patronus, qui clericum ecclesiæ occiderit vel mutilauerit, ius patronatus amittit.*
46. *De talliis a clericis non exigendis.*
47. *De forma excommunicandi.*
48. *De modo recusandi iudicem.*
49. *De pœna excommunicantis iniuste.*
50. *De restricta prohibitione matrimonii.*
51. *De pœna contrahentium clandestina matrimonia.*
52. *De testimonio de auditu reprobando in causa matrimonii.*
53. *De his qui prædia sua in fraudem decimarum dant aliis excolenda.*
54. *Vt decimæ ante tributa soluantur.*
55. *Vt de terris acquirendis, non obstantibus priuilegiis, decimæ dentur.*
56. *Ne propter pactum aliquorum amittat decimas presbyter parochialis.*
57. *De interpretandis priuilegiorum verbis.*
58. *De eodem in fauorem episcoporum.*
59. *Quod nullus religiosus fideiubeat sine licentia abbatis & conuentus.*
60. *Vt abbates non extendant se ad officium episcopale.*
61. *Ne religiosi recipiant decimas de manu laïcali.*
62. *Ne reliquiæ sanctorum ostendantur extra capsam: ne nouæ habeantur in veneratione sine Romana ecclesia.*
63. *De simonia.*
64. *De eadem circa monachos & sanctimoniales.*
65. *De eadem circa illicitam pecuniæ extorsionem.*
66. *De eadem circa cupiditatem clericorum.*
67. *De vsuris Iudæorum.*
68. *Vt Iudæi discernantur a Christianis in habitu.*
69. *Ne Iudæi publicis officiis præficiantur.*
70. *Ne conuersi ad fidem de Iudæis, veterem ritum Iudæorum retineant.*

CAPITVLA.

G. C. Ea græce simul ac latine damus ex codice Mazarino, qui eiusdem est atque concilium ipsum ætatis: in quo Græca Latinis e regione respondent. Primum tamen caput, & secundi partem, aliaque nonnulla, Latine tantum edimus: quia iis partibus mancus est codex.

Eius autem aspectus vnus conuincere facile potest eos qui decretis hisce Lateranensibus derogant fidem. Græca vero interpretatio, eadem ætate facta, vtriusque concordiam ecclesiæ demonstrabit. Aderant siquidem concilio Constantinopolitanus & Hierosolymitanus patriarchæ: miserant legatos suos Alexandrinus & Antiochenus: ex iis patriarchatibus metropolitæ, aliique episcopi multi, conuenerant. Qui vt secum decreta concilii referrent, Græcam in linguam, quamuis ineleganter, immo multis in locis barbare, translata sunt.

I. *De fide catholica.*

Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod vnus solus est verus Deus, æternus, & immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus; tres quidem personæ, sed vna essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus ab vtroque pariter, absque initio semper & fine. Pater generans, Filius nascens, & Spiritus sanctus procedens; consubstantiales & coæquales, coomnipotentes & coæterni, vnum vniuersorum principium, creator omnium inuisibilium & visibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam; ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam. Diabolus enim & dæmones alii, a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali: homo vero diaboli suggestione peccauit.

Hæc sancta Trinitas secundum communem essentiam indiuidua, & secundum personales proprietates discreta, per Mosen & sanctos prophetas, aliosque famulos suos, iuxta ordinatissimam dispositionem temporum, doctrinam humano generi tribuit salutarem. Et tandem vnigenitus Dei Filius Iesus Christus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria semper virgine Spiritus sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compositus, vna in duabus naturis persona, viam vitæ manifestius demonstrauit.

uit. Qui cum ſecundum diuinitatem ſit immortalis & impaſſibilis, idem ipſe ſecundum humanitatem factus eſt paſſibilis & mortalis: quin etiam pro ſalute humani generis in ligno crucis paſſus & mortuus deſcendit ad inferos, reſurrexit a mortuis, & aſcendit in cælum. Sed deſcendit in anima, reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in vtroque: venturus in fine ſæculi iudicare viuos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua, tam reprobis, quam electis. Qui omnes cum ſuis propriis corporibus reſurgent, quæ nunc geſtant, vt recipiant ſecundum merita ſua, ſiue bona fuerint, ſiue mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

Vna vero eſt fidelium vniuerſalis eccleſia, extra quam nullus omnino ſaluatur. In qua idem ipſe ſacerdos, & ſacrificium Ieſus Chriſtus: cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur; tranſubſtantiatis, pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate Diuina, vt ad perficiendum myſterium vnitatis accipiamus ipſi de ſuo quod accepit ipſe de noſtro. Et hoc vtique ſacramentum nemo poteſt conficere, niſi ſacerdos, qui fuerit rite ordinatus ſecundum claues eccleſiæ, quas ipſe conceſſit apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Ieſus Chriſtus.

Sacramentum vero baptiſmi, quod ad inuocationem indiuiduæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, conſecratur in aqua, tam paruulis quam adultis, in forma eccleſiæ a quocumque rite collatum, proficit ad ſalutem.

Et ſi poſt ſuſceptionem baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram pœnitentiam ſemper poteſt reparari. Non ſolum autem virgines & continentes, verum etiam coniugati, per fidem rectam & operationem bonam placentes Deo, ad æternam merentur beatitudinem peruenire.

II. *De errore abbatis Ioachim.*

Damnamus ergo, & reprobamus libellum, ſiue tractatum, quem abbas Ioachim edidit contra magiſtrum Petrum Lombardum de vnitate ſeu eſſentia Trinitatis, appellans ipſum hæreticum & inſanum, pro eo quod in ſuis dixit ſententiis, quoniam quædam ſumma res eſt Pater & Filius & Spiritus ſanctus, & illa non eſt generans, neque genita, nec procedens. Vnde aſſerit quod ille non tam Trinitatem quam quaternitatem adſtruebat in Deo, videlicet tres perſonas, & illam communem eſſentiam quaſi quartam: manifeſte proteſtans quod nulla res eſt quæ ſit Pater & Filius & Spiritus ſanctus, nec eſt eſſentia, nec ſubſtantia, nec natura: quamuis concedat quod Pater & Filius & Spiritus ſanctus ſunt vna eſſentia, vna ſubſtantia, vnaque natura. Verum vnitatem huiuſmodi non veram & propriam, ſed quaſi collectiuam & ſimilitudinariam eſſe fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines vnus populus, & multi fideles vna eccleſia, iuxta illud: *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna.* Act. 4. & : *Qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt cum illo.* 1. Cor. 6. Item; *Qui plantat & qui rigat vnum ſunt.* Ibidem 3. & : *Omnes vnum corpus ſumus in Chriſto.* & 12. Rurſus in libro Regum: *Populus meus & populus tuus vnum ſunt.* 3 Reg. 22. Ad hanc autem ſententiam adſtruendam illud potiſſimum verbum inducit, quod Chriſtus de fidelibus inquit in euangelio: *Volo Pater vt ſint vnum in nobis, ſicut & nos vnum ſumus, vt ſint conſummati in vnum.* Ioan 17. Non enim, vt ait, fideles Chriſti ſunt vnum, id eſt, vna quædam res quæ communis ſit omnibus, ſed " hic modo ſunt vnũ, id eſt vna eccleſia propter catholicæ fidei vnitatem, & tandem vnum regnum propter vnionem indiſſolubilis caritatis. Quemadmodum in canonica Ioannis epiſtola legitur: *Quia tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus; & hi tres vnum ſunt.* 1. Ioan. 5. Statimque ſubiungitur. *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, aqua, & ſanguis; & tres vnum ſunt*, ſicut in codicibus quibuſdam inuenitur.

" Maz. ſed modo

Nos autem, ſacro & vniuerſali concilio approbante, credimus & confitemur cum Petro, quod vna quædam ſumma res eſt, incomprehenſibilis quidem & ineffabilis, quæ veraciter eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, tres ſimul perſonæ, ac ſingulatim quælibet

ῥῆμα ἐνεισάγει, ὅπερ ὁ χριστὸς περὶ τῶν πιστῶν λέγει ἐν τῷ εὐαγγελίῳ· θέλω, πάτερ, ἵνα ὦσιν ἓν ἐν ἡμῖν, καθὼς καὶ ἡμεῖς ἓν ἐσμέν· ἵνα ὦσι πεπληρωμένοι εἰς ἕν. οὐ γάρ, ὡς εἶπεν, οἱ πιστοὶ τοῦ χριστοῦ εἰσὶν ἓν, ἤγουν ἕν τι πρᾶγμα ὃ κοινὸν εἰς " ἅπασιν. ἀλλὰ νῦν εἰσὶν ἓν, ἤτοι μία ἐκκλησία διὰ τὴν καθολικὴν τῆς πίστεως ἕνωσιν, καὶ τέλος μία βασιλεία, διὰ τὴν ἑνότητα τῆς ἀδιαλύτου ἑνώσεως. ὃν τρόπον ἐν τῇ κανονικῇ τοῦ Ἰωάννου ἐπιστολῇ ἀναγινώσκεται, ὅτι τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν οὐρανῷ, ὁ πατὴρ, λόγος, καὶ πνεῦμα ἅγιον· καὶ τοῦτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσιν. εὐθύς τε προστίθησι...............
....
......................καθὼς ἔν τισι κώδηξιν εὑρίσκεται.

" Corr. ἐν

Ἡμεῖς δὲ τῆς ἱερᾶς ἁπάσης οἰκουμενικῆς συνόδου δοκιμούσης, πιστεύομεν καὶ ὁμολογοῦμεν μετὰ πέτρου, ὅτι ἕν τι ἀκρότατον πρᾶγμα ἐστὶν, ἀκατάληπτόν τε καὶ ἄφατον, ὅπερ ἀληθῶς ἐστὶ, πατὴρ, καὶ υἱὸς, καὶ πνεῦμα ἅγιον, τρία " ὅμοια πρόσωπα, καὶ ἰδίως ἕκαστον

" corr. ὁμοῦ

ANNO CHRISTI 1215.

libet earumdem. Et ideo in Deo trinitas est solummodo, non quaternitas: quia quælibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, sive natura Divina, quæ sola est universorum principium, præter quod aliud inveniri non potest. Et illa res non est generans, neque genita, nec procedens: sed est Pater qui generat, Filius qui gignitur, & Spiritus sanctus qui procedit: ut distinctiones sint in personis, & unitas in natura. Licet igitur alius sit Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus, non tamen aliud: sed id quod est Pater, est Filius, & Spiritus sanctus, idē omnino: ut secundum orthodoxam & catholicam fidem consubstantiales esse credantur. Pater enim ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit, juxta quod ipse testatur: *Pater quod dedit mihi maius est omnibus.* Ac dici non potest quod partem suæ substantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipse sibi: cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino. Sed nec dici potest quod Pater in Filium transtulerit suam substantiam generando, quasi sic dederit eam Filio, quod non " retinuerit ipsam sibi: alioquin desiisset esse substantia. Patet ergo quod sine ulla diminutione Filius nascendo substantiam Patris accepit, & ita Pater & Filius habent eamdem substantiam, & sic eadem res est Pater & Filius, nec non & Spiritus sanctus ab utroque procedens.

Ioan. 10.

In cod. Mazarino deest negatio, tum in Græco, tum in Latino. Sed retinendam esse, sensus admonet.

Ibidē deest, ab utroque procedens tum in Gr. tum in Lat.

Cū ergo Veritas pro fidelibus suis ad Patrem orat: *Volo,* inquiens, *ut ipsi sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus:* hoc nomē, *unum* ", pro fidelibus quidem accipitur, ut intelligatur unio " caritatis in gratia: pro personis vero Divinis, ut attendatur identitatis in natura unitas, quemadmodum Veritas alibi ait: *Estote perfecti sicut & Pater vester cælestis perfectus est:* ac si diceret manifestius: Estote perfecti perfectione gratiæ, sicut Pater vester cælestis perfectus est perfectione naturæ: utraque videlicet suo modo: quia inter creatorem & creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.

Ioan 17.

" *deest in Gr.* unum

Cod. Maz. in uno, caritatis gratia. *hoc est in hac voce,* unum

Si quis igitur sententiam sive doctrinam præfati Ioachim in hac parte defendere vel approbare præsumpserit: tamquam hæreticus ab omnibus " confutetur. In nullo tamen per hoc Florensi monasterio, cujus ipse Ioachim extitit institutor, volumus derogari: quoniam ibi

Cod. Maz. cōfitetur.

A στον αὐτῶν. καὶ διὰ τοῦτο ἐν θεῷ τριάς ἐστι μόνον, οὐ τετράς· ὅτι ἕκαστον τῶν τριῶν προσώπων, ἐστὶν ἐκεῖνο τὸ πρᾶγμα, ἤγουν οὐσία, ὕπαρξις, ἢ καὶ φύσις θεία, ἥτις μόνη ἐστὶν ἁπάντων ἀρχή· παρ' ἣν ἄλλο εὑρεθῆναι οὐ δύναται· κἀκεῖνο τὸ πρᾶγμα, οὐκ ἔστι γεννῶν, οὔτε γεννητὸν, οὔτε ἐκπορευτόν. ἀλλ' ἔστι πατὴρ ὁ γεννῶν, καὶ υἱὸς ὁ γεννώμενος, καὶ πνεῦμα τὸ ἐκπορευόμενον· ἵνα διαστολαὶ ὦσιν ἐν τοῖς προσώποις, καὶ ἑνότης ἐν τῇ φύσει. κἂν γοῦν ἄλλος εἴη ὁ πατὴρ, ἄλλος ὁ υἱὸς, καὶ ἄλλος τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· B ὅμως οὐκ ἄλλο, ἀλλὰ τοῦτο, ὅ, τι ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ πνεῦμα ἅγιον, ταυτὸ ὅλως· ἵνα κατὰ τὴν ὀρθόδοξον καὶ καθολικὴν πίστιν ὁμοούσια εἶναι πιστεύωνται. ὁ πατὴρ γὰρ ἐξ αἰῶνος γεννῶν τὸν υἱὸν, τὴν ἑαυτοῦ οὐσίαν αὐτῷ δέδωκεν, ὡς αὐτὸς μαρτυρεῖ· πατὴρ ὃς δέδωκέ μοι μείζων πάντων ἐστί· καὶ λέγεσθαι οὐ δύναται, ὅτι ὁ πατὴρ μέρος τῆς ἑαυτοῦ οὐσίας ἐκείνῳ ἐδεδώκει, καὶ μέρος ἐπεκράτησεν αὐτὸς ἑαυτῷ· ἐπειδὴ ἡ ὑπόστασις τοῦ πατρὸς ἀδιαίρετός ἐστιν, ὡς ἁπλῆ ὅλως. ἀλλ' οὔτε λέγεσθαι δύναται, ὅτι ὁ πατὴρ εἰς υἱὸν μετήνεγκε τὴν οὐσίαν τὴν ἑαυτοῦ, γεννῶν· C ὡς δῆθεν οὕτως ἐδεδώκει ταύτην τῷ υἱῷ, ὡς " ἐπικρατῆσαι ταύτην ἑαυτῷ· ἄλλως γὰρ ἐξέλειπεν ἂν εἶναι ὑπόστασις· ἀνέῳκται τοίνυν ὅτι δίχα τινὸς ἐλλείψεως ὁ υἱὸς γεννώμενος, τὴν οὐσίαν τοῦ πατρὸς ἀνέλαβεν· καὶ οὕτως ὁ πατὴρ καὶ ὁ υἱὸς ἔχουσι τὴν αὐτὴν οὐσίαν· καὶ οὕτω τὸ αὐτὸ πρᾶγμα ἐστὶν, ὁ πατὴρ, καὶ ὁ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον.

" deest οὐκ

Ὅτε γοῦν ἡ ἀλήθεια ὑπὲρ τῶν πιστῶν αὐτῆς εὔχεται πρὸς τὸν πατέρα, ἐθέλω, εἰπὼν, ἵνα αὐτοὶ ὦσιν ἓν ἐν ἡμῖν, καθὼς καὶ ἡμεῖς ἕν ἐσμεν· τοῦτο τὸ ὄνομα ὑπὲρ τῶν πιστῶν μὲν λαμβάνεται, ἵνα νοεῖται ἐν τῷ D ἑνὶ τῆς ἀγάπης ἡ χάρις· ὑπὲρ τῶν προσώπων δὲ τῶν θείων, ἵνα προσέχεται ἡ τῆς ταυτότητος ἕνωσις ἐν τῇ οὐσίᾳ. ὃν τρόπον ἀλλαχοῦ ἡ ἀλήθεια ἔφη· γίνεσθε " τέλειοι, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν ὁ οὐράνιος, τέλειος ἐστίν. ὡς εἴπερ ἔλεγε φανερώτερον· γίνεσθε τέλειοι ἐν τελειότητι χάριτος, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν τέλειος ἐστὶν ἐν τελειότητι φύσεως· ἀμφότερα δηλαδὴ τῷ ἰδίῳ τρόπῳ· ὅπερ ἀνάμεσον τοῦ κτιστοῦ καὶ τῆς κτίσεως οὐ δύναται τοσαύτη ὁμοίωσις διαγραφῆναι, ὡς μὴ μέσον αὐτῶν μείζονα τὴν ἀνομοιότητα διαγράφεσθαι.

E

" *Non utitur verbis textus Græci. Præterea legit* Pater noster, *non* vester.

Εἴ τις τοιγαροῦν τὴν ἀπόφασιν ἢ διδαχὴν τοῦ προῤῥηθέντος Ιωαχεὶμ ἐν τούτῳ τῷ μέρει περιέπειν ἢ ἐπαινεῖν τολμήσῃ, ὡς αἱρετικὸς παρὰ πάντων ὁμολογείσθω. ἐν οὐδενὶ τέως διὰ τοῦτο τὴν μονὴν τοῦ * φλώρου, ἧς ὁ .... Ιωαχεὶμ ἦν διατάκτωρ, θέλομεν ἀποβάλλεσθαι· ἐπεὶ κα-

* ὁ αὐτῆς

ANNO CHRISTI 1215.

κανονικὴ σύστασις ἐστὶ, καὶ παρατήρησις σωτή- A ριος· μάλιστα ἐπεὶ ὁ αὐτὸς Ἰωαχεὶμ πάντα τὰ συγγράμματα αὐτοῦ ἡμῖν ἀποδοθῆναι ἐνετείλατο, τῇ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου κρίσει κυρωθησόμενα, ἤτε διορθωθησόμενα· ἐκθέμενος ἐπιστολὴν, ἥτινι τῇ οἰκείᾳ χειρὶ ὑπεγράψατο· ἐν ᾗ στερεῶς ὁμολογεῖ ἑαυτὸν ἐκείνην τὴν πίστιν κρατεῖν, ἣν ἡ ῥωμαϊκὴ κρατεῖ ἐκκλησία· ἥτις, οἰκονομοῦντος θεοῦ, πάντων τῶν πιστῶν μήτηρ ἐστὶ καὶ διδάσκαλος.

Ἀποδοκιμάζομεν δὲ καὶ καταδικάζομεν τὸ στρεβλότατον δόγμα τοῦ ἀσεβοῦς Ἀλμυρικοῦ, οὗ τὴν διάνοιαν οὕτως ὁ πατὴρ τοῦ ψεύδους ἐξετύφλωσεν, ὡς τὴν αὐτοῦ διδαχὴν οὐ τόσον αἱρετικὴν κριθῆναι, ὅσον δὴ καὶ ἀσύνετον. B

γʹ. Περὶ ἀφορισμοῦ καὶ καταδικασμοῦ αἱρετικῶν.

Ἀφορίζομεν οὖν καὶ ἀναθεματίζομεν πᾶσαν αἵρεσιν ἐπαίρουσαν ἑαυτὴν κατὰ ταύτης τῆς ἁγίας καὶ ὀρθοδόξου καὶ καθολικῆς πίστεως, ἣν ἀνωτέρω ἐξεθέμεθα· καταδικάζοντες ἅπαντας αἱρετικοὺς οἱοισδήποτε ὀνόμασι κρίνοιντο, προσόψεις μὲν ἔχοντας διαφόρους, ἀλλ' οὐρὰς ἐπάλληλα συνδεδεμένους, ὅτι ἐκ ματαιότητος συνέρχονται ἐπὶ τὸ αὐτό. C

Κατακριθέντες δὲ, ταῖς παρούσαις κοσμικαῖς ἐξουσίαις, ἢ τοῖς αὐτῶν πράκτορσι, καταλειπέσθωσαν, κατανόησι προσηκούσῃ τιμωρηθησόμενοι, τῶν κληρικῶν πρότερον ἀπὸ τῶν ἰδίων τάξεων καθαιρεθέντων· οὕτως ἵνα τὰ ἀγαθὰ τῶν τοιούτων κατακρίτων, ἐὰν λαϊκοὶ ὦσιν, φισκωθῶσι· εἰ δὲ κληρικοὶ, προσκυρωθῶσι ταῖς ἐκκλησίαις παρ' ὧν τὰ ὀψώνια ἐδέξαντο.

Οἵτινες δὲ εὑρεθήσονται μόνῃ τῇ ὑποψίᾳ σεσημειωμένοι, εἰ μὴ κατὰ νόησιν τῆς ὑποψίας, τῆς D ποιότητός τε τοῦ προσώπου, τὴν ἰδίαν ἀθωότητα προσηκούσῃ καθάρσει δείξοιεν, ἀναθέματος ῥομφαίᾳ κρουσθήτωσαν, καὶ ἄχρις ἱκανοποιίας ἀξίας

Deest hic folium in codice Mazarino Græco & Latino.

ab omnibus evitentur; ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, extunc velut hæretici condemnentur.

Moneantur autem & inducantur, &, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur sæculares potesta- E tes, quibuscumque fungantur officiis, ut sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ita pro defensione fidei præstent publice juramentum, quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt: ita quod amodo, quandocumque quis fuerit in potestatem ᵃ sive spiritalem, sive tempora- (ᵃ sive perpetuam, sive temporalem.)

& regularis institutio est & observantia salutaris, maxime cum idem Ioachim omnia scripta sua nobis assignari mandaverit, apostolicæ sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda: dictans epistolam cui propria manu subscripsit, in qua firmiter confitetur se illam fidem tenere, quam Romana tenet ecclesia, quæ cunctorum fidelium, disponente Domino, mater est & magistra.

Reprobamus etiam & damnamus perversissimum dogma impii ᵃ Amalrici, cujus mentem sic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quam insana. (ᵃ Almarici,)

III. *De hæreticis.*

MS. Maz. De excommunicatione & condemnatione hæreticorum.

Excommunicamus & anathematizamus omnem hæresim extollentem se adversus hanc sanctam, orthodoxam, catholicam fidem, quam superius exposuimus: condemnantes universos hæreticos, quibuscumque nominibus censeantur; facies quidem habentes diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de ᵃ vanitate conveniunt in idipsum. (ᵃ varietate)

Damnati vero, sæcularibus potestatibus præsentibus, aut eorum bailivis, relinquantur animadversione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis: ita quod bona hujusmodi damnatorum, si laici fuerint, confiscentur: si vero clerici, applicentur ecclesiis a quibus stipendia perceperunt.

Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationes ᵇ suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab (ᵇ considerationem)

poralem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare.

Si vero dominus temporalis requisitus & monitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hac hæretica fœditate, per metropolitanum & cæteros comprovinciales episcopos excommunicationis vinculo innodetur. Et, si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo pontifici: ut extunc ipse vassallos ab ejus fidelitate denunciet absolutos, & terram exponat catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis sine ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent: salvo jure domini principalis, dum-

ANNO CHRISTI 1215.

dummodo ſuper hoc ipſe nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilo minus lege ſervata circa eos qui non habent dominos principales.

Catholici vero, qui crucis aſſumpto charactere ad hæreticorum exterminium ſe accinxerint, illa gaudeant indulgentia, illoque ſancto privilegio ſint muniti, quod accedentibus in terræ ſanctæ ſubſidium conceditur.

Credentes vero, præterea " receptores, defenſores & fautores hæreticorum, excommunicationi decernimus ſubjacere: firmiter ſtatuentes, ut poſtquam quis talium fuerit excommunicatione notatus, ſi ſatisfacere contempſerit infra annum, extunc ipſo jure ſit factus infamis, nec ad publica officia ſeu conſilia, nec ad eligendos aliquos ad hujuſmodi, nec ad teſtimonium admittatur. Sit etiam inteſtabilis, ut nec teſtandi liberam habeat facultatem ", nec ad hereditatis ſucceſſionem accedat. Nullus

a Mſ. Dacherianum receptatores,

a Mſ. Dacherianum factionem,

B Nullus præterea ipſi ſuper quocumque negotio ", ſed ipſe aliis reſpondere cogatur. Quod ſi forte judex extiterit, ejus ſententia nullam obtineat firmitatem, nec cauſæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, ejus inſtrumenta confecta per ipſum nullius penitus ſint momenti, ſed cum autore damnato damnentur. Et in ſimilibus idem præcipimus obſervari. Si vero C clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur: ut in quo major eſt culpa, gravior exerceatur vindicta.

a MS. Maz. addit. reſpondeat.

Πρὸς τούτοις μηδεὶς αὐτοῦ ἐπὶ οἱαδήτινι πραγματείᾳ ἀπολογησάσθω· ἀλλ' αὐτὸς ἄλλοις ἀπολογεῖσθαι ἀναγκαζέσθω. ὡς ἐὰν ἴσως κριτὴς εἴη, ἡ ἀπόφασις αὐτοῦ μηδεμίαν ἐχέτω στερεότητα, μήτε δίκαιον τινὲς εἰς τὴν ἀκοὴν αὐτοῦ προσφερέσθωσαν. ἐὰν εἴη συνήγορος, ἡ δικαιολογία αὐτοῦ μηδαμῶς προσδεχθήτω· εἰ νομικὸς, τὰ ἐκτεθέντα αὐτοῦ ἔγγραφα μηδεμιᾶς ὅλως ἔστωσαν μονιμότητος, ἀλλὰ μετὰ τοῦ ποιητοῦ καταδικασθέντος καταδικαζέσθωσαν. καὶ ἐν τοῖς ὁμοίοις τὸ αὐτὸ προστάσσομεν φυλαχθῆναι. εἰ δὲ κληρικὸς εἴη, ἀπὸ παντὸς ὀφφικίου καὶ ἱερατείου καθαιρείσθω· ἵνα ἐν ᾧ μεῖζόν ἐστι τὸ πταῖσμα, βαρυτέρα ἐκδίκησις εἰσπραχθῇ.

Si qui autem, tales, poſtquam ab eccleſia denotati fuerint, evitare contempſerint: excommunicationis ſententia uſque ad ſatisfactionem idoneam percellantur. Sane clerici non exhibeant hujuſmodi peſtilentibus " eccleſiaſtica ſacramenta, nec eos Chriſtianæ præſumant ſepulturæ tradere, nec eleemoſynas, aut oblationes eorum accipiant: alioquin ſuo priventur officio, ad quod nunquam reſti- D tuantur abſque indulto ſedis apoſtolicæ ſpeciali. Similiter quilibet regulares, quibus hoc etiam infligatur, ut eorum privilegia in illa diœceſi non ſerventur, in qua tales exceſſus præſumpſerint perpetrare.

a Gr. interpres legebat, petentibus.

Εἰ δέ τινες τοὺς τοιούτους, μετὰ τὸ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας σεσημειῶσθαι, παρεκκλίνειν ἀμελήσωσιν· ἀφορισμοῦ ἀποφάσει, ἕως ἱκανοποιΐας προσηκούσης, περισφιγχθήτωσαν. οἱ κληρικοὶ δὲ μὴ δότωσαν τοῖς τοιούτοις αὐτοῖς τὰ ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια· μήτ' αὐτοὺς χριστιανικῇ παραδοῦναι ταφῇ· μήτε τὰς ἐλεημοσύνας ἢ προσφορὰς αὐτῶν προσδεξάσθωσαν· εἰ δ' οὐχί· τοῦ ἑαυτοῦ " στερείσθωσαν ὀφφικίου, πρὸς ὃ μηδέποτε ἀποκαταστήσαιντο, χωρὶς ἰδικοῦ ἐντάλματος τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου· ὁμοίως .... κανονικοὶ, οἷς τοῦτο μᾶλλον ἐπιτιμάσθω, ἵνα τὰ αὐτῶν προνόμια ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐνορίᾳ μὴ φυλαχθῶσιν, ἐν ᾗ τοιαύτας ἐκστάσεις τολμήσουσιν ἐπιτελεῖν.

a Cart. ἑαυτῶν

Quia vero nonnulli ſub ſpecie pietatis, virtutem ejus, juxta quod ait apoſtolus, abnegantes, autoritatem ſibi vendicant prædicandi, cum idem apoſtolus dicat: *Quomodo prædicabunt niſi mittantur?* omnes qui prohibiti, vel E non miſſi, præter autoritatem ab apoſtolica ſede, vel catholico epiſcopo loci ſuſceptam, publice vel privatim prædicationis officium uſurpare præſumpſerint, excommunicationis vinculo innodentur: &, niſi quantocius reſipuerint, alia competenti pœna plectantur.

In Mſ. Dacheriano quartum hoc capitulum eſt, cum hoc titulo: De eo ne quis prædicet niſi miſſus. Sequens autem capitulum, quod hic quartum eſt, eſt quintum atque ita deinceps.

Ἐπειδὴ δέ τινες ὑπὸ εἶδος εὐσεβείας, τὴν δύναμιν αὐτῆς, κατὰ τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου, ἠρνημένοι, αὐθεντίαν ἑαυτοῖς ἐκδικοῦσι τοῦ κηρύττειν, ὡς αὐτὸς φησὶν ὁ ἀπόστολος· πῶς κηρύξουσιν, ἐὰν μὴ ἀποσταλῶσιν; πάντες οἵτινες κεκωλυμένοι, ἢ οὐκ ἀπεσταλμένοι, παρὰ τὴν ἐκ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, ἢ τοῦ καθολικοῦ ἐπισκόπου ληφθεῖσαν αὐθεντίαν, δημοσίως, ἢ ἰδίᾳ, κηρύγματος ὀφφίκιον ἀφαρπάσαι τολμήσωσιν, ἀφορισμοῦ δεσμῷ δεσμείσθωσαν· κἂν εἰ μὴ τάχιον μεταστραφῶσιν, ἄλλῃ προσηκούσῃ ποινῇ περιπλακέσθωσαν.

ANNO CHRISTI 1215.

Προσέθεμεν ἐπὶ τούτοις, ἵνα ἕκαστος ἀρχιεπίσκοπος ἢ ἐπίσκοπος, δι᾽ ἑαυτοῦ, ἢ τοῦ ἀρχιδιακόνου αὐτοῦ, ἢ δι᾽ ἄλλων σεμνῶν καὶ ἱκανῶν προσώπων, δὶς ἢ κἂν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν ἰδίαν ἐνορίαν, ἐν ᾗ φήμη ἔσται αἱρετικοὺς κατοικεῖν, περιάγοιτο. κἀκεῖσε τρεῖς ἢ πλείους εὐμαρτυρήτους ἄνδρας, ἢ καὶ, ἐὰν συμφέρειν ἴδῃ, ὅλην τὴν γειτονίαν, ὀμνύειν ἀναγκαζέτω, ὡς ἐάν τις αὐτόθι αἱρετικοὺς γνῷ, ἢ τινὰς κεκρυμμένας συναγωγὰς ἐκτελοῦντας, ἢ ἀπὸ τῆς κοινῆς ἀναστροφῆς τῶν πιστῶν βίῳ καὶ ἤθεσι διεστῶτας, αὐτοὺς τῷ ἐπισκόπῳ σπουδάσει δεικνύειν· αὐτὸς δὲ ὁ ἐπίσκοπος ἐνώπιον αὐτοῦ συγκαλείτω τοὺς κατηγορουμένους, οἵτινες, εἰ μὴ ἑαυτοὺς ἐκ τῆς ἐπιτιθεμένης κατακρίσεως

Hic folio mutilatus est codex Mazarinus. Græcis ergo deficientibus, columnam alteram quæ Latinis Concilii verbis repleri debuerat Typographus [illegible] quod eo [illegible] Verum eius [illegible] est effectum, ut duas posteriores paginas, quod sæpe fit, [illegible] antequam ad priores [illegible]

. . . .

Adiicimus insuper, ut quilibet archiepiscopus vel episcopus, per se, aut per archidiaconum suum, vel idoneas personas honestas, bis aut saltem semel in anno propriam parochiam, in qua fama fuerit hæreticos habitare, circumeat: & ibi tres vel plures boni testimonii viros, vel etiam, si expedire videbitur, totam viciniam, jurare compellat, quod si quis ibidem hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos episcopo studeat indicare. Ipse autem episcopus ad præsentiam suam convocet accusatos: qui nisi se ab objecto reatu purgaverint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerint relapsi perfidiam, canonice puniantur. Si qui vero ex eis juramenti religionem obstinatione damnabili respuentes, jurare forte noluerint: ex hoc ipso tamquam hæretici reputentur.

ANNO CHRISTI 1215.

MS. Dacherianum vel alias hon. idoneasque person.

Volumus igitur & mandamus, & in virtute obedientiæ districte præcipimus, ut ad hæc efficaciter exequenda episcopi per diœceses suas diligenter invigilent, si canonicam effugere voluerint ultionem. Si quis enim episcopus super expurgando de sua diœcesi hæreticæ pravitatis fermento negligens fuerit vel remissus: cum id certis indiciis apparuerit, & ab episcopali officio deponatur, & in locum ipsius alter substituatur idoneus, qui velit & possit hæreticam confundere pravitatem.

IV. *De superbia Græcorum contra Latinos.*

Licet Græcos in diebus nostris ad obedientiam sedis apostolicæ revertentes fovere & honorare velimus, mores ac ritus eorum, in quantum cum Domino possumus, sustinendo: in his tamen, illis deferre nec volumus nec debemus, quæ periculum generant animarum, & ecclesiasticæ derogant honestati. Postquam enim Græcorum ecclesia cum quibusdam complicibus ac fautoribus suis ab obedientia sedis apostolicæ se subtraxit: in tantum Græci cœperunt abominari Latinos, quod inter alia quæ in derogationem eorum impie committebant, si quando sacerdotes Latini super eorum celebrassent altaria, non prius ipsi sacrificare volebant in illis, quam ea tamquam per hoc inquinata lavissent.

A sent. Baptizatos etiam a Latinis & ipsi Græci rebaptizare ausu temerario præsumebant: & adhuc, sicut accepimus, quidam agere hoc non verentur. Volentes ergo tantum ab ecclesia Dei scandalum amovere, sacro suadente concilio, districte præcipimus, ut talia de cætero non præsumant, conformantes se tamquam obedientiæ filii sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matri suæ, ut sit unum ovile, & unus pastor. Si quis autem quid tale præsumpserit: excommunicationis mucrone percussus, ab omni officio & beneficio ecclesiastico deponatur.

B

V. *De dignitate patriarcharum.*

Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes, sacra universali synodo approbante, sancimus ut post Romanam ecclesiam, quæ disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium & magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate: ita quod postquam eorum antistites a Romano pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, præstito sibi fidelitatis & obedientiæ juramento; licenter & ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, & pro Romana ecclesia sponsionem obedientiæ ab eisdem.

C

D Dominicæ vero crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, & ubicumque summus pontifex præsens extiterit, vel ejus legatus utens insigniis apostolicæ dignitatis.

In omnibus autem provinciis eorum jurisdictioni subjectis, ad eos, cum necesse fuerit, provocetur: salvis appellationibus ad sedem apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

VI. *De conciliis provincialibus.*

E Sicut olim a sanctis patribus noscitur institutum, metropolitani singulis annis cum suis suffraganeis provincialia non omittant concilia celebrare. In quibus de corrigendis excessibus, & moribus reformandis, præsertim in clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum, canonicas regulas, & maxi-

ANNO CHRISTI 1215.

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . .

. . . . B

καὶ σεμνότητι ἁρμόσοι προνοητικῇ . . . . . " προφέρωσι καὶ αὐτὰ τὰ κατασταθέντα ποι. . . . . δημόσια ἐν ταῖς ἐπισκοπικαῖς συνόδοις, ταῖς ἐτήσιον ἀν' ἑκάστην ἐνορίαν ἐπιτελεσθησομέναις· εἰ δέ τις ταύτην τὴν σωτήριον σύστασιν ἀμελήσει ἐκπληρῶσαι, ἀπὸ τῆς τοῦ ἰδίου ὀφφικίου ἐξακολουθήσεως . . . .

" Mendose scriptū erat προφέρωσι.

. . . .

ζ. Εἰς τὸ διορθώσειν τὰς ἐκστάσεις τῶν ὑπηκόων.

C Ἀπαραθραύστῳ διατάξει θεσπίζομεν, ἵνα τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες εἰς τὸ διορθώσειν τὰς τῶν ὑπηκόων ἐκστάσεις, καὶ μάλιστα τῶν κληρικῶν, καὶ ἀνατυπωθῆναι τὰ ἤθη, φρονίμως καὶ ἐπιμελῶς προσέξωσι. ὡς ἂν μὴ τὸ αἷμα αὐτῶν ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν ἐκζητηθῇ. ἵνα δὲ τὸ τῆς διορθώσεως καὶ ἀνατυπώσεως ὀφφίκιον ἐλεύθερος δυνηθῶσιν ἐξετάζειν· κρίνομεν ὅπως ἐξ ἀφορμῆς τούτων μηδεμία συνήθεια δυνήσοιτο ἐμποδίζειν· εἰ μὴ τοῦ μέτρου ἐκστῇ τοῦ ἐν τοῖς τοιούτοις τηρηθησομένου.

Αἱ ἐκστάσεις δὲ τῶν κανονικῶν τῆς καθεδρικῆς ἐκκλησίας, αἱ δυνάμεναι διορθωθῆναι D διὰ τοῦ καπιτούλου, δι' αὐτοῦ ἐν αὐταῖς ταῖς ἐκκλησίαις ταῖς τοιαύτην συνήθειαν ἐχούσαις, παραινέσει καὶ ἐπιτάξει τοῦ ἐπισκόπου διορθούσθωσαν ἐντὸς διωρίας αὐτάρκους παρὰ τοῦ ἐπισκόπου προσπηγησομένης. εἰ δὲ μή· ὁ ἐπίσκοπος θεὸν ἔχων πρὸ ὀφθαλμῶν, αὐτοὺς, ὡς ἡ τῶν ψυχῶν φροντὶς παρειλήφει, διὰ κρίσεως κανονικῆς διορθοῦν μὴ παραγκωνισάσθω.

. . . .

. . . . E

. . . .

Ἕτερον ἐὰν οἱ κανονικοὶ δίχα φανερᾶς καὶ εὐλόγου αἰτίας, μάλιστα πρὸς ἐξουθενισμὸν τοῦ ἐπισκόπου, παύσωσιν ἀπὸ τῶν θείων· ὁ ἐπίσκοπος οὐχ ἧττον, εἰ θελήσοι, ἐπιτελείτω ἐν τῇ καθεδρικῇ ἐκκλησίᾳ· καὶ ὁ μητροπολίτης εἰς τὴν κραυγὴν αὐτοῦ, ὡς ἐπάνω τούτου προτραπεὶς παρ' ἡμῶν, τοιούτως αὐτοὺς διὰ κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς, ἐγνωσμένης τῆς ἀληθείας, παιδευέτω· ὡς ἂν φόβῳ τῆς ποινῆς τοιαῦτα τοῦ λοιποῦ μὴ τολμήσωσι.

A mæ quæ statutæ sunt in hoc generali concilio, relegentes, ut eas faciant observari, debitam pœnam transgressoribus infligendo. Vt autem id valeat efficacius adimpleri, per singulas diœceses statuant idoneas personas, providas videlicet & honestas, quæ per totum annum simpliciter, & de plano, absque ulla jurisdictione solicite investigent quæ correctione vel reformatione sint digna, & ea fideliter perferant ad metropolitanum & suffraganeos, & alios in concilio subsequen- B ti: ut super his & aliis, prout utilitati & honestati congruerit, provida deliberatione procedant; & quæ statuerint, faciant observari, publicantes ea in episcopalibus synodis annuatim per singulas diœceses celebrandis. Quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit adimplere, a suis beneficiis & executione officii suspendatur, donec per superioris arbitrium " ejus relaxetur.

" for. eius suspensio

VII. *De " correctione excessuum.*

" *MS.Maz.* De corrigendis excessibus subditorum.

C Irrefragabili constitutione sancimus, ut ecclesiarum prælati ad corrigendos subditorum excessus, maxime clericorum, & reformandos mores, prudenter & diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Vt autem correctionis & reformationis officiũ libere valeant exercere: decernimus ut executionem ipsorum nulla consuetudo vel appellatio valeat impedire, nisi formam excesserint in talibus observandam.

Excessus tamen canonicorum eccle- D siæ cathedralis, qui consueverunt corrigi per capitulum, per ipsum in illis ecclesiis (quæ talem hactenus consuetudinem habuerunt) ad commonitionem vel jussionem episcopi corrigantur infra terminum competentem ab episcopo præfigendum. Alioquin extunc episcopus Deum habens pre oculis, " omni contradictione cessante, ipsos, prout animarum cura exegerit, per censuram ecclesiasticam corrigere non postponat.

" *In cod. Maz. deest tum Græce tum Latine;* omni contrad. cessante.

* Sed & alios eorum excessus corrigere E non omittat, prout animarũ causa requirit, debito tamen ordine in omnibus observato. * Cæterum si canonici, absque manifesta & rationabili causa, maxime in contemptum episcopi, cessaverint a Divinis: episcopus nihilo minus, si voluerit, celebret in ecclesia cathedrali: & metropolitanus ad querelam ipsius, tamquam super hoc delegatus a nobis, taliter eos per censuram ecclesiasticam cognita veritate castiget, quod pœnæ metu talia de cætero non præsumant.

Deest idē in Ms. Dacher. Desunt in iisdem codicibus lineæ tres quas hic inter duos asteriscos inclusimus.

ANNO CHRISTI 1215.

Pro-

ANNO CHRISTI 1215.

Provideant itaque diligenter ecclesiarum prælati, ut hoc salutare statutum ad quæstum pecuniæ, vel gravamen aliud non convertant, sed illud studiose ac fideliter exequantur, si canonicam voluerit effugere ultionem: quoniam super his apostolica sedes, autore Domino, attentissime vigilabit.

MS. Maz. Quomodo & quando subditorum corrigantur excessus & prælatorum " quando

VIII. *De inquisitionibus.*

Qualiter & " quomodo debeat prælatus procedere ad inquirendum & puniendum subditorum excessus, ex autoritatibus novi & veteris testamenti colligitur evidenter: ex quibus postea processerunt canonicæ sanctiones, sicut olim aperte distinximus, & nunc sacri approbatione concilii confirmamus. Legitur enim in evangelio, quod villicus ille qui diffamatus erat apud dominum suum, quasi dissipasset bona ipsius, audivit ab illo: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.* Et in Genesi Dominus ait: *Descendam, & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint.* Ex quibus autoritatibus manifeste comprobatur, quod non solum cum subditus, verum etiam cum prælatus excedit, si per clamorem & famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis & maledicis, sed a providis & honestis: nec semel tantum, sed sæpe (quod clamor innuit, & diffamatio manifestat) debet coram ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari: ut, si rei poposcerit qualitas, canonica districtio culpam feriat delinquentis: non tamquam sit actor & judex, sed quasi deferente fama, vel denunciante clamore, officii sui debitum exequatur. Licet autem hoc sit observandum in subditis, diligentius tamen observandum est in prælatis, qui quasi signum sunt positi ad sagittam, & quia non possunt omnibus complacere, cum ex officio teneantur non solum arguere, sed etiam increpare, quin etiam interdum suspendere, nonnunquam vero ligare: frequenter odium multorum incurrunt, & insidias patiuntur. Ideo sancti patres provide statuerunt, ut accusatio prælatorum non facile admittatur, ne concussis columnis corruat ædificium: nisi diligens adhibeatur cautela, per quam non solum falsæ, sed etiam malignæ criminationi, janua præ-

Luc. 16.

Genes. 18.

Προνοείτωσαν οὖν ἀκριβῶς οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες, ἵνα καὶ τοῦτο τὸ σωτήριον διάταγμα εἰς ἀπαίτησιν φιλοχρηματίας, ἢ βάρος τι μὴ στρέψωσιν· ἀλλ' αὐτὸ ἀκριβῶς, καὶ πιστῶς, καὶ σπουδαίως ἐξακολουθείτωσαν· ἐὰν τὴν κανονικὴν θελήσωσιν ἐκφυγεῖν ἐκδίκησιν· ὅπερ ἐπὶ τούτου ὁ ἀποστολικὸς θρόνος, ἐνεργοῦντος τοῦ κυρίου, προσεκτικωτάτως ἀγρυπνήσει.

η. Πόσον τρόπον καὶ πότε τῶν ὑποτακτικῶν διορθοῦνται παραβάσεις, καὶ τῶν προεστώτων.

Ὅπως καὶ ὅτε ὀφείλῃ ὁ προεστὼς προϊέναι εἰς τὸ ἐκζητεῖν καὶ κολάζειν τὰς τῶν ὑπηκόων ἐκστάσεις, ἀπὸ τῶν χρήσεων τῆς νέας καὶ παλαιᾶς διαθήκης συνάγεται φανερῶς· ἐξ ὧν μετέπειτα προῆλθον αἱ κανονικαὶ διατάξεις, καθὼς πρότερον ἠνεωγμένως διεστείλαμεν καὶ νῦν ἐπάνω τῆς ἱερᾶς συνόδου ἐπικυροῦμεν. ἀναγινώσκεται γὰρ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ὅπερ ὁ οἰκονόμος ἐκεῖνος ὁ διαβληθεὶς τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ὡς διασκορπίσας τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ, ἤκουσε παρ' αὐτοῦ· τί τοῦτο ἀκούω περὶ σοῦ; ἀπόδος τὸν λόγον τῆς οἰκονομίας σου· οὐ γὰρ δυνήσῃ ἔτι οἰκονομεῖν. Καὶ ἐν τῇ γενέσει ὁ κύριος εἶπε· καταβήσομαι καὶ ἴδω εἰ κατὰ τὴν κραυγὴν τὴν ἐρχομένην εἰς ἐμὲ συντελοῦνται· ἐξ ὧν χρήσεων φανερῶς ἀποδείκνυται, ὅτι οὐ μόνον ὁ ὑπήκοος, ἀλλὰ καὶ ὅταν ὁ προεστὼς πταίσῃ· εἰ διὰ τῆς κραυγῆς καὶ φήμης εἰς τὰ ὦτα τοῦ ὑπερτέρου προέλθῃ, οὐ μέντοι παρὰ κακοθελῶν, καὶ κακολόγων, ἀλλὰ παρὰ προνοητικῶν καὶ εὐλαβῶν· οὔτε ἅπαξ μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλάκις· ὅπερ ἡ κραυγὴ γνωρίζει, καὶ ἡ διαβολὴ φανεροῖ, χρὴ ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας τῶν γεραιτέρων τὴν ἀλήθειαν ἐξετάζεσθαι, ἵνα τοῦ πράγματος γνωσθῇ ἡ ποιότης, καὶ ἡ κανονικὴ διαστολὴ τὸ σφάλμα ἐκκόψῃ τοῦ ἁμαρτάνοντος· οὐχ ὥσπερ ἦν ἐνεργῶν καὶ κριτής· ἀλλὰ ὡς φερούσης τῆς φήμης, ἢ ἀναγγελλούσης τῆς κραυγῆς, τὸ τοῦ ὀφφικίου αὐτοῦ χρέος ἐξακολουθείτω. κἂν δὲ τοῦτο φυλαχθησόμενον ἐστὶν ἐν τοῖς ὑπηκόοις, ἐπιμελέστερον ἐστὶν ὅμως φυλαχθῆναι ἐν τοῖς προεστῶσιν· οἵ τινες ὥσπερ ἐκτὸς τέθεινται εἰς βέλος, καὶ διότι οὐ δύνανται πᾶσιν ἀρέσκειν, ἐν τῷ ἐξ ὀφφικίου κεκρατῆσθαι οὐ μόνον ἐλέγχειν, ἀλλὰ καὶ ἐπιτιμᾶν, οἵ τινες ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ πολλάκις ἀφορίζειν . . . καὶ διὰ τὶ δεσμεῖν, ἐνδελεχῶς τὸ μῖσος τῶν πολλῶν ὑφίσαντ) καὶ ἐνέδρας πάσχουσιν. καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἅγιοι πατέρες προνοητικῶς διετάξαντο, ἵνα ἡ κατηγορεία τῶν προεστώτων οὐ ῥαδίως προσδεχθήσεται, ὡς μὴ συντεθραυμένων τῶν στύλων συμπεσεῖν καὶ τὴν οἰκοδομήν· εἰ μὴ ἀκριβὴς παραχθῇ σκέψις, δι' ἧς οὐ μόνον τοῦ πλαστοῦ, ἀλλὰ καὶ τοῦ πονηροῦ ἐγκλήματος ἡ θύρα κλεισθείη.

Mendosus locus.

ANNO CHRISTI 1215.

κλεισθείη. ἤτοι οὕτως ἠθέλησαν προνοεῖν τῶν προεστώτων, ἵνα μὴ ἐγκληματοθῶσιν ἀδίκως· ἀλλ' ἵνα προσχῶσι καὶ μὴ ἁμάρτωσιν ἀδρῶς, κατ' ἀμφοτέρας τῆς νόσου εὑρόντες ἐνδεχομένην ἰατρείαν· δηλαδὴ ὡς ἂν ἡ ἐγκληματικὴ κατηγορία ἥτις εἰς μείωσιν κεφαλῆς, ἤγουν ἀποκαθίδρυσιν, ἀποβλέπει, εἰ μὴ νόμιμος προέλθ.............προσδεχθείη· ἀλλ' ὅταν ἐπάνω τῶν ἐκστάσεων αὐτοῦ τις διαβληθῇ· ἵνα ὅταν ἤδη ἡ κραυγὴ ἀναβῇ ἥτις ἐπὶ πολὺ ἄνευ σκανδάλου ἀποποιηθῆναι οὐκ ἂν δυνήσοιτο, ἢ δίχα κινδύνου ὑποφέρεσθαι, χωρὶς διατάξεως[a] ἐτασμοῦ εἰς τὸ ἐκζητήσειν καὶ κολάσειν τὰς αὐτοῦ ἐκστάσεις, οὐκ ἐξ ἀναθυμιάσεως μίσους, ἀλλ' ἐκ διαθέσεως ἀγάπης προέλθωσιν· ὅπως ἐὰν ᾖ βαρὺ τὸ πταῖσμα, καὶ εἰ μὴ καθαιρεθῇ ἀπὸ τῆς τάξεως, τέως ἐκ τῆς διακονήσεως ἀποκινηθῇ τελείως· ὅπερ ἐστὶ κατὰ τὴν ἀπόφασιν τὴν εὐαγγελικὴν, ἐκ τῆς οἰκονομίας τὸν οἰκονόμον ἀποκινεῖσθαι, τὸν μὴ δυνάμενον τῆς ἑαυτοῦ οἰκονομίας ἄξιον δοῦναι λόγον.

f. προέλθῃ ἐπιγραφὴ, μηδαμῶς

[a] Corr: διαστάσεως

A cludatur. Verum ita voluerunt providere prælatis, ne criminarentur injuſte: ut tamen caverent ne delinquerent inſolenter: contra morbum utrumque invenientes congruam medicinam, videlicet, ut criminalis accuſatio, quæ ad diminutionem capitis (id eſt degradationem) intenditur, niſi legitima præcedat inſcriptio, nullatenus admittatur. Sed cum ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit infamatus, ita ut jam clamor aſcendat, qui diutius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine periculo tolerari, B abſque dubitationis ſcrupulo: ad inquirendum & puniendum ejus exceſſus, non ex odii fomite, ſed caritatis procedatur affectu: quatenus, ſi gravis fuerit exceſſus, etſi non degradetur ab ordine, ab adminiſtratione tamen amoveatur omnino, quod eſt ſecundum evangelicam ſententiam, a villicatione villicum amoveri, qui non poteſt villicationis ſuæ dignam reddere C rationem.

In Mſ. Maz. quaſi aliud eſſet capitulum, titulus hic additur ἵνα ὁ παρὼν παρόντα κατηγορεῖν ὀφείλῃ.

Χρὴ τοιγαροῦν εἶναι παρόντα τὸν καθ' οὗ γενήσεται ἡ ζήτησις, εἰ μὴ δι' αἰτίαν αὐτοῦ ἢ δι' ἀπείθειαν ἀπῇ· καὶ ἐκτεθήσονται αὐτῷ τὰ κεφάλαια περὶ ὧν ζητηθήσεται, ἵνα εὐπορίαν ἔχῃ διεκδικεῖν ἑαυτόν· καὶ οὐ μόνον τὰ ῥηθέντα, ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ ὀνόματα τῶν μαρτύρων δημοσιεύεσθαι ἵνα παρὰ τίνος ἐρρέθη φανῇ· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ αἱ παραγραφαὶ καὶ αἱ ἀναλύσεις αἱ νομίμως δεχθησόμεναι· μήπως δι' ἐκπιεσμὸν ὀνομάτων διαβολῆς παραγραφὴν ἤτε ἀπόκλεισιν τοῦ καθαιρεθῆναι πλαστὸν ἡ τόλμα παρέξῃ·

Debet igitur eſſe præſens is contra quem facienda eſt inquiſitio, niſi ſe per contumaciam abſentaverit: & exponenda ſunt ei illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut facultatem habeat defendendi ſeipſum. Et non ſolum dicta, ſed etiam nomina ipſa teſtium ſunt ei, ut quid & a quo ſit dictum appareat, publicanda: nec non exceptiones, & replicationes legitimæ[b] admittendæ, ne per ſuppreſſionem nominum, infamandi, per exceptionum vero excluſionem, deponendi falſum audacia D præbeatur.

In Mſ. Maz. proprius hic eſt titulus quaſi diſtincti capituli. Præſens præſentem accuſare debet.

[b] Græce legitime

Latina hic non intellexit Græcus interpres: ut & in nonnullis quæ præcedunt, & quæ ſequuntur.

Πρὸς τὸ διορθωθῆναι γοῦν τὰς τῶν ὑπηκόων ἐκστάσεις, τοσοῦτον ἀκριβέστερον ὀφείλει ὁ προεστὼς ἐξαναστῆναι, ὅσον ἐπιζημιώτερόν ἐστιν εἰ τὰ αὐτῶν προσκόμματα καταλείψει ἀδιόρθωτα. καθ' ὧν, ἵνα περὶ τῶν σεσημειωμένων ὑπερβασιῶν σιωπηθῇ, καὶ εἰ τρισὶ τρόποις δυνηθῇ προελθεῖν, δι' ἀγωγῆς δηλαδὴ, ἐξαγγελίας, καὶ ἐκζητήσεως αὐτῶν· ἵνα ὅμως ἐν πᾶσιν ἀκριβὴς παραχεθῇ ἀσφάλεια, μήπως ἴσως διὰ ῥᾳδίας ὠφελείας, εἰς βαρεῖαν βλάβην διαβληθῇ· ὡς τὴν νόμιμον ἀφορμὴν προσδραμεῖν χρὴ ἐν τῷ ἐγγράφῳ· οὕτως καὶ τὴν ἐξαγγελίαν ἡ ἀγαπητικὴ νουθεσία, καὶ τὴν κραυγητικὴν ἐκζήτησιν ὀφείλει ἡ γνώρισις προλαβεῖν· ἐκείνης ἀεὶ παραχεθείσης τῆς συμμετρίας, ἵνα κατὰ τὸν τύπον τῆς κρίσεως, καὶ τῆς ἀποφάσεως ὁ τύπος ἐκτεθῇ. ταύτην τέως τὴν τάξιν περὶ τὰ κανονικὰ πρόσωπα οὐ πιστεύομεν ἕως σφόδρα φυλαχθησομένην· ἅπερ, ὅτε ἡ αἰτία ἐκζητεῖ, εὐκολώτερον καὶ ἐλευθερώτερον δύνανται ἐκ τῶν ἰδίων διακονιῶν ἀποκινεῖσθαι.

Ad corrigendos itaque ſubditorum exceſſus tanto diligentius debet prælatus aſſurgere, quanto damnabilius eorum offenſas deſereret incorrectas. Contra quos, ut de notoriis exceſſibus taceatur, etſi tribus modis poſſit procedi, per accuſationem videlicet, denunciationem & inquiſitionem eorum: ut tamen in omnibus diligens adhibeatur cautela, ne forte per leve compendium ad grave diſpendium veniatur: ſicut E accuſationem legitima præcedere debet inſcriptio, ſic & denunciationem caritativa admonitio, & inquiſitionem clamoſa inſinuatio prævenire: illo ſemper adhibito moderamine, ut juxta formam judicii, ſententiæ quoque forma dictetur. Hunc tamen ordinem circa regulares perſonas non credimus uſquequaque ſervandum, quæ, cum cauſa requirit, facilius & liberius a ſuis poſſunt adminiſtrationibus amoveri.

IX.

ANNO CHRISTI 1215.

IX. *De diversis ritibus in eadem fide.*

Quoniam in plerisque partibus intra eamdem civitatem atque diœcesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus & mores: districte præcipimus, ut pontifices hujusmodi civitatum sive diœcesum provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum & linguarum Divina officia illis celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eadẽq; civitas sive diœcesis diversos pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed, si propter prædictas causas urgens necessitas postulaverit, pontifex loci catholicum præsulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subjectus. Unde si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum: &, si nec sic resipuerit, ab omni ecclesiastico ministerio deponatur, adhibito, si necesse fuerit, brachio sæculari ad tantam insolentiam compescendam.

θ'. Ὅτι οἱ προεστῶτες ὑφ' ἑαυτοὺς κατὰ τὰς διαφορὰς τῶν ἠθῶν κυρίους ὀφείλουσιν ἔχειν διδασκάλους.

MS. Maz. Quod prælati sub se, secundum diversitates rituum, dominicos debent habere doctores.

Ἐπειδὴ ἐν πλείστοις μέρεσιν ἐντὸς τῆς αὐτῆς πόλεως καὶ ἐνορίας, ἀναμίγνυνται λαοὶ διαφόρων γλωσσῶν, ἔχοντες ὑπὸ μίαν πίστιν ποικίλα ἤθη καὶ συνηθείας· ἐσφιγμένως προστάσσομεν, ἵνα οἱ ἀρχιερεῖς τῶν τοιούτων πόλεων ἢ ἐνοριῶν προνοήσωσιν ἄνδρας εἰδήμονας, οἵ τινες κατὰ τὰς διαφορὰς τῶν "πόλεων καὶ τῶν γλωσσῶν τὰ θεῖα ὀφφίκια αὐτοῖς ἐπιτελέσουσιν, καὶ τὰ ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια, διδάσκοντες αὐτοὺς λόγῳ ὁμοίως καὶ ὑποδείγματι. κωλύομεν δὲ παντελῶς ἵνα μὴ μία καὶ ἡ αὐτὴ πόλις ἢ ἐνορία διαφόρους ἀρχιερεῖς ἔχῃ, ὡς ἓν σῶμα, διαφόρους κεφαλὰς ὡσανεὶ τέρας. ἀλλ' ἐὰν δι' αἰτίας ῥηθείσας ἐκβιάζουσα ἀνάγκη αἰτήσῃ, ὁ ἀρχιερεὺς τοῦ τόπου καθολικὸν προεστῶτα τοῖς ἔθνεσιν ἐκείνοις σύμμορφον, προβλεπτικῇ διασκέψει καθιστάτω ἑαυτοῦ ἀντιπρόσωπον ἐν τοῖς προρρηθεῖσι, τὸν κατὰ πάντα ἐσόμενον αὐτῷ ὑπήκοον καὶ ὑποτεταγμένον. ὅθεν ἐάν τις ἄλλως ἑαυτὸν ἐμβάλλῃ, ἀναθέματος ξίφει ἑαυτὸν γνώτω χρυσωθέντα· καὶ εἰ μηδὲ οὕτως ἀνανεύσῃ, ἀπὸ πάσης ἐκκλησιαστικῆς διακονίας καταιρεθησόμενον· προστεθέντος εἰ ἀναγκαῖον ἔσται, κοσμικοῦ βραχίονος πρὸς τὸ τὴν τοσαύτην ἀκαταστασίαν χαλινωθῆναι.

" *Corr.* κυριακοὺς

X. *De prædicatoribus instituendis.*

Inter cetera quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime noscitur sibi esse necessarium, quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo quod *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. (Matth. 4.) Unde cum sæpe contingat, quod episcopi propter occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias (ne dicamus defectum scientiæ, quod in eis est reprobandum omnino, nec de cætero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas diœceses & diffusas, generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant, potentes in opere & sermone, qui plebes sibi commissas, vice ipsorum, cum per se idem nequiverint, solicite visitantes, eas verbo ædificent & exemplo, quibus ipsi, cũ indiguerint, congrue necessaria ministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Unde præcipimus tam in cathedralibus, quã in aliis conventualibus

ι'. Ὅτι οἱ ἐπίσκοποι ὑφ' ἑαυτοὺς πρὸς τὸ διδάξαι τὸν λαὸν, ἄνδρας θεολόγους ἔχειν ὀφείλουσι.

MS. Maz. Episcopi sub se ad docendum populum viros theologos habere debent.

Πρὸς τοῖς ἄλλοις τοῖς εἰς σωτηρίαν ἀφορῶσιν τοῦ χριστιανικοῦ λαοῦ ἡ τροφὴ, " τὸ ῥῆμα τοῦ θεοῦ ἐξαιρέτως αὐτῷ γινώσκεται ἀναγκαῖον. ὅπερ ὡς τὸ σῶμα τῷ ὑλικῷ, οὕτως καὶ ἡ ψυχὴ τῷ πνευματικῷ βρώματι τρέφεται. διότι οὐκ ἐπ' ἄρτῳ μόνῳ ζῇ ἄνθρωπος, ἀλλὰ ἐν παντὶ ῥήματι ἐκπορευομένῳ διὰ στόματος θεοῦ. ὅθεν ἐπειδὴ πολλάκις συμβαίνει, ὅτι οἱ ἐπίσκοποι διὰ πλείστους πειρασμοὺς, ἢ ἀσθενείας σωματικὰς, ἢ ἐχθρῶν ἐπιδρομὰς, ἢ αἰτίας ἄλλας· ἵνα μὴ εἴποιμεν δι' ἔλλειψιν γνώσεως, τὴν ἐν αὐτοῖς ἀδοκιμασθησομένην ὅλως καὶ τοῦ λοιποῦ μὴ ἀναχρεθησομένην· δι' ἑαυτῶν οὐκ ἐξαρκοῦσι διακονεῖν τῷ λαῷ τὸ ῥῆμα θεοῦ, μάλιστα διὰ τὰς πλατείας ἐνορίας καὶ διακεχυμένας· γενικῇ διατάξει θεσπίζομεν, ἵνα οἱ ἐπίσκοποι ἄνδρας εἰδήμονας πρὸς τὸ τοῦ ἁγίου κηρύγματος ὀφφίκιον σωτηρίως ἐκζητηθῆναι προσλάβωσιν, δυνατοὺς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ· οἵ τινες τοὺς ἐπιτετραμμένους αὐτοῖς λαοὺς ἀντ' αὐτῶν, ἐπεὶ δι' ἑαυτῶν οὐ δύνανται, ἐπισκεπτόμενοι, αὐτοὺς ἐν λόγῳ οἰκοδομήσουσι, καὶ ὑποδείγματι· οἷς αὐτοὶ, ὅταν δέωνται, πρεπόντως τὰ ἀναγκαῖα διακονείτωσαν· μήπως δι' ἔνδειαν τῶν ἀναγκαίων περισφιχθῶσιν ἀποστῆναι τοῦ ἐναρχθέντος. ὅθεν προστάσσομεν τόσον καθεδρικαῖς, ὅσον κοινοβιακαῖς ἄλλαις ἐκκλη-

" *Vertere Græcus debuisset:* ἡ τροφὴ τοῦ ῥήματος τοῦ θεοῦ *ac deinde* ἀναγκαία.

ANNO CHRISTI 1215.

ἐκκλήσιαις, ἄνδρας εἰδήμονας ταχθῆναι, οὓς A ἂν δύνων[τ]) οἱ ἐπίσκοποι βοηθοὺς καὶ συνεργάτας ἔχειν, οὐ μόνον ἐν τῷ τοῦ κηρύγματος ὀφφικίῳ, ἀλλὰ καὶ εἰς τὸ ἐξακουσθῆναι τὰς ἐξομολογήσεις καὶ ἐπιτεθῆναι τὰ ἐπιτίμια, καὶ λοιπὰ τὰ πρὸς σωτηρίαν διαφέροντα ψυχῶν. εἰ δέ τις τοῦτο ἐκπληρῶσαι καταφρονήσῃ, σφικτῇ ὑποκείσθω ἐκδικήσει.

ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadiutores & cooperatores habere, non solum in prædicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus, & pœnitentiis iniungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc neglexerit adimplere, districtæ subiaceat ultioni.

ιά. Ινα οἱ ἐπίσκοποι διδασκάλους ἔχωσι τοὺς διδάξοντας τοὺς κληρικούς.

XI. *De magistris scholasticis.*

MS. Maz. Vt episcopi magistros habeant, qui clericos doceant.

Ἐπειδή τισιν διὰ ἔνδειαν καὶ ἡ τοῦ ἀναγινώσκειν σπουδὴ καὶ δύναμις τοῦ προκόπτειν ἀφαιρεῖται, ἐν τῇ τοῦ Λατεράνου συνόδῳ εὐσεβεῖ διατάξει προενοήθη, ἵνα παρ' ἑκάστης καθεδρικῆς ἐκκλησίας διδασκάλῳ τῷ τοὺς κληρικοὺς τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας, καὶ τοὺς λοιποὺς φοιτητὰς πτωχοὺς δωρεὰν παιδεύσοντι, ἁρμόζον ἰδιαίτερόν τι παρασχεθῇ· ὥσπερ ἂν καὶ ἡ τοῦ διδάσκοντος ἀνακουφισθῇ ἀνάγκη, καὶ ὁδὸς φανερωθῇ τοῖς μανθάνουσιν εἰς διδαχήν. ὅτι δὲ ἐν πολλαῖς ἐκκλησίαις τοῦτο οὐδαμῶς φυλάττεται· ἡμεῖς τὴν προρρηθεῖσαν ὀχυροῦντες διάταξιν, προστίθεμεν ἵνα μὴ μόνον ἐν ἑκάστῃ καθεδρικῇ ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ὧν ἂν αὐταρκέσωσιν αἱ εὐπορίαι, καταστάθῃ διδάσκαλος εἰδήμων παρὰ τοῦ προεστῶτος μετὰ τοῦ καπιτούλου, ἢ τοῦ ὑγιεστέρου μέρους τοῦ καπιτούλου ἐκλεγησόμενος, ὃ τοὺς κληρικοὺς τῶν αὐτῶν ἐκκλησιῶν καὶ τῶν ἄλλων δωρεὰν ἐν γραμματικῇ παιδευσίᾳ καὶ λοιπαῖς διδάξων κατὰ τὸ δυνατόν. ἡ μέντοι C μητρόπολις ἐκκλησία θεολόγον οὐχ ἥκιστα ἐχέτω τὸν τοὺς ἱερεῖς καὶ ἄλλοις ἐν τῇ

Quia nonnullis propter inopiam, & legendi studium & opportunitas proficiendi subtrahitur, in Lateranensi concilio pia fuit institutione provisum, ut per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos eiusdem ecclesiæ, aliosque scholares pauperes gratis instrueret, aliquod competens beneficium præberetur, quo & docentis relevaretur necessitas, & via pateret discentibus ad doctrinam. Verum quoniam in multis ecclesiis id minime observatur: nos prædictum roborantes statutum, adiicimus, ut non solum in qualibet cathedrali ecclesia, sed etiam in aliis, quarum sufficere poterunt facultates, constituatur magister idoneus a prælato cum capitulo, seu majori [a] ac saniori parte capituli, eligendus, qui clericos ecclesiarum ipsarum, & aliarum, gratis in grammaticæ facultate ac aliis instruat juxta posse. Sane metropolitana ecclesia theologum nihilo minus habeat, qui sacerdotes & alios in sacra

Concilium Lateranense sub Alexandro III. c.18.

[a] *Deest in græco, majori*

His mutilus est codex Maz. quo fit ut Græca desint.

sacra pagina doceat, & in his præsertim informet quæ ad curam animarum spectare noscuntur. Assignetur autem cuilibet magistrorum a capitulo unius præbendæ proventus, & pro theologo a metropolitano tantumdem: nō quod propter hoc efficiatur canonicus, sed tamdiu reditus ipsius percipiat, quamdiu perstiterit in docendo. Quod si forte de duobus magistris metropolitana D ecclesia gravetur, theologo juxta modum prædictum ipsa provideat: grammatico vero in alia ecclesia suę civitatis sive diœcesis, quod sufficere valeat faciat provideri.

XII. *De communibus capitulis monachorum.*

In singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium, salvo jure diœcesanorum pontificum, commune capitulum abbatum atq; priorum abbates proprios nō habentium, qui non consueverūt tale capitulum celebrare: ad quod universi conveniant, præpeditionem canonicam non habentes, apud unum de monasteriis ad hoc aptum, hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plus quam sex evectiones & octo personas adducat. Advocent autem caritative in hujus novitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis abbates vicinos, ad præstandum sibi consilium & auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati. Qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire. Ac ipsi quatuor præsint capitulo universo, ita quod ex hoc nullus eorum autoritatem prælationis assumat: unde cum

συμφέρει, προνοητικῇ δυνήσοιντο διασκέψει E μεταλλαγῆναι. τοῦτο δὲ τὸ καπίτουλον, τισὶ ῥηταῖς ἡμέραις συνεχῶς κατὰ τὸ ἔθος τῆς κιστέλλης ἐπιτελείσθω, ἐν ᾧ ἀκριβὴς κρατείσθω πραγματισμὸς περὶ ἀνατυπώσεως τῆς τάξεως, καὶ φυλάξεως κανονικῆς. καὶ ὅπερ ἂν κατασταθῇ ἐκείνων τῶν τεσσάρων

expedierit, provida possint deliberatione mutari. Hujusmodi vero capitulum aliquot certis diebus continue juxta morem Cisterciensis ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis, & observatione regulari: & quod statutum fuerit, illis quatuor appro-

ANNO CHRISTI 1215.

approbantibus, ab omnibus inviolabiliter observetur, omni excusatione & contradictione ac appellatione remotis, proviso nihilo minus, ubi " sequēti termino debeat capitulū celebrari: & qui convenerint, vitā ducāt cōmunem, & faciāt proportionabiliter " simul omnes cōmunes expensas: ita quod si nō omnes potuerint in eisdem, saltē plures simul in diversis domibus commorentur.

" *MS. Maz.* ut

" *Ibid.* proportionaliter

Ordinentur etiam in eodem capitulo religiosæ ac circumspectæ personæ, quæ singulas abbatias ejusdem regni sive provinciæ, non solum monachorum, sed etiam monialium, secundum formam sibi præfixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes & reformantes quæ correctionis & reformationis officio viderint indigere: ita quod si rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuncient episcopo proprio, ut illum amovere procuret: quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referant ad apostolicæ sedis examen. Hoc ipsum regulares " canonicos secundum ordinem suum volumus & præcipimus observare. Si vero in hac novitate quidquam difficultatis emerserit, quod per prædictas personas nequeat expediri: ad apostolicæ sedis iudicium absque scandalo referatur, cæteris irrefragabiliter observatis, quæ concordi fuerint deliberatione provisa.

" *MS. Maz.* regulares personas

Porro diœcesani episcopi monasteria sibi subjecta ita studeant reformare, ut cum ad ea prædicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant quod commendatione, quam quod correctione sit dignū: attētissime præcaventes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraventur. Quia sic volumus superiorum jura servari, ut inferiorum nolimus injurias sustinere.

Ad hoc districte præcipimus tam diœcesanis episcopis, quam personis quæ præerunt capitulis celebrādis, ut per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cōpescant advocatos, patronos, vicedominos, rectores & consules, magnates & milites, seu quoslibet alios, ne monasteria præsumāt offendere in personis ac rebus: ac si forsitan offenderint, eos ad satisfactionē compellere non omittant, ut liberius & quietius omnipotenti Deo valeant famulari.

XIII. *De novis religionibus prohibitis.*

Ne nimia religionum diversitas gravem in ecclesia Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat: sed quicumque voluerit ad religionem converti, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domū fundare

A κυρωθέντων, παρὰ πάντων ἀπαραβάτως φυλαχθήτω· παντὸς ἀφορισμοῦ, ἀντιλογίας, καὶ ἐπικλήσεως παυόντων· προνοήτως οὐχ ἥκιστα ἐν τῇ ἀκολούθῳ διωρίᾳ χρὴ τὸ καπίτουλον ἐπιτελεσθῆναι· ἔνθα καὶ οἱ ἐπισυνερχόμενοι κοινὴν ἀγέτωσαν ζωὴν, καὶ ποιείτωσαν μοιραστικῶς ἐν ταὐτῷ πάντες κοινὰς ἐξόδους· οὕτως ὅτι ἐὰν μὴ πάντες δυνηθῶσιν ἐν τοῖς αὐτοῖς, κἂν οἱ πλείους ὁμοῦ ἐν διαφόροις οἴκοις αὐλιζέσθωσαν.

Ταχθήτωσαν δὲ ἐν αὐτῷ τῷ καπιτούλῳ θρησκὰ καὶ περίβλεπτα πρόσωπα, ἅπερ τὰ ἕκαστα μοναστήρια τοῦ αὐτοῦ ῥηγάτου ἢ τῆς περιχωρίας, οὐ μόνον τῶν μοναχῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν μοναστριῶν, κατὰ τὸν ἐκεῖσε προσταχθέντα τύπον αὐτοῖς, ἀνθ' ὑμῶν B ἐπιμελείσθωσαν ἐπισκέπτεσθαι· διορθοῦντες καὶ ἀνατυποῦντες ἅπερ ἂν διορθώσεως καὶ ἀνατυπώσεως ἴδωσι δεῖσθαι· οὕτως ὥσπερ ἂν τὸν κυβερνήτην τοῦ τόπου διαγνώσωσιν ἐκ τῆς διακονίας παντελῶς ἀποκινηθησόμενον, ἀναγγειλάτωσαν τῷ ἰδίῳ ἐπισκόπῳ, ἵνα τοῦτον ἀποκινεῖν φροντίσῃ. ὅπερ ἐὰν οὐ ποιήσῃ, αὐτοὶ οἱ ἐπισκέπται τοῦτο ἀναφερέτωσαν εἰς τὴν τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου ἐξέτασιν. τὸ αὐτὸ τοῦτο καὶ τὰ κανονικὰ πρόσωπα κατὰ τὰς τάξεις θέλομεν καὶ ἐπιτάσσομεν παρατηρεῖν. εἰ δὲ ἐν ταύτῃ τῇ καινότητι, τι δυσκολίας ἀναδύσῃ, ἣ " διὰ τῶν προειρημένων προσώπων μὴ δυνήσαιτο C διαλυθῆναι· εἰς τὴν τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου κρίσιν δίχα σκανδάλου ἀναφερέσθω, τῶν ἄλλων ἀπαραβάτως φυλαχθέντων τῶν συμφώνῳ διασκέψει προνοηθέντων.

" *Corr.* ὃ

Οἱ μέντοι τῆς ἐνορίας ἐπίσκοποι τὰ αὐτοῖς ὑποτεταγμένα μοναστήρια οὕτω σπουδαζέτωσαν ἀνατυποῦν, ἵνα ὅταν εἰς αὐτὰ οἱ ἐπισκέπται προέλθωσιν, πλέον ἐν αὐτοῖς εὑρήσοιεν ἐπαίνου ἢ ὃ διορθώσεος εἴη ἄξιον· προσεκτικῶς προσχόντες, ἵνα μὴ δι' αὐτῶν τὰ εἰρημένα μοναστήρια ἀπρεπέσι πᾶσιν ἐπιβαρηθῶσιν· ὅτι οὕτως θέλομεν τὰ τῶν ὑπερτέρων δικαία D φυλαχθῆναι, ὡς μὴ βούλεσθαι τοὺς κατωτέρους ὕβριν ὑπομεῖναι.

Πρὸς τούτοις ἐσφιγμένως προστάσσομεν τόσον ἐνορίοις τοῖς ἐπισκόποις, ὅσον προσώποις τοῖς προϊσταμένοις τῶν τελεσθησομένων καπιτούλων, ἵνα διὰ κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς, ἐπικλήσεως ἀποκινηθείσης, περισφίγξωσι τοὺς κατηγόρους, πάτρωνας, ἀντικυρίους, κυβερνήτας, συγκλητικοὺς, μεγιστᾶνας, καὶ στρατιώτας, εἴτε τινας ἄλλους, ἵνα μὴ τὰ μοναστήρια τολμήσωσι προσκρούειν ἐν προσώποις ἢ πράγμασι. καὶ " ἴσως προσκρούσουσιν, αὐτοὺς εἰς τὴν ἱκανοποιΐαν περισφιγξάτωσαν, καὶ μὴ ἐάτωσαν, ὡς ἂν ἐλευθερώτερον καὶ ἠρεμικώ- E τερον τῷ παντοδυνάμῳ θεῷ ἰσχύσωσι δουλεύειν.

" Deest εἰ

Deest titulus in codice Mazarino.

Ἵνα μὴ ἡ πλείστη τῶν θρησκειῶν διαφορὰ βαρεῖαν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ σύγχυσιν ἐνεισάξῃ, στερεῶς κωλύομεν, ὡς ἂν μηδεὶς τοῦ λοιποῦ καινὴν θρησκείαν ἐφεύροιτο· ἀλλ' ὅστις εἰς θρησκείαν ἐπιστραφῆναι θελήσειε, μίαν ἐκ τῶν δεδοκιμασμένων ἀναλάβοιτο. ὁμοίως ὁ θελήσας ἀσκητικὸν οἶκον ἐκ νέας θεμελιοῦν,

ANNO CHRISTI 1215.

τὸν κανόνα καὶ τὴν κατάστασιν λαμβανέτω ἀπὸ τῶν A δεδοκιμασμένων θρησκειῶν.

Κἀκεῖνο δὲ κωλύομεν ἵνα μή τινες μοναχοὶ ἐν διαφόροις μοναστηρίοις τόπον ἔχειν τολμήσωσιν, μήθ᾽ εἷς ἡγούμενος πολλὰ μοναστήρια νέμεσθαι.

MS. Maz. De continentia clericorum.

ιδ᾽. Περὶ ἐγκρατείας κληρικῶν.

Ινα τῶν κληρικῶν τὰ ἤθη καὶ τὰ ποιήματα ἐπὶ τὸ κρεῖττον μεταῤῥυθμηθῶσιν, ἐγκρατῶς καὶ σωφρόνως ζῆν ἐπιμελείσθωσαν ἅπαντες· ἐξαιρέτως οἱ ἐν ταῖς ἱεραῖς χειροτονίαις καθεστηκότες, ἀπὸ παντὸς ἀσελγείας πάθους ἑαυτοὺς παρατηροῦντες, μάλιστα ἐκείνου δι᾽ ὅπερ ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ ἐξ οὐρανοῦ ἔρχεται B ἐπὶ τοὺς υἱοὺς τῆς ἀπειθείας· ὡς ἐνώπιον τοῦ παντοκράτορος θεοῦ εἰλικρινεῖ καρδίᾳ καὶ καθαρῷ σώματι ἰσχύσωσι διακονεῖν. ἵνα δὲ μὴ ἡ εὐκολία τῆς ἀφέσεως κέντρον παράσχῃ τοῦ ἁμαρτάνειν· καθιστῶμεν ἵνα οἱ καταληφθησόμενοι τῷ τῆς ακολάσιας πάθει κοπιᾷν, ὡς μεῖζον καὶ ἔλαττον ἁμαρτήσουσι, " κατὰ τὰ κανονικὰ θεσπίσματα, ἅπερ ἐντελέστερον καὶ σφικτότερον ἐπιτάττομεν φυλαχθῆναι· ἵνα οὓς ὁ θεῖος φόβος οὐκ ἀνακαλεῖται, κἂν ἡ πρόσκαιρος ποινὴ περισφίγξῃ ἐκ τῆς ἁμαρτίας.

" deest puniantur.

Εἴ τις τοιγαροῦν ἐκ ταύτης τῆς αἰτίας ὑπαναρτηθεὶς, τολμήσῃ ἐπιτελεῖν τὰ θεῖα· οὐ μόνον C ἐκ τῶν ἐκκλησιαστικῶν εὐεργετημάτων γυμνούσθω, ἀλλὰ καὶ διὰ τοῦτο τὸ διπλοῦν πταῖσμα αἰωνίως καθαιρείσθω.

Οἱ δὲ προεστῶτες, οἳ τὰ " τοιαῦτα τολμήσωσι ταῖς αὐτῶν ἀνομίαις ὑπομεῖναι, μάλιστα ἐπὶ τεύξει φιλοχρηματίας ἢ ἑτέρας ὠφελείας προσκαίρου, ὁμοίᾳ ὑποκείσθωσαν διεκδικήσει.

Corr. τοὺς τοιούτους,

Οἱ δὲ κατὰ τὸ τῆς χώρας αὐτῶν ἔθος μὴ τηρήσαντες τὴν γαμικὴν σύζευξιν, ἐὰν ὀλισθήσωσιν, βαρύτερον κολασθήτωσαν· ἐπεὶ τῷ νομίμῳ συνοικεσίῳ δύνανται χρᾶσθαι.

Latine est, qui nō abdicarunt; Græce, qui non servarunt: ut sit sensus: qui uxores non servarunt, quas pro patrio more servare poterant.

In MS. jungitur hoc capitulum cum præcedente. D

Ἀπὸ κραιπάλης καὶ μέθης πάντες οἱ κληρικοὶ ἀκριβῶς ἀπεχέσθωσαν· ὅθεν τὸν οἶνον ἑαυτοῖς συγκερασάτωσαν, καὶ ἑαυτοὺς τῷ οἴνῳ· μήτε τίς ποτε πρὸς τὸ πίνειν ἐρεθιζέσθω. ἐπείπερ ἡ μέθη καὶ διανοίας ἐνεισάγει ἐξορίαν, καὶ ἀσελγείας προσκαλεῖται κέντρον. ὅθεν ἐκείνην τὴν παράχρησιν κρίνομεν ὅλως ἐξαλειπτέαν, ᾗ τινι ἔν τισι μέρεσιν εἰς τὸν πότον ἴσοι τῷ ἰδίῳ τρόπῳ ἑαυτοὺς καθυποβάλλουσιν οἰνοπόται· καὶ ἐκεῖνος τῇ κρίσει τῶν τοιούτων πλέον ἐπαινεῖται ὁ πλείους μεθύων, καὶ κύλικας ἀφθονωτέρας ἐξαντλῶν. Εἴ τις οὖν ἐπὶ τούτοις ἑαυτὸν πταίστην ἐπιδείξειεν, E εἰ μὴ παρὰ τοῦ ὑπερτέρου νουθετηθεὶς, ἱκανοποιήσῃ προσηκόντως, ἐκ τοῦ εὐεργετήματος καὶ τοῦ ὀφφικίου ὑπαναρτάσθω.

. . . .

. . . .

. . . .

MS. Max. De vita & honestate clericorū.

ιϛ᾽. Περὶ ζωῆς καὶ σεμνότητος κληρικῶν.

Οἱ κληρικοὶ ὀφφίκια ἢ κομέρκια κοσμικὰ

A de novo, regulam & institutionem accipiat de religionibus approbatis.

ANNO CHRISTI 1215.

Illud etiam prohibemus, ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere præsumat, nec unus abbas pluribus monasteriis præsidere.

XIV. *De incontinentia clericorum punienda.*

Vt clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & caste vivere studeant universi, præsertim in sacris ordinibus constituti, ab omni libidinis vitio præcaventes, maxime illo, propter quod ira Dei venit de cælo in filios diffidentiæ, quatenus in conspectu Dei omnipotentis, puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi: statuimus, ut qui deprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis aut minus peccaverint, puniantur secundum canonicas sanctiones; quas efficacius & districtius præcipimus observari: ut quos Divinus timor a malo non revocat, temporalis saltem pœna a peccato cohibeat.

Si quis igitur hac de causa suspensus, Divina celebrare præsumpserit: non solum ecclesiasticis beneficiis spolietur, verum etiam pro hac duplici culpa perpetuo deponatur.

Prælati vero, qui tales præsumpserint in suis iniquitatibus sustinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari subjaceant ultioni.

Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem, si lapsi fuerint, gravius puniantur, cum legitimo matrimonio possint uti.

XV. *De arcenda ebrietate clericorum.*

A crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant. Vnde vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quispiā incitetur, cum ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Vnde illum abusum decernimus penitus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit. Si quis autem super his culpabilem se exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit competenter, a beneficio vel officio suspendatur.

Venationem & aucupationem universis clericis interdicimus: unde nec canes, nec aves ad aucupandum habere præsumant.

Ista nec Græce nec Latine sunt in codice Mazarino.

XVI. *De indumentis clericorum.*

Clerici officia vel commercia sæcularia

ANNO CHRISTI 1215.

non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, joculatoribus, & histrionibus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas vel taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem, & se in officiis Divinis & aliis bonis exerceant studiis diligenter. Clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, necnon manicis aut sotularibus consutitiis seu rostratis, frenis, sellis, pectoralibus & calcaribus deauratis; aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur. Cappas manicatas ad Divinum officium intra ecclesiam non gerant: sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio vel personatibus constituti, nisi justi causa timoris exegerit habitum transformari. Fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico & in ecclesia superindumentis lineis omnes utantur, nisi monachi fuerint, quos oportet deferre habitum monachalem: palliis diffibulatis non utantur in publico, sed vel post collum, vel ante pectus hinc inde connexis.

XVII. *De comessationibus prælatorum, & negligentia eorum super Divinis officiis.*

Dolentes referimus, quod non solum quidam minores clerici, verum etiam aliqui ecclesiarum prælati, circa comessationes superfluas & confabulationes illicitas, ut de aliis taceamus, fere medietatem noctis expendunt: & somno residuum relinquentes, vix ad diurnum concentum avium excitantur, transcurrendo undique continuata syncopa matutinum. Sunt & alii qui Missarum celebrant solennia vix quater in anno, &, quod deterius est, interesse cõtemnunt: & si quando dum hæc celebrantur intersunt, chori silentium fugientes, intendunt" exterius collocutionibus laicorum: dumque auditum ad indebitos sermones effundunt, aures intentas non porrigunt ad Divina. Hæc igitur & similia sub pœna suspensionis penitus inhibemus: districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut Divinum officium diurnum pariter & nocturnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote.

" externis

XVIII. *De judicio sanguinis & duelli clericis interdicto.*

Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat: sed nec sanguinis vindi-

μὴ ἐγχειρίζέσθωσαν, μάλιστα ἄσεμνα· μίμοις, παιγνιώταις, καὶ γελωτοποιοῖς μὴ προσεχέτωσαν· τὰ καπηλεῖα παντελῶς ἐκκλινέτωσαν, εἰ μὴ ἴσως αἰτίᾳ ἀνάγκης ἐν ὁδῷ κατασταθῶσιν. εἰς κύβους ἢ πεσσοὺς μὴ παιζέτωσαν, μηδὲ τοῖς τοιούτοις παιγνίοις παρέστωσαν. στεφάνην καὶ ἐπικουρίδα κεφαλῆς ἐχέτωσαν ἐνδεχομένην· καὶ ἑαυτοὺς ἐν τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὀφφικίοις καὶ ταῖς ἄλλαις ἀγαθαῖς ἐπιμελείαις ἀδολεσχείτωσαν ἀκριβῶς. κεκλεισμένα φορείτωσαν ἐπάνωθεν ἐνδύματα, πολλῇ βραχύτητι ἢ μακρότητι οὐ σημειωθησόμενα. ἐσθῆσιν ἐρυθραῖς, ἢ πρασίναις, ἀλλὰ καὶ μανικίοις ἢ ὑποδήμασι ῥαπτοῖς ἢ μακρομύτοις", σέλλαις, χαλινοῖς, καὶ στερνιστηρίοις περικεχρυσωμένοις ἢ ἄλλην περισσότητα φέρουσι, μὴ χράσθωσαν. κάππας μετὰ μανικίων εἰς τὸ θεῖον ὀφφίκιον ἔσω τῆς ἐκκλησίας μή τινες φορείτωσαν· μήτε μὴν ἀλλαχοῦ οἱ ἐν ἱερωσύνῃ καὶ προεστωτικοῖς καθεστῶτες· εἰ μὴ δικαίου αἰτία φόβου ἐκζητήσει τὸ ἔνδυμα μεταμορφῶσαι. πόρπας παντελῶς μὴ φερέτωσαν, οὔτε περιζώματα χρυσοῦ ἢ ἀργύρου κόσμον ἔχοντα, μήτε μὴν δακτυλίους, εἰ μή πως οἷς συμφέρει ἐξ ὀφφικίου τῆς ἀξίας. οἱ ἀρχιερεῖς δὲ ἐν δημοσίῳ καὶ ἐν ἐκκλησίᾳ ἐπάνωθεν ἐνδύμασι λινοῖς πάντες χράσθωσαν, εἰ μὴ μοναχοὶ ὦσιν, οὓς χρὴ φορεῖν ἔνδυμα μοναχικόν· μαντίοις ἀνεῳγμένοις μὴ χράσθωσαν ἐν δημοσίῳ, ἀλλ' ἢ ὄπισθεν τοῦ τραχήλου, ἢ ἔμπροσθεν τοῦ στήθους, ἐντεῦθεν κἀκεῖθεν συμπεπλεγμένοις.

" *Nam* μωτὶς, *sive apud Hesychium* μυτὶς, *est nasus sive rostrum animalis.*

ιζ'. Περὶ κραιπάλης καὶ μέθης κληρικῶν, καὶ χοροῦ τῆς σεμνότητος τῶν ψαλλόντων.

MS. Maz. De crapula & ebrietate clericorũ, & horis honestate psallendis.

Ἀλγοῦντες ἀναφέρομεν ὅτι οὐ μόνον τινὲς μικρότεροι κληρικοί, ἀλλὰ καί τινες τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες, περὶ κώμας περισσὰς καὶ συνομιλίας ἀπρεπεῖς· ἵνα περὶ τῶν λοιπῶν σιγήσωμεν· σχεδὸν τὸ ἥμισυ τῆς νυκτὸς ἀναλίσκουσι, καὶ τῷ ὕπνῳ τὸ λοιπὸν καταλείψαντες, μόλις εἰς τὸ ἑωθινὸν κελάδισμα τῶν ὀρνέων ἐξεγείρονται, παρατρέχοντες συνεχεῖ πάντοθεν συγκοπῇ τὸν ὄρθρον. εἰσὶν καὶ ἄλλοι οἵτινες τὰς ἱερουργίας μόλις ἐπιτελοῦσιν τετράκις ἐν τῷ ἐνιαυτῷ, καὶ ὅπερ χεῖρόν ἐστιν, ἐν αὐταῖς παρεῖναι καταφρονοῦσι· καὶ εἴπερ ποτέ, ὅταν αὗται τελοῦνται, " παροῦσι, τοῦ χοροῦ σιωπὴν φεύγοντες, προσέχουσι ταῖς ἐξωτέρως καταλέξεσι τῶν λαϊκῶν· καὶ ὡς εἰς ἀπρεπεῖς λόγους τὴν ἀκοὴν διεκχέοντες, ὦτα προσεκτικὰ οὐκ ὀρέγουσιν εἰς τὰ θεῖα. Ταῦτα τοίνυν καὶ τὰ ὅμοια, ὑπὸ ποινὴν ἀφορισμοῦ ὅλως κωλύομεν, σφικτῶς ἐπιτάττοντες ἐν δυνάμει ὑπακοῆς, ἵνα τὸ θεῖον ὀφφίκιον, νυκτερινὸν ἅμα καὶ ἡμερινόν, ὅσον ὁ θεὸς αὐτοῖς δώσειεν, σπουδαίως καὶ ἀκριβῶς ἐπιτελοῦσι καὶ εὐνοϊκῶς.

" *Corr.* πάρεισι.

ιη'. Ἵνα οἱ κληρικοὶ ἀπόφασιν αἵματος μὴ ἐκθέσωσαν· μηδὲ παρέστωσαν τοῖς ἐξωτέροις κριταῖς.

MS. Maz. Vt clerici sententiam sanguinis nõ dictent, nec intersint forensibus judicibus.

Ἀπόφασιν αἵματος μηδεὶς κληρικὸς ἐκθέσθω ἢ προφερέτω· μήτε μὴν αἵματος διεκδίκησιν

ANNO CHRISTI 1215.

μεταχειριζέσθω· ἀλλ᾽ οὐδὲ, ὅπου μεταχειρίζεται, A παρέστωσαν. εἰ δέ τις ἀφορμῇ τούτου τοῦ διατάγματος τῇ ἐκκλησίαις ἢ τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς προσώποις τινὰ βλάβην τολμήσῃ ἐπενεγκεῖν, διὰ ἐκκλησιαστικῆς κρίσεως περισφιχθήτω. μήτε τις κληρικὸς γράμματα ἐκθέσθω ἢ γραψάτω ὑπὲρ ἐκδικήσεως αἵματος σταλησόμενα. ὅθεν ἐν ταῖς αὐλαῖς τῶν ἀρχόντων αὕτη ἡ φροντὶς μὴ κληρικοῖς ἀλλὰ λαϊκοῖς ἀνατιθέσθω.

Μηδεὶς αὖ κληρικὸς, τοξοτῶν, ἢ τζαγγαρείων, ἢ τῶν τοιούτων ἀνδρῶν αἱμάτων προηγείσθω· μήτ᾽ ἐκεῖνο τὸ τῆς χειρουργίας, ὑποδιάκονος, διάκονος, ἢ ἱερεὺς μεταχειριζέσθω, ὅπερ εἰς καῦσιν ἢ τομὴν εἰσφέρει. B μήτε τις καθαρισμῷ ὕδατος ζέοντος, ἢ ψυχροῦ, ἢ σιδήρου πεπυρωμένου, ἔθος οἱασδήποτε εὐλογίας, ἢ καθιερώσεως παρασχέσθω· σωζομένων οὐχ ἧττον τῶν κωλυμάτων, τῶν περὶ μονομάχων ἢ διμάχων ἔμπροσθεν ἀποφανθέντων.

MS. Maz. Vt in ecclesiis supellectilia nō ponantur.

ιθ΄. Ἵνα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὰ ἀπόχρεα μὴ τεθῶσι.

Καταλειφθῆναι οὐ θέλομεν ἀδιόρθωτον, ὅτι τινὲς κληρικοὶ τὰς ἐκκλησίας οὕτως ἐκτιθέασιν ἀποχρέοις ἰδίοις τε καὶ ἀλλοτρίοις, ὡς μᾶλλον οἰκίας λαϊκῶν ἢ θεοῦ βασιλικὰς φαίνεσθαι. οὐ κατανοοῦντες, ὅτι ὁ κύριος οὐκ εἴα ἵνα σκεῦος διέλθῃ διὰ τοῦ ἱεροῦ. C

Εἰσὶ καὶ ἄλλοι οἵτινες οὐ μόνον τὰς ἐκκλησίας ἐῶσιν ἀτημελήτους, ἀλλὰ καὶ τὰ σκεύη τῆς διακονίας, καὶ τὰ ἐνδύματα τῶν διακόνων, καὶ τὰ τραπεζόφορα, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ αὐτὰ τὰ καλύμματα, οὕτω ῥυπαρὰ ἐῶσιν, ὡς ποτέ τισιν εἶναι βδελυκτά. ὅτι δὲ ὁ ζῆλος ἡμᾶς στερεῶς κατέφαγεν τοῦ οἴκου τοῦ θεοῦ· στερεῶς κωλύομεν, ἵνα τὰ τοιαῦτα ἀπόχρεα ἐν ταῖς ἐκκλησίαις προσδεχθῶσιν, εἰ μὴ διὰ ἐχθρῶν ἐπιδρομὰς, ἢ ἐμπρησμοὺς αἰφνιδίους, ἢ ἄλλας ἀνάγκας κατεπειγούσας, εἰς αὐτὴν χρὴ ἔχειν καταφύγιον. οὕτω τέως ὡς ἂν τῆς ἀνάγκης D παυούσης, τὰ πράγματα εἰς τὸν πρώτου τόπον ἀποκομισθῶσι. προστάσσομεν δὲ ἵνα τὰ τῆς εὐχῆς σκεύη, καλύμματα, καὶ τὰ προῤῥηθέντα ἐνδύματα, καθαρὰ καὶ λευκὰ φυλαχθῶσι· λίαν γὰρ ἂν φαίνοιτο ἄτοπον, τῶν ἐν τοῖς ἱεροῖς ῥύπων ἀμελεῖν, ὧν οὐκ ἐχρῆν ἐν τοῖς ἀνιέροις.

MS. Maz. Vt eucharistia & chrisma fideliter cōserventur.

κ΄. Ἵνα ἡ εὐχαριστία καὶ τὸ χρίσμα πιστῶς φυλαχθῶσι.

Διατάσσομεν οὖν ὅπως ἐν πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις τὸ χρίσμα καὶ ἡ εὐχαριστία ὑπὸ πιστῇ φυλάξει E κλειδῶν προστεθέντων διατηρηθῶσιν· ἵνα μὴ δυνηθῇ εἰς αὐτὰ τολμηρὰ χεὶρ ἐκταθῆναι εἰς τὸ τινὰ βδελυρὰ ἢ μιαρὰ ἐξασκηθῆναι· εἰ δὲ οὗτος εἰς ὃν διαφέρει ἡ φύλαξις, αὐτὰ οὐκ ἀσφαλῶς καταλείψῃ, ἐν τρισὶν μησὶν ἀπὸ τοῦ ὀφφικίου ἀφοριζέσθω· καὶ εἰ διὰ ἀμεριμνίαν αὐτοῦ ἄτοπόν τι ἐκεῖθεν συμβῇ, βαρυτέρᾳ ὑποκείσθω ἐκδικήσει.

In cod. Maz. deest græcus titulus, non latinus.

MS. Maz. Vt omnes

Πᾶς ἑκατέρου γένους πιστὸς μετὰ τὸ εἰς χρόνον

ctam exerceat, aut ubi exercetur intersit. Si quis autem hujusmodi occasione statuti, ecclesiis, vel personis ecclesiasticis aliquod præsumpserit inferre dispendium, per censuram ecclesiasticam compescatur. Nec quisquā clericus litteras scribat aut dictet pro vindicta sanguinis destinandas. Vnde in curiis principum hæc solicitudo non clericis, sed laicis committatur.

Nullus quoque clericus rottariis ", aut balistariis, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur, nec illam chirurgiæ "partē subdiaconus, diaconus, vel sacerdos exerceant, quæ ad ustionem vel incisionem inducit. Nec quisquā purgationi aquæ ferventis vel frigidæ, seu ferri candētis, ritū cujuslibet benedictionis aut cōsecrationis impendat: salvis nihilo minus prohibitionib⁹ de monomachiis sive duellis antea promulgatis.

" MS. Maz. ruptariis, *de quibus mentio frequēs & facta iam, & posthac facienda in Albigensium rebus.*

" *Prius legebatur*, artem. *Restituimus ex MS. Maz.* partem.

XIX. *Ne ecclesiæ mundanis supellectilibus exponantur.*

Relinqui nolumus incorrectum quod quidam clerici sic exponunt ecclesias supellectilibus propriis, & etiam alienis, ut potius domus laicæ quā Dei basilicæ videātur: non considerantes, quod Dominus nō sinebat ut vas transferretur per templum.

Sunt & alii, qui non solum ecclesias dimittunt incultas, verum etiam vasa ministerii, & vestimenta ministrorum, ac pallas altaris, necnon & ipsa corporalia, tam immunda relinquunt, quod interdum aliquibus sunt horrori. Quia vero zelus nos comedit domus Dei, firmiter prohibemus, ne hujusmodi supellectilia in ecclesiis admittantur: nisi, propter hostiles incursus, aut incendia repentina, seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere refugium. Sic tamen, ut necessitate cessante, res in loca pristina reportentur. Præcipimus quoque, ut oratoria, vasa, corporalia, & vestimenta prædicta, munda & nitida conserventur. Nimis enim videtur absurdum, in sacris sordes negligere, quæ dedecerent etiam in profanis.

XX. *De chrismate & eucharistia sub sera conseruanda.*

Statuimus, ut in cunctis ecclesiis chrisma & eucharistia sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur: ne possit ad illa temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Si vero is ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per ejus incuriam aliquid nefandum inde contigerit, graviori subjaceat ultioni.

XXI. *De confessione facienda, & non reuelanda a sacerdote, & saltem in Pascha communicando.*

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad

ANNO CHRISTI 1215.

ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiæ sacramentum: nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Vnde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat a proprio sacerdote, cum " aliter ille ipse non possit solvere, vel ligare.

MS. Maz. cum alter ipsum non poss.

Sacerdos autem sit discretus & cautus; ut more periti medici superinfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias & peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi cōsilium debeat exhibere, & cujusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad sanandum ægrotum.

Caveat autem omnino, ne verbo, vel signo, vel alio quovis modo prodat aliquatenus peccatorem; sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum.

XXII. *Quod infirmi prius provideant animæ quam corpori.*

Cum infirmitas corporalis nonnumquam ex peccato proveniat, dicente Domino lāguido quem sanaverat: *Vade, & amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi contingat*: decreto præsenti statuimus, & districte præcipimus medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant & inducant, quod medicos advocent animarum: ut postquam infirmis fuerit de spiritali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur, cum causa cessante cesset effectus. Hoc quidem inter alia huic causam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a medicis suadetur ut de animarum salute disponant, in desperationis articulum incidunt, unde facilius mortis periculum incurrunt.

Ioan. 5.

Si quis autem medicorum, hujus nostræ constitutionis, postquam per prælatos locorum fuerit publicata, transgressor ex-

A διακρίσεως προελθεῖν, πάντα τὰ ἴδια μόνος ἁμαρτήματα ἐξομολογησάσθω πιστῶς, κἂν ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, τῷ ἰδίῳ ἱερεῖ καὶ τὴν ἐπιτεθεῖσαν αὐτῷ ἐντολὴν σπουδασάτω ὅτι δύναμις ἐκπληροῦν· μεταλαμβάνων εἰς ἔλαττον αἰδεσίμως εἰς τὸ πάσχα τὸ τῆς εὐχαριστίας μυστήριον· εἰ μὴ ἴσως τῇ βουλῇ τοῦ ἰδίου ἱερέως διά τινα εὔλογον αἰτίαν, εἰς καιρὸν, τῆς μεταλήψεως ἀπέχοιτο. εἰ δὲ μήγε, καὶ ζῶν ἐκ τῆς εἰσόδου τῆς ἐκκλησίας κωλυέσθω, καὶ θανὼν τῆς τῶν χριστιανῶν ἀποστερείσθω ταφῆς. ὅθεν τοῦτο τὸ σωτήριον διάταγμα συχνῶς ἐν ταῖς ἐκκλησίαις δημοσιευθήτω, ἵνα μή τις ἀγνοίας ἐκτυφλώσει, κάλυμμα προφάσεως ἀναλάβηται. B εἰ δέ τις ἀλλοτρίῳ ἱερεῖ θελήσοι ἐκ δικαίας αἰτίας τὰ ἑαυτοῦ ἐξομολογεῖσθαι ἁμαρτήματα, ἄδειαν αἰτείτω καὶ ἐπιτευξάσθω παρὰ τοῦ ἰδίου ἱερέως· ἐπείπερ ἄλλος ἐκεῖνον " οὐ δύναται αὐτὸν λύειν ἢ δεσμεῖν.

adultæ ætatis pœnitentiā personaliter agant.

" Corr: ἐκεῖνος, ut sensus sit: alter ille ipsum non possit sol.

Ὁ δὲ ἱερεὺς ἔστω διακριτικὸς καὶ ἀσφαλὴς, ὡς ἂν δίκην ἐμπείρου ἰατροῦ ἐπιχέῃ οἶνον καὶ ἔλαιον ταῖς πληγαῖς τοῦ τετραυματισμένου· ἀκριβῶς ἐρευνῶν καὶ τοῦ ἁμαρτωλοῦ τὰς περιστάσεις καὶ τοῦ ἁμαρτήματος, δι' ὧν φρονίμως συνίστω οἵαν ὀφείλει ἐκείνῳ παρασχεῖν βουλὴν, καὶ οἵῳ τρόπῳ C θεραπείαν προθεῖναι, διαφόροις πείραις χρώμενος πρὸς τὸ ἰάσασθαι τὸν νοσοῦντα.

Προσεχέτω δὲ ὅλως, ἵνα μὴ λόγῳ, ἢ σημείῳ, ἢ ἑτέρῳ οἱῳδή τινι τρόπῳ προδοῦναι * τὸν ἁμαρτωλόν· ἀλλὰ εἰ φρονιμωτέρας βουλῆς δέησῃ, ταύτην ἄνευ τινὸς ἐκφράσεως τοῦ προσώπου ἀσφαλῶς ἀναζητείτω· ὅτι τὸν τὴν ἁμαρτίαν τὴν ἐν τῇ κρίσει τῆς μετανοίας αὐτῷ ἀποσκεπασθεῖσαν τολμήσοντα ἀποκαλύψαι, οὐ μόνον αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ἱερατικοῦ ὀφφικίου καθαιρεθησόμενον κρίνομεν, ἀλλὰ καὶ πρὸς τὸ ποιῆσαι αἰωνίαν μετάνοιαν εἰς στενὸν μοναστήριον ἐγκλεισθησόμενον.

D κβ'. Ἵνα οἱ ἰατροὶ τοὺς ἀῤῥώστους μὴ πρότου θεραπεύσωσιν, ἢ μετανοήσωσιν.

MS. Maz. Vt medici ægros non prius procurent, quā pœnitentiā agant.

Ἐπείπερ ἡ σωματικὴ ἀῤῥωστία ἐξ ἁμαρτίας ποτὲ προέρχεται, λέγοντος τοῦ κυρίου τῷ παραλυτικῷ ὃν ἰάσατο· πορεύου, καὶ μηκέτι ἁμάρτανε, ἵνα μὴ χεῖρόν τί σοι γένηται· τῷ παρόντι κανόνι διατάσσομεν καὶ ἐσφιγμένως προστάσσομεν τοῖς ἰατροῖς τῶν σωμάτων, ὅπερ ὅταν αὐτοὺς εἰς τοὺς ἀῤῥώστους κληθῆναι συμβῇ, αὐτοὺς πρὸ πάντων νουθετήσωσι καὶ ἐνεισάξωσι προσκαλεῖν τοὺς ἰατροὺς τῶν ψυχῶν· ὡς ἂν μετὰ " τὸν νοσοῦντα περὶ ψυχῆς σωτηρίας προνοηθῆναι, εἰς τὴν τῆς σωματικῆς ἰατρείας παρηγορίαν σωτηριωδέστερον E προέλθωσιν· ἐπειδὴ παυούσης τῆς αἰτίας, παύει καὶ ἡ ἐντέλεια. τοῦτο μὲν πρὸς τοῖς ἄλλοις τῷ παρόντι αἰτίαν δέδωκε δόγματι, ὅτι τινὲς ἐν ἀῤῥωστίας κλίνῃ κατακείμενοι, ὅταν αὐτοῖς παρὰ τῶν ἰατρῶν ὑποτεθῇ ἵνα περὶ ψυχῆς σωτηρίας διατάξωνται, εἰς ἀπογνώσεως ἄρθρον πίπτουσιν. ὅθεν εὐκολώτερον κίνδυνον θανάτου ὑφίστανται.

" Corr. μετὰ τὸ τῷ νοσοῦντι

Εἴ τις οὖν τῶν ἰατρῶν, ταύτης τῆς ἡμετέρας διατάξεως, μετὰ τὸ διὰ τῶν προεστώτων τῶν τόπων δημοσιευθῆναι, παραβάτης ἔσται,

το-

ANNO CHRISTI 1215.

τοσοῦτον δὴ ἀπὸ τῆς εἰσόδου τῆς ἐκκλησίας κωλυέσθω, ἕως ἂν ὑπὲρ τῆς τοιαύτης παραβάσεως ἱκανοποιήσῃ πρεπόντως.

Ἐπείπερ ἡ ψυχὴ πολλοῦ τιμιωτέρα ἐστὶν τοῦ σώματος, ὑπὸ ποινὴν ἀναθέματος κωλύομεν, ἵνα μηδεὶς τῶν ἰατρῶν ὑπὲρ σωματικῆς σωτηρίας τι τῷ ἀρρώστῳ ὑποθῆται ὅπερ εἰς κίνδυνον ψυχῆς ἐπιστρέφει.

MS. Maz. De electionibus prælatorum.

κγ΄. Περὶ ἐκλογῶν προεστώτων.

Ἵνα μὴ δι᾽ ἔλλειψιν ποιμένος τὴν δεσποτικὴν ἀγέλην ὁ ἅρπαξ λύκος λυμήνηται, ἢ ἐν ταῖς εὐπορείαις αὐτῆς ἡ ἐκκλησία χηρεύουσα, βαρεῖαν ζημίαν πάθῃ· θέλοντες ἐν τούτῳ καὶ ἀπαντῆσαι τοῖς κινδύνοις τῶν ψυχῶν, καὶ τὸ τῶν ἐκκλησιῶν ἀζήμιον προϊδεῖν· διατάσσομεν ἵνα ἔξω τριῶν μηνῶν καθεδρικὴ ἢ κανονικὴ ἐκκλησία προεστῶτος μὴ ἀργήσῃ. ὧν ἐντὸς, καὶ ἐμποδίου παύοντος, ἐὰν ἡ ἐκλογὴ μὴ τελεσθῇ, οἱ ἐκλέγειν ἐποφείλοντες, τῆς ἐξουσίας τῆς ἐκλογῆς στερείσθωσαν τῇ αὐτῇ φορᾷ· καὶ πρὸς αὐτὸν ἡ τῆς ἐκλογῆς ἐξουσία τὸν πλησίον προΐστασθαι ἐγνωσμένον ἐκκυλίσθω· ἐκεῖνος δὲ πρὸς ὃν ἐκκυλισθήσεται ἡ ἐξουσία, θεὸν ἔχων πρὸ ὀφθαλμῶν μὴ ὑπερθέσθω ἔξω τριῶν μηνῶν μετὰ βουλῆς τοῦ καπιτούλου αὐτοῦ καὶ ἄλλων φρονίμων ἀνδρῶν τὴν χηρεύουσαν ἐκκλησίαν ἐκ προσώπου εἰδήμονος τῆς αὐτῆς μὲν ἐκκλησίας, ἢ ἄλλης ἐὰν ἄξιον μὴ εὑρεθείη ἐν αὐτῇ, κανονικῶς τεύξασθαι, ἐὰν τὴν κανονικὴν θελήσῃ ἐκφυγεῖν ἐκδίκησιν.

MS. Maz. Item de electionibus.

κδ΄. Πάλιν περὶ ἐκλογῆς.

Ὅτι διὰ τὰς διαφόρους τῶν ἐκλογῶν μορφὰς ἃς τινὲς ἐφευρεῖν διισχυρίζονται, καὶ πολλὰ ἐμπόδια προέρχονται, καὶ μεγάλοι κίνδυνοι ἐπαπειλοῦνται ταῖς χηρευούσαις ἐκκλησίαις· διατάσσομεν ἵνα ὅταν ἡ ἐκλογὴ ἐπιτελεσθήσεται, παρόντων πάντων τῶν ὀφειλόντων, καὶ θελόντων, καὶ δυναμένων ἐπωφελῶς παρεῖναι, προσληφθήτωσαν τρεῖς ἐκ τοῦ συλλόγου ἀξιόπιστοι, οἵτινες μυστικῶς καὶ καταμόνας τὰ θελήματα πάντων ἀκριβῶς ἐκζητείτωσαν καὶ γεγραμμένα εὐθὺς δημοσιευσάτωσαν ἐπὶ τοῦ κοινοῦ, μηδενὸς αὖθις ἐπικλήσεως ἀντιστήματος ἐπιρριφέντος· ἵνα οὕτως συνθήκης γινομένης ἐκλεχθείη, εἰς ὃν τὸ πᾶν, ἢ τὸ μεῖζον, ἢ τὸ ὑγιέστερον μέρος συναινέσῃ· ἢ κἂν ἡ τῆς ἐκλογῆς ἐξουσία τισὶν ἀνδράσιν εἰδήμοσιν ἀνατιθέσθω, οἵτινες ἀντὶ πάντων τῇ χηρευούσῃ ἐκκλησίᾳ προνοήσοι" ποιμένος· ἄλλως δὲ ἡ γινομένη ἐκλογὴ μὴ ἰσχυσάτω, εἰ μὴ ἴσως κοινῶς παρὰ πάντων, ὥσπερ δι᾽ ἐμπνεύσεως, δίχα πάθους ἐπιτελεσθείη. οἱ δέ κατὰ τῶν προγεγραφεισῶν μορφῶν ἐκλέξασθαι πειρασόμενοι, τῇ αὐτῇ φορᾷ τοῦ τῆς ἐκλογῆς κύρους στερείσθωσαν.

" Corr: προνοήσουσι

Ἐκεῖνο δὲ ὅλως κωλύομεν, ἵνα μή τις ἐν τῇ τῆς ἐκλογῆς πραγματείᾳ προκουράτωρα καταστήσῃ, εἰ μὴ ἀπὼν εἴη ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ περὶ οὗ ἐποφείλει συνηγορηθῆναι, καὶ δικαίῳ ἐμποδίῳ κατασχεθεὶς ἐλθεῖν μὴ δυνηθείη. ἐφ᾽ ᾧ εἰ χρεία

titerit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit competenter.

Cæterum cum anima sit multo preciosior corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum pro corporali salute aliquid ægroto suadeat, quod in periculũ animæ cõvertatur.

XXIII. *Quod ecclesia catedralis vel regularis ultra tres menses non vacet.*

Ne pro defectu pastoris gregem Dominicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis ecclesia viduata grave dispendium patiatur: volentes in hoc etiam occurrere periculis animarum, & ecclesiarum indemnitatibus providere: statuimus, ut ultra tres menses cathedralis vel regularis ecclesia prælato non vacet: infra quos, justo impedimento cessante, si electio celebrata non fuerit, qui eligere debuerant eligendi potestate careant ea vice, ac ipsa eligendi potestas ad eum qui proximo præesse dignoscitur devolvatur. Is vero ad quem devoluta fuerit potestas, Dominum habens præ oculis, non differat ultra tres menses, cum capituli sui concilio & aliorum virorum prudentium, viduatam ecclesiam de persona idonea, ipsius quidem ecclesiæ, vel alterius, si digna non reperiatur in illa, canonice ordinare, si canonicam voluerit effugere ultionem.

XXIV. *De electione facienda per scrutinium vel compromissum.*

Quia propter electionum formas diversas, quas quidam invenire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & magna pericula imminent ecclesiis viduatis: statuimus, ut cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus qui debent & volunt & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secreto & singulatim " voces cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto: ut is collatione adhibita eligatur, in quem omnes, vel maior, vel sanior pars capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur qui vice omnium, ecclesiæ viduatæ provideant de pastore. Aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem Divinam, absque vitio celebrata. Qui vero contra prædictas formas eligere attentaverint, eligẽdi ea vice potestate privẽtur.

"MS. Maz. vota

Illud penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco de quo debeat advocari, iustoque impedimento detentus venire non possit: super quo, si fuerit

rit opus, fidem faciat juramento: & tunc, si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suã. Electiones quoq; clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solẽniter publicetur.

MS. Maz. Item de electionibus.

XXV. *Quod electio facta per sæcularem potestatem non valeat.*

Quisquis electioni de se factæ per sæcularis potestatis abusum consentire præsumpserit contra canonicam libertatem: & electionis commodo careat, & ineligibilis fiat, nec absq; dispensatione possit ad aliquam eligi dignitatẽ. Qui vero electionem hujusmodi, quam ipso jure irritã esse cẽsemus, præsumpserint celebrare: ab officiis & beneficiis penitus per trienniũ suspendãtur, eligendi tunc potestate privati.

MS. Maz. Item de electionibus.

XXVI. *De pœna indigne confirmantis electionem.*

Nihil est quod ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur prælati ad regimen animarum. Volentes igitur huic morbo necessariã adhibere medelam, irrefragabili constitutione sancimus, quatenus cum quisquam fuerit ad regimẽ animarum assumptus, is ad quem pertinet ipsius cõfirmatio, diligenter examinet, & electionis processum, & personã electi, ut, cum omnia rite cõcurrerint, munus ei confirmationis impendat: quia, si secus fuerit incaute presumptum, non solum deiiciendus est indigne promotus, verũ etiam indigne promovens puniendus.

Ipsum quoque decernimus hac animadversione puniri, ut cum de ipsius constiterit negligentia, maxime si hominem insufficientis scientiæ, vel inhonestæ vitæ, aut ætatis illegitimæ approbaverit: non solum confirmandi primum successorem illius careat potestate, verum etiam ne aliquo casu pœnam effugiat, a perceptione proprii beneficii suspendatur, quousque, si æquum fuerit, indulgentiam valeat promereri: si convictus fuerit in hoc per malitiam excessisse, graviori subjaceat ultioni.

Episcopi quoque tales ad sacros ordines & ecclesiasticas dignitates promovere procurent, qui commissum sibi officium digne valeant adimplere: si & ipsi canonicam cupiunt effugere ultionem.

Cæterum, qui ad Romanum pertinent immediate pontificem, ad percipiendam sui confirmationem officii, ejus se conspectui, si commode potest fieri, personaliter repræsentẽt; vel personas transmittãt idoneas, per quas diligẽs inquisitio super electionis processu & electis possit haberi: ut sic demũ per ipsius circumspectionẽ cõsilii

A ἔσται πιστώσεται ὅρκῳ· καὶ τότε εἰ θελήσοι, ἑνὶ ἐπιτρεψάτω τοῦ αὐτοῦ συλλόγου τὸν τόπον αὐτοῦ. τὰς ἐκλογὰς δὲ τὰς κρυφίους ἀποδοκιμάζομεν, καθιστῶντες ἵνα ὡς τάχιον ἡ ἐκλογὴ ἐπιτελεσθήσεται, πανηγυρικῶς δημοσιευθείη.

κέ. Πάλιν περὶ ἐκλογῶν.

Ὅστις τῇ περὶ αὐτοῦ γινομένῃ ἐκλογῇ διὰ κοσμικῆς ἐξουσίας παράχρησιν συναινέσαι τολμήσοι κατὰ τῆς κανονικῆς ἐλευθερίας· καὶ τῆς ὠφελείας τῆς ἐκλογῆς στερείσθω, καὶ ἀνέκλεκτος γινέσθω· ὥστε B χωρὶς οἰκονομίας μὴ δύνασθαι εἴς τινα ἐκλεγῆναι ἀξίαν. οἱ δὲ τὴν τοιαύτην ἐκλογὴν, ἣν αὐτῷ τῷ δικαίῳ ἄκυρον εἶναι κρίνομεν, τολμήσοντες ἐπιτελεῖν· ἐκ τῶν ὀφφικίων καὶ τῶν εὐεργετημάτων διὰ τριετείας ὑπαναρτάσθωσαν, τῆς τοῦ ἐκλέγειν ἐξουσίας τότε στερηθέντες;

κϛ΄. Πάλιν περὶ ἐκλογῶν.

Οὐδέν ἐστιν ὃ τὴν ἐκκλησίαν τοῦ θεοῦ πλεῖον βλάπτει, ἢ ὅτι ἀνάξιοι προσλαμβάνονται προεστῶτες εἰς κυβέρνησιν ψυχῶν. C θέλοντες τοιγαροῦν ταύτῃ τῇ νόσῳ ἀναγκαίαν ἐπιθεῖναι ἰατρείαν, ἀπαραθραύστῳ διατάξει θεσπίζομεν, ὅπερ ὅταν τις εἰς κυβέρνησιν ψυχῶν ἐκλεχθείη, πρὸς ὃν ἡ ἐπικύρωσις αὐτοῦ διαφέρει, ἀκριβῶς ἐξετάσῃ, καὶ τὴν τῆς ἐκλογῆς ἔκβασιν, καὶ τὸ πρόσωπον τοῦ ἐκλεχθέντος· ἵνα ὅταν πάντα κατ᾽ ἔθος συνδράμωσι, τὸ δῶρον αὐτῷ τῆς ἐπικυρώσεως παράσχῃ· εἰ δὲ ἄλλως ἐπισφαλῶς τολμηθῇ, οὐ μόνον ἀποβλητέος ἔσται ὁ ἀναξίως προκινηθεὶς, ἀλλὰ καὶ ὁ ἀναξίως προνοῶν" τιμωρητέος. "f. προκινῶν

Αὐτόν τε κρίνομεν ὑπὲρ τῆς τοιαύτης ἐνθυμήσεως κολάζεσθαι· ἵνα ὅταν καταστασθῇ D περὶ τῆς ἀμελείας αὐτοῦ, μάλιστα ἐὰν ἄνθρωπον ἀνικάνου γνώσεως, ἢ ἀτίμου ζωῆς, ἢ ἡλικίας οὐκ εὐνόμου ἐνστήσαιτο· οὐ μόνον τῆς τοῦ ἐπικυρῶσαι πρῶτον τὸν διάδοχον ἐκείνου στερείσθω ἐξουσίας· ἀλλὰ καί, ἵνα μὴ τινὶ συμπτώματι ποινὴν ἔφυγε, ἐκ τῆς προλήψεως τοῦ ἰδίου εὐεργετήματος ὑπαναρτάσθω, ἕως οὗ, ἐὰν ἴσον ἔσται, συγγνώμης ἰσχύσοι ἀξιωθῆναι. εἰ δὲ ἡττηθῇ ἐν τούτῳ διὰ πονηρίαν ὑπερβῆναι, βαρυτέρᾳ ὑποκείσθω ἐκδικήσει.

Τοῖς ἐπισκόποις δὲ τοιούτους εἰς τὰς ἱερὰς χειροτο- E νίας καὶ ἐκκλησιαστικὰς ἀξίας προκινεῖν μελέτω, οἵπερ ἂν τὸ ἐπιτραπὲν αὐτοῖς ὀφφίκιον ἀξίως ἰσχύσοιεν ἐκπληροῦν· ἐὰν καὶ αὐτοὶ τὴν κανονικὴν ἐπιθυμοῦσιν ἐκφεύγειν ἐκδίκησιν.

Ἕτεροι οἱ πρὸς τὸν Ῥωμαϊκὸν διαφέροντες ἀμέσως ἀρχιερέα, εἰς τὸ τελειωθῆναι τὴν τοῦ ἰδίου ἐπικύρωσιν ὀφφικίου, ἑαυτοὺς ἐνώπιον αὐτοῦ, εἰ ἐπωφελῶς δύναται γενέσθαι, προσωπικῶς παραστησάτωσαν· ἢ πρόσωπα στειλάτωσαν εἰδήμονα, δι᾽ ὧν ἀκριβὴς ἐξέτασις ἐπί τε τῶν ἐκλογῶν καὶ τῶν ἐκλεκτῶν δυνήσοιτ᾽ ἂν γενέσθαι· ἵνα οὕτως ἔκτοτε τῇ τῆς ἰδίας περιβλέψει βουλῆς

ANNO CHRISTI 1215.

τὴν πλήρωσιν τοῦ ὀφφικίου αὐτῶν ἀπολαύσωσιν, A ὅταν αὐτοῖς μηδὲν ἀντιστήσοιτο ἐκ τῶν κανονικῶν διατάξεων· οὕτως ὅπερ ἐν τῷ μεταξὺ οἱ λίαν ἀποκείνοντες ἢ ἀποκινηθέντες, δηλαδὴ οἱ πέραν Ιταλίας καταστάθέντες, ἐὰν ἐκλεγῶσιν ἐν συμφωνίᾳ οἰκονομικῶς διὰ χρείαν τῶν ἀναγκῶν καὶ ὠφελειῶν τῶν ἐκκλησιῶν ἐν τοῖς πνευματικοῖς καὶ προσηκούσαις διακονήσωσιν· οὕτως τέως ἵνα ἐκ τῶν πραγμάτων τῶν ἐκκλησιαστικῶν μηδὲν ὅλως ἐκποιήσωσιν. τὸ δὲ δῶρον τῆς καθιερώσεως ἢ εὐλογίας λάβοιεν, ὡς μέχρι τοῦ δεῦρο λαβεῖν εἰώθασιν.

κζ΄. Περὶ χειροτονιῶν γενησομένων.

B Ἐπειδὴ τέχνη τεχνῶν ἐστιν ἡ κυβέρνησις τῶν ψυχῶν, ἐσφιγμένως προστάσσομεν ἵνα οἱ ἐπίσκοποι τοὺς προχειρισθησομένους εἰς ἱερεῖς ἀκριβῶς διδάξωσι καὶ ἐμμορφώσωσιν, ἢ δι᾽ ἑαυτῶν, ἢ δι᾽ ἑτέρων ἀνδρῶν εἰδημόνων, ἐπάνω τῶν θείων ὀφφικίων, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν μυστηρίων· πῶς ἂν ταῦτα εἰωθότως ἰσχύσοιεν ἐπιτελεῖν· ὅτι περ ἐὰν τοῦ λοιποῦ ἀγνώστους καὶ ἀγροίκους χειροτονεῖν τολμήσωσιν, ὅπερ ἄρα ῥαδίως δυνήσεται καταληφθῆναι, καὶ τοὺς χειροτονοῦντας καὶ τοὺς χειροτονουμένους βαρείᾳ ὑποκείνομεν ἐκδικήσει. ἱκανώτερον γάρ ἐστι, καὶ μάλιστα C ἐν τῇ τάξει τῆς ἱερατείας, ὀλίγους ἀγαθοὺς ἢ πλείστους κακοὺς ἔχειν διακόνους· ὅτι ἐὰν τυφλὸς τυφλὸν ὁδηγῇ, ἀμφότεροι εἰς βόθυνον πεσοῦνται.

κη΄. Περὶ ὑποχωρήσεως προεστώτων.

Τινὲς τὴν τοῦ ὑποχωρεῖν ἄδειαν μετ᾽ ἐνστάσεως αἰτοῦντες, ταύτης ἐπιτυχόντες, ὑποχωρῆσαι παρορῶσιν. ἀλλ᾽ ἐπεὶ ἐν τῇ αἰτήσει τῆς τοιαύτης ὑποχωρήσεως, ἢ ἐκκλησιῶν ὠφέλεια ὧν προΐστανται, ἢ σωτηρίᾳ φαίνονται τῇ ἰδίᾳ προσεσχηκέναι, ὧν οὐδέτερον.......οἷς τινῶν ζητούντων τα ἑαυτῶν, ἢ κουφότητι οἱᾳδήτινι, οὐ βουλόμεθα ἐμποδισθῆναι, D πρὸς τὸ ὑποχωρεῖν αὐτοὺς κρίνομεν ἀναγκάζεσθαι.

κθ΄. Ινα μηδεὶς ἔχῃ πλείστας ἀξίας ἢ ἐνοριτίδας ἐκκλησίας.

Ἐκ πολλῆς προνοίας ἐν τῇ τοῦ Λατεράνου συνόδῳ κεκώλυται, ἵνα μηδεὶς διαφόρους ἀξίας ἐκκλησιαστικὰς καὶ πλείστας ἐκκλησίας ἐνοριτίδας λάβοι ἀπεναντίας τῶν διαταγμάτων τῶν ἱερῶν κανόνων. εἰ δὲ μή γε· καὶ ὁ λαμβάνων οὕτω, τὸ ληφθὲν ἀπολέσειε, καὶ τῆς τοῦ χορηγεῖν ἐξουσίας ὁ μεταδιδοὺς στερήσοιτο. ἐπεὶ δὲ διὰ τὰς ἀποτολμήσεις καὶ αἰσχροκερδείας τινῶν οὐδεὶς μέχρι E τοῦ δεῦρο καρπὸς ἢ σπάνιος ἐκ τοῦ προῤῥηθέντος διατάγματος ἐξέβη, ἡμεῖς ἐμφανέστερον καὶ προνοητικώτερον ἀπαντῆσαι ἐφιέμενοι, τῷ παρόντι κανόνι διατάσσομεν, ἵνα ὅστις ἀναλάβοι τι εὐεργέτημα ἔχον φροντίδα ψυχῶν ἐπιπλεχθεῖσαν, εἰ πρὸ τοῦ τοιούτου εὐεργετήματος ἐπετύγχανεν· αὐτοῦ τοῦ δικαίου στερείσθω· εἰ δ᾽ ἴσως ἐκεῖνο κατέχειν φιλονεικήσειεν, καὶ τοῦ ἄλλου γυμνούσθω· αὐτός τε πρὸς ὃν ἡ τοῦ προτέρου διαφέρει δωρεά, ἐκεῖνο τὸ εὐεργέτημα μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ ἑτέρου ἐλευθέρως δωρείσθω ᾧ περ ἂν ἀξίως ἴδῃ δοθησόμενον·

ANNO CHRISTI 1215.

A sui plenitudinem assequantur officii, cum eis nihil obstiterit de canonicis institutis: ita quod interim valde remoti, videlicet ultra Italiam constituti, si electi fuerint in concordia, dispensative propter necessitates & utilitates ecclesiarum, in spiritualibus & temporalibus administrent: sic tamen ut de rebus ecclesiasticis nil penitus alienent. Munus vero cõsecrationis seu benedictionis recipiãt, sicut hactenus recipere consueverũt.

XXVII. *De instructione ordinandorum.* MS. Maz. De ordinibus faciendis.

B Cum sit ars artium regimen animarum, districte præcipimus ut episcopi promovendos in sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per seipsos, vel per alios viros idoneos, super Divinis officiis, & ecclesiasticis sacramentis, qualiter ea rite valeant celebrare: quoniam si ignaros & rudes de cætero ordinare præsumpserint, (quod quidem facile poterit deprehendi) & ordinatores & ordinatos gravi decrevimus subjacere ultioni." Satius est enim, [a] Sanctius C maxime in ordinatione sacerdotum, paucos bonos quam multos malos habere ministros: quia si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam dilabuntur.

XXVIII. *Quod compellantur cedere, qui postulaverant licentiam cedendi.* MS. Maz. De cessione prælatorum.

Quidam licentiã cedendi cum instantia postulãtes, ea obtenta, cedere prætermittunt. Sed cum in postulatione cessionis hujusmodi, aut ecclesiarum cõmoda, quibus præsunt, aut salutem videantur propriam attendisse, quorũ neutrum suasioni- D bus aliquorũ quærentiũ quæ sunt sua, seu etiã levitate qualibet, volumus impediri, ad cedendũ eos decernimus cõpellendos.

XXIX. *Quod nullus habeat duo beneficia cum cura annexa.* MS. Maz. Ut nullus plures habeat dignitates, vel parochiales ecclesias.

De multa providẽtia fuit in Lateranensi" concilio prohibitũ, ut nullus diversas dignitates ecclesiasticas & plures ecclesias parochiales reciperet, cõtra sacrorum canonum instituta. Alioquin, & recipiẽs sic, receptum amitteret, & largiẽdi potestate E conferens privaretur. Quia vero propter præsumptiones & cupiditates quorũdam nullus hactenus fructus aut rarus de prædicto statuto provenit: nos evidentius & expressius occurrere cupientes, præsenti decreto statuimus, ut quicumq; receperit aliquod beneficiũ habens curã animarum annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit jure ipso privatus: &, si forte illud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Is quoq; ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionẽ alterius libere conferat cui merito viderit cõferendum: &

[a] Cõcilium Lateranense sub Alexandro III. cap. 13.

ANNO CHRISTI 1215.

Sub Alexandro III. c. 8.

& si ultra tres menses conferre distulerit, non solum ad alium, secundum statutum Lateranensis concilii, ejus collatio devolvatur: verum etiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem ecclesiæ, cujus illud est beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in personatibus decernimus observandum: addentes ut in eadem ecclesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præsumat, etiamsi curam non habeant animarum. Circa sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus sunt beneficiis honorandæ, cum ratio postulaverit, per sedem apostolicam poterit dispensari.

a MS. Maz. Vt episcopi carnalitatis affectu consanguineis ecclesiastica non conferant beneficia.

XXX. *De idoneitate instituendorum in ecclesiis.*

Grave nimis est & absurdum, quod quidam prælati ecclesiarum, cum possint viros idoneos ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis. Vnde quanta ecclesiis damna proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, præcipimus ut prætermissis indignis assumant idoneos, qui Deo & ecclesiis velint & valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim: ita quod qui post primam & secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a conferendis beneficiis per ipsum concilium suspendatur; instituta in eodem concilio persona provida & honesta, quæ suppleat suspensi defectum in beneficiis conferendis: & hoc ipsum circa capitula quę in his deliquerint observetur. Metropolitani vero delictum, superioris judicio relinquatur ex parte concilii nunciandũ. Vt autem hæc salubris provisio plenior ẽ consequatur effectum: hujusmodi suspensionis sententia, pręter Romani pontificis autoritatem, aut proprii patriarchę, minime relaxetur: ut in hoc quoq; quatuor patriarchales sedes specialiter honorentur.

a Mf. Maz. Vt filii canonicorum beneficia non assequantur in ecclesiis, in quibus statuti sunt patres.

XXXI. *De filiis canonicorum non instituendis cum patribus.*

Ad abolendam pessimam, quæ in plerisque inolevit ecclesiis corruptelam, firmiter prohibemus, ne canonicorũ filii, maxime spurii, canonici fiant in sæcularibus ecclesiis, in quibus instituti sunt patres:

ANNO CHRISTI 1215.

καὶ ἐὰν ἔξω τριῶν μηνῶν δοῦναι ὑπέρθηται, οὐ μόνον πρὸς ἄλλον κατὰ τὸ διάταγμα τῆς ἐν τῷ Λατεράνῳ συνόδου ἡ τούτου μετάδοσις ἐκκυλιέσθω· ἀλλὰ μὴν τοσοῦτον ἐκ τῶν ἰδίων συνεισφορῶν ἀναγκαζέσθω εἰς ὠφέλειαν τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας, ἧστινος ἐστὶν ἐκεῖνο τὸ εὐεργέτημα, ἐπι……… ὅσον ἂν ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς ἀργίας αὐτοῦ ἐξ αὐτοῦ ἀποδειχθείη προειλῆφθαι. τὸ αὐτὸ δὲ ἐν τοῖς προσωπικοῖς κείμενον φυλαχθησόμενον· προστιθέντες ἵνα ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ, μηδεὶς πλείστας ἀξίας ἤτε προσωπικὰ ἔχειν τολμάτω· κἂν εἰ φροντίδα οὐκ ἔχοιεν ψυχῶν· περὶ τὰ ὑψηλὰ τέως καὶ γεγραμματισμένα πρόσωπα ἅπερ εἰσὶ μείζοσιν εὐεργετήμασι τιμητέα, ὅτε τὸ εὔλογον ζητήσῃ, διὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου δυνήσεται οἰκονομηθῆναι.

λά. Ἵνα οἱ ἐπίσκοποι σαρκικῇ διαθέσει τοῖς συγγενέσιν τὰ ἐκκλησιαστικὰ μὴ παρέχοιεν εὐεργετήματα.

Βαρὺ λίαν ἐστὶ καὶ ἄτοπον, ὅταν τινὲς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες, δυνάμενοι ἄνδρας εἰδήμονας εἰς τὰ ἐκκλησιαστικὰ εὐεργετήματα προχινεῖν, προσλαβεῖν οὐκ αἰδοῦνται τοὺς ἀναξίους, οἷς οὔτε ἠθῶν σεμνότης, οὔτε γραμμάτων γνῶσις ὑπάρχει, σαρκικῇ ἀκολουθοῦντες διαθέσει, οὐ κρίσει εὐλόγῳ. ὅθεν ὅσαι ἂν ταῖς ἐκκλησίαις ζημίαι ἐπέλθοιεν, οὐδεὶς ὑγιοῦς διανοίας ἀγνοεῖ. θέλοντες τοιγαροῦν ταύτην τὴν νόσον θεραπεύειν, προστάσσομεν ἵνα ἀφεθέντων ἀναξίων, προσλάβωσιν εἰδήμονας, τοὺς θεῷ καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ θέλοντας καὶ ἰσχύοντας εὐάρεστον ἀπονέμειν ὑπουργίαν· γινέσθω τε ἐκ τούτου ἐν τῇ ἐπαρχικῇ συνόδῳ ἀκριβὴς ἐξέτασις ἐτησίως, ὅπερ ὁ μετὰ πρώτην καὶ δευτέραν διόρθωσιν εὑρεθησόμενος πταίσης, ἐκ τοῦ δοθῆναι τὰ εὐεργετήματα διὰ τῆς αὐτῆς συνόδου ὑπαναρτάσθω· κατασταθέντος ἐν τῇ αὐτῇ συνόδῳ προσώπου προνοητικοῦ καὶ σεμνοῦ, ὅπερ ἀναπληρώσῃ τοῦ ὑπαναρτηθέντος τὴν ἔλλειψιν ἐν τοῖς δοθησομένοις εὐεργετήμασι· καὶ τοῦτο αὐτὸ περὶ τὰ καπιτουλα, τὰ ἐν τούτοις πταίσαντα διατηρείσθω. τὸ τοῦ μητροπολίτου δὲ σφάλμα τῇ κρίσει τοῦ ὑπερτέρου ἐάσθω ἐκ τοῦ μέρους τῆς συνόδου γνωρισθῆναι. ἵνα δὲ αὕτη ἡ σωτήριος πρόνοια πληρεστέρας σωτηριώδους ἐπιτεύξοι ἐντελείας· ἡ τῆς τοιαύτης ὑπαναρτήσεως ἀπόφασις, ἄνευ τῆς συνειδήσεως τοῦ Ῥωμαϊκοῦ ἀρχιερέως ἢ τοῦ ἰδίου πατριάρχου, μηδαμῶς χαυνούσθω· ἵνα κἂν τούτῳ οἱ τέσσαρες πατριαρχικοὶ θρόνοι εἰδικῶς τιμηθῶσι.

λά. Ἵνα οἱ υἱοὶ τῶν κανονικῶν εὐεργετήματα μὴ καταδέξωνται ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ἐν αἷς κατεστάθησαν οἱ πατέρες.

Εἰς τὸ ἀπαλειφθῆναι τὴν ἐν πλείσταις ἐκκλησίαις εἰωθυῖαν διαφθορὰν, στερεῶς κωλύομεν ἵνα μὴ οἱ τῶν κανονικῶν υἱοὶ, μάλιστα οἱ νόθοι, κανονικοὶ γίνωνται ἐν ταῖς κοσμικαῖς ἐκκλησίαις, ἐν αἷς κατεστάθησαν οἱ πατέρες·

ANNO CHRISTI 1215.

καὶ ἐὰν ἀπεναντίας τοῦ διατάγματος τολμηθῇ, A κρινόμενον μὴ ἰσχύειν· οἱ δὲ τοῖς τοιούτοις, ὡς εἴρηται, κοινωνῆσαι τολμήσοντες, ἐκ τῶν ἰδίων εὐεργετημάτων ὑπαναρτάσθωσαν.

λβ΄. Περὶ πατρώνων καὶ δικαίου πατρωνικοῦ.

Ἐκσπασθησομένης συνηθείας πάθος, ἔν τισιν μέρεσιν .... ἐνοριτίδων ἐκκλησιῶν καὶ ἄλλα τινὰ πρόσωπα τὰς συνεισφορὰς αὐτῶν διεκδικοῦντες, τοῖς ἱερεῦσι, τοῖς εἰς τὴν αὐτῶν δου- B λείαν τεταγμένοις, καταλείπουσι τινὰ μικρὰν μοῖραν, ὡς ἐξ αὐτῶν προσηκόντως μὴ δύνασθαι ἀνταρκεῖσθαι· ὡς γὰρ βεβαίως ἐμάθομεν, ἔν τισι χώραις οἱ ἐνορίται πρεσβύτεροι ὑπὲρ τῆς ἰδίας ὑποστηρίξεως οὐκ ἐπέχουσιν, εἰ μὴ τὸ τέταρτον τοῦ τετάρτου, τουτέστι τὸ ἑξκαιδέκατον τῶν δεκατῶν. ὅθεν γίνεται ὅπερ ἐν ἐκείναις ταῖς χώραις σχεδὸν οὐδεὶς εὑρίσκεται ἐνορίτης ἱερεύς, ὅστις κἂν ὀλίγην ἔχει ἐμπειρίαν γραμμάτων. ἐπεὶ τοίνυν στόμα βοὸς μηδέπω φιμωθῆναι οὐ χρὴ ἀλοῶντος, ἀλλ᾽ ὁ τῷ θυσιαστηρίῳ δουλεύων, ζῆν ὀφείλει ἐκ τοῦ θυσιαστηρίου· C καθιστῶμεν, ὅπερ τοῦ λοιποῦ, μὴ ἀνθισταμένης συνηθείας οἱασδήτινος ἐπισκόπου, [*] .... ἢ οἱουδήτινος, μοῖρα τοῖς ἱερεῦσι αὐτάρκης ἐπιδοθῇ. ὁ δὲ ἐνοριτίδα ἐκκλησίαν ἔχων, μὴ δι᾽ ἀντιπροσώπου, ἀλλὰ δι᾽ ἑαυτοῦ αὐτῇ δουλευσάτω ἐν τῇ τάξει ἣν ἡ τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας φροντὶς ζητεῖ· εἰ μὴ ἴσως ἰδιαρείῳ ......

....

.... ἢ ἀξίαν, ἐπειδὴ χρὴ αὐτὸν ἐν τῇ μείζονι ἐκκλησίᾳ δουλεύειν, ἐν αὐτῇ τῇ ἐνοριακῇ ἐκκλησίᾳ εἰδήμονα καὶ διηνεκῆ σπουδάσῃ ἔχειν ἀντιπρόσωπον κανονικῶς ἐνιστάμενον· ὅστις ἄν, ὡς προείρηται, πρέπουσαν ἔχῃ ἐκ τῶν τῆς αὐτῆς ἐκ- D κλησίας προσόδων μοῖραν. εἰ μή γε, ἑαυτὸν γινωσκέτω τῇ τούτου τοῦ κανόνος αὐθεντίᾳ [a] ἐστερημένον, ἐλευθέρως ἑτέρῳ προσδοθησομένης, ὃς ἂν θελήσοι καὶ δύναιτο τὸ προρρηθὲν ἐκπληροῦν. ἐκεῖνο δὲ παντελῶς ἀφορίζομεν, ἵνα μηδεὶς εἰς ἀπάτην ἐκ τῶν προσόδων τῆς ἐκκλησίας τῆς ὀφειλούσης φροντίδα ἔχειν τοῦ ἰδίου ἱερέως, μοῖραν ἑτέρῳ δῆθεν ὡς ὑπὲρ εὐεργετήματος προσδοῦναι τολμήσῃ.

[*] add. ἢ πάτρωνος

[a] Deest ἐκείνης

λγ΄. Περὶ προκουρατιῶν.

E

Αἱ προκουρατορεῖαι αἱ λόγῳ ἐπισκέψεως ὀφειλόμεναι τοῖς ἐπισκόποις, ἀρχιδιακόνοις, οἱοισδήποτε ἄλλοις, ἀλλὰ καὶ τοῖς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου λεγάτοις ἢ τοῖς μηνυταῖς, ἄνευ φανερᾶς καὶ ἀναγκαίας αἰτίας μηδαμόσε ἀπαιτείσθωσαν, εἰ μὴ ὅταν προσωπικῶς ὀφφίκιον ἐπισκέψεως παρέχωσιν· καὶ τότε τὴν συμμετρίαν τῶν προσώπων φυλαξάτωσαν, τὴν ἐν τῇ τοῦ Λατεράνου συνόδῳ ἀποφανθεῖσαν. τούτου παρασχεθέντος τοῦ συμμέτρου περὶ τοὺς λεγάτους καὶ

& si fuerit contra præsumptum, decernimus non valere: qui vero tales (ut dictum est) canonicare [a] præsumpserint, a suis beneficiis suspendantur.

[a] MS. Maz. communicare

XXXII. *Ut patroni competentem portionem dimittant clericis.*

MS. Maz. De patronis, & jure patronatus.

Extirpandæ consuetudinis vitium in quibusdam partibus inolevit, quod scilicet patroni ecclesiarum parochialium, & aliæ quædam personæ, proventus ipsarum sibi penitus vendicantes, presbyteris earumdem servitio deputatis relinquunt adeo exiguam portionem, ut ex ea congrue nequeant sustentari. Nam, ut pro certo didicimus, in quibusdam regionibus parochiales presbyteri pro sustentatione non obtinent nisi quartam quartæ, id est, sextamdecimam decimarum. Unde fit ut in his regionibus pene nullus inveniatur sacerdos parochialis, qui vel modicam habeat peritiam litterarum. Cum igitur os bovis alligari non debeat triturantis, sed qui altari servit, vivere debeat de altari: statuimus ut, consuetudine qualibet episcopi vel patroni seu cujuscumque alterius non obstante, portio presbyteris ipsis sufficiens assignetur. Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per seipsum illi deserviat, in ordine quem ipsius ecclesiæ cura requirit, nisi forte præbendæ vel dignitati parochialis ecclesia sit annexa: in quo casu concedimus, ut is qui talem habet præbendam vel dignitatem, cum oporteat eum in majori ecclesia deservire, in ipsa parochiali ecclesia idoneum & perpetuum studeat habere vicarium canonice institutum: qui, ut prædictum est, congruentem habeat de ipsius ecclesiæ proventibus portionem: alioquin illa se sciat hujus decreti autoritate privatum, libere alii conferenda, qui velit & possit quod prædictum est adimplere. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem, de proventibus ecclesiæ, quæ curam proprii sacerdotis debet habere, pensionem alii quasi pro beneficio conferre præsumat.

XXXIII. *De procurationibus non accipiendis sine visitatione.*

MS Maz. De procuratoribus.

Procurationes quæ visitationis ratione debentur episcopis, archidiaconis, vel quibuslibet aliis, etiam apostolicæ sedis legatis aut nunciis, absq; manifesta & necessaria causa nullatenus exigantur, nisi quando præsentialiter officium visitationis impendunt: & tunc evectionum & personarum mediocritatem observent in Lateranensi concilio definitam. Hoc adhibito moderamine circa legatos & nun-

Concilium Lateranense sub Alexandro III. cap. 4.

Supra cap 11.

ANNO CHRISTI 1215.

nuncios apostolicæ sedis, ut cũ oportuerit eos apud aliquem locũ moram facere necessariam, ne locus ille propter illos nimiũ aggravetur, procurationes recipiant moderatas ab aliis ecclesiis vel personis, quæ nondum fuerunt de suis procurationibus aggravatæ: ita quod numerus procurationum, numerum dierum quibus hujusmodi moram fecerint, non excedat; & cum aliqua non suffecerit per ipsam, duæ vel plures conjungantur in unam.

Porro visitationis officium exercentes, non quærant quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, prædicationi & exhortationi, correctioni & reformationi vacando, ut fructum referant qui non perit. Qui autem contravenire præsumpserit: & quod acceperat reddat, & ecclesiæ, quam taliter aggravavit, tantumdem rependat.

MS. Maz. De procurationibus legatorum æqualiter colligẽdis.

XXXIV. *De subditis non grauandis, sub prætextu seruitii alicuius.*

Quia prælati plerique, ut procurationem aut servitium aliquod impendant legato vel alii[a], plus extorquent a subditis quam solvant; & in eorum damnis lucra sectantes, quærunt prædam potius quam subsidium in subjectis: id de cætero fieri prohibemus. Quod si quis forte præsumpserit: & sic extorta restituat, & tantumdem cogatur pauperibus elargiri. Superior autem, cui[b] super hoc fuerit querela deposita, si negligens fuerit in hujusmodi executione statuti, canonicæ subjaceat ultioni.

[a] MS. Maz. aliis.
[b] MS. Maz. tum

MS. Maz. Vt nullus a judicibus sine ostensa causa valeat appellare.

XXXV. *De causa appellationis exprimenda.*

Vt debitus honor deferatur judicibus, & litigatoribus consulatur super laboribus & expensis: statuimus ut ubi quis coram idoneo judice convenerit adversarium, ille ante sententiam ad superiorem judicem absque rationabili causa non provocet, sed coram illo suam justitiam prosequatur: non obstante si dicat quod ad superiorem judicem nuncium destinaverit, aut etiam litteras impetraverit ab eodem, priusquam delegato fuerint assignatæ. Cum autem ex rationabili causa putaverit appellandum, coram eodem judice causa probabili appellationis exposita, tali videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari, superior de appellatione cognoscat: & si minus eum rationabiliter appellasse cognoverit, illum ad inferiorem remittat, & in expensis alteri parti condemnet. Alioquin ipse

A τοὺς μηνυτὰς, ἵνα ὅταν ἐνδ........αὐτοὺς εἴς τινα τόπον ἀναγκαῖ.....ὡς ἂν μὴ ὁ αὐτὸς τόπος ἕνεκεν αὐτῶν πλεῖστον βαρυνθῇ, προκουρατορείας λάβωσι συμμέτρους παρὰ τῶν ἄλλων ἐκκλησιῶν ἢ προσώπων τῶν ἤδη ἐκ τῶν προκουρατιῶν αὐτῶν μὴ βεβαρημένων· οὕτως ὅπερ ὁ ἀριθμὸς τῶν προκουρατορειῶν τὸν ἀριθμὸν τῶν ἡμερῶν......................................
οὐκ ἀρκέσῃ δι' ἑαυτῆς, δύο ἢ πλείους συνερχέσθωσαν εἰς μίαν.

Οἱ μὲν τοίνυν τὸ τῆς ἐπισκέψεως ὀφφίκιον μεταχειριζόμενοι, μὴ ζητείτωσαν τὰ ἑαυτῶν, ἀλλὰ τὰ τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, διορθώσει, κηρύξει, B καὶ ἀνατυπώσει σχολάζοντες, ἵνα καρπὸν κομίσωνται τὸν μὴ ἀπολλύμενον. ὁ δὲ κατὰ τούτου ἐλθεῖν πειρασόμενος· καὶ ὅπερ ἔλαβεν ἀποδότω, καὶ τῇ ἐκκλησίᾳ ᾗ τινι τοιούτως ἐπιβαρέσειε, τοσοῦτον παρασχέτω.

λδʹ. Περὶ προκουρατορειῶν τῶν λεγάτων ἐξ ἴσου συλλεχθησομένων.

Ἐπειδὴ πλεῖστοι προεστῶτες, ἵνα προκουρατορείαν ἢ δουλείαν τινὰ παράσχωσι τῷ λεγάτῳ, ἢ ἄλλοις, πλέον ἀπαιτοῦσι παρὰ τῶν ὑποτεταγμένων, ἢ C ἀποπληρώσοιεν, καὶ ἐν ταῖς αὐτῶν ζημίαις κέρδος ἀκολουθοῦντες, ζητοῦσι πραῖδαν μᾶλλον ἢ βοήθειαν ἐν τοῖς ὑποτεταγμένοις· τοῦτο ἀπὸ τοῦ νῦν γίνεσθαι κωλύομεν. ὅπερ εἴ τις ἴσως τολμήσῃ· καὶ οὕτως τὰ ἀπαιτηθέντα ἀποκαταστησάτω, καὶ τοσοῦτον προσφιγχθήτω τοῖς πένησι διανέμειν. ὁ δὲ ὑπέρτερος, ὅταν ἐπάνω τούτου ἔμπροσθεν αὐτοῦ γογγυσμὸς παρατεθῇ, εἰ ἀμελητὴς γένηται ἐν τῇ ἀκολουθήσει ταύτης τῆς διατάξεως, κανονικῇ ὑποκείσθω ἐκδικήσει.

λεʹ. Ἵνα μηδεὶς ἀπὸ τῶν κριτῶν ἄνευ ἀποδειχθείσης αἰτίας [c] ἐκκλητεύειν.

[c] add. δυνήται

D Ἵνα ἡ ὀφειλομένη τιμὴ παρασχεθῇ τοῖς κριταῖς, [d] τοῖς δικάζουσι συμβουλευθῇ ἐπάνω τῶν κόπων καὶ ἐξόδων· καθιστῶμεν ἵνα ὅπου τις ἔμπροσθεν εἰδήμονος κριτοῦ ἐγκαλέσῃ τὸν ἀντίδικον, αὐτὸς πρὸ ἀποφάσεως εἰς τὸν ὑπέρτερον κριτὴν ἄνευ εὐλόγου αἰτίας μὴ προσκαλείτω· ἀλλ' ἔμπροσθεν ἐκείνου τῇ αὐτῇ [e] δικαιοσύνῃ ἐξακολουθείτω· μὴ ἀνθισταμένου ἐὰν εἴπῃ ὅτιπερ εἰς τὸν ὑπέρτερον κριτὴν ἀπέσταλεν, ἢ γράμματα ἐπέτυχεν παρ' αὐτοῦ, πρινὴ τῷ ἀπεσταλμένῳ παραδοθῆναι. ὅταν δὲ ἐξ εὐλόγου αἰτίας νομίσηται ἐκκλητευθῆναι, ἔμπροσθεν τοῦ αὐτοῦ E κριτοῦ, τῆς ἀποδεικτικῆς αἰτίας τῆς ἐκκλήσεως ἐκτεθείσης, τοιαύτης δηλαδὴ, ἥ τις ἐὰν ἀπεδείκνυτο, νόμιμος ὤφειλε λογισθῆναι, ὁ ὑπέρτερος ἐκ τῆς ἐκκλήτου γνώτω· καὶ ἐὰν ἧττον εὐλόγως αὐτὸν ἐκκλητεῦσαι γνώῃ, ἐκεῖνον εἰς τὸν κατώτερον ἀποκινησάτω, καὶ ἐν ταῖς ἐξόδοις τῷ ἄλλῳ μέρει καταδικαζέτω. εἰ δὲ μήγε, αὐτὸς

[d] deest καὶ
[e] Corr. αὐτοῦ

ANNO CHRISTI 1215.

τὸς πρεσβύτου σωζομένων τῆς διατάξεων καὶ ἐκ τῶν μειζόνων δικῶν, εἰς τὸν ἀποστολικὸν θρόνον προσαχθησομένων.

A

λϛʹ. Περὶ ἀπειλῶν καὶ συλλαλιῶν τῶν δικαζομένων.

Επειδὴ παυθείσης τῆς αἰτίας παύει ἡ ἐντέλεια, καθιστῶμεν ἵνα ἐὰν ὁ τακτικὸς κριτὴς, ἢ ὁ ἀποσταλεὶς, τὶ ἐπαπειλῶν ἢ μεταλαλῶν προσφέρει, τινὶ ἐξακολουθούσης ° ἐντολῆς ὁ ἕτερος τῶν δικαζομένων βλαφθείη· καὶ ὑγιεῖ χρώμενος συμβουλῇ, ἀπὸ ταύτης τῆς ἀπειλῆς καὶ μεταλαλιᾶς ἀποστῇ, ἐλευθέρως ἐν αὐτῇ τῇ διαγνώσει προβήτω· μὴ ἀνθισταμένου ἐὰν ἀπὸ ταύτης τῆς ἀπειλῆς ἢ μεταλαλιᾶς ἐκκλητεύσῃ· ἵνα μὴ μόνον εἴη ἐξ ἄλλης νομίμου αἰτίας ὕποπτος· ὡς ἂν μὴ ἡ πρόβασις τῆς πραγματείας κεναῖς αἰτίαις βραδυνθῇ.

° Credidit mandato esse nomen.

B

λζʹ. Περὶ γραμμάτων εἰς τοὺς ἀπόντας μακρὰν κριτὰς μὴ ἐπιτευξομένων.

Τινὲς χάριτι τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου παρεχόμενοι °, γράμματα πρὸς τοὺς μακρόθεν ὄντας κριτὰς ἐπιτυχεῖν βιάζονται· ἵνα ὁ ἐναγόμενος, κεκμηκὼς κόποις καὶ ἀναλώμασι, δίκῃ ὑποχωρεῖν, ἢ τὴν ἀκαιρείαν τοῦ ἐνάγοντος ἐξαγοράζειν προσφιχθῇ. ἐπειδὴ δὲ διὰ κρίσεως ὁ ἀδικίαις βαρεθεὶς ° ὑπομένειν οὐκ ὀφείλει ταύτας, ἃς ἡ τοῦ δικαίου παρατήρησις κωλύει· καθιστῶμεν ἵνα μή τις ἔξω δύο ἡμερεσασίων ἀπὸ τῆς ἰδίας ἐνορίας δι᾽ ἀποστολικῶν γραμμάτων εἰς κρίσιν ἑλκεσθαι δυνηθῇ, εἰ μὴ ἐκ συναινέσεως τῶν μερῶν ἐπιτευχθῶσιν, ἢ ῥητῶς ταύτης τῆς διατάξεως μνημονεύσωσι.

° Corr: παραχρώμενοι

C

° Sic Latina intellexit & vertit interpres: is qui est aditus, hoc est, impetitus injuriis, pati non debet per judiciũ. Idcirco ἀδικίαις βαρεθεὶς, injuriis gravatus: &, ὑπομένειν pati, pro, patere. Et vero consonat Latina columna ejusdem codicis: habet enim, pati.

Εἰσὶ καὶ ἄλλοι τινὲς, οἵτινες ἑαυτοὺς εἰς νέον γένος πραγματείας ἐπιστρέψαντες, ἢ ἵνα τὰς τεθνεώσας ° δυνηθῶσιν ἐξαναστᾶν ζητήσεις, ἢ νέας ἐμβαλεῖν ζητήσεις, πλάττουσιν αἰτίας ἐφ᾽ ὧν παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου γράμματα ἐπιτυγχάνουσιν ἄνευ τῆς τῶν κυρίων ἐντολῆς· ἅπερ ἢ τῷ ἐναγομένῳ, ἵνα μὴ δι᾽ αὐτὰ τῶν κόπων ἢ ἐξόδων βλάβῃ ὀχληθῇ, ἢ τῷ ἐνάγοντι, ἵνα δι᾽ αὐτὰ τὸν ἀντίδικον ἀπρεπεῖ κοπώσει διατείσῃ ....ἐκπιθέασι. ἐπεὶ δὲ αἱ δίκαι περισφικτέαι μᾶλλον εἰσὶν ἢ χαυνωτέαι· ταύτῃ τῇ γενικῇ διατάξει θεσπίζομεν, ἵνα ἐάν τις ἐπάνω τινὸς ζητήσεως τοῦ λοιποῦ χωρὶς εἰδικοῦ τοῦ κυρίου ἐντάλματος ἀποστολικὰ γράμματα ἐπιτυχεῖν τολμήσῃ, καὶ αὐτὰ τὰ γράμματα μὴ ἰσχυέτωσαν, καὶ αὐτὸς ὡς πλαστογράφος τιμωρείσθω· εἰ μὴ ἴσως ἐξ ἐκείνων τῶν προσώπων εἴη, παρ᾽ ὧν οὐ χρὴ ἀπαιτεῖσθαι ἐκ δικαίου ἐντολήν.

D

E

ληʹ. Περὶ τάξεως κρίσεως, καὶ ῥημάτων τῶν μερῶν, γραφησομένων.

Επειδὴ κατὰ τῆς πλαστῆς ἐξηγήσεως τοῦ

procedat, salvis constitutionibus de majoribus causis ad sedem apostolicam perferendis.

ANNO CHRISTI 1215.

XXXVI. *Quod iudex poßit interlocutoriam & comminatoriam sententiam reuocare.*

MS. Maz. De comminationibus & interlocutionibus litigantiũ.

Cùm cessante causa cesset effectus, statuimus ut sive judex ordinarius, sive delegatus, aliquid comminando vel interloquendo protulerit, quo executioni mandato alter litigantium gravaretur, & sano usus consilio, ab hujusmodi comminationis vel interlocutionis effectu destiterit, libere in causæ cognitione procedat, non obstante, si a tali comminatione vel interlocutione fuerit appellatum (dummodo non sit ex alia legitima causa suspectus) ne processus negotii frivolis occasionibus retardetur.

XXXVII. *De litteris non impetrandis vltra duas diætas, & sine speciali mandato.*

MS. Maz. De litteris ad remotos judices non impetendis. Corr impetrandis.

Nonnulli gratia sedis apostolicæ abutentes, litteras ejus ad remotos judices impetrare nituntur, ut reus fatigatus laboribus & expensis, liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur. Cum autem per judicium injuriis aditus patere non debeat, quas juris observantia interdicit: statuimus, ne quis ultra duas diætas extra suam diœcesim per litteras apostolicas ad judicium trahi possit, nisi de assensu partium fuerint impetratæ, vel expressam de hac constitutione fecerint mentionem.

Sunt & alii qui se ad novum genus mercimonii convertentes, ut vel sopitas possint suscitare querelas, aut novas immittere quæstiones, fingunt causas, super quibus a sede apostolica litteras impetrant absque dominorum mandato, quas vel reo, ne propter eas laborum vel expensarum dispendio molestetur, aut actori, ut per ipsas adversarium indebita vexatione fatiget, venales exponunt. Cum autem lites restringendæ sint potius, quam laxandæ: hac generali constitutione sancimus, ut si quis super aliqua quæstione de cætero, sine mandato speciali domini, litteras apostolicas impetrare præsumpserit, & litteræ illæ non valeant, & ipse tamquam falsarius puniatur: nisi forte de illis personis extiterit, a quibus non debet exigi de jure mandatum.

XXXVIII. *De scribendis actis vt probari poßint.*

MS. Maz. De ordine judicii, & partiũ dictis scribendis.

Quoniam contra falsam assertionem ini-

ANNO CHRISTI 1215.

iniqui judicis innocens litigator quandoque non poteſt veram negationem probare, cum negantis factum per rerum naturam nulla ſit directa probatio: ne falſitas veritati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, ſtatuimus ut tam in ordinario judicio, quam extraordinario, judex ſemper adhibeat aut publicam (ſi poteſt habere) perſonam, aut duos viros idoneos; qui fideliter univerſa judicii acta cōſcribant, videlicet citationes & dilationes, recuſationes & exceptiones, petitiones & reſpōſiones, interrogationes & confeſſiones, teſtium depoſitiones & inſtrumentorū productiones, interlocutiones, appellationes, renunciationes, concluſiones, & cætera quæ occurrunt competenti ordine conſcribenda, deſignando loca, tempora & perſonas: & omnia [a] ſic conſcripta partibus tribuantur: ita quod originalia penes ſcriptores remaneant: ut, ſi ſuper proceſſu judicis fuerit ſuborta contentio, per hæc poſſit veritas declarari. Hoc adhibito moderamine, quatenus ſic honeſtis & diſcretis deferatur [a] judicibus: quod per improvidos & iniquos, innocentum juſtitia non lædatur. Iudex autem qui conſtitutionem iſtam neglexerit obſervare, ſi propter ejus negligentiam aliquid difficultatis emerſerit, per ſuperiorem judicem animadverſione debita caſtigetur: nec pro ipſius præſumatur proceſſu, niſi quatenus in cauſa legitimis conſtiterit documentis.

[a] MS. Maz. nomina.

[a] MS. Maz. declaretur & def.

XXXIX. *De reſtitutione danda contra poſſeſſorem, quæ non rapuit ipſe.*

MS. Maz. De reſtitutione ſpoliationis.

Sæpe contingit quod ſpoliatus injuſte, per ſpoliatorem in alium re tranſlata, dum adverſus poſſeſſorem non ſubvenitur per reſtitutionis beneficium ſpoliato, commodo poſſeſſionis amiſſo propter difficultatem probationis, jus proprietatis amittit effectum. Unde non obſtante civilis juris rigore ſancimus, ut ſi quis de cætero ſcienter rem talem acceperit, cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium, eo quod non multum interſit, præſertim quoad periculum animæ, detinere injuſte ac invadere alienum, contra poſſeſſorem hujuſmodi ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur.

XL. *De vera poſſeſſione.*

MS. Maz. De poſſeſſione cuſtodiæ propter ....

Contingit interdum; quod cum actori ob contumaciam partis adverſæ adjudicatur cauſa rei ſervandæ poſſeſſio, propter rei potentiam ſive dolum

A ἀδίκου κριτοῦ ὁ ἀθῶος δικαζόμενος ποτὲ οὐ δύναται τὴν ἀληθῆ ἄρνησιν καταστῆσαι, εἰς τὸ τοῦ ἀρνησαμένου ἔργον ἐκ τῆς τῶν πραγμάτων φύσεως μηδεμίαν εἶναι ὀρθὴν κατάστασιν· ἵνα μὴ ἡ πλαστότης τῇ ἀληθείᾳ προκρίνῃ, ἢ ἡ ἀδικία περιϊσχύσῃ τῆς ἰσότητος· καθιστῶμεν ἵνα τοσοῦτον ἐν τῷ τακτικῷ κριτῇ [a] ὅσον τῷ ἐξωτακτικῷ ὁ κριτὴς ἀεὶ παράγῃ ἢ δημοτικὸν, εἰ δύναται ἔχειν, πρόσωπον, ἢ δύο ἄνδρας εἰδήμονας, οἵτινες ἂν πιστῶς ἅπαντα τὰ τῆς κρίσεως πρακτικὰ συγγράψωσιν .... ἐρωτήσεις, καὶ ὁμολογίας, παραθέσεις μαρτύρων, καὶ προσαγωγὰς ἐγγράφων, μεταλαλιὰς, καὶ συγκλήσεις, καὶ ἐκκλήτους, παραιτήσεις, καὶ ἕτερα ἅπερ B συντρέχουσι τῇ αὐταρκεῖ τάξει συγγραφησόμενα, διασημειοῦντες τόποις, καιροὺς, καὶ πρόσωπα, καὶ τὰ ὀνόματα οὕτως συγγεγραμμένα τοῖς μέρεσι παρεχέτωσαν, οὕτως ἵνα τὰ πρωτότυπα παρὰ τοῖς γραφοῦσιν ἐναπομένωσιν· ὅπως ἐὰν ἐπάνω τῆς προβάσεως τοῦ κριτοῦ ὑπαναστῇ συζήτησις, διὰ τούτων δυνηθείη ἡ ἀλήθεια τρανοῦσθαι .... καὶ διακριτικοῖς τρανούσθω καὶ παρεχέσθω κριταῖς, ἵνα διὰ τῶν ἀδοκίμων καὶ ἀδίκων ἡ τῶν ἀθώων δικαιοσύνη μὴ βλαφθῇ. C ὁ δὲ κριτὴς ὁ τὴν διάταξιν ταύτην ἀμελήσων φυλάττειν, ἐὰν δι' ἀμέλειαν τι δυσκολίας ἀναδύσηται, διὰ τοῦ ὑπερτέρου κριτοῦ κατανοήσει πρεπούσῃ σωφρονιζέσθω· ἵνα μὴ ἐκ τῆς προβάσεως αὐτοῦ προβῇ, εἰ μὴ ὅσον ἐν τῇ δίκῃ νομίμοις κατασυσταθήσεται διδάγμασι.

[a] κριτῇ pro κρίσει. Male ſcilicet legit, Judice.

In Latino ejuſdem codicis idem deeſt.

Idem in Lat. deeſt.

Latinis non bene reſpondent Græca.

λθ'. Περὶ ἀποκαταστάσεως ἀπογυμνώσεως.

Πολλάκις συμβαίνει ὅτι ὁ γυμνωθεὶς ἀδίκως, διὰ τοῦ γυμνώσαντος εἰς ἄλλον τοῦ πράγματος μεθισαμένου, κατὰ τοῦ νεμομένου οὐ συντρέχεται D δι' εὐεργεσίαν ἀποκαταστάσεως τῷ γυμνωθέντι, τῆς ὠφελείας τῆς νομῆς ἀποκλεισθείσης διὰ τὴν δυσκολίαν τῆς ἀποδείξεως, τὸ δίκαιον τῆς οἰκειότητος ἀπόλλυσι τὴν ἐντέλειαν. ὅθεν μὴ ἀνθισταμένου τοῦ θάρσους τοῦ πολιτικοῦ δικαίου θεσπίζομεν, ὅτι ἐάν τις τοῦ λοιποῦ ἐγνωσμένως πρᾶγμα τοιοῦτον λάβῃ, ἐπεὶ τῷ γυμνώσαντι διαδέχεται ὡς πάθος, ἀνθ' ὧν οὐ πλεῖστον παρέσται, μάλιστα δὲ εἰς κίνδυνον ψυχῶν, ἐπικρατεῖν ἀδίκως, ἢ καταδραμεῖν ἀλλοτρίου, κατὰ τοῦ νομέως τοῦ τοιουτοτρόπου, τῷ γυμνωθέντι δι' εὐεργεσίαν ἐπιστρεπτικῶς συντρεχέσθω.

E

μ'. Περὶ νομῆς φυλάξεως διὰ τὴν καταφρόνησιν ἀπόντος.

Συμβαίνει ποτὲ ὅτι, ἐπειδὴ τῷ ἐνάγοντι διὰ καταφρόνησιν τοῦ ἀντιδίκου μέρους ἐπικρίνεται αἰτίᾳ τοῦ φυλαχθησομένου πράγματος ἡ νομὴ, διὰ τὴν τοῦ ἐναγομένου δυναστείαν, ἢ δόλον,

ANNO CHRISTI 1215.

ὁ ἐνάγων ἔσω τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸ διατηρηθησόμενον πρᾶγμα ἀπολαβεῖν οὐ δύναται, ἢ παραληφθεῖσαν ἀπόλλυσι· καὶ οὕτως ἐπεὶ κατὰ τὴν ἐξήγησιν τῶν πολλῶν ἀληθὴς οὐκ ἂν τελειωθείη μετὰ τὴν παρέλευσιν τοῦ χρόνου νομεύς, ἀποκομεῖται ὠφέλειαν ἐκ τῆς κακίας αὐτοῦ ἐναγόμενος. ἵνα μὴ ὁ καταφρονητὴς κρείττονος ἢ ὁ ἐπήκοος αἱρέσεως εἴη, ἐκ κανονικῆς ἰσότητος θεσπίζομεν ἵνα ἐν τῷ προτεθέντι θέματι ὁ ἐνάγων ἀληθὴς καταστᾳθῇ παρελθόντος τοῦ ἐνιαυτοῦ νομεύς.

Πρὸς ταῦτα γενικῶς κωλύομεν, ἵνα μὴ ἐπάνω πνευματικῶν πραγμάτων συνεπαγγελθείη εἰς κοσμικόν· ὅτι οὐ πρέπει ἵνα λαϊκὸς ἐν τοῖς τοιούτοις διαλογισθείη.

Deest hîc titulus in cod. Maz.

μα'.

Ἐπειδὴ πᾶν ὃ οὐκ ἐκ πίστεως ἁμαρτία ἐστίν, συνοδικῇ κρίσει ἀποφαίνομεν, ἵνα μηδεμία ἰσχύσῃ δίχα καλῆς πίστεως περιγραφὴ τοσοῦτον κανονική, ὅσον πολιτική· ἐν τῷ γενικῷ πάσης διατάξεως ἄνευ συνηθείας κατηγορεῖν, ἥτις χωρὶς θανασίμου οὐ δύναται φυλαχθῆναι ἁμαρτίας· ὅθεν χρὴ ὅπως ὁ περιγράφων, ἐν οὐδενὶ καιροῦ μέρει, πράγματος ἔχῃ συνείδησιν ἀλλοτρίου.

Hîc quoq; titulus deest.

μβ'.

Καθὼς θέλομεν ἵνα τὰ δίκαια τῶν κληρικῶν λαϊκοὶ μὴ ἁρπάζωσι· οὕτως ἐθέλειν ὀφείλομεν, ἵνα μὴ οἱ κληρικοὶ τὰ δίκαια ἑαυτοῖς διεκδικήσουσιν τῶν λαϊκῶν.

actor infra annum rem custodiendã nancisci non potest, vel nactam amittit: & sic cum secundum assertionem multorum verus non efficeretur post lapsum anni possessor, reportat commodum de malitia sua reus. Ne igitur contumax melioris, quam obediens, conditionis existat: de canonica æquitate sancimus, ut in casu præmisso actor verus constituatur elapso anno possessor.

Ad hæc generaliter prohibemus, ne super rebus spiritualibus compromittatur in laïcum: quia non decet ut laïcus in talibus arbitretur.

XLI. *De continuatione bonæ fidei in omni præscriptione.*

Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis; cum sit generaliter omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali non potest observari peccato. Unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.

XLII. *De sæculari iustitia.*

Sicut volumus ut jura clericorum non usurpent laïci, ita velle debemus ne clerici jura sibi vendicent laicorum. Quo-

Hîc folium unum a Mazar. codice avulsum est.

Quocirca universis clericis interdicimus, ne quis prætextu ecclesiasticæ libertatis suam de cætero jurisdictionem extendat in præjudicium justitiæ sæcularis, sed contentus existat constitutionibus scriptis, & consuetudinibus hactenus approbatis: ut quæ sunt Cæsaris, reddantur Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo recta distributione reddantur. *Matth. 22.*

XLIII. *Ne sine causa clericus fidelitatem laïco faciat.*

Nimis de jure Divino quidam laïci usurpare conantur, cum viros ecclesiasticos, nihil temporale detinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt. Quia vero, secundum Apostolum, *servus suo domino stat aut cadit*: sacri autoritate concilii prohibemus, ne tales clerici personis sæcularibus præstare cogantur hujusmodi juramentum. *Rom. 14.*

XLIV. *Quod constitutiones principum non præiudicent ecclesiis.*

Cum

Cum laïcis, quamvis religiosis, disponendi de rebus ecclesiasticis nulla sit attributa potestas, quos subsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi: dolemus sic in quibusdam ex illis refrigescere caritatem, quod immunitatem ecclesiasticæ libertatis, quam nedum sancti patres, sed etiam principes sæculares multis privilegiis munierunt, non formidant suis constitutionibus, vel potius confictionibus impugnare, non solum de feudorum alienatione, ac aliarum possessionum ecclesiasticarum, & usurpatione jurisdictionum, sed etiam de mortuariis, nec non & aliis quæ spirituali juri videntur annexa, illicite præsumendo. Volentes igitur super his ecclesiarum indemnitati consulere, ac tantis gravaminibus providere: constitutiones hujusmodi & " vindicationes feudorum, seu aliorum bonorum ecclesiasticorum, sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu præsumptas occasione constitutionis laïcæ pote-

" venditiones.

ANNO CHRISTI 1215.

potestatis, (cum non constitutio, sed destitutio vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionum) sacri approbatione concilii decernimus non tenere, præsumptoribus per censuram ecclesiasticam compescendis.

MS. Maz. Deinsolentia patronorum & advocatorum compescenda.

XLV. *Patronus qui clericum ecclesiæ occiderit, vel mutilaverit, jus patronatus amittat.*

In quibusdam provinciis ecclesiarum patroni, seu vicedomini, & advocati, se in tantam insolentiam erexerunt, quod non solum, cum vacantibus debet ecclesiis de pastoribus idoneis provideri, difficultates ingerunt, "& malitias: verum etiam de possessionibus & aliis bonis ecclesiasticis pro sua voluntate ordinare præsumunt, & (quod horrendum est dicere) in necem prælatorum prorumpere non formidant. Cum igitur quod ad defensionis subsidium est inventum, ad depressionis dispendium non debeat retorqueri: prohibemus expresse ne patroni, vel advocati, seu vicedomini, super præmissis de cætero plus usurpent, quam reperiatur in jure permissum: &, si contra præsumpserint, districtissime per severitatem canonicam compescantur. Sacri nihilominus concilii approbatione "statuimus, quatenus si patroni, vel advocati, aut feudatarii, seu vicedomini, seu alii beneficiati, alicujus ecclesiæ rectorem, " vel clericum alium ipsius ecclesiæ, per se vel per alios occidere vel mutilare ausu nefando præsumpserint: patroni jus patronatus, advocati advocatiam, feudatarii feudum, vicedomini vicedominatum, beneficiati beneficium prorsus amittant. Et ne minus vindictæ quam excessus memoria prorogetur: non solum de præmissis nil perveniat ad heredes, sed etiam usque ad quartam generationem posteritates " talium in clericorum collegium nullatenus admittantur, nec in regularibus domibus alicujus prælationis assequantur honorem, nisi cum eis fuerit misericorditer " dispensatum.

MS. Maz. a malitias. — MS. Maz. provisione — MS. Maz. rectorem. — MS. Maz. posteritatis — MS. Maz. nisi misericorditer

MS. Maz. De ecclesiis & viris ecclesiasticis non opprimendis talliis sibi exactionibus. — cap. 19.

XLVI. *De talliis a clericis non exigendis.*

Adversus consules ac rectores civitatum, & alios qui ecclesias & viros ecclesiasticos talliis seu collectis & exactionibus aliis aggravare nituntur: volens immunitati ecclesiasticæ Lateranense concilium providere, præsumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit: transgressores & fautores eorum excommunicationi precipiens subjacere,

A ἐξουσίας· ἐν τῷ μὴ διάταξιν, ἀλλὰ ἢ ἀνάστασιν ἢ κατάλυσιν δύνασθαι ῥηθῆναι, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἁρπαγὴν δικαιοδοσιῶν· τῷ ἱερᾶς συνόδου ἐπαίνῳ ἐκείναμεν μὴ κρατεῖσθαι τοὺς τολμητὰς διὰ κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς περισφιχθῶσι. — Mendosus locus.

μέ. Περὶ ἀτοπίας πατρώνων καὶ συνηγόρων ἐλλογιμηθησομένων ".

" Corr. ἐλλογιμηθησομένης

Ἔν τισιν ἐπαρχίαις οἱ τῶν ἐκκλησιῶν πάτρωνες, συνήγοροι, ἢ αντικύριοι, ἑαυτοὺς εἰς B τοσαύτην ἀτοπίαν ἤγειραν· ὅτι οὐ μόνον ἐν τῷ τὰς χηρευούσας ἐκκλησίας ποιμένων εἰδημόνων χρῆναι προνοεῖν, δυσκολίας ἐπιφέρουσιν εἰς κακίαν· ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν ὑποστάσεων καὶ ἄλλων ἀγαθῶν ἐκκλησιαστικῶν ἐξ ἰδίου θελήματος καταλύουσι· καὶ ὅπερ βδελυκτόν ἐστιν εἰπεῖν, εἰς φόνον τῶν προεστώτων προῤῥήσσειν οὐ πτοοῦνται. ἐπεὶ τοίνυν ὅπερ εἰς ἐκδικήσεως βοήθειαν εὕρηται, εἰς ἐκπιεσμοῦ ζημίαν οὐκ ὀφείλει διαστρεβλοῦσθαι, κωλύομεν ῥητῶς, ἵνα μὴ οἱ πάτρωνες, ἢ συνήγοροι, ἢ αντικύριοι, ἐπάνω τῶν τοῦ λοιποῦ C ἐμβληθέντων πλέον ἁρπάσωσι ἢ εὑρίσκεται .... συγκεχωρημένον· καὶ ἐὰν ἀπεναντίας τολμήσωσι .... σφιγκτότατα περισφιχθήτωσαν. τῆς ἱερᾶς συνόδου οὐχ ἧττον προσβλέψαι καθιστῶμεν, ὅτι ἐὰν οἱ πάτρωνες, ἢ συνήγοροι, ἢ φιῶται, ἢ αντικύριοι, ἢ ἄλλοι εὐεργετηταὶ οἱασδήποτε ἐκκλησίας ἀναγνώστην ἢ κληρικὸν ἄλλον τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας, δι' ἑαυτῶν ἢ ἄλλων ἀνελεῖν ἢ μελοκοπεῖν τόλμῃ ἀνιέρῳ τολμήσωσιν· οἱ πάτρωνες τὸ πατρωνικὸν, οἱ συνήγοροι τὴν συνηγορείαν, οἱ φιῶται τὸ φίον, D οἱ αντικύριοι τὴν αντικυρείαν, οἱ εὐεργεταὶ τὴν εὐεργεσίαν ὅλως ἀπολέσωσι· καὶ ἵνα μὴ ἔλαττον τῆς ἐκδικήσεως ἢ τῆς ὑπερβάσεως ἡ μνήμη παρεκταθείη· οὐ μόνον μηδὲν τῶν ἐκβληθέντων περιελθέτω πρὸς τοὺς κληρονόμους, ἀλλὰ μᾶλλον, ἕως εἰς τετάρτην γενεὰν τῆς ὑστερότητος τῶν τοιούτων εἰς κληρικῶν σύλλογον μηδαμῶς προσδεχέσθωσαν, μήτε ἐν κανονικοῖς δόμοις τινὸς προεδρείας ἐπιτυχέτωσαν τιμῆς· εἰ μὴ μετ' αὐτῶν οἰκονομηθῇ.

E

μς΄. Περὶ ἐκκλησιῶν καὶ ἀνδρῶν ἐκκλησιαστικῶν μὴ ἐκπιεσθησομένων τισὶν ἀπαιτήσεσι.

Κατὰ κονσούλων, καὶ κυβερνητῶν τῶν πόλεων, καὶ ἄλλων τῶν τὰς ἐκκλησίας καὶ τοὺς ἐκκλησιαστικοὺς ἄνδρας ἀπαιτισμοῖς, συνάγμασι, καὶ ἄλλαις ἐκζητήσεσιν ἐπιβαρύνειν διισχυριζομένων, ἐθέλουσα ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ὀχυρώσει ἡ ἐν Λατεράνῳ σύνοδος προνοεῖν, τὰς τοιαύτας τόλμας ὑπὸ ἀναθέματος περισφίξει ἐκώλυσε· τοὺς παραβάτας καὶ προσπαθητὰς αὐτῶν ἀποκοινωνήσει ἐπιτάττουσα ὑποκεῖσθαι,

ANNO CHRISTI 1215.

ἕως οὗ ἱκανοποίησιν παράσχοιεν ἐφαρμόζουσαν.

Εἰ δέ ποτε ἴσως ὁ ἐπίσκοπος ἅμα τοῖς κληρικοῖς τοσαύτην ἀνάγκην ἢ ὠφέλειαν ἴδοιεν, ἵνα χωρὶς τινὸς προσφίξεως εἰς τὸ ἀνεγείρειν τὰς κοινὰς ὠφελείας καὶ ἀνάγκας, ὅπου αἱ τῶν λαϊκῶν οὐκ αὐταρκοῦσιν εὐπορίαι, διὰ τὰς ἐκκλησίας βοηθείας ἡγήσοιντο παρασχεθησομένας· οἱ προρρηθέντες λαϊκοὶ ταπεινῶς καὶ εὐνοϊκῶς λαμβανέτωσαν μετ' εὐχαριστίας. διὰ τὴν ἀχρηστίαν τέως τινῶν ὁ ῥωμαϊκὸς πρότερον ἀρχιερεὺς συμβουλευέσθω. .... γάρ ἐστι τὸ τῶν ὠφελειῶν προνοεῖν.

Ἐπεὶ δὲ οὐδὲ οὕτως ἡ κακία τινῶν κατὰ τὴν θεοῦ ἐκκλησίαν κατέπαυσεν, προστίθεμεν ἵνα τὰς διατάξεις καὶ ἀποφάσεις αἵτινες τοῖς ἀποκοινωνηθεῖσιν οὕτως ἢ ἐξ ἐντολῆς αὐτῶν προενεχθήσονται, κεναὶ καὶ ἀβέβαιοι κρατηθῶσιν, μηδενὶ ποτὲ καιρῷ ἰσχύσουσαι.

Ἕτερον ἐπεὶ δόλος καὶ ἀπάτη τινὶ βοηθεῖν οὐ πρέπουσι· μηδεὶς ματαίᾳ πλανάσθω πλάνῃ ὡς ἔσω τοῦ καιροῦ τῆς πράξεως ὑπομείνειε τὸ ἀνάθεμα· ὡσανεὶ μετὰ τοῦτο μὴ εἴη εἰς τὸ τῆς ἱκανοποιήσεως χρέος προσφιχθησόμενος· ὅτι καὶ αὐτὸν τὸν ἱκανοποιεῖν παραιτησόμενον καὶ τὸν διάδοχον αὐτοῦ, εἰ μὴ ἔσω μηνὸς αὐτάρκως ἱκανοποιήσοιτο .... κρίνομεν ἐκκλησιαστικῇ κρίσει συγκεκλεισμένον, μέχρις ἂν ἱκανοποιήσῃ εἰκότως· ἐπεὶ διαδέχεται τὸ βάρος ὁ ἀντικαθιστάμενος τῇ τιμῇ.

A donec satisfactionem impendant competentem.

Verum si quando forsan episcopus simul cum clericis tantam necessitatem vel utilitatem prospexerint, ut absque ulla coactione, ad relevandas utlitates vel necessitates communes, ubi laïcorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias duxerint conferenda: prædicti laïci humiliter & devote recipiant cum actionibus gratiarum. Propter imprudentiam tamen quorumdam; Romanum prius B consulant pontificem, cujus interest communibus utilitatibus providere.

Quoniam vero nec sic quorumdam malitia contra Dei ecclesiam conquievit: adjcimus, ut constitutiones & sententiæ; quæ ab excommunicatis hujusmodi, vel de ipsorum mandato, fuerint promulgatæ, inanes & irritæ habeantur, nullo unquam tempore valituræ.

Cæterum quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent: nullus vano decipiatur errore, ut infra tempus regiminis sustineat anathema, quasi post illud C non sit ad satisfactionem debitam compellendus. Nam & ipsum qui satisfacere recusaverit, & successorem ipsius, si non satisfecerit infra mensem, manere decernimus ecclesiastica censura conclusum, donec satisfecerit competenter: cum succedat in onere qui substituitur in honore.

μζ΄. Περὶ τάξεως ἀποκοινωνήσεων.

Τῆς ἱερᾶς κυρούσης συνόδου κωλύομεν, ἵνα μή τις εἴς τινα ἀποκοινωνήσεως ἀπόφασιν, εἰ μὴ αὐτάρκοις παραινέσεως προσταλείσης, καὶ παρόντων προσώπων εἰδημόνων, δι' ὧν, εἰ ἀναγκαῖον ἔσται, κατασταθείη ἡ παραίνεσις, προενεγκεῖν τολμήσῃ. ὃς ἐὰν ἀπεναντίας τολμήσῃ, καὶ εἰ δικαία ἔσται ἐξ .:..:. ἡ ἀπόφασις τὴν εἴσοδον τῆς ἐκκλησίας δι' ἑνὸς μηνὸς ἑαυτῷ γνοίη ἀντιλεχθεῖσαν· ἄλλῃ οὐχ ἧττον ποινῇ τιμωρηθησόμενος εἴγε φ" .... συμφέρει ".

" φανείη συμφέρειν

Προσεχέτω δὲ ἀκριβῶς ἵνα μὴ εἰς ἀποκοινώνησιν τινὸς ἄνευ εὐλόγου καὶ φανερᾶς αἰτίας προβῇ. εἰς ἣν " τοιούτως ἴσως προβαίη καὶ ἀναζητηθεὶς ταπεινῶς, τὴν τοιαύτην ὑπέρβασιν μὴ φροντίσῃ ἄνευ βάρους ἀνακαλεῖσθαι· βαρυθεὶς εἰς τὸν ὑπέρτερον ἀναφερέτω τὸν τῆς ἀδίκου ἀποκοινωνήσεως γογγυσμόν· ὃς ἐὰν ἄνευ κινδύνου παραμένειν ἢ ἀποστέλλειν δύναται, εἰς τὸν ἀποκοινωνητὴν ἐκεῖνον μετὰ τῆς ἐντολῆς αὐτοῦ ἀποσταλάτω. ἔσω ἁρμοζούσης διορίας ἀπολυθῆναι· εἰ δὲ μήγε, αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ ἢ

" Adde εἰ

XLVII. *De forma excommunicandi.*

" MS.Maz. De ordine excommunicationū.

Sacro approbante concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, & præsentibus idoneis personis, per quas, si necesse fuerit, D possit probari monitio, promulgare præsumat. Quod si quis contra præsumpserit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum: alia nihilo minus pœna mulctandus, si visum fuerit expedire.

Caveat etiam diligenter, ne ad excommunicationem cujusquam absque manifesta & rationabili causa procedat: ad E quam si forte taliter processerit, & requisitus humiliter, processum hujusmodi non curaverit absq; gravamine revocare: gravatus apud superiorem deponat de injusta excommunicatione querelā: "quod si absque periculo moræ" potest, ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat, infra competentem terminum absolvēdum: alioquin ipse per se, vel per

"MS.Maz. qui "MS. Maz. Modere vel mittere potest.

ANNO CHRISTI 1215.

per alium, prout viderit expedire, sufficienti cautione recepta, munus ei absolutionis impendat.

Cumque adversus excommunicatorem de injusta excommunicatione constiterit, excommunicator condemnetur excommunicato ad interesse; alias nihilo minus, si culpæ qualitas postulaverit, superioris arbitrio puniendus: cum non levis sit culpa tantam infligere pœnã insonti, nisi forsan erraverit ex causa probabili, maxime si laudabilis opinionis existat.

Verum si contra excõmunicationis sententiam nihil rationabile fuerit a conquerente probatum: idem & super injusta cõquestionis molestia per pœnam ad interesse, vel " alias secundũ superioris arbitriũ, cõdemnetur, nisi forsan & ipsũ probabilis error excuset: & super eo, pro quo justa fuerit excommunicatione ligatus, per cautionem receptam satisfacere compellatur, vel in pristinam reducatur sententiam; usque ad satisfactionem condignam, inviolabiliter observandam.

" Dacher. vel ad aliã

Si vero judex suum recognoscens errorem, paratus sit talem revocare sententiam, & is, pro quo lata fuerit, ne absque satisfactione revocet illam, appellet: appellationi non deferat in hac parte, nisi talis sit error, de quo merito possit dubitari: & tunc, sufficienti cautione recepta quod coram eo, ad quem extitit appellatum, vel delegato ab ipso, juri parebit, excommunicatum absolvat, sicque pœnæ præscriptæ " minime subjacebit: cavens omnino, ne voluntate perversa in alterius præjudicium mentiatur errorem, si districtionis canonicæ vult effugere ultionem ".

" Addit Mazar. unius mensis

" MS Maz. disciplinã.

XLVIII. *De modo recusandi judicem.*

" MS. Maz. De frustratoria recusatione & appellatione moniti, & judici bus a partibus eligendis.

Cum speciali " sit prohibitione provisum, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti commonitione præmissa, promulgare præsumat; volentes etiam providere, ne forte commonitus, frustratoriæ " recusationis vel appellationis obtentu, monentis declinare possit examen: statuimus, quod si allegaverit se judicem habere suspectum, coram eodem causam justæ suspicionis assignet. Et ipse cum adversario, vel, si forte adversarium non habeat, cum judice, arbitros communiter eligat: aut, si forte communiter convenire non possunt, eligant absque malitia ipse unum, & ille aliũ, qui de suspicionis causa cognoscãt: & si nequiverint in unam concordare sentẽtiam, advocent tertium, ut quod duo ex

" MS. Maz. Spirituali, & sic in Græco.

" MS. Maz. Frustratione recusationis, vel appellationis objectu,

A δι' ἄλλου, ὡς ἴδοι συμφέρειν, ἱκανῆς ἀσφαλείας ληφθείσης, τὸ δῶρον τῆς ἀπολύσεως παρεχέτω.

Ὅταν δὲ ἀπεναντίας τοῦ ἀποκοινωνητοῦ ἐκ τῆς ἀποκοινωνήσεως παρασταθῇ· ὁ ἀποκοινωνητὴς καταδικαζέσθω τῷ ἀποκοινωνηθέντι· παρέσται " δὲ καὶ ἄλλως οὐχ ἧττον, ἐὰν ἡ τῆς πτώσεως ποιότης αἰτήσῃ, τῇ τοῦ ὑπερτέρου διανοίᾳ τιμωρηθησόμενος· ἐπείπερ οὐκ ἐλαφρὸν πτῶμα τοσοῦτον ἂν ἐπήνεγκε πταῖσμα" εἰ μὴ ἴσως ἐξ αἰτίας ἀποδεικτικῆς· μάλιστα ἐὰν εἴη ἐπαινετῆς ὑπολήψεως.

" Non intellexit Græcus, condemnetur ad interesse: ut & paulo inferius.

" Deest insonti.

B Εἰ δὲ ἀπεναντίας τῆς ἀποκοινωνήσεως ἀποφάσεως μηδὲν εὐλόγου παρὰ τοῦ γογγύζοντος προσαχθείη· ὁ αὐτὸς καὶ ἐπάνω τοῦ ἀδίκου τῆς ἀποκοινωνήσεως ὀχλήματος διὰ ποινῆς παρείη ἢ ἄλλως κατὰ τὴν τοῦ ὑπερτέρου διάγνωσιν· εἰ μὴ ἴσως καὶ αὐτὸν ἀποδεικτικὴ πλάνη ἐξαιτιάσοιτο· καὶ ἐπὶ τούτου ὑπὲρ οὗ δικαίᾳ ἀποκοινωνήσει δεθείη, δι' ἀσφαλείας ληφθείσης ἱκανοποιεῖν προσφιχθήτω· ἢ εἰς τὴν προτέραν ὑποστρεφέσθω ἀπόφασιν, ἕως ἱκανοποιήσεως ἀξίας ἀλωβήτως φυλαχθησόμενα ".

" Corr. φυλαχθησόμενην.

C Εἰ δὲ ὁ κριτὴς τὴν ἰδίαν κατανοῶν πλάνην, ἕτ" ....τὴν τοιαύτην ἀνακαλεῖσθαι ἀπόφασιν, καὶ οὗτος ὑπὲρ οὗ προηνέχθη, ἵνα μὴ χωρὶς ἱκανοποιήσεως ἀνακαλέσοιτο αὐτὴν ἐκκλητεύσοι· τῇ ἐκκλήτῳ μὴ εἰξάτω ἐν τούτῳ τῷ μέρει, εἰ μὴ τοιαύτη εἴη πλάνη, ὑπὲρ ἧς ἀξίως δύναται ἀμφισβητεῖσθαι. καὶ τότε ἀρκετῆς ἀσφαλείας ληφθείσης, ὅπερ ἔμπροσθεν αὐτοῦ πρὸς ὃν ἐκκλητευθείη, ἢ τοῦ ἀπεσταλμένου παρ' αὐτοῦ, δικαίῳ φανείη, τὸν ἀποκοινωνηθέντα ἀπολυσάτω, οὕτως ὅτι τῇ προγραφείσῃ ποινῇ ἑνὸς μηνὸς μηδαμῶς ὑποκείσεται· προσέχων παντελῶς D ἵνα μὴ θελήσει στρεβλῇ εἰς ἄλλου πρόκειμα ψεύσοιτο πλάνην· εἴ γε τῆς κανονικῆς προσφίγξεως θέλει φεύγειν τὴν παίδευσιν.

" ἕτοιμος εἴη

μη'. Περὶ ἀκαίρου ἀποβολῆς καὶ ἐκκλήτου τοῦ παραινεθέντος καὶ κριτῶν ἐκ τῶν μερῶν ἐκλεγησομένων.

Ἐπεὶ πνευματικῇ κωλύσει προενοήθη, ἵνα μή τις ἀποκοινωνήσεως ἀπόφασιν, εἰ μὴ αὐτάρκοις παραινέσεως προσταλείσης, προφέρειν τολμήσῃ· θέλοντες ἄρα προνοῆσαι ἵνα μὴ ἴσως ὁ παραινεθεὶς ἀκαιρείᾳ ἀποθέσεως ἢ ἐκκλήτου προσβολῇ, τοῦ παραινέ- E του ἐκκλίνειν δυνηθῇ τὴν ἐξέτασιν· καθιστῶμεν· ὅτι ἐὰν δικαιολογήσῃ ἑαυτὸν ἔχειν κριτὴν ὕποπτον, ἔμπροσθεν αὐτοῦ τὴν αἰτίαν τῆς δικαίας ὑποψίας δείξει· καὶ αὐτὸς μετὰ τοῦ ἀντιδίκου, ἢ ἐὰν ἀντίδικον ἴσως οὐκ ἔχῃ, μετὰ τοῦ κριτοῦ αἱρετοὺς κριτὰς κοινοὺς ἐκλεξάσθωσαν· ἢ ἐὰν κοινῶς συνελθεῖν οὐ δύνανται, ἐκλεξάσθωσαν ἄνευ κακίας αὐτὸς ἕνα καὶ ἐκεῖνος ἄλλον· οἵτινες ἐκ τῆς αἰτίας τῆς ὑποψίας διαγνώτωσαν. καὶ ἐὰν μὴ δυνηθῶσιν εἰς μίαν συμφωνεῖν ἀπόφασιν, προσκαλεσάσθωσαν τρίτον, ἵνα " οἱ δύο ἐξ

" Deest ἅπερ

ANNO CHRISTI 1215.

αὐτῶν κρίνωσιν, ἰσχὺν ἐπέχωσιν στερεότητος. γινωσκέτωσαν δὲ πρὸς τοῦτο πιστῶς ἐξακολουθεῖν ἐκ τοῦ ἐπιτεταγμένου παρ' ἡμῶν, ἐν δυνάμει ὑπακοῆς, ὑπὸ μαρτυρίᾳ τῆς θείας κρίσεως, σφικτῶς προστάγματος κρατεῖσθαι· τῆς αἰτίας δὲ τῆς ὑποψίας νομίμου ἔμπροσθεν αὐτῶν ἔσω ἁρμοζούσης διορίας μὴ ἀποδειχθείσης, τῇ ἰδίᾳ δικαιοδοσίᾳ ὁ κριτὴς χράσθω. καὶ αὐτῆς ἀποδειχθείσης νομίμου, τῆς ἀποβολέως συναινέσεως, προσώπῳ εἰδήμονι ἐπιτρεψάτω τὴν πραγματείαν ὁ ἀποβληθεὶς, ἢ πρὸς τὸν ὑπέρτερον ἀποστειλάτω, ἵνα ἐν αὐτῷ ἐκεῖνος προβῇ καθὼς ἂν εἴη προβησόμενον.

Ἤτοι τοῦ προσκληθέντος εἰς τὸ ἐκκλήτου ἀντίστημα ἀνελθόντος, ἐὰν ὑπέρβασις αὐτοῦ, τῇ φανερώσει τοῦ πράγματος, ἢ τῇ αὐτοῦ ὁμολογίᾳ, ἢ ἄλλῳ τρόπῳ φανερωθείη, ἐπεὶ τῆς ἐκκλήτου ἡ παρηγορία [τῆς ἀκακίας] οὐκ ἔστιν εἰς διεκδίκησιν ἀδικίας, ἀλλ' εἰς βοήθειαν ἀθωότητος διατεταγμένον, " τῇ τοιαύτῃ προκλήσει οὐχ ὑπείκει. τῆς ὑπερβάσεως δὲ ἀμφιβόλου τυγχανούσης, ἵνα μὴ ἀκαίρου ἐκκλήτου διαφυγῇ ὁ ἐκκλητεύων τὴν τοῦ κριτοῦ πρόβασιν ἐμποδίσῃ, ἔμπροσθεν αὐτοῦ τὴν ἀποδεικτικὴν αἰτίαν τῆς ἐκκλήτου ἐκθέσθω· τοιαύτην δηλαδὴ, ἥτις εἰ ἀποδειχθείη, ὤφειλε νόμιμος λογισθῆναι. καὶ τότε ἐὰν ἔχῃ ἀντίδικον, " κατὰ τὸ τῶν τόπων διάστημα, τοῦ καιροῦ τὴν ποιότητα, καὶ τὴν φύσιν τῆς πραγματείας παρὰ τοῦ αὐτοῦ κριτοῦ συμμετρήσοντες, τὴν μεσολαβοῦσαν ἔκκλητον διωξάτω· ἣν εἰ διώκειν οὐ φροντίσειεν, τότε ὁ κριτὴς μὴ ἀνθισταμένης τῆς ἐκκλήτου προβήτω. μηδενὸς δὲ ἀντιδίκου φανέντος, ἐπεὶ ὁ κριτὴς προβαίνει ἐκ τοῦ ἰδίου ὀφφικίου, τῆς ἐκκλήτου αἰτίας ἔμπροσθεν ὑπερτέρου ἀποδειχθείσης, ὁ ὑπέρτερος τῷ τῆς αὐτοῦ δικαιοδοσίας ὀφφικίῳ ἐξακολουθείτω. ἀλλὰ ἐὰν ὁ ἐκκλητεύων ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκκλήτῳ ἐπιλείψῃ, πρὸς αὐτὸν παρ' οὗ αὐτὸν πονηρῶς ἐκκλητεῦσαι ἀποδειχθήσεται, μεταστραφήτω.

Ἕτερον ταύτας τὰς δύο διατάξεις τὰς προσταλείσας, οὐ θέλομεν εἰς τοὺς κανονικοὺς ἐκτείνεσθαι, κατὰ τὴν πνευματικῶν αὐτῶν παρατηρήσεων.

abundant voces duæ uncinis inclusæ.

" Corr. διαπιπτ[ει]μένη.

" deest infra terminum. Latina non reddit.

μθ'. Ἵνα μή τις αἰτίᾳ πλεονεξίας ἀποκοινωνήσῃ ἢ λύσῃ.

Ὑπὸ διορισμῷ θείας κρίσεως παντελῶς ἀφορίζομεν ἵνα αἰτίᾳ πλεονεξίας μηδεὶς τολμήσῃ ἀποκοινωνήσεως δεσμῷ τινὰ συνδέειν, ἢ ἀπολύειν δεδεμένον· ἐν ἐκείναις μάλιστα ταῖς περιχώροις, ἐν αἷς ἐκ συνηθείας ἐστὶν, ὅταν ὁ ἀποκοινωνηθεὶς ἀπολύεται, χρηματικῇ ποινῇ προστιμᾶται· καθιστῶντες ἵνα ὅταν ἡ τῆς ἀποκοινωνήσεως ἀπόφασις ἄδικος εἶναι ἀποδειχθείη, ὁ ἀποκοινωνητὴς εἰς τὸ ἀποκαταστήσειν τὸ οὕτως ἀπαιτηθὲν ἀργύριον διὰ κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς προσσφιχθήτω· εἰ μὴ ἀποδεικτικῇ πλάνῃ πλανηθῇ. καὶ το-

A ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis. Sciant quoque se ad id fideliter exequendum, ex injuncto a nobis in virtute obedientiæ, sub attestatione Divini judicii districto præcepto, teneri. Causa vero suspicionis legitima coram ipsis infra competentem terminum non probata, sua jurisdictione judex utatur. At ipsa probata legitima, de recusatoris assensu personæ idoneæ committat negotium recusatus, vel ad superiorem transmittat, ut in eo ipse procedat secundum quod fuerit procedendum.

B Porro commonito ad appellationem " convolante, si ejus excessus, evidentia rei, vel ipsius confessione, aut alio modo, legitime " fuerit manifestatus, cum appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentiæ institutum, non est provocationi hujusmodi deferendum. Excessu quoque dubio existente, ne frivolæ appellationis diffugio appellans judicis processum impediat, coram eodem probabilem causam appellationis exponat, talem videlicet, quæ si foret probata, deberet legitima reputari. Et tunc, si habuerit adversarium, infra terminum, secundum locorum distantiam, & temporis qualitatem, C & naturam negotii, ab eodem judice moderandum, appellationis " causam prosequatur: quam si prosequi non curaverit, extunc ipse judex, nonobstante appellatione, procedat. Nullo autem adversario comparente, cum ex suo judex procedat officio, appellationis causa corã superiore probata, superior suæ jurisdictionis officiũ exequatur. Sed si appellãs in ejus probatione defecerit, ad eũ, a quo ipsum maD litiose appellasse constiterit, remittatur.

Cæterum has duas constitutiones præmissas nolumus ad regulares extendi, " qui suas habent observantias speciales.

" Maz. & Dacher. appellationis obstaculũ

" Dacher. legitimo

" Maz. & Dacher. appellationẽ interpositã

" MS. Maz. Cõtra suas obs. spirituales. Dacher. cõtra suas obs. spec.

XLIX. *De pœna excommunicationis injusta.*

Sub interminatione Divini judicii penitus interdicimus, ut causa cupiditatis nullus audeat excommunicationis vinculo aliquem innodare, vel absolvere innodatum: in illis maxime regionibus, in quibus ex consuetudine, cum excommuniE catus absolvitur, pecuniaria pœna mulctatur: statuentes ut cum excommunicationis sententiam injustam fuisse constiterit, excommunicator ad restituendam pecuniam sic extortam per censuram ecclesiasticam compellatur: &, nisi probabili fuerit errore deceptus, tantumdem

" MS. Maz. Ne causa cupiditatis aliquis excommunicet vel absolvat.

ANNO CHRISTI 1215.

dem injuriam passo persolvat: &; si forte solvendo non fuerit, animadversione alia castigetur.

ᵒMS. Maz. De affinitate secundi & tertii generis, & revocatione graduũ.

L. *De restricta prohibitione matrimonii.*

Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varientur humana, præsertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit: quoniam ipse Deus ex iis, quæ in veteri testamento statuerat, nonnulla mutavit in novo.

Cum igitur prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex secundis nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, & difficultatem frequenter inducant, & aliquando periculum pariant animarum: ut cessante prohibitione cesset effectus, constitutiones super hoc editas, sacri approbatione concilii revocantes, præsenti constitutione decernimus, ut sic contrahentes de cætero libere copulentur.

Prohibitio quoque copulæ conjugalis, quartum consanguinitatis & affinitatis gradum de cætero non excedat: quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest absque gravi dispendio hujusmodi prohibitio generaliter observari. Quaternarius enim numerus bene congruit prohibitioni conjugii corporalis, de quo dicit Apostolus, quod *vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier: neque mulier habet potestatem sui corporis, sed vir*: quia quatuor sunt humores in corpore, quod constat ex quatuor elementis.

1. Cor. 7.

Cum ergo jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restricta: eam ita esse volumus perpetuam, non obstantibus constitutionibus super hoc dudum editis, vel ab aliis, vel a nobis, ut si qui contra prohibitionem hujusmodi præsumpserint copulari, nulla longinquitate defendantur annorum: cum diuturnitas temporum non minuat peccatum, sed augeat: tantoque graviora sint crimina, quanto diutius infelicem detinent animam alligatam.

MS. Maz. De clandestinis matrimoniis.

LI. *De pœna contrahentium clandestina matrimonia.*

Cum inhibitio copulæ conjugalis, sit in tribus ultimis gradibus revocata: eam in aliis volumus districte observari. Vnde prædecessorum nostrorum inhærendo vestigiis, clandestina conjugia

A σῦτον τῷ ἀδικηθέντι ἀποφλησάτω· καὶ ἐὰν ἴσως οὐκ ἀποφληθῇ, κατανοήσῃ ἄλλῃ σωφρονιζέσθω.

ν΄. Περὶ ἀγχιστείας δευτέρας καὶ τρίτης γενεᾶς· καὶ ἀνακλήσεως τῶν βαθμῶν.

Οὐ χρὴ μεμπτὸν κρίνεσθαι ἐὰν κατὰ τὴν ποικιλίαν τῶν καιρῶν αἱ καταστάσεις ποτὲ ποικιλωθῶσιν· ὅταν μάλιστα ἡ ἀνθρωπίνη ἐγερθεῖσα ᵃ ἀνάγκη ἢ προνοητικὴ ὠφέλεια τοῦτο ἐκζητεῖ· ὅτι αὐτὸς ὁ θεὸς ἐκ τούτων ἐν τῇ παλαιᾷ διαθήκῃ κατασταθέντων ἔνια μετήμειψεν ἐν τῇ καινῇ.

ᵃ Gr. interpres legebat, surgens necessitas, aut providens necess.

B Ἐπεὶ τοίνυν αἱ κωλύσεις αἱ περὶ συζυγίας καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ καὶ τρίτῳ τῆς ἀγχιστείας γένει μηδαμῶς συναλλαγησομένῳ ᵇ καὶ περὶ γονῆς συλληφθείσης ἐκ δευτερογαμίας συγγενείᾳ τοῦ πρώτου ἀνδρὸς μὴ ζευχθησομένης, καὶ δυσκολίαν πολλάκις ἐνεισάγουσι, καὶ ποτὲ κίνδυνον γεννῶσι ψυχῶν· ἵνα παυούσης τῆς κωλύσεως, παύσῃ καὶ ἡ ἐντελεία, τὰς διατάξεις τὰς ἐπάνω τούτων ἐκτεθείσας, ἐπάνω τῆς ἱερᾶς συνόδου ἀνακαλούμενοι, τῇ παρούσῃ διατάξει κρίνομεν, ἵνα οὕτως συναλλάσσοντες τοῦ λοιποῦ ἐλευθέρως συζευχθῶσιν.

ᵇ scribere debuisset συναλλαγησομένης, videlicet συζυγίας. Retulit autem ad γένει, cum locum non satis intelligeret.

C Η κώλυσις δὲ τῆς συζύγου συναφείας, τῆς ὁμαιμότητος καὶ ἀγχιστείας ᶜ βαθμὸν τοῦ λοιποῦ μὴ ὑπερελθέτω· ἐπειδὴ τοῖς περαιτέρω βαθμοῖς ἤδη οὐ δύναται ἄνευ βαρείας ζημίας ἡ τοιαύτη κώλυσις γενικῶς φυλαχθῆναι· ὁ τέταρτος γὰρ ἀριθμὸς ἢ βαθμὸς καλῶς συμφέρει τῇ ἀποδείξει ᵈ τῆς σωματικῆς συζυγίας περὶ ἧς λέγει· ὅτι ὁ ἀνὴρ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν τοῦ ἰδίου σώματος, ἀλλ᾽ ἡ γυνή· ἀλλ᾽ οὐδὲ ἡ γυνὴ ἔχει ἐξουσίαν τοῦ ἰδίου σώματος, ἀλλ᾽ ὁ ἀνήρ· ὅτι τέσσαρες εἰσὶν χυμοὶ ἐν τῷ σώματι, οἵτινες συνίστανται ἐκ τεσσάρων στοιχείων.

ᶜ deest τέταρτον

ᵈ Gr. interpres legebat, probationi; ut & scriptū est in Latino ejusdem codicis.

D Ἐπειδὴ οὖν ἤδη ἕως εἰς τέταρτον ἡ κώλυσις τῆς συζευκτικῆς συναφείας περιέσφιγκται· αὐτὸν οὕτως θέλομεν εἶναι διηνεκῆ, μὴ ἀνθισαμένων τῶν .... τῶν ἐπάνω τούτου ἤδη ἐκτεθέντων ἢ παρ᾽ ἄλλων ἢ παρ᾽ ἡμῶν· ἵνα ἐὰν τινὲς κατὰ τῆς τοιαύτης κωλύσεως τολμήσωσι συζευγνυσθαι, μηδεμιᾶς μακρότητος διεκδικηθήτωσαν ἐνιαυτῶν· ἐπεὶ ἡ μακροχρονία οὐ μειοῖ τὴν ἁμαρτίαν, ἀλλὰ αὔξει· καὶ τοσούτῳ βαρύτερα εἰσὶ τὰ κρίματα, ὅσῳ χρονιώτερον τὴν ἀθλίαν ἐπικρατοῦσι ψυχὴν συνδεδεμένην.

E

λα΄. Περὶ κρυφίων συνοικεσίων.

Ἐπειδὴ ἡ κώλυσις τῆς συζευκτικῆς συναφείας ἐν τοῖς τρισὶν ἐσχάτοις βαθμοῖς ἀνεκλήθη· αὐτὴν ἐν τοῖς ἄλλοις θέλομεν σφικτῶς φυλάττεσθαι. ὅθεν τοῖς τῶν προηγητόρων ἡμῶν ἑπόμενοι ἴχνεσιν, τὰ κρύφια συνοικέσια

ANNO CHRISTI 1215.

" Hunc locum vel nō intellexit Græcus interpres; vel male legit. Et vero Latina e regione sic habēt: quasi specialem quorundā consuetudinē ad aliam generaliter prorog.

παντελῶς κωλύομεν· ἀπαγορεύοντες μᾶλλον ἵνα μή τις ἱερεὺς τοῖς τοιούτοις παρεῖναι τολμήσῃ, ὥσει " τινῶν εἰδικὴν συνήθειαν εἰς ἄλλων γενικῶς προσκεύων. καθιστῶμεν ἵνα ὅταν τὰ συνοικέσια συναλλαχθῶσιν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις, δημοσίως διὰ τῶν ἱερέων προτεθῶσιν, αὐτάρκους διωρίας προορισθείσης· ἵνα ἔσω ἐκείνης ὁ θελήσων καὶ ἰσχύσων νόμιμον ἐμπόδιον προθήσεται· καὶ οἱ αὐτοὶ ἱερεῖς οὐχ ἧττον ἀνιχνεύοιεν πότερόν τι ἐμπόδιον ἀνθίσταται· ὅταν δὲ ἀποδεικτικὴ φανῇ προσβολὴ κατὰ τῆς συναλλαχθησομένης συναφείας, τὸ συνάλλαγμα ἀφοριζέσθω ῥητῶς· ἕως οὗ εἴ τι δ' ἂν γίνεσθαι δέῃ ἐπ' αὐτοῦ, φανεροῖς κατασταθῇ διδάγμασιν.

A penitus inhibemus: prohibentes etiam ne quis sacerdos talibus interesse præsumat. Quare specialem quorumdam locorum consuetudinem ad alia generaliter prorogando: statuimus ut, cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur, competenti termino præfinito, ut infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat. Et ipsi presbyteri nihilo minus investigent, utrū aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur B expresse, donec quid fieri debeat super eo manifestis constiterit documentis.

" Corr. ἀφωρισμένων.

" Corr. πάνυ.

" In Mazarino, latine est inlegitima. Interpres vero divisim legens in legitima, vertit ἐν νομίμῃ. at emendavit, superscripsitque ἄνομος.

" Corr. προσποιηταί.

Εἰ δέ τις τῶν τοιουτοτρόπων κρυφίων ἀφορισμῶν " συνοικεσίων κατάρξασθαι τολμήσει, ἐν βαθμῷ κεκωλυμένῳ, καίπερ ἠγνοημένως· ἡ γονὴ ἐκ τῆς τοιαύτης συναφείας συλληφθεῖσα, πάλιν " ἄνομος " κριθήτω, ἐκ τῆς τῶν γονέων ἀγνοίας μηδεμίαν ἔχουσα βοήθειαν· ἐπειδὴ ἐκεῖνοι οἱ οὕτως συναλλάσσοντες οὐκ ἄμοιροι γνώσεως, ἢ καὶ προσπαθηταὶ " ἀγνοίας, τεθέανται. ὁμοίῳ τρόπῳ αἱ γοναὶ ἄνομοι κριθήτωσαν, ἐὰν ἄμφω οἱ γονεῖς τὸ νόμιμον γινώσκοντες ἐμπόδιον, ἄνευ τινὸς ἀφορισμοῦ κἂν ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας συναλλάσσειν τολμήσωσιν.

Si qui vero hujusmodi clandestina vel interdicta conjugia inire præsumpserint in gradu prohibito, etiam ignoranter: soboles de tali conjunctione suscepta, prorsus illegitima censeatur, de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum illi taliter contrahendo non expertes scientiæ, vel saltem affectatores ignorantiæ, videantur. C Pari modo illegitima proles censeatur, si ambo parentes, impedimentum scientes legitimum, præter omne interdictum in conspectu ecclesiæ contrahere præsumpserint.

Οὕτως ὁ ἐνορίτης ἱερεὺς ὁ τὰς τοιαύτας συζυγίας κωλύειν καταφρονήσων, εἴ τις δ' ἂν ἄλλος ἀσκητικὸς ὁ ταύταις τολμήσων παρεῖναι, διὰ τριετίας ἐκ τοῦ ὀφφικίου ὑποκρεμάσθω· βαρύτερον τιμωρηθησόμενος, ἐὰν ἡ τῆς πτώσεως ποιότης αἰτήσῃ. ἀλλὰ καὶ τοῖς οὕτω ζευγνύειν τολμήσουσι, κἂν ἐν βαθμῷ τῷ προρρήτῳ ὑπεξειρημένῳ ἀξία ποινὴ προστεθείτω. εἰ δέ τις εἰς τὸ ἐμποδισθῆναι τὴν νόμιμον συζυγίαν πονηρὸν ἐμπόδιον προσρίψῃ, τὴν ἐκκλησιαστικὴν μὴ ὑπεκφύγοιτο ἄμυναν.

Sane parochialis sacerdos qui tales conjunctiones prohibere contēpserit, aut quilibet etiam regularis qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & iis, qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu D concesso ", condigna pœnitentia injungatur. Si quis autem ad impediendū legitimā copulā malitiose impedimentū objecerit, ecclesiasticā non effugiet ultionē.

" Ms. Maz. in gradu pristino excepto

νβʹ. Περὶ μαρτυρίας ἐν συνοικεσίῳ ἀπὸ θέας προσδεχθησομένης.

LII. *De testimonio de auditu reprobando in causa matrimonii.*

MS. Maz. De testimonio in matrimonio de visu recipiendo.

" Mendose scriptū erat οἱ κἂν.

Εἰ καὶ " ἔκ τινος ἀνάγκης παρὰ τὸν κοινὸν τύπον ἤδη συνεστάθη ἵνα ἐν τοῖς τῆς ὁμαιμότητος καὶ ἀγχιστείας βαθμοῖς ἀριθμουμένοις μαρτυρία ἐξ ἀκοῆς .... ἐπειδὴ διὰ τὴν βραχεῖαν τῶν ἀνθρώπων ζωὴν μάρτυρες ἐκ θέας παραθεῖναι οὐκ ἂν ἠδύναντο, ἕως εἰς βαθμοὺς ἑπτὰ μετροῦντες· ὅτι τέως πολλοῖς ὑποδείγμασι καὶ βεβαίοις τεκμηρίοις ἐμάθομεν, ἐκ τούτου πολλοὺς κινδύνους κατὰ νομίμων συζυγιῶν προεληλυθέναι, καθιστῶμεν ἵνα μὴ ἐπὶ τούτου προσδεχθῶσι τοῦ λοιποῦ οἱ μάρτυρες ἐξ ἀκοῆς ἐν τῷ ἤδη τὸν τέταρτον βαθμὸν τὴν κώλυσιν μὴ ὑπερβῆναι· εἰ μὴ πρόσωπα βαρέα ὦσιν, οἷς ἡ πίστις ἀξίως παρασχεθείη, καὶ περὶ τῆς κινουμένης δίκης μεμαρτυρημένα μάθοιεν παρὰ τῶν ἀρ-

Licet ex quadam necessitate præter communem formam alias fuerit institutum, ut in consanguinitatis & affinitatis gradibus computandis valeret testimo- E nium de auditu, cum propter brevem hominum vitam testes de visu deponere non valerent usque ad gradum septimum cōputando: quia tamen pluribus exemplis & certis experimentis didicimus, ex hoc multa pericula contra legitima conjugia provenisse, statuimus ne super hoc recipiantur testes de cætero de auditu, cum iam quartum gradum prohibitio non excedat: nisi personæ graves extiterint, quibus fides merito sit adhibenda, & ante motam litem testificata didicerint ab antiquio-

ANNO CHRISTI 1215.

tiquioribus quidem ſuis, non utique uno, cum non ſufficeret ille, ſi viveret, ſed duobus ad minus: nec ab infamibus & ſuſpectis, ſed a fide dignis, & omni exceptione majoribus: cum ſatis videretur abſurdum, illos admitti quorum repellerentur autores ". Nec tamen ſi unus a pluribus, vel infamis " ab hominibus bonæ famæ acceperint quod teſtentur: tamquam plures & idonei teſtes debent admitti: cum etiam ſecundum ſolitum ordinem judiciorum, non ſufficiat unius teſtis aſſertio, etiamſi præſidali dignitate præfulgeat; & actus legitimi ſint infamibus interdicti.

" MS. Maz. actiones. Dacher. autoritates.
" Maz. & Dacher. infames

Teſtes autem hujuſmodi, proprio juramento firmantes, quod ad ferendum in cauſa ipſa teſtimonium, odio, vel timore; vel amore, vel commodo non procedant, perſonas expreſſis nominibus, vel demonſtratione, ſive circumlocutione ſufficienti, deſignent, & ab utroque latere clara computatione gradus ſingulos diſtinguant: & in ſuo nihilo minus juramento concludant, ſe accepiſſe a ſuis majoribus quod deponunt, & credere ita eſſe. Sed nec tales ſufficiant, niſi jurati " deponant, ſe vidiſſe perſonas ſaltem in uno prædictorum graduum conſtitutas pro conſanguineis ſe habere. Tolerabilius eſt enim aliquos contra ſtatuta hominum copulatos dimittere; quam conjunctos legitime contra ſtatuta Domini ſeparare.

" MS. Maz. pariter parati

MS. Maz. De decimis prædiorũ.

LIII. *De his qui prædia ſua in fraudem decimarum dant aliis excolenda.*

In aliquibus regionibus quædam permixtæ ſunt gentes, quæ ſecundum ſuos ritus decimas de more nõ ſolvunt, quamvis cenſeantur nomine Chriſtiano. His nonnulli domini prædiorum ea tribuunt excolenda, ut decimis defraudantes eccleſias, majores inde reditus aſſequantur. Volentes igitur ſuper his eccleſiarum indemnitatibus providere, ſtatuimus ut ipſi domini talibus perſonis, & taliter, ſua prædia excolenda committant, quod abſque contradictione decimas eccleſiis cum integritate perſolvant; & ad id, ſi neceſſe fuerit, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Illæ quippe decimæ neceſſario ſunt ſolvendæ, quæ debentur ex lege Divina, vel loci cenſuetudine approbata.

MS. Maz. Ne cenſus & tributa decimis præponantur.

LIV. *Ut decimæ ante tributa ſoluantur.*

Cum non ſit in homine quod ſemen

A ἀρχαιότερον μὲν αὐτῶν, οὐ μέντοι γε παρ' ἑνός, διὰ τὸ μηδὲ ἰσχύειν ἐκεῖνον εἴπερ καὶ ἔζη· ἀλλὰ παρὰ δύο τὸ ἐλάττιον· οὐδὲ παρ' ἀτίμων καὶ ὑπόπτων, ἀλλὰ παρὰ ἀξιοπίστων, καὶ πάσης ὑπεξαιρέσεως μειζόνων· ἐπείπερ ἄλλως ἂν τεθεώρητο ἄτοπον, ἐκείνους εἰς μαρτυρίαν δέχεσθαι, ὧν ἀποδιοῦνται τὰ προακταῖα. οὔτε μὴν ἐὰν εἷς παρὰ πλειόνων, ἢ ἄτιμοι παρὰ ἀνθρώπων καλῆς φήμης δέξωνται ὅπερ μαρτυροῦσι, ὡς πλεῖστοι καὶ εἰδήμονες μάρτυρες ὀφείλουσι δέχεσθαι· ἐπεὶ κατὰ εἰθισμένην τάξιν τῶν κρίσεων οὐκ ἂν ἀρκέσειε τοῦ ἑνὸς μάρτυρος ἡ ἐξήγησις, κἂν προεδρικῇ ἀξίᾳ διαλάμψῃ, καὶ τοῖς ἀτίμοις εἰσὶ
B " νομίμου ἀφορισμοῦ.

Οἱ δὲ τοιουτότροποι μάρτυρες ἰδίῳ ὅρκῳ στερεοῦντες, ὅτι εἰς τὸ φέρειν τῇ αὐτῇ δίκῃ μαρτυρίαν, μίσει ἢ φιλίᾳ, φόβῳ ἢ ὠφελείᾳ οὐ προβαίνουσι, τὰ πρόσωπα ῥητοῖς ὀνόμασιν, ἢ ἐπιδείξει, ἢ περιλαλιᾷ ἱκανῇ διασημαινέτωσαν, καὶ ἀπὸ τοῦ ἀμφοτέρου πλευροῦ ἑκάστους βαθμοὺς καθαρῷ ἀριθμῷ διαστιξάτωσαν· καὶ ἐν τῷ ἰδίῳ οὐχ ἧττον ὅρκῳ περικλεισάτωσαν, ἑαυτοὺς προσειληφέναι ἀπὸ τῶν μειζόνων αὐτῶν ἅπερ παρατιθέασι, καὶ πιστεύειν οὕτως εἶναι. ἀλλὰ μηδὲ οἱ τοιοῦτοι
C ἀρκείτωσαν, εἰ μὴ ὁμοίως εὑρεθέντες παραθεῖεν ἑαυτοὺς ἑωρακέναι τὰ πρόσωπα, κἂν ἐν ἑνὶ τῶν προῤῥηθέντων βαθμῶν κατασταθέντα, διὰ ὁμαίμονας ἑαυτοὺς ἔχειν. ἀνεκτότερον γὰρ ἐστὶ τινὰς τῶν ἀνθρώπων κατὰ τῶν διατάξεων συνημμένους ἐᾶσαι, ἢ τοὺς συνεζευγμένους κατὰ τῶν διατάξεων τοῦ κυρίου χωρίζειν.

" Nullus ſeſus. Forte νόμιμα ἀφωρισμένα. Ita enim loqui ſolet.

νγ΄. Περὶ δεκάτων κτημάτων.

Ἔν τισι περιχώροις τινὰ σύμμικτα εἰσὶν ἔθνη, ἅπερ κατὰ τοὺς τύπους αὐτῶν δεκάτας
D ἐξ ἔθους οὐκ ὀφλοῦσι, κἂν κληθῶσι χριστιανικῷ ὀνόματι. τούτοις δέ τινες κύριοι κτημάτων αὐτὰ παρέχουσι γεωργηθησόμενα, ἵνα ἐκ τῶν δεκάτων ἀπατῶντες τὰς μείζους " ἐκκλησίας, ἐκεῖθεν τὰς προσόδους κερδάνωσι. θέλοντες τοιγαροῦν ἐπάνω τούτων τῶν ἐκκλησιῶν τοῖς προεστῶσιν ἀζημίας προνοεῖν· καθιστῶμεν ἵνα οἱ αὐτοὶ κύριοι τοιούτοις προσώποις καὶ τοιούτως τὰ ἑαυτῶν κτήματα χωρίων γεωργηθησόμενα ἐπιθήσουσιν, ὡς ἂν χωρὶς ἀντιλογίας τὰς δεκάτας ταῖς ἐκκλησίαις μετὰ τελειότητος ἀποφλήσοιεν, καὶ εἰς τοῦτο, εἰ ἀναγκαῖον ἔσται, διὰ κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς
E περισφιχθήτωσαν. ἐκεῖναι μέντοι αἱ δεκάται ἀναγκαίως ἀποφλοῦνται, αἱ ὀφειλόμεναι ἐκ νόμου θείου, ἢ τόπου συνηθείας ἐπαινετῆς.

" Vox μείζους reiicienda eſt poſt duas ſequentes, ut referatur ad προσόδους.

νδ΄. Ἵνα μὴ οἱ κῆνσοι καὶ τὰ τέλη τῶν δεκάτων προτεθῶσιν.

Ἐπειδὴ οὐκ ἂν εἴη τι ἐν τῷ ἀνθρώπῳ τὸ σπέρμα

τῷ

ANNO CHRISTI 1215.

τῷ σπείροντι ἀπολογηθησόμενον, ὅτι κατὰ τὸ ῥητὸν τοῦ ἀποστόλου, οὔτε ὁ φυτεύων ἐστί τι, οὔτε ὁ ποτίζων, ἀλλ' ὁ αὐξάνων Θεὸς, αὐτοῦ μὲν ἀποθανόντος σπέρματος πλείονα καρπὸν φέρει· λίαν φειδωλικῶς τινὲς ἐν ταῖς δεκάταις ἀπατᾷν βιάζονται, τοὺς κήνσους καὶ τὰ τέλη τά ποτε ἀδεκάτιστα παρελθόντα, ἐκ τῶν ἐπικαρπίων πρότερον ἐκβάλλοντες. ἐπειδὴ δὲ εἰς σημεῖον καθολικῆς κυριότητος, ὡς δῆθεν τινὶ τίτλῳ εἰδικῷ ὁ κύριος ἑαυτῷ τὰς δεκάτας ἐφύλαξεν. ἡμεῖς καὶ ἐν * ταῖς τῶν ἐκκλησιῶν ζημίαις καὶ τοῖς τῶν ψυχῶν κινδύνοις ἀνθισταμένων " θέλοντες, καθιστῶμεν ἵνα εἰς τὸ ἐξαίρετον τοῦ γενικοῦ κυρίου ἀπαίτησιν τῶν τελεσμάτων καὶ κήνσων προβῇ ἀπόφλησις τῶν δεκάτων· ἢ κἂν οὗτοι πρὸς οὓς ἂν οἱ κῆνσοι καὶ τὰ τέλη ἀδεκάτιστα περιέλθοιεν, ἐπεὶ τὸ πρᾶγμα μετὰ τοῦ βάρους αὐτοῦ διέρχεται, αὐτὰ διὰ κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς δεκατεύειν περισφιχθῶσι ταῖς ἐκκλησίαις αἷς ἐκ δικαίου ὀφείλονται.

* Dele ἐν

" Corr. ἀνθίστασθαι

ferenti respondeat, quoniam, juxta verbum Apostoli: *Neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus:* ipso quidem de mortificato semine plurimum fructum afferente: nimis avare in decimis quidam defraudare nituntur, cēsus & tributa, quæ interdum indecimata prætereuntur, de frugibus & " primitiis educentes. Cum autem in signum universalis dominii, quasi quodam titulo speciali sibi Dominus decimas reservaverit: nos & ecclesiarum dispendiis & animarum periculis obviare volentes, statuimus, ut in prærogativa dominii " generalis exactionem tributorum & censuum præcedat solutio decimarum: vel saltem hi, ad quos census & tributa indecimata pervenerint, quoniam res cum onere suo transit, ea per censuram ecclesiasticam decimare cogantur ecclesiis quibus jure debentur.

1. Cor. 3.

"MS. Maz. ipso q. mort. semine pl fr. affert: *ut sensus sit*: sed qui incr. dat Deus &c. pl. fr. affert.

" *Maz. & Dacher.* de fr. primitus educētes & sic Græce.

" *Gr. interpres legebat* domini.

νέ. Περὶ δεκάτων ἀπὸ τοῦ νῦν παρὰ τῶν ἡγουμένων δοθησομένων.

Νεωστὶ οἱ ἡγούμενοι τῆς κιστελλ....... τάξεως ἐν τῇ γενικῇ συνόδῳ συναχθέντες, πρὸς τὴν παραίνεσιν ἡμῶν προνοητικῶς ἔστησαν, ὅπερ τοῦ λοιποῦ οἱ ἀδελφοὶ τῆς αὐτῆς τάξεως

....

....

....

....

....

....

....

ἵνα μὴ αἰτίᾳ τῶν ἰδίων προνομίων πλέον τῇ ἐκκλησίᾳ βαρυνώσιν ἐκ τῶν ἀλλοτρείων χωραφίων, καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν προσκτηθησομένων, ἐὰν αὐτὰ ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἢ ἀναλώμασιν γεωργήσωσι, δεκάτας ἀποφλήσωσι ταῖς ἐκκλησίαις, αἷς ἐκ δικαίου τῶν προῤῥηθέντων * πρότερον ἀπωφλοῦντο· εἰ μὴ μετ' αὐτῶν τῶν ἐκκλησιῶν ἄλλως συνθήσουσιν. ἡμεῖς τοίνυν ταύτην τὴν κατάστασιν κεχαρισμένην καὶ βεβαίαν ἔχοντες, τοῦτο αὐτὸ πρὸς τοὺς ἄλλους ἀσκητικοὺς τοὺς χαίροντας τοῖς ὁμοίοις προνομίοις ἐκτείνεσθαι θέλομεν, καὶ ἐπιτέλλομεν ἵνα οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες ἐπιῤῥεπέστεροι καὶ ἐντελέστεροι ὦσιν εἰς τὸ παρασχεθῆναι αὐτοῖς ἐκ τῶν ἰδίων κακοποιῶν δικαιοσύνης ἐκπλήρωσιν, τὰ ἑαυτῶν προνόμια ἀκριβέστερον καὶ τελειότερον δῶσι * φυλάττεσθαι.

* Legebat prædictorum, non prædiorū.

LV. *Ut de terris acquirendis, non obstantibus privilegiis, decimæ dentur.*

"MS. Maz. De decimis amodo ab abbatibus dandis.

Nuper abbates Cisterciensis ordinis, in generali capitulo congregati, ad commonitionem nostram provide statuerunt, ne de cætero fratres ipsius ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debentur " ecclesiis, nisi forte pro monasteriis noviter fundandis. Et si tales possessiones eis fuerint pia fideliū devotione collatæ, aut emptæ pro monasteriis de novo fundandis, cōmittant excolendas aliis, a quibus ecclesiis decimæ persolvantur, ne occasione privilegiorum suorum ecclesiæ ulterius prægraventur. Decernimus ergo, ut de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus deinceps excoluerint, decimas persolvant ecclesiis, quibus ratione prædiorum antea solvebantur, nisi cum ipsis ecclesiis aliter duxerint componendum. Nos ergo statutum huiusmodi gratum & ratum habentes, hoc ipsum ad alios regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus: & mandamus ut ecclesiarum prælati proniores & efficaciores existant ad exhibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complementum, eorumque privilegia diligentius & perfectius studeant observare.

" *Dacher.* dabantur

νϛʹ. Περὶ πάκτου τινῶν ἐν ταῖς δεκάταις γεγενημένου.

Πλεῖστοι, καθὼς ἐλάβομεν, ἀσκητικοὶ καὶ κληρικοὶ κοσμικοὶ ποτὲ ὅταν ἢ οἴκους

LVI. *Ne propter pactum aliquorum amittat decimas presbyter parochialis.*

"MS. Maz. De pacto quorumdā in decimis facto.

Plerique, sicut accepimus, regulares & clerici sæculares, interdū cum vel domos locant

ANNO CHRISTI 1215.

locant, vel feuda concedunt, in præjudicium parochialium eccleſiarum pactum adjiciunt, ut conductores & feudatarii decimas eis ſolvant, & apud eoſdem eligant ſepulturam. Cum autem id de avaritiæ radice procedat, pactum hujuſmodi penitus reprobamus: ſtatuentes, ut quidquid fuerit occaſione hujuſmodi pacti perceptum, eccleſiæ parochiali reddatur.

A μισθώσωσιν ἢ φία στέρξωσιν, εἰς πρόκειμα τῶν ἐνοριτικῶν ἐκκλησιῶν σύμφωνον προστιθέασιν, ἵνα οἱ ἐκμισθωταὶ καὶ συμφιῶται δεκάτας ἀποπληρώσωσι καὶ παρ' αὐτοῖς ἐκλέξωσι ταφήν. ἐπεὶ δὲ τοῦτο ἐκ ῥίζης πλεονεξίας προέρχεται, τὸ τοιοῦτον πάκτον σύμφωνον παντελῶς ἀποδοκιμάζομεν· καθιστῶντες, ἵνα εἴ τι δ' ἂν αἰτίᾳ τῆς τοιαύτης συμφώνου ληφθείη, τῇ ἐνοριτικῇ ἐκκλησίᾳ στραφῇ.

MS. Maz. De expoſitione quorumdã dictoiũ, quæ in quibuſdam privilegiis continentur.

LVII. *De interpretandis privilegiorum verbis.*

νζ. Περὶ ἐπεξηγήσεως τινῶν λόγων τῶν ἔν τισι προνομίων περιεχομένων.

B

Vt privilegia quæ quibuſdam religioſis perſonis Romana conceſſit eccleſia permaneant inconvulſa: quædam in eis declaranda duximus, ne minus ſane intellecta pertrahant ad abuſum, propter quem merito poſſint revocari: quia privilegia meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate.

Ἵνα τὰ προνόμια ἅπερ τισὶ θρησκοῖς προσώποις ἡ Ῥωμαϊκὴ ἔστερξεν ἐκκλησία, διαμείνωσιν ἀπαρασάλευτα· τινὰ τῶν ἐν αὐτοῖς ἡγησάμεθα τρανωθῆναι· ἵνα μὴ ἔλαττον νοηθέντα ἑλκύσωσιν εἰς παράχρησιν, δι' ἧς δυνήσαιντ' ἂν ἀξίως τραπῆναι· ὅτι τὸ προνόμιον ἀξιοῦται ἀπόλλειν, ὁ τῇ προσταλήσει " ἑαυτῷ παρεχομένος ἐξουσίᾳ. " Legebat præmiſſa.

Sane quibuſdam regularibus ſedes apoſtolica indulſit, ut iis, qui eorum fraternitatem aſſumpſerint, ſi forſan eccleſiæ, ad quas pertinent, a Divinis fuerint officiis interdictæ, ipſoſque mori contingat, ſepultura eccleſiaſtica non negetur, niſi excommunicati, vel nominatim fuerint interdicti: ſuoſque confratres, quos eccleſiarum prælati apud eccleſias ſuas non permiſerint ſepeliri, niſi excommunicati vel interdicti fuerint nominatim, ipſi ad eccleſias ſuas deferant tumulandos. Hoc autem de illis confratribus intelligimus, qui vel adhuc manentes in ſæculo, eorum ordini ſunt oblati, mutato habitu ſæculari; vel qui eis inter vivos ſua bona dederunt, retento ſibi quamdiu in ſæculo vixerint uſufructu: qui tamen ſepeliantur apud ipſorum regularium vel aliorum non interdictas eccleſias, in quibus elegerint ſepulturam: ne ſi de quibuſlibet ipſorum fraternitatem aſſumentibus fuerit intellectum, pro duobus aut tribus denariis annuatim ſibi collatis diſſolvatur pariter & vileſcat eccleſiaſtica diſciplina. Certam tamen & ipſi remiſſionem obtineant ab apoſtolica ſibi ſede conceſſam.

MS Maz. tantum

Ἤδη τισὶν ἀσκητικοῖς ὁ ἀποστολικὸς θρόνος προσεπάθησεν, ἵνα τούτοις τοῖς τὴν ἀδελφότητα αὐτῶν ἀναδεχομένοις, ἐὰν ἴσως αἱ ἐκκλησίαι πρὸς ἃς διαφέρουσιν, ἀπὸ τῶν θείων ὀφφικίων ἀφορισθῶσιν, αὐτούς τε τύχοι θανεῖν, C ἡ ἐκκλησιαστικὴ ταφὴ μὴ ἀρνείσθω· εἰ μὴ ἀποκεκοινωνημένοι, ἢ ὀνομαστὶ ὦσιν ἀφωρισμένοι· τοὺς ἰδίους τε συναδέλφους, οὓς οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες εἰς τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν οὐ παραχωρήσουσι θάπτεσθαι, εἰ μὴ ἀποκεκοινωνημένοι ἢ ἀφωρισμένοι ὦσιν ὀνομαστὶ, αὐτοὶ εἰς τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν φερέτωσαν θαψομένους. τοῦτο δὲ περὶ τῶν ἀδελφῶν ἐνοήσαμεν, οἵτινες ἢ μένοντες ἐν τῷ κόσμῳ, τῇ τάξει αὐτῶν ἀφιερώθησαν, ἀλλαχθέντος τοῦ κοσμικοῦ σχήματος, ἢ αὐτοῖς ἐν ζῶσι τὰ ἴδια ἀγαθὰ ἔδωκαν, ἐπικρατηθείσης αὐτοῖς ὅσον ἂν ἐν τῷ D κόσμῳ ζήσωσι τῆς ἐπικαρπίας· οἳ καὶ μόνον θαπτέσθωσαν εἰς τὰς αὐτῶν τῶν ἀσκητικῶν, ἢ ἄλλων μὴ κεκωλυμένας ἐκκλησίας, ἐν αἷς ἂν ἐκλέξωσι ταφήν· ἵνα μὴ, ἐὰν περὶ οἱωνδητινῶν αὐτῶν τῶν τὴν ἀδελφότητα ἀναλαμβανομένων νοηθείη, διὰ δύο ἢ τρία δηνάρια ἐτησίως αὐτοῖς συλλεγμένα, " διαλυθείη ὁμοίως καὶ ἐξουδενωθείη ἡ ἐκκλησιαστικὴ παίδευσις· βεβαίας τέως καὶ αὐτοὶ συγχωρήσεως ἐπιτευξάτωσαν παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ αὐτοῖς θρόνου στερχθείσης. " Legebat collectis, nõ collatis.

Illud etiã quod hujuſmodi regularibus eſt indultũ, ut ſi qui fratrum ſuorum, qui ab eis miſſi fuerint ad recipiendas fraternitates ſive collectas, in quamlibet civitatem, caſtellũ, vel vicum advenerint, ſi forte locus ille a Divinis ſit officiis interdictus in eorum jucundo adventu ſemel in anno aperiantur eccleſiæ, ut excluſis excommunicatis Divina ibi officia celebrentur: ſic intelligi volumus, quod in eadem civitate, aut caſtro, vel villa, una

E Αὐτὸ δὲ ὅπερ τοιουτοτρόπων * ἀσκητικῶν προσεπαθήθη, ἵνα ἐάν τινες τῶν ἀδελφῶν αὐτῶν οἱ σταλησόμενοι παρ' αὐτῶν εἰς τὸ λαβεῖν ἀδελφότητας, ἢ τὴν συλλογὴν, εἰς οἱανδήτινα πόλιν, καστέλλιον, ἢ χωρίον ἐπέλθοιεν, ἐὰν ἴσως ὁ τόπος ἐκεῖνος ἀπὸ τῶν θείων ὀφφικίων ἀφορισθῇ, ἐν τῇ αὐτῶν χρηστῇ ἐλεύσει ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἀνοιχθῶσιν αἱ ἐκκλησίαι, ἵνα τῶν ἀποκοινωνηθέντων ἀποκλεισθέντων τὰ θεῖα αὐτῶν " ὀφφίκια ἐπιτελεσθῶσι· οὕτω νοηθῆναι θέλομεν, ὅπως ἐν αὐτῇ τῇ πόλει, ἢ τῷ κάστρῳ, ἢ τῇ κώμῃ, " Corr. ἀντὶ θ.

ANNO CHRISTI 1215.

A μία τέως ἐκκλησία τῆς αὐτῆς τάξεως τοῖς ἀδελφοῖς ἅπαξ, ὡς εἴρηται, ἀνοιχθῇ ἐν τῷ ἐνιαυτῷ· ὅτι κἂν πληθυντικῶς ἐρρέθη, ἵνα τῇ αὐτῶν ἐλεύσει ἀνοιχθῶσιν αἱ ἐκκλησίαι, οὐχὶ τέως αἱ ἐκκλησίαι τοῦ αὐτοῦ τόπου διῃρημένως, ἀλλὰ τῶν προρρηθέντων τόπων συνεζευγμένως, ὑγιεῖ ἐξηγητέον συνέσει· ἵνα μὴ ἐὰν τούτῳ τῷ τρόπῳ τὰς ἑκάστας τοῦ αὐτοῦ τόπου ἐκκλησίας ἐπισκέψαιντο, πλεῖστον ἐξουδενεῖσθαι συμβαίη τὴν ἀπόφασιν τοῦ ἀφορισμοῦ· οἱ δὲ κατὰ τῶν ῥηθεισῶν διατρανώσεων τι ἑαυτοῖς τολμήσοντες ἀφαρπάσαι, βαρείᾳ ὑποκείσθωσαν ἀμύνῃ.

tantum ecclesia ejusdem ordinis fratribus, ut dictum est, semel aperiatur in anno: quia licet pluraliter dictum sit quod in eorum jucundo adventu aperiantur ecclesiæ, non tamen ad ecclesias ejusdem loci divisim, sed prædictorum locorum conjunctim, sano referendum est intellectu: ne si hoc modo singulas ejusdem loci ecclesias visitarent, nimium vilipendi contingeret sententiam interdicti. Qui vero contra declarationes præscriptas quidquam sibi præsumpserint usurpare, gravi subjaceant ultioni.

B

νή. Ἵνα οἱ ἐπίσκοποι ποτὲ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ταῖς δεσμευμέναις διατελεῖν δυνηθῇ [a] τὰ θεῖα.

[a] Corr. δυνηθῶσι

Ὅπερ τισὶν ἀσκητικοῖς προσεπαθήθη, εἰς προσπάθειαν τοῦ ἀρχιερατικοῦ ὀφφικίου, εἰς τοὺς ἐπισκόπους ἐκτείνοντες, στεργόμεθα, ἵνα ὅταν τὸ κοινὸν τῆς χώρας ἀφορισθείη, τῶν ἀποκεκοινωνημένων καὶ ἀφωρισμένων ἀποκλεισθέντων, δυνηθῶσι ποτὲ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων καὶ ὑποκλεισθείσῃ φωνῇ μὴ κεκρουσμένων τῶν καμπάνων ἐπιτελεῖν τὰ θεῖα· εἰ μὴ τοῦτο αὐτὸ ῥητῶς αὐτοῖς ἀφορισθῇ· τοῦτο δὲ ἐκείνοις στεργόμεθα τοῖς αἰτίαν τινὰ μὴ παρέχουσι τῷ ἀφορισμῷ· ὡς ἂν μή τι ἀπάτης ἐπιθῶνται, τὴν τοιαύτην ὠφέλειαν εἰς κακὴν ζημίαν ἐκβάλλοντες.

LVIII. *De eodem in favorem episcoporum.*

MS. Maz. Vt episcopi quandoque in ecclesiis interdictis celebrare possint Divina. *Dacher.* De interdicto.

Quod nonnullis est religiosis indultum, in favorem pontificalis officii ad episcopos extendentes, concedimus ut, cum commune terræ fuerit interdictum, excommunicatis & interdictis exclusis, possint quandoque januis clausis, suppressa voce, non pulsatis campanis, celebrare officia Divina, nisi hoc ipsum eis expresse fuerit interdictum. C Verum hoc illis concedimus qui causam aliquam non præstiterint interdicto, nec quidquam doli vel fraudis ingesserint; tale compendium ad iniquum dispendium pertrahentes.

νθʹ. Ἵνα μή τις χωρὶς τοῦ ἡγουμένου καὶ τοῦ μείζονος μέρους καπιτούλου ἐξ [b] ἀδείας ἐγγυήσηται.

[b] *Del.* ἐξ

Ὅπερ τισὶν ἀσκητικοῖς παρὰ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου κεκώλυται, θέλομεν καὶ ἐντελλόμεθα εἰς ἅπαντας ἐκτείνεσθαι, ἵνα μή τις δηλαδὴ χωρὶς τῆς τοῦ ἡγουμένου καὶ τοῦ μείζονος μέρους τοῦ καπιτούλου αὐτοῦ ἀδείας, ὑπέρ τινος ἐγγυήσηται, ἢ παρά τινος ἀργύριον δανεισθῇ, παρὰ τὴν ποιότητα τὴν τῇ κοινῇ προνοίᾳ συσταθεῖσαν. εἰ δὲ μήγε, μὴ κρατείσθω τὸ κοινόβιον ὑπὲρ τούτων τινὶ τρόπῳ ἀπολογεῖσθαι· εἰ μὴ ἴσως εἰς χρησίμευσιν τοῦ αὐτοῦ οἴκου φανερῶς ἀποδειχθείη ἐπιστρέφειν· καὶ ὃς κατὰ τοῦ τοιούτου τυπωθέντος ἐλθεῖν τολμήσῃ, βαρυτέρᾳ παιδεύσει ὑπο.......

LIX. *Quod nullus religiosus fideiubeat sine licentia abbatis & conventus.*

MS. Maz. Ne quis absque abbatis, & majoris partis capituli licentia fide jubeat.

Quod quibusdam religiosis a sede apostolica est prohibitum, volumus & mandamus ad universos extendi: ne quis videlicet religiosus absque abbatis & majoris partis sui capituli licentia, pro aliD quo fidejubeat, vel ab alio pecuniam mutuo accipiat ultra summam communi providentia constitutam. Alioqui non teneatur conventus pro his aliquatenus respondere, nisi forte in utilitatē domus ipsius manifeste constiterit redundasse: & qui contra statutum istud venire præsumpserit, graviori disciplinæ subdatur.

ξʹ. Ἵνα οἱ ἡγούμενοι τὰ ἐπισκοπικὰ δίκαια μὴ καθαρπάσωσι.

E Ἀναχθέντων πρὸς ἡμᾶς ἐκ διαφόρων τοῦ κόσμου μερῶν τοῖς τῶν ἐπισκόπων γογγυσμοῖς [c] ἐπεστέξαμεν ἐπαχθεῖς τινῶν ἡγουμένων ὑπερβάσεις, οἵτινες τοῖς ἰδίοις ὁρίοις μὴ ἀρκεσθέντες, χεῖρας εἰς ἐκεῖνα ἅπερ εἰσὶ τῆς ἐπισκοπικῆς ἐξουσίας ἐκτείνουσι, περὶ δικῶν συνοικεσιακῶν γινώσκοντες, προστιθέντες δημοσίας ἐπιτιμήσεις, στέργοντες προσπαθειῶν γράμματα, καὶ παρόμοια

[c] *Corr.* γογγυσμῶν

LX. *Vt abbates non extendant se ad officium episcopale [c].*

MS. Maz. Vt abbates jura episcopalia nō usurpent.

[c] *MS. Dach.* nisi quibus indultū est.

Accedentibus ad nos de diversis mundi partibus episcoporum querelis, intelleximus graves & grandes quorumdam abbatum excessus, qui suis finibus non contenti, manus ad ea quæ sunt episcopalis dignitatis extendunt, de causis matrimonialibus cognoscēdo, injungendo publicas pœnitentias, concedendo etiam indulgentiarum litteras, & similia præ-

ANNO CHRISTI 1215.

præſumendo, unde contingit interdum quod vileſcat epiſcopalis autoritas apud multos. Volentes igitur in iis & epiſcoporum dignitati & abbatum providere ſaluti, præſenti decreto firmiter prohibemus, ne quis abbatum ad talia ſe præſumat extendere, ſi proprium voluerit periculum evitare: niſi forte quiſquam eorum ſpeciali conceſſione, vel alia legitima cauſa, ſuper hujuſmodi valeat ſe tueri.

MS Maz. Ut regulares, ecclesias vel decimas de manu non recipiant laïcorum; neque excommunicatos vel interdictos, ad Divina.

LXI. *Ne religioſi recipiant decimas de manu laicali.*

In Lateranenſi[a] concilio noſcitur fuiſſe prohibitum, ne quilibet regulares eccleſias, ſeu decimas, ſine conſenſu epiſcoporum, de manu præſumant recipere laicali; nec excommunicatos vel nominatim interdictos admittant aliquatenus ad Divina. Nos autem id fortius inhibentes, tranſgreſſores condigna curabimus animadverſione puniri, ſtatuentes nihilo minus quatenus in eccleſiis, quæ ad ipſos pleno jure non pertinent, juxta ejuſdem ſtatuta concilii, epiſcopis inſtituendos presbyteros repræſentent, ut illis de plebis cura reſpondeant; ipſis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Inſtitutos vero removere non audeant epiſcopis inconſultis. Sane adjicimus, ut illos repræſentare procurent, quos vel converſatio reddit notos, vel commendat probabile teſtimonium prælatorum.

a Sub Alexādro III. cap. 9.

MS Maz. De reliquiis non vendendis, vel venerandis, niſi fuerint approbatæ. Et de modo indulgentiæ.

LXII. *Ne reliquiæ ſanctorum oſtendantur extra capſam; ne novæ habeantur in veneratione ſine Romana eccleſia.*

Cum ex eo quod quidam ſanctorum reliquias exponunt venales, & eas paſſim oſtendunt, Chriſtianæ religioni ſit detractum ſæpius: ne detrahatur in poſterum, præſenti decreto ſtatuimus, ut antiquæ reliquiæ amodo extra capſam non oſtendantur, nec exponantur venales. Inventas autem de novo nemo publice venerari præſumat, niſi prius autoritate Romani pontificis fuerint approbatæ.

Prælati vero de cætero non permittāt illos, qui ad eorū eccleſias cauſa venerationis accedunt, vanis figmentis, aut falſis decipi documentis, ſicut & in pleriſque locis occaſione quæſtus fieri conſuevit. Eleemoſynarum quoque quæſtores, quorum

Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum, ſive malum fuerit:

A τολμῶντες· ὅθεν συμβαίνει ποτὲ ἐν τούτοις ὅτι ἐξουθενοῦται ἡ ἐπισκοπικὴ ἐξουσία εἰς πολλούς. θέλοντες τοίνυν ἐν τούτοις, καὶ τῇ τῶν ἐπισκόπων ἐξουσίᾳ, καὶ τῶν ἡγουμένων προνοεῖν σωτηρίᾳ, τῷ παρόντι κανόνι στερεῶς κωλύομεν, ἵνα μή τις τῶν ἡγουμένων εἰς τοιαῦτα ἑαυτὸν τολμήσῃ ἐκτείνειν, εἴγε τὸν ἴδιον θελήσῃ κίνδυνον ἐκκλίνειν· εἰ μὴ ἴσως τις αὐτῶν εἰδικῇ στέρξει, ἢ ἄλλῃ νομίμῳ αἰτίᾳ ἐπάνω τῶν τοιουτοτρόπων, ἰσχύσῃ ἑαυτὸν ἀσφαλίσασθαι.

ξα΄. Ινα οἱ ἀσκητικοὶ τὰς ἐκκλησίας ἢ δεκάτας ἐκ χειρὸς μὴ δέξωνται λαϊκῶν, μήτε τοὺς ἀποκοινωνηθέντας ἢ ἀφωρισμένους εἰς τὰ θεῖα.

B Εν τῇ τοῦ Λατεράνου συνόδῳ γινώσκεται εἶναι κεκωλυμένον ὅπως οἱοιδήτινες ἀσκητικοὶ ἐκκλησίας ἢ δεκάτας ἄνευ συναινέσεως τῶν ἐπισκόπων ἐκ χειρὸς μὴ δέξωνται λαϊκῆς, οὔτε τοὺς ἀποκοινωνηθέντας ἢ ἀφορισθέντας προσομειλῶσιν οὐδενὶ τρόπῳ εἰς θεῖα. ἡμεῖς δὲ τοῦτο ἰσχυρότερον κωλύοντες, τοὺς παραβάτας ἀξίᾳ φροντίσομεν κατανοήσει τιμωρεῖν· καθιστῶντες οὐχ ἧττον, ἵνα ταῖς ἐκκλησίαις, ταῖς εἰς αὐτοὺς πλήρει δικαίῳ μὴ διαφερούσαις, κατὰ τὰς διατάξεις τῆς αὐτῆς συνόδου, τοῖς ἐπισκόποις τοὺς καταστασθησομένους ἱερεῖς παραστήσωσιν, C ὅπως αὐτοῖς περὶ τῆς τοῦ δήμου φροντίδος ἀπολογηθῶσιν, αὐτοῖς δὲ ἐκ τῶν προσκαίρων πραγμάτων εὔλογον παράσχωσιν αὐτάρκη. τοὺς καταστασθέντας οὖν ἀποκινεῖν μὴ τολμήσοιεν τῶν ἐπισκόπων μὴ συμβουλ..... ὄντως προστίθεμεν, ἵνα ἐκείνους παριστῶν φροντίσωσιν, οὓς ἡ διαγωγὴ ἀποδίδωσιν ἐγνωσμένους, ἢ ἐπαινεῖ ἀποδεικτικὴ μαρτυρία τῶν προεστώτων.

ξβ΄. Περὶ λειψάνων μὴ προβαλλομένων, μηδὲ σεβασθησομένων εἰ μὴ ἀποδεχθῶσιν· καὶ περὶ τρόπου συγχωρήσεως.

D rum quidam ſe alios mentiendo abuſiones nonnullas in ſua prædicatione proponunt, admitti, niſi apoſtolicas vel diœceſani epiſcopi litteras veras exhibeant, prohibemus. Et tunc, præter id quod in ipſis continebitur litteris, nihil populo proponere permittantur. Formam vero, quam communiter talibus apoſtolica ſedes indulget, duximus exprimendam: ut ſecundum eam, diœceſani epiſcopi ſuas litteras moderentur. Ea ſiquidem talis eſt: *Hic Græca deficiunt.*

E

Forma litterarum prædicatorum.

Quoniam (ut ait Apoſtolus) omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, *2. Cor. 5.*

χριστοῦ, ἀποληψόμενοι .... εἰργασάμεθα, εἴτε ἀγαθὸν εἴτε φαῦλον.

 χρὴ

ANNO CHRISTI 1215.

[a] Legebat messionis æternæ. Et scriptū hic αἰῶνος pro αἰωνίου

χρὴ ἡμᾶς τὴν ἡμέραν τοῦ αἰῶνος [a] θερισμοῦ, ἐλέους ἔργοις προλαβεῖν, καὶ τῇ τῶν αἰωνίων ἐπιβλέψει σπείρειν ἐπὶ τῆς γῆς, ὅπερ ἀποδιδόντος τοῦ κυρίου μετὰ πολλαπλασίονος καρποῦ συνάγειν ὀφείλομεν ἐν οὐρανοῖς, στερεὰν ἐλπίδα καὶ πεποίθησιν κρατοῦντες, ὅτι ὁ σπείρων φειδομένως, φειδομένως καὶ θερίσει· καὶ ὁ σπείρων ἐπ' εὐλόγου, ἐπ' εὐλόγου θερίσει ζωὴν αἰώνιον. ἐπεὶ τοίνυν εἰς αὐτάρκειαν τῶν ἀδελφῶν καὶ πτωχῶν, τῶν εἰς τὸ τοιοῦτο συῤῥεόντων ὁσπιτάλιον, αἱ ἴδιαι οὐχ ἱκανοῦσιν εὐπορείαι, τὴν κοινότητα ὑμῶν νουθετοῦμεν καὶ παρατρύνομεν ἐν κυρίῳ, καὶ ἐν ἀφέσει ὑμῖν προστάσσομεν τῶν ἁμαρτιῶν, ὅπως ἐκ τῶν ἀγαθῶν τῶν ἐκ θεοῦ ὑμῖν παρασχεθέντων εὐσεβεῖς ἐλεημοσύνας καὶ κεχαρισμένην αὐτοῖς ἀγάπης βοήθειαν δαψιλεύσεσθε· ἵνα διὰ τῆς συνδρομῆς ὑμῶν ἐν τῷ αὐτῶν [b] ἔργῳ συμβουλευθῇ, καὶ ὑμεῖς διὰ τούτων καὶ ἄλλων ἀγαθῶν, ἅπερ ἂν τοῦ κυρίου ἐμπνέοντος ποιήσητε, αἰωνίους δυνήσησθε χαρὰς περιελθεῖν.

[b] Legebat, ipsorum in opere.

[c] Deest εἰς

Οἱ δὲ [c] τὰς αἰτηθησομένας ἐλεημοσύνας ἀποστελλόμενοι, μεμετρημένοι εἶεν καὶ διακριτικοί, μηδὲ ἐν καπηλείοις ἢ ἄλλοις τόποις ἀπευδείκτοις καταλυέτωσαν, μηδὲ ἀχρήστους ποιείτωσαν ἢ συντελικὰς ἐξόδους· προσέχοντες παντελῶς ἵνα μὴ πλαστῆς ἀσκήσεως σχῆμα φέρωσιν.

[d] Corr. περιοσσῶν

Πρὸς ταῦτα ὅτι διὰ τῶν ἀδιακρίτων συμπαθειῶν καὶ περιοσσειῶν [d] ἃς τινὲς ἐκκλησιῶν προεστῶτες ποιεῖν οὐκ αἰδοῦνται .... καὶ ἡ τῆς μετανοίας ἱκανοποίησις ἐκνευροῦται· κρίνομεν ἵνα ὅταν ἐγκαινισθῇ ναὸς, μὴ ἐκταθείη ἡ συμπάθεια ἔξω ἐνιαυτοῦ, ἤτε παρ' ἑνὸς μόνου, ἤτε παρὰ πλειόνων ἐπισκόπων ἐγκαινισθῇ· κἀκεῖθεν ἐν τῷ ἐτησίῳ ἐγκαινισμοῦ καιρῷ τεσσαράκοντα ἡμέρας ἐκ τῶν ἐπιταχθέντων ἐπιτιμίων ἡ συμπαθ......... ἄφεσις μὴ προσθήτω· καὶ .... διωρίαν τὰ τῶν συμπαθειῶν γράμματα προστάσσομεν συμμετρεῖσθαι, ἅπερ ὑπὲρ δή τινων αἰτιῶν ὁσάκις στέργονται· ἐπεὶ ὁ ῥωμαῖος ἀρχιερεὺς τελειότητα ἔχων ἐξουσίας, ταύτην ἐν τοῖς τοιούτοις τὴν συμμετρείαν εἴωθεν φυλάττειν.

ξγ'. Περὶ ἱεροθεσιῶν, εὐλογιῶν, χειροτονιῶν καὶ μυστηρίων τῆς ἐκκλησίας, δωρεὰν προσησομένων.

Καθὼς ἐπ' ἀληθείας ἐμάθομεν, ἐν πλείστοις τόποις καὶ ἀπὸ πλείστων προσώπων, ὡς δῆθεν περιστερὰς ἐν τῷ ναῷ πωλούντων, γίνονται αἰτήσεις καὶ ἀπαιτήσεις αἰσχραὶ καὶ σκαιαὶ ὑπὲρ ἱεροθεσιῶν ἐπισκόπων, εὐλογιῶν ἡγουμένων, καὶ χειροτονιῶν κληρικῶν, καὶ κεχάρακται ὅσον ἂν εἴη τούτῳ, καὶ ἐκείνῳ, ἢ ἄλλῳ ἀποπληθησόμενον· καὶ εἰς κοινοποίησιν καταδικασμοῦ μείζονος, τινὲς τὴν τοιαύτην αἰσχρότητα καὶ σκαιότητα ἐκβιάζουσι διεκδικεῖν διὰ συνήθειαν μακροῦ καιροῦ φυλαχθεῖσαν.

ANNO CHRISTI 1215.

A oportet nos diem messionis extremæ, misericordiæ operibus prævenire; ac æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente Domino cum multiplicato fructu colligere debeamus in cælis: firmam spem, fiduciamq; tenentes, quoniam *qui parce seminat, parce & metet; & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet* in vitam æternam. 2. Cor 9. Cum igitur ad sustentationem fratrum & egenorum ad tale confluentiũ hospitale propriæ non suppetant facultates, universitatem vestram monemus, & exhortamur in B Domino, atq; in remissionem vobis injungimus peccatorum: quatenus de bonis a Deo vobis collatis pias eleemosynas & grata eis caritatis subsidia erogetis: ut per subventionem vestram ipsorum inopiæ consulatur, & vos per hæc & per alia bona, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna possitis gaudia pervenire.

Qui autem ad quærendas eleemosynas destinantur, modesti sint & discreti, nec in tabernis aut locis aliis incongruis hospitentur, nec inutiles faciant aut C sumptuosas expensas: caventes omnino, ne falsæ religionis habitum gestent.

Ad hæc, quia per indiscretas & superfluas indulgentias, quas quidam ecclesiarum prælati facere non verentur, & claves ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: decernimus ut, cum dedicatur basilica, non extendatur indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive a pluribus episcopis dedicetur: ac deinde in anniversario dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoq; D dierum numerum indulgentiarum litteras præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur: cum Romanus pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.

LXIII. *De Simonia.*

MS. Maz. De consecrationibus, benedictionibus, ordinationibus, & sacramentis ecclesiæ, gratis conferendis.

Sicut pro certo didicimus, in plerisq; locis, & a plurimis personis quasi columbas in templo vendentibus, fiunt exactiones & E extorsiones turpes & pravæ pro consecrationibus episcoporum, benedictionibus abbatum, & ordinibus clericorum, estque taxatum quantum sit isti vel illi, quantũve alteri vel alii persolvendum: & ad cumulum damnationis majoris, quidam turpitudinem & pravitatem hujusmodi nituntur defendere per consuetudinem longo tempore observatam.

Tan-

ANNO CHRISTI 1215.

Tantum igitur abolere volentes abusum, consuetudinem hujusmodi, quæ magis dicenda est corruptela, penitus reprobamus: firmiter statuentes, ut pro iis, sive conferendis, sive collatis, nemo aliquid quocumque prætextu exigere ac extorquere præsumat. Alioquin & qui receperit & qui dederit hujusmodi precium omnino damnatum, cum Giezi & Simone condemnetur.

MS. Maz. De sanctis monialibus gratis recipiendis.

LXIV. *De eadem circa monachos & sanctimoniales.*

Quoniam simoniaca labes adeo plerasque moniales infecit, ut vix aliquas sine precio recipiant in sorores, paupertatis prætextu volentes hujusmodi vitium palliare: ne id de cætero fiat penitus prohibemus; statuentes ut quæcumque de cætero talem pravitatem commiserit, tam recipiens quam recepta, sive sit subdita sive prælata, sine spe restitutionis de suo monasterio expellatur, in locum arctioris regulæ ad agendum perpetuam pœnitentiã retrudenda. De his autem, quæ ante hoc synodale statutum taliter sunt receptæ, ita duximus providendum, ut remotæ de monasteriis, quæ perperam sunt ingressæ, in aliis locis ejusdem ordinis collocentur. Quod si propter nimiam multitudinem alibi forte nequiverint commode collocari: ne forte damnabiliter in sæculo evagentur, recipiantur in eodem monasterio dispensative de novo, mutatis prioribus locis, & inferioribus assignatis.

Hoc etiam circa monachos & alios regulares decernimus observandum. Verum ne per simplicitatem vel ignorãtiam se valeant excusare: præcipimus, ut diœcesani episcopi singulis annis hoc faciant per suas diœceses publicari.

MS. Maz. De fraude & dolo prælatorũ.

LXV. *De eadem circa illicitam pecuniæ extorsionem.*

Audivimus de quibusdam episcopis, quod, decedentibus ecclesiarum rectoribus, ipsas interdicto subiiciunt, nec patiũtur aliquos in eisdem institui, donec ipsis certa summa pecuniæ persolvatur. Præterea cum miles aut clericus domum religionis ingreditur, vel apud religiosos eligit sepulturam, etiamsi nihil loco religioso reliquerit, difficultates ingerunt & malitias, donec aliquid muneris manus contingat eorum. Cum igitur non solũ a malo, sed etiam ab omni specie mali sit (*1. Thess. 5.*) secundũ Apostolum abstinendũ: exactiones hujusmodi penitus inhibem⁹. Quod si quis transgressor extiterit, exacta duplicata restituat, in utilitates locorũ, in quorum

A Τοσοῦτον " τοιγαροῦν θέλοντες ἀπαλεῖψαι τὴν παράχρησιν, τὴν τοιαύτην συνήθειαν, τὴν μᾶλλον λεχθησομένην διαφθορὰν, παντελῶς ἀποδοκιμάζομεν· στερεῶς καθιστῶντες, ἵνα ὑπὲρ τούτων ἢ παρασχεθησομένων ἢ παρασχεθέντων μηδείς τι οἱῳδήτινι σκεπασμῷ ἐκζητεῖν ἢ ἀπαιτεῖν τολμήσῃ· εἰ δὲ μήγε, καὶ ὁ δεξάμενος καὶ ὁ δώσων τὸ τοιοῦτον τίμημα τὸ παντελῶς καταδικασθὲν, μετὰ γιεζῆ καὶ σίμωνος καταδικασθήτω.

" τοσαύτην

ξδʹ. Περὶ ἁγίων μοναστειῶν δωρεὰν δεχθησομένων.

Ἐπειδὴ ὁ σιμωνιακὸς ῥύπος ἐπὶ τοσοῦτον τὰς B πλείστας μοναστείας ἔχρανεν, ὡς ἂν μόλις τινὲς ἄνευ τιμήματος προσλάβοιντο ἀδελφάς· σκεπασμῷ πτωχίας θέλουσαι τὸ τοιοῦτο πάθος καλύπτειν· ἵνα τοῦτο τοῦ λοιποῦ γίνηται παντελῶς κωλύομεν· καθιστῶντες ἵνα τοῦ λοιποῦ ἥτις ἂν τοιαύτην ἁμαρτήσῃ σκαιότητα· τοσοῦτον λαβοῦσα, ὅσον ἡ ληφθεῖσα, ἤτε ὑποτακτικὴ, ἤτε προεστῶσα, ἄνευ ἐλπίδος ἀποκαταστάσεως ἐκ τοῦ ἑαυτῆς μοναστηρίου ἀποσταθῇ εἰς τόπον στενητοῦ κανόνος ....

....

τῶν πρὸ ταύτης τῆς συνοδικῆς διατάξεως C οὕτως προσδεχθεισῶν, οὕτως ἡγούμεθα προνοηθησόμενον, ἵνα ἀποκινηθεῖσαι ἐκ τῶν μοναστηρίων " διὰ χρημάτων " εἰσῆλθον, ἐν ἄλλοις τοῦ αὐτοῦ σχήματος καταταχθῶσιν. ὡς ἐὰν διὰ τὸ πολὺ πλῆθος ἀλλαχοῦ μὴ δυνηθῶσι κατατάττεσθαι· ἵνα μὴ καταδεδικασμένως ἐν τῷ κόσμῳ ματαιωθῶσι, προσδεχέσθωσαν ἐν τοῖς αὐτοῖς μοναστηρίοις συμπαθητικῶς ἐκ νέας· ἀλλαχθεῖσιν τῶν προτέρων τόπων καὶ στενοτέροις ἀποδοθεῖσι.

" Deest ᾶ. Latine in MS. Maz. scriptũ est per peram. duabus vocibus. Ideo reddidit interpres διὰ χρημάτων.

Τοῦτο δὲ καὶ πρὸς τοὺς μοναχοὺς καὶ ἄλλους ἀσκητικοὺς κρίνομεν φυλαχθησόμενον. ἵνα μὴ δι' ἁπλότητος ἢ ἀγνοίας ἑαυτὸν δυνηθῇ προφασίζεσθαι· προστάσσομεν ἵνα οἱ ἐνορῖται ἐπίσκοποι, ἑκάστοις ἐνιαυτοῖς τοῦτο ποιήσωσι διὰ D τῶν ἰδίων ἐνοριῶν δημοσιεύεσθαι.

ξεʹ. Περὶ ἀπάτης καὶ δόλου τῶν προεστώτων.

Ἠκούσαμεν περί τινων ἐπισκόπων, ὅπερ προειξάντων τῶν κυβερνητῶν τῶν ἐκκλησιῶν αὐτὰς ἀφορισμῷ ὑποβάλλουσιν, οὔτε ὑπομένουσιν ἄλλους ἐν αὐταῖς ἐνίστασθαι, ἕως ἂν αὐτοῖς ῥητὴν ποσότητα ἀργυρίου ἀποπληρώσωσι. παρὰ ταῦτα ὅταν ὁ στρατιώτης ἢ κληρικὸς οἶκον ἀσκήσεως εἰσίησιν, ἢ παρὰ τοῖς ἀσκηταῖς ἐκλεγεῖ ταφὴν, μάλιστα ἐὰν οὐδὲν τῷ ἀσκητικῷ τόπῳ ἐπαφήσῃ, δυσκολίας ἐπάγουσι καὶ κακίας, ἕως ἄν τι E ἀριθμοῦ " τὰς χεῖρας μολύνῃ αὐτῶν. ἐπεὶ τοίνυν οὐ μόνον ἀπὸ τοῦ πονηροῦ, ἀλλὰ ἐκ παντὸς εἴδους κακοῦ ἐστὶν κατὰ τὸν ἀπόστολον ἀποστηθησόμενον· τὰς ἀπαιτήσεις αὐτοῖς παντελῶς κωλύομεν· καὶ εἴ τις παραβάτης εἴη, τοῦ ἀπαιτουμένου διπλασιασθέντος, εἰς τὰς ὠφελείας τῶν τόπων καὶ ὧν

" Legebat numeri non muneris.

ANNO CHRISTI 1215.

εἰς ζημίαν ἀποφληθήσονται πιστῶς τραφησομένε. A

ξς'. Περὶ κηδειῶν νεκρῶν, καὶ εὐλογιῶν τῶν γημαμένων.

Εἰς τὴν ἀποστολικὴν ἀκρόασιν συχναζούσῃ ἀναφορᾷ προῆλθεν, ὅτι τινὲς κληρικοὶ ὑπὲρ κηδειῶν νεκρῶν, καὶ εὐλογίας τῶν γημαμένων, καὶ τῶν ὁμοίων, ἀργύριον ἐκζητοῦσι καὶ ἀπαιτοῦσι· καὶ ἐὰν ἴσως τῇ αἰσχροκερδίᾳ αὐτῶν οὐχ ἱκανοποιηθῇ, ἐμποδισμοὺς πεπλασμένους ἀπατηλῶς ἐντιθέασιν· τοὔμπαλιν δέ τινες λαϊκοὶ τὴν ἐπαινετὴν συνήθειαν εἰς τὴν ἁγίαν ἐκκλησίαν εὐσεβεῖ εὐνοίᾳ πιστῶν εἰσαχθεῖσαν ἐκ ζύμης αἱρετικῆς σκαιότητος προσβιάζονται παραθραύειν ὑπὸ σκεπασμῷ κανονικῆς εὐσεβείας. διὰ τοῦτο καὶ τὰς σκαιὰς ἀπαιτήσεις ἐπάνω τούτων γίνεσθαι κωλύομεν, καὶ τὰς εὐσεβεῖς συνηθείας προστάσσομεν φυλάττεσθαι· καθιστῶντες ἵνα ἐλευθέρως δωρηθῶσι τὰ ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια· ἀλλὰ διὰ τοῦ ἐπισκόπου τοῦ τόπου τῆς ἀληθείας γνωσθείσης περισφιγχθῶσιν οἱ πονηρῶς προσβιαζόμενοι τὴν ἐπαινετὴν συνήθειαν μεταλλάσσειν. B C

ξζ. Περὶ τόκων Ἰουδαίων.

Ὅσον πλέον ἡ χριστιανικὴ θρησκεία ἐκ τῆς ἀπαιτήσεως χαλινοῦται τῶν τόκων· τοσούτῳ βαρύτερον ἐπάνω τούτων ἡ τῶν Ἰουδαίων ὠμότης αὔξει· οὕτως ὡς ἐν βραχεῖ καιρῷ τὰς χριστιανῶν ἐξαντλοῦσιν εὐπορείας. θέλοντες τοιγαροῦν ἐν τούτῳ τῷ μέρει προβλέπειν τῶν χριστιανῶν, ἵνα μὴ παρὰ τῶν Ἰουδαίων ἐπαχθῶς βαρεθῶσι· συνοδικῷ κανόνι καθιστῶμεν, ὡς ἐὰν τοῦ λοιποῦ οἱῳδήτινι σκεπάσματι D οἱ Ἰουδαῖοι ἀπὸ χριστιανῶν βαρεῖς καὶ ἀμετρήτους τόκους ἀπαιτήσουσιν, ἡ τῶν χριστιανῶν αὐτοῖς μέθεξις ὑπεκκλιθήτω, ἕως ἂν ἐκ τοῦ ἀμετρήτου βάρους ἱκανοποιήσωσιν αὐταρκῶς· ὅθεν οἱ χριστιανοί, εἰ χρεία ἔσται, διὰ κρίσεως ἐκκλησιαστικῆς, ἐκκλήτου ὀπίσω τεθείσης, περισφιχθήτωσαν ἀπὸ τῶν κουμερκίων αὐτῶν ἀπέχεσθαι.

Τοῖς ἄρχουσι δὲ προστάσσομεν, ἵνα διὰ τοῦτο μὴ ὦσιν τοῖς χριστιανοῖς ὀχληροί, ἀλλὰ μᾶλλον ἐκ τοσούτου βάρους σπουδασάτωσαν περισφίγξαι τοὺς Ἰουδαίους. E

Τῇ αὐτῇ ταύτῃ ποινῇ τοὺς Ἰουδαίους κρίνομεν περισφιχθῆναι εἰς τὸ ἱκανοποιήσειν ταῖς ἐκκλησίαις περὶ τῶν δεκατιῶν, καὶ προσφορῶν τῶν .... ἅσπερ παρὰ τῶν χριστιανῶν ἐκ τῶν οἰκιῶν .... ἄλλων λαβεῖν εἰώθασι, πρὶν ἢ εἰς τοὺς Ἰουδαίους οἱῳδήτινι τίτλῳ περιελθεῖν· ἵνα οὕτως αἱ ἐκκλησίαι διαφυλαχθῶσιν ἀζήμιοι.

' An scripsit στίξεως, quæ vox ipsi usitata? Tunc legeretur distinctione. An στίξεως? qua voce barbare, ut solet, eam de qua hic agitur distinctionē exprimeret.

ξη. Περὶ φίγξεως ' σχήματος χριστιανῶν, Ἰουδαίων, καὶ σαρακηνῶν.

Ἐν ταῖς " ἐπαρχίαις παρὰ τῶν χριστιανῶν

" Corr. ποιν

fuerint soluta dispendium, fideliter convertenda.

ANNO CHRISTI 1215.

LXVI. *De eadem circa cupiditatem clericorum.*

MS. Maz. De exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium.

Ad apostolicam audientiam frequenti relatione pervenit, quod quidam clerici pro exequiis mortuorum, & benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt & extorquent: &, si forte cupiditati eorum non fuerit satisfactum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E contra vero quidam laïci laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere sub prætextu canonicæ pietatis. Quapropter & pravas exactiones super his fieri prohibemus, & pias consuetudines præcipimus observari: statuentes, ut libere conferantur ecclesiastica sacramenta, sed per episcopum loci, veritate cognita, compescantur qui malitiose nituntur laudabilem consuetudinem immutare.

LXVII. *De Vsuris Iudæorum.*

Quanto amplius Christiana religio ab exactione compescitur usurarum, tanto gravius super his Iudæorum perfidia inolescit", ita quod brevi tempore Christianorum exhauriunt facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne a Iudæis immaniter aggravētur: synodali decreto statuimus, ut si de cætero quocumque prætextu Iudæi a Christianis graves & immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Christiani quoque, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellantur ab eorum commerciis abstinere.

" *al.* insolescit,

Principibus autem injungimus, ut propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine Iudæos studeant cohibere.

Ac eadem pœna Iudæos decernimus compellendos ad satisfaciendum ecclesiis pro decimis & oblationibus debitis, quas a Christianis de domibus & possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Iudæos quocumque titulo devenissent: ut sic ecclesiæ conserventur indemnes.

LXVIII. *Vt Iudæi discernantur a Christianis in habitu.*

MS. Maz. De distinctione habitus Christianorū, Iudæorum, & Saracenorum.

In nonnullis provinciis a Christianis

NNO HRISTI 1215.

Iudæos seu Saracenos habitus distinguit diversitas: sed in quibusdam sic quædam inolevit confusio, ut nulla differentia discernantur. Unde contingit interdum, quod per errorem Christiani Iudæorum seu Saracenorum, & Iudæi seu Saraceni Christianorum mulieribus commisceantur. Ne igitur tam damnatæ commixtionis excessus, per velamentum erroris hujusmodi, excusationis ulterius possint habere diffugium: statuimus ut tales utriusque sexus, in omni Christianorum provincia, & omni tempore, qualitate habitus publice ab aliis populis distinguantur, cum etiam per Mosen hoc ipsum legatur eis injunctum.

(margin: ...vit. 19. ...ut. 22.)

In diebus autem lamentationis, & Dominicæ passionis, in publicum minime prodeant, eo quod nonnulli ex ipsis, talibus diebus (sicut accepimus) ornatius non erubescunt incedere, ac Christianis, qui sacratissimæ passionis memoriam exhibentes lamentationis signa prætendunt, illudere non formidant.

Illud autem districtissime inhibemus, ne in contumeliam Redemptoris prosilire aliquatenus præsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra delevit: præcipimus præsumptores hujusmodi per principes sæculares condignæ animadversionis adjectione compesci, ne crucifixum pro nobis præsumant aliquatenus blasphemare.

LXIX. *Ne Iudæi publicis officiis præficiantur.*

(margin: S. Maz. ...e Iudæi ...ficiis pu... ...ce Chri... ...anis uta... ...r: *dicere* ...*buisset*, ...blicis ...ter Christianos. ...ul. in hoc ...nerali ...ncilio.)

Cum sit nimis absurdum, ut Christi blasphemus in Christianos vim potestatis exerceat, quod super hoc Toletanum concilium provide statuit, nos propter transgressorum audaciam " in hoc capitulo innovamus: prohibentes ne Iudæi officiis publicis præferantur, quoniam sub tali prætextu Christianis plurimum sunt infesti. Si quis autem officium eis tale commiserit, per provinciale concilium (quod singulis præcipimus annis celebrari) monitione præmissa, districtione qua convenit compescatur. Officiali vero hujusmodi, tamdiu Christianorum communio in commerciis & aliis denegetur: donec in usus pauperum Christianorum, secundum providentiam diœcesani episcopi, convertatur quidquid fuerit adeptus a Christianis occasione officii sic suscepti: & officium cum pudore dimittat, quod irreverenter assumpsit. Hoc idem extendimus ad paganos.

τοὺς ἰουδαίους ἢ σαρακηνοὺς ἡ τῶν ἐνδυμάτων διαστέλλει διαφορά· ἀλλὰ καὶ ἔν τισιν οὕτως τις ἐπαύξησεν σύγχυσις, ὡς μηδεμίαν * διαφορὰν διαιρήσεται. ὅθεν συμβαίνει πολλάκις ὅτι διὰ πλάνης οἱ χριστιανοὶ τῶν ἰουδαίων ἢ τῶν σαρακηνῶν, καὶ ἰουδαῖοι ἢ σαρακηνοὶ τῶν χριστιανῶν ταῖς γυναιξὶ μίγνουνται. ἵνα μὴ τοίνυν τῆς τοσοῦτον καταδεδικασμένης συμμίξεως ὑπέρβασις, διὰ σκέπασμα τῆς τοιαύτης πλάνης, προφάσεως ἑτέρας " δυνηθῇ ἔχειν πρόσφυγιον· καθιστῶμεν ἵνα τοὺς τοιούτους ἑκατέρου γένους ἐν πάσῃ χριστιανῶν ἐπαρχίᾳ καὶ παντὶ καιρῷ τὰ τῆς δημοσίας ποιότητος ἐνδύματα ἐκ τῶν ἄλλων λαῶν διαστειλάτωσαν· ἐπεὶ καὶ διὰ μωσέως τοῦτο αὐτὸ αὐτοῖς ἀναγινώσκεται ἐπιταχθέν.

(margin: " *Legebat* alterius, *non* ulterius.)

Εν ταῖς ἡμέραις δὲ τῶν θρήνων καὶ τοῦ δεσποτικοῦ πάθους εἰς δημόσιον μηδαμῶς προελθέτωσαν, ἐκ τούτου ὅτι τινὲς ἐξ αὐτῶν ταῖς τοιαύταις ἡμέραις, ὡς παρελάβομεν, καὶ κοσμιώτερον οὐκ αἰδοῦνται ἐπιπορεύεσθαι, τοῖς χριστιανοῖς, οἵτινες τοῦ ἱερωτάτου πάθους τὴν μνήμην παρέχοντες, θρήνου σημεῖα ἐκτείνουσιν, ἐκπαίζειν οὐ πτοοῦνται.

Εκεῖνο δὲ σφικτότατα κωλύομεν, ἵνα μὴ εἰς ὕβριν τοῦ λυτρωτοῦ τινὶ τρόπῳ προελθεῖν τολμήσωσι. καὶ ἐπειδὴ ἐκείνου οὐ δυνάμεθα προσποιεῖσθαι οὔτε ὀφείλομεν τὸν ὀνειδισμὸν, τοῦ τὰ ὀνείδη ἡμῶν ἀπαλείψαντος· προστάσσομεν τοὺς τοιούτους τολμητὰς διὰ ἀρχόντων κοσμικῶν ἀξίας κατανοήσεως ἐπιρρίψει ἀναχαιτίζεσθαι, ἵνα μὴ τὸν ὑπὲρ ἡμῶν σταυρωθέντα τινὶ τρόπῳ βλασφημεῖν τολμήσωσι.

ξθʹ. Ινα μὴ οἱ ἰουδαῖοι ὀφφικίοις δημοσίοις ἐν τοῖς χριστιανοῖς χρᾶσθαι *.

Ε᾽πειδή ἐστι λίαν ἄτοπον ἵνα ὁ τοῦ χριστοῦ βλάσφημος εἰς τοὺς χριστιανοὺς δυνάμει ἐξουσίας μεταχειρισθῇ, ὅπερ ἐπάνω τούτου ἡ τῆς τολλέτας σύνοδος.........

....

....

τοῖς δημοσίοις προαχθῶσιν, ὅτι ὑπὸ τοῦ τοιούτου σκεπασμοῦ τοῖς χριστιανοῖς πλεῖστον εἰσὶν ὀχληροί· εἴ τις δὲ αὐτοῖς τοιοῦτο ὀφφίκιον ὑποχεθῇ, διὰ τῆς ἐπαρχικῆς συνόδου, ἣν ἑκάστοις ἐνιαυτοῖς προστάσσομεν φυλαχθῆναι, παραινέσεως προσταλείσης, περισφίγξει ἣ συμφέρει ἀναχαιτείσθω. τῷ δὲ τοιούτῳ ὀφφικιαλίῳ τοσοῦτο ἤδη ἡ τῶν χριστιανῶν ἕνωσις ἐν κομερκίοις καὶ ἄλλοις ἀπαρνείσθω, ἕως οὗ εἰς χρῆσιν τῶν πτωχῶν χριστιανῶν κατὰ τὴν πρόνοιαν τοῦ ἐνορίτου ἐπισκόπου ἐπιστραφῇ, ὅ τι δ᾽ ἂν ἐκ τῶν χριστιανῶν κερδήσειεν, αἰτίᾳ τῆς τοιαύτης ὑποδοχῆς· καὶ τὸ ὀφφίκιον μετ᾽ αἰσχύνης ἐάτω, ὅπερ ἀναισχύντως ἀνέλαβεν· τοῦτο δὲ αὐτὸ ἐκτείνομεν πρὸς τοὺς σαρακηνούς.

ό. Ινα

ANNO CHRISTI 1215.

A

ό. Ἵνα μὴ οἱ ἐπιστραφέντες πρὸς τὴν χριστιανικὴν πίστιν, τοῦ παλαιοῦ ἔθους μηδὲν κρατήσωσιν.

Τινὲς, ὡς παρελάβομεν, ὅπερ εἰς τὸ ῥεῖθρον τοῦ ἱεροῦ βαπτίσματος ἐθελούσιοι προσῆλθον, τὸν παλαιὸν ἄνθρωπον τελείως οὐκ ἀπεκδιδύονται, ἵνα τὸν νέον τέλεον ἐνδυθῶσιν· ἐπειδὴ τὰ τοῦ προτέρου ἔθους λείψανα ἐπικρατοῦντες, τῆς χριστιανικῆς εὐλαβείας εὐπρέπειαν τοιαύτῃ συμμίξει καταισχύνουσιν. ἐπειδὴ δὲ ἐπικατάρατός ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὁ τὴν γῆν δυσὶν ὁδοῖς εἰσπορευόμενος, καὶ ἐνδύεσθαι ἐσθῆς οὐκ ὀφείλει λινῷ καὶ ἐρίῳ συνυφασμένη· καθιστῶμεν ἵνα οἱ τοιοῦτοι διὰ τῶν προεστώτων τῶν ἐκκλησιῶν ἐκ τῆς παραφυλάξεως τοῦ παλαιοῦ ἔθους παντελῶς ἀναχαιτισθῶσιν, ἵνα οὓς τῇ χριστιανικῇ εὐλαβείᾳ τῆς ἐλευθέρας θελήσεως προαίρεσις προσέφερεν, ἡ τῆς σωτηριώδους προσφίξεως ἀνάγκη ἐν τῇ αὐτῆς παραφυλάξει συντηρήσειεν· ἐν τῷ ἔλαττον κακὸν εἶναι, τὴν ὁδὸν τοῦ κυρίου μὴ γνῶναι, ἢ μετὰ τὸ γνῶναι εἰς τὸ ὀπίσω στραφῆναι.

ΠΕΡΙ ΑΝΑΡΡΥΣΕΩΣ ΤΗΣ ἁγίας γῆς, καὶ προσπαθείας τῶν σταυρῷ σεσημειωμένων.

C

Εἰς τὸ ἐλευθερωθῆναι τὴν ἁγίαν γῆν ἐκ τῶν ἀσεβῶν χειρῶν ζεούσῃ ἐπιθυμίᾳ ἐπιπνέοντες, ἐκ φρονίμων ἀνδρῶν βουλῆς, τοὺς * τελείως γινώσκοντας τὰς περιστάσεις τῶν καιρῶν καὶ τῶν τόπων, τῆς ἱερᾶς ἐπαινούσης συνόδου ἀποφαινόμεθα, ἵνα οὕτως οἱ σταυροσημείωτοι ἑαυτοὺς προετοιμάσαιεν, ὅπως ἐν τῇ καλανδῶν Ἰουνίου τοῦ ἐρχομένου μετὰ τὸν πλησίον πάντες οἰκονομήσαντες ἀπελθεῖν διὰ θαλάσσης, συνέλθοιεν εἰς τὸ κράτος τῆς Σικελίας, ἄλλοι, ὡς ἐνδέχηται καὶ πρέπῃ, εἰς τὸ Βρεντήσιον, καὶ ἄλλοι εἰς τὴν Μεσσήνην, καὶ τὰ μέρη τὰ ἑκατέρωσε γείτονα· ὅπου καὶ ἡμεῖς προσωπικῶς τοῦ κυρίου νεύοντος ᾠκονομήσαμεν τότε παρεῖναι, ὡς ἂν τῇ ἡμετέρᾳ βουλῇ καὶ βοηθείᾳ ὁ χριστιανικὸς στρατὸς σωτηρίως διδαχθῇ, μετὰ τῆς θείας εὐλογίας καὶ ἀποστολικῆς προκόψων. Εἰς δὲ τὴν αὐτὴν διωρείαν ἑαυτοὺς σπουδασάτωσαν προετοιμάσαι οἱ προτιθέντες ἀπελθεῖν διὰ γῆς· δηλώσοντες τὴν αὐτὴν " ὁδὸν ὑμῖν, ἵνα αὐτοῖς εἰς βουλὴν καὶ βοήθειαν λεγάτον εἰδήμονα ἐκ τοῦ ἡμετέρου πλευροῦ στέρξωμεν. οἱ δὲ ἱερεῖς καὶ οἱ ἄλλοι κληρικοὶ, οἳ ἔσονται ἐν τῷ χριστιανικῷ στρατῷ, τοσοῦτον οἱ ὑποτεταγμένοι, ὅσον οἱ προεστῶτες, τῇ δεήσει καὶ παραινέσει ἀκριβῶς ἐνστήτωσαν, διδάσκοντες αὐτοὺς λόγῳ ὁμοίως καὶ ἔργῳ, ἵνα τὸν φόβον καὶ τὴν θείαν ἀγάπην διαπαντὸς ἔχωσι ἐνώπιον τῶν ὀφθαλμῶν, ἵνα μή τι εἴποιεν ἢ ποιήσοιεν, ὡς τῇ θείᾳ μεγαλειότητι προσκροῦσαι· καὶ εἴ ποτε ὀλισθήσοιεν εἰς ἁμαρτίαν, δι' ἀληθοῦς μετανοίας εὐθὺς ἀνασησάτωσαν, φε-

B, D, E

" Legit hoc iter, *non*, hoc interim

LXX. *Ne conversi ad fidem de Iudæis, veterem ritum Iudæorum retineant.*

Quidam, sicut accepimus, qui "ad sacri undam baptismatis voluntarii accessērunt, veterem hominem omnino non exuunt, ut novum perfectius induant: cum prioris ritus reliquias retinentes, Christianæ religionis decorem tali commixtione confundant. Cum autem scriptum sit: *Maledictus homo qui terram duabus viis ingreditur*: & indui vestis non debeat lino lanaque contexta: statuimus ut tales per prælatos ecclesiarum ab observantia veteris ritus omnimodo compescantur, ut quos Christianæ religioni liberæ voluntatis arbitrium obtulit, salutiferæ coactionis necessitas in ejus observatione conservet: cum minus malum existat viam Domini non agnoscere, quam post agnitam retroire.

EXPEDITIO PRO RECVPERANDA TERRA SANCTA.

Ad liberandam terram sanctam de manibus impiorum ardenti desiderio aspirantes, de prudentum virorum cōsilio, qui plene noverant circumstantias temporum & locorum, sacro approbante concilio, diffinimus: ut ita Cruce signati se præparent, quod in Kalendas Iunii sequentis post proximum, omnes qui disposuerunt transire per mare, conveniant in regnum Siciliæ: alii, sicut oportuerit & decuerit, apud Brundusium, & alii apud Messanam, & partes utrobique vicinas: ubi & nos personaliter, Domino annuente, disposuimus tunc adesse, quatenus nostro consilio & auxilio exercitus Christianus salubriter ordinetur, cum benedictione Divina & apostolica profecturus. Ad eumdem quoque terminum se studeant præparare qui proposuerunt per terram proficisci: significaturi hoc interim nobis, ut eis ad consilium & auxilium legatum idoneum de nostro latere concedamus. Sacerdotes autem, & alii clerici, qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi quam prælati, orationi & exhortationi diligenter insistant: docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem & amorem semper habeant Divinum ante oculos, ne quid dicant aut faciant quod Divinam majestatem offendat. Et si aliquando lapsi fuerint in peccatum, per veram pœnitentiam mox resurgant, gerentes

ANNO CHRISTI 1215.

MS. Maz. Ne conversi ad fidem Christianam, veteris ritus aliquid teneant.

"MS. Maz. quod

Eccles. 3.

Deut. 22.

MS. Maz. De liberatione terræ sanctæ, & indulgentia cruce signatorum.

ANNO CHRISTI 1215.

rentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu, quam in veſtitu mediocritatem ſeruantes, diſſenſiones & æmulationes omnino vitando, rancore ac livore a ſe penitus relegatis: ut ſic ſpiritalibus & materialibus armis muniti, adverſus hoſtes fidei ſecurius prælientur; non de ſua præſumentes potentia, ſed de Divina virtute ſperantes.

Ipſis autem clericis indulgemus, ut beneficia ſua integra percipiant per triennium, ac ſi eſſent in eccleſiis reſidentes; &, ſi neceſſe fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare.

Ne igitur hoc ſanctum propoſitum impediri vel retardari contingat, univerſis eccleſiarum prælatis diſtricte præcipimus, ut ſinguli per loca ſua illos qui ſignum crucis diſpoſuerunt reſumere, ac tam ipſos, quam alios cruceſignatos, & quos adhuc ſignare contigerit, ad reddendum vota ſua Domino diligenter moneant & inducant, &, ſi neceſſe fuerit, per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias in terras eorum, omni tergiverſatione ceſſante, compellant: illis dumtaxat exceptis, quibus tale impedimentum occurrerit, propter quod, ſecundum ſedis apoſtolicæ providentiam, votum eorum commutari debeat merito vel differri.

Ad hæc, ne quid in negotio Ieſu Chriſti de contingentibus omittatur: volumus & mandamus ut patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, & alii qui curam obtinent animarum, ſtudioſe proponant ſibi commiſſis verbum crucis, obſecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum ſolum verum æternum Deum, reges, duces, principes, marchiones, comites, & barones, aliosque magnates, necnon communiones civitatum, villarum, oppidorũ, ut qui perſonaliter non acceſſerint in ſubſidium terræ ſanctæ, competentem conferant numerum bellatorum, cum expenſis ad triennium neceſſariis, ſecundum proprias facultates, in remiſſionem peccatorum ſuorum, prout in generalibus litteris eſt expreſſum, & ad majorem cautelam etiam inferius exprimetur.

Hujus remiſſionis volumus eſſe participes, non ſolum eos qui naves proprias exhibebunt, ſed etiam illos qui propter hoc opus naves ſtuduerint fabricare. Renuentibus autem, ſi qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo noſtro, ex parte apoſtolica firmiter proteſten-

A φέροντες ταπεινότητα τῆς καρδίας καὶ σώματος, καὶ τοσοῦτον ἐν τῷ βρώματι ὅσον ἐν τῇ ἐσθῆτι, συμμετρίαν φυλάττοντες, τὰς διχονοίας καὶ ζήλους τοῦ κενοῦ λογισμοῦ καὶ ἐπιθυμητικοῦ ἀφ' ἑαυτῶν ὅλως πεμφθέντων· ἵνα οὕτως τοῖς πνευματικοῖς καὶ ὑλικοῖς ὅπλοις ὀχυρωθέντες, κατὰ τῶν ἐχθρῶν τῆς πίστεως βεβαιότερον μάχοιντο· οὐκ ἐπὶ τῇ ἰδίᾳ θαῤῥοῦντες δυνάμει, ἀλλ' ἐπὶ θείᾳ ἰσχύι ἐλπίζοντες.

Αὐτοῖς δὲ κληρικοῖς συμπαθοῦμεν ἵνα τὰ B εὐεργετήματα αὐτῶν τελείως λάβωσιν διὰ τριετίας, ὡς............................ καὶ εἰ ἀναγκαῖον ἔσται, αὐτὰ ὑπὲρ τοῦ αὐτοῦ καιροῦ ἐνεχύροις δυνήσαιντο ὑποβάλλειν.

Ινα μὴ τοίνυν τοῦτο τὸ ἅγιον προτέθημα ἐμποδισθῆναι δυνηθῇ, καὶ ὑπερτεθῆναι συμβῇ· ἅπασι τοῖς τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶσιν ἐσφιγμένως προστάσσομεν ἵνα ἕκαστοι διὰ τῶν τόπων αὐτῶν ἐκείνους τοὺς τὸ σίγνον τοῦ σταυροῦ οἰκονομοῦντας ἀναλαβέσθαι, καὶ τοσοῦτον αὐτοὺς ὅσον τοὺς ἄλλους σταυροσημειώτους, καὶ τοὺς σταυροσημειωθησομένους εἰς τὸ ἀποδοῦναι κυρίῳ τὰς εὐχὰς αὐτῶν ἀκριβῶς παραινέσωσι καὶ C εἰσάξωσι· καὶ εἰ ἀναγκαῖον ἔσται, δι' ἀποφάσεως ἀποκοινωνήσεως εἰς τὰ πρόσωπα, καὶ ἀφορισμοῦ εἰς τὰς χώρας αὐτῶν, παντὸς παραγκωνισμοῦ παύοντος, ἐπισφιγξάτωσαν· αὐτῶν τέως ὑπεξῃρημένων οἷς ἂν τοιοῦτον ἐμπόδιον ἐπέλθοι, διόπερ κατὰ τὴν τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου πρόνοιαν, τὴν εὐχὴν αὐτῶν ἀξίως ἀλλάσσειν ἐποφείλοιεν, ἢ ὑπερτιθέναι.

Πρὸς ταῦτα ἵνα μή τι πραγματεία τοῦ χριστοῦ ἐκ τῶν συμβαινόντων μεταλλαγῇ· θέλομεν καὶ ἐντελλόμεθα, ἵνα οἱ πατριάρχαι, D ἀρχιεπίσκοποι, ἐπίσκοποι, ἡγούμενοι, καὶ ἄλλοι " τὴν φροντίδα τῶν ψυχῶν ἐπέχουσι, σπουδαίως προθήσουσι τοῖς ἀνατεθεῖσιν αὐτοῖς οἰκείοις τὸν λόγον τοῦ σταυροῦ, παρακαλοῦντες διὰ τοῦ πατρὸς, καὶ τοῦ υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, τοῦ ἑνὸς μόνου ἀληθοῦς αἰωνίου θεοῦ, τοὺς ῥῆγας, δοῦκας, ἄρχοντας, μαρκησίοις, κόμιτας, καὶ βαρωνίους τούς τε ἄλλους μεγιστᾶνας, οὐ μὴν καὶ τὰ κοινὰ τῶν πόλεων, κωμῶν .... ἵνα οἱ προσωπικῶς μὴ ἀπελευσόμενοι εἰς τὴν βοήθειαν τῆς ἁγίας γῆς, συντείνοντα ἀριθμὸν πολεμούντων, μετ' ἐξόδων εἰς τριετίαν ἀναγκαίων, E κατὰ τὰς ἰδίας εὐπορείας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, καθὼς ἐν τοῖς γενικοῖς γράμμασιν ἐκπέπεισται· καὶ εἰς μείζονα τὴν ἀσφάλειαν μᾶλλον κατώτερον ἐκπερασθήσεται. " Deeſt οἱ

Ηστινος ἀφέσεως θέλομεν εἶναι μετόχους οὐ μόνον αὐτοὺς τοὺς εἰς τοῦτο τὰς ἰδίας ναῦς παρέξοντας, ἀλλὰ καὶ ἐκείνους τοὺς διὰ τοῦτο τὸ ἔργον ναῦς σπουδάσαντας κτίσαι. τοῖς αἰδουμένοις, " εἴ τινες ἴσως ὦσιν οὕτως ἀχάριστοι κυρίῳ τῷ θεῷ ἡμῶν, ἐκ τοῦ ἀποστολικοῦ μέρους προμαρτυ- " Legebat, reverentibus.

ρασιν,

ANNO CHRISTI 1215.

ρῶσιν, ὅπως γνῶσιν ἑαυτοὺς ἐπάνω τούτου ἡμῖν ἐν τῇ ἐσχάτῃ τῆς ἐξετάσεως ἡμέρᾳ ἔμπροσθεν τοῦ φρικτοῦ κριτοῦ ἀπολογησομένους· πρότερον τέως κατανοοῦντες, τίνι συνειδήσει, ἢ τίνι βεβαιώσει ἐμφανίζεσθαι "ἔμπροσθεν τῷ τοῦ μονογενοῦς "θεοῦ υἱῷ Ἰησοῦ Χριστῷ, ᾧ τινι πάντα ἔδωκεν ὁ πατὴρ εἰς τὰς χεῖρας, ἐὰν αὐτῷ τῷ ὑπὲρ τῶν ἁμαρτωλῶν ἐσταυρωμένῳ ἐξυπηρετεῖν κρατήσοιεν " ἐν ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ ἰδίως αὐτῷ ἰδίᾳ· οὗτινος τῷ δώρῳ ζῶσιν, οὗτινος τῇ εὐλογίᾳ αὐταρκοῦνται, οὗτινος τῷ αἵματι ἐλυτρώθησαν.

Ἵνα δὲ μὴ ἐπὶ τοῖς ὤμοις τῶν ἀνθρώπων φορτία βαρέα καὶ ἀφόρητα ἐπιθεῖναι φανῶμεν, ἅτινα τῷ δακτύλῳ ἡμῶν κινῆσαι " θέλομεν, ὅμοιοι ἐκείνοις, τοῖς λέγουσιν καὶ οὐ ποιοῦσιν· ἰδοὺ ἐκ τούτων ἅπερ ὑπὲρ τὰς ἀναγκαίας καὶ μεμετρημένας ἐξόδους δυνάμεθα παραφυλάττειν, τριάκοντα χιλιάδας λιτρῶν εἰς τοῦτο τὸ ἔργον στέργομεν καὶ δίδομεν, χωρὶς τοῦ πράγματος ὅπερ τοῖς σταυροσημειώταις τῆς πόλεως καὶ τοῖς γείτοσι μέρεσι δώσομεν· ἀποδώσοντες οὐχ ἧττον εἰς τοῦτο τρεῖς χιλιάδας λιτρῶν ἀργυρίου, αἳ παρ' ἡμῖν ἐξ ἐλεημοσυνῶν τινῶν πιστῶν ἀπέμειναν. ἐν " ἄλλοις εἰς τὰς ἀνάγκας καὶ ὠφελείας τῆς προῤῥηθείσης γῆς διὰ χειρῶν τῆς μακαρίας μνήμης τοῦ ἡγουμένου " Ἱεροσολυμίτου πατριάρχου καὶ τῶν μαιστόρων τοῦ τέμπλου καὶ ὁσπιταλίου πιστῶς διανεμηθέντων.

Ἐπιθυμοῦντες δὲ, τοὺς ἄλλους τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτας καὶ ἅπαντας τοὺς κληρικοὺς, καὶ ἐν τῇ ἀμοιβῇ καὶ ἐν.......... ἔχειν μετόχους τε καὶ συγκληρονόμους· ἐκ τῆς κοινῆς συνόδου καθιστῶμεν, ἵνα ὅλως πάντες οἱ κληρικοὶ, τοσοῦτον ὑπήκοοι ὅσον οἱ προεστῶτες, τὴν εἰκοστὴν τῶν ἐκκλησιαστικῶν συνεισφορῶν μέχρι εἰς διωρίαν" δώσωσιν εἰς βοήθειαν τῆς ἁγίας γῆς, διὰ τῶν χειρῶν αὐτῶν οἵτινες εἰς τοῦτο τῇ ἀποστολικῇ προβλέψει ἔσονται τεταγμένοι· τινῶν ἀσκητικῶν ἀπὸ τῆς τοιαύτης ἐπιδόσεως τέως ἐλευθέροις * δικαίως· ἐκείνων τε ὁμοίως οἱ τοῦ ἁγίου σταυροῦ δεδεγμένου, ἢ δεξομένου, σωματικῶς ἀπελεύσονται.

Ἡμεῖς δὲ καὶ οἱ ἀδελφοὶ ἡμέτεροι οἱ τῆς ἁγίας Ῥωμαϊκῆς ἐκκλησίας καρδινάλεις τελείαν δεκάτην ἀποφλήσομεν· γνωσκέτωσάν τε ἅπαντες, ἑαυτοὺς εἰς τοῦτο πιστῶς διατηρητέον δι' ἀναθέματος ἀποφάσεως ὑποδεδεμένους· οὕτως ὅτι ἐκεῖνοι οἵτινες ἐπὶ τούτῳ χλεύην γνωστῶς ποιήσουσιν, ἀπόφασιν ἀναθέματος ἐνδραμοῦνται.

Ὅτι δικαίῳ κρίματι, τοῦ οὐρανίου βασιλέως ταῖς ὑπουργίαις ἐγκολλωμένους; πνευματικῇ " δεῖ προτιμήσει χαρῆναι· ἐπειδὴ τοῦ ἀποδημεῖν ὁ καιρὸς ὑπερβαίνει " ἐν μικρῷ· οἱ σταυρῷ σεσημειωμένοι ἐκ συνάξεως

" Deest poterunt.
" Latina & barbare & falso reddita.
" Legit, tenuerint.
* Adde οὐ
" Corr. ἀπέμ. ἄλλων.
" Legebat abbatis, non Alberti.
" Legebat terminum, non triennium.
" Legit, spirituali, non speciali.
" Deest annum.

tur, ut sciant se super hoc nobis in novissimo districti examinis Dei coram tremendo judice responsuros: prius tamen considerantes, qua conscientia quave securitate comparere poterunt " coram unigenito Dei Filio Iesu Christo, cui omnia Pater dedit in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo servire renuerint in hoc negotio quasi proprie sibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio sustentantur, quinetiam cujus sanguine sunt redempti.

Ne vero in humeros hominum onera gravia & importabilia imponere videamur, quæ digito nostro movere nolimus; similes illis qui dicunt utique, sed non faciunt: ecce nos de his, quæ ultra necessaria ", & moderatas expensas potuimus reservare, triginta millia librarum in hoc opus concedimus & donamus: præter navigium, quod crucesignatis de Vrbe, atque vicinis partibus conferimus: assignaturi nihilo minus ad hoc ipsum tria millia marcarum argenti, quæ apud nos de quorumdam fidelium eleemosynis remanserunt: aliis in necessitates & utilitates prædictæ terræ, per manus felicis memoriæ " Alberici Hierosolymitani patriarchæ, ac magistrorum templi & hospitalis fideliter distributis.

Cupientes autem alios ecclesiarum prælatos, nec non clericos universos, & in merito & in præmio habere participes & consortes: ex communi concilii approbatione statuimus, ut omnes omnino clerici, tam subditi, quam prælati, vigesimam partem ecclesiasticorum proventuum usque ad triennium conferant in subsidium terræ sanctæ, per manus eorum qui ad hoc apostolica fuerint providentia ordinati: quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac prætaxatione merito eximendis, illis similiter qui assumpto vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi.

Nos autem, & fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, plenarie decimam persolvemus: sciantque se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos: ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia justo judicio, cælestis imperatoris obsequiis inhærentes speciali decet prærogativa gaudere, cum tempus proficiscendi annum excedat in modico, crucesignati, a collectis, vel

" al. confiteri
" MS. Maz. necessarias. Dacher. necessitates.
" al. Alberti vel abbatis

ANNO CHRISTI 1215.

vel a talliis, aliisque gravaminibus sint immunes, quorum personas & bona post crucem assumptam, sub beati Petri & nostra protectione suscepimus: statuentes, ut sub archiepiscoporum, episcoporum, ac omnium prælatorum ecclesiæ defensione consistant: propriis nihilo minus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita vt, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant & quieta: & si quisquam contra præsumpserit, per censuram ecclesiasticam compescatur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur adstricti: creditores eorum, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum: eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus.

Iudæos vero ad remittendas usuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem: & donec illas remiserint, ab universis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. His autem, qui Judæis debita solvere nequeunt in præsenti, sic principes sæculares utili dilatione provideant: quod post iter arreptum, usquequo de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, usurarum incommoda non incurrant: compulsis Judæis proventus pignorum, quos interim ipsi perceperint, in sortem, expensis deductis necessariis, computare: cum hujusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quod solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Porro ecclesiarum prælati, qui in exhibenda justitia crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se graviter puniendos.

Cæterum quia cursarii & piratæ nimium impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo & expoliando transeuntes ad illam, & redeuntes ab ipsa: nos speciales" adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet aliquo venditionis vel emptionis contractu; & injungentes rectoribus civitatum & locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compescant: alioquin, quia nolle perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere,

" Max. & Dacher. principales Gr. sinceres

A ἢ δομάτων βαρυμάτων * οἳ ἦσαν ἄθῳοι, ὧν τὰ πρόσωπα καὶ ἀγαθὰ μετὰ τὸ ἀναλαβεῖν τὸν σαυρὸν ὑπὸ τὴν τοῦ μακαρίτου Πέτρου καὶ ἡμῶν σκέπασιν ὑπεδεξάμεθα· καθιστῶντες ἵνα ὑπὸ τῶν ἀρχιεπισκόπων, ἐπισκόπων, καὶ πάντων προεστώτων τῆς ἐκκλησίας τοῦ θεοῦ ὑφέστωσαν· τῶν ἰδίων οὐχ ἧττον ὑπερασπιστῶν πρὸς τοῦτο πνευματικῶς " λογισθησομένων, ἵνα μέχρις ἂν περὶ τῆς αὐτῶν τελευτῆς ἢ ὑποστροφῆς βεβαιότατα γνωσθείη, σῶα μένοιεν καὶ ἀνέπαφα· καὶ ἐάν τις ἐναντίως ἐπιχειρήσῃ, ἐκκλησιαστικῇ κρίσει περισφιγγέσθω.

" Legebat, spiritualiter, non specialiter.

B Εάν τις δὲ πρὸς τὸ " ἀποδημῆσαι ἐκεῖσε εἰς τὸ δοῦναι τόκοις ὅρκῳ κεκράτηνται ἐσφιγμένοι τοὺς δανειστὰς αὐτῶν, ὡς ἂν ἀφίωσι αὐτοῖς τὸν παραχθέντα ὅρκον, καὶ ἀπὸ τῆς τῶν τόκων ἐξαιτήσεως ἀποστῶσιν, τῇ αὐτῇ ἐπιτάττομεν περισφιγχθήτωσαν. ὅπερ εἴ τις τῶν χρεωφειλετῶν τούτους πρὸς ἀπόφλησιν περισφίξει τῶν τόκων, τούτοις πρὸς ἀποκατάστασιν αὐτῶν ὁμοίᾳ περισφίγγεσθαι τιμωρίᾳ ἐντελλόμεθα.

" Legebat, ad proficiscendum

Τοὺς ἰουδαίους δὲ πρὸς τὸ ἐπαφεῖναι τοὺς τόκους διὰ κοσμικῆς ἀναγκάζεσθαι προστάττομεν ἐξουσίας, καὶ μέχρι τούτοις ἀντιπέμψωσι, C παρ' ὅλων τῶν τοῦ χριστοῦ πιστῶν διὰ ἀποκοινωνήσεως ἀπόφασιν τούτων ἡ κοινωνία παντελῶς ἐξαρνείσθω. τοῖς δὲ μὴ δυναμένοις πρὸς τὸ παρὸν ἀποφλεῖν τὰ ὀφλήματα τοῖς ἑβραίοις οὕτως οἱ κοσμικοὶ ἄρχοντες εὐχρήστῳ προειδέτωσαν παρολκῇ· ὅτι μετὰ τὴν πορείαν ἐπιληφθεῖσαν, μέχρις ὅτου τῆς αὐτῶν τελευτῆς πέρι ἢ ὑποστροφῆς βεβαιότερον γνωρισθείη, τῶν τόκων τὰ δύσχρηστα μὴ ὑφέστωσαν· ἀναγκαζομένοις τοῖς ἑβραίοις τὰ τῶν ἐνεχύρων εἴσοδα, ἅπινα οἱ αὐτοὶ τέως εἰς βλάβην ἀνέλαβον, κατασπωμένων τῶν ἀναγκαίων ἐξόδων, συναπεικάσαι· ἐν τῷ μὴ φαίνεσθαι τοῦ τοιούτου τρόπου τὴν χάριν πολὺ D παρας.........ἐπεὶ τὴν ἀπόφλησιν οὕτως ἐξάγει, ὅτι τὸ χρέος οὐ κατεσθίει. πόῤῥω δὲ οἱ τῶν ἐκκλησιῶν προεστῶτες, οἵτινες εἰς τὸ ἐμφαίνειν δίκην τοῖς τῷ σαυρῷ σεσημειωμένοις καὶ ταῖς φαμιλίαις αὐτῶν ἀμελεῖς φανῶσι, γινωσκέτωσαν ἑαυτοὺς βαρύτερον κολασθησομένους.

Ετερον ἐπειδὴ οἱ κουρσάριοι, καὶ οἱ πειραταὶ.......ἐμποδίζουσι τὴν ἐπάρηξιν τῆς ἁγίας γῆς, συλλαμβάνοντες καὶ σκυλαγωγοῦντες τοὺς πρὸς αὐτὴν διαπείροντας καὶ ἐξ αὐτῆς ὑποστρεφομένους· ἡμεῖς ἐκείνους, καὶ τοὺς γνησίους τούτων βοηθοὺς καὶ σπουδαστὰς, ἀποκοινωνήσεως ἅμE ματι συνδεσμοῦμεν· ὑπὸ διορισμῷ ἀναθέματος κωλύοντες ἵνα μηδεὶς μετ' αὐτῶν κοινωνείτω ἔν τινι ἑκουσίως ἀγορασμοῦ ἢ πράσεως συναλλαγῇ· ὁρίζοντες τοῖς τὰς πόλεις διέπουσι καὶ τοὺς τόπους αὐτῶν, ἵνα τοὺς τοιούτους ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀνομίας χαλινώσωσι καὶ μετακαλέσωνται· εἰ δὲ μὴ, ἐπεὶ τοῦ " μὴ θέλειν διαταράξαι τοὺς στρεβλοὺς οὐκ ἄλλο ἐστὶν ἢ θάλπειν·

" Cor. τὸ

ANNO CHRISTI 1215.

οὔτε στερείσθω τῆς μεθίμνης τῆς κοινωνίας λαθρέως, ὅτι φανερᾷ βασκανίᾳ παύεται ἀπαντῆσαι· ἐν τοῖς σώμασι καὶ χώραις αὐτῶν, διὰ τῶν ἐκκλησιῶν προεστώτων αὐστηρότητα ἐκκλησιαστικὴν βουλόμεθα καὶ προστάττομεν ἐγγεγυμνάσθαι. A

Ἀποκοινωνοῦμεν δὲ καὶ ἀναθεματίζομεν ἐκείνους τοὺς παραπεποιημένους καὶ ἀσεβεῖς χριστιανούς, οἵτινες ἀπεναντίας αὐτοῦ τοῦ χριστοῦ καὶ τοῦ χριστιανικωτάτου λαοῦ, τοῖς σαρακηνοῖς ὅπλα, σίδηρον, καὶ ξύλα φέρουσιν [a] τῶν κατέργων· ἐκείνους δὲ τοὺς πωλοῦντας αὐτοῖς κάτεργα, καὶ νῆας, καὶ τοὺς πειρατικαῖς ναυσὶ τῶν σαρακηνῶν φροντίδα κυβερνήσεως ἐγγυμνάζουσιν [b], ἢ μηχαναῖς ἢ ἑτέροις τισὶ πράγμασι, τούτοις παρέχουσι βουλὴν, ἢ βοήθειαν, πρὸς ζημίαν καὶ ἐναντίωσιν τῆς ἁγίας γῆς, καὶ τούτους τῶν πραγμάτων αὐτῶν διαχωρισμῷ πλήττεσθαι, καὶ τῶν συλλαμβανόντων δούλους εἶναι ἀποφαίνομεν· κελεύοντες ὅπως ἐν ταῖς παραλίαις πόλεσι πάσαις, ἐν ταῖς ἑορτασίμοις καὶ κυριακαῖς ἡμέραις, τούτου τοῦ τρόπου ἡ ἀπόφασις ἀνανεούσθω· καὶ τοῖς τοιούτοις μὴ ἀνοιγέσθω ὁ ἐκκλησίας ἡ ἀγκάλη· εἰ μὴ ὅλον ὅπερ ἀπὸ τῆς ἐπικαταράτου ὠνῆς ἀνέλαβον, ἀπὸ τῶν οἰκείων....... ἐπαποστείλωσι πρὸς βοήθειαν τῆς ἁγίας γῆς· ὅπως τῇ ἴσῃ κρίσει, ἐν ᾗ ἡμάρτον κατακριθῶσι· ὅπερ εἰ τυχὸν οὐκ ἀπολυθῇς.......οὕτως ἑτέραις ἐνοχαῖς οἱ τοιοῦτοι παιδευθήτωσαν, ἵνα ἐν τῇ αὐτῇ ποινῇ διασταλῇ ἡ αὐθάδεια τῶν τὰ ὅμοια κατατολμώντων. B C

Κωλύομεν ἐπὶ τούτοις πάντας χριστιανούς, καὶ ὑπὸ ἀναθέματος διαστέλλομεν, ἵνα εἰς τὰς χώρας τῶν σαρακηνῶν τῶν τὰ ἀνατολικὰ ἐνοικούντων μέρη, ἕως τετραετείας μὴ ἐπαποστείλωσιν, ἢ περάσωσιν τὰς αὐτῶν νῆας· ἵνα διὰ τοῦτο τοῖς βουλομένοις διαπερᾶν πρὸς βοήθειαν τῆς ἁγίας γῆς κρείττων ἀφθονία ἑτοιμασθήσεται τοῦ πλοὸς, καὶ τοῖς εἰρημένοις σαρακηνοῖς ὑποσπασθήσεται ἡ βοήθεια ἥτις αὐτοῖς εἰώθει ἐκ τούτου οὐ μικρὸς ἐπέρχεσθαι. D

Κἂν οὖν βάσανοι [c] ἔν τισι συνόδοις ὑπὸ βεβαίας ποινῆς γενικώτερον διεστάλησαν· ἐπειδὴ τοίνυν ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ, τοῦ σταυροῦ ἡ πραγματεία δι᾽ αὐτῶν πλεῖστα ἐμποδίζεται, ἡμεῖς αὐτὰς ὑπὸ ποινῆς ἀποκοινωνήσεως κωλύομεν, ἕως τριετείας ἐγγεγυμνάσθαι.

Πρὸς ταῦτα ἐπειδὴ πρὸς τὸ βιβασθῆναι τήνδε τὴν πραγματείαν διὰ μείζονος [d] ἀναγκαίου, ἵνα οἱ ἄρχοντες καὶ οἱ χριστιανικοὶ λαοὶ, εἰρήνην εἰς ἀλλήλους φυλάξωσι, τῆς ἁγίας καθολικῆς συνηγνούσης συνόδου ὁρίζομεν, ἵνα κἂν διὰ τετραετείας ἐν ὅλῳ τῷ χριστιανισμῷ εἰρήνη γενικῶς διαφυλαχθήσεται, οὕτως ὅτι διὰ τῶν προεστώτων τῶν ἐκκλησιῶν μεταγέσθωσαν οἱ διχονοοῦντες εἰς πληρεστάτην ἀγάπην, ἢ εἰς στερεὸν πάκτον ἀφθόνως E

[a] Male scriptum erat, ἐρῶσιν

[b] Corr. ἐγγυμνάζοντας,

[c] Tormenta interpretatus est.

[d] Legit, per maximum nec.

nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare: in personas & terras eorum per ecclesiarum prælatos severitatem ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri.

Excommunicamus prætcrea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum: eos etiam qui galeas eis vendunt, vel naves, quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis impendunt consilium vel auxilium, in dispendium terræ sanctæ, ipsarum rerum suarum privatione mulctari, & capientium servos fore censemus. Præcipientes ut per omnes urbes maritimas, diebus Dominicis & festivis hujusmodi sententia innovetur; & talibus gremium non aperiatur ecclesiæ, nisi totum, quod ex substantia tam damnata perceperint, & tantumdem de sua, in subsidium prædictæ terræ transmiserint: ut æquo judicio, in quo deliquerint, puniantur. Quod si forte solvendo non fuerint, alias sic reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis interdicatur audacia similia præsumendi.

Prohibemus insuper omnibus Christianis, & sub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes orientales inhabitant, usque ad quadriennium transmittant aut transeant naves suas: ut per hoc volentibus transfretare in subsidium terræ sanctæ major navigii copia præparetur, & Saracenis prædictis subtrahatur auxilium, quod eis consuevit ex hoc non modicum provenire.

Licet autem torneamenta sint in diversis conciliis sub certa pœna generaliter interdicta: quia tamen hoc tempore, crucis negotium per ea plurimum impeditur, nos illa sub pœna excommunicationis firmiter prohibemus usque ad triennium exerceri.

Quia vero ad hoc negotium exequendum est [e] permaxime necessarium ut principes [f] populi Christiani adinvicem pacem observent: sancta universali synodo suadente statuimus, ut saltem per quadriennium in toto orbe Christiano servetur pax generaliter, ita quod per ecclesiarum prælatos, discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treugam inviolabiliter ob-

[e/f] MS. Maz. & Dacher. princ. & pop.

ANNO CHRISTI 1215.

obſervandam : & qui acquieſcere forte A contempſerint, per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terras arctiſſime compellantur : niſi tanta fuerit injuriarum malitia, quod ipſi tali non debeant pace gaudere. Quod ſi forte cenſuram eccleſiaſticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per autoritatem eccleſiæ, circa eos, tanquam perturbatores negotii crucifixi, ſæcularis potentia inducatur.

Nos igitur omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum apoſtolorum B Petri & Pauli autoritate confiſi, ex illa, quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque ſolvendi contulit, poteſtate, omnibus qui laborem propriis perſonis ſubierint & expenſis, plenam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter" fuerint corde contriti & ore confeſſi, veniam indulgemus, & in retributione juſtorum ſalutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem qui non in perſonis propriis illuc acceſſerint, ſed in ſuis dumtaxat expenſis juxta facultatem & qualitatem ſuam viros idoneos deſtinarint ; & illis ſimiliter, qui C licet in alienis expenſis, in propriis tamen perſonis acceſſerint, plenam ſuorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remiſſionis volumus & concedimus eſſe participes, juxta qualitatem ſubſidii, & devotionis affectum, omnes qui ad ſubventionem ipſius terræ de bonis ſuis congrue miniſtrabunt ; aut conſilium & auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie proficiſcentibus" in hoc opere in communi univerſalis Synodus omnium beneficiorum ſuorum ſuffragium impar- D titur, ut eis digne proficiat ad ſalutem. Amen.

n Locus ex Maz & Dacher. MS. correctus.

s MS. Maz & Dacher proficientibus

φυλαχθησόμενον· καὶ οἱ ἐξακοῦσαι τυχὸν καταφρονήσαντες, δι' ἀποκοινωνήσεως ἐν τῷ σώματι, καὶ διὰ στολῆς ἐν ταῖς χώραις ἀνεκτότερον" ἀναγκασθήτωσαν· εἰ μὴ τοσαύτη τῶν ὕβρεων ἡ κακία, ὅτι αὐτοὶ οὐκ ὀφείλουσιν εἰρήνῃ τοιαύτῃ εὐφραίνεσθαι. ὅπερ εἰ τυχὸν τὴν ἐκκλησιαστικὴν εὐτελήσουσι κρίσιν, οὐ μικρῶς δυνήσονται φοβηθῆναι μὴ διὰ τῆς ἐκκλησιαστικῆς αὐθεντίας κατ' αὐτῶν ὡς ταραχωδῶν τῆς τοῦ ἐσταυρωμένου πραγματείας ἡ κοσμικὴ δυναστεία εἰσάξηται.

Ἡμεῖς τοίνυν τῷ τοῦ παντοδυνάμου θεοῦ ἐλέει καὶ τῶν μακαρίων Πέτρου καὶ Παύλου ἀποστόλων τῇ αὐθεντίᾳ θαῤῥοῦντες, ἐξ ἧς δέδωκεν ἡμῖν ὁ θεὸς κἂν ἀναξίοις δεσμεῖν καὶ λύειν ἐξουσίας πᾶσιν οἵτινες τόν δε ἰδίοις ὑποστῶσι σώμασι κόπον καὶ ἐξόδοις, πεπληρωμένην τῶν αὐτῶν ἁμαρτιῶν, ὧν ἐν ἀληθείᾳ καὶ συντετριμμένῃ καρδίᾳ καὶ στόματι ἐξομολογ..... ἄφεσιν χρηστευόμεθα· καὶ ἐν τῇ ἀνταποδώσει τῶν δικαίων, τῆς αἰωνίου σωτηρίας αὔξησιν ὑπισχνούμεθα. ἐκείνοις δὲ οἵτινες οὐκ ἐν τοῖς ἰδίοις σώμασιν ἐκεῖσε προστέλθωσιν, ἀλλ' ἐν τοῖς αὐτῶν ἀναλώμασι καὶ κατὰ τὴν αὐτῶν εὐπορίαν καὶ ποιότητα, ἄνδρας εἰδήμονας ἀποστείλωσι· κἀκείνοις ὁμοίως, κἂν ἐν ἀλλοτρίαις ἐξόδοις, οἰκείοις δὲ σώμασι προστέλθωσι, πεπληρωμένην τὴν αὐτῶν ἄφεσιν ἁμαρτιῶν στέργομεν. ταύτης δὲ τῆς ἀφέσεως θέλομεν καὶ στέργομεν εἶναι μετόχους κατὰ τὴν ποσότητα τῆς ὑπουργίας τε καὶ εὐνοίας διάθεσιν, οἵτινες εἰς ἐπικουρίαν τῆς αὐτῆς γῆς ἀπὸ τῶν αὐτῶν ἀγαθῶν λυσιτελῶς λειτουργήσουσιν, ἢ περὶ τὰ προειρημένα βουλὴν καὶ βοήθειαν παρέξουσι δέουσαν. πᾶσι δὲ τοῖς ....
ἐν τῷ δὲ τῷ ἔργῳ ἡ ἁγία καὶ καθολικὴ σύνοδος, τῶν κανόνων, ἢ τῶν πρεσβειῶν αὐτῆς καὶ εὐλογιῶν κατεδόδωσιν καὶ χαρίτων ἐπιμερίζει ἵνα τούτοις ἀξίως ἐνδοθῇ πρὸς σωτηρίαν. Ἀμήν.

ANNO CHRISTI 1215.

" MS. Maz. pro arctiſſime, habet apertiſſime : quod interpres fortaſſe reddidit, ineleganter ut ſolet ἀνεκτότερον Inter ſcribendum autem mutatum eſt in ἀνεκτότερον.

ADDITIO G. C. AD CONCILIUM LATERANENSE IV.

I. "** *Decretum in hac ſynodo fuit, ut ditio comitis Toloſani, quam Innocentius cuſtodiendam commendaverat Simoni comiti Montisfortis, ut paulo ante dictum in concilio Monſpelienſi, in plena Simonis ejuſdem poteſtate ac poſſeſſione in poſterum eſſet. De quo ſic Petrus Vallis-ſarnenſis, hiſtor. Albig. c. 83.* Anno Verbi incarnati MCCXV. menſe Novembri, dominus papa Innocentius III. E convocatis patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & aliis eccleſiarum prælatis, in Lateranenſi eccleſia, celebravit in urbe Roma generale concilium & ſolemne. Inter alia quæ ordinata fuerunt in concilio & ſtatuta, tractatum fuit de negotio fidei contra Albigenſes. Venerat enim ad concilium Raimundus, quondam comes Toloſanus, & filius eius : comes etiam Fuxi, pacis & fidei manifeſtiſſimi turbatores, ſupplicaturi concilio, pro recuperatione terræ ſuæ, quam perdiderant, Divina diſponente cenſura, ſuffragante auxilio ſignatorum.

Comes vero nobilis Montisfortis miſit illuc fratrem ſuum germanum Guidonem de Monteforti, aliosque fideles nuncios & diſcretos. Verum quidem eſt, quod fuerunt ibi aliqui, etiam quod eſt gravius, de prælatis, qui negotio fidei adverſi, pro reſtitutione dictorum comitum laborabant : ſed non prævaluit conſilium Achitophel, fruſtratum eſt deſiderium malignorum. Dominus etenim papa, approbante pro majori parte & ſaniori ſacroſancto concilio, in hunc modum ordinavit de negotio memorato Statuit ſiquidem & providit, quod Toloſa civitas & aliæ terræ a Crucesignatis obtentæ, concederentur comiti Montisfortis, qui in prædicto negotio viriliter & fideliter laboravit ſupra omnes : terram vero quam comes Toloſanus habuerat in Provincia, cuſtodiri voluit ſummus pontifex, ut de illa fieret proviſio in parte vel in toto, filio dicti comitis Toloſani : ſi tamen per certa fidelitatis & bonæ converſationis indicia oſtenderet ſe miſericordia dignum eſſe.

Præſtat autem decretum ipſum edere ex Dacheriani Spicilegy Tomo VII.

 "** SEN-

ANNO CHRISTI 1215.

"** SENTENTIA DE TERRA ALBIGENSI.

Quantum ecclesia laboravit per prædicatores & crucesignatos ad exterminandum hæreticos & ruptarios de provincia Narbonensi, & partibus sibi vicinis, totus pene orbis agnoscit. Et quidem per Dei gratiam & sollicitudinem nostram valde profecit, cum exterminatis utrisque, terra ipsa in fide catholica & pace fraterna nunc salubriter gubernetur. Quia vero novella plantatio adhuc indiget irrigari, sacro consulto concilio ita duximus providendum: ut Raymundus Tolosanus comes, qui culpabilis repertus est in utroque, nec unquam sub ejus regimine terra possit in fidei statu servari, sicut a longo tempore certis indiciis est B compertum, ab ejus dominio, quod utique grave gessit, perpetuo sit exclusus, extra terram illam in loco idoneo moraturus, ut dignam agat pœnitentiam de peccatis. Verumtamen de proventibus terræ pro sustentatione sua quadringentas marcas percipiat annuatim, quandiu curaverit humiliter obedire. Uxor vero ipsius comitis, soror quondam regis Arragonum, cui ab omnibus laudabile testimonium perhibetur, quod sit mulier honesta & catholica, terras ad suum dotalitium pertinentes integre habeat & quiete. Ita tamen ut eas sic ad mandatum ecclesiæ faciat custodiri, quod per ipsas negotium pacis & fidei non va- C leat perturbari; vel pro illis secundum apostolicæ sedis arbitrium recompensationem accipiat competentem. Tota vero terra quam obtinuerunt crucesignati adversus hæreticos, credentes, & fautores ac receptores eorum, cum Monte-Albano, atque Tolosa, quæ magis hæretica labe corrupta, dimittatur & concedatur (salvo per omnia catholicorum jure virorum, mulierum, & ecclesiarum) comiti Montis-fortis viro strenuo & catholico, qui plus cæteris in hoc negotio laboravit, ut eam teneat ab his a quibus de jure tenenda est. Residua autem terra, quæ non fuit a crucesignatis obtenta, custodiatur ad mandatum ecclesiæ per viros idoneos, qui negotium pacis & D fidei manuteneant, & defendant: ut provideri possit unico adolescenti filio præfati comitis Tolosæ postquam ad legitimam ætatem pervenerit, si talem se studuerit exhibere, quod in toto vel in parte ipsi merito debeat provideri, prout magis videbitur expedire.

Hæc de causa Stephani Cantuar & de patriarcha Maronitarum in notas suas, quæ mox sequentur, Binius conjecerat.

II *Stephani Cantuariensis causam ibidem esse disceptatam docet Matth. Paris.* In hoc, *inquit*, concilio, steterunt contra Stephanum archiepiscopum Cantuariensem procuratores regis Anglorum, abbas videlicet de Bello loco, Thomas de Handinto la, & Godefridus de Croucum- E be, milites, constanter accusantes eum de conniventia baronum Angliæ, quodque ipsius favore & consilio iidem barones dictum regem a solio depellere molirentur. Et cum a sede apostolica litteras accepisset, ut dictos magnates per censuram ecclesiasticam a persecutione regis refrenaret: ipse id facere dissimulans, ab episcopo Vvintoniensi & suis conjudicibus Divinorum celebratione & ingressu ecclesiæ suspensus, sicque ad concilium properans, manifestis indiciis sese fuisse præceptis apostolicis rebellem ostendit. His & aliis multis in hunc modum allegatis, archiepiscopus quasi convictus, & non mediocriter confusus, nihil respondit, nisi quod a suspensione petiit absolvi. Cui papa cum indignatione tale fertur dedisse responsum: A Frater, per sanctum Petrum non ita de facili beneficium absolutionis impetrabis, qui non solum ipsi Anglorum regi, verum etiam Romanæ ecclesiæ tot & tales injurias irrogasti. Volumus quoque cum plena fratrum nostrorum deliberatione decernere, qualiter tam temerarium puniamus excessum. Tandem habito super hoc cum cardinalibus tractatu, suspensionis sententiam in ipsum archiepiscopum subscriptis litteris confirmavit.

ANNO CHRISTI 1215.

Innocentius episcopus universis Cantuariensis ecclesiæ suffraganeis salutem.

"AD communem volumus notitiam perveni- " re, quod suspensionis sententiam, quam ve- " nerabilis frater noster P. Vvintoniensis episco- " pus, & dilectus filius P. subdiaconus, & fami- " liaris noster Norvvicensis electus, in Stephanum " Cantuariensem archiepiscopum autoritate apo- " stolica protulerunt, ratam habemus, & præcipi- " mus inviolabiliter observari, donec idem archi- " episcopus, qui eam humiliter servat, mereatur ab " ipsa, juxta formam ecclesiæ canonice præstitam, " relaxari, uno vinculo in aliud commutato. Quo- " circa universitati vestræ per apostolica vobis scri- " pta præcipiendo mandamus, quatenus & vos epi- " scopi præscriptam sententiam firmiter observetis, " cum interim nullam eidem debeatis obedientiam " exhibere. Datum Laterani, pridie Nonas No- " vembris.

His ita gestis, canonici Eboracensis ecclesiæ præsentaverunt domino papæ magistrum Simonem de Langetona, postulantes ut ejus electionem confirmaret. Quibus papa: Noveritis quod ipsum non habemus pro electo, quia illum ad tantam dignitatem promoveri certis de causis non patiemur. Et cum præcipue contra prohibitionem nostram ista sit electio celebrata, nos eam cassamus penitus, & in perpetuum damnamus: decernentes utique ut ineligibilis fiat, ne absque dispensatione sedis apostolicæ contingat ad pontificalem eligi dignitatem. Cassata igitur electione prædicta dominus papa canonicis præcepit, ut statim in electione procederent: sin minus, ipse eis pastorem provideret idoneum. Tunc canonici, sicut prius provisum fuerat, postulaverunt Vvalterum de Grai, episcopum Vvigorniensem, propter carnis munditiam, ut asserebant, ut qui ab utero matris virgo permanserat usque in præsentem diem. Ad hoc dicitur papa respondisse: Per sanctum Petrum virginitas magna virtus est, & nos eum damus vobis. Itaque accepto pallio, episcopus memoratus rediit in Angliam.

III. Patriarcha Maronitarum, qui, ut supra in vita Lucii papæ III. autoritate Tyrii asseruimus, tunc temporis, relictis Monothelitarum erroribus, ad fidem catholicam accesserunt, sub Innocentio papa III. venit ad hoc concilium Lateranense: ubi plenissime res ad fidem catholicam ritusque sacros spectantes edoctus, suos eosdem sequi voluit: sicque semper in fide catholica immobiles, quantumvis infidelium pressuris agitarentur, perstiterunt, ut litteræ illorum ad Leonem X. redditæ, quæ, teste Baronio anno 1182. numero 4. extant, aperte testantur.

IV. "** *De Toletano primatu hic quoque agitata*

ANNO CHRISTI 1215.

agitata controversia: cujus disceptatio ex Toletanæ ecclesiæ codice MS. refertur a Garsia Loaisa in notis ad decretum Gundimari. In hoc generali synodo, *ait MS. codex*, Rodericus archiepiscopus Toletanus, & Hispaniarum primas, de facultate Pontificis, latine concionatus est. Sed quia ex diversis mundi provinciis, tam clerici, quam laici convenerant: ut omnibus satisfaceret, rationes & testimonia latino sermone prolata, laicis & maternis linguis, singulis exponebat, Romanis videlicet, Theutonicis, Francis, Anglis, Navarris, & Hispanis. Hujusmodi autem prædicationis expositio valde placuit; utpote quæ admirationem omnibus, propter concionatoris acumen, & ingenii subtilitatem, attulit: cum ab Apostolorum tempore auditum non sit, aut scriptum repetiatur, quemquam ad populum eandem concionem habuisse, tot, ac tam diversis linguis cuncta exponendo. In eodem autem concilio obtinuit, ut per decennium, legati munere in Hispania fungeretur. Sed ultra permissum est illi, ut cum trecentis illegitime natis dispensare posset; ut ex his ad sacros ordines quidam, alii vero ad beneficia etiam animarum curam habentia, reliqui ad dignitates, & honores, ejus voluntate promoverentur; & ut cum aliquibus excommunicatis, sacrilegis, irregularibus, & concubinariis dispensaret. Est etiam consequutus, ut quamprimum civitas Hispalensis redderetur cultui Christiano, sine strepitu judicii, iure primatus ecclesiæ Toletanæ subesset. Obtinuit etiam, ut omnes ecclesias tam cathedrales, quam alias, quæ in omnibus Hispaniarum regnis ex Maurorum potestate in Christianorū ditionem pervenirent, posset pro suo libito canonice ordinare, & non solum clericos, sed canonicos & prælatos in eisdem recenter creare. Et quoniam velut umbra cuncta prætereunt, & quæ geruntur in tempore, cum tempore dilabuntur: non abs re priscis, nostrisque temporibus statutum est, quæ æterna digna sunt propagatione, scriptis mandentur, & monumentis æternis; ut nulla possint oblivione deleri. Ideoque notum sit omnibus hominibus præsentem paginam inspecturis, quod in eodem concilio apud Lateranum præfatus dominus Rudericus Toletanæ sedis archiepiscopus, Hispaniarum primas, impetrata audientia ab eodem papa, proposuit in pleno consistorio coram ipso, & cardinalibus, & pluribus archiepiscopis, & episcopis & abbatibus, & canonicis, & aliis clericis, querimoniam de Bracarensi, & Compostellano, & Tarraconensi, & Narbonensi archiepiscopis: quod nollent ei, tanquam primati suo, debitam obedientiam præstare. Et ut probaret illorum se primatem esse, ostendit privilegia & legit, Honorii, Gelasii, Lucii, Hadriani, & ejusdem Innocentii III. Romanorum Pontificum, quibus continebatur & manifestissime probabatur, Toletanum archiepiscopum Hispaniarum esse primatem. Addidit etiam idem archiepiscopus Toletanus, habere se alia plura privilegia, & monimenta, & scripta, quibus ostendebatur esse se Hispaniarum primatem. Ostendit etiam eadem die, & legit ibi sententiā Hyacinthi cardinalis apostolicæ sedis legati, latam in archiepiscopum Bracarensem, qua jubebatur, ut Toletano archiepiscopo, tanquam primati suo obediret. Legit etiam exequutionē ejusdem Hyacinthi missam suffraganeis ecclesiæ Bracarensis, in qua eis præcipiebat, ut Toletano archiepiscopo, tanquam primati suo, debitam reverentiam & obedientiam exhiberet. Unde obnixe petebat, ut jus suum sibi redderetur.

Cui respondit archiepiscopus Bracarensis, qui fuerat ad hoc specialiter citatus, sicut fuit postea per ipsum papam, & testes legitimos sufficienter probatum, contestari se litem in præsentia ejusdem papæ, propterea quod non fuerat ad hoc citatus, & ideo se non debere responsum dare: & sententiam prædicti Hyacinthi penitus se ignorare affirmavit. Dominus autem Toletanus, impetrata a domino papa audientia, respondit.

Pater sancte, mirum non est, si Bracarensis, qui præsens est, citationem apostolicam, & Toletanæ ecclesiæ primatū, & domini Hyacinthi sententiam, hac de re latam deneget, seu non erubescat supprimere: cum olim prædecessor suus Burdinus archiepiscopus Bracarensis, non solum contra Romanam ecclesiam, quæ omnium ecclesiarum mater est & magistra, non erubuit recalcitrare: sed tanquam alter Arius, visus sit inter catholicos sempiternam schismatis discordiam seminare. Cujus rei talem affero probationem. Cum dominus Bernardus quondam archiepiscopus Toletanus Romanam curiam visitasset, & ad propria rediens, per Lemovicensem civitatem transiisset, deduxit secum inde clericos & pueros in Toletana ecclesia collocandos & nutriendos: inter quos Burdinum, de quo fit sermo: quem non solum bonis ditavit, sed etiam litteris erudiendum curavit; quem deinde creavit archidiaconum Toletanum. Hic vero cooptatus in Conimbricensem episcopatū, antiquum nomen mutavit, & pro Burdino, Mauricius appellari voluit. Progressu temporis ad instantiam domini Bernardi, cujus alumnus extiterat, in archiepiscopum Bracarensem assumptus est. Cum autem videret dominum Bernardum senio confectum, immemor acceptorum beneficiorum, deposita ovina pelle, non erubuit lupinam induere. Accessit itaque ad curiam, & a domino Paschali papa II. obnixe petiit, ut domino Bernardo sene jam & inutili amoto, in ejus locum se substitueret in Toletana ecclesia. Cujus preces dominus papa, tanquam frivolas & inanes, nihili fecit. Interim orta est discordia inter Paschalem papam II. & Othonem [a] imperatorem. Hic autem Mauricius, sive Burdinus, existimans notam sibi esse injustam, quod in petitione ecclesiæ Toletanæ repulsam sit passus, accessit ad Imperatorem, & modis omnibus ad summum pontificatum ascendere conatus est: & validissimo Imperatoris instructus exercitu, urbem Romanam ingressus, tanquam sacrilegus & apostata, non erubuit Paschalis veri pontificis apostolicam usurpare sedem: & sumpto Gregorii octavi nomine, commentitiis & falsis bullis, per universum orbem apostolicas, imo apostaticas litteras dirigebat. Interim vita functus est Paschalis, in cujus locum suffectus est Gelasius secundus: permanente adhuc discordia mortuus etiam est. Huic successit Alexander [b] III. qui cum imperatore Othone [c] in gratiam rediit, & pacem inter imperium & ecclesiam Romanam constituit. Deinde Burdinus, seu Mauricius, tanquam sacrilegus & excommunicatus, inclusus est in perpetuum in Calabria, in quandam caveam, in monasterio sanctæ Trinitatis Scapile. Hoc non solum authentica historia testatur, verum etiam laicorum pictura hoc asserit & protestatur. Si quis astantium hac de re dubitat, tollat oculos ad præsentis hujus loci parietes, & videbit hujusmodi historiam picturatam. Erigentes autem oculos, omnia, ut

[a] Corr. Henricum.
[b] Cor. Callistus II.
[c] Corr. Henrico.

ANNO CHRISTI 1215.

ut dixerat, viderunt: & domini Toletani subtilitatem & peritiam collaudantes, cœperunt tum admurmurare, tum etiam in domini Bracarensis faciem intendere, quæ magno jam erat rubore perfusa.

Compostellanus similiter eadem die in pleno consistorio respondit: Pater sancte, certe derisoria videtur petitio domini Ruderici, quod ecclesia Compostellana tam antiqua & nobilis, condita in honorem apostoli Iacobi Domini consanguinei, qui primo in Hispania verbum Domini seminavit, & infinitos ad fidem Christi convertit, cujus corpus in eadem ecclesia requiescit, nunc (quod absit) obediat ecclesiæ Toletanæ. Dominus autem Rudericus archiepiscopus Toletanus, petita & obtenta a domino Papa facultate respondit: Pater sancte, o utinam causa ista in rationibus reverendi archiepiscopi Compostellani nunc propositis remaneret, & aliæ undique allegationes cessarent: maxime si per prædicta credat se posse defendere, Toletanæ ecclesiæ se nullam debere obedientiam: ad quod breviter respondeo. Causa mea derisoria fortasse videbitur, non tamen sapientibus, sed insipientibus. Si antiquitatem Compostellanæ ecclesiæ pro te facere existimas, antiquitas ista centum & novem spatio annorum continetur: quod sic persuadeo. Dominus Callistus papa, ad instantiam principis, cleri, & populorum Hispaniæ, metropoliticum jus antiquæ & celeberrimæ civitatis Emeritensis Compostellam transtulit anno Domini MCXXIV. tum quia civitas Emeritensis erat sub dominio Sarracenorum constituta, tum quia peregrinantium devotio, qui ob reverentiam beati Iacobi, cujus corpus ibidem creditur esse sepultum, in melius semper cresceret. Nam usque ad hæc tempora oratorium quoddam admodum parvum erat locus ille, in quo nunc sita est Compostellana ecclesia. Antiquior est ergo ecclesia Toletana, quæ fundata est a tempore Eugenii, qui Pauli Apostoli fuit discipulus. Si nobilitate ecclesiæ suam tueri causam nititur, propter invocationem beati Iacobi: licet apostolorum appellatio nobilis sit & illustris, nobilior tamen est & illustrior beatæ Virginis, cujus invocatione & nomine ecclesia quæcumque, augustissima & celeberrima efficitur, & potissimum Toletana, quam ipsa Virgo sanctissima præsentia sua invisere voluit, atque dignata est, cum quondam beato Illephonso archiepiscopo Toletano sacrificium Domino offerenti, & omnibus præsentibus qui Divinum audiebant officium, se visibilem præbuit. Si præterea in suæ causæ confirmationem consanguinitatem Domini inducit: certe nemo sanæ mentis ignorat, arctiori consanguinitatis vinculo B. Virginem Domino copulatam esse, quem concepit, peperit, nutrivit, & usque ad crucis patibulum & sepulchrum sequuta est. Si inducat etiam primam Divini verbi promulgationem, & plurimorum conversionem ad fidem Christi in Hispania: qui Divinam paginam noverunt, testimonium perhibeant. Ego tantum legi datam ei fuisse potestatem prædicandi in Hispania: sed interim cum per Iudæam, & Samariam Divinam legem seminaret, sub Herode Hierosolymis truncato capite, exhalavit animam & Domino reddidit. Quomodo ergo ibi prædicavit, quo nondum ingressus est? Aut sine prædicatione, quos, obsecro, convertit ad Dominum? Memini bene in primis me annis accepisse a quibusdam sanctis monialibus, & religiosis viduis, paucos admodum ejus prædicatione ad fidem conversos esse: in qua cum tam exiguos progressus effici videret, in patriam reversus, fato functus est. Si nobilitatem etiam sepulturæ inducant, quod ibi D. jaceat Iacobus, libenter assentior cum his, qui istud asserunt: licet quidam affirment, corpus ejus Hierosolymis requievisse; postea raptum a discipulis, delatum esse & sepultum apud Compostellam. Absit autem ut propter gloriam hujus primatus, asseram corpus beatæ Virginis, quod firmiter credimus in cælestibus cum Domino gloriosum esse, in ecclesia Toletana fuisse aliquando sepultum, pedibus humanis quotidie conculcandum. Membratim enim me dilaniari potius paterer, quam ad hoc affirmandum animum adjicere. Videat ergo dominus Compostellanus, an debeat ecclesiæ Toletanæ fasces submittere. Sed omissis rationibus, si placet, respondeat propositæ quæstioni. Dominus autem Compostellanus respondit, quod licet Toletanus esset Hispaniarum primas, quod falsissimum erat: non tamen ejus suffraganei deberent ei in aliqua re obedire. Qua responsione multi crediderunt Compostellanum contestatum esse litem.

Pro Tarraconensi autem archiepiscopo, qui non aderat, respondit episcopus Vicenensis" suffraganeus ejus, pro se & pro aliis suffraganeis ejus absentibus: Toletanum archiepiscopum nec esse primatem, nec se debere illi in aliquo obedientiam præstare. " Corr. Vicensis

Narbonensis qui tunc aberat, sequenti die in pleno consistorio respondit, se ad hoc citatum non fuisse. Acta sunt hæc apud Lateranum octavo Idus Octobris, anno Incarnationis Dominicæ MCCXV. pontificatus domini Innocentii papæ III. anno XVIII. Hæc ex libro MS. ecclesiæ Toletanæ.

Quæ omnia peregit publice Rudericus Ximenius Romæ in sui primatus causa, quam obtinuit. Nam summus pontifex primatus honorem eidem coram omnibus detulit; sicut ante in diplomate concesserat: idemque Honorius, & Gregorius ejus successores probaverunt.

G.C. *Contrarium asserit Mariana lib.* XII. *c.* IV. *nempe pontificem non pronūciasse.* Roderici, *inquit*, orationem, cum Bracarensis qui aderat, & Ausetanus episcopus pro Tarraconensi, refellere aggressi essent, abeissent alii quorum intererat: lite integra discessum est, neutro inclinatis sententiis. *Idem ait Surita, Annal. lib.* II. *c.* LXVIII. *Quibus suffragantur epistolæ duæ Honorii Papæ III. qui Innocentio III. successit: altera ad Rodericum Toletanum, altera ad Bracarensem archiepiscopum: quibus ex litteris constat, causam ab Innocentio non fuisse judicatam.*

V. " ** *Stero in chronico ad hunc annum.* In hac Synodo Kymensis episcopatus instituitur: ad quam sedem Rugerus primum episcopus ordinatur. *Idem narratur in chronico Salisburgensi.*

VI. " ** *Godefridus monachus in Annal. ad ann. MCCXV.* In hoc concilio Orientalis ecclesia, quod antea inauditum fuit, se subditam Romanæ ecclesiæ exhibuit. Nam Constantinopolitani duo in patriarcham electi Romam venerunt. Qui ambos consilio cardinalium deposuit, & tertium substituit & investivit, & ad sedem propriam remisit.

VII. " ** *Actum est in eodem concilio de rebus imperii, quod Friderico assertum est, repugnante nequic-*

ANNO CHRISTI 1215.

nequicquam Ottone: ut ex Richardi de S. Germano chronico MS. edisserit Odoricus Raynaldus his verbis: Scribit Richardus, omnium principum nuncios ad concilium illud confluxisse, in quo non modo de apparanda crucesignatorum expeditione ad impiam Saracenorum tyrannidem evertendam, verum de imperii rebus erat agitandum: misisseque oratores suos Othonem, ac Fridericum; alterum, ut obtenta venia imperium recuperaret, e quo dejectus fuerat; alterum, ut sibi assereret: atque etiam asperioribus animis utrinque certatum. Quippe cum Othonis orator, Mediolanensis genere, omnibus illum ecclesiæ imperiis demisse pariturum proponeret, atque ut in gratiam cum ecclesia restitueretur, urgeret: restitit marchio Montisferrati, atque acriter Othonis preces sex de causis non admittendas contendit. Primum, quod datum Romanæ ecclesiæ sacramentum infregisset: secundo, quod ea ob quæ occupata anathemate defixus esset, adhuc detineret, nec redderet, uti juratus spoponderat: tertio, quod episcopum ecclesia ejectum foveret: quarto, quod legatum episcopum summa temeritate atque audacia in carcerem conjecisset: quinto, quod per summum Romanæ ecclesiæ majestatis contemptum, Regem Fridericum, regem presbyterorum appellasset: sexto, quod virginum Deo devotarum ædes evertisset, ut arcem excitaret.

Adjecit, Mediolanensium pariter orationem respuendam, tum quod anathematis vinculis ob partes Othonianas amplexas irretiti, tum quod eorum civitas Patarenos hæreticos in gremio foveret. Objecta diluere ac retorquere aliis nitentibus, exulcerati animi in asperiora verba prorupere. Quo viso Innocentius, assurgens e pontificio solio, manu silentio indicto sacrum senatum dimisit. Cumque a B. Martini, ad S. Andreæ festum ter concilium coegisset, electionem principum, qui Fridericum salutarant imperatorem, confirmavit.

" ** VIII. *Hic quoque excommunicati Anglicani proceres, eorumque fautores, qui Ioannem Angliæ regem regno privare moliebantur. Qua de re hanc epistolam consequente anno scripsit Innocentius, a Matthæo Parisio relatam.* Ad vestram volumus notitiam pervenire, quod nos nuper in generali concilio constituti, excommunicavimus & anathematizavimus ex parte omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, autoritate quoque beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, ac nostra, barones Angliæ cum adjutoribus & fautoribus suis, qui Ioannem illustrem regem Anglorum crucesignatum & vassallum Romanæ ecclesiæ persequuntur, molientes ei regnum auferre, quod ad Romanam ecclesiam noscitur pertinere. Insuper excommunicavimus & anathematizavimus omnes illos, qui ad occupandum vel invadendum regnum ipsum, aut impediendum euntes in ejusdem regis succursum, operam vel opem impenderunt, & terras eorumdem baronum ecclesiastico subjicimus interdicto, &c. Datum Laterani XVII. Kal. Ian. Pontif. nostri anno 18.

" ** IX. *De componendis Cypriis ecclesiis eadem in synodo actum est: ut ex historia Cypria Gallice a Stephano Lusiniano conscripta intelligimus.* Absente, *inquit*, Hugone Lusiniano rege, & bellis adversus Saracenos occupato, ejus conjux Aloïsia regina nuncios ad Lateranense concilium cum mandatis misit, qui peterent ut quies restitueretur ecclesiæ Cypriæ, tum valde perturbatæ, quod Græcis episcopis qui in insulam omnem, potestatem exercebant, parere Latini nollent. Item, ut Salaminius archiepiscopus, qui eversa Salamine Famagustam translatus fuerat, Nicosiam Famagusta transferretur, in qua nobilitas universa, regiusque comitatus, & Latini omnes versabantur. Annuit concilium Reginæ postulatis. Nicosiam translatus archiepiscopatus: creatus Latinus archiepiscopus, qui Latinis tantum præesset, cui & Græci ipsi paruerunt, sublato e vivis Græco archiepiscopo Simone. Tres alii Latini episcopi instituti, Famagustanus, Nemosiensis, Paphius: & Græci episcopi quatuordecim ad Latinorum numerum redacti, iisdemque in urbibus. Quibus defunctis, eorum ecclesiæ ac decimæ Latinis attributæ sunt: certo tantum stipendio Græcis concesso. *De iisdem Græcorum & Latinorum pacificandis & ordinandis ecclesiis, edita est postea Cypria constitutio Alexandri IV. quam inferius exhibebimus.*

" ** X. *Crucigerorum ordinem in hoc concilio restitutum esse ac confirmatum, refert Philippus Bergomas supplementi chronicorum lib.* XIII. *ad hunc annum.* Ordo Crucigerorum, *inquit*, ea in synodo, jamdiu inchoatus, sed aliquando intermissus, ab ipso Innocentio pontifice restituitur & confirmatur, ac multis favoribus roboratur. Id quammaxime factum est, quod quædam Albanensium pestifera hæresis surrexerat, quæ tantam in populo Romano cleroque seditionem excitaverat, quantam unquam antea. Quam ob causam pontifex ipse multos crucesignatos impulit contra eos arma suscipere. Quibus hæreticis devictis, Crucigerorum ordinem jamdiu sopitum & obliteratum instaurans, multis privilegiis & gratiis mirabiliter auxit. Eidem autem ordini postmodum Innocentius IV. devotione affectus, apud Lugdunum existens, regulam composuit & dedit, in qua inter cætera præcepit ipsis religiosis, semper crucem in manibus deferre. Ipsius vero ordinis autorem & ducem Quiriacum, Hierosolymitanum episcopum & martyrem, tempore Constantini magni & Helenæ natum, primum fuisse tradunt. Qui cum a Iuliano apostata cum multis Christianis passus fuisset, idem ordo ad nihilum ferme usque in præsens redactus est. Ipse enim sanctus Quiriacus, ille Iudas fuit, qui crucem Domini sanctæ Helenæ ostendit: & visis miraculis crucis inventæ, postea devotioni crucis affectus, factus episcopus, ordinem hunc excitavit. *Eadem refert Sabellicus, Enn.* IX. *lib.* VI. *& antiquiorem multo hujus ordinis originem facit. Silvester Marulus in historia sacra, quicquid ad eius initia, progressum, detrimentum, restaurationem attinet, ex variis autoribus collecta repræsentat.*

" ** XI. *Interfuisse huic concilio S. Dominicum, & approbasse Innocentio pontifici consilium instituendi Prædicatorum ordinis, sic narrat Theodoricus in eius vita, lib.* I. *cap. ult.* Anno Christi MCCXV. cum ex omnibus orbis partibus ad concilium generale Romam proficiscerentur episcopi & prælati, venerabili & sancto viro Fulconi Tolosano episcopo eo contendenti piissimus Christi minister Dominicus adjunctus est: quos ita caritas inter se colligarat, & Spiritus Iesu moderabatur, ut salutem animarum ardentissimo zelo sitirent. Tempus igitur opportunum rati se adeptos, quod jampridem conceptum & deliberatum erat de instituendo ordine Prædicatorum, summo pontifici explicare statuerunt. Cumque ea, qua par erat,

Apud Surium 2 Aug. tom. 4.

ANNO CHRISTI 1215.

erat, humilitate & reverentia pōtifici sua vota exposuissent: visus est initio nonnihil se opponere Domini dispensator. Proxima nocte videt idem Christi vicarius in somnis ecclesiam Lateranensem gravem minitari ruinam. Tremefactus igitur & mœrens, videt e diverso virum Dei Dominicum accurrentem, & suis humeris totam illam ruinosam fabricam sustentantem. Ejus visionis novitatem admirans sapiens pontifex, & quid ea sibi vellet, sagaciter animadvertens, oblatas ipsi preces hilariter admisit, & pium propositum commendavit. Hortabatur vero beatum Dominicum, ut ad suos rediret fratres, communicatoque cum eis consilio, regulam quandam approbatam deligeret, quam ordo inchoandus sectaretur, atque ita ad ipsum rediens confirmationem ordinis pro voto reportaret.

" ** XII. *Approbatum esse ab eodem concilio Minorum ordinem refert Vaddingus, testesque profert multos, quorum aliquot nondum typis editi.* Dum, *inquit*, Romæ jam omnia erant in promptu, ut inciperetur frequentissimum & celeberrimum concilium universale Lateran. mense Novembri, ut habent Matthæus Paris. & abbas Vspergensis, & XVII. ejusdem mensis die, ut peculiariter notat Marianus, venit in Vrbem sanctus patriarcha, in dicto concilio de rebus sui instituti acturus, quod & fecit. Nam ad ejus instantiam, ut his verbis rem refert Marianus: Dominus papa coram omnibus ordinem " suum esse approbatum pronunciare fecit, & regu- " lam per ipsum prius sine bulla approbatam manife- " stare fecit. Idemque expresse asserunt B. Leo in legenda trium sociorum, & B. Angelus Clarenus in prœmio expositionis in regulam Minorum apud me MS. & in caput I. ejusdem. *Et infra.* Idem confirmat Reverendiss. Dom. Gonzaga dicens: " Sub Innocentio tertio celebratum fuit Romæ con- " cilium generale, in quo ab ecclesia receptus, appro- " batus & confirmatus est ordo Minorum. Hoc idem velle judico chronicon magnum Belgicum, dum ait: In concilio Lateranensi constitutum fuisse ordinem Minorum. In eodem hunc ordinem receptū fuisse scribunt Iordanus de Saxonia, & S. Antoninus.

" ** XIII. *Intererat huic concilio Ionas Surianorum patriarcha, de quo sic magnum chronicon Belgicum, ad ann. MCCII.* In partibus Asiæ majoris versus Mesopotamiam & Armeniam, quidam Ionas vir venerabilis erat patriarcha in civitate Susis; in cujus Ionæ manibus, dum Missam celebraret more suæ gentis, (hoc est, secundum consuetudinem Surianorum) tale fertur accidisse miraculum, ut panis ille magnus fermentatus, unde fiebat sacrificium, in parvam & pulchram hostiam, ad morem sacrificii Latinorum, converteretur, & calix ligneus destrueretur cum cochlearibus, reperto vero sanguine in argenteo calice. Et hoc accidit in festo beati Ioannis Baptistæ hujus anni. Vnde plures Surianorum ecclesiæ, Armenii, Georgiani, & Iacobitæ, ad consuetudinem sanctæ catholicæ & Romanæ ecclesiæ, de diem in diem per hoc miraculum cœperunt converti. Et iste Ionas patriarcha magno concilio Romano interfuit, & postmodum in patriarcham Alexandrinum promotus est.

" ** XIV. *De Simone de Alna Cisterciensis ordinis laico, deque prophetico illius spiritu admirabilia quædam narrat Cæsarius l. 3. c. 33.* Vnde factum, *ait*, ut dominus Innocentius papa ad concilium suum generale illum vocaret, vocatumque de pluribus interrogaret: a quo tam ipse, quam cæteri cardinales, didicerunt experimento, quod spiritu polleret prophetico.

IN [a] CONCILIVM LATERANENSE [b] IV.

[c] ŒCVMENICVM SIVE VNIVERSALE XII. approbatum, [d] quadringentorum episcoporum, & octingentorum aliorum patrum, abbatum, decanorum, & priorum conventualium, [e] contra Albigensium & [f] Almarici hæreses, & [g] abbatis Ioachim errores, pro ecclesia in fide & moribus reformanda, [h] proque terra sancta a Turcis recuperanda celebratum [i] anno Domini MCCXV. tempore Innocentii papæ III. & Friderici imperatoris, vel potius adhuc regis Germaniæ II.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Hæc synodus ab Innocētio papa indicta.

a *Concilium.*] Qua autoritate, quo tempore, quaque de causa hæc sacrosancta synodus indicta, quis comparendi & inchoandi concilii terminus præfixus fuerit, Matthæus Paris. his verbis summatim recenset: *Eodem anno 1215. vocati sunt a papa Innocentio Romæ ad concilium generale prælati universalis ecclesiæ, patriarchæ scilicet, archiepiscopi, episcopi, primicerii, archidiaconi, decani cathedralium ecclesiarum, abbates, priores, Templarii, & Hospitalarii, ut comparerent in præsentia domini papæ in urbe Roma, Kalendis Novembris, sicut canonicam vitare voluerunt ultionem.* Ad reformandam ecclesiam in fide & moribus, necnon pro terra sancta a Turcis & Saracenis recuperanda, autoritate Innocentii papæ hanc synodum prædicto tempore, loco ac termino indictam esse, indicat apertissime encyclica illa epistola, ab Innocentio papa ad omnes ecclesiæ prælatos & principes transmissa. *Extat supra initio actorum.*

Ob quam causā indicta fuerit.

Locus concilii.

b *Lateranense.*] Sic dictum a Lateranensi ecclesia Salvatoris, quæ Constantiniana vocatur: in qua, Matthæo Paris. & Vrspergense auctoribus, habita fuit: uterque enim de loco concilii iisdem prope verbis ista scribit: *Celebrata est Romæ sancta & universalis synodus in ecclesia sancti Salvatoris, quæ Constantiniana appellatur,* &c.

Oecumenicum fuisse probatur.

c *Oecumenicum.*] Præter autores supra nominatos id evidens ratio convincit ista, quod omnes patriarchæ per se vel per suos legatos eidem interfuerint, eique pontifex Romanus præsederit. Vnde frater Laurentius Surius in præfatiuncula, quam huic concilio præfixerat, rectissime & verissime ista ait. *Nemo sanæ mentis ambigere potest, hanc quæ sequitur synodum Lateranensem cumprimis insignem & vere œcumenicam fuisse: quippe in qua de negotiis religionis summa Latinæ & Græcæ ecclesiæ concordia tractatum est, cuique interfuere patriarcha Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus, & archiepiscopi tum Latini tum Græci septuaginta, episcopi 412. abbates & priores plus 800. simul omnes prælati 1215. aut eo plures. Nec defuere legati Græci & Romani imperatoris, regum Ierusalem, Galliæ, Hispaniæ, Angliæ, & aliorum. Quod si vero ea cuiquam propterea minus ponderis habere videatur, quod recentior sit: ille certe Christum mendacem facere velle videtur, qui perennem præsentiam suam promisit ecclesiæ suæ, & Spiritum sanctum suum, Spiritum veritatis, qui cum illa maneat in æternum. Manet sua semper catholicæ ecclesiæ autoritas, quam quisquis contemnere ausus est, non ille efficit ut ea minor sit, sed se dignum reddit qui eius pondere penitus opprimatur.* Hæc Surius.

d *Qua-*

ANNO CHRISTI 1215.

Numerus episcoporum.

d *Quadringentorum duodecim episcoporum.*] Ita Matthæus Paris. & abbas Vrspergensis hujus temporis scriptores: quorum ista fere utriusque sunt verba quæ sequuntur: *Eodem anno, i. est Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo decimoquinto, celebrata est Romæ sancta & universalis synodus in ecclesia S. Salvatoris, quæ Constantiniana appellatur, mense Novembri, præsidente papa domno Innocentio tertio, pontificatus eius anno decimo octavo: in quo fuerunt episcopi quadringenti & duodecim. Inter quos fuerunt de præcipuis patriarchæ duo, Constantinopolitanus, & Hierosolymitanus; Antiochenus vero gravi languore detentus venire non potuit, sed misit pro se vicarium suum Antiridensem episcopum; Alexandrinus vero sub Saracenorum dominio constitutus, fecit quod potuit, mittens pro se Germanum diaconum suum. Primates vero & metropolitani septuagintaseptem, abbates & priores ultra octingentos: procuratores quoque archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, priorum, & capitulorum absentium, tantus non fuit numerus. Legatorum vero imperatoris Constantinopolitani, regis Siciliæ in Romanorum imperatorem electi, regis Franciæ, regis Angliæ, Hungariæ, Hierosolymitani, Cypri, Aragonum, nec non aliorum principum & magnatum civitatum, & aliorum locorum, ingens adfuit multitudo.*

An 2283. patres huic concilio interfuerint?

Vnde evidenti testimonio patet, quod huic concilio interfuerint, non, ut quidam hujus temporis scriptores aiunt, bis mille ducenti octoginta tres vel quinque patres conjunctim computati, sed tantum bis mille ducenti duodecim. Nam septuaginta illi & unus metropolitani, duoque patriarchæ supra recensiti, sub quadringentis duodecim episcopis continentur & computantur, ut patet ex verbis supra recitatis.

e *Contra Albigensium errores.*] Ita sentiendum existimo, tum quod capitulo 1. & vigesimoprimo huius concilii, illa dogmata fidei de principio creationis, corporum resurrectione, baptismo, eucharistia, pœnitentia, inferno, matrimonio, aliisque pluribus fidei articulis, hic a patribus concilii asserantur & definiantur, quæ Albigensibus autoribus, ut supra in concilio Lateranensi tertio notavi, impugnabantur: tum etiam quod decreto ejusdem concilii, ut refert Matthæus Paris. datus sit comitatus Tolosanus Simoni Montifortensi comiti, qui eosdem Albigenses Philippi regis Francorum autoritate, & Germanorum principum subsidio fretus, duodecimo fere anno, postquam cœperunt bello oppugnari, vel ad pœnitentiam adegit, vel omnino fugavit & extirpavit. De Albigensium hæresibus, earumque condemnationibus, vide supra sub Alexandro tertio concilium celebratum anno 1176.

Quid contra Albigenses definitum?

f *Almarici hæreses.*] Hæreses Almarici hac synodo damnatas esse patet cap. 2. Quis autem Almaricus, quæque ejus hæreses fuerint, Robertus Gaguinus lib. 6. sub Philippo rege describit his verbis: *Almaricus Carnotensis, litteris apprime eruditus, cum apud Parisios non parvam doctrinæ opinionem obtineret, palam docuit quosque Christianos membra Christi corporis esse; & , dum a Iudæis Christus pateretur, una cum ipso dolorem atque afflictionem fuisse revera perpessos. Sed errorem cum tueri non posset, damnatus est resipiscere, & contrariam sententiam asserere. Ob hanc ignominiam contracta animi ægritudine, paulo post tempore interiit. Fuere alii præterea litterati homines qui singulis divinæ Trinitatis personis singula tempora per successionem tribuerent, asserentes Patris omnipotentiam Christi adventu desiisse, Christi vero doctrinam Spiritus sancti accessu exoletam esse. Cuius hæreseos autores, procurantibus Petro Parisiensi episcopo atque Garino consulari*

Almaricus describitur.

A *viro, deprehensi, honoribus & dignitate privati sunt. Laicos, id est qui extra cleri ordinem essent, ignis absumpsit: feminis vero parcitum est. At Almarici cadaver, quod pone diui Martini Parisiensis ecclesiam sepultum fuerat, exhumatum & crematum est.*

ANNO CHRISTI 1215.

De eodem ista Genebrardus libro quarto chronologiæ: *Almaricus, sive Amorricus, Carnotensis, vir eruditus, sed hæreticus, convictus est viginti errorum, quorum unus erat: Corpus Christi non magis esse in sacramento eucharistiæ, quam in qualibet alia re. Ejus sequaces cum ejusdem ossibus refossis Lutetiæ postea usti sunt.* Hæc Genebrardus. Sanderus libro 7. de visibili monarchia, de Almarico agens: *Negabat*, inquit, *aut generationem filiorum, aut distinctionem sexuum, in paradiso futuram, nisi Adam peccasset. Non aliter esse corpus Christi in pane altaris, quam in alio pane, & in alia qualibet re. Thurificationem qua in ecclesiis utuntur, idololatriam vocabat. Negabat resurrectionem corporum, paradisum, infernum, & idearum in mente divina æternitatem. Dicebat quemlibet fidelem teneri, ut credat se esse membrum Christi, & hoc esse de articulis fidei.* David Dinantius discipulus Almarici, teste eodem Sandero, dicebat Deum esse materiam primam. Quare supra cap. 1. concilii Lateranensis patres concilii haud dubie contra eundem Dinantium asseruerunt: *Deus simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem.*

David Dinantius.

C De eodem Prateolus ista: *Fuit Almaricus natione Gallus, patria Carnotensis, Lutetiæ Parisiorum impietatis doctor. Inter vesanæ mentis ejus errores, recensentur præcipui qui sequuntur.*

Vide supra Concil. Paris. ann. 1209.

Dicebat corpus Christi non aliter esse in pane altaris quam in alio pane, & in qualibet alia re, transsubstantiationem denegans.

Deum sic locutum fuisse in Ovidio sicut in Augustino.

Negabat præterea resurrectionem corporum, paradisum similiter & infernum: sed qui in se Dei cognitionem haberet, illum habere quoque in se paradisum. Qui contra peccatum mortale haberet, eumdem infernum habere in se, non aliter quam dentem putridum in ore.

Altaria sanctis dicata, & imagines thurificare, sanctorumque invocationes, idololatriam esse asserebat.

D *Non solum cum Armenis Adam & Evam nunquam carnali copula jungendos, si in statu illo in quo Deus illos condidit permansissent; verum etiam sexuum differentiam nullam, sed hominum multiplicationem æque atque angelorum futuram affirmabat; contra illud quod in Genesi scribitur:* Creavit Dominus hominem ad imaginem & similitudinem suam; ad imaginem Dei creavit illum, masculum & feminam creavit illos.

Gen. 1.

Asserebat rursus Deum non videri in se, sed in creaturis, sicut lumen in aere.

Item illud quod alias est peccatum mortale, factum in caritate non esse peccatum, impunitatem peccatorum promittens.

E *Affirmabat denique ideas, quæ sunt in mente Divina, & creare & creari posse: cum contra, teste divo Augustino, in mente Divina nil nisi æternum & incommutabile sit.*

Somniabat quoque mentem contemplativi vel beati perdere suum esse in proprio genere, & redire in illud esse ideale quod habuit in mente Divina.

Docebat deinde, omnes creaturas in fine in Deum redire, & in ipsum converti, ut sint unum individuum cum ipso. Vnde per consequentiam in resurrectione duplicem fore sexum negabat.

Hæc & plura alia insana cum insaniret, multosque sequacium errore suo imbueret: ab episcoporum & theo-

ANNO CHRISTI 1215.

theologorum Parisiensium concilio convictus, ex mœrore animi interiit. Multi complices senatusconsulto damnati, & coram universo populo exautorati, deinde flammis exusti, eorumque cineres per sterquilinium dispersi sunt. Tradunt autem quod cum illi ad supplicium ducerentur, tanta oborta sit aëris inclementia & intemperies, ut nemo dubitaret quin ab eis aër fuisset concitatus, a quibus tantus error morientibus fuerat persuasus. Nam dicuntur tunc tam obstinata mente fuisse, ut non solum ad interrogata nullum darent responsum, sed nec in eis in ipso mortis articulo ullum pœnitentiæ aut sanæ mentis & resipiscentiæ perpendi potuerit indicium. Almaricus a generali concilio Laterani, ea potissimum de causa celebrato, hæreseos damnatus & anathemati subjectus, postea jussu Philippi Gallorum regis exhumatus exustusque est.

Ioachim abbas describitur.

g *Abbatis Ioachim errores.*] Quis abbas Ioachim, qui ejus errores ab ecclesia damnati fuerint, indicatur supra capitulo secundo hujus concilii Lateranensis. Quo tempore in hunc errorem prædictus abbas inciderit, indicat Matthæus Paris. in historia Anglicana anno 1179. his verbis: *Scripsit etiam ejusdem*, Alexandri papæ, *diebus contra eumdem Petrum Lombardum abbas Ioachim Florensis cœnobii libellum, vocans eum hæreticum & insanum, eo quod in libro sententiarum, quem composuerat idem Petrus de unitate sive essentia Trinitatis, dixit: Quoniam quædam summa res est Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & illa non est generans, neque genita, neque procedens. Contra hanc assertionem opposuit abbas præfatus, quod non tam Trinitatem astruebat in Deo, quam quaternitatem, tres videlicet personas, & illam communem essentiam*, &c. prout habentur supra cap. 2. Et paulo infra subjungens ait: *Stetit autem hæc indeterminata altercatio a diebus Alexandri papæ usque in tempora Innocentii papæ per annos multos, sedentibus inter eos in cathedra Romana Lucio, Gregorio, Clemente, & Cælestino pontificibus Romanis. Quibus succedens Innocentius tertius, anno Domini 1215. Romæ generale concilium celebrans, libellum abbatis Ioachim, quem contra Petrum & articulum ediderat prædictum, his verbis damnavit: Nos sacro*, &c. prout habetur supra cap. 2.

Cur Ioachim abbas contra Petrum Lombardum scripserit.

Causam scribendi contra Petrum Lombardum ei dedisse videtur Alexander papa, qui cum relatu aliorum accepisset, quod magister Petrus Lombardus in quibusdam scriptis suis ab articulis fidei recederet, autore Matthæo Paris. prædicto loco, ad Vvillelmum Senonensem archiepiscopum sub hac forma litteras direxisse scribitur:

ALEXANDER EPISCOPUS servus servorum Dei, Vvillelmo Senonensi Archiepiscopo salutem.

CUM in nostra olim esses præsentia constitutus: *&c. Extat tomo superiori in notis ad Concilium Lateranense III. sub Alexandro papa III.*

An fuerit hæreticus.

Ioachimum abbatem errantem, nequaquam vero hæreticum fuisse, indicat epistola Honorii papæ III. ad episcopum Lucanæ, adversus eos qui de Ioachimo atque ejus monasterio acerbius obloquebantur, scripta: quæ extat apud eamdem Matthæum Paris. quæque ita incipit: *Ad audientiam nostram*, &c.

Quis & qualis fuerit Ioachim, quo dono præditus, quæque ejus scripta excusa reperiantur, refert Possevinus in apparatu sacro, verbo, *Joachimus abbas.*

De expeditione in terram sanctam suscipienda.

h *Proque Terra sancta a Turcis recuperanda.*] Hac de re in concilio actum esse, adeoque non satis convenienter appendicem concilii nominari, quæ de expeditione in terram sanctam accipienda hic habentur, præter epistolam Innocentii papæ ad omnes Christi fideles scriptam initio actorum hujus synodi, extantem apud abbatem Vrspergensem, testatur Matthæus Paris prædicto loco, ubi ait: *His omnibus congregatis in suo loco præfato, & juxta morem conciliorum generalium in suis ordinibus singulis collocatis, facto prius ab ipso papa exhortationis sermone, recitata sunt in pleno concilio capitula sexaginta, quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa. Tandem de negotio Crucifixi & subjectione terræ sanctæ verbum prædicationis exorsus, subjunxit, dicens: Ad hæc, ne quid in negotio Iesu Christi de contingentibus omittatur*, &c.

i *Anno Domini*, &c.] Tempore notato hanc synodum celebratam esse, præter abbatem Vrspergensem & Matthæum Paris. locis allegatis, testatur epistola pontificis encyclica de synodo celebranda ad omnes episcopos, prælatos & principes ecclesiæ scripta, quam ex abbate Vrspergensi supra recitatam invenies.

G. C. Erant alia in notis Binii de causa Stephani Cantuariensis archiepiscopi, & de patriarcha Maronitarum, quæ cum non tam ad notas pertinerent, quam ad acta concilii: supra descripta sunt, pag. 234.

ANNO CHRISTI 1216.

** CONCILIUM MELODUNENSE, A PETRO SENONENSI ARCHIEPISCOPO & suffraganeis celebratum anno MCCXVI.

LUdovicus Philippi Augusti regis Francorum filius, rex delectus ab Anglis, qui a Ioanne rege suo defecerant, in Angliam armatus irrupit. Ægre id tulit Innocentius pontifex, quod & sedi apostolicæ vectigalis esset Anglia, & Ioannes rex sacræ militiæ nomen dedisset: quod qui fecerant, quatuor annorum inducias ex recenti Lateranensis concilii decreto gaudebant. Excommunicatur igitur Ludovicus a Gualone legato. Philippus rex, cum religiose servare vellet pactas inducias cum Ioanne rege, qui tamen eas sæpe violaverat: adeo Ludovicum filium non adjuvit, ut in eum ac proceres qui secuti ipsum erant bonorum omnium publicatione animadverterit. At ne sic quidem facere potuit, quin esset pontifici suspectus: qui cum vehementissimas ea de re litteras ad Petrum Senonensem archiepiscopum ejusque suffraganeos dedisset: ij coacta Meloduni Synodo, regem culpa vacare pronuntiarunt. Hæc rerum Gallicarum Anglicarumque scriptores, ac præsertim Guillelmus Armoricus.

CONSTITUTIONES EX CONCILIO Petri archiepiscopi Senonensis.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut advocati jurent de calumnia.*
2. *De eo qui per annum & diem in excommunicatione publica fuerit.*
3. *Ut Prior mutuo pecuniam non sumat ultra 40. solidos.*
4. *Ut prior nullam pecuniam accipiat a Iudæo.*
5. *Ut abbates, priores, &c. quotannis computent in capitulo.*
6. *Ut abbas pecuniam mutuo non accipiat ultra summam ab episcopo taxatam.*
7. *De vestibus & calceamentis abbatum & aliorum religiosorum.*

CAPUT

Petrus II. archiepiscopus 72. obiit anno 1221.

CAPVT I.

I. *Vt advocati jurent de calumnia.*

STatuimus ut aduocati jurent de calumnia de cætero, in causis tam inchoatis quam inchoandis, aut non admittantur ad eas tractandas.

II. *De eo qui per annum & diem in excommunicatione publica fuerit.*

B Si aliquis per annum & diem excommunicationem publicam sustinuerit, compellatur potestas sæcularis, ut excommunicatum ad unitatem ecclesiæ per suam potestatem venire compellat, mittendo manum in ipsum & res eius.

III. *Vt prior mutuo pecuniam non sumat ultra 40. solidos.*

Statuimus, ne prior, nisi conventualis, ultra summam quadraginta solidorum, ab aliquo, sine licentia abbatis sui, vel episcopi sui si remotus fuerit abbas, mutuo pecuniam accipiat: quod si forte fecerit, abiiciatur a prioratu, nec denuo valeat prioratum adipisci, quousque per concilium provinciale fuerit restitutus. C

IV. *Vt prior nullam pecuniam accipiat a Iudæo.*

Eidem pœnæ subjaceat Prior, qui quamcumque summam pecuniæ receperit a Iudæo.

V. *Vt abbates, priores, &c. quotannis computent in capitulo.*

Statuimus ut abbates, priores, & alii obedientiarii, de singulis proventibus & reditibus & expensis computent singulis annis diligenter in capitulo. Et ut status tam abbatiarum quam prioratuum a claustralibus cognoscatur, computus in scriptis redigatur, ita quod conventus penes se retineat unum scriptum, & abbas aliud. D

VI. *Vt abbas pecuniam mutuo non accipiat ultra summam ab episcopo taxatam.*

Nullus abbas mutuo recipiat pecuniam, sine capituli sui, vel majoris & sanioris partis conventus licentia, ultra summam ab episcopo suo taxandam secundum monasterii facultates: qui contra fecerit, per episcopum suum puniatur. E

VII. *De vestibus & calceamentis abbatum & aliorum religiosorum.*

Præcipimus abbatibus & aliis religiosis, ut ipsis vestibus & calceamentis ordini suo congruentibus utantur. Et si abbates in his observandis seu corrigendis fuerint negligentes, per episcopos suos puniantur.

A

VITA ET EPISTOLÆ HONORII PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 1216.

HOnorius III. cui Cencii nomen fuerat, Romæ ex clarissima gente Sabella prognatus erat, ex camerario sanctæ Romanæ ecclesiæ anno Dom. 1216. xv. Kalendas Augusti altero die post obitum Innocentii sub imperio Friderici II. in pontificem Romanum electus est. Revelatione sancti Petri, ut vulgo credebatur, instructus, publice futurum prædicebat civitatem sanctam Ierusalem brevi recuperatum iri. Quo rumore, ait Vrspergensis, plurimi Romanorum & Germanorum excitati, crucem contra Saracenos sumpserunt. Robertum Petri filium, Orientis, Fridericum II. Occidentis, imperatores coronavit: qui immemor accepti beneficii, contra ius & æquitatem ditionem pontificiam vexavit: profectusque Roma in Apuliam, ut ait Trithemius in chronico, cum magno suorum exercitu multa ibi bella commisit, omnemque terram cum Sicilia suo imperio subjugavit, plurimisque ibidem interfectis, reliquos suo dominio coëgit esse subjectos. Ob quam causam ab Honorio excommunicatus, Ioannis Hierosolymitani regis (quem ad Vrbem delatum honorificentissime exceperat) intercessione, ea lege absolutus & ecclesiæ reconciliatus est, ut res ablatas restitueret, & ad recuperationem terræ sanctæ se cum exercitu suo conferret. Prædicatorum & Minorum monachorum ordines biennio ante mortem sancti Francisci confirmavit, adversus Turcas & Saracenos exercitum conscripsit, eumque comitatu cardinalis Columnæ, aliorumque principum & regum militibus stipatum in Asiam transmisit. Post restauratas sanctorum Laurentii & Bibianæ ecclesias obiit mense Martio anno Domini 1227. cum, ait Vrspergensis, decem annis & octo mensibus ecclesiæ Romanæ præsedisset. Sepultus est in basilica sanctæ Mariæ majoris.

Honorius qualis & quando papa factus. Duorũ imperatorum coronator. Fridericus Romanæ ecclesiæ jura invadit. Excommunicatur. Absolvitur. Prædicatorum & Franciscanorũ religiones confirmantur. Obitus Honorii.

HONORII PAPÆ III. EPISTOLA I.

AD HENRICVM III. ANGLIÆ REGEM.

Eum ad Christiane vivendum hortatur.

Honorius regi Anglorum.

CVm te tamquam ecclesiæ Romanæ filium specialem sincero diligentes affectu, cupiamus ut apud Deum & homines proficias sapientia & ætate: libenter salubribus monitis præmunimus, quæ tanto altius cordi tuo debent infigi, quanto ex majori nostræ mentis affectione procedunt. Quia igitur timor Domini est fons vitæ, qui se potatos a peccato præservans, erudit ad salutẽ, præstansque fiduciã fortitudinis, quos afficit, reddit ab hostibus mentis & corporis tutiores: serenitatem regiam monemus & hortamur attente, quatenus ab adolescentia tua timori Domini assuescens, in eo teneas te instanter; teque a vitiis continens, virtutibus imbui satagas studiose, sponsamque Christi ecclesiam, & ministros ipsius, in quibus idem honorari & sperni se asserit, humiliter venereris: ut de gratia in gratiam, & de virtute proficiens in virtutem, subjectũ tibi populum in pulchritudine pacis & requie opulẽta gubernes; & dies super dies regis adiiciens Dominus annos multiplicet vitæ tuæ, tandemque de terreno & transitorio te ad regnum cæleste provehat & æternum. Et quia mores solent a cõvictu formari, familiares habere studeas providos & honestos, qui salutem & honorem tuum sincere zelantes, ea tibi fideliter consulãt, quæ Deo & hominibus debeant complacere.

II. AD EPISCOPOS ANGLIÆ.

De accusatione Richardi Dunelmensis episcopi.

Honorius episcopus, &c. Sarisberiensi & Eliensi, &c. episcopis, salutem, &c.

ITa nobis in odore bonæ opinionis fratrum & cooperatorum nostrorum convenit delectari, ut in pestilentibus vitia non palpemus: cum non deceat pro reverentia ordinis sustinere peccantes, quorum culpa tot eos dignos mortibus facit, quot ad subjectos perditionis exempla transmittunt, qui sola quæ pravitatis exempla conspiciunt, imitantur. Hinc est quod cum de venerabili fratre nostro Dunelmensi episcopo sæpius nobis insinuata fuissent quæ ab episcopali honestate nimium dissonabant: tandem * in conculcatis funibus clamoris excitati, ut non pateremur, cum perditione multorum, quiescere amplius in suis enormitatibus episcopum memoratum; de quo insinuatio clamosa processit, quod postquam fuit ad officium pontificale promotus, reus sanguinis, simoniæ, adulterii, sacrilegii, rapinæ, perjurii, ac dilapidationis multiplicis est effectus: non formidans clericos, orphanos, ac viros religiosos opprimere, testamenta decedentium impedire, regia jura, contra " scientiam dilecti filii nostri Pandulphi Norvvicensis electi, munire; ac excommunicatione ligatus ingerere se Diuinis. Item etiam appellationibus non defert ad Romanam ecclesiā interpositis, statuta generalis concilii non observat, nunquam proponit populo verbum Dei, lingua & exemplo vitæ pravum subditis præbet exemplum, coram multis juravit quod pacem, ipso vivente, Dunelmensis ecclesia non habebit. Conquerente sibi monacho quodam Dunelmensi se a servientibus suis ab ecclesia quadam fuisse extractum, & usque ad sanguinis effusionem pulsatum: respondit ei, quod melius factum fuisset, si servientes episcopi monachum peremissent. Ipse insuper apostolicam regulam, continentem qualis debeat esse episcopus, penitus calcavit in cunctis. Nos ergo, ne alienæ culpæ simus autores, si clausis oculis tot & tanta prædicti episcopi transeamus errata, cum adeo ad nos clamor super his ascenderit, ut dissimulationi amplius non sit locus, dignum duximus ex officii nostri debito descendere, ut hæc an ita sint, vel aliter, videamus. Quocirca fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus inquisita super his & cognita solicite veritate, quæ inveneritis, vestris fideliter inclusis sigillis, ad nostram præsentiam remittatis: ut, autore Deo, quod super hoc faciendum fuerit, statuamus. Datum Viterbii, pontificatus nostri anno quarto.

*f. inculcatis simus clamoribus

"f. sententiā

III. AD ARCHIEPISC. COLONIENSEM, EIVSQVE SVFFRAGANEOS.

Mandat ne advocatias ecclesiarum suarum laïcis conferri permittant.

Honorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Coloniensi ac suffraganeis ejus salutem & apostolicam benedictionem.

CVm plerique advocati ecclesiarum, advocationis obsequium convertentes in dominationis abusum, ecclesias ipsas opprimant & affligant, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ecclesias vestrarum diœceseon, humano amore ac mundano timore postpositis, ab advocatorum vexationibus taliter defendere studeatis, quod per studium vestrum a suis possint angustiis respirare, nosque solicitudinem vestram commendare merito debeamus. Ad hæc si quas advocatias vacare contigerit, expresse inhibeatis ecclesiis ad quas spectant, ne illas conferre præsumant, sed suis curent usibus applicare: illud districtius inhibentes, ne una ecclesia plures advocatos assumat, cum ministerium advocatorum hujusmodi, quod ad ecclesiarum tranquillitatem noscitur fuisse provisum, ad vexationem ipsarum per eorum usurpationes constat esse conversum. Datum Laterani Idibus Martii, pontificatus nostri anno quinto.

G.C. Has tantū epistolas tres habet editio regia: nos, plures edere cū possemus, abstinemus cōsulto, ut ante admonuimus. Multas dabunt Raynaldus, Bzovius, & alii. Octodecim exhibet tomus V. historicorum Franc. Non possum tamen quin tres hic exhibeam a Castejono Fonseca editas in opere de primatu Toletano: quia & ejusdem argumenti nonnullas aliorum pontificum supra edidi, & necessariæ sunt hæ ad ea probanda, quæ in Lateranensi IV. concilio dixi de causa primatus Toletani ibidem agitata.

"** IV. AD RODERICVM TOLETANVM ARCHIEPISCOPVM.

De primatu Toletano.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Roderico archiepiscopo Toletano, salutem & apostolicam benedictionem.

TE ac Ioanne Bracarensi clerico procuratore venerabilis fratris nostri Bracarensis archiepiscopi in nostra præsentia constitutis, idem procurator terminum tibi, & præfato archiepiscopo, ejusque capitulo, in causa quæ super primatia inter te & eosdē vertitur, a felicis memoriæ Innocētio papa prædecessore nostro peremptorie assignatū, & postmodum approbatum a nobis, proximum festum omnium sanctorum videlicet, petiit prorogari, & dari sibi ad producendos testes inducias largiores, pro eo, quod I. Guterii canonicus Toletanus, quem procuratorem ad eorum præsentiam, quibus commissa fuit receptio testium, destinasti, judicatus fuit insufficiens ab eisdem. Nos, igitur attendentes, quod ipsi receptores testium in suis litteris testabantur expresse, quod idem procurator necessaria ministravit, & productioni testium multorum interfuit, ac etiā præstare voluit fidejussoriam cautionem, te rem ratam omnimodis habiturum; ipse vero archiepiscopus id acceptare non curans, recusavit plures testes producere ab ipsis receptoribus requisitus: ejusdem procuratoris petitionem de fratrum nostrorum consilio non duximus admittendam, tibi præsentes litteras in hujus rei testimonium concedentes, ne occasione hujusmodi alicui posses in posterum dispendio subjacere.

"** V. AD ARCHIEPISC. ET CAPIT. BRACARENS.

De eodem argumento.

Honorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri archiepiscopo, & dilectis filiis capituli Bracarensis salutem & apostolicam benedictionem.

COram felicis memoriæ Innoc. papa prædecessore nostro lite inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Toletanum, & te, frater archiepiscope, super primatia solemniter contestata: vobis fuit peremptorius terminus assignatus, quo cum rationibus & defensionibus vestris procuratores idoneos ad sedem apostolicam mitteretis. Nos autem habentes rata prædicta, vobis denunciavimus, ne denuo expectaretis citari, quia nisi compareretis termino assignato, tu frater archiepiscope per te, vel per suffi-

ſufficientem procuratorem, voſque filii capitulum per A idoneos reſponſales, nos nihilominus procederemus in ipſo negotio, quantum iuſtitia poſtularet. Verũ elapſo termino conſtituto, poſt expectationem non modicã, comparuerunt dilecti filii magiſter ſcholarum, & magiſter Dominicus canonicus Bracarenſis, veſtras nobis litteras præſentantes, quibus eos eſſe procuratores veſtros in cauſa prædicta, ita quod uterque in ſolidum, apparebat. Sed quia, ut dicebant, non attulerant depoſitionem teſtium, & alia munimenta: dilationem cum inſtantia poſtularunt. Poſtquam vero contra eos interlocuti fuimus ſuper dilatione petita, tandem indulgeri eccleſiæ Bracarenſi dilationem propter inſtructionem cauſæ, per auxilium reſtitutionis in integrum, poſtularunt: exhibentes ſuper hoc ex parte veſtra ſpeciale mandatum. B Nos autem de fratrum noſtrorum conſilio, uſque ad octavas Pentecoſtes proxime futuras, per reſtitutionis beneficium, ad id vobis terminũ duximus indulgendum: per apoſtolicam vobis ſententiã præcipiendo mandantes, quatenus ſic inſtructi compareatis in termino, quod cauſa ſuum ſortiri poſſit effectum: quia cum, vltra peremptorium aſſignatum, diu ſit in ipſius Toletani diſpendium, ejuſdem cauſæ deciſio protelata, tunc profecto in ea quantum poſtulabit ratio procedemus. Datum Lateran. X. Kalendas Martii, pontificatus noſtri anno I.

VI. AD RODERICVM ARCHIEPISC. TOLETANVM.

C

Primatus in Hiſpalenſem metropolim conceditur.

Honorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri archiepiſcopo Toletano ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

Apoſtolicæ ſedis benignitas provide penſans merita ſingulorum, iis, quos plus fervere in ſua devotione cognoſcit, majorem conſuevit gratiam exhibere: ut non ſolum illos e devotis devotiores efficiat; verumetiam illorum exemplo indevotos ad ſui devotionem inducat. Hinc eſt, quod attendentes nobilitatem eccleſiæ Toletanæ, intuitu ſpiritualis devotionis, quam ad apoſtolicam ſedem habere dignoſcitur; volentes facere gratiam ſpecialem in Hiſpalenſi metropoli, ac ejus provinciæ: eidem eccleſiæ præſentis ſcripti D privilegio jus concedimus primatiæ: ſtatuentes, ut cũ præfata metropolis ad Chriſtianorum manus Deo favente redierit, tu frater archiepiſcope, ac ſucceſſores tui, ea quæ ſpectant ad primatis officium exerceatis libere in eadem. Adjicimus tamen ex conceſſione hujuſmodi, quam motu proprio fecimus tibi vel ipſi eccleſiæ Toletanæ nullum omnino præjudicium generetur. Decernimus igitur, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis & conſtitutionis infringere, vel ei &c. Si qua igitur in futurum eccleſiaſtica, ſæculariſve perſona hanc noſtræ conceſſionis & conſtitutionis paginam ſciens, contra eam, &c.

Datum Lateran. per manum Ranerii ſanctæ Ro- E manæ eccleſiæ vicecancellarii, Cal. Februarii, Indict. VI. Incarn. Dominicæ anno MCCXVIII. pontificatus vero domini Honorii papæ III. anno II.

** CONSTITVTIONES RICARDI POORE, Sarum epiſcopi, circa annum Domini 1217.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1217.

TITVLI CAPITVM.

1. *Vt ſancti ſint miniſtri eccleſiæ. Item qui ſuſpenſi.*
2. *De irregularitatibus de quibus epiſcopus poteſt diſpenſare.*
3. *Qualiter archidiaconi inſtruere debent ſacerdotes in fide, & in articulis fidei.*
4. *Capitulum continens expoſitionem catholicæ fidei.*
5. *De munditia ſacerdotum & clericorum.*
6. *De focariis amovendis.*
7. *De pœna archidiaconorum, officialium, decanorum negligentium.*
8. *De pœna & ſatisfactione focariarum ſacerdotum.*
9. *De pœna eius qui polluerit filiam ſpiritualem.*
10. *De ſuperbia vitanda, in geſtu, habitu, & verbis, & indumentis clericorum.*
11. *De bono pacis.*
12. *De hoſpitalitate ſervanda.*
13. *De numero ſacramentorum.*
14. *Ne laici, laudabiles conſuetudines frangant.*
15. *Ne Miſſæ venales ſint, nec onerent ſe annualibus vel triennalibus ſacerdotes.*
16. *De baptiſmo & ejus effectu.*
17. *Fontes ſub ſera claudantur.*
18. *De baptiſterio.*
19. *De forma baptizandi.*
20. *Quod chriſmales niſi in uſus ornamentorum eccleſiæ non convertantur.*
21. *De pueris cuſtodiendis.*
22. *De inquiſitione patris pueri.*
23. *Quod pater debeat admitti ad levandum puerum.*
24. *De ſacramento Confirmationis.*
25. *Vbi debeant audiri confeſſiones mulierum.*
26. *Qualiter admittendæ ſunt purgationes defamatorum.*
27. *Qualiter ſe debeat gerere ſacerdos in confeſſione audienda.*
28. *De majoribus peccatis.*
29. *Ne ſacerdos revelet confeſſionem.*
30. *Ne pœnitentia injungatur ſine reſtitutione.*
31. *De decimis dandis.*
32. *De pœna communicantium cum excommunicatis.*
33. *De ſolemni excommunicatione.*
34. *De ſacramento Euchariſtiæ.*
35. *De effectu Euchariſtiæ.*
36. *De canone Miſſæ.*
37. *Quod ſingulis diebus dicatur pro defunctis, placebo Domino.*
38. *Ne ſacerdos oſculetur hoſtiam.*
39. *Ne Euchariſtia detur ſecretius.*
40. *De ornamentis eccleſiæ.*
41. *Ne bona eccleſiæ alienentur niſi in caſibus cõceſſis.*
42. *De defectibus ſupplendis de bonis defuncti, de pœna archidiaconi in hoc negligentis.*
43. *De eodem.*
44. *De eccleſiis ad firmam tradendis.*
45. *Ne ulli religioſi aliquem habeant ingreſſum in poſſeſſionibus eccleſiæ, ſine conſenſu epiſcopi.*
46. *Ne penſio in eccleſiis detur alicui, ſine aſſenſu noſtro.*
47. *De capellanis extraneæ ordinationis.*
48. *Ne amoveantur idonei ſacerdotes.*
49. *De pœna incontinentium.*
50. *Ne prædicatores admittantur ſine litteris epiſcopi.*
51. *De pœna eorum qui aliquid dant vel accipiunt pro ſpiritualibus.*
52. *Ne incluſi alios de nocte in domo ſua recipiant.*
53. *De exceſſibus in præbendis corrigendis.*
54. *De matrimonio contrahendo.*
55. *De reverentia matrimonii.*
56. *De forma contrahendi matrimonia.*
57. *De clandeſtinis matrimoniis.*
58. *De ſacrilegiis & maleficiis in nuptiis.*
59. *De modo prohibito in affinitate carnali, vel ſpirituali.*

CIRCA ANNUM CHRISTI 1217.

CAPUT I.

I. *Ut sancti sint ministri ecclesiæ. Item, qui suspensi.*

Cum nec rugam nec maculam admittat ecclesia gloriosa, non solum lavacro aquæ in verbo vitæ mundata, sed etiam sanguine agni incontaminati & immaculati Christi plenius abluta: non mediocriter gloriatur de ministrantium sibi munditia & dispensatorum suorum industria. D

Levit. 11. Quibus specialiter præcipimus, quod in Levitico legitur: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* A quibus cum præcipue sanctitas exigatur, utpote de quorum conversatione mors & vita subditorum dependere dinoscitur: primo ministris ecclesiæ, qui ad nostrā curam specialiter pertinent, certa forma præscribatur, per quam ecclesiastica sacramenta sic per eorum ministeria rite tractentur, & recte dispensentur, ut & Deus placetur, & grex eis commissus ædificetur.

Sed ne terra sentibus obesset, semen Dominicum ne utiliter cōmendetur, & modicus vel nullus fructus expectetur: prius area Domini purgetur, mundetur, vepres succidātur, & herbę mortiferę radicitus evellātur. E

Imprimis in virtute Spiritus sancti districte præcipimus, ut omnis minister ecclesiæ, & pręcipue sacerdotes, discutiant diligenter & solicite, juxta testimonium conscientiæ suæ, quales ad ordines susceptos accesserunt, & quo fine. Generaliter omnes quos irregularitatem in ordinis susceptione, vel ante, vel post ordinis susceptionem, constat extraxisse, nisi cum eis dispensatum fuerit expresse ab eo qui cum eis dispensare potuerit, ab officii sui executione suspēsos denūciamus.

Ne autem ignorans ignoraret: irregulares, qui secundum canones ab ordinibus prohibentur, & illos qui cum dispensationis gratia admittuntur, seriatim duximus, & per ordinem specificandos.

Homicidæ, advocati causa sanguinis, executores servorum in publicis administrationibus, simoniaci, interventores simonicarum pactionum, & qui labe illa infecti, ordines scienter susceperunt. Qui ab hæreticis & schismaticis damnatis, vel nominatim excōmunicatis, scienter ordines susceperunt. Item bigami, corruptarum mariti, Deo sacrarum virginum violatores. Item qui excommunicati, ordines scienter susceperunt, vel furtive, & qui in susceptis scienter tales ministrare præsumpserint. Item sortilegi, & maxime qui dæmonibus immolarunt: incendiarii ecclesiarum.

Omnes tales, nisi nostrum, vel superioris super hoc requisiverint consilium, vel requisitum habuerint, ex tunc ab executione officii sui se noverint suspensos.

II. *De irregularitatibus de quibus episcopus potest dispensare.*

Qui vero non de legitimo matrimonio nati, & absque episcoporum suorum dispensatione fuerint ordinati; & qui se noverint servorum filios, & præter cōscientiam illorum a quibus scilicet licentia requiri debuit, ordinatos, vel a non suis episcopis præter suorum licentiam prælatorum ad ordines promotos: quoniam cum talibus dispensare possumus, præcipimus, quod omnes tales sub pœna suspensionis nostrum super hoc requirant consilium.

Omnes autem dictas irregularitates de cætero ordinandos præcipimus ante susceptionem ordinum diligenter attēdere, & humiliter dispensationis beneficiū, si dispensabilis sit irregularitas, postulare. Certum est enim, secundum sanctorum traditiones, irregulares præsumptuose & periculose ministrare, cum quibus non est dispensatum.

Adjicimus autem, districte præcipiendo, ut omnes, qui in conscientia mortalis peccati prius perpetrati, vel propter quæstum temporalem tantum, ordines susceperint, officium suum non exequantur antequam sacerdoti confiteantur.

III. *Qualiter archidiaconi instruere debent sacerdotes in fide, & in articulis fidei.*

Cum per ministerium nostrum ecclesiastica sacramēta debeat tractari & dispensari: necessaria est vobis, filii carissimi, fidei catholicæ agnitio & professio, quia *sine fide impossibile est placere* Deo. Et sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Heb. 11. Propterea vobis præcipimus, pro bene vivendo, fidem rectam teneatis, parochianos vestros in articulis fidei, sine qua non est salus, sæpius instruentes. Quod ut melius & expeditius fiat a vobis, districte præcipimus & injungimus archidiaconis, quod in capitulis suis expositionem in generali concilio promulgent sane, & simplicibus verbis sacerdotibus exponant: & sacerdotes, prout Deus eis inspiraverit parochianos suos instruāt, & eis illam expositionem frequenter domestico idiomate sane inculcent, quæ talis est.

IV. *Capitulum continens expositionem catholicæ fidei.*

Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus est solus Deus, verus, omnipotens, æternus, immensus & incōmutabilis, incōprehensibilis & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidē personæ, sed una essentia, substātia, natura, simplex omnino.

Exhortentur sæpius sacerdotes parochianos suos ad dicendum symbolum, & Dominicam, prout in capitulo concilii continentur, orationem, & salutationē S. Mariæ: pueros frequenter quoque convocent, & unum vel duos instruant, qui alios instruant in prædictis.

Et quia parentes circa hujusmodi sunt periculose negligentes: moneant sæpius, ut pueros & familiam suam, prout Deus eis inspirauerit, instruant in prædictis, vel instrui faciant.

V. De

CIRCA ANNUM CHRISTI 1217.

V. De munditia sacerdotum & clericorum

Cum de conversatione sacerdotum mors & vita dependeant subditorum, & cum corpora ministrorũ Christi, sint vel esse debeant templum Spiritus sancti: quicunque templum Dei violaverint, disperdat eos Deus. Ne sacerdotes tollentes membra Christi, faciant membra meretricis: districte præcipimus, quod omnes ecclesiæ ministri, in sacris ordinibus constituti, sive sint beneficiati, sive non, honeste & caste vivant, ab omni fornicatione & immunditia se abstineant, prout ad sacrum eorum ministerium dinoscitur pertinere.

VI. De focariis amovendis.

Sacerdotibus vero præcipue & specialiter, in virtute Spiritus sancti, & sub periculo officii & beneficii, districte præcipimus, ut continenter & honeste vivant, concubinas suas a domibus suis procul expellant, & nullam familiaritatem cum eis de cætero habeant, nec in propriis domibus, nec in alienis: nisi velint simul beneficiis & officiis contra hoc agendo privari.

VII. De pœna archidiaconorum, officialium, decanorum negligentium.

Concil. Lateran. IV. c. 14. Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi, in generali concilio statutum est: quod clerici, præsertim in sacris ordinibus constituti, qui deprehensi fuerunt incontinentiæ vitio laborare, & qui pro hac causa suspensi, officium suum exequi præsumpserint, non solum ecclesiasticis beneficiis spolientur; verum etiam, pro hac duplici culpa perpetuo deponantur: ut quos Divinus timor non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato. Prælati, quorũ tales iniquitatibus præsumunt sustinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari subjaceant ultioni. Unde oportet vos omnes, archidiaconi, officiales, & decani, tanto vigilantius super hoc vigilare, quanto negligentibus majus periculum imminere dinoscitur.

Qui tales in iniq.

VIII. De pœna & satisfactione focariarum sacerdotum.

Concubinæ sacerdotum frequenter moneantur ab archidiaconis, & præcipue a sacerdotibus, in quorum parochia morantur, vel ut contrahant, vel ut claustrum ingrediantur, vel sicut publice peccaverunt, publicam agant pœnitentiam. Qui autem contra hanc monitionem salubrem, obtentu pecuniæ, vel familiaritatis, negligens inventus fuerit, pœnæ supradictæ subjacebit. Quod si ad nullum istorum induci possint per monitionem: interdictis eis, primo pacis osculo, & pane benedicto, in ecclesia, si perseveraverint in obstinacia, ipsæ & communicantes cum eis excommunicentur, sæculari justitiæ tradendæ, si nec sic resipuerint.

IX. De pœna ejus qui pollueritfiliam spiritualem.

Et cum peccans sacerdos peccare faciat populum Dei: si maxime a filia sua spirituali & pœnitentiali se abstineat, & ab omnibus quibus dispensaverit ecclesiastica sacramenta: sciens quod in detestationem tanti peccati, secundum canones & sanctorum patrum statuta, quindecim anni debentur, & postea detrusio in monasterio.

X. De superbia vitanda, in gestu, habitu, & verbis, & indumentis clericorum.

Eccli. 10. Quia *initium omnis peccati est superbia*, superbiam in gestu, habitu, & verbis prohibemus: præcipientes sub pœna suspensionis, ut sacerdotes & clerici quilibet, habitum habeant suo ordini competentem: sacerdotes clausa desuper deferant indumenta, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Cappas manicatas ad suum officium intra ecclesiam non gerant: sed nec alibi, qui sunt in sacerdotio vel dignitatibus constituti, nisi justi timoris causa exegerit habitum transformari. Nec manicis aut sotularibus consutitiis, seu rostratis, sellis, frænis, pectoralibus, aut calcaribus deauratis, aut aliam superfluitatem gerentibus aliquo modo utantur. Coronam & tonsuram habeant congruentẽ, officia vel servitia sæcularia non exerceant, maxime inhonesta. Mimis, joculatoribus, & histrionibus omnino non intendant: tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constricti. Ad aleas vel ad taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint: & se in ecclesiasticis officiis & aliis bonis studiis diligenter exerceant.

XI. De bono pacis.

Nullus clericorum sæcularem administrationem exerceat, ex quacunque oporteat laïcæ personæ actus sui reddere rationem. Antequam rationem administrationis suæ reddiderit, ad beneficia ecclesiastica non admittatur, quibus annexa est cura animarum. Nec advocati sint clerici, vel sacerdotes in foro sæculari, nisi vel proprias causas, vel miserabilium personarum prosequantur.

Magna vobis, fratres carissimi, injuncta est necessitas pacis observandæ, cum Deus ipse, pacis sit autor & amator, qui non solum cælestia & terrestria, sed etiam terrestria adinvicem voluit pacificare. Et cum non nisi per pacem temporis, & pacem pectoris, ad pacem pervenitur æternitatis: monemus vos, & districte præcipimus, quatenus pacem, quantum in vobis est, cum omnibus habentes, parochianos vestros moneatis, ut in unitate fidei & pacis vinculo, unum corpus sint in Christo. Inimicitias, si exortæ fuerint in parochia vestra, diligenter sedantes, amicitias compellentes, discordantes ad concordiam revocantes, quantum in vobis est non permittentes, quod sol occidat super iracundiam parochianorum vestrorum.

Illum abusum clericis penitus interdicimus, quando ad potus æquales sumendos se obligant potatores; & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Unde interdicimus, quod nullus alium cogat ad bibendum. Si quis autem super hoc culpabilem se exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit competenter, a beneficio & officio secundum statuta concilii suspendatur.

Bannum quoque scotallorum per sacerdotem fieri prohibemus. Quod si sacerdos vel clericus hoc fecerit, vel scotallis interfuerit, canonice punietur.

XII. De hospitalitate servanda.

Et cum non sufficiat declinare a malo, nisi faciamus bonum: præcipimus, quod sacerdotes, & beneficiati, secundum redditus & facultates suas, sint hospitales, & erga pauperes non avari. Monachis autem & fratribus tanto districtius id injungimus, quanto ad hoc ipsum constat ipsos arctius aliis multiplici ratione obligari. Qui vero patrimonio crucifixi abutuntur, vel luxuriose vivendo, vel hospitalitatis bonum non sectando: cum eorum habuerimus notitiam, eos canonice puniemus.

XIII. De numero sacramentorum.

Cum in dispensatione sacramentorum vestrum consistat ministerium: ut sacramenta a vobis rite tractentur, singula per ordinem persequemur. Sunt autem

CIRCA ANNVM CHRISTI 1217.

autem septem sacramenta, quorum quinque omnibus fidelibus communia sunt & necessaria.

Primum est baptisma, quod est janua omnium sacramentorum, & prima tabula post naufragium, sine quo non est salus: & est sacramentum ingredientium, sanctificans, ingredientes a peccato originali emundans.

Secundum est impositio manus, quæ fit ab episcopo, quæ confirmatio dicitur; quæ ingressos jam in mundum & sanctificatos per baptismum armat & roborat contra diabolum, & est sacramentum pugnantium.

Tertium sacramentum est pœnitentia, quæ ingressos in mundum & lapsos per peccatum, relevat & reparat.

Quartum est perceptio corporis & sanguinis Christi: quod, sive evcharistia, sive viaticum vocetur, in Christo suos unit & incorporat.

Quintum est extrema unctio, sacramentum scilicet expedentium *, quod visioni Dei nos præparat.

Duo vero sequentia sunt, ordo & conjugium, nec omnium, licet quorundam; nec per eorum virtutem peccata dimittuntur, sed in eorum altero, scilicet in conjugio, peccatum fornicationis vitatur; in altero, scilicet in ordine, quorundam virtutes augentur.

Et quoniam quorundam usque adeo invaluit cupiditas, quod sub pretium nituntur redigere inappreciabilem sacramentorum gratiam: volentes a ministris ecclesiæ cupiditatem, quæ est radix omnium malorum, extirpare, prohibemus districtius, ne sacramentorum, vel sacramentalium dispensatione, aliquid in pecunia exigatur, sed gratis dent quod gratis acceperint.

Iubemus sub pœna suspensionis, ne sacerdos aliquid exigat pro exequiis mortuorum, vel benedictione nubentium, sive pro edictis faciendis, sive pro testamento ferendo, sive pro matrimonio celebrando.

XIV. *Ne laïci laudabiles consuetudines frangant.*

Et quoniã quidam laïci laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu catholicæ puritatis: sicut præcipimus pravas actiones super his non fieri, ita pias & laudabiles consuetudines præcipimus observari. Et qui malitiose laudabilem consuetudinem nituntur mutare, per vos, cognita veritate, compescantur, sicut in concilio statutum est: & quod a terragio corpus sepelire non differatur.

XV. *Ne Missæ venales sint, nec onerent se annualibus vel tricennalibus sacerdotes.*

Præterea venalitatem Missarum districte inhibentes, præcipimus, ne pro annualibus vel tricennalibus Missarum faciendarum, laïci vel alii aliquid dare, vel legare in testamentis cogantur: & ne super his aliqua pactio vel actio vera, vel aliqua specie palliata, a sacerdotibus vel aliis fiat mediatoribus. Prohibemus etiam ne superflua multitudine talium annualium quandoque se onerent sacerdotes, ad quæ explenda honeste sufficere non possint, & propter quæ oportet certo pretio conductos habere sacerdotes, vel ea vendere aliis facienda, ut se exonerent: quæ de cætero fieri, sub pœna suspensionis prohibemus. Quidam manifestos usurarios, & alios nominatim excommunicatos vel interdictos, alienos etiam parochianos, contemptis propriis sacerdotibus, & in eorum præjudicium, ad sepulturam, & ad communionem evcharistiæ, & præcipue in solemnibus diebus, & confessionem vel alia sacramenta, irrequisita prælati sui licentia, recipere præsumunt: quod de cætero prohibemus fieri. Et si ab aliquo attentatum fuerit, ad damna resarcienda illi ecclesiæ cui injuriatum fuerit, compellantur.

XVI. *De baptismo & ejus effectu.*

Cum baptismus janua sit omnium sacramentorum, & prima tabula post naufragium: quam sit necessarium, patet ex verbis Domini, dicentis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non introibit in regnum cælorum.* Ab hac generalitate, nec ætas nec sexus excluditur. Et ita apparet, quod baptismus generalior est & utilior quam circumcisio, cujus loco successit, cum tam viri quam fœminæ baptizentur: tantum autem viri olim circumcidebantur. Quod autem efficacior sit & utilior nunc baptismus, quam olim circumcisio, apparet. Nam de efficacia circumcisionis dicitur: *Anima, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo.* Ecce non dicitur, quod salvabitur propter circumcisionem, sed peribit incircumcisa. Sic damnationis vitatur periculum, sed non pervenitur ad regnum cælorum. (Ioan. 3.) (Gen. 7.)

De virtute vero & efficacia baptismi dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non &c.* quasi diceret: qui renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, intrabit in regnum cælorum: quod usque ad mortem Christi fuit hominibus clausum. Sed per sacramentum baptismi Christi sanguine rubricati, culpa remittitur, periculum vitatur, ad regnum cælorum pervenitur, cujus januam Christi sanguis fidelibus suis misericorditer reseravit. Absit autem quod universi parvuli pereant, quorum quotidie tanta moritur multitudo: quin & ipsis misericors Deus, qui neminem vult perire, aliquod remedium procuravit ad salutem: qui, cum multitudinem peccatorum non habeant, peccato originali, quo tenentur, per virtutem baptismi sui mundantur. (Ioan. 3.)

Duplex vero est peccatum: originale quod absque consensu contrahitur, & actuale quod committitur ex consensu. Originale, quia non cum consensu contrahitur, per vim remittitur sacramenti. Actuale vero, quod cum consensu contrahitur, sine consensu minime relaxatur. Sed videri posset alicui, quod tantum duo sufficiant ad salutem, videlicet fides & baptismus: & quod sine his non sit salus. Nam dicitur: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* Ecce duo, fides, & baptismus, necessaria ad salutem: & subjungitur: *Qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ecce, alterum eorum sufficit ad condemnationem. Sed fides in puero esse non videtur, & ita non salvabitur. Ad quod dicitur, quod in fide salvatur parentum: quia sicut aliunde contrahitur peccatum, aliunde curatur. Vel potest sane dici, quod pueri credent non propter usum fidei, sed propter habitum quem suscipiunt in baptismo. (Marc. 16.)

Cum igitur tanta sit virtus & efficacia hujus sacramenti, & cum ab ipso Domino sit institutum, & ejus sanguine rubricatum: præcipimus, quod cum honore & reverentia magna celebretur hoc sacramentum, & magna cautela, maxime in distinctione verborum & in prolatione verborum, in quibus tota vis consistit sacramenti, & salus puerorum. Hæc autem est forma; *Ego baptizo te, N. in nomine patris, &c.* Et in Romano vel Anglico sub eadem forma doceat sacerdos publice: laïcos instruat baptizare in necessitate, patrem & matrem.

XVII. *Fontes sub sera claudantur.*

Pro baptismo nihil omnino exigatur: sed si quid offeratur, gratis accipiatur. Fontes sub sera claudantur

Circa annum Christi 1217.

dantur & clusa teneantur propter sortilegia. Chrisma similiter & oleum sacrum sub clave custodiantur. Si vero is ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit: tribus mensibus ab officio suspendatur. Et si per ejus incuriam aliquid nefarium contigerit, graviori subjacebit ultioni.

XVIII. *De baptisterio.*

Baptisterium habeatur in qualibet ecclesia baptismali, lapideum, vel aliquod competens, quod decenter cooperiatur, & reverenter conservetur, & in alios usus non convertatur. Aqua vero in qua puer fuerit baptizatus, ultra septem dies in baptisterio non servetur.

Si vero puer domi a laïco fuerit, propter necessitatem, baptizatus: aqua, propter reverentiam baptismi, vel fundatur in ignem, vel ad ecclesiam in baptisterio deferatur: & vas illud comburatur, vel ad usus ecclesiæ deputetur.

Semper sacerdos interroget diligenter laïcum, cum in necessitate baptizaverit puerum, quid dixerit? & quid fecerit? Et si invenerit laïcum discrete & in forma ecclesiæ baptizasse sive in Gallico, sive in Latino, approbetur.

XIX. *De forma baptizandi.*

Ad levandum puerum de fonte, tres ad plus recipiantur in baptismo, duo mares & una fœmina. Fœmina vero a duabus fœminis & uno mare suscipiatur. Quod amplius est, a malo est. At plures tamen, tanquam testes, si haberi possint, adhibeantur propter varios casus. De baptismate & pœnitentia, præcipimus quod diaconi pœnitentias dare vel baptizare non præsumant, nisi in his casibus, cum sacerdos non potest, vel absens est, vel indiscrete non vult, & mors imminet puero vel ægroto. Si vero puer baptizatur a laïco, præcedentia & subsequentia immersione expleantur a sacerdote.

XX. *Quod chrismales nisi in usus ornamentorum ecclesiæ non convertantur.*

Panni etiam chrismales non nisi in usus ornamentorum ecclesiæ convertantur. Similiter alia ornamenta ecclesiæ quæ pontificalem accipiunt benedictionem, nullo modo in usus profanos deputentur.

Si vero pueros cum sale vel sine sale expositos contingat inveniri, baptizentur: ita tamen quod non" prolationem istorum verborum, Ego baptizo te, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti, amen, quæ sola sunt de substantia baptismi, & sola debēt cum intentione baptizandi proferri, hæc a baptizante verba prius dicantur, nominante baptizandum: Ego non intendo te rebaptizare; sed si tu non es baptizatus, ego baptizo te in nomine Patris, &c.

f. quod te pr.

Eodem modo si mulier mortua fuerit in partu, & de hoc bene constiterit: scindatur, si infans credatur vivere, ore tamen mulieris aperto.

XXI. *De pueris custodiendis.*

Fœminæ moneantur, ut filios suos caute alant, & juxta se de nocte non collocent teneros, ne opprimantur: solos in domibus, si ignis fuerit, vel solos juxta aquas, sine custode non relinquant: & hoc eis omni die Dominica dicatur.

XXII. *De inquisitione patris pueri.*

Diligenter inquirat sacerdos cujus sit puer baptizandus, quis pater, quæ mater: ut sic cognoscat & puniat fornicatores, & cognoscat qui legitimi, qui non.

XXIII. *Quod pater debeat admitti ad levandum puerum.*

Circa annum Christi 1117.

Vidimus nuper puerum bis baptizatum propter hujusmodi omissionem. Et quoniam propter multas causas necesse est sacerdotem hujusmodi interrogationes facere: præcipimus hoc statutum diligenter observari.

XXIV. *De sacramento confirmationis.*

Cum sacramentum confirmationis ad robur detur parvulis: frequenter sacerdotes moneant populum ad confirmationem puerorum. Post baptismum enim suscipi debet sacramentum confirmationis, & publice proponatur in ecclesia. Quod si ultra quinque annos ad plus puer fuerit per negligentiam & incuriam parentum non confirmatus: tam pater quam mater ab ingressu ecclesiæ tamdiu suspendantur, quousque puer confirmetur. Simili pœnæ subjacebit sacerdos, qui circa hoc negligens extiterit. Et si adultus, in quadragesima, vel in alio tempore ad confirmationem venerit, nondum confirmatus, quod diligenter inquirendus est: mittatur ad episcopum confirmandus.

In hoc sacramento contrahitur proximitas spiritualis, sicut in baptismo, inter illos qui suscipiunt pueros, & illos quorum sunt pueri, & inter pueros susceptos: & hoc laicis præcipimus frequenter inculcari, licet hoc a nobis eisdem dicatur in collatione hujus sacramenti.

Sacramentum autem pœnitentiæ quam sit necessarium probatur ex illo evangelii: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis peccata, retenta sunt.* Sed quia remissionem peccatorum consequimur per veram confessionem: præcipimus, sacrorum canonum statuta sequentes, ut sacerdos in pœnitentia danda diligenter attendat qualitatem personæ, & quantitatem delicti; tempus, locum, causam, & moram in peccato factam; devotionem animi pœnitentis, & signa contritionis. Mulieribus autem conjugatis talis injungatur pœnitentia, unde non reddantur suis maritis suspectæ de aliquo crimine occulto & enormi. Idem de viris uxoratis observetur, dummodo sufficienter puniatur delictum, & peccatum, & condigna sit satisfactio.

Distinctū hoc capitulum esse deberet inscriptumq; de pœnitentia; sed secuti sumus Anglican. exemplar. Ioan. 20.

In confessionibus & prædicationibus, sæpius laïcis inculcetur, & præcipue in majoribus solemnitatibus, quod omnis commixtio maris & fœminæ, nisi per matrimonium excusetur, est mortale peccatum. Et si in denuntiatione hujus salubris doctrinæ sacerdos negligens inventus fuerit, tanquam fornicator vel consentiens fornicatoribus canonice puniatur.

XXV. *Ubi debeant audiri confessiones mulierum.*

Confessiones mulierum audiantur extra velum, & in propatulo quantum ad visum, non quantum ad auditum. Moneantur etiam laïci, qui statim in primo quadragesimæ confiteantur, & cito post lapsum, ne peccatum pondere suo trahat ad aliud. Item nullus sacerdos in nomine pœnitentiæ totalis vel partialis Missas præsumat injungere: consulere tamen potest, quotiens monendi sunt parochiani ad confessionem.

Confessiones tres in anno audiantur. Ter communicare moneantur; in Pascha, in Pentecoste, & in natali Domini. Prius tamen præparent se per aliquam abstinentiam de consilio sacerdotum faciendam.

Quicunque autem semel in anno, ad minus, proprio non confessus fuerit sacerdoti, & ad minus ad pascha

Eucharistiæ

CIRCA ANNUM CHRISTI 1217.

Eucharistiæ sacramentum non acceperit, nisi consilio sui sacerdotis duxerit abstinendum: & vivens, ab ingressu ecclesiæ arceatur; & mortuus, Christiana careat sepultura. Et hoc frequenter eis dicatur.

XXVI. *Qualiter admittendæ sunt purgationes defamatorum.*

Defamati fama publica vel verisimilibus indiciis, super crimine aliquo enormi, de quo convinci non possint, moneantur semel, secundo, ac tertio, ut confiteantur, & satisfaciant.

Qui vero incorrigibiles in negatione perstiterint, indicatur eis purgatio, quæ occasione pecuniæ oblatæ vel promissæ de die in diem nullatenus differatur: sed si parata fuerit, statim prima die recipiatur. " Et canonum numerus observetur. Archidiaconus, vel officiarius ejus contra hoc veniens, ab officio suo se noverit suspendendum.

" al. Et numerus cōpurgatorum in canonibus constitutus, si necesse fuerit obs.

XXVII. *Qualiter se debeat gerere sacerdos in confessione audienda.*

In confessione habeat sacerdos vultum humilem, & oculos ad terram demissos, nec faciem respiciat confitentis, maxime mulieris: & patienter audiat quæ dixerit, & in spiritu lenitatis eum supportet. Et eum pro posse suo persuadeat pluribus modis, quod integre confiteatur: aliter enim non est vera confessio. Peccata inquirat sacerdos usitata, singulatim; inusitata non nisi a longe & per circumstantias: sic ut expertis non detur occasio delinquendi. Personarum nomina, cum quibus confitens peccavit, non inquirat sacerdos: sed per confessionem potest inquirere, utrum sit clericus, laïcus, monachus, sacerdos, diaconus: & semper majoribus majora reservet.

XXVIII. *De majoribus peccatis.*

Sunt autem ista majora: homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, stupra virginum & monialium, & injectiones manuum in clericos, in parentes, vota fracta, & hujusmodi.

Sunt autem casus quibus nullus nisi solus papa potestatem habet dispensandi, vel ejus legatus: videlicet, injectio manuum in clericos, vel quoscunque religiosos, incendia ecclesiarum. Absolutio nulli talium in articulo mortis est deneganda, saltem conditionalis: nihilominus talium rei, mittendi sunt ad episcopum, vel ad ejus pœnitentiarium.

Semper autem qui mittuntur, deferant secum litteras; continentes genus peccati & circumstantias sufficienter, vel ipse sacerdos cum eis veniat: alioquin non recipiantur. In dubiis semper confessor consulat episcopum, aut sapientes viros, quorum consilio certificatus, securius solvat vel liget.

XXIX. *Ne sacerdos revelet confessionem.*

Nullus ira, vel odio, vel metu ecclesiæ, & metu mortis, in aliquo audeat revelare confessionem, signo vel verbo, generaliter vel specialiter; ut dicendo, ego scio quales estis: sub periculo beneficii & ordinis Et si convictus fuerit, absque misericordia degradabitur.

XXX. *Ne pœnitentia injungatur sine restitutione.*

In furto, rapina, usura, sine fraude caveant sacerdotes, ne injungant pœnitentias, videlicet Missarum, eleemosynarum pro talibus peccatis: sed injungant prius restitutionem: quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

Audita confessione semper interroget confessor confitentem, si velit se abstinere ab omni peccato mortali. Aliter vero non absolvat eum, nec injungat

A ei pœnitentiam, unde confidat: sed moneat, quod interim faciat, quicquid boni poterit, ut Deus ejus cor illustret ad pœnitentiam, & consulat ne corpus Christi in tali statu recipiat.

Statuimus insuper, ut personæ, vicarii, & sacerdotes annui confiteantur illis, qui per singula capitula ad hoc autoritate nostra fuerint deputati. Sint autem in quolibet capitulo duo " confessores, qui confessiones audiant sacerdotum & " clericorum, & aliorum frequenter. Si quæ vero dubia fuerint, quæ per eos expediri nequeant, vel si quis sacerdotum eis ob aliquam causam confiteri noluerit, ad pœnitentiarium episcopi principalem retrahatur. Si vero neutri eorum voluerit revelare peccatum, episcopo confiteatur, vel alicui autoritate ejus.

" al duo ad minus.
" al. & aliorū clericorum frequēter.

B Sint etiam in quolibet decanatu duo vel tres viri Deum præ oculis habentes, qui excessus publicos prælatorum, & aliorum clericorum, ad mandatum episcopi, vel ejus officialium, ipsis denuncient.

XXXI. *De decimis dandis.*

Decimas autem de omnibus quæ renovantur per annum, & maxime consuetas decimas dandas decrevimus, & districte præcipimus: ita ut nec occasione mercedis servientium in autumno, vel messorum, ecclesiæ decima parte non frustrentur. Detentores autem decimarum consuetarum, si semel, secundo, vel tertio commoniti, excessum suum non emendaverint, usque ad satisfactionem condignam, per censuram ecclesiasticam compellantur. Cum autem ii

C qui decimas detinuerint, vel surripuerint, ad pœnitentiam accesserint: non admittantur, nisi vel per se, vel per sufficientem procuratorem, in manu sacerdotis, illi cui decimæ debentur satisfaciant competenter. Inhibeantur frequenter, ne pignus retinere contendat quispiam, postquam de fructibus sortem perceperit, deductis expensis: quoniam usura est. Sacro approbante concilio prohibemus, ne quis aliquando excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quos sufficienter, si necesse fuerit, possit probari monitio, autoritate propria promulgare

D præsumat. Quod si contra præsumpserit, etiamsi justa fuerit ex causa sententia, ingressum ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum: alia nihilominus pœna mulctandus prout superius visum fuerit expediri.

XXXII. *De pœna communicantium cum excommunicatis.*

Ne ecclesiasticæ sententiæ rigor vilescat, præcipimus, quod omnes qui scienter communicant nominatim & publice excommunicatis, tamdiu arceantur ab ingressu ecclesiæ, quamdiu talibus communicasse con-

E vinci poterunt, nisi citius recipiscant: salvo tenore canonis, Quadraginta: quæst. ult. Quoniam multos.

Testes autem qui scienter perjurant super sacrosancta evangelia, propter lucrum proprium vel damnum aliorum, per quorum testimonia, sicut frequenter contingit, aliquis amittit vitam, vel membrum, vel exhereditatur, vel ecclesia suo jure fraudatur, ne absolvantur, nec eis pœnitentia, nisi a nobis vel pœnitentiario nostro, injungatur, nisi in mortis articulo: & tunc accepta cautione, quod ad nos accedent restituta eis sanitate, recepturi de perjurio cōdignam pœnitentiā. Idem præcipimus fieri de iis, qui malitiose impediunt executionem rationabiliū testamentorū.

XXXIII. *De solemni excommunicatione.*

Singulis autē annis in tribus solemnitatibus majoribus, solemniter excommunicandi denuntientur sortiarii,

CIRCA ANNUM CHRISTI 1217.

tiarii, auxilium dæmonum quocunque modo invocantes, sacramentis & sacramentalibus abutentes, vel ad usus profanos ducentes, testes perjuri super sacrosanctum evangelium, incendiarii, raptores publici, malitiose impedientes executionem rationabilium testamentorum.

XXXIV. *De sacramento Eucharistiæ.*

Sequitur de sacramento nostræ redemptionis, quod viaticum sive Eucharistia dicitur. Nam sicut solent homines peregre profecturi, amicos suos convocare, atque convivium lætitiæ eis præparare: sic Dominus noster Iesus Christus peregre proficiscens, id est, de mundo transiturus ad Patrem, discipulis suis convivium præparavit, corpore & sanguine suo veraciter eos reficiens sub speciebus panis & vini, transsubstantiatis, pane in corpus, vino in sanguinem, potestate Divina. Et hoc utique sacramentum conficiendi potestatem recipit quilibet sacerdos, qui rite fuerit ordinatus; seu claves ecclesiæ, quas Dominus ipse concessit apostolis & eorum successoribus. Vos igitur sic sacrosanctæ mensæ communicare debetis, ut nil prorsus de veritate corporis Christi ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur; & frustra respondetur, Amen, a quibus de eo quod accipitur aliter sentitur.

Instruere insuper debetis laïcos quoties communicant, quod de veritate corporis & sanguinis Christi nullo modo dubitent. Nam procul dubio hoc accipiunt sub panis specie, quod pro nobis pependit in cruce; hoc accipiunt de calice, quod effusum est de Christi latere; hoc bibunt, ut dicit Augustinus, credentes, quod prius fuderunt sævientes.

XXXV. *De effectu Eucharistiæ.*

Vis autem, virtus, & effectus hujus sacramenti, ex verbis Domini evidenter exprimitur. *Hic panis quem ego dabo vobis, caro mea est*: &, *caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus*: &, *si quis manducaverit carnem meam, & biberit meum sanguinem, vivet in æternum*. Verum cum alibi dicitur, *Qui manducaverit carnem Domini & biberit sanguinem ejus indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini*: terrere nos potest terribilis hæc sententia. Propter hoc, fratres carissimi, audite consilium apostoli, quod tale est: *Probet autem semetipsum homo*, unus per confessionem mundans & sanctificans; *& sic de pane illo edat & de calice bibat*. Et sicut filii Israël in esu agni triplici renes suos accingebant: ita & vos renes vestros accingatis, id est, totam carnis delectationem in vobismetipsis extinguatis, & in aliis extinguendam doceatis. Ad vestrum namque spectat ministerium; per ministerium corporis & sanguinis Domini peccatores ad Divinam revocare gratiam: pro vivis & mortuis offerre sacrificia, quæ pro valde bonis sunt gratiarũ actiones; pro non valde malis, sunt propitiationes.

(Ioan. 6. — 1 Cor. 11. — Ibid.)

Omnibus autem pro quibus fuerint, ad hoc prosunt, ut dicit Ambrosius, ut plena fiat remissio, vel ut certe tolerabilior sit damnatio. Cum ergo tam excellentissimi sacramenti sitis dispensatores, cum inter Deum & homines sitis constituti mediatores: placabitur proculdubio Deus nobis & aliis: pro nobis etiam exaudiet Deus exercituum vota nostra, si placeat ei vita nostra. Alioquin, ut dicit Gregorius, si is qui ad intercedendum mittitur, displicet: (scilicet irati Dei animus) ad deteriora provocatur. Unde cum magna reverentia, & devotione, & munditia, tractandum est sacramentum corporis & sanguinis Domini. Et propter hoc districte præcipimus, quod sacerdotes, circa ea quæ ad substantiam sacramenti corporis & sanguinis Domini pertinent, sint diligentes: provisuri, quod Eucharistia in munda pixide conservetur, nec ultra septem dies serventur hostiæ consecratæ, sed qualibet septimana, die Dominica innoventur. Itaque post perceptionem hostiæ consecratæ, aut susceptionis sanguinis Divini, reservatæ hostiæ a Missam celebrante sumantur, vel ab alio innocente & mundæ & honestæ vitæ. Habeaturque certitudo circa hostiam consecratam, ut non sumatur pro consecrata, non consecrata.

XXXVI. *De canone Missæ.*

Item præcipimus quod omnes sacerdotes habeant canonem Missæ, secundum consuetudinem Sarum ecclesiæ, correctum; & ut verba canonis in Missa rotunde & distincte dicantur. Similiter omnes horæ, & omnia officia aperte & distincte dicantur, ita quod ex festinatione nimia, verba non præcidantur vel syncopentur.

XXXVII. *Quod singulis diebus dicatur pro defunctis, placebo Domino.*

Piæ etiam recordationis affectu ducti, præcipimus, singulis diebus, nisi major urgeat solemnitas, dicatur pro defunctis placebo, & dirige, & commendatio animarum, per sacerdotes in singulis ecclesiis: & si non sit observatum, sacerdotes usque ad condignam satisfactionem suspendantur.

Moneantur laici, quod reverenter se habeant in consecratione Eucharistiæ, & flectant genua: maxime in tempore illo, cum post elevationem Eucharistiæ hostia sacra dimittitur. Item in celebratione Missæ, hostiam consecratam, pacem daturus sacerdos, ore suo non adveniat; quia ante perceptionem, ore suo tangere non debet.

Si vero de patena, sicut quidam faciunt, eam sumat: post celebrationem Missæ, tam patenam, quam calicem faciat perfundi aqua, vel solum calicem, si eam non sumat de patena. Habeatque sacerdos juxta altare pannum mundissimum alio panno circundatum, undique honeste ac decenter coopertum; in quo post susceptionem sacramenti salutaris digitos non labiis tergat ablutos.

XXXVIII. *Ne sacerdos osculetur hostiam.*

Item si sacerdos habuerit necesse bis in die aliquo casu celebrare; quod nisi die nativitatis vel resurrectionis Dominicæ, vel cum corpus aliquod præsens est in ecclesia, vel aliqua evidens urgeat necessitas, fieri prohibemus: post primam celebrationem & sanguinis susceptionem infundatur calici . . . . celebrante sumatur, sed . . . . post celebrationem subsequentem. Post primam vero celebrationem diligenter absorbeantur stillæ de calice: & quod fuerit digitis in calice superfusum, reservetur in vase mundo ad hoc specialiter deputato. Et post secundæ Missæ celebrationem sumatur a sacerdote, nisi forte in prima celebratione assit diaconus, vel alius minister honestus, vel innocens aliquis, qui loturam illam sumere possit absque conscientiæ læsione. Et hoc præcipimus fieri, quoties in diversis ecclesiis oportebit illum celebrare. In sacramento autem Dominici sanguinis, major pars vini, & modicum aquæ ponatur.

XXXIX. *Ne Eucharistia detur secretius.*

Prohibemus etiam ne communio Eucharistiæ detur secreto impœnitenti, cum publice & instanter pœnitenti danda sit: dummodo occultum fuerit ejus delictum.

Item cum mulieres post puerperiũ venerint ad purificationem, sacerdos eis det tantummodo panem benedictum: & corpus Domini nullo modo eis proponatur, nisi expresse petant, & prius confessæ fuerint.

CIRCA ANNUM CHRISTI 1217.

Iis adiicimus, quod cum Eucharistia ad ægrum fuerit deferenda, habeat sacerdos illam in pixide munda & honesta, in qua sit bursa mundissima, & in ea deferat corpus Dominicum ad ægrotum, linteo mundo superposito, & lucerna præcedente, nisi æger valde remotus fuerit; & cruce similiter, si fieri potest, nisi forte crux fuerit ad alium ægrotum deportata: præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus sonitum excitetur devotio fidelium. Habeatque sacerdos secum orarium seu stolam, qui cum Eucharistia, sicut diximus, vadit ad ægrum. Et si æger remotus non fuerit, in superpellicio ad ipsum decenter accedat: habeatque vas argenteum vel stanneum ad hoc publice deputatum, quod semper secum ad ægrum deferat, ut in eo ægro dare valeat, post sumptam Eucharistiam, suorum loturam digitorum.

XL. *De ornamentis ecclesiæ.*

Ad hoc innovantes prædecessorum nostrorum statuta, præcipimus, ut qualibet in ecclesia calicem argenteum habeant, cũ vasis decentibus & honestis: sindonem mundam & candidam amplitudinis congruentis; id est, corporalia, linteamina, & alia ornamenta, quæ ad altaris officium spectant: honestos libros ad psallendum* & legendum idoneos, & sacerdotalia vestimenta sufficientia pariter & honesta. Et qui ministrant sacerdoti in altari, superpelliciis induantur.

Et quoniam nimis absurdum videtur, in sacris sordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis: præcipimus districte, quod vasa ministerii, & vestimenta ministrorum, & pallas altaris, necnon & ipsa corporalia, nitida & munda custodiant: quæ propter quorundam incuriam, alii *propter sordes quibusdam sunt horrori. Superaltaria quorum nimis stricta non habeant, super quæ periculose celebratur, sed competenter ampla. Supellectilia quoque in ecclesia non admittantur, nisi propter hostiles incursus, aut repentina incendia, seu ob alias necessitates urgentes: sic tamen ut cessante necessitate, res in pristina loca deportentur.

XLI. *Ne bona ecclesiæ alienentur nisi in casibus concessis.*

Item prohibemus, ne calices ecclesiarum, vel vasa altaris, sive vestes, vel libri ecclesiastici, vel ecclesiastica tenementa vendantur, vel pignori obligentur, vel aliquo modo alienentur ab ecclesiis, nisi in casibus concessis, & de licentia nostra, forma ecclesistica & canonica observata. Si vero secus actum fuerit, irritum habeatur. Scribant autem sacerdotes in missalibus, & in aliis libris, possessiones & redditus ecclesiæ, & nomina librorum & vestimentorum, & ornamentorum ecclesiæ: ne ipsi, nec parochiani sui, sine consensu nostro aliquid alienare præsumant de iis quæ sunt ecclesiæ.

XLII. *De defectibus supplendis de bonis defuncti, de pœna archidiaconi in hoc negligentis.*

Item volumus, quod hæc constitutio inviolabiliter observetur: videlicet, si rector alicujus ecclesiæ decesserit, ecclesia sua relicta, sine indumentis sacerdotalibus, vel sine libris, vel sine utrisque, vel si forte domos ecclesiæ reliquerit dirutas vel ruinosas: de bonis ejus ecclesiasticis tanta portio deducatur, quæ sufficiat ad reparandum hoc, & ad defectus ecclesiæ supplendos.

Idem statuimus circa illos vicarios, qui solvẽdo modicam pensionem omnes habent ecclesiæ proventus. Nam cum ad præmissa teneantur, satis elucet, quod talis, deducto pretio, poterit & debet inter debita computari. Semper rationabilis sit consideratio ad facultates ecclesiæ, cum deducenda fuerit hæc portio.

XLIII. *De eodem.*

Nullus rector ecclesiæ, nobis subjectus, decimas ecclesiæ suæ vendere præsumat, ante Annuntiationem beatæ Mariæ: cum extunc secundum consuetudinem, fructus reddere debeant ad debita vel legata solvenda. His adiicimus, quod si persona, vel vicarius alicujus ecclesiæ, ante festum Annuntiationis beatæ Mariæ decesserit; cum extunc, secundum consuetudinem diu obtentam in episcopatu Sarum, successores de fructibus ecclesiæ disponant: statuimus, quod successores defuncti teneantur ad sumptus respondendos ad executionem sui testamenti, quos in excolendis & seminandis terris ecclesiarum ante obitum suum fecerint. Quocunque autem tempore post festum Annuntiationis persona vel vicarius, ad quem spectant onera ecclesiæ, decesserit: statuimus, ut ad eadem onera sustinenda mortuus teneatur usque ad festum Annuntiationis sequens, ad quæ vivus tenebatur: quatenus fructus post festum S. Michaëlis provenientes, pro rata temporis non sufficiunt. Successores vero capellanos annuos ante sequens festum S. Michaëlis, si idonei sint, amovere non præsumant: sed eos sub similibus conditionibus, dum tamen sufficiant, retineant, cum quibus cum defunctis convenerant: nisi successores conditiones " annorum velint meliorare. " f. annuorum.

Si vero archidiaconus visitare ecclesias neglexerit, & veniente rectore defectus competenter supplere distulerit, vel dissimulaverit: si eodem rectore defuncto, non existat unde de bonis defuncti suppleri possint: in pœnam negligentiæ suæ, de bonis propriis eos supplere compellatur; pœnam nihilominus non evitaturus canonicam, si superioris sui autoritate facta superveniens inquisitio, ipsum aliquando in visitationis officio negligentem invenerit, vel dissimulantem. Sed etiam in his casibus similiter rationabilis habenda est consideratio, & ad facultates ecclesiæ, & ad tempus quo rector ecclesiæ fructus ejusdem perceperit.

XLIV. *De ecclesiis ad firmam tradendis.*

Item ecclesiæ vel altaria, sine consensu nostro vel officialium nostrorum, non tradantur ad firmam: & præcipue laicis, quos nec ecclesias, nec decimas aliquo modo sacri canones tenere permittunt.

Contractus vero cruce-signatorum & clericorum præcipimus vobis & officialibus vestris innotescere, propter diversas causas, sicut volunt, quod aliquam habeant firmitatem.

XLV. *Ne ulli religiosi aliquem habeant ingressum in possessionibus ecclesiæ, sine consensu episcopi.*

Inhibemus etiam ne viri religiosi illas ecclesias maxime habeant ad firmam, in quibus dicant se habere jus patronatus: adjicientes, ne aliquis vendat, vel conferat, vel ad firmam det, vel pignori obliget monachis Cisterciensis ordinis, vel aliis religiosis simile eis privilegium habentibus, terras aliquas, vel possessiones, nisi prius facta sufficiẽti cautione de indemnitate parochialis ecclesiæ, & etiam de nostra autoritate, & hoc eis sæpius in ecclesiis publicetur.

XLVI. *Ne pensio in ecclesiis detur alicui, sine assensu nostro.*

Item ne cui de ecclesiasticis proventibus modica vel magna detur pensio in fraudem, sicut in concilio prohibitum est, & nos prohibemus. Et quoniam circa hujusmodi pensiones fraus sæpius solet & simoniaca pravitas perpetrari: nos, ut melius obviemus talibus morbis, præsentantis & præsentati recipimus interdum

interdum juramentum, quod neç promiſſio, nec A pactio illicita intervenerit; & quod eccleſia amplius non dederit vel dabit quam prius fuit obligata. Similiter inhibemus, ne qui prius fuit perſona, in eadem eccleſia fiat vicarius ſine licentia noſtra.

XLVII. *De capellanis extraneæ ordinationis.*

Item inhibemus diſtrictius, ne ſacerdotes ignoti, de quorum ordinatione non conſtat, ad Divinorum celebrationem deſerviendo eccleſiis admittantur, niſi de noſtra licentia, cum per litteras teſtimoniales, vel ad teſtimonium bonorum virorum nobis conſtiterit de eorum ordinatione; & ſufficienter fides facta fuerit.

XLVIII. *Ne amoveantur idonei ſacerdotes.*

Monemus etiam rectores eccleſiarum, ne capellanos annuos, ſine cauſa rationabili ſtudeant amovere: maxime ſi honeſtæ fuerint converſationis, & laudabile de converſatione ſua a parochianis habeant teſtimonium.

XLIX. *De pœna incontinentium.*

Et ſi de incontinentia parochialis ſacerdotis ſcandalum ortum fuerit, cum circa hoc vigilans debeat eſſe rector eccleſiæ: ſi per famam, vel per inquiſitionem nobis prius de hoc conſtiterit, quam per rectoris denuntiationem: tamquam conſcius puniatur, fructibus eccleſiaſticis unius anni privandus in pias cauſas diſtribuendis.

Sane de vicariis ſtatuimus perpetuis, & tam perſonas, tam vicarios, quam annuos ſacerdotes, graviter puniendos decrevimus, niſi ſuper denunciatione exceſſuum, & præcipue incontinentiæ, in quibus notabiles clerici inventi fuerint, in ſuis parochiis fuerint vigilantes.

L. *Ne prædicatores admittantur ſine litteris epiſcopi.*

Prohibemus ne ſine litteris noſtris, ad fidelium eleemoſynas poſtulandas, aliquis admittatur prædicator: niſi litteræ noſtræ nomen ejus exprimant, & expreſſe contineant, quod ei damus licentiam prædicandi. Negotium vero & neceſſitatem pro qua advenit, bene poterit demonſtrare, licet prædicandi licentiam non habeat, dum tamen litteris noſtris, ſicut diximus, munitus ſit. Volumus autem, ut ſacerdos eccleſiæ in qua prædicatur, pecuniam collectam accipiat, & ſalvo cuſtodiat ſub duorum virorum teſtimonio fide dignorum, quouſque de mandato noſtro, illi loco, pro quo fuit collecta & collata, deferatur.

LI. *De pœna eorum qui aliquid dant vel accipiunt pro ſpiritualibus.*

Prohibemus archidiaconis, officialibus, & decanis, ne pro juſtitia facienda, differenda, vel acceleranda, aliquid accipiatur: & ne pro aliquo ſpirituali aliquid ex pactione promittatur, detur, vel accipiatur. Quod ſi fiat, tam dans, quam accipiens, ſententia excommunicationis ſe noverit * innodatum. *al.* innodandum.

LII. *Ne incluſi alios de nocte in domo ſua recipiant.*

Moneat quilibet ſacerdos viros incluſos, ſi habeat in parochia ſua: ne mulierculam recipiant de nocte in domo ſua, ſimiliter nec mulier maſculum: nec depoſita ſine teſtimonio ſacerdotis, & virorum fide dignorum, accipiant.

LIII. *De exceſſibus in præbendis corrigendis.*

Ad hoc quoniam de fornicationibus, adulteriis, & inceſtuoſis commixtionibus & aliis flagitiis in præbendis & eccleſiis præbendalibus frequenter commiſſis, clamor ad aures noſtros aſcendit, & ad aures Domini ſabaoth timemus aſcendiſſe, quæ ad cognitionem & ... epiſcopi ſui ſtatuta concilii infra terminum competentem per capitulum corrigi debent: ne de manibus noſtris ſanguis animarum requiratur, diſtricte autoritate concilii præcipimus, quod ea quæ correctione indigent, per capitulum corrigantur: alioquin Deum habentes præ oculis, prout cura animarum requirit, pro officii noſtri debito, quod noſtrum erit faciemus.

LIV. *De matrimonio contrahendo.*

Studeant ſacerdotes ſummopere & multipliciter matrimonium commendare per dignitatem, & bona B ipſius matrimonii; amplexus fornicarios per contrarium reddendo deteſtabiles: confidenter aſſerentes matrimonium inter alia ſacramenta, quoad originem primum, & prius conſtitutum ab ipſo Domino in paradiſo, &c.

Bona matrimonii ſunt, fides, proles, & ſacramentum: ſcilicet fides ad torum, proles ad cultum Dei, ſacramentum Chriſti & eccleſiæ: apparetque in hac vita maxime deſiderabile. Bonum eſt & privilegiatum matrimonium: nam ſola proles, ex matrimonio legitimo ſuſcepta, a dignitatibus tam eccleſiaſticis, quam civilibus non eſt excluſa: cum tamen aliter geniti repellantur tanquam ſpurii.

LV. *De reverentia matrimonii.*

C Propter hoc præcipimus, quod matrimonia cum honore celebrentur, & reverentia: non cum riſu & joco, non in tabernis, potationibuſve publicis, ſeu commeſſationibus: nec quiſquam annulum de junco vel quacunque vili materia, vel pretioſa, jocando manibus innectat mulierculatum, ut liberius cum eis fornicetur: ne dum jocari ſe putat, honoribus matrimonialibus ſe adſtringat. Nec de cætero fides detur alicui de matrimonio contrahendo, niſi coram ſacerdote, aut tribus vel quatuor perſonis fide dignis, propter hoc convocatis: ita quod nullatenus per verba de præſenti contrahant: nec poſt matrimonium, per verba de futuro contractum carnaliter commiſceantur, niſi rite canonicis denunciationibus præmiſſis, tam D ubi mas, quam ubi fœmina retro converſati ſunt. Nihilominus etiam, quoniam non mediocriter turbant eccleſiam Dei, & pericula animabus ingerunt taliter contrahentes: ſtatuimus, quod tales ad nos tranſmittantur; & ii, qui hujuſmodi contractibus interſunt prohibitis, & autoritatem & conſenſum præſtiterint: & nos illos ad ſedem apoſtolicam tranſmittemus, tanquam perturbatores eccleſiaſticæ pacis, & contemptores eccleſiaſticorum mandatorū. Et hoc ſtatutum præcipimus omni die Dominica populo denunciari.

LVI. *De forma contrahendi matrimonia.*

Item præcipimus, quod ſacerdotes doceant perſonas contrahentes hanc formam verborum in Gallico E vel Anglico: *Ego* N. *accipio te* N. *in meam*. Similiter & mulier dicat: *Ego accipio te in meum.* In his enim verbis conſiſtit vis magna, & matrimonium contrahitur. Nec ſine trina denunciatione publice facta in eccleſia & ſolemniter, præſumat ſacerdos aliquas conjungere perſonas matrimonialiter. Pro quibus denunciationibus faciendis nihil omnino exigatur.

Sed ſi utraque perſona conjuganda, omnino fuerit incognita: nullo modo præſtet ſacerdos autoritatem tali contractui, niſi prius ei legitime conſtiterit, quod perſonæ legitimæ ſint ad contrahendum. Similiter, ſi altera illorum incognita fuerit, litteras habeat teſtimoniales, quod poſſit legitime contrahere, & trina facta fuerit denunciatio in parochia illius.

CIRCA ANNUM CHRISTI 1217.

LVII. *De clandestinis matrimoniis.*

Prohibemus similiter clandestina matrimonia, præcipientes quod publice fiant in facie ecclesiæ, præsente sacerdote ad hoc vocato: si vero secus actum fuerit, non approbentur, nisi de nostra speciali autoritate. Sacerdos autem, qui tales conjunctiones prohibere contempserit, vel talibus interesse præsumpserit, vel quilibet alius regularis, secundum statuta concilii, ab officio per triennium suspendatur: gravius puniendus, si culpæ qualitas postulaverit. Sed & iis qui taliter copulari præsumpserint, etiam in gradu concesso, condigna pœnitentia injungatur.

LVIII. *De sortilegiis & maleficiis in nuptiis.*

In nuptiis semper prohibeantur sortilegia sub pœna excommunicationis fieri, & maleficia. Et sub tali pœna teneantur omnes qui celant impedimenta matrimonii: votum, ordinem, consanguinitatem, affinitatem, disparem cultum, compaternitatem. Et hæc ultima causa, tantum quatuor personas excludit de matrimonio, compatrem & commatrem, filiolum, fratrem vel sororem spiritualem, vel filium vel filiam patrini. Et ista comminatio in singulis parochiis frequenter recitetur.

LIX. *De modo prohibito in affinitate carnali, vel spirituali.*

Ad hoc prohibemus, ne vir contrahat cum aliqua consanguinea olim uxoris suæ. Similiter, nec mulier cum aliquo consanguineo quondam viri sui, usque ad quartum gradum. Item susceptus in baptismo non contrahat cum filia suscipientis, vel ante vel post compaternitatem genita.

LX. *Ne quis super dubio casu.*

Nullus officialis, decanus, vel sacerdos, in dubio casu, inconsulto episcopo, causam matrimonii præsumat diffinire, seu pro matrimonio seu contra matrimonium prounciare: sed ad episcopum referatur omnis matrimonii dubietas.

LXI. *De iis qui per adulterium polluuntur.*

Item commoneant & prohibeant sacerdotes, ne quisquam cum ea contrahat matrimonium, quam, vivente marito suo, polluit per adulterium. Et hoc, si adulter fidem dederit adulteræ, de ea ducenda, adhuc viro suo vivente; vel si etiam ipsa adultera, vel adulter, in mortem viri machinati sunt.

LXII. *Quod prægnantes sibi provideant, cum tempus partus appropinquat.*

Item commoneant sacerdotes mulieres prægnantes de parochia sua, ut cum tempus partus intelligunt instare, sibi prospiciant, ut aquam habeant promptam & paratam. Et quod propter imminens periculum, locutæ fuerint de confessione cum sacerdote, ne subito præoccupatæ, non possint, cum voluerint, copiam habere sacerdotis.

LXIII. *Ne conjugati viri transeant ad religionem inconsulto episcopo.*

Item doceant sacerdotes frequenter populum, & prohibeant sub anathemate, ne alter conjugũ transeat ad religionem, nec recipiatur: nisi per nos aut per licentiam nostram. Item moneant sacerdotes mulieres, ne faciant vota, nisi cum magna deliberatione, & cum consensu virorum suorum, & consilio sacerdotum.

LXIV. *Quod de cætero in quinto gradu consanguinitatis liceat contrahere.*

Later. IV. c. 50. In generali concilio statutum est, quod prohibitio conjugalis copulæ quartum consanguinitatis & affinitatis gradum non excedat de cætero: quoniam sine gravi dispendio animarum, hujuscemodi prohibitio non potuit in ulterioribus gradibus generaliter observari. Unde cum jam usque ad quartum gradum, conjugalis copula sit restricta: sancitum est, ut si qui contra hujusmodi prohibitionem præsumpserint de cætero copulari, nulla longinquitate defendantur annorum, cum diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augeat. Prohibitiones vero de conjugio, de secundo & tertio affinitatis genere minime contrahendo, & de sobole suscepta ex sanctorum nuptiis cognationi viri non copulanda prioris, vobis denunciamus autoritate concilii abrogatas: & quod tales de cætero libere contrahere permittantur.

LXV. *De denunciatione facienda, cum matrimonia in ecclesiis sunt contrahenda.*

Item cum matrimonia fuerint contrahenda, in ecclesiis per presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito: ut infra illum, qui voluerit & noluerit, legitimum impedimentum opponat: & presbyteri nihilominus investigent, utrum aliquod impedimentum obsistat. Cum autem probabilis apparuerit conjectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse: donec quod fieri debeat super eo, manifestis constet documentis. Soboles vero suscepta in gradu prohibito etiam ignoranter, prorsus illegitima censeatur: de parentum ignorantia nullum habitura subsidium, cum taliter contrahendo, non expertes scientiæ, vel saltem ignorantiæ affectatores videantur. Pari modo proles illegitima censeatur, si ambo parentes impedimentum scientes legitimum, eundem, præter omne interdictum, etiã in conspectu ecclesiæ contrahere præsumpserint. Si quis autem ad impediendum legitimam copulam malitiosum impedimentum objecerit, ecclesiasticam non effugiat ultionem.

LXVI. *De testibus recipiendis ad probandam consanguinitatem.*

Item statutum est, ut in consanguinitatis gradibus computandis, testimonium de audita non valeat: nisi personæ graves extiterint, quibus merito fides sit adhibenda; & ante motam litem, testificata didicerint ab antiquioribus suis, non ab uno utique, cum non sufficeret ille si viveret; sed a fide dignis, & omni exceptione majoribus: cum satis videretur absurdum illos admitti, quorum repelluntur autores.

LXVII. *De sacramento extremæ unctionis.*

Sacramentum vero extremæ unctionis, cum sit sacramentum exeuntium, quod sit necessarium patet ex verbis beati Iacobi, qui ait: *Infirmatur quis ex vobis? convocet sacerdotem.* Iacobi 5. Et propter hoc præcipimus, quod ad sacramentum extremæ unctionis moneant frequenter populum sacerdotes, in necessitate videlicet: & non tantum divites, sed pauperes, senes, & juvenes, omnes: maxime a quatuordecim annis, & supra. Et omnibus petentibus & pœnitentibus gratis exhibeant hoc sacramentum in necessitate, cum fuerint humiliter requisiti.

LXVIII. *De eodem.*

Item moneant sacerdotes frequenter populum, hoc sacramentum licite iterari posse: scilicet in qualibet gravi infirmitate, de qua metus imminet mortis. Dicant etiam ac denuncient confidenter, quod post susceptum hoc sacramentum, licitum est reverti ad opus conjugale.

LXIX. *De eodem.*

Cum reverentia deferatur oleum sanctum ad infirmos, & eos inungant sacerdotes cũ magno honore, & orationum

CIRCA ANNUM CHRISTI 1217.

orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ: & A nihil inde, sicut nec pro aliis sacramentis, exigatur, sive a paupere, sive a divite.

LXX. *De testamentis faciendis, & memoria fabricæ Sarum ecclesiæ.*

Præcipimus quod laïcis inhibeatur frequenter, ne testamenta sua faciant sine præsentia sacerdotis, sicut diligunt, quod eorum voluntates extremæ adimpleantur. Inter alia etiam singuli sacerdotes infirmos suos moneant, & efficaciter inducant, quod fabricæ Sarum ecclesiæ suæ memores, prout Deus inspiraverit illis, in testamento suo, de bonis suis relinquant. Sacerdotes vero & clerici, alios exemplo suo ad id faciendum provocent, matricem ecclesiam suam Sarum in testamento suo, prout decet, respicientes. Preces etiam faciant B sacerdotes singulis Dominicis, pro vivis & mortuis fratribus & sororibus fabricæ Sarum. Sacerdotibus autem similiter inhibemus, ne testamenta sua per manum ordinent laïcalem.

LXXI. *Ne personæ ecclesiæ ædificent in feudo laïcali.*

Et quoniam omnino injustum est, ut quem ecclesia recipit pauperem & extraneum, in alieno efficiat divitem, & in suo recipiat fraudatorem: sacrorum canonum statuta sequentes, districte præcipimus, quod nullus omnino, qui stipendio militat ecclesiæ, in solo ædificet laïcali, vel summam seu fortunam rerum suarum ad feudum transferat laïcale: præcipue illarum rerum, quas consideratione ecclesiæ, vel ecclesiasticorum beneficiorum, perceperunt. Quod si contra hoc C statutum venire præsumpserit, tanquam defraudator ecclesiasticæ substantiæ, quicquid, occasione talis præsumptionis, damni vel incommodi intulerit ecclesiæ vel ecclesiasticis possessionibus, de cujus proventibus dinoscitur laïcale feudum ampliasse: illi ecclesiæ restituat, de cujus oblationibus, eleemosynis, suffragiis, atque proventibus, constiterit ipsum sumptus fecisse.

LXXII. *Ut primo a Medicis moneantur ægri ad ea quæ sunt animæ.*

Cum anima longe pretiosior sit corpore, sub interjectione anathematis prohibemus: ne quis medicorum, pro corporali salute aliquid ægro suadeat, quod in D periculum animæ convertatur. Verum cum ipsis ad ægrum vocari contigerit, ægrum ante omnia moneant & inducant, quod advocent medicos animarum: ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Transgressores hujus constitutionis pœnam in concilio statutam non evadent. Later. IV. c. 22.

LXXIII. *De motibus sacerdotum propriis refrænandis.*

Sacerdotibus in periculo animarum injungimus, ut in exercendo officio suo proprios motus, scilicet rancores, odia, carnales affectiones, non sequantur: sed E adeo sint discreti & providi in præcipiendo, ut sub pretextu debitæ sibi obedientiæ, subditos suos nullatenus scandalizent: quod quandoque contigisse cognovimus. In causa autem pecuniaria, propria autoritate communionem alicui non interdicant. Quoniam religionum nimia diversitas gravem in ecclesia confusionem inducit: præcipimus, quod qui volunt domum hospitalem fundare, seu xenodochium de novo, regulam & institutionem a nobis accipiant, secundum quam regulariter vivant & religiose.

LXXIV. *De eodem.*

Scriptum est: *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.* Ideo præcipimus, ne monachus solus moretur, vel in prioratu, vel in cella, vel alicubi in Eccle. 4. episcopatu nostro. Nullus etiam in monasteriis sanctimonialium diversa habeat officia, quæ consueverunt esse diversa.

LXXV. *De reditu ad religionem.*

Quoniã quidam apostatæ, salutis suæ immemores, abjecto timore Dei, de ordine suo egredi, sine licentia suorum prælatorum, & in sæculo sæculariter conversari, abjecto religionis habitu, non verentur: præcipimus archidiaconis, decanis etiam, monitione præmissa competenti, ut tales ad claustrum, per ecclesiasticam censuram, redire compellant. Quod si nec sic ad resumendam religionem induci possint, jubemus eos comprehendi & ad pœnitentiam in carcere retineri.

LXXVI. *De reverentia.*

Adhuc prohibemus, ne choreæ ulter * pes, & inhonesti ludi, qui ad lasciviam invitant fiant in .... Et ne ii tractentur esse sæculares ex consuetudine; maxime in quibus agitur de judicio sanguinis. Prohibemus quoque ne denuntiationes scotallorum fiant in ecclesia per laïcos: nec in ecclesiis nec extra ecclesias per sacerdotes, vel per clericos.

LXXVII. *De procurationibus archidiaconorum.*

Certum est quod procurationes archidiaconorum aut officium * exercentes, non debent quærere quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, prædicationi, exhortationi, correctioni, & reformationi insistentes, ut fructum referant qui non perit. Quapropter sacrosancti concilii vestigiis inhærentes præcipimus, quod procurationes nullatenus dentur, nisi personis visitationis officium exercentibus; & tunc...... scilicet septem equorum & personarum mediocritate servata, in Lateranensi concilio diffinita: hoc adhibito moderamine, quod cum aliqua ecclesia per se non sufficiat ad Later. III. c. 4. procurationem faciendam, duæ vel plures conjungantur in unum. Qui contra venire attentaverit sui " statuta concilii, quod acceperat reddat, & ecclesiæ " f. sacri quam taliter gravaverit, tantundem de suo impendat.

LXXVIII. *De prædicatoribus episcopi recipiendis.*

Cum propter occupationes multiplices, vel invalitudines corporales, seu alias causas, non sufficiunt episcopi per se ministrare populo verbum Dei: in Lateranensi concilio statutum est, ut ipsi ministros idoneos Later. IV. c. 10. ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum assumant. Quibus ad vos venientibus ex parte nostra, & populum verbo & exemplo ædificantibus, autoritate ejusdem concilii præcipimus, cum indiguerint, congrue necessaria subministretis, ne pro..... defectu compellantur desistere ab incepto.

LXXIX. *De beneficiis magistris scholarum providendis.*

Item præcipimus, quod aliquod competens beneficium magistro præbeatur, qui gratis in grammatica facultate pauperes scholares instruat, juxta posse suum: ut sic docentis levetur necessitas, & magis via pateat discentibus ad doctrinam.

LXXX. *De receptione s.... beneficii.*

Quoniam in concilio Lateranensi primo dinoscitur Later. IV. c. 29. esse statutum, & nuper in generali concilio evidentius

Circa annum Christi 1217.

fuit expressum, ut quicumque reciperet beneficium, cui esset cura animarum annexa, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus; & si forte illud retinere contenderit, utroque privetur: archidiaconis, officialibus, decanis præcipimus districte, quod tam* de recipientibus, post vulgationem statutorum concilii, nos reddant certiores.

LXXXI. *De idoneis præsentandis ad vacandā beneficia.*

Præcipimus omnibus patronis ecclesiarum, sive sint seculares personæ, sive regulares: quod cum ecclesiasticum vacaverit beneficium, de eorum donatione viros idoneos nobis præsentent, quibus morum honestas, & litterarum scientia suffragentur: sequentes judicium rationis, non affectum carnalitatis. Alioquin pro officii nostri debito, de ecclesiis vacantibus, Deum habentes præ oculis, ordinabimus.

LXXXII. *Ne viri ecclesiastici fidelitatem præstent laïcis.*

Sacri concilii autoritate interdicimus viros ecclesiasticos, nihil temporale a laïcis obtinentes, sacramentum fidelitatis laïcis præstare. Item eadem autoritate præcipimus, ne patroni vel advocati, de ecclesia, occasione advocationis plus usurpent, quam eis inire est permissum, & quam sacri canones eis concedant.

LXXXIII. *De ecclesiarum patronis.*

Later. IV. c.45. Sacri nihilominus concilii provisione diffinitum est: quatenus, si patroni, vel advocati, aut feudatarii, seu vicedomini alicujus ecclesiæ, rectorem, vel alium clericum ipsius ecclesiæ per se vel per alios occidere, ausu nefario præsumpserint, patroni, jus patronatus; advocati, advocatiā; feudatarii, feudum; vicedomini, vicedominatum, usque ad quartam generationem, amittant. Et posteritates talium, in clericorum collegium nullatenus assumantur: nec in regularibus domibus, alicujus prælationis assequantur honorem. Et hoc volumus sæpius in ecclesiis denunciari.

LXXXIV. *De stipendiis sacerdotum.*

Cum os bovis triturantis alligari non debeat: præsentandi* capellanum in capellis generalibus articulos stipendiorum suorum scriptos statim tradant archidiaconis, ut videri possit si stipendia sufficiant, & ipsis & eorum ministris necessariis, ut si opus sit in contin.... suppleatur sufficiens autoritate concilii præcipimus: necnon obstante aliqua consuetudine, portio presbyteris parochialibus assignetur. Qui ad... compendium & stipendium deforme, officium sacerdotis non erubescunt assumere, tanquam vilissimos, & per quos vituperetur non modicum ministerium nostrum, cum eorum habuerimus notitiā, de episcopatu expellemus: illam pœnam infligentes, qui sibi tales adjungere non erubescunt, quod sacerdoti substituendo, vel duplo majori stipendio, vel triplo, si viderimus expedire, providebit, vel in propria ministret persona in illa ecclesia cui injuriatum est.

LXXXV. *De vicariis faciendis.*

Qui parochialem habet ecclesiam, si in ea non velit residere, ordinet in illa perpetuum vicarium, quem* in ipsa est canonice statuendus: qui competentem habeat de ipsius ecclesiæ proventibus portionem. Qui vero plures habuerit ecclesias parochiales ante concilium adeptas, in una resideat, in ordine quem illius ecclesiæ cura requirit, & in aliis perpetuos ordinet vicarios, quoniam in ipso est. Qui vero plures habuit vicarios, in optione sua sit, qui velint, & sciant, & possint eis deservire in ordine quē ecclesiæ cura requirit.

LXXXVI. *Quod omnes clerici beneficiati habeant prædictas constitutiones.*

Autoritate præcipimus pontificali districte, in virtute obedientiæ, quod archidiaconi constitutiones istas, pro communi utilitate editas, & pro correctione excessuum constitutas, omnibus in concilio Oxoniensi a domino Cantuariensi editas, faciant inviolabiliter observari, transgressoribus debitam pœnam infligentes: promissuri nihilominus, quod præscriptas constitutiones, transcriptas, & correctas, habere faciant decanis; decani, aliis sacerdotibus: ut sacerdotes, ipsas habentes frequenter præ oculis, in ministeriis, & dispensationibus sacramentorum sint instructiores, & in fide doctrinæ catholicæ bene vivendo firmiores.

Item decrevimus, solemniter esse celebrandum & pronunciandum diem translationis beati Thomæ martyris. Similiter & diem depositionis sancti VVlstani.

LXXXVII. *De sententia excommunicationis.*

Autoritate Dei patris, & beatæ Virginis, & omnium sanctorum, & præsentis concilii, excommunicamus illos omnes, qui malitiose ecclesias jure suo privare præsumunt; aut per malitiam, libertates earundem infringere vel perturbare contendunt.

Item omnes illos excommunicationis sententia innodamus, qui pacem & tranquillitatem regis & regni injuriose perturbare præsumunt: & qui jura domini regis injuste detinere contendunt. Amen.

Primo quidem excommunicamus, autoritate Oxoniensis concilii, a sanctæ memoriæ Stephano Cantuariensi archiepiscopo celebrati, omnes qui malitiose ecclesias jure suo privare præsumunt; aut per malitiam, contra justitiam, libertates earundem infringere, vel perturbare contendunt. Ex quo intelligimus, excommunicationis vinculo subjacere omnes illos, qui litteras impetrant a quacumque curia laïcali, ad ecclesiasticum judicium processuri in talibus, quæ per sacros canones, ad forum ecclesiasticum pertinere noscuntur.

Item excommunicamus secundo omnes illos, qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injuriose perturbare præsumunt, & qui cuncta jura regis injuste detinere contendunt. Ex quo intelligimus, non solum excommunicari guerrarum suscitantes horrorem, verum etiam latrones publicos, & omnes etiam pariter prædones, & quoscumque regulam justitiæ temere impugnantes.

Item excommunicantur tertio universi qui scienter falsum perhibent testimonium, vel perhibere procurant, ad impediendum justum matrimonium, vel ad hereditatem alicujus hominis procurandam.

Item excommunicantur quarto, advocati omnes, qui malitiose, per quascumque exceptiones verum matrimonium impediunt, ne effectum debitum sortiatur; & in quibuscumque causis, ut contra justitiam processus ecclesiæ diutius suspendatur.

Item excommunicantur quinto omnes illi, qui gratia lucri vel odii, vel favoris, malitiose crimen imponunt alicui, cum apud bonas & graves personas non fuerit prius infamatus, nec sit ei purgatio indicta, vel alio modo gravetur.

Item excommunicantur omnes, qui malitiose, vacante ecclesia, opponunt vel opponi procurant quæstionem de jure patronatus, ut verum patronum illius ecclesiæ impediant illa vice.

Item excommunicantur septimo omnes illi, qui malitiose contemnunt exequi mandata domini regis de

CIRCA ANNVM CHRISTI 1217.

de excommunicatis capiendis, vel qui eorum impediunt captionem; seu procurant injuste eorum liberationem, contra districtionem ecclesiasticæ disciplinæ.

Item excommunicantur in concilio sanctæ memoriæ Ottobonis omnes illi, qui pro impedimento pacis, seu compensatione...... recipiunt donec ipsum sunt recepturi, restituerunt donatorium.

Item excommunicantur per eundem quicumque de domibus, maneriis, vel grangiis, vel locis aliis archiepiscoporum, episcoporum, vel aliarum ecclesiasticarum personarum, contra ipsorum voluntates, seu custodiam rerum earundem, aliquid auferunt, vel consumunt, vel injuriose contrectant.... sententia ligentur: nec absolvi possunt, donec de injuria satisfecerint competenter.

B Item excommunicantur ab eodem, quicumque abstulerint violenter reum, ad ecclesiam vel cœmeterium, vel claustrum fugientem, vel ei victum necessarium prohibent exhiberi; vel qui res alienas in locis prædictis expositas violenter asportant, vel asportari faciunt; vel qui asportationem talem factam, nomine suo, vel a familiaribus suis ratam habent; vel qui ad hoc publice vel occulte consilium vel auxilium præbuerint, seu consensum.

Item excommunicantur ab omnibus archiepiscopis & episcopis Angliæ, qui veniunt contra magnam chartam domini regis, aut faciunt, quæ sententia per sedem apostolicam pluries confirmata....

C Item.... articuli, in quibus incurritur excommunicationis sententia ipso jure.

Primus, cum quis incidit in hæresim jam damnatam, vel novam confingit: & generaliter quæcumque vel quoscumque Romana ecclesia, vel singulares episcopi in suis diœcesibus hæreticos iudicaverint.

Secundus, cum quis receptat vel abscondit hæreticos.

Tertius, cum quis dixerit.... in clericum, monachum, conversum, monialem, vel conversam, vel aliquam religiosam personam manus injecerit violentas.

Quintus, cum quis possit defendere clericum, & non facit.

D Sextus, cum potestates, consules, seu rectores civitatum & locorum, angarias & exactiones indebitas imponunt in redemptionem, & autoritatem prælatorum ita evacuando, ut nil potestatis eis in suis hominibus videatur remansisse. Et cum nominati desistere noluerint, tam ipsi quam fautores eorum excommunicationi se noverint subjacere.

Septimus, incendiarii, & violatores ecclesiarum.

Octavus, cum quis a paucioribus quam a duabus partibus cardinalium in summum pontificem electus, pro papa se gesserit, nec humiliter voluerit abstinere.

E Nonus, cum quis falsat litteras domini papæ, vel scienter utitur etiam ab alio falsatis.

Decimus, cum quis differt arma, ligna, ferrum.

Duodecimus est in sagittariis, & balistariis contra Christianos in bello injusto.

Decimus tertius est in iis, qui statuta contra ecclesiasticas consuetudines, vel abusiones contra ecclesiasticam libertatem faciunt observari.

Item in statutariis.

Decimus quartus in scriptoribus statutorum illorum.

Decimus quintus in potestatibus, consulibus, rectoribus & consiliariis locorum, in quibus hujusmodi statuta, vel consuetudines editæ fuerint vel statutæ.

Decimus sextus in iis qui.....ea præsumpserint judicare.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1217.

A Decimus septimus in iis qui in publica forma redegerint judicata.

Autoritate domini episcopi in concilio Londoniense, ultimo celebrato, ordinatum est.

Imprimis, qui pacem domini regis & regni sui injuriose perturbant, vel aliquid faciunt, per quod pax & tranquillitas valeant perturbari, vel ad perturbationem perveniatur, publice & solemniter, accensis candelis, pulsatis campanis, cruce erecta in singulis ecclesiis suæ provinciæ denuntientur excommunicati.

Item omnes illi sunt excommunicati eodem modo, qui bona aliorum rapiunt, & occupant, contra pacem & voluntatem eorum, ad quos pertinent; & maxime clericorum.

B Item quod complices & fautores eorum, eodem modo denuncientur excommunicati: contra quos omnes in concilio Oxoniensi, & ab aliis sacris patribus Divina sententia ab olim lata fuerit.

Item ordinatum est, quod omnes vere pœnitentes, qui pacem, & tranquillitatem prædictas defendere nitentur, aut pro eis orationem Dominicam ter dicent, cum totidem salutationibus beatæ Virginis, CC. dies indulgentiæ per dominum archiepiscopum, & undecim suffraganeos suos in dicto concilio concessos.....

Item, quod in singulis ecclesiis parochialibus, semel in hebdomada, cum melius parochianorum fuerit multitudo, fiant processiones pro pace, & Missæ sequentes: & quod omnia præmissa fiant sub pœna majoris excommunicationis.

C G.C. Anglicanæ collectionis ordinem in his edendis constitutionibus secuti sumus: ejusque fide, Oxoniensi concilio anni MCCXXII. eas præposuimus. Sed nunc tandẽ animadvertimus fuisse postponendas: cum in earum cap. ult. mentio fiat Oxoniensis istius concilii, ejusque ipsa verba referantur. In eadem collectione sequitur cõcilium Dunelmense, sive constitutiones Ricardi episc. Dunelm. quæ sunt ad verbum eædem atque constitutiones Ricardi episcopi Sarum supra editæ. Hoc differunt uno, quod diversa est partitio capitulorum. & Dunelmenses postremis capitulis careant a LXXV. Eas igitur hic omittimus. Profuerunt ad tollenda menda plurima quæ in Sarumensibus erant. Cæterum non errore librarii dictas esse Dunelmenses, sed reipsa in Dunelmensi concilio promulgatas, eo persuadeor, quod sublatæ in iis sunt aliquot lineæ de fabrica ecclesiæ Sarum, quæ in harum capite LXX. leguntur.

D

CONCILIVM OXONIENSE

ANNO CHRISTI 1222.

PER STEPHANVM CANTVARIENSEM archiepiscopum pro reformanda ecclesia Anglicana celebratum anno Domini MCCXXII. tempore Honorii papæ III.

TITVLI CAPITVLORVM.

12. *Ne*

ANNO CHRISTI 1222.

12. *Ne una ecclesia dividatur in plures.*
13. *De vicariorum residentia.*
14. *Quod exilia beneficia non conferantur, nisi volentibus residere in eisdem.*
15. *Quæ portio debeat vicario residenti assignari.*
16. *In quibus ecclesiis requiritur pluralitas presbyterorum parochialium.*
17. *Quod episcopus recipiat juramentum a præsentato, ut evitetur simonia.*
18. *Ut in singulis archidiaconatibus speciales confessores deputentur.*
19. *Quod decani rurales de causis matrimonialibus se non intromittant.*
20. *Ne quis latrones in domibus vel in servitio teneat.*
21. *Ne archidiaconi gravent ecclesias vel rectores in visitatione, & qualiter se habebunt.*
22. *Ne beneficia spiritalia tradantur ad firmam.*
23. *Quod archidiaconi in visitatione sua examinent sacerdotes de canone Missæ, & de sacramento altaris.*
24. *Quod oleum & Eucharistia custodiantur sub sera, & similiter chrisma.*
25. *Quod archidiaconi habeant penes se in scriptis omnia ornamenta ecclesiæ.*
26. *Quod archidiaconi videant in visitationibus, ne possessionibus vel jure suo ecclesiæ defraudentur.*
27. *Quod archidiaconi vel decani novas exactiones ecclesiis non imponant.*
28. *Quod ordinarii non ferant sententias excommunicationis in aliquem, nisi præmissa monitione, nisi in certis casibus.*
29. *Ne quid exigatur pro sepultura vel aliquo sacramento conferendo.*
30. *Quod judices non impediant horum pacis inter partes, ubi causa recipiat compositionem ad suggestionem præconis.*
31. *Quod judex non judicet aliquem ad purgationem, ad suggestionem præconis tantum, ut sit judex & actor.*
32. *De habitu clericorum.*
33. *Ne clerici comam nutriant.*
34. *Quod clerici non teneant publice concubinas.*
35. *Qualis pœna est infligenda concubinis clericorum.*
36. *Quod clerici vel prælati non vendant vel impignorent ecclesiam suam consanguineis eorum.*
37. *Quod fructus ecclesiæ in laico feudo non reponantur, nec de eis ædificia fiant.*
38. *Quod religiosi possessionati, quolibet anno admoneantur, ut reddant computum.*
39. *Quod religiosi nil recipiant pro ingressu alicujus inter eos, nisi pro vestitura dumtaxat.*
40. *Quando & qualiter ecclesiæ possunt dimitti ad firmam.*
41. *Quod nulli aliquid in ecclesia ratione beneficii assignetur.*
42. *Pœna advocatorum qui matrimonium protrahunt malitiose.*
43. *De ordinatione religiosorum, & qui possunt recipi in monachos.*
44. *De familiaribus monialium, & de silentio religiosorum, & de licentia exeundi.*
45. *Ne monachi vel moniales per se comedant.*
46. *Quod moniales simul in monasterio habitent, & de confessione earum.*
47. *Quod religiosi non condant testamenta, nec liceat monachos monasteria habere ad firmam.*
48. *Quod religiosi non bibant ultra horas debitas.*
49. *Quod monachi & regulares in monasterio habeant seniores, & de sententiis publicandis.*

CAPITULA.

I. Excommunicantur ecclesiasticorum jurium & regni perturbatores, perjuri, calumniatores, &c.

AUtoritate Dei patris, & beatæ Virginis, & omnium Sanctorum, & præsentis concilii, excommunicamus omnes illos qui malitiose ecclesias suo jure privare præsumunt, aut per malitiam & contra justitiam libertates earumdem infringere vel perturbare contendunt. (Ecclesiasticorum jurium turbatores.)

Item omnes illos excommunicationis sententia innodamus, qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injuriose perturbare præsumunt, & qui jura domini regis detinere contendunt. (Seditiosi.)

Adiicimus autem, omnes illos simili sententia involutos, qui scienter & prudenter falsum perhibent testimonium, vel perhiberi procurant, vel etiam tales testes scienter producunt, vel subornant in causa matrimoniali, ubi scilicet agitur contra misericordiam, vel etiam ubi agitur ad alicujus exheredationem. (Perjuri.)

Advocatos quoque excommunicamus omnes qui in causis matrimonialibus malitiose oppositiones opponunt, vel opponi procurant, ne matrimonia vera debitum sortiantur effectum, vel ut contra justitiam processus causæ diutius suspendatur. (Cavillatores.)

Item excommunicamus omnes illos qui gratia lucri, odii, vel favoris, vel aliter, malitiose crimen imponunt, vel opponunt alicui, cum infamatus non sit apud bonos & graves, ut sic saltem ei purgatio indicatur, vel alio modo gravetur. (Calumniatores.)

Præterea omnes illos sententia excommunicationis innodamus, qui vacante ecclesia malitiose opponunt vel procurant opponi patronatus quæstionem, ut sit unde patronum illius ecclesiæ collatione saltem illa vice defraudent. (Cavillatores.)

Excommunicamus etiam omnes illos qui gratia lucri, odii, vel favoris, vel alias, malitiose contemnunt exequi domini regis mandatum contra excommunicatos, qui claves ecclesiæ contemnunt. (Suppressores.)

II. De debito episcoporum.

Statuimus etiam autoritate præsentis concilii, ut prælati singuli eleemosynarios honestos habeant, & ut ipsi prælati sint, juxta Apostolum, hospitales, & ut horis competentibus ad pauperes audiendos & justitiam exhibendam, in publico præsentiam suam exhibere procurent, & in personis propriis confessionibus audiendis interdum intersint, & pœnitentiis injungendis. Ipsi etiam per confessores discretos civitates proprias obeant, & in eccle- (Rom 12. Hebr. 13. 1. Petr. 4.)

ANNO CHRISTI 1222.

ecclesiis suis cathedralibus residere procurent: in aliquibus majoribus festis, & saltē in aliqua parte quadragesimę, prout animæ suæ saluti magis viderint expedire. Et quia, juxta scripturæ testimonium, vota nostra tenemur reddere Domino Deo nostro: salubriter decernimus ad vertendum, ut episcopi formam suæ professionis in sua consecratione prolatam bis in anno corā se legi faciant diligēter, ut tanto melius professionis suæ recordētur, quanto sępius eorū fuerit auribus inculcata.

III. Ne episcopi in collatione beneficiorum aliquid sibi retineant.

Collatores ecclesiarū non confereas debeant.

Ad hæc statuimus, ne prælatus aliquis, cum ecclesiam contulerit aut præbendam, fructus ejusdem ecclesiæ sive præbendæ nondum collectos sibi præsumat aliquatenus usurpare: vel pro institutione, vel missione in possessionem, vel charta super hoc facienda, aliquid audeat extorquere, nec ab officiariis suis, archidiaconis, vel decanis, sustineat extorqueri.

IV. Vt præsentati, si idonei sint, recipiantur in beneficiis.

Coloss. 3.

Cum, secundum Apostolum, avaritiæ, quæ est idolorum servitus, episcopos aut alios Dei ministros servire non conveniat: ad tantam pestē radicitus evellendā statuimus, ut si quis ad ecclesiā aliquam nullo contradicēte præsētetur, episcopus præsentatū ipsum, dum tamen idoneus sit, nequaquam admittere differat ultra duos menses: alioquin quidquid ex eadem ecclesia post factam præsentationem fuerit forte perceptum, illi, cum institutus fuerit, restituatur: quatenus fructus illi ad episcopum pervenerint. Idem in archidiaconis, si per eos steterit, observētur: nisi causam rationabilem coram suo superiore duxerit assignandam, cum super hoc fuerit requisitus ab eo, quare eum non admiserit infra tempus in hoc concilio diffinitum.

V. De duobus ad eamdem ecclesiam præsentatis.

Hoc autem non immerito duximus adjungendum, ut si duo ad unam eamdemque ecclesiam fuerint præsentati, neutri eorum, pēdente lite, custodia committatur. Si autem ad episcopum jus conferendi talem ecclesiam autoritate concilii devolvatur, cum contentio fuerit inter duos patronos, quorū uterq; suum clericum præsentaverit, cum ex collatione episcopi, nulli patronorū qui postea evicerit jus patronatus, præjudicium debeat generari: statuimus ut episcopus neutri eorum qui præsentati fuerint ecclesiam illam conferat illa vice, nisi de utriusque patroni consensu: ne saltem qualecumque præjudicium alteri patronorum videatur generari, si forte postmodum jus patronatus evicerit.

VI. De Missa devote celebranda, & quando presbyteris plures uno die Missas celebrare liceat.

Ad excitandum affectus laborātium in vinea Domini sabaoth, ut veræ retributionis recipere mereamur" denarium post laborē: decrevimus ne opus Dei fiat ab aliquibus negligenter, præsertim cum in generali cōcilio sit præceptum, ut Divinum officium nocturnum pariter & diurnum, secundum quod Deus dederit, studiose celebretur & devote: universa quoque ecclesiastica sacramenta, & præcipue baptismatis & altaris, devotissime, prout Deus inspiraverit, celebrentur. Verba quoque canonis, præsertim in consecratione corporis Christi, plene & integre proferantur. Presbyter autem postquam Dominicum corpus sumpserit in altari, si in eodem die Missarum solennia ipsum celebrare oporteat iterato, vinum calici infusum vel digitis superfusum sumere non præsumat.

"al. mercedē Domini

Ad hæc duximus statuendum districtius inhibentes, ne sacerdos quispiam Missarum solennia celebret bis in die, excepto die nativitatis & resurrectionis Dominicæ, vel in exequiis defunctorum, videlicet cum corpus alicujus in ecclesia eodem die fuerit tumulandum: & tunc prior Missa de die, posterior vero pro defuncto celebretur.

VII. Vt clerici sæcularibus negotiis se nō immisceāt.

Cæterum præsenti decreto sancimus, ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus cōstituti, villarum procurationes admittant: videlicet ut non sint senescalli aut ballivi talium administrationum, occasione quarum laïcis in reddendis" reciniis obligentur, si & jurisdictiones exerceant sæculares, pręsertim illas, quibus judicium sanguinis est annexum. Et his duximus adjungendum, ne judicium sanguinis in locis sacris tractetur, scilicet in ecclesia vel cœmeterio. Autoritate generalis concilii districtius inhibemus, ne quis clericus beneficiatus, vel in sacris ordinibus constitutus, litteras pro pœna sanguinis infligenda scribere vel dictare præsumat, vel ubi judicium sanguinis tractatur, aut exercetur, intersit. Noverint enim protectione ecclesiastica se indignos, cum per eos in ecclesia Dei per talia præsumpta scandalum generetur.

" Corr. ratiociniis

VIII." Hæc sunt festa, in quibus, prohibitis aliis operibus, conceduntur opera agriculturæ & carrucarum.

" Hoc integrum caput non est in editione Anglicana.

Statuimus quod festa subscripta sub omni veneratione serventur, videlicet omnes dies Dominici, quinque dies Natalitii, Circumcisio, Epiphania Domini, omnia festa beatæ Mariæ, prater festum Conceptionis, cujus celebrationi non imponitur necessitas; Conversio sancti Pauli, cathedra sancti Petri, festa omnium Apostolorum, festum S. Gregorii, dies parasceves, feria 2. 3. & 4. in hebdomada Paschali,

Festa Anglis celeberrima quæ?

ANNO CHRISTI 1222.

Paschali, dies Ascẽsionis Domini, feria 2. & 3. & 4. in hebdomada Pẽtecostes, festum S. Augustini in Maio, duo festa sanctæ Crucis, translatio sancti Thomę martyris, utrumque festum sancti Ioannis Baptistæ, festum sanctæ Margaretæ, festum sanctæ Marię Magdalenæ, festum sancti Petri ad vincula, festum sancti Laurentii, festum sancti Michaëlis, festum sancti Edmundi confessoris, & sancti Edmundi regis & martyris, festum sanctæ Catharinæ, festum sancti Clementis, festum sancti Nicolai, festum dedicationis cuiuslibet ecclesiæ in sua parochia, quodlibet festum illius sãcti in cujus honore fundata est ecclesia.

Festa vulgaria in Anglia quæ?

Volumus etiam ut alia festa a rectoribus ecclesiarum & capellanis in obsequio Divino & laude devotissime celebrentur, minoribus operibus servilibus, secundum consuetudinem loci, illis diebus interdictis, festum sanctorum Fabiani & Sebastiani, sanctæ Agnetis, sancti Vincentii, sancti Blasii, sanctæ Agathæ, sancti Felicis, sancti Georgii, sancti Ioannis ante portam Latinam, sancti Dunstani, S. Albani, sanctæ Emeldridæ, Inventionis sanctæ Crucis, sancti Stephani, sancti Hieronymi, sanctæ Fidei, dedicatio sancti Michaëlis in monte Tumba, sancti Dionysii, festum animarum, sanctæ Cæcilię, sanctę Lucię, sancti Leonardi.

Hæc sunt festa, in quibus post Missam opera rusticana concedimus: sed antequam, non.

Octava Epiphanię, sanctorum Ioannis & Pauli, translatio sancti Benedicti, translatio S. Martini.

Hæ sunt vigiliæ statutæ ad vigilandum.

Mirum cur hîc Mathiæ item Iacobi mẽtio nõ fiat.

Vigilia nativitatis Domini, vigilia Paschæ, vigilia Pentecostes, litania major, tres dies Rogationum, vigilia sancti Ioannis Baptistæ, vigilia apostolorum Petri & Pauli, vigilia sancti Laurentii, vigilia Assumptionis beatę Marię, vigilia sancti Bartholomęi, vigilia sancti Matthęi, vigilia apostolorum Simonis & Iudæ, vigilia omnium Sanctorum, vigilia sancti Andreæ, vigilia sancti Thomæ apostoli.

Ieiunia quatuor temporum in totius anni tẽporibus.

In Martio prima hebdomada jejunandum est feria quarta, & sexta, & sabbato. In Iunio in secunda, quod dupliciter obseruatur a pluribus; in prima hebdomada post litanias, aut in hebdomada Pentecostes. In Septembri per tres dies. In proxima septimana integra ante natalem Domini.

IX. *Quod presbyteri parochiales frequenter prædicent, & infirmos visitent.*

Presbyterorum parochialium ecclesiarum animos ad ea quæ magis nostris temporibus expediunt exercenda studiose excitare volentes, eis præsentis concilii diffinitione districte duximus injungendum, ut plebes sibi commissas pabulo verbi Dei, secundum quod eis fuerit inspiratum, informare procurent: ne canes muti merito judicentur, cum salubri latratu a caulis Dominicis luporum spiritualium morsus non repellunt. Illud evangelicum memorialiter recolentes, quod in novissimo examine visitatores infirmorum regno remunerabuntur æterno: quoties fuerint accersiti, celeriter accedant & hilariter ad ægrotos.

Matth. 25.

X. *De ornamentis ecclesiæ.*

Ad exemplum Salomonis, qui omnia vasa domus Domini ex auro purissimo fabricata Divino cultui mancipavit, statuimus ut quælibet ecclesia calicem habeat argenteum cum aliis vasis decentibus, & sindonem mundam, & candidam, & amplitudinis congruentis: vetera vero corporalia, quæ non fuerint idonea, loco reliquiarum reponantur, vel in pręsentia archidiaconi comburantur. Provideant etiam archidiaconi ut linteamina & alia ornamenta altaris sint, sicut decet, honesta. Libros habeat etiam ecclesia idoneos ad legendum & psallendum: ad minus duplicia ornamenta sacerdotalia: & ut honor debitus Divinis officiis impendatur, præcipimus, ut qui altari ministrant superpelliciis induãtur.

XI. *Ne quis beneficium suum resignans, aliquid sibi de eodem retineat.*

Ne lepra Giezitica, quod absit, per avaritiæ cultum latenter irrumpens, ministros ecclesiæ collocet extra castra regni æterni: districtius inhibemus, ne quis ecclesiæ suæ renuntians, recipiat ab eo qui sibi substituitur vicariam: cum vehementer posset præsumi quod talia fiãt per pactionem etiam turpem. Quod si ab aliquo fuerit acceptatum: & ille vicaria, & alius personatu priventur. Illud autem absurdum reputamus omnino, ut aliqua existente persona unius ecclesiæ, alius de cõsensu ipsius personæ aliquid conferat in eadẽ ecclesia nomine personatus, nisi persona prior ecclesiã totã prius duxerit resignandã.

XII. *Ne una ecclesia dividatur in plures.*

Quia iuxta canonicas sanctiones inter carnale & spirituale matrimoniũ optima est cõparatio, & cum unam sponsã inter duos spõsos dividi naturalis ratio minime patiatur: inhonestum est plurimum, quod ecclesia Dei, quæ unius debet esse una, multorum amplexibus frequenter ancilletur. Sacro ergo approbante concilio, districtius inhibemus ne de novo aliqua ecclesia pluribus rectoribus, quorum uterque sit persona, committatur regenda. In ecclesiis autem, ubi nunc plures personæ existunt, statuimus ut singulis

ANNO CHRISTI 1222.

singulis decedentibus, accrescat viventibus portio decedentium, donec ad unum solum illius ecclesiæ perveniat personatus: nec de cætero plures vicarii in eadem instituantur; illis ecclesiis ab hoc statuto dumtaxat exceptis, quæ ex antiquis divisæ fuerunt.

XIII. *De vicariorum residentia.*

Cum hostis antiquus, scilicet leo rugiens, faciat & quærat prædam animarum: solicitius est cavendum, ne talibus cura gregis Dominici committatur, qui negligunt aut ignorant custodire sibi commissa, ut deceret intendere vigilanter. Statuimus igitur, ut nullus episcoporum ad vicariam quemquam admittat, nisi velit in ecclesia, in qua vicaria ei conceditur, personaliter ministrare: aut talis existat, qui infra breve tempus super hoc limitatum, valeat & velit in presbyterum ordinari. Quod si admissus fuerit forte quis, & noluerit in presbyterum ordinari, vicariæ beneficio privetur.

XIV. *Quod exilia beneficia non conferantur, nisi volentibus residere in eisdem.*

Ad hoc, quia inhonestum est nimis, ut ecclesiæ propter minores reditus pastoribus maneant desolatæ: præsenti decreto statuimus, ut ecclesiæ, quæ in reditibus ultra quinque marcas non habent, non nisi personis talibus conferantur, qui resideant in eisdem, & in propria persona ministrent. Quod si tales admissi, residere noluerint "a nunc & ministrare: cum non nisi laborantibus panis Dominicus sit largiendus, ecclesiis ipsis, præmissa monitione debita, per diœcesanum episcopum spolientur.

l. aut etiam adm.

XV. *Quæ portio debeat vicario residenti assignari.*

Quoniam autem multoties, sicut temporalium rerum luxus quosdam in non modicum scandalum populi ab officio sibi commisso segregat & abducit, sic & earumdem inopia, in vituperium ordinis nostri, quosdam compellit infeliciter mendicare: providendum est nobis, ut in utroque talium habita moderatione, ipsarum ecclesiarum regimini consulatur. Statuimus igitur ut vicario perpetuo ad minus reditus quinque marcarum assignetur, qui saltem pro quinque marcis dari possit ad firmam: nisi forte in illis partibus VValliæ sit, in quibus, propter tenuitatem ecclesiarum, minori stipendio vicarii sunt contenti. Provideat quoque diœcesanus episcopus, pensata ecclesiæ facultate, utrum vicarius onera ecclesiæ subire debeat, an persona, an ad ea uterque debeat conferre. Proviso tamen quod archidiaconus loci, sive ab illis, sive ab altero illorum, debeat procurari, una tantum procuratione sit contentus.

XVI. *In quibus ecclesiis requiritur pluralitas presbyterorum parochialium.*

Ad instar patris evangelici, plures operarios in vineam suam mittentis, ut quod unius non valet explere solicitudo seu adimplere, perficiat plurimorum: præsentialiter diffinimus ut in singulis parochialibus ecclesiis, quarum parochia est diffusa, duo sint vel tres presbyteri, pensata pariter magnitudine parochiæ & ecclesiæ facultate: ne forte, quod absit, ægrotante uno presbytero, aut alio debilitato, parochianis infirmātibus, aut Divinis volētibus interesse officiis, officia debita subtrahātur, vel negētur sacramēta ecclesiastica.

XVII. *Quod episcopus recipiat iuramentum a præsentato, ut euitetur simonia.*

Præsenti quoque statuto diffinimus, ut episcopus ab eo qui sibi præsentatus fuerit recipiat juramentum, quod propter præsentationem illam nec promiserit nec dederit aliquid presentanti, nec aliquod propter hoc pactum inierit, si ei super hoc merito videatur esse suspectus, cum talia manifeste canonicis obvient institutis.

XVIII. *Vt in singulis archidiaconatibus speciales confessores deputentur.*

Quoniam nonnunquam, ob defectum confessorum, vel quia decani rurales & personæ erubescunt forte confiteri suo prælato, certū imminet periculum animarum: volētes huic morbo mederi, statuimus ut certi confessores prudentes & discreti per singulos archidiaconatus ab episcopo loci constituantur, qui confessiones audiāt decanorū ruraliū, presbyterorum & personarum. In cathedralibus autem ecclesiis, ubi sunt canonici seculares, confiteantur ipsi canonici episcopo, vel decano, vel certis personis ad hoc per episcopum, decanum & capitulum constitutis.

XIX. *Quod decani rurales de causis matrimonialibus se non intromittant.*

Quoniam in causis matrimonialibus est magna discretio necessaria, unde periculosum est eas a simplicioribus tractari personis: statuimus, ut decani rurales nullam causam matrimonialem de cætero audire præsumant, sed earum examinatio non nisi viris discretis committatur: quibus assidentibus, si cōmode fieri potest, postmodum pronuncietur.

XX. *Ne quis latrones in domibus vel in seruitio teneat.*

Prohibemus sub interminatione anathematis, ne quis latrones ad latrocinium faciēdum in servitio retineat, nec eos in terris suis scienter habitare permittat.

XXI. *Ne archidiaconi grauent ecclesias vel rectores in visitatione, & qualiter se habebunt.*

Vt singula ecclesiastica officia in ecclesia

 rite

ANNO CHRISTI 1222.

rite procedant secundum canonicas sanctiones, statuimus ne archidiaconi nimium graves existant ecclesiis suis subditis, districtius inhibentes, ne statutum in concilio generali in"numero convectorum excedant, cum visitationis nomine debitam sibi recipiunt procurationem : nec ad talem procurationem venientes, extraneos, ut secum veniant, invitare præsumant. Sed si pro honore archidiaconi, ecclesiarum rectores aliquos velint invitare, hoc nullatenus prohibemus. Sed ipsi archidiaconi nullum invitent, ne forte qui per suum adventum ecclesias non gravarent, gravent saltem per invitatos. Vnde, ut subtrahatur eis necessitas invitandi, prohibemus ne archidiaconi tempore visitationis suæ, apud ecclesiam quam visitant, capitulum teneant vel celebrent, nisi forte in burgo vel in civitate sit ecclesia constituta. Ad hoc archidiaconis districtius inhibemus, ne aliquo modo procurationem recipiant sine causa rationabili, nisi illo die quo personaliter visitant ecclesiam procurantem. Nec redemptionem pro visitatione extorquere præsumant.

"Later. III. c.4. " al. stat. in conc. g. numerum evectionis.

XXII. Ne beneficia spiritalia tradantur ad firmam.

Vt omnis cupiditas & avaritiæ cultus expellatur ab ecclesiæ Dei ministris, præsentia præteritis duximus annectenda : statuentes ut archidiaconatus, vel decanatus, vel aliud officium, quæ in spiritualibus mere consistunt, nulli dentur ad firmam. Si vero reditus huic officio sit annexus, ille de superioris licentia dari poterit ad firmam, sicut inferius de aliis officiis statuemus. Si quis autem contra statutum venire præsumpserit archidiaconus vel decanus, si super hoc canonice fuerit convictus, per episcopum suum a tali officio suspendatur per annum, & alius interim constituatur, qui discrete gerat vices illius.

XXIII. Quod archidiaconi in visitatione sua examinent sacerdotes de canone Missæ, & de sacramento altaris.

Philipp. 2.

Vt autem archidiaconi, secundum Apostolum, non quæ sua sunt quærant, sed quæ Iesu Christi, in sua visitatione provideant, ut canon Missæ emendetur, si sint in eo defectus: & quod sacerdotes rite proferre noverint saltem verba canonis & baptismatis, & quod in hac parte sanum habeant intellectum : & etiam laïci, si forte debeant baptizare in casu necessitatis, ut saltem sciant hoc facere in aliquo idiomate congruo seu vulgari.

XXIV. Quod oleum & Eucharistia custodiantur sub sera, & similiter chrisma.

Provideant utique archidiaconi, quod diligenter, juxta formam concilii" generalis, Eucharistia, chrisma, & oleum sanctum, salva sub clavibus recondantur, fideli custodiæ deputata.

"Later. IV. c.20.

XXV. Quod archidiaconi habeant penes se in scriptis omnia ornamenta ecclesiæ.

Habeant & archidiaconi redacta in scriptis omnia ornamenta & utensilia ecclesiarum: vestes quoque & libros singulis annis suo conspectui faciant præsentari, ut sic videant quæ fuerint addita per diligentiam personarum, vel quo tempore intermedio per malitiam & negligentiam deperierint.

XXVI. Quod archidiaconi videant in visitationibus, ne possessionibus vel iure suo ecclesiæ defraudentur.

Item provideant archidiaconi de possessionibus ecclesiarum, ut eas singulis annis possint prospicere, ne ecclesiæ suo jure defraudentur.

XXVII. Quod archidiaconi vel decani novas exactiones ecclesiis non imponant.

Præterea archidiaconis, decanis, & eorum officialibus districtius inhibemus, ne in subditos suos exactiones vel tallias per se vel per suos exercere præsumant.

XXVIII. Quod ordinarii non ferant sententias excommunicationis in aliquem, nisi præmissa monitione, nisi in certis casibus.

Ad hæc ecclesiastici ordinis utilitate pensata, pariter & honore, decrevimus ne archidiaconi vel eorum officiales, sententias excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, in aliquem audeant promulgare, ubi excessus non est manifestus, nisi admonitione canonica præcedente. Si quis autem contra præmissa excommunicationis sententiam tulerit in quemcumque, pœnæ subjaceat in Lateranensi concilio promulgatæ. Pro suspensione vero vel interdicto, superioris arbitrio puniatur: quod & superiores prælati observent.

Later. IV. c.47.

XXIX. Ne quid exigatur pro sepultura vel aliquo sacramento conferendo.

Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia denegetur sepultura, vel baptismus, vel aliquod ecclesiasticum sacramentum, vel etiam matrimonium contrahendum impediatur. Quoniam si quid pia devotione fidelium consueverit erogari, super hac postmodum volumus per ordinarium loci ecclesiæ justitiam exhiberi, sicut in generali concilio expressius & diffusius est statutum: absurdum esse judicantes, quod de cætero pro chrismate vel oleo aliquid exigatur, cum toties hoc prohibitum esse reperiatur.

Later. IV. c.66.

XXX.

ANNO CHRISTI 1222.

XXX. *Quod judices non impediant bonum pacis inter partes, ubi causa recipiat compositionem ad suggestionem præconis.*

Cæterum districtius duximus inhibendũ, ne archidiaconi vel decani bonum pacis impediri faciant: & si aliquando discordantes ad invicem voluerint concordare, licentia petita, liceat partibus aliter per compositionem discedere quandocumque voluerint, si tamen causa compositionem admittat: nec propter hoc aliquam pœnam eis infligant, nisi eis constiterit de injustitia actoris vel rei.

XXXI. *Quod iudex non iudicet aliquem ad purgationem, ad suggestionem præconis tantum, ut sit iudex & actor.*

Sed nec aliquem ad suggestionem præconũ suorum ad purgationẽ compellant, nisi apud bonos & graves fuerit primo infamatus. Nec in causa sua præsumant pariter esse judices & actores, videlicet cum dubium venerit, utrum quid ab eis exigere debeatur.

XXXII. *De habitu clericorum.*

Vt clericalis ordinis honor debitus servetur, autoritate præsentis concilii decernimus, ut tam archidiaconi quam decani, & omnes alii in personatibus & dignitatibus constituti, & omnes decani rurales & presbyteri, decenter incedant in habitu clericali, & cappis clausis utantur. Idemque observent officiales episcoporum & archidiaconorum, dum fuerint in consistorio.

XXXIII. *Ne clerici comam nutriant.*

Et nec ipsi nec alii clerici comam nutriant, sed honeste tonsi & coronati incedant, nisi forte justa causa exegerit habitum transformare. A crapula quoque & ebrietate & aliis, quibus honestas eorum deformatur, omnino clerici se abstineant vigilanter: ad quæ omnia studiose observanda, secundum formam concilii generalis, a superioribus suis compellantur. (Later. IV. c. 15. 16. 17.)

XXXIV. *Quod clerici non teneant publice concubinas.*

Addentes, ne clerici beneficiati, vel in sacris ordinibus constituti, in hospitiis suis tenere publice concubinas præsumant, nec alibi cum scandalo accessum habeant ad easdem.

XXXV. *Qualis pœna est infligenda concubinis clericorum.*

Et si forte concubinæ eorum, monitione postea proposita, ab eis non recesserint, ab ecclesiis Dei, quas infamare præsumunt, expellantur, nec admittantur ad ecclesiastica sacramenta: & si nec sic duxerint abstinendum, excommunicationis mucrone percellantur, & tunc demum contra eas invocetur brachium sæculare. Ipsos autem clericos per subtractionem officii & beneficii, canonica admonitione præmissa, volumus coërceri. Item licet legitima testamenta clericorum beneficiatorum decedentium volumus firmiter observari: nolumus tamen quod concubinis suis aliquid relinquant in testamento suo: quod si fecerint, illud arbitrio episcopi convertatur in usum ecclesiæ, in qua rexit" defunctus. ("*f.* vixit)

XXXVI. *Quod clerici vel prælati non vendant vel impignorent ecclesiam suam consanguineis eorum.*

Ecclesiarum autem indemnitatibus consulere cupientes, præsentis concilii autoritate duximus statuendum, ut nullus abbas, nullus prior, nullus decanus vel archidiaconus, vel alius habens personatum vel dignitatem, sed nec clericus inferior, pensiones vel reditus dignitatis, vel consanguineis, vel amicis quibuscumque vendere præsumat, vel impignorare seu infeudare de novo, vel quolibet modo alienare præsumat, nisi forma canonis observata. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit, quod in hac parte præsumptum fuerit, viribus careat, & præsumptor personatu vel ecclesia, quam sic læsit, per suum superiorem spolietur: nisi quod abalienaverit, infra tempus a suo superiore sibi præfixum, sine damno ecclesiæ suis sumptibus duxerit revocandum. Is quoque qui sic ecclesiastica bona de cætero receperit, & admonitus præsumpserit ea retinere, excommunicationis sententia percellatur: donec ei restituerit nullatenus absolvendus. Idem autem majores prælati observent omnino.

XXXVII. *Quod fructus ecclesiæ in laïco feudo non reponantur, nec de eis ædificia fiant.*

Quia sunt plerique, quod non sine lacrymis dicimus & singultu, qui omnipotentis indignationem & iram in die iræ ad perpetuam damnationem sibi cumulantes, non solum filiis & nepotibus, verum etiam concubinis suis turpiter invadant patrimonium Iesu Christi, ad quorum usus, quod dicto servitio reputatur, in feudo laïcali de bonis ecclesiæ domos construunt, in quibus ecclesiasticos proventus & bona ecclesiæ usibus pauperum deputata congregare præsumunt: salubri provisione decernimus, ne clerici beneficiati fructus ecclesiæ in laïco feudo reponant. Et ut melius abstineant a præmissis, de cætero domos aut pensiones laïcales ad opus concubinarum vel filiorum suorum non emant, nec etiam domos ad opus earum construant in fundo laïcali: sed nec etiam pecu-

pecuniam ministrent ad hujusmodi emenda ad opus eorum, uti sic eis subtrahatur occasio malignandi. Si quis autem super hoc habeatur suspectus justa ratione, nisi ad arbitrium superioris se purgaverit, ipsius arbitrio puniatur. Item ut melius gerantur omnia, si exterior administratio claustralium responderit rite quieti: statuimus ut tam obedientiales rerum monasterii, quam prælati majores, quatenus vel bis ad minus in anno coram fratribus a conventu ad hoc deputatis, vel corã superioribus juxta monasterii consuetudinem reddant de receptis & expensis rationem. Ad hoc enim prælatos illos ex ista constitutione nolumus obligari, qui possessiones habent a monachis vel canonicis regularibus separatas.

XXXVIII. *Quod religiosi possessionati, quolibet anno admoneantur, ut reddant computum.*

Ad hæc, quoniam sexum muliebrem contra versutiam hostis antiqui minus fortem multiplici remedio necesse est communiri: decernimus ut moniales, & cæteræ mulieres Divino cultui dedicatæ, velum vel peplum sericum non habeant, nec in velo acus argenteas vel aureas audeant deportare, nec ipsę, vel monachi, vel canonici regulares, habeant zonas sericas auri vel argenti ornamenta habentes: nec de cætero burneta vel aliquo panno irregulari utantur. Metiantur etiam juxta dimensionem corporum vestem suam, ita quod longitudinem corporum non excedat, sed pede decenter " superducto, sufficiat eis: cum Ioseph indutus legatur veste talari. Et sola monialis consecrata deferat annulum, & uno solo sit contenta. Si qua autem contra hanc nostram prohibitionem venire præsumpserit, & commonita se non correxerit, regulari subjaceat disciplinæ.

" al. supertecto.

XXXIX. *Quod religiosi nil recipiant pro ingressu alicuius inter eos, nisi pro vestitura dumtaxat.*

Præterea statuimus, præsenti concilio approbante, ut de cætero pro receptione alicujus in domum religionis pecuniam aut quidquam aliud extorquere nõ præsumant: adeo ut si præ paupertate domus, ingrediens debeat vestire seipsum, prætextu vestium, ultra justum precium earum, ab eo nihil penitus recipiatur.

XL. *Quando & qualiter ecclesiæ possunt dimitti ad firmam.*

Nunc ergo videamus evangelicæ legis sectatores: cum non nisi in vinea laboranti retributionis denarius sit porrigendus, nec nisi qui altari deservit, de altari vivere debeat: statuimus ut ecclesiæ certis personis deputatæ nulli dentur ad firmam, nisi forte justa causa fuerit, & a suo episcopo approbata, & ita ut de ejus consensu alicui personæ honestæ & ordinatæ dentur ad firmam, de qua verisimiliter præsumi debeat, quod fructus ecclesiæ in bonos usus convertat.

XLI. *Quod nulli aliquid in ecclesia ratione beneficii assignetur.*

Item ut versutiis & calliditatibus aliquorum obviemus, qui in fraudem cõstitutionis generalis concilii novas quasdam adventiones fingere moliuntur: statuimus, ut non liceat alicui aliquid assignare in ecclesia quidquam nomine beneficii, quasi hoc ei liceat obtinere cum alio beneficio cui animarum cura fuerit annexa.

XLII. *Pœna advocatorum qui matrimonium protrahunt malitiose.*

Quoniam per advocatos multoties legitima matrimonia protrahuntur: statuimus, ut sentẽtia lata pro matrimonio, advocatus qui contra id defecerit, hoc ipso per annum advocatione privatus existat: nisi judex eum in ipsa sententia propter errorem vel probabilem ignorantiam expresse habeat excusatum.

XLIII. *De ordinatione religiosorum, & qui possunt recipi in monachos.*

Quia nonnunquam serpens antiquus, qui jugiter sedet in insidiis ut interficiat innocentes & sanctos viros, quando eos invenit solitarios, & absque conversatione vel consolatione mutua conversantes, tanto facilius interdum eos suis insultibus obruit & confundit: provida deliberatione decernimus, ut tam monachi, quam canonici regulares, & moniales, in uno dormitorio pariter dormiant & quiescant, singulis personis, singulis lectis assignatis. Et in uno refectorio simul edant, nec per se cuilibet, sed communiter omnibus victualia præparentur. Nec singulis eorum denarii pro vestibus tribuantur: sed talia per certas personas ad hæc duputatas, puta camerarios vel camerarias, diligenter expediantur: qui, ut quilibet indiguerit, & facultas domus sustinuerit, eis indumenta ministrent. Et cum eis nova tradita sunt, vetera ab eis recipiantur, quæ in usus pauperum vel alias necessitates, de consilio abbatis vel abbatissæ, prioris vel priorissæ, convertantur. Camerario autem vel camerariæ non liceat aliquid recipere. Alioquin camerarius ab officio deponatur, & monachus, seu canonicus, vel monialis, anno illo novis careat indumẽtis. Monachus non recipiatur minor octodecim annis, nisi evidens utilitas seu necessitas aliud inducat.

XLIV. *De familiaribus monialium, & de silentio religiosorum, & de licentia exeundi.*

Inhibemus etiam ne moniales infra septa domorum suarum, præter necessarias servientes,

vientes, nec ad cohabitandum mulieres sæculares recipiant, nisi episcopi diœcesani accedat assensus. Item tam a monachis, quam canonicis regularibus, & monialibus, silentium præcipimus observari in temporibus & locis constitutis. Nec viris aut mulieribus religiosis absque superioris licentia egredi liceat septa domus: nec sine certa & honesta causa, egrediendi eis licentia concedatur. Ita tamen, quod nulli claustralium causa orationis aut visitandi parentes pateat aditus exeundi: nisi talis forte fuerit, de quo nihil sinistrum possit quis aut debeat merito suspicari, qui semper habeat collegam. Et quoties alicui licentia exeundi indulgetur, certus dies eidem præfigatur, in quo redeat.

Hoc quoque volumus observari, ut ubicumque propter excessum alicujus viderit episcopus, vel abbas, vel prior conventualis non habens abbatem, expedire ut quis ad tempus alibi moretur, ad aliam domum religionis ejusdem in eodem episcopatu transferatur: vel, si necesse fuerit, etiam ad alium episcopatum dirigatur, & per diœcesanum cōpellatur admitti. Qui ibi in omnibus regulari subjaceat disciplinæ: ita ut si ex mora ipsius ecclesia, in qua moratur, gravata videatur, vice versa mittat aliquem de suis, qui interim moram faciet in monasterio delinquentis. Nec prius rediens ipse qui deliquit, in domo sua recipiatur, quam plene pœnituerit de commisso, & per suum superiorem revocetur.

XLV. *Ne monachi vel moniales per se comedant.*

Omnem singularitatem interdicimus in refectorio, ut cibus aliter uni quam alteri præparetur. Sed qui præest, videat ut scilicet interdum talia præparentur, de quibus aliorum debilitas vel infirmitas, prout viderit expedire, valeat relevari. Omnia etiam victualia religiosis apponenda, sine subtractione eis apponantur, tam in conventu, quam alibi, ubi reficiuntur de omnibus appositis. Totum residuum sine diminutione aliqua cedat in eleemosynam indigentibus fideliter erogandam: ita quod nec abbas, nec prior, nec eleemosynarius, possit hoc dispensare. Et quicumque istud statutum vel illud de indumentis implere vel observare noluerit, si sacerdos fuerit, a celebratione Divinorum; si minoris ordinis, vel monialis, a communione corporis Christi, usque ad plenam satisfactionem suspendatur. Item prohibemus, ne moniales aliquæ singulariter in refectorio comedant carnes, in quibus non solent communiter carnes comedere.

A XLVI. *Quòd moniales simul in monasterio habitent, & de confessione earum.*

Ad hæc per nullam societatem vel confœderationem admittantur monachi in alterius monasterio ad moram faciendam, nisi cum litteris episcopi sui, vel abbatis, vel prioris conventualis non habentis abbatem. Idem inter canonicos regulares & moniales volumus observari.

Provideant etiam episcopi quod moniales in omnibus necessariis competenter sustentari possint de bonis monasterii, nec sustineant ultra numerum aliquam admitti: nec etiam suscipiatur aliqua, quousque redactæ fuerint ad numerum illum. Etiam hoc firmiter statuimus autoritate concilii generalis. Si autem contigerit aliquam de cetero contra hanc formam admitti, tam abbatissa quam priorissa deponatur.

Idem de magistris & prioribus moniales custodientibus, si contra hanc formam contingat aliquam admitti, duximus statuendum. Confiteantur etiam moniales sacerdotibus ab episcopo sibi deputatis. Clerici autem vel laïci frequentem non habeant accessum ad claustra monialium sine causa rationabili.

XVLII. *Quod religiosi non condant testamenta, nec liceat monachos monasteria habere ad firmam.*

Quoniam non licet viris religiosis aliquid proprium possidere, qui se & sua pariter in religionis ingressu Domino dedicarunt: præsenti autoritate diffinimus, ut nulla persona in regulari ordine constituta condere testamentum præsumat, cum nihil habeat suum temporale, quod transferre valeat in dominium alienum.

Item nec monachus, nec canonicus ecclesiam, vel monasterium, vel quodlibet prædium ecclesiæ suæ, audeat retinere ad firmam. Districte etiam inhibemus, ne alicui monacho, vel canonico regulari, qui non sit obedientialis, custodia monasterii committatur: ita quod ex longa ipsius mora vel conversatione scandalum oriatur: quod si præsumptum fuerit, per superiorem emendetur.

Item viri religiosi non recipiant ecclesiam ad firmam, in qua sibi quid juris vendicant, saltem post mortem personæ. Quod si fecerint, arbitrio superioris puniantur.

XLVIII. *Quod religiosi non bibant ultra horas debitas.*

Quoniam inter alia vitia impetus gulæ viros religiosos præcipue non mediocriter infestat: decernimus ut nec monachi, nec canonici regulares, nisi statutis locis & horis, potationi aut comessationi vacare præsumant.

mant. Si quis vero ſitiverit, impetrata licentia, refectorium regulariter intret, ut ſic neceſſitati ſubveniat, non ut conſulat voluptati. Ab hac generalitate eximimus infirmos, & eos qui fuerint in obſequio prælatorum.

XLIX. *Quod monachi & regulares in monaſterio habeant ſeniores, & de ſententiis publicandis.*

Ad hæc ſtatuimus, ut cum ratione debilitatis vel alia juſta ratione, monachi ſeorſum in miſericordia morantur, ſemper habeant ſecum ad minus alios ſeniores, qui aliorum levitatem debita correctione compeſcant, & qui poſtmodum in capitulo teſtificentur, qualiter in miſericordia fuerint converſati. Idem volumus inter canonicos regulares & moniales obſervari. Vt autem omnia fine bono concludantur, Lateranenſe concilium ſub ſanctæ recordationis papa Innocentio celebratum, in præſtatione decimarum & aliis capitulis præcipimus obſervari, & in ſynodis epiſcopalibus conſtitutiones illius concilii, una cum iſtis, prout eis videbitur expedire, volumus obſervari.

Excommunicationes etiam in hoc concilio promulgatæ, ſingulis annis in epiſcopalibus ſynodis, & quater in anno in parochialibus eccleſiis, ſolenniter iterentur.

Notæ Sever. Binii.

Concilium Oxonienſe.] *De hac ſynodo Matthæus Paris ſcriptor hujus temporis in hiſtoria Anglicana.* Eodem anno 1222 *inquit*, Magiſter Stephanus de Langetuna generale concilium celebravit apud Oxonium, in quo multa fuerunt ſtatuta ad reformationem ſtatus eccleſiæ Anglicanæ, & monaſticæ religionis, ſicut in dicto concilio alias plenius continetur.

Matthæus VVeſtmonaſterienſis in floribus hiſtoria. Hoc anno, *inquit*, Stephanus archiepiſcopus Cantuarienſis celebravit apud Oxonium provinciale concilium, in quo multa fuerunt ſtatuta ad reformationem ſtatus Anglicanæ eccleſiæ, atque monaſticæ diſciplinæ. Paucis ante diebus comprehenſus fuit quidam impoſtor, habens in corpore & membris, ſcilicet in latere, manibus, & pedibus, quinque vulnera crucifixionis: & in eodem concilio ſimul cum eo alius nebulo utriuſque ſexus, ejuſdem erroris fautor, repræſentatus, unaque cum eo convictus & confeſſus, judicio eccleſiæ punitus eſt.

De eodem ex manuſcriptio Vaticano Bzovius anno 1222. num. 20. In ſynodo Oxonienſi hoc anno in Anglia celebrata pſeudochriſtus quidam, qui ſe Chriſtum eſſe, veniſſeque ut errores qui in clero & populo graſſarentur, emendaret, audebat aſſerere; & ſigna quædam quaſi Chriſti crucifixi manibus, pedibus, laterique impreſſa, ad majorem populi circumventionem oſtendebat, ut vanus & perfidus nebulo, in crucem quam meruit cum hermaphrodito quodam aſſecla ſublatus eſt: in qua & diaconus quidam deiecratus, flammiſque exuſtus, quod ad Iudaïcam perfidiam nefarie profugiſſet.

De eodem ita typographus quondam præfatus fuit: Concilium hoc ſequens Anglicanum ex libello Pergamenico, non illo ſeu illis quorum ſupra mentionem fecimus, tranſſumptum eſt, ſed alio a ſuperioribus abbreviatim adeo & illegibiliter conſcripto, ut ſupradictum Lateranenſis concilii ſub Alexandro tertio habiti archetypon præ iſto propemodum iocus fuerit. Ideoque nobis tranſcribendum obtruſit felicis memoriæ dominus Petrus Crab, non obtruſurus, qui fuit ejus adverſum vetuſta ejuſmodi archetypa affectus, ſi commode & abſque ſingulari difficultate legi potuiſſet.

*** CONCILIUM PARISIENSE

A Conrado sedis apost. legato adversus Albigenſes celebratum, anno Domini MCCXXIII.

Conradus Portuenſis epiſcopus, S.A.L. Senonas concilium adverſus Albigenſium recrudeſcentem hæreſin indixerat: cujus Pariſios transferenda hæc, opinor, cauſa fuit, quod ei Philippus Auguſtus rex intereſſe velllet. Et vero cum eo adventaret, Meduntæ obiit. De quo ſic Guillelmus Brito, Philippid. lib. XII.

Sanctorum concio patrum
Concilium tunc Pariſiis generale tenebat,
Procurante ſtatum eccleſiæ reparare Philippo,
Quem mare perverti citra lugebat & ultra.
Quo ſine cum reliqui nil diffinire valerent,
Quamvis torreret ipſum intolerantia febris
Continuæ, proprio geminata & temporis æſtu;
Communi propriam poſtponens utilitatem,
Pariſius, medicis contradicentibus, ibat:
Paciacoque movens, ad concilium properabat.

Sed audire ex Matthæo Pariſio juvat, celebrandi concilii occaſionem. Circa dies iſtos, *inquit*, hæretici Albigenſes conſtituerunt ſibi antipapam in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, nomine Bartholomæum. In quibus partibus error ille adeo invaluit, ut etiam epiſcopos, & alios multos regionum illarum, ad ſuam allexerit pravitatem. Contra quem Conradus Portuenſis epiſcopus, & in partibus illis apoſtol. ſed. legatus Rotomagenſi archiepiſcopo ſcripſit in hæc verba:

Venerabilibus patribus, Dei gratia Rotomagenſi archiepiſcopo, & eius ſuffraganeis epiſcopis, ſalutem in Domino Ieſu Chriſto.

„ Dum pro ſponſa veri crucifixi veſtrum cogimur auxilium implorare, potius compellimur lacerari ſingultibus, & plorare. Ecce quod vidimus, loquimur: & quod ſcimus teſtificamur. Ille homo perditus, qui extollitur ſuper omne quod colitur, aut quod dicitur Deus, jam habet perfidiæ ſuæ præambulum hæreſiarcham, quem hæretici Albigenſes papam ſuum appellant, habitantem in finibus Bulgarorum, Croatiæ, & Dalmatiæ, juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt hæretici Albigenſes, ut ad eorum conſulta reſpondeat. Etenim de Carcaſſona oriundus, vices illius antipapæ gerens Bartholomæus hæreticorum epiſcopus, funeſtam ei exhibendo reverentiam, ſedem & locum conceſſit in villa quæ Porlos appellatur, & ſeipſum tranſtulit in partes Toloſanas. Iſte Bartholomæus in litterarum ſuarum undique diſcurrentium tenore, ſe in primo ſalutationis alloquio intitulat in hunc modum: Bartholomæus ſervus ſervorum ſanctæ fidei, tali ſalutem. Ipſe etiam inter alias enormitates creat epiſcopos, & eccleſias perfide ordinare contendit. Rogamus igitur attentius, & per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, & propenſius obſecramus, autoritate domni papæ, qua fungimur in hac parte, diſtricte præcipientes, quatenus veniatis Senonis in octavis Petri & Pauli proximo futuris. Vbi & alii prælati Franciæ, favente Domino, congregabuntur, parati conſilium dare in negotio prædicto, & cum aliis, qui ibidem aderunt, providere ſuper negotio Albigenſi. Alioquin inobedientiam veſtram domno papæ curabimus ſignificari. Data Planium VI. Non. Iulii. „

Sed hunc tandem tumultum mors prædicti antipapæ celeriter terminavit.

Interfuiſſe

ANNO CHRISTI 1223. *Scilicet Philippi Augusti.*

Interfuisse concilio episcopos 24. narrat chronicon Turonense MS. Rigordus tamē, qui nominatim appellat omnes, tres tantum & viginti numerat. Ad ipsius", *inquit*, exequias, quod non sine nutu & providētia Dei gestum esse videtur, affuerunt duo archiepiscopi, videlicet Remensis Guillelmus, Senonensis Galterus: & viginti episcopi, videlicet de Romana curia Coraldus Portuensis episcopus Cardinalis, & sedis apostolicæ in terram Albigensium tunc legatus. De Anglia Pandulfus Norvicensis episcopus. De Remensi provincia, Catalaunensis Guillelmus, Belvacensis Milo, Noviomensis Girardus, Laudunensis Ansellus, Suessionensis Iacobus, Silvanectensis Garinus, Atrebatensis Pontius, Ambianensis Gaufridus. De provincia Senonensi, Carnotensis Galterus, Altissiodorensis Henricus, Parisiensis VVilielmus, Aurelianensis Philippus, Meldensis Petrus, Nivernensis Rogerus. De provincia Rotomagensi, Bajocensis Robertus, Constantiensis Hugo, Abricensis VVillelmus, Lexoviensis VVillelmus. De provincia Narbonensi, Fulco Tolosanus. Qui prælati de mandato domni papæ, immo de ipsa potius, ut credibile est, ordinatione Divina, pro negotio Albigensi tunc temporis erant Parisius congregati.

Addit Guillelmus Brito archiepiscopos quatuor, a Rigordo prætermissos, Bituricensem, Turonensem, Rotomagensem, Lugdunensem.

G. C. Quod Matth. Parisius antipapam hunc Bartholomæū vocat, non consentit cum Conrado in epistola ad episcopos provinciæ Rotomagensis: quæ procul dubio encyclica fuit, & ad cæteros episcopos a paribus data. Nam in ea Conradus, Bartholomæum vocat non antipapam illum Bulgarum, sed Carcassonensem quendam, istius in Galliis vicarium.

Quod vero Conradi epistolæ adscriptum legimus diem VI. Nonas Iulii, mendum est certissimum. Cum enim concilium indicat, in octavis apostolorum Petri & Pauli, hoc est, prid. Non. Iulias: mittendis ad episcopos omnes litteris, eorumque apparando & conficiendo itineri dies tantum tres concessisset. Quod cum facere non potuerit: legendum forte VI. Kal. Iul. vel IV. Non. Iun.

ANNO CHRISTI 1224.

"** CONC. ALTERUM PARISIENSE,

III. NON. MAI. ANNO DOMINI MCCXXIV. celebratum in causa Raimundi Tolosani comitis.

" MS. CHronicon Turonense nostrum": Anno, *inquit*, Domini MCCXXIV. & Friderici imperatoris nono, & Ludovici regis secundo, III. Non. Maj. celebravit Ludovicus rex apud Parisius concilium generale: in quo Honorius papa indulgentiam, quæ in Lateranensi concilio contra Albigenses hæreticos fuerat instituta, autoritate propria ad tempus revocavit, & Raimundum comitem Tolosanum, fide" catholicum approbavit.

Scriptum at fere: quod mendosum, ut apparet e Gestis Ludovici VIII.

Idem refertur iisdem fere verbis, in Gestis Ludovici VIII. Franc. regis, a Petro Pithœo primum, ac deinde a Francisco Duchesn. editis, tomo IV. histor. Franc. ubi vocatur *Parlamentum generale* quod *rex apud Parisios tenuit.*

ANNO CHRISTI 1224.

"** CONCILIUM MONSPELIENSE,

MENSE AUGUSTO, ANNO DOM. MCCXXIV. a trium provinciarum episcopis celebratum in eadem Raimundi comitis Tolosani causa.

" MS. CHronicon Turonense" *ad eundem annum*: Infra octavas, *inquit*, Assumptionis beatæ Mariæ apud Montempessulanum autoritate apostolica concilium celebratur. Nam Honorius papa Narbonensi archiepiscopo dederat in mandatis, quod ibi modum pacis quam Raimundus Tolosanus comes, & alii Albigenses sanctæ matri ecclesiæ offerebant, audiret, & quid inde faceret, remandaret. Qui convocatis totius provinciæ episcopis, abbatibus, & clericis universis, a comite Tolosano, aliisque baronibus juramenta recepit, quod terram securam & obedientem Romanæ ecclesiæ redderent, & clericis redditus suos in integrum restituerent, eisque pro damnis XV. millia marcarum infra tres annos persolverent; & de hæreticis confessis vel convictis justitiam indilatam facerent, & pro posse suo per universam Provinciam pravitatem hæreticam extirparent. ANNO CHRISTI 1224.

Eadem iisdem omnino verbis habentur in Gestis Ludovici VIII. paulo ante citatis.

Interfuisse autem huic concilio, trium provinciarum episcopos, Narbonensis, Arelatensis, Auxitanensis, constat ex epistola Amalrici comitis Montisfortis ad patres hujus concilii: quæ quidem, cum juramento Raimundi comitis Tolosani, hic edenda erat. Sed a festinantibus operis hic omissum utrumque, appendici reservamus.

ANNO CHRISTI 1224.

"** CONC. APUD VALLEMCOLORIS

INTER FRANC. ET ALEMANN. REGES celebratum, anno Domini MCCXXIV.

L*Audata jam ante Gesta Ludovici VIII. hujus sive concilii, sive conventus, mentionem in hæc verba faciunt ad eundem annum:* In octavis B. Martini hyemalis, inter Ludovicum regem Franciæ, & Henricum regem Alemanniæ filium Friderici imperatoris, qui de novo, jussu & voluntate patris, fuerat in regem Alemanniæ coronatus, apud Vallemcoloris concilium celebratur: ibique multa de utroque regno tractantes, sed nihil aut parum proficisci* peragentes, ad propria redierunt.

"** CONCILIA PARISIENSIA

TRIA ANNIS MCCXXIV. & MCCXXV.

CHronicon Turonense" *ad annum* MCCXXIV. 1224. " MS.
In octavis, *inquit*, S. Andreæ Ludovicus rex Parisius concilium celebravit: ibique multa de regni negotio sunt tractata. *Hoc tantum.*

Idem ad annum MCCXXV. In octavis Ascen- 1225.
sionis Domini, Ludovicus rex concilium Parisius celebravit, ubi cum Romano S. Angeli cardinale, qui de novo in Franciam legatus advenerat, multa de negotiis regni regisque Angliæ & terræ Albigensium pertractavit.

Idem ad eundem annum: In vigilia Magdalenæ 1225
Ludovicus rex Parisius concilium convocavit: ibique legato, nec non & regis Angliæ nuntiis præsentibus, vicecomes Toarcii homagium regi fecit.

ANNO CHRISTI 1225.

"** CONCILIUM MELODUNENSE

IN OCTAVIS OMNIUM SANCTORUM, ann. MCCXV. ubi actum de jurisdictione ecclesiastici fori: & aliis quibusdam.

CHronicon Turonense": Anno *inquit*, Domi- " MS.
ni MCCXXV. & Ludovici regis tertio, in octavis Omnium Sanctorum, Ludovicus rex Franciæ concilium convocat Meloduno, ibique archiepiscopi & episcopi Franciæ, præsente legato, petebant instanter a rege Franciæ, & a suis baronibus, jurisdictionem omnium hominum super mobilibus, de quibus homines ecclesiarum in causam traherent coram ipsis, & jurisdictione ista dicebant investitam esse ecclesiam Gallicanam. Quibus rex se opponens, argumentis evidentissimis asserebat hoc esse dissonum rationi: cum causa mobilium non ratione juramenti, vel fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum, mera sit laicalis, nec ad forum eccle- siasticum

ANNO CHRISTI 1225.

siasticum videatur aliquatenus pertinere. Saisinam eorum super his asserens irritam & inanem, cum eo nec non & Philippo bonæ memoriæ patre sciente vel vidente de iis unquam saisiti fuerint: & maxime cum nullus possit de jure partem sui domini deteriorem facere, vel vendere, vel quitare; nec per eum alius in eum alterius dominium usurpare. Tandem interveniente Dei gratia, & legato, causa ista ab utraque parte posita est in suspenso. In eodem nempe concilio satis tractatum est de treuga inter regem Franciæ & regem Angliæ reformanda, necnon & de negotio Albigensi. Sed ad præsens nihil super iis potuit reformari.

ANNO CHRISTI 1225.

** CONCILIVM BITVRICENSE

PRIDIE KAL. DECEMBR. ANN. DOM. MCCXXV.
In quo actum de Raymundo Tolosano comite ditioni suæ restituendo.

a MS.

CHronicon Turonense a: In festo, *inquit*, S. Andreæ apostoli dictus legatus (Romanus sancti Angeli cardinalis) convocatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & capitulis totius Franciæ, Bituris concilium celebravit. Vbi Raimundus comes Tolosanus veniens, & gremium sanctæ matris ecclesiæ sibi aperiri petens, absolutionem humiliter postulavit: sui purgationem offerens & emendam, & pro posse suo de omnibus terræ suæ hæreticis convictis vel confessis justitiam indilatam, & ad eos deinceps extirpandos operam efficacem. Promittens etiam, quod terram suam obedientem de cætero Romanæ ecclesiæ redderet, & pacificam, & securam, & quod clericis suos redditus in integrum restitueret, & damna eis congrue resarciret. Quibus Amorricus a comes de Monteforti obvians, litteras papæ Innocentii, nec non & Philippi regis Franciæ, ostendebat: in quibus continebatur, & dicti comitis Tolosani damnatio, & terræ Albigensium Simoni de Monteforti patri suo facta donatio, sicuti asserebat. Tandem post multas altercationes, legatus, & episcopi, super hoc secretum consilium habuerunt. Et sic negotio infecto comitem ad propria remiserunt. Præterea cum legatus ex parte domini papæ per totum Franciæ regnum peteret fructus duarum præbendarum in unaquaque abbatia, & in qualibet ecclesia cathedrali; & in aliis ecclesiis conventualibus, fructus unius præbendæ, ad summi pontificis usus, in perpetuum retinendos: & jam ad hoc episcoporum aliqui consensissent: capitulorum nuntii iis omnibus coram legato & coram omnibus obviarunt, asserentes, capitula pro quibus venerant, hoc nullo modo factura, nulloque tempore concessura. Adjecit etiam legatus, quod dominus papa duobus episcopis dederat in mandatis quod ad dictum quatuor abbatum, quos ad visitandas abbatias totius Franciæ, & ad corrigendos excessus earum destinaverat, abbates deponerent universos. Quo audito archiepiscopi & episcopi, se per hoc in abbatiis jurisdictionem omnimodam perdidisse videntes, se hoc nunquam quamdiu viverent, concessuros, unanimiter responderunt. Et sic præcepta apostolica tam de præbendis, quam de depositione abbatum, in pendulo remanserunt. Tunc fere octoginta magistrorum Parisius, qui contra legatum in supradicto assultu fuerant, & ligatos legati sententia se videbant, absolutionem a legato in dicto concilio petierunt, petitamque protinus receperunt.

a Amalricus.

De magistris illis Parisiensibus, prius a legato excommunicatis, & in hoc concilio absolutis: Tunc, *ait idem paulo superius*, cum universitas scholariũ Paris. in præjudiciũ Parisiensis ecclesiæ sigillum proprium confecisset; dictoque sigillo, universitatis negotia sigillaret: Parisienses canonici, coram legato, qui Parisius venerat, super sigillo scholares conveniunt: & multum ab utraque parte allegantes quid sit juris, in legatum protinus compromittunt: illudque sigillum proprium ei reddunt. Qui habito, super hoc, admodum festinato consilio, præfatum sigillum coram omnibus ibi fregit; omnesque, qui deinceps Parisius sigillum universitatis facerent, vinclo anathematis innodavit. Quo audito, clamor in cælum attollitur, rumor per vrbem egreditur, scholares conveniunt, & ad domum legati cum gladiis & fustibus conveniunt tanquam ad latronem. Quorum adventum legati homines cognoscentes, portas obstruunt, arma rapiunt, se dominumque suum a furibũdis scholaribus defendentes. Tandem per urgentes assultus scholarium, per portarum fractionem, per lapidum fulminationem, cum fere legatus suique homines caperentur: Ludovicus rex, qui paulo ante a Meleduno venerat, & infortunium legati audierat, servientes & milites ibi misit, qui scholares minis & aliis repulerunt, & legatum, & gentem suam, indemnem, non tamen sine effusione sanguinis, servaverunt. Quo facto legatus ab vrbe egreditur cum conductu, excommunicans generaliter scholares, qui hunc assultum fecerant, & alios, qui ex parte eorum interfuerant in assultu. *Hæc chronicon Turonense, quæ referre opus erat ad concilii hujus intelligentiam. De concilio autem ipso prolixe Matthæus Parisius ad annum MCCXXVI. disserit in hunc modum.*

Hoc eodem tempore, *inquit*, venit magister Romanus ad partes Gallicanas, a domno papa missus, ut ibi legationis officio fungeretur. Quo cum pervenisset, fecit convocare regem Francorum cum archiepiscopis, episcopis, & clero Gallicano ad concilium, cum comite Tolosano, pro quo specialiter ad partes illas missus fuerat, sicut sequens relatio declarabit. Convenerunt igitur ad Bituricam civitatem ad concilium, Lugdunensis, Remensis, Rotomagensis, Turonensis, Bituricensis, Auxitanensis, archiepiscopi: Burdegalensis vero Romæ fuit, & Narbonensis ecclesia vacabat. Convenerunt igitur novem provinciarum suffraganei circiter centum, cum abbatibus, & prioribus, & singulorum procuratoribus capitulorum, mandatum summi pontificis audituri. Sed quoniam Lugdunensis archiepiscopus venditabat sibi primatiam super archiepiscopum Senonensem; & Rotomagensis super Bituricensem, Auxitanensem, Narbonensem, & eorum suffraganeos: timebatur de discordia, & ideo non fuit sessum quasi in concilio, sed ut in consilio. Quibus sedentibus, & lectis in publico legationis litteris, apparuerunt comes Tolosanus ex una parte, & Simon de Monteforti ex altera, qui petiit sibi restitui terram Raimundi comitis Tolosani, quam domnus papa, & rex Francorum Philippus, sibi & patri suo contulerunt, exhibens super donatione facta, utriusque, papæ scilicet & regis munimenta. Additque comitem Raimundum abjudicatum fuisse Romæ in concilio generali propter hæresim, quæ dicitur hæresis Albigensium, ad minus a parte majori terræ, quam nunc tenet. E contra comes Raimundus obtulit se facturum erga regem Francorum, & ecclesiam Romanam, quicquid facere deberet pro hereditate sua. Tunc cum peteret pars adversa ab eo, ut subiret judicium duodecim parium Galliæ, respondit Raimundus. Recipiat rex homagium meum

ANNO CHRISTI 1225.

meum, & paratus sum subire: quia forte non haberent me pro pari, si secus fieret. Cumque hinc inde fuisset plurimum altercatum, præcepit archiepiscopis singulis legatus cum præsentibus, ut convocatis seorsum unusquisq; suffraganeis, cum eis deliberarent super negotio præfato, & traderent legato consilium suum redactum in scripto. Quo facto, legatus excommunicavit omnes qui super hoc sua consilia revelarent, dicens se ea velle domno papæ significare, & Francorum regi ostendere. Post hæc, legatus dedit in dolo procuratoribus capitulorum licentiam ad propria revertendi, retentis tantum archiepiscopis, episcopis, & abbatibus, & simplicibus prælatis. Unde non immerito timuerunt, ne procurata eorum absentia, qui majoris prudentiæ erant & experientiæ, & præ multitudine potentiores ad contradicendum, aliquid statueretur in præjudicium absentium prælatorum. Quo circa dicti procuratores, post deliberationem diutinam, miserunt ad legatum procuratores metropolitanarum ecclesiarum, qui coram eo sic allegaverunt: Domine, audivimus quod habetis litteras speciales a curia Romana, de exigendis præbendis in omnibus ecclesiis conventualibus, sive cathedralibus. Quo circa multum miramur, quod non in hoc concilio proposuistis eas nobis audientibus, quos specialiter tangunt. Unde rogamus in Domino, ne istud scandalum oriatur per vos in ecclesia Gallicana, scientes quod sine maximo scandalo & inæstimabili damno non posset hic ad effectum perduci. Quia esto, quod aliquis assentiret, nullus esset ejus assensus in rebus quæ omnes tangunt, cum fere omnes majores, & generaliter omnes subditi, necnon & ipse rex, & omnes principes, parati sint contradicere, & resistere usque ad capitis expositionem, & omnis honoris privationem, præsertim cum videatur imminere propter hoc scandalum subversio regni & ecclesiæ generalis. Ratio autem nostri timoris est, quod cum cæteris regnis non habuistis sermonem, & quibusdam episcopis præcepistis & abbatibus, ut cum præbendæ vacaverint, ad opus domni papæ reservarent.

His auditis, cum niteretur legatus persuadere ut omnes consentirent, ostendit tunc primo domni papæ authenticum, in quo exegit a singulis ecclesiis cathedralibus duas præbendas, unam a capitulo, & alteram ab episcopo. Et in cœnobiis similiter, ubi sunt diversæ portiones, abbatis scilicet & conventus, duas exegit præbendas, unam ab abbate, & aliam a conventu, æquali facta distributione bonorum suorum a conventibus quantum pertinet ad unum monachum, sicut ipse interpretatus fuerat legatus, & ab abbate tantumdem. Tunc allegavit commoda, quæ possent inde provenire, illud videlicet, quod amoveretur scandalum a Romana ecclesia, quæ mater est omnium ecclesiarum, concupiscentia scilicet, quæ radix est omnium malorum, cum nullus pro aliquo negotio in curia Romana faciendo aliquid offerret, vel aliquis oblata reciperet.

Ad hoc respondit procurator archiepiscopi Lugdunensis: Domine, nullomodo volumus esse sine amicis in curia & largitate donorum. Alii æque sua incommoda allegabant; damna scilicet rerum, consiliorum, auxiliorum, obsequiorum, in hunc modum: Erit enim in qualibet diœcesi, vel ad minus in provincia, nuncius unus continuus, procurator Romanus, qui non vivet de proprio, sed graves exactiones & procurationes exiget ab ecclesiis majoribus, & forte minoribus, ut nullus remaneat impunitus: nomenque procuratoris habens, legati officio fungetur. Item dixerunt, imminere turbationes capitulorum: forte enim demandaret domnus papa, cui vellet, procuratori suo,

A vel alii, ut vice sua interesset electionibus, qui eas turbaret: & sic lapso tempore devolveretur electio ad curiam Romanam, quæ in omnibus, vel pluribus ecclesiis, Romanos poneret, vel tales qui ei plurimum essent devoti. Et sic nullæ essent partes indigenarum prælatorum vel principum, cum multi sint viri ecclesiastici, qui potius curiæ Romanæ, quam regi vel regno providerent. Item addiderunt, quod si proportionaliter fieret bonorum distributio, omnes in curia fierent divites, cum multo plus essent recepturi, quam rex proprius. Et sic majores non solum divites, sed & ditissimi fierent. Cum igitur vermis divitum sit superbia, majores vix causas audirent, sed eas in immensum differrent, & minores scriberent in-

B viti. Cujus rei experimentum in evidenti est, quia & modo negotia protrahunt, etiam post percepta obsequia, & securitate percipiendi: & sic periclitaretur justitia, & oporteret conquerentes mori in januis Romanorum tunc plenissime dominantium. Item cum vix possibile sit fontem cupiditatis desiccari, quod nunc faciunt per se, tunc facerent per alios, & suis multo majora quam nunc dari munera procurarent: modica enim nulla sunt in conspectu divitum cupidorum. Item multæ divitiæ facerent Romanos insanire: & sic inter diversas parentelas tantæ orirentur seditiones, quod posset timeri potius excidium civitatis, cujus etiam & modo penitus expers non est. Item dixerunt, quod licet se obligarent qui modo præsentes

C sunt, id non susciperent eorum successores, nec illam obligationem ratam haberent. Novissime autem, sic negotium concluserunt: Domine, moveat vos zelus universalis ecclesiæ, & sanctæ sedis Romanæ: quia si omnium esset universalis oppressio, posset timeri ne immineret generalis discessio, quod Deus avertat. His auditis, respondit legatus (ut videbatur plurimum commotus in his omnibus) se cum esset in curia nunquam huic exactioni consensisse, & ipsum litteras accepisse, postquam Galliam fuerat ingressus, & se multum super hæc doluisse. Addidit etiam super hæc, quicquid præcepit, tali conditione, & licet tacita intellexisse, si imperium & alia regna consentirent. Ad-

D junxit insuper, se nihil amplius super hæc attentaturum, donec per regna alia prælati consenserint, quod credidit provenire non posse.

ANNO CHRISTI 1225.

"** CONCILIUM "GERMANICUM

SUB PRÆSIDIO CONRADI EPISCOPI, cardinalis Portuensis, & sanctæ Rufinæ, sedisque apostolicæ legati, contra simoniacos & concubinarios clericos celebratum, an. Dom. MCCXXV. iv. Idus Decembris, tempore Honorii papæ tertii.

" Moguntiæ habitum, falso dictū Coloniense.

TITULI CAPITULORUM.

E

ANNO CHRISTI 1225.

11. *De episcopis & archidiaconis clericos simoniace præsentatos instituentibus.*
12. *De ecclesiis non per mercenarios, sed pastores, seu saltem vicarios perpetuos regendis.*
13. *De committentibus incestum cum sanctimonialibus & canonicis, & de ejusmodi sacris virginibus pollutis.*
14. *De his constitutionibus conciliaribus publicandis.*

STATUTA CONCILII.

Conradus miseratione Divina Portuensis & sanctæ Rufinæ episcopus, apostolicæ sedis legatus, universis Christi fidelibus, ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem in Christo Iesu.

I. *De continentia clericorum.*

Licet multa, super continentia clericorum, sanctorum patrum hactenus emanaverint instituta: quia tamen adhuc nonnulli clerici lumbos suos cingulo continentiæ, ut accipimus, non præcingunt, in animæ suæ periculum & scandalum plurimorum, non attendentes quoniam scriptum est: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum Deus vester*: nos qui nunc demum circa horam undecimam missi sumus, ut nocua de vinea Domini sabaoth, ex officio nobis injuncto, quantum ipse dederit, extirpemus, quia zelus nos comedit domus ejus, hujus sacri approbatione concilii duximus statuendum. Præcipimus igitur, ut clerici continenter & caste vivere studeant universi, & maxime in ordinibus sacris constituti, quatenus in conspectu Dei omnipotentis puro corde & mundo corpore valeant ministrare. (*Levit. 11.*)

II. *De pœnis concubinariorum clericorum.*

Si quis autem clericorum deinceps fuerit deprehensus incontinentiæ vitio laborare, detinendo publice concubinam: nisi post admonitionem canonicam illam a se prorsus expulerit, extunc tam beneficio quam & officio spolietur. Si vero nec sic fœtorem suæ libidinis curaverit evitare, quia crescente contumacia crescere debet & pœna, anathematis sententia feriatur. Qui vero obscœnis voluptatibus inhiantes, concubinas usque ad hæc tempora publice tenuerunt, ne delictum præteritum transeat impunitum, eos sub pœnitentiam duximus redigendos: ut, si canonici fuerint, quadraginta diebus in claustris suis in quadragesimali cibo jejunent. Si autem hæc [illegible]gere contempserint, præpositis & decanis & capitulis ecclesiarum sub anathemate prohibemus, ne præbendarum fructus eis ministrent, nec ad chorum vel ad consortium capituli eos admittant, nisi incepta dicta pœnitentia & peracta, & præstito juramento, quod eas ulterius non resumant. Qui vero remotas resumere præsumpserint, decrevimus eos beneficiis esse privatos, ut illi, ad quorum collationem eorum beneficia pertinent, ea idoneis personis assignent intra tempus in generali concilio comprehensum: alioquin proximus superior extunc ea studeat assignare. Si vero decani, vel alii eorum confratres, excessum eorum scientes, dissimulare præsumpserint, eos denunciamus excommunicationis vinculo subjacere.

III. *De scortatoribus clericis ruralibus per archidiaconos corrigendis.*

De clericis ruralibus concubinariis expressus rigor superius observetur: quorum archidiaconi, si eos in iniquitatibus voluerint confovere, vel eorum dissimulare excessus, sciant ab officio se suspensos, & si in suspensione permanserint, eos præcipimus per episcopos suos a dignitatibus removeri: quæ dignitates per eosdem episcopos, vel alios, ad quos earum spectat collatio, personis idoneis assignentur.

IV. *Quam pœnam iudex ecclesiasticus, aliquem præpropere excommunicans, incurrat.*

Quantæ temeritatis & præsumptionis existat, quod qui servare debent canonicas sanctiones, in quibus aperte continetur quod nullus aliquem sine rationabili causa excommunicare præsumat, eas frangere non formidant: plures non amore justitiæ, sed livore odii, vel favore adversariorum, excommunicationis vinculo innodatos, nullus prorsus ignorat. Quare firmiter prohibemus, ne in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti admonitione præmissa, & præsentibus personis idoneis, per quas, si necesse fuerit, possit probari admonitio, promulgare præsumat: & si prælatus contra hoc fecerit, & admonitus errorem suum non revocaverit, per mensem ab ingressu ecclesię sit exclusus. (Cap. 1. de sent. excom. in 6.)

V. *Clericos fructus præbendarum suarum concubinis & spuriis suis relinquere non posse.*

Ad abolendam de domo Domini consuetudinem, vel potius corruptelam seu temeritatem, qua clerici (qui signum pudicitiæ debent ostendere laïcis, quibus positi sunt in exemplum) in argumentum finalis suæ impœnitentiæ, fructus præbendarum suarum concubinis vel spuriis suis legant in ultima voluntate: contra eos rigor ecclesiasticus exerceri debet. Quare sub anathemate prohibemus, ne de cętero clerici gratia testandi abutentes, cum de rebus ecclesiæ nullum possint condere testamentum, fructus beneficiorum ecclesiasticorum spuriis suis vel concubinis suis dimittant. Qui vero contra hanc inhibitionem venire præsumpserint, in signum suę perditionis ecclesiastica careant sepultura: & quibus taliter (Cap. Quia nos, & cap. Relatum, de testam.)

ANNO CHRISTI 1225.

taliter fructus legantur, eis careant ipso jure. A Qui autem testamentum tale manu tenere voluerint, & per quorum manus personis illis fructus præbendæ fuerint ministrati, ipso facto sciant se excommunicationis vinculo innodatos: & quamdiu fructus hujusmodi contra hanc institutionem ministrati fuerint, ecclesia ipsa sit sub interdicto posita.

VI. De clericis excommunicatis vel suspensis, Divina celebrantibus.

Deut. 17. Cum scriptum sit in lege veteri, quod quicumque non obtemperasset sacerdotibus, B aut extra positus lapidaretur a populo, aut gladio cervice supposita expiaret cruore cōtemptum; & in primitiva ecclesia inobedientes cuncti de ecclesia rabido* ore dæmonum traherentur: multi nomine sacerdotes, censuram ecclesiasticam contemnentes, excommunicati vel suspensi a prælatis ipsorum, exigentibus culpis suis, & immemores quod episcopis & prælatis clavium regni cælestis collata sit potestas, attrectare sibi interdicta mysteria non verentur: contra quos rigorem ecclesiasticum volumus exerceri. Statuimus igitur ut tales, sine spe restitutionis, C ab officiis & beneficiis deponantur, & infames & intestabiles sint, & de cætero ad beneficia ecclesiastica nullatenus admittantur: nisi, per pœnitentiam approbatam & * conversionem laudabilem, sedis apostolicæ gratiam meruerint obtinere.

al. for. ori dæmonum ad defen- ...

al. for. conversatione

VII. De clericis coram excommunicatis celebrantibus.

Præterea sunt nonnulli, qui crassam prætendentes ignorantiam, (quæ cum non excuset a culpa, nec eos a pœna poterit excusare) coram his Divina celebrare præsumant D qui excommunicationis vinculo sunt innodati: dicentes quod eis excommunicatio nec per litteras, nec per nuncios fuerit nunciata: cum ipsi excommunicati impediant sæpe, ne possit ad eos denunciatio vel citatio pervenire, vel malitiose se occultent. Et cum talis sit merito contumax censendus, statuimus ut postquam tales excommunicati fuerint, & in vicinis locis publice denunciati, sacerdos qui coram eis celebraverit, simili pœna puniatur.

VIII. De publicandis excommunicatis per episcopos.

E Si episcopus aliquem excommunicaverit certa de causa, denunciet vicinis episcopis per suas patentes litteras, ut excommunicatum denunciari faciant, & evitari: & tunc sine difficultate aliqua vicini episcopi excommunicatum faciant publice denunciari, & in diœcesibus suis arctius evitari. Si vero episcopi fuerint negligentes, & excommunicatis scienter communicaverint, tamdiu cathedralium ecclesiarum canonici eis non communicent, quamdiu huic salubri sanctioni contempserint obedire.

IX. De patronis laïcis clericos ad ecclesias simoniace præsentantibus.

Quoniam in quibusdam locis Alemaniæ fundatores ecclesiarum, vel heredes ipsorum, potestate, in qua eos ecclesia hucusque sustinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obventionum ecclesiasticarum, in quibus jus obtinent patronatus, sibi retinentes ex pacto, repræsentant clericos ad easdem: huic vulneri cancroso & simoniaco censuræ ferrum apponimus, decernentes ut ex quo constiterit patronum hujusmodi flagitium perpetrasse, anathemate feriatur, & ejus terra supponatur ecclesiastico interdicto, donec ecclesiam liberam cum suo jure dimittat: salvo jure patronatus, quod eis de misericordia reservamus, qui possunt per juris excusari ignorantiam.

X. De clericis simoniace præsentatis.

Qui vero cæca cupiditate ducti, taliter a patronis præsentationem receperint, officio beneficioque priventur, nec ad beneficium vel actus ecclesiasticos admittantur, nisi cum eis per sedem apostolicam fuerit dispensatum.

XI. De episcopis & archidiaconis clericos simoniace præsentatos instituentibus.

Episcopi vero & archidiaconi, qui talibus scienter curam animarum commiser[int], ab institutione & collatione perpetuo sint suspensi. Statuimus etiam quod nullus clericus ad curam animarum ab episcopo vel archidiacono admittatur, nisi prius juraverit quod nullam in adeptione beneficii, ad cujus curam præsentatur, commiserit simoniam. Iuramentū ante institutionem præstandū.

XII. De ecclesiis non per mercenarios, sed pastores, seu saltem vicarios perpetuos regendis.

Quia enormis quædam consuetudo in quibusdam Alemaniæ partibus contra canonicas sanctiones invaluit, ut ponantur in ecclesiis conductitii sacerdotes vicarii temporales: ne id fiat de cætero, autoritate legationis qua fungimur omnibus modis inhibemus. Sed cum vicarius poni debet & potest, perpetuo instituatur, idque assensu & autoritate diœcesani, & archidiaconi loci illius: nec episcopus vel archidiaconus talem instituat, nisi ei de bonis ecclesiæ coram eo tantum fuerit assignatum, unde jura episcopi & archidiaconi possit persolvere, & congruam & sufficientem sustentationem habere.

ANNO CHRISTI 1225.

XIII. De committentibus incestum cum sanctimonialibus & canonicis, & de ejusmodi sacris virginibus pollutis.

De pœn. dist 1. cap. Si quis. & in auth. Si quis, cap de episcopis & clericis.

Licet contra nefandos insidiatores sacrarum virginum pudicitiæ, pœnæ gravissimæ sint institutæ tam canonicæ quam legales: quidam tamen, relaxatis voluptatum habenis, in lacum miseriæ & in lutum fæcis se immergunt, ut salutis æternæ coronam, honestatis normam, earumque pudicitiam interpellare præsumant. Contra quos nervum rigoris apponimus, statuentes ut quicumque pudicitiam sanctimonialium, cujuscumque habitus, ausu sacrilego solicitare præsumpserit: ab officio, si clericus fuerit; si laïcus, a perceptione corporis Domini noverit se suspensum. Qui vero * sacrilegium vel temerarium carnis commercium cum talibus habuerit, ipso facto excommunicationis sententia se noverit innodatum. Sanctimonialis vero seu canonica quæ hujusmodi crimen flagitiosum perpetraverit, ulterius ad officium aliquod in monasterio nullatenus admittatur: sed in signum iniquitatis suæ, ultima tam in claustro maneat quam in choro.

* *forte* sacrilegum

XIV. De his constitutionibus conciliaribus publicandis.

Quoniam memoria hominum dilabitur cum tempore dilabente, ne quis ex nostrarum constitutionum ignorantia velamen in posterum excusationis assumat, in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna excommunicationis districte præcipimus, ut archiepiscopi, episcopi, archidiaconi, & decani, in suo singuli concilio annis singulis celebrando eas publicari faciant & servari, pœnam transgressoribus infligendo. Quas etiam abbates & alii ecclesiarum & monasteriorum prælati conscribi faciant, & in suis capitulis frequentius publicari, ut tam ab ipsis quam a suis subditis inviolabiliter observentur. Acta sunt hęc anno Domini 1225. quarto Idus Decembris.

" ** *Eodem in concilio patribus congregatis oblatum est corpus S. Engelberti Coloniensis archiepiscopi recens cæsi a Friderico Isemburgensi comite cognato suo, adversus quem Essediensis ecclesiæ jura tuebatur. Fridericus a legato & concilio excommunicatus est: ut refert Cæsarius in vita S. Engelberti, l. 2 c.* 13. Cum eum, *inquit*, excommunicaret cum universis ecclesiarum prælatis illic congregatis, præcepit per omnes provincias legationis suæ, id est, Moguntinensem, Coloniensem, Trevirensem, Bremensem, & Magdeburgensem, in omnibus ecclesiis per omnes Dominicas cum extinctione candelarum eum excommunicari: nec eum solum, sed etiam omnes ejus adjutores, a quibus, vel quorum consilio occisus est præsul: itemque omnes, qui reos necis ejus foverent, vel eis communicarent.

Apud Surium 7. Novemb.

Exhibitæ quoque in eodem concilio sunt Conrado legato litteræ Theoderici Monasteriensis episcopi, & Engelberti electi Osnaburgensis, germanorum fratrum Friderici: quorum prior de sacrilegio se excusavit, paratum se dicens canonice se purgare; alter, episcopum ordinari se petiit. Respondit legatus, se proniorem ad parcendum quam ad puniendum, modo se excusare possint: diemque eis præfixit, quo se purgarent in concilio Leodiensi. *Habitum est illud anno sequenti.*

NOTA SEVER. BINII.

In hanc Synodum Laurentius Surius ita præfatur: Anno nati Servatoris 1224. Honorius ejus nominis tertius pontifex maximus, in Germaniam legatum misit a latere Conradum Eginonis, quondam monachum & abbatem instituti Cisterciensis, tum vero episcopum cardinalem Portuensem & sanctæ Rufinæ, virum doctrina & religione celebrem, & cujusdam dynastæ filium. Erant enim id temporis in Occidente quædam morum corruptelæ, quas pontifex amoliri volebat: porro Orientem vexabant Saraceni. Postquam igitur memoratus cardinalis in Germaniam pervenit, synodum hanc coëgit anno 1225. quæ cum pleraque habeat lectu digna, in gratiam lectoris huc eam adscribere volumus: idque tanto libentius, quod hoc loco sustulimus opusculum illud tripartitum, parum opportune in superiori editione conciliis insertum, cum nec autoris certi nomen præ se ferat, nec ab ullo sit concilio profectum. Qua in re non dubitamus, quin eruditus lector nostrum sit consilium probaturus. Quod autem ad hanc synodum attinet, scire debet lector, quæ in ea promulgatæ sunt constitutiones, eas jam dictum cardinalem per omnem Germaniam misisse archiepiscopis, episcopis, archidiaconis & archipresbyteris, quos decanos rurales vocant, eisque severiter mandasse, ut in conciliis annis singulis celebrandis eas publicari & observari facerent.

Hanc synodum Coloniæ habitam nescio quo autore refert Bzovius in annalibus anno 1225. num. 4.

Intruserat Binius in hanc notam partem narrationis Matthæi Parisii de concilio Bituricensi. Totam suo loco edidimus.

NOTA GABR. COSS. S. I.

Editum est hoc concilium & in conciliorum collectione, tum Suriana, tum Biniana, & in collectione statutorum provincialium & diœcesanorum ecclesiæ Coloniensis. Ubique vocatur concilium Germanicum, sive concilium in Alemannia. Et recte quidem: cum ejus constitutiones non uni provinciæ Conradus legatus ediderit, sed per Germaniam totam promulgari jusserit, ut ex earum capite ultimo apparet.

In regia editione mutatus hic titulus, vocatumque concilium Coloniense: falso: cum ex vita S. Engelberti Coloniensis archiepiscopi, & martyris, constet illius recens occisi corpus deductum esse Moguntiam, *ubi dominus Conradus, Portuensis episcopus & legatus, in Adventu Domini concilium celebravit.* Certius designari non potuit hoc concilium, cujus ultimo capiti subscriptum est, celebratum illud esse IV. Id. Decembris.

L. 2. c. 13. apud Sur. Tom. 6.

Cur ergo Coloniæ habitum esse nonnulli aiunt? Cur editio regia, Coloniense vocavit? Hac, opinor, de causa, quod primum tenet locum in collectione statutorum ecclesiæ Coloniensis. Verum si præfationem iis in illo codice præmissam legisset regius collector: observasset Germanicum illud concilium, Coloniensibus præpositum esse, non quod Coloniæ sit habitum, sed quod Conradus legatus ejus constitutiones *per omnes ecclesias Alemanniæ mittens, archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, & archipresbyteris, qui decani rurales appellantur, severe mandaverit, ut in suis singuli conciliis eas publicarent. Quamobrem, hæ constitutiones*, inquit, *in codice antiquo archiepiscopalis archivi unde liber ille restitutus est, statutis provincialibus & diœcesanis exinde a Conrado archiepiscopo & ejus successoribus editis, velut præliminares præponuntur.*

ANNO CHRISTI 1226.

" ** CONCILIA PARISIENSIA DUO.

Adversus Albigenses anno MCCXXVI. celebrata.

Turonense chronicon ad annum MCCXXV. refert hæc concilia, quia tum receptam in Galliis annorum rationem servat: annus autem Romanus, cujus a Kalend. Januar. ducitur exordium, jam labebatur MCCXXVI. Tertia, *inquit*, die, post conversionem S. Pauli apostoli, scilicet feria IV. Ludovicus rex Franciæ & legatus generale concilium Parisius celebrarunt. In quo idem legatus, auto-

ANNO CHRISTI 1226.

autoritate domini Papæ Raimundum comitem Tolosanum, suosque complices, excommunicavit: & terram illius, tanquam damnati hæretici, Ludovico regi Franciæ & heredibus ejus in perpetuum confirmavit. Amorricus " etiam comes de Monteforti, & Guido patruus ejus, quidquid juris habebant in prædicta terra, regi Franciæ & illius heredibus quitaverunt: & litteras inde confectas eidem regi protinus reddiderunt. Quo facto rex, habito diligenti consilio, sequenti feria sexta, cum omnibus fere episcopis & baronibus regni sui signo crucis Dominicæ insignitur, ut a vinea Domini Dei sabaoth, quam jamdiu aper ille Tolosanus exterminaverat, inutilia eradicaret, & utilia propagaret. Sicque legatus, super fide regis & principum commotus nimia pietate, per regni provincias delegat viros probabiles, qui in remissionem omnium peccatorum crucem assumendam contra Albigenses hæreticos prædicarent: & excepto voto peregrinationis Ierosolymitanæ, eos ab omnibus aliis votis, necnon & delictis, absolverent. Cum assensu etiam quorumdam episcoporum addidit legatus in hoc gratiam pietati, quod quolibet anno usque ad quinquennium centum millia librarum super decimam redituum & proventuum clericorum promisit regi coram omnibus se daturum: & si ad hoc decima non posset sufficere, thesauros sanctæ ecclesiæ traditurum.

Amalricus.

Concilium alterum ibidem refertur aliquanto post his verbis: Postea in Dominica qua cantatur, lætare Ierusalem, scilicet IV. Kal. April. Ludovicus rex apud Parisius concilium conuocavit. Ibique multa cum legato, episcopis, & baronibus, tractans de negotio Albigensi, universis & singulis regni sui, qui ei debebant exercitum, mandavit per litteras, & præcepit ut quarta Dominica post resurrectionem, in occursum ejus cum armis debitis apud Bituricas convenirent.

ANNO CHRISTI 1226.

** CONCILIUM CREMONENSE

ANNO MCCXXVI. CELEBRATUM.

IDem *Turonense chronicon*. Anno, *inquit*, Domini MCCXXVI. & Frederici Imp. XI. & Ludovici regis IV. Idem imperator apud Cremonam Italiæ concilium celebravit super extirpatione hæreticorum Italiæ, & negotio terræ sanctæ, & concordia civitatum. Sed urbes Italiæ, ob adventum ejus confœderatæ, ei obedire eumque recipere noluerunt: immo eum inefficacem redire versus Appuliam compulerunt.

ANNO CHRISTI 1226.

** CONCILIUM LEODIENSE

A CONRADO S. A. L. CELEBRATUM, ann. MCCXXVI. ubi inter cætera animadversum in fratres Friderici, a quo S. Engelbertus interfectus.

F*Riderici, a quo interfectum S. Engelbertum Coloniensem archiepiscopum paulo ante vidimus in concilio Germanico, fratres duo, alter Monasteriensis episcopus, alter Osnaburgensis electus, cum se Conrado legato in concilio Moguntino, sive Germanico, obtulissent*: diem eis præfixit, *ait Cæsarius*, quo se purgarent in concilio Leodiensi. Quo cum venissent, nobilibus conductum eis, ex mandato cardinalis legati, præstantibus; nec se canonice cum septem episcopis purgare possent, primoribus Coloniensibus multisque aliis eos accusantibus: legatus ex consensu episcoporum plurimorum qui præsentes

V. S. Engelbert. l. 2. c. 13.

A erant, ad dominum papam illos transmisit. Cui etiam inter cætera hæc scripsit: Examini vestro dirigimus hos duos episcopos, graviter de domini Engelberti nece infamatos. *Et multo post*: Theodoricus episcopus Monasteriensis, cum fratre Engelberto in Osnaburgensem episcopum electo, in concilio Leodiensi suspensi, Romam profecti sunt. Profectus est etiam cum eis Fridericus eadem spe, qua & illi. Cumque aliquandiu in curia mansissent episcopi, nec proficerent, eo quod se sufficienter purgare non possent, procuratoribus ecclesiæ Coloniensis reclamantibus, & litteris principum eos accusantibus: ambo depositi sunt. Et non multo post, tum ex dolore, tum, quod credibilius est, ex Divina ultione, mortuus est Theodoricus, & in solo peregrino sepultus. *Pergit narrare miserabilem Friderici ac suorum mortem.*

ANNO CHRISTI 1226. Cap. 17.

B *At magnum chronicon Belgicum, ait in Leodiensi concilio, contra Friderici fratres fuisse* probatum, quod fratrem jam ubique excommunicatum de substantia sua & de militibus juvissent contra ecclesiam, & contra imperium, & quod alter eorum fratri Friderico verbum dixerit, unde magis eum in necem archiepiscopi animaverit. Quid multa? suspensi sunt ab officiis, episcopus etiam a beneficiis: & Romam ire compulsi, depositi sunt, & alii in locum eorum instituti.

** CONCILIUM FUXENSE

ANNO CHRISTI 1226.

C IN QUO FUXENSIS COMES POENITENTIAM mentitus, absoluitur ab hæresi, anno Domini MCCXXVI.

H*Ujus synodi, cujus acta desunt, hanc ex Spondano ad hunc annum notitiam accipe.* Habent, *inquit*, annales Fuxenses & Francorum, dum Ludovicus VIII. esset in expeditione Narbonensi adversus Albigenses, missum ad Rogerium Bernardum comitem Fuxensem, jam regis hortatu resipiscentem, (*melius dixisset Spondanus resipiscere simulantem, ut ex Narbonensi concilio mox constabit*) Romanum legatum, conventum prælatorum ac procerum habuisse apud S. Ioannem de virginibus prope Fuxum oppidum: quo eundem comitem ecclesiæ Romanæ regique obsequium jurantem, absoluerit ab hæresi, excommunicatione, & omnibus sceleribus ac flagitiis eatenus perpetratis: Rogeriumque in pignus servandæ fidei, arcem Fuxi, aliasque nonnullas, in manus ministrorum regiorum tradidisse.

D

CONC. WESTMONASTERIENSE,

ANNO CHRISTI 1226.

IN CAUSA ROMANI PONTIFICIS DUARUM præbendarum obventiones petentis, celebratum in Anglia, anno Domini MCCXXVI. tempore Honorii papæ III.

E

A*Cta synodalia Matthæus Parisiensis summatim ita narrat.* Stephanus Cantuariensis archiepiscopus vocatis ad concilium cunctis apud Westmonasterium post pascha quos negotium tangebat, recitari fecit litteras supradictas de beneficiis Romanæ ecclesiæ conferendis coram rege & prælatis Angliæ, qui ad ejus vocationem plene convenerant. Sed illis auditis ac diligenter intellectis, singuli singulos ad visum monebant super concupiscentia Romanorum. Tunc rex convocatis seorsum prælatis & quibusdam magnatibus, hoc archiepiscopo dedit responsum: Ista, quæ suadet nobis dominus papa, universam Christianitatis latitudinem respiciunt; & quia

Binius.

ANNO CHRISTI 1226.

quia nos quasi in extremis orbis constituti sumus partibus, cum viderimus qualiter cætera regna erga tales se habuerint exactiones, dominus papa, cum ab aliis regnis habuerimus exemplum, in obsequiis nos inveniet promptiores. Et his dictis concessa est omnibus licentia recedendi.

Fusius autem apud Matthæum ipsum sic eadem exponuntur.

a ** ANno Dñi millesimo ducentesimo vigesimo sexto, rex Hẽricus ad Natale Dñi, celebravit festum suum apud VVintoniam, præsentibus quibusdam episcopis & magnatibus multis. Solennitate itaque peracta, profectus est rex apud Merlebergiam, ubi gravi infirmitate correptus, per multos dies desperatus jacebat. Venit interea terminus concilii ad festum S. Hilarii apud VVestmonasterium præfixus: ubi Rex cum clero & magnatibus regni comparere debuerat, ut domini Papæ mandatum audiret. Multis igitur in loco præfato congregatis episcopis, cum aliis prælatis, & laicorum turbis, magister Otto, domini Papæ nuncius, de quo habita est mentio superius, litteras aperte coram omnibus recitavit: in quibus idem Papa allegavit scandalum sanctæ Romanæ ecclesiæ, & opprobrium vetustissimum; notam scilicet concupiscentiæ, quæ radix dicitur omnium malorum, & in hoc præcipue, quod nullus potest aliquod negotium in Romana curia expedire, nisi cum magna effusione pecuniæ, & donorum exhibitione. Sed quoniam scandali hujus & infamiæ Romana paupertas causa est, debent matris inopiam sublevare, ut filii naturales: quia nisi a vobis & aliis viris bonis & honestis dona reciperemus, deficerent nobis necessaria vitæ, quod esset omnino Romanæ incongruum dignitati. Ad istud itaque scandalum penitus eradicandum, per consilium fratrum nostrorum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, quandam providimus formam: cui si volueritis consentire, a scandalo matrem vestram poteritis liberare, & in curia Romana sine donorum obsequio exhibitionem justitiæ obtinere. Forma autem provisa hæc est: Petimus in primis ab omnibus ecclesiis cathedralibus, duas nobis præbendas exhiberi; unam de portione episcopi, & alteram de capitulo. Et similiter de cœnobiis, ubi diversæ sunt portiones abbatis & conventus: a conventibus, quantum pertinet ad unum monachum, æquali facta distributione bonorum suorum; & ab abbate tantundem.

His in hunc modum propositis, persuasit ex parte domini Papæ magister Otto, ut consentirent prælati, allegans supradicta commoda, quæ in litteris continentur. Hæc autem omnia audientes episcopi, & ecclesiarum prælati, qui personaliter interfuerunt, divertentes seorsum ad colloquendum, cum super rebus propositis diutius deliberassent, responsum suum in ore magistri Ioannis Bedefordensis archidiacom communiter posuerunt. Qui veniens in præsentia magistri Ottonis, per hæc verba respondit: Domine, ista quæ nobis proponitis, regem Angliæ specialiter tangunt, generaliter vero omnes ecclesiarum patronos regni: tangunt archiepiscopos, & eorum suffraganeos, nec nõ innumeros Angliæ prælatos. Cum ergo Rex propter infirmitatem, & archiepiscopi nonnulli & episcopi, & alii ecclesiarum prælati sunt absentes, in eorum absentia vobis respondere non possumus & debemus: quia si id facere præsumeremus, in præjudicium omnium absentium fieret prælatorum. Et his dictis, venit Ioannes Marescallus, & alii nuntii regis, ad omnes prælatos, qui de rege baronias tenebant in capite destinati, districte inhibentes, ne laicum feudum suum, Romanæ ecclesiæ obligarent; unde a servitio sibi debito privaretur. Hæc autem cum magister Otto intellexisset, statuit his qui aderant, diem ibi in media Quadragesima, dum ipse procuraret regis adventum, & absentium prælatorum, ut tunc negotium sortiretur effectum. Sed illi absque regis, & aliorum, qui absentes erant, assensu, præfixum diem admittere noluerunt. Vnde singuli ad propria sunt reversi. *Hæc ille: apud quem, in eorum narratione quæ ad Rom. ecclesiam spectant, extant semper aliqua maligni animi vestigia: ut recte Card. Baronius, & Apamiensis episcopus Spondanus, aliique multi observarunt.*

ANNO CHRISTI 1227.

a ** CONCILIUM PROVINCIALE NARBONENSE,

Celebratum quadragesimæ tempore ann. Dom. MCCXXVII.

Editum a Catello in historia comit. Tolos. nunc emendatius ex apographo Iac. Sirmondi S. I.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. De excommunicatis.

FElicis recordationis dominus Ludovicus rex Francorum, attendens quanta pertinacia laïci provinciæ Narbonensis, & quarumdam partium adjacentium, in præjudicium animarum suarum, sententiam excommunicationis contemnerent: contra hujusmodi pertinaciam, olim apud Apamiam constitutus, de consilio domini Romani sancti Angeli diaconi cardinalis, tunc apostolicæ sedis legati, omnium etiam prælatorum & baronum de Francia, qui præsentes fuerant, pro ecclesiastica libertate, statuit: ut quicumque post trinam admonitionem se excommunicari permiserit, in novem libris & uno

ANNO CHRISTI 1227.

uno denario Turonensi" puniatur. Si vero per annum contumaciter in excommunicationis sententia permanserit, bona ejus omnia cadant in commissum. Quam constitutionem, nos Petrus archiepiscopus Narbonensis, de consilio fratrum & suffraganeorum nostrorum, & approbatione totius provincialis concilii, mandamus & statuimus, atque præcipimus, de cætero in provincia Narbonensi ab omnibus inviolabiliter observari. Ita videlicet, quod si forte excommunicatus, in prædicta summa puniri nequiverit, minori, vel alias secundum providentiam sui diœcesani episcopi puniatur, sicut a prælatis Franciæ observatur. Si autem universitas culpa sua fuerit intricata", pœna puniatur eadem. Si vero pro culpa domini, ipse dominus pœna simili puniatur.

l. Melgo... l. interdicta

II. De coërcendis Iudæis.

Item quia Iudæi usurariis exactionibus plurimum opprimunt Christianos, cum a Domino generaliter prohibeantur usuræ: synodali concilio duximus providendum, ne Iudæi aliquatenus a Christianis immoderatas aliquatenus usuras accipiant. Quod si fecerint, eas restituere ab ecclesia cōpellantur: videlicet per excommunicationem in Christianos, qui cum eis in commercio vel aliis participationem habebunt. Nec in domibus suis habeant Christiana mancipia, vel nutrices: nec carnibus publice vescantur, vel vendant eas in diebus, quibus abstinent Christiani. Nec in bajuliis, vel aliquibus officiis, præesse Christianis permittantur. Carnes etiam, quas ipsi faciunt, privatim tantum in domibus suis vendant, & non in Christianorum macellis.

III. De iisdem.

Ad hoc ut Iudæi possint ab aliis discerni: statuimus, & districte præcipimus, ut in medio pectoris deferant signum rotę, cujus circulus sit latitudinis unius digiti, altitudo vero unius dimidii palmi de canna. Nihilominus inhibemus, iisdem diebus Dominicis & festivis publice operari. Et ne Christianos scandalizent, vel scandalizentur ab iis: volumus & mandamus, ut in septimana sancta nullatenus, nisi causa necessitatis, exeant domos suas: & prælati faciant eos a Christianorum vexationibus custodiri, maxime in septimana prædicta.

IV. Vt iidem sex denarios ecclesiæ offerat in Pascha.

Statuimus insuper, ut Iudæi singulis annis in festo Dominicæ resurrectionis, sex" denarios Melgorensis monetæ per singulas familias, pro oblatione ecclesiæ parochiali persolvant.

l. quin...

V. De condendis testamentis.

Item, quia ultima voluntas defuncti debet inviolabiliter observari: volumus & præcipimus, ut testamentum, vel ultima voluntas cujusque, in præsentia semper catholicorum virorum, & parochialis sacerdotis, vel alterius ecclesiasticæ personæ loco ipsius, condatur. Præsertim ut idem sacerdos, vel alia ecclesiastica persona, valeat de ipso testatore laudabile testimonium perhibere, ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio possit haberi: & maxime, ut ea, quæ in pias causas reliquerit, fideliter & citius sine fraude solvatur. Quod si testator vocare, ut diximus, sacerdotem & viros catholicos contempserit: careat ecclesiastica sepultura, donec de hujus mandati contemptu, ecclesiæ satisfactum fuerit competenter. Notariis vero, qui absque solemnitate superius expressa notare vel scribere præsumpserint testamenta vel ultimas voluntates, ecclesiæ introitus interdicatur usque ad satisfactionem condignam.

VI. De perjuris, & de falsis testibus.

Item, cum religio juramenti peccatis exigentibus fere ab omnibus in istis partibus contemnatur: contra hujusmodi contemptores aliquid securitatis pro salute animarum ipsorum, duxit præsens concilium statuendum. Videlicet ut quicumque in transgressione juramenti de cætero manifeste deprehensus fuerit, in ecclesia publice denuncietur esse perjurus. Quod si admonitus satisfacere noluerit, tunc excommunicetur accensis candelis, & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis & festivis: & denuncietur intestabilis & infamis, & nec ad testimoniū vel ad alios actus legitimos admittatur. Et idem de falsis testibus observetur.

VII. Vt habeatur diligens ratio confessionum.

Item statuit pręsens synodus, quod nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribantur a capellanis, qui confessiones audiverunt eorumdem: ut laudabile testimonium de confessionibus eorum valeant perhibere. Illis vero qui confiteri contempserint saltem semel in anno a decimo quarto anno & supra, vivis, introitus ecclesię usque ad satisfactionem condignam; mortuis vero, interdicatur ecclesiastica sepultura. Illi vero qui confessiones illorum audiverint, in loco patenti audiant, non occulto.

VIII. Vt singulis Dominicis excommunicentur usurarii, incestuosi, &c.

Item, de publicis usurariis, incestuosis, cōcubinariis, adulteris & raptoribus, fuit in præsenti concilio constitutum, ut singulis diebus Dominicis & festivis publice in ecclesia excōmunicentur. Similiter & illi qui testamenta defunctorum publicare & complere post competentes admonitiones renuerint, excommunicationi subdantur.

ANNO CHRISTI 1227.

IX. Ut presbyteris portio sufficiens assignetur ab iis qui tenent ecclesias.

Later. IV. c. 32. Item cum in concilio Lateranensi & aliis sit frequenter per Romanum pontificem constitutum, quod presbyteris in ecclesiis monachorum & aliarum personarum, ad suam, & ad suorum sustentationem, portio sufficiens assignetur: ne a domno Papa possimus merito reprehendi, vobis abbatibus, prioribus, & aliis regularibus & sæcularibus, qui habetis vel tenetis ecclesias hujusmodi, præcipimus: ut in vestris ecclesiis, B episcopis personas præsentetis idoneas, quibus per episcopos animarum cura commissa usque ad festum Pentecostes proxime venturum, secundum facultates ecclesiarum, arbitrio bonorum virorum, portionem idoneam assignetis: videlicet, qua tam ipsi, quam sui, valeant sustentari honeste, & alia facere, quæ continentur in pluribus constitutionibus, quæ jamdudum super hoc a sede apostolica emanarunt.

X. Ut in ecclesiis non sint pauciores quam tres monachi vel canonici regulares.

C Illud præterea duximus exponendum, ut in ecclesiis vestris, non pauciores faciant moram quam tres monachi, vel canonici regulares: sicut alia vice per dominum Petrum Beneventanum, tunc apostolicæ sedis legatum, fuit in provinciali concilio constitutum, & postmodum observatum. Concil. Monspel. an. 1214. c. 31.

XI. Ut monachi, canonici regulares, sacerdotes, non sint advocati in foro.

Adjicimus insuper, ut monachi vel canonici regulares, vel etiam sacerdotes, nisi pro ecclesiis suis & miserabilibus personis, D & de prælati sui licentia speciali, in foro sæculari vel ecclesiastico advocare nullatenus præsumant. Quod si forte pars adversa repellere tales neglexerit vel noluerit, a judice repellantur omnino.

XII. Ut clerici nullatenus tallientur.

Item statuimus, ut clerici, occasione patrimonii sui, vel personæ, nullatenus tallientur, & tam consules, quam alii laïci, ab his talliis & exactionibus per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, compescatur. E

XIII. Ut nova pedagia & quidagia prohibeantur.

De novis pedagiis & quidagiis statuit concilium, ut per ecclesiasticum judicem, si necesse fuerit, prohibeantur omnino.

XIV. Ut sint in omnibus parochiis, qui de hæresi, & manifestis criminibus inquirant.

Volumus insuper, & districte mandamus, ut ab episcopis testes synodales in sin- A gulis instituantur parochiis, qui de hæresi, & de aliis criminibus manifestis diligenter inquirant, postmodum episcopis quod invenerint relaturi.

XV. Ut qui sunt in potestate, abjurent hæreticos, & eorum fautores.

Consules nihilominus, castellani, potestates, & barones, abjurare hæreticos & fautores, nec non & receptatores eorum, per censuram ecclesiasticam compellantur.

XVI. Ut hæretici vel suspecti, ab officiis publicis amoveantur.

Qui vero quondam hæretici vestiti vel notati fuerint, aut merito suspecti sunt, a bajuliis vel officiis publicis, si qua habent, præcipimus ut amoveantur ex toto, nec de cætero ad hujusmodi assumantur.

XVII. Ut Raimundus comes Tolosanus, comes Fuxensis, & alii, denuncientur excommunicati.

Item, statuimus & præcipimus observari districte; ut Raimundus filius Raimundi quondam comitis Tolosani, comes Fuxensis, & Trincavellus, qui dicitur vicecomes Biterrensis, Tolosani hæretici, credentes, fautores, defensores, & receptatores eorũ, & præsertim illi de Limoso, & alii qui felicis recordationis domno Ludovico regi Franciæ juraverant, & postmodum aversi sunt ab ecclesia: omnes etiam illi, qui arma, equos, victualia, vel alia subsidia vendunt, donant, mittunt, vel præstant eis scienter, candelis accensis & pulsatis campanis denuncientur excommunicati & expositi cuilibet occupanti tam in rebus, quam in personis, per singulas parochias singulis diebus Dominicis & festivis.

XVIII. Ut qui curam animarum habent, ad sacerdotium promoveantur.

Item, quia in multis canonibus & frequẽter ordinatum est, & statutum, ut archipresbyteri, præpositi, abbates, & alii qui curam animarum habent, debeant ad sacerdotiũ promoveri: mandamus & præcipimus, ut tales, & illi qui ecclesias parochiales habent, ad sacerdotii gradum promoveantur, & ibi serviant ut tenentur.

XIX. Ut quæstores in ecclesiis non prædicent.

Præcipimus similiter capellanis & aliis ecclesiarum rectoribus, ut quæstores prædicare in ecclesiis non permittant: sed legantur dumtaxat litteræ, si quas habent, prout ordinatum fuit in concilio generali. Later. IV. c. 62.

XX. De festo S. Matthiæ, & quatuor temporibus.

Item, ad tollendam quorumdam dubietatem de celebrando festo S. Matthiæ, & jejuniis quatuor temporum in Septembri: notum fieri universis volumus, & præcipimus observari, ut semper in anno bissextili poste-

ANNO CHRISTI 1227.

posteriore die celebretur festum prædictum, & in quarta feria quæ tertia prior in Septembri occurrit, jejunia quatuor temporum celebrentur. Adjicientes, ut singulis annis in Dominica, qua cantatur Lætare Hierusalem, provinciale concilium celebretur.

G.C. Celebratam esse hanc synodum anno MCCXXVII. certissimum habemus argumentum ex chronico Guillelmi de Podio Laurentii: cujus hæc verba cap. 36. *Cum autem esset Apamiæ rex* (Ludovicus VIII.) *ibi multa consilio Cardinalis, ad honorem Dei, & ecclesiasticæ libertatis, ordinavit: & maxime contra contemptores clavium ecclesiæ animadvertit statuto necessario & salubri, de quo fit mentio in concilio Narbonensi, in sequenti mox quadragesima celebrato, quod incipit,* Felicis recordationis. Hæc Guillelmus ad ann. MCCXXVI. exeuntem. Cum autem Narbonense hoc concilium sequenti quadragesima celebratum esse dicat: dubitare non possumus quin sit anno MCCXXVII. tribuendum. Ne vero dubitemus, an sit hoc ipsum Narbonense, primas ejus voces indicat, item & statutum adversus contemptores clavium ecclesiæ, quod primum est hujus synodi caput.

VITA ET EPISTOLÆ

GREGORII PAPÆ IX.

Gregorius . quãdo ntifex tus?

GRegorius IX. qui autore Vrspergensi prius Vgolinus Ostiensis episcopus dicebatur, natione de Anagnia, ex comitibus Signiæ oriundus, defuncto Honorio subrogatus est in Romanæ ecclesiæ pontificatum decimoquinto Kalendas Aprilis, anno Christi Redemptoris 1227. Fridericum imperatorem ejus nominis secundum, tanquam fœdifragum, Saracenorum fautorem, regis Hierosolymitani, atque adeo Christianorum omnium in Asia bellantium, deceptorem, voti de oppugnandis Saracenis aliquoties juramento firmati transgressorem, jure meritoque excommunicavit. Cumque communioni ecclesiæ restitutus, & a sententia anathematis per eumdem absolutus, pristinis & abjuratis criminibus graviora adderet, civitates ecclesiæ oppugnaret, factionemque teterrimam, quæ jam tum Guelphi & Gibellini appellabatur, non nisi post ducentos & plures annos compositam, excitaret, Saracenis magistratus mandaret, ut urbem, quæ Nuceria Saracenorum dicta est, concederet, ecclesias & monasteria spoliaret, Siculos tyrannide gravissima oppri-meret, fratrem regis Tunisii, baptismum Panormi petentem, a tam sancto proposito verbis deterreret, vias præcluderet ne concilium, quod Gregorius Romæ indixerat, convenire posset, cardinales aliosque demum prælatos in vinculis teneret: secundam sententiam anathematis in eumdem latam promulgavit. A populo urbe pulsus venit Perusiam, ibique biennio permansit: Franciscum, Dominicum, Antonium de Padua, & Elisabetham regis Hungariæ filiam in numerum sanctorum retulit.

ur Gregius Fricum perato- n secun- excom- nicet.

Dum urbe abesset, & Brundusium contra bannitos firmaret, Annibal interea Romæ cum aliis quibusdam reipublicæ perturbatoribus populum Romanum ad defectionem solicitavit. Verum Divini numinis ultrix dextera consecuta est: qua pene tota hominum multitudo peste extincta periit. Pontifex Romam reversus populo culpam remisit: Annibalem vero senatoria dignitate spoliavit, urbemque purgari procuravit. Ex iis qui religionem sanctorum Dominici & Francisci professi erant, plurimos emisit, qui per totam Europam Christianos ad bellum Saracenis inferendum adhortarentur. Qui brevi tempore tantum profecerunt, ut innumeri sub signis principum inscripti Constantinopolim pervenerint. Fri-dericus imperator tandem votum suum adimpleturus in Asiam profectus, accepta Hierosolymitanæ urbis seditione, cum Soldano Turcarum rege solus, citra consensum ac scitum principum imperii, decennales inducias contraxit. Hujus pontificis & Raimundi Barcinonensis, Dominicani ordinis generalis, a Clemente octavo in sanctorum numerum relati, opera, quinque libri decretalium collecti fuerunt. Cumque post Fridericum secundo excommmunicatum, factione Gibellinorum, quibus Gibel partes Cæsareanas sectatus præerat, multæ civitates Italiæ a pontifice deficerent, jamque ipsa Roma idem meditaretur: delatis per Vrbem sanctorum apostolorum Petri & Pauli capitibus, habitaque oratione pulcherrima, non tantum populum compescuit, verum etiam ad arma sumenda contra Fridericum, qui jam mœnibus Vrbis imminebat, eumdem commovit.

Ejusdem pontificis temporibus theologi Parisienses post longam disputationem diffinivérunt, sine peccato mortali neminem posse habere duo beneficia, quorum alterum ad sustentationem est sufficiens. Hoc tempore, inquit chronicon Hirsaugiense, hæreticorum multorum, qui diu in occulto latuerant in Alemannia, Italia, & maxime in Longobardia, fuit detecta impietas, & complures ex iis igne combusti sunt. Sectam Nicolaitarum profitebantur, erantque iis matres, uxores, & filiæ, omnibus semper communes: ecclesiam & prælatos contemnebant: carnes etiam in quadragesima manducabant: captivitatem etiam episcoporum, ad indictum Romæ concilium accedere volentium, pontifex optimus tam ægre tulit, ut præ nimio animi dolore vir prope centenarius obierit undecimo Kalendas Septembris, anno Christi nati 1241. cum sedi apostolicæ quatuordecim annis, quatuor mensibus, & viginti sex diebus præfuisset.

EPISTOLA I.

GREGORII PAPÆ IX.

AD OMNES FIDELES.

De negotiis terræ sanctæ.

Gregorius episcopus servus servorum Dei omnibus Christi fidelibus salutem & apostolicam benedictionem.

NOverit universitas vestra, nos de partibus transmarinis sub hac forma litteras suscepisse:

G. miseratione divina patriarcha Hierosolymitanus, humilis & indignus apostolicæ sedis legatus, P. Cæsariensis, N. Nazarensis, & N. Narbonensis, archiepiscopi, P. VVintoniensis, & VV. Exoniensis, episcopi, hospitalis sancti Ioannis, domus militiæ Templi, & hospitalis Teutonicorum magistri, omnibus has litteras inspecturis in Domino Iesu salutem.

Vniversitati vestræ necessitatem nostram instantissimam, & Iesu Christi, qui pro universis fidelibus sanguinem suum fudit, negotium cogimur intimare. Non enim absque intimantis fervore, ac multiplici lacrymarum effusione accidit, quod, sicut sperabamus communiter, in passagio Augusti nuper præteriti, serenissimus vir dominus imperator, ut promiserat, in Syriam non transivit. Quo audito, illi qui jam adventũ ejus prævenerant peregrini in eisdem partibus, audiẽtes quod dictus imperator non venerat in passagio memorato, plusquam quadraginta millia virorum fortium, in eisdem navibus, in quibus transierant,

V ij redie-

redierunt, magis in homine quam in Domino confidentes. Ibi tamen, post eorum recessum, octingenti fere milites remanserunt, clamantes unanimiter, & dicentes: Vel treugas rumpamus, vel communiter recedamus. Qui non sine magna difficultate detenti hac occasione fuerunt: quia vir nobilis dux de Lemburgo ex parte domini Imperatoris erat exercitui præficiēdus. Habito igitur concilio virorum prudentium, & præcipue domus hospitalis, & templi, ac hospitalis Alemannorum, de treuga rumpenda, præfatus dux faceret quod Christianitati ac terræ sanctæ videretur potius expedire. Sicque accidit quod dux requisitis super hæc consiliis, & receptis, die quadam specialiter ad hoc assignata comparuit coram nobis & quibusdam nobilibus terræ illius, ubi proposuit publice quod volebat treugam infringere: & qualiter utilius ac melius in hac parte valeret procedere, ipsorum auxilium & consilium implorabat. Verum cum ipsi duci & quibusdam consiliariis suis diceretur, quod treugam periculosum esset infringere, &, cum fuisset juramento firmata, penitus inhonestum: responderunt quod dominus papa excommunicaverat omnes Crucesignatos qui in isto passagio non transirent, qui sciebat adhuc treugam per biennium duraturam: ac per hoc intelligebant, quod volebat treugam non servari, nec ipsi peregrini ibi remanere volebant aliquatenus otiosi. Erant & multi qui dicebant, quod si contingeret recedere peregrinos, post recessum eorum in eos insurgerent Saraceni, treuga non obstante. Movit præterea quosdam, quod Coradinus cum dominis de Haman, & de Camele, & Halaph, gravissimam haberet guerram: unde plus solito timet, ne ipsa treuga a Christianis frangatur. Quod si fieret, credebatur quod Coradinus, cum videret guerris se undique coarctatum, deberet inde verisimiliter procedere verbum pacis. Habito igitur super his longo deliberationis tractatu, tandem unus fuit omnibus spiritus, & vox una, in sanctam tendere civitatem, quam Dominus Iesus Christus proprio sanguine consecravit. Et ut facilior ad eam haberetur accessus, fuit communiter ordinatum, ut primo Cæsarea, & inde Ioppa muniantur; quod ante passagium Augusti sequentis proculdubio posse fieri sperabatur: & tunc hieme sequenti in domum Domini cum ipsius adjutorio lætantes valeant proficisci. Fuit autem hæc publicata provisio extra civitatem Acon, instante festo apostolorum Simonis & Iudę, astantibus peregrinis omnibus: ubi solenniter est imperatum, ut essent omnes parati in crastino omnium sanctorum, versus Cæsaream profecturi. Quod audientes peregrini, qui consilium ignorabant, quod exercitus tractatum haberet, firmatis munitionibus prædictis in Ierusalem procedendi, tanta subito erant devotione succēsi, quod excitaverunt oculos ad abundantiam lacrymarum: ut videbatur cuilibet se Spiritus sancti gratia adeo roboratum, quod unus posset mille, & duo decem millia superare. Non igitur oportet ut devotioni vestræ multis supplicationibus insistamus, ubi tantæ necessitatis evidens instantia pro se clamat, sibique subveniri postulat indilate: quia mora ad se trahit periculum, & festinatio plurimum erit fructuosa. Clamat autem ad singulos Christi sanguis de terra, supplicat parvus & humilis exercitus, sed devotus, sibi celeriter subveniri: sperans in Domino, & confidens, quod negotium humiliter inchoatum, debeat ipso concedente feliciter terminari.

Vniversi igitur & singuli, qui Christum induistis per fidem, viriliter accingimini ad terræ sanctæ succursum: cum hic causa communis agatur: vestræ scilicet fidei, ac totius fidei Christianæ. Nos enim promotioni hujus negotii, provisore Domino & autore, non cessamus intendere: sperantes fiducialiter, quod in manibus fidelium fideliter perseverantium res debeat prosperari. Data Laterani, x. Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno I.

II. AD STEPHANVM ARCHIEPISC. CANTVARIENSEM.

De sententia in Imperatorem lata.

Gregorius episcopus servus servorum Dei Stephano Cantuariensi archiepiscopo salutem & apostolicam benedictionem.

IN maris amplitudine spatiosa navicula Petri posita, vel potius exposita turbinibus tempestatum, sic jugiter procellis & fluctibus agitatur, ut ejus gubernatores ac remiges vix contingat aliquando inter inundantium imbrium angustias respirare, vix Charybdis voragines transire, vix a Scylla declinare. Nam si quandoque prospero flatu plenis velis ad portum vehitur, subito ventus irruens ex adverso, impulsus ab illo cujus halitus ardere facit, ad altitudinem maris & turbulentum profunditatis Oceanum navis rapitur, quæ cincta fluctibus mergitur, nec submergitur: quia in ea Dominus residens, discipulorum tandem clamoribus excitatur, dum fugat spiritus insufflantes, & mari ventisque imperat: fit tranquillum. Quatuor quidem procellę quatiunt navem istam. Nam perfida paganorum turba terram inclitam, Christi sanguine consecratam, impie detinere contendunt: rabies tyrannorum, temporalia rapiens, exterminat justitiam, & conculcat ecclesiasticam libertatem: hæreticorum insania Christi tunicam scindere nititur, & subvertere fidei sacramentum: falsorum fratrum & filiorum dolosa perversitas concutit viscera, & latus dilacerat matris suæ. Sicque foris pugnæ, intus timores: extra interficit gladius, & domibus mors similiter intentatur. Sicque frequenter fit, quod Christi ecclesia tot angustiis perturbatur, dum alere credit filios, nutrit in sinu ignem, serpentes, & regulos, qui flatu & morsu & incendio cuncta vastare nituntur. Hinc est quod ad monstra hujusmodi perimēda, & expugnandas acies inimicas, ac tempestatum inquietudines mitigandas, apostolica sedes his temporibus multa diligentia quemdam alumnum, imperatorem videlicet Fridericum, quem quasi a matris utero excepit, uberibus lactavit, humeris bajulavit, de manibus quærentium animam ejus frequenter eripuit, educare studuit, multis laboribus & expensis usque ad virum perfectum perduxit, ad regiæ dignitatis decorem, & tandem ad fastigium culminis imperialis provexit: credens illum habere defensionis virgam, & baculum senectutis. Ipse autem dum in Teutonicam se transtulit ad habenas imperii obtinendas, jucunda, ut credebatur, auspicia, sed verius pericula matris obtutibus inferebat. Nam sponte, non monitu, sede apostolica ignorante, crucem suis affixit humeris, vovens solenniter se in terræ sanctæ subsidium profecturum. Deinde se & alios Crucesignatos excommunicari obtinuit, nisi certo proficiscerentur tempore. Sed incidenter absolutionem petiit, & accepit: de parendo super hæc mandatis ecclesiæ prius præstito juramento. Exuberantem autem gratiam super ipsum apostolica sedes infundens, ut festinantius ad terræ sanctæ transiret subsidium, ipsum contra morem ad coronam vocavit; qui ad hoc non invitatus, sed multiplicatis intercessoribus invitari per magnificos nuntios consuevit. Sicque idem sub crucis vexillo usque ad hæc tempora propria negotia plenius & perfectius consummavit. Tandem cum manibus felicis recordationis Honorii papæ prædecessoris nostri

in B.

in B. Petri basilica recepisset diadema de manibus nostris, tunc in minori officio constitutis, crucem resumpsit, voto publice innovato. Plures sub spe sui subsidii ad crucem sumendam induxit, & certum recipit terminum transfretandi. Habito quoque postmodum apud Verulas cum ecclesia Romana colloquio, juravit publice se in certo termino, a Romana sibi ecclesia præfigendo, & tamquam imperatorem honorifice profecturum. Exinde apud Ferentinum in colloquio simili, duorum annorum transfretandi elegit sibi terminum, & præfixit. Sicque transiturum, & nobilem mulierem, natam carissimi filii nostri in Christo Ioannis regis Hierosolymorum, illustris ipsius regni heredem, in conjugem recepturum, solemniter præstito juramento spopondit. Adjungens quod per hoc ad obsequium terræ sanctæ, non ut cæteri peregrini, sed ut Templarii & Hospitalarii, se in perpetuum obligaret. Appropinquante itaque termino prælibato, cœpit excusationes multiplices prætendere, se ad transitum asserens non paratum: & ut denuo ternorum sibi daretur terminus annorum, grandia obtulit obsequia terræ sanctæ, cum obligationibus satis magnis. Apostolica vero sedes, ne tantis laboribus exsufflatis, & inutiliter sic exhaustis, totum dissolveretur negotium, quod huic principi post Romanam ecclesiam principalius incumbebat: habito plurium episcoporum & aliorum virorum cõsilio, de contingentibus nil omittens, venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem episcopum, & bonæ memoriæ G. tituli sancti Martini presbyterum cardinalem, ad confirmanda illa quæ imperator pro crucis obsequio spontaneus promittebat, transmisit. Cumque ad sanctum Germanum cum pluribus Alemanniæ principibus pariter convenissent, imperator propria manu juravit; quod inde ad biennium, id est, in passagio Augusti nunc proximo transacto, omni excusatione & dilatione cessantibus, transfretaret, mille milites ibidem per biennium teneret ad suum stipendium, pro subsidio terræ sanctæ, centum millia vnciarum auri, in quinque passagiis tunc proximo futuris illuc destinaret certis assignanda personis. Et tunc cardinales presbyteri de Imperatoris consensu, in conspectu principum ac populi circumstantis, excommunicationis sententiam publice autoritate apostolica protulerunt: in quam incideret Imperator, si forte in aliquo defecerit prædictorum. Obligavit insuper se imperator ad centum chalendras, & quinquaginta galeias ducendas & tenendas vltra mare: & quod insuper duobus millibus militum passagium crucis terminis largiretur, in animam suam jurari faciens, se ista quæ diximus impleturum, sponte consentiens in se & regnum summ ferri sententiam, si non fuerint observata. Qualiter autem hæc impleverit, advertas. Nam cum ad ejus frequentem instantiam multa Crucesignatorum millia per excommunicationis sententiam coarctati in termino destinato ad portum Brundusii properassent: quia gratiam suam Imperator subtraxerat civitatibus fere cunctis in portubus constitutis, & idem a prædecessore nostro ac a nobis frequentius monitus, ut diligenter pararet omnia, & fideliter quæ spoponderat adimpleret, ipse promissorum, quæ sedi apostolicæ & Crucesignatis per prædicatores & litteras suas fecerat, de sponsione passagii necessariorum & victus: suæ salutis immemor, tamdiu in æstivi fervoris incendio, in regione mortis & aëris corruptela detinuit Christianum exercitum, ut non solum magna pars plebis, verum etiam non modica multitudo nobilium & magnatum pestilentia, sitis ariditate, ardoris incendio, ac multis incommoditatibus expiraverit. Inter quos defecerunt bonæ memoriæ episcopi Andegavensis & Augustensis. Pars vero non modica infirmitate gravata regrediens, in viis, in siluis, & planitiis, in montibus & speluncis occubuit jam ex parte. Sane reliqui, vix obtenta licentia, licet galeiæ, chalendræ, ac naves sufficientes ad transitum victualium, hominum, & equorum, ut promiserat, non adessent: in festo tamen beatæ Virginis, cum jam temporis instantia immineret, ut naves transmarinis partibus inciperent remeare, sulcare maria inchoarunt: sed pro nomine Iesu Christi se discrimini committentes, ac credentes Imperatorem comminus eorum vestigia secuturum. Idem vero, evacuatis promissionibus, ruptis vinculis, quibus tenebatur astrictus, calcato timore Divino, contempta reverentia Iesu Christi, censura ecclesiastica vilipensa, ac relicto exercitu Christiano, exposita infidelibus terra sancta, devotione populi Christiani abjecta, in suum & totius Christianitatis opprobrium retrorsum abstractus & illectus est ad consuetas regni delicias, abjectionem corporis sui frivolis excusationibus, ut dicitur, gestiens palliare. Attendite ergo, & videte, si est dolor sicut dolor sedis apostolicæ matris vestræ, sic crudeliter & toties deceptæ in filio, quem lactaverat, in quem posuit in hoc facto spei suæ fiduciam, in quem tot beneficiorum abundantiam cumulavit. Dissimulans interim, ne occasione inventa se averteret a terræ sanctæ subsidio, exilia præsulum, spoliationes, captivitates, & injurias multiplices, quas ecclesiis, viris religiosis, clericis irrogavit; & obaudiens querelas multiplices pauperum populorum, & nobilium patrimonii ecclesiæ clamantium contra ipsum, quas in aures Domini sabaoth credimus introisse. Et quamvis ecclesia Romana tueri debeat filium tanta diligentia educatum, & magnificentia exaltatum: nunc ipsum gemit sine Marte victum, absque hoste prostratum, & in suæ confusionis opprobrium tam ignominiose dejectum. Non minus gemit exterminium exercitus Christiani, qui non inimicorum gladiis vel virtute defecit, sed calamitate tam miserabili est consumptus. Gemit etiam, quod pars residua bellatorum, exposita maris periculis & fluctibus tempestatum, absque duce, præceptore, & principe ducitur quo ignorat, modicum profectura terræ sanctæ utilitatibus. Quibus debitæ consolationis solatium & opportunæ subjectionis auxilium, impedientibus jam maris frementis procellis, temporisque angustia, juxta votum non possumus ministrare. Gemit insuper excidium terræ sanctæ: quam nunc eripi de manibus paganorum sperabamus; quam olim, ut asseritur, recuperasset Christianus exercitus per concambium Damiatæ, nisi semel eis & iterum imperialibus fuisset litteris interdictum. Qui etiam non fuisset in manibus paganorum inclusus, si galeiarum subsidium, ut ex parte sua promissum fuerat, & fieri poterat, subsecutum esset. Nam Damiata, quæ, ut adstruitur, suo tradita nuntio, & aquilis imperialibus insignita: eodem die crudeliter spoliata, & per suos deteriorata, viliter & ignominiose per ipsos fuit infidelibus restituta. Recurrit etiam ad rediviva suspiria, & amissionem præscriptam, recolens Damiatæ tot laborum angustias, tot expensarum dispendia, tot mortes fidelium, & tot excursus temporum, quæ inutiliter effluxerunt, subortis lacrymis flere non cessat; nec est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus, nec abstergat lacrymas a maxillis. Cum ergo vox ejus in Rama jam sonuerit, & Rachel non solum filios, sed hæc omnia irremediabili lamentatione deploret: quis fidelium a gemitibus & suspiriis continebit? quis filiorum cernens aquarum profluvia de matris oculis prodeuntia, lacrymas non effundet?

Quis matris non compatietur angustiis, nec immensis ejus doloribus condolebit? Quis fidelium propter hæc non ardentius inflammabitur ad subsidium terræ sanctæ, ne Christiana juventus ex insperato casu penitus prostrata videatur, & ignominiose animo consternata? Nonne viri cordati, & filii Iesu Christi, debent ad subsidium terræ sanctæ tanto fortius animari, quanto ignominiam jam amplius resultare conspiciunt ex insperata ruina in Patrem & Filium, in redemptorem atque redemptos, in Christum & populum Christianum? Nos igitur hoc negotium tanto ardentius resumere affectamus, & profundiori consilio alta intendimus remedia invenire, quanto magis necessitas, & ex multis inflata doloribus nostram grandis angustia pavit: & sic cum Dominus populo suo modicum ostendit se iratum, de illius manu hoc tempore sacrificium non acceptans, qui prudentiam non est imitatus illorum per quem salus Israël consuevit. Non tamen misericordiæ Dei sunt consumptæ, nec ejus miserationes penitus defecerunt. Sperantes namque in misericordia Dei nostri, qui viam nobis ostendit, per quam in hoc opere prospere gradiamur: & viros secundum cor suum destinabit, qui præcedant in cordis puritate ac manuum munditia exercitum Christianum. Ideoque fraternitatem vestram obsecramus in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenus hæc clero & populis vobis commissis fideliter exponentes, ac inducentes eosdem ad hæc exequenda, suos studeant animos præparare, & ipsos ad vindicandam injuriam Iesu Christi sedulis exhortationibus invitetis: ut cum ipsos sedes apostolica habito majori tractatu solicitandos providerit, promptos inveniat & paratos. Porro ne tamquam canes muti, non valentes latrare, videamur deferre homini contra Deum, non sumentes ultionem de illo qui tantam injuriam populo procuravit, imperatorem videlicet Fridericum, qui nec transfretavit in termino constituto, nec illuc in taxatis passagiis præscriptam pecuniam destinavit, nec mille duxit milites per biennium tenendos ad suum stipendium, pro subsidio terræ sanctæ ibidem; sed in tribus articulis manifeste deficiens, in descriptæ excommunicationis laqueum ultroneus se ingessit: excommunicatum, quamquam inviti, publice nuntiamus, & mandamus ab omnibus arctius evitari; contra ipsum, si contumacia ejus exegerit, gravius processuri. Confidimus tamen adhuc in pii patris clementia qui neminem vult perire, quod oculi mentis caligantes, hoc ecclesiastico delibuti collyrio, si non fuerit animo rebellis, lumine poterunt illustrari; ut suam aspiciat nuditatem, & ignominiam suam, quam incurrit, avertat: sicque recurrat ad medicum, & ad matrem ecclesiam revertatur, per humilitatem debitam, & satisfactionẽ congruam, salutis remedia recepturus. Non enim ejus salutem in Domino affectamus interire, quem olim sincere dileximus in minori etiam officio constituti. Data Laterani, pontificatus nostri anno secundo.

III. AD ROMANUM FRANCORUM LEGATUM.

De persecutionibus ecclesiæ per Fridericum II, imperatorem.

Gregorius episcopus Romano Francorum legato salutem, &c.

Attende quæsumus, & vide, si est dolor sicut dolor noster, quia filium quem nutrivit ecclesia Romana & exaltavit, sperans eum propugnatorem habere contra perfidas nationes, ecce nunc persecutorem sentit immanem, & hostem validum experitur. Et ne taceamus atroces injurias & jacturas enormes, quibus Fridericus dictus imperator ecclesiam & personas ecclesiasticas damnabiliter hactenus flagellavit, patrimonium apostolicæ sedis per Saracenos & alios impugnat: &, quod detestabilius est, cum Soldano & aliis Saracenis nefandis contrahens pactiones, illis favorem, Christianis odium exhibet manifestum, ad exterminandas domos hospitales & fratrum militiæ Templi; per quas reliquiæ terræ sanctæ hactenus sunt observatæ, impie annullando. De mandato enim illius inter Saracenos & Christianos, fide fracta treugarum, cum Saracenis domorum prædictarum hostiliter inquietans; occisis & captis quamplurimis cum prædas plures abduxissent, Templarii ex hoc moti insurrexerunt contra ipsos; & cum prædas abstulissent ad valorem sex millium marcarum, Thomas comes Atterarum, Imperatoris bajulus, illis redeuntibus, furibundus & currens, eamdem prædam, ipsis non audentibus, juxta ordinis sui instituta, manum armatam contra Christianos erigere, abstulit violenter, & reddidit Saracenis: præter quædam, quæ idem Thomas sibi dicitur retentasse. Quod si Saraceni prædam auferant Christianis, dictus Thomas non solum ad recuperationem ejus intendit, sed nec patitur ut Christiani prædam auferant aliquando Saracenis. Quare factum est, ut illi ex hoc violentiores effecti, nostros audacter impugnent: & nostri proditionis formidantes minus audeant refragari. Et sic effusio sanguinis Christiani nonnunquam in Imperatoris damnabile lucrum cedit. Adhuc autem Thomas prædictus, vel potius Imperator per ipsum, prædictas domos immanius persequens, ipsas domibus & possessionibus quas habebant vi arctiori per violentiam spoliavit: eosque privilegiis apostolicæ sedis privare contendens, & imperiali subiicere jurisdictioni nititur, in manifestam subversionem ecclesiasticæ libertatis. Centum Sclavos etiam, quos domus hospitalis & Templi habebant in Sicilia & Apulia, colligi faciens, eos reddidit Saracenis: nulla exinde recompensatione facta domibus supradictis. Et sic servis Christi servos præfert Machometi: ut ex præmissis ostenditur evidenter. Adhuc pro certo scias, quod licet dictus Imperator cum paucis militibus mare dicitur intrasse: contra patrimonium ecclesiæ magnum exercitum Christianorum, & Saracenorum multitudinem destinavit; ut de observatione fidei & malignitate constet, omnibusque manifestum exhibeat argumentum. Unde, inquam, firmam spem fiduciamque habemus in illo, qui ecclesiam suam supra fidei petram stabiliens, quamtumcumque irruant venti, & inundent flumina, ipsam tamen non permittet everti, vel naufragari. Dum itaque videmus eum in subversione fidei Christianæ ita nequiter machinantem, ita impie sævientem: possemus extremum periculum formidare. Sed quantumcumque impii prolongetur iniquitas, nunquam tamen in sua poterit pravitate prævalere, sed in ea potius evanescet. Cum igitur ex officio, licet indignis nobis injuncto, providere cogimur ne minister Machometi in Christi ministros diutius valeat desævire, sed sæviens potius confundatur, & gloria Christiani nominis exaltetur: dilectioni tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus, quatenus per terram legationis tuæ hæc solemniter prædices Christi fidelibus, ut pro statu fidei, & religionis observantia, stent ex animo tamquam prosequentes singuli proprium interesse, ac salutaribus monitis effectibus eos & exhortationibus inducere non

non postponas. Datum Laterani Nonis Augusti, A pontificatus nostri anno secundo.

IV. AD ELIENSEM ET LONDINENSEM EPISCOPOS.

De electione abbatis sancti Albani.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Eliensi & Londinensi episcopis salutem & apostolicam benedictionem.

MOnasterio sancti Albani Lincolniensis dioecesis, quod ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinet, abbatis solatio destituto, dilecti filii prior & conventus ipsius monasterii, sicut accepi- B
mus, requisito prius, sicut moris est, assensu regio & obtento, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt, & potuerunt commode interesse, de abbatis futuri substitutione tractantes, post diversos tractatus, quibusdam de collegio, eligendi ei abbatem potestatem plenariam unanimiter contulerunt. Iidem vero electores, Deum habentes præ oculis, collatione super hoc & deliberatione habita diligenti, & Spiritus sancti gratia invocata, dilectum filium fratrem Ioannem de Hertford, ejusdem monasterii monachum, virum, ut asserunt, providum & discretum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, & cum eis a puero laudabiliter conversatum, in abbatem eorum & patrem concorditer & canonice elegerunt. C
Quorum electionem solemniter publicatam universi & singuli approbantes, nobis per dilectos filios fratres Reginaldum & Nicolaum monachos & nuncios suos, ac litteras, humiliter supplicaverunt: ut, cum per eumdem Ioannem grata ipsi monasterio in spiritualibus & temporalibus incrementa sperarentur autore Deo proventura, & rectis dispositionibus nihil debeat difficultatis afferri, electionem hujusmodi confirmare de benignitate sedis apostolicæ dignaremur. Licet igitur prædicti nuncii solicite super hoc institerint & prudenter, & nos pro eodem monasterio libenter quod cum Deo possumus facere intendentes, electionem ipsam, examinatam prout convenit diligenter, canonicam invenerimus quoad formam: quia tamen de personæ meritis plenam noti- D
tiam non habemus, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus quæ circa electi personam inquirenda fuerint solicite inquirentes, si eam sufficientem inveneritis ad ejusdem monasterii regimen assumendum, præmissam electionem autoritate apostolica confirmetis, & electo faciatis eidem obedientiam & reverentiam debitam exhiberi, ac munus benedictionis impendi: recepturi ab eo postmodum pro nobis & Romana ecclesia fidelitatis solitæ juramentū, juxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Alioquin, ea rite cassata, faciatis dicto monasterio de persona idonea per electionem canonicam provideri: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, com- E
pescendo. Formam autem juramenti, quod ipse præstabit, nobis de verbo ad verbum per ejus patentes litteras suo sigillo signatas quamcito poteritis per proprium nuncium transmittatis. Quod si non ambo his exequendis potueritis interesse, alter vestrum ea nihilominus exequatur. Datum Perusii, *&c.*

EPISTOLA GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI AD GREGORIUM PAPAM ROMANUM.

De unitate.

Sanctißimo & excellentißimo papæ veteris Romæ & apostolicæ sedis rectori Germanus miseratione Divina archiepiscopus Constantinopol. novæ Romæ.

O Domine Iesu Christe, salvum me fac, o Domine, bene prosperare: te enim lapidem angularem, honorificatum, preciosum, electum, in fundamentum pono hujus negotiationis toti orbi salutiferæ. Didici enim per prophetam tuum Isaiam, quod omnis qui credit in te, talem lapidem existentem, nullatenus confundetur, neque a suæ spei base poterit commoveri. Et ita se habet veritas, & nullus contradicere audet, nisi patris mendacii discipulus fuerit. Opus autem tuum est, qui lapis angularis existis, conjungere quæ procul sunt: vel quæ inter se distant, & ea quæ divisa sunt, in unitate fidei congregare. Tu enim es qui & procul & prope existentibus pacem evangelizasti, & fines orbis terrarum per tuarum super crucem exaltationem manuum ad eusebiam convocasti, & paterno more super humeros elevasti. Tuæ igitur inæstimabili clementiæ supplico, qui Patris es Verbum omnipotens, consubstantialis sapientia Dei, ædifica in me domum hujus rei, & tu sis ejus & fundamentum & tectum, qui juxta theologicam vocem Ioannis, Alpha & Omega diceris, tamquam omnium principium & finis incircumscriptus.

Ac in primis oculos elevantes ad montes cælestes, unde venire nobis auxilium oravimus, deinde ad te sanctissimum papam, qui apostolicæ sedis primatum sortitus es, sermonis mutamus exordium. Et velis descendere aliquantulum ab altitudine gloriæ, & incumbere verbis meis, qui miser sum & vita & sermone: si tu, inquam, assimilaris ei qui in altis habitat, & humilia respicit Deus. Incipiam autem hinc: Investigabilis sapientia Dei, quæ ex non esse omnia simul produxit ad esse, semper autem continet, & provide regit, consuevit multoties ex minima occasione, velut quodam fundamento diu ante posito, magna opera postmodum superædificare, ad commune proficuum & salutem. Ioseph in Ægyptum argenteis venumdatus, servus deducitur in lacum, & in carcerem truditur: quæ autem secuta sunt postmodum, quam gloriosa, quam honorabilia fuerint, & qualiter Deus in medio ejus glorificatus extiterit, sapientissimam mentem sacræ animæ tuæ, sanctissime pater, non latet. Ad quid autem sermo respiciat, & quid significare vult, fratres præsentes, quos quidem periculosus occursus & injustus carcer fecit nostro vultui præsentari, vestræ sanctitati exponent: quorum numerus prudentum virginum numero æquipollet. Nam & lampas operum suorum, & quod ex ea lumen exit, coram hominibus lucet in gloriam cælestis Patris: ac prudenter oleum boni operis apponunt semper, ne lumen lampadis extinguatur, & ipsi ad somnum trahantur accediæ, & introitu regni careant. Sine baculis sunt omnes, & vestes singulas singuli habent, & sine calceamentis. Nunc autem pedes eorum pulcros secundum Apostolum existimo, tamquam evangelizantium pacem inter Græcos & Latinos, ut breviter dicantur, velut ex toto vacui, &

& leviſſimi & expediti curſores, ad Chriſtum properantes attingere, qui omnium bonorum eſt meta. Ad quem cum pervenerint, ſiſtent curſum, & percipient quod peroptant. Hi quidem, qui ſecundum Deum minores fratres dicuntur, ſic uniti in una voluntate & unanimitate æquipollentes in quinquenario numero, in bonum ſignum apparuerunt, & ſpem bonam propoſuerunt de unitate & concordia, annuente Domino, inter quinque patriarchatus. Acceſſerunt autem in domum noſtram fratres ipſi ex Divina providentia, ſicut credidi, quæ cuncta diſponit in eo quod expedit: & cum hinc inde inter nos multa verba fuiſſent exorta, vertebatur magis locutio præ ceteris ſuper ſchiſmate longi temporis tunicæ inconſutilis euſebiæ deſuper contextæ, qua veſte videlicet apoſtolorũ manus catholicam Chriſtianorum eccleſiam induerunt. Præſumptuoſæ non quidem manus militum, ſed eccleſiaſticarum perſonarum ſenſus ſciderunt & diviſerunt, & ſchiſma equidem magnum & multorum annorum, & nullus eſt qui miſereatur ſponſæ Chriſti, quæ ſic ſciſſa veſte induta eſt, aut qui ejus velit turpitudinis miſereri. Hoc, ut credo, & David in libro pſalmorum plangit, dicens: *Diviſi ſunt, & non ſunt compuncti.* Si enim compunctionem habuiſſemus, doleremus, & contriſtaremur: & ſi tribulationem & dolorem inveniremus, nomen Domini utique invocaremus, & adhuc nobis petentibus adeſſet, ſicut in medio diſcipulorum jampridem pacificans diſcordes, & cogitationum amphilogiam corrigens. Numquid enim non mordentur ejus viſcera? numquid non contriſtantur propter diſcordiam? etiam valde. Pater enim eſt, & omnium patrum piiſſimus, & non ſuſtinet videre pignora hoſtili more ſe adinvicem evellentia & diſperdentia, & more piſcium alterum ab altero devorari; eo quod major contra minorem extollitur, & qui potentior eſt opprimit infirmiorem. Siccine docuit nos piſcator Petrus hominum, qui contra naturam prioris artis de morte ad vitam quos piſcatus eſt traduxit? Heu quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut plangam die ac nocte ſuper contritione novæ Ieruſalem de gentibus eccleſiæ congregatæ? qualiter electus populus Dei, in Iudam & Iſraël diviſi fuimus, & civitates noſtræ in Ieruſalem & Samariam? Ea enim quæ de Cain & Abel, vel Eſau & Iacob contigerunt, qui fratres quidem natura erant, hoſtes quidem mente, & ſic contrarii. Piget me hæc ſermoni inſerere, ne forte primatui fraternitatis injuriari videar, aut ſubripere velle credar primogenita. Verumtamen, nec pater meus ſenuit, nec oculi ejus caligaverunt, ſed in cælis exiſtens liquide omnia videt; & his qui injuſte oppreſſi ſunt benedictionem largitur. Sunt quippe hæc amara valde, & intelligenti tinea oſſium, ſi frequenter ad memoriam deducantur. Sed quod ſequitur, vel quod dicendum eſt, amarius, & malorum omnium eſt peſſimum, & omni gladio ſecante utrimque magis acutum, & magis reſecans, contra quoſcumque hominum fuerit adductum, ſive contra Græcos, ſive contra Latinos. Quid eſt hoc? Paulum dicentem audiamus: *Sive nos, ſive angelus de celis evangelizaverit vobis præter id quod evangelizavimus, anathema ſit.* Et non ſemel hujuſmodi gladio percutit, ſed & ſecundo, ut majorem dolorem ex ſecunda percuſſione adducat, & ad medicam quærendum exurgant qui mortem animarum pertimeſcunt. Quid ergo dicam? Omnem curam & omnem ſolicitudinem aliam a mentibus excutiamus velut pulverem a pedibus, & cum omni deſiderio quæramus quos tangit hic gladius biceps & terribilis, & qui ſunt quos ſeparat a compage eccleſiaſticorum membrorum, quorum caput Chriſtus eſt. Si nos Græcos, oſtendite plagam, & ſanguinem a vulnere tergite, ac emplaſtra ſpiritualia apponite, & ligamentis conſtringite, & ſalvos facite fratres in periculo poſitos, ne pereant; & Salomoni acquieſcite proverbialiter ſic dicenti: *Frater in anguſtiis comprobatur.* Maxime autem ipſum Dominum audiatis, qui ſapientiam ipſi tribuit Salomoni, & qui loquitur per prophetam: *Qui ſeparaverit precioſum a vili, quaſi os meum erit.* Si autem nos quidem Græci ſine plaga ſumus, & abſque vulnere a gladio anathematis, contra autem Italicos & Latinos acutiſſime adducitur, & ad mactandum & perdendum quoſdam extenditur: exiſtimamus quod non ſuſtinebitis per ignorantiam & pravam pertinaciam vos a parte Domini ſeparari: pro quo decem mille mortes, ſi foret poſſibile, quilibet veſtrum libenti animo ſuſtineret. Quod aut diſcordia magna, & dogmatum contrarietas, & canonum deſtructio, & rituum, quos tradiderunt patres, immutatio, materia ſint ſepis, quæ ſeparat ea quæ prius unita fuerant & conjuncta concordiæ & pacis conjunctione, totus mundus una lingua factus acclamabit, Dominum proteſtans, invocans cælum & terram in teſtimonium, quia nos junctis manibus vobis uniri, vel vos nobis, facta diligenti inquiſitione profundæ veritatis cum invocatione ſancti Pneumatis, inſtantiſſime poſtulamus, nec amplius ſchiſmatico ſcandalo immerito deturpari, & a Latinis diffamari, vel vos a Græcis depravari. Et ut veritatis medullam attingamus, multi potentes ac nobiles vobis obtemperarent, niſi injuſtas oppreſſiones & opum protervas exactiones & ſervitutes indebitas, quas a vobis ſubjectis extorquetis, formidarent. Hinc & crudelia bella in alterutrum, civitatum deſolatio, ſigilla januis eccleſiarum impreſſa, fratrum ſchiſmata & ſacerdotalis miniſtrationis prorſus vacat operatio, ne Græcorum climatibus, ut deceret, Deus collaudetur. Vnum, ut credimus, quod Græcis jampridem deſuper fuit præfinitum, hucuſque defuit, tempus ſcilicet martyrii: ſed & ipſum jam imminet, ut tribunal tyrannicum aperiatur, & ſedes tormentorum proponatur, fluat cruor inundans, & nos ad martyrii ſtadium deſcendamus, & bonum certemus agonem, coronas ab Omnipotentis dextra recepturi. Novit ea quæ dico, & propter quid, Cyprus famoſa inſula: quæ novit, & quæ novos martyres fecit, & vidit milites Chriſti, qui prius per aquam tranſeuntes, lacrymarum compunctionibus & ſudoribus loti, ex confeſſionis laboribus per longa tempora ad ultimum etiam per ignem tranſierunt: & eduxit eos agonothetes Deus in cæleſte refrigerium. Bona numquid ſunt, o papa ſanctiſſime apoſtoli Petri ſucceſſor? Hæc injungit Petrus mitis & humilis Chriſti diſcipulus? Siccine inſtruit ſeniores per epiſtolam ſuam, cum ſcribit: *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro conſenior & teſtis Chriſti paſſionum: qui & ejus, quæ in futuro eſt, gloriæ communicator: paſcite qui in vobis eſt, gregem Dei, providentes, non coacte, ſed ſpontanee: non turpis lucri gratia, ſed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis. Et cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem æternæ gloriæ coronam.* Hæc eſt Petri doctrina, & videbunt qui ei non obediunt. Nobis autem ſufficit ad conſolationem epiſtolæ pars illa, in qua gaudere præcipit contriſtatos diverſis tentationibus, ut examen fidei noſtræ multo magis precioſius auro corruptibili igne examinato inveniatur, in laudem & honorem & gloriam, in revelationem Ieſu Chriſti. Sed concede veniam, ſanctiſſime domine, & omnium prædeceſſorum tuorum veteris Romæ clementiſſime, & ſuſtine verba

Marginal notes: Pſalm. 34. — Gal. 1. — Prov. 17. — Ierem. 15. — 1. Pet. 5.

verba multum amaritudinis habentia: sunt enim languentis cordis suspiria, & datur indulgentia a discretis his, qui propter cordis nimiam tristitiam in verba prorumpunt per singultus. Accinge igitur sic fortitudine lumbos tuos, & accende tuæ discretionis lucernam, & quære drachmam quæ perit super fidei unitate, & compatiemur sanctitati tuæ: etiam nos non parcemus infirmo corpori, nec fatiscentem causabor ætatem, prætendendo senectutis excusationem, non longam viam causabimur. Quanto enim laboriosius opus est quod incipitur, tanto magis erit causa plurium coronarum. *Vnusquisque enim secundum proprium laborem mercedem accipiet*, sicut generalis stadii luctator & maxime victoriosus coronæ Paulus ait. (1 Cor. 3.) Non ignoramus, sanctissime domine, quod quemadmodum nos Græci nitimur in omnibus observare orthodoxam & eusebiam sententiam, ut in nullo erremus a sanctorum apostolorum & patrum statutis: eodem modo veteris Romæ ecclesia, bene scimus, pro se nititur, ut non existimet se falli in aliquo, neque remedio indigere se asserit vel correctione: hoc & apud Græcorum ecclesiam & Latinorum dici novimus. Nam nemo unquam in propria facie existentem turpitudinem videre potest, nisi super speculum se inclinaverit: aut ab alio certificatus fuerit qualiter se circa faciem habeat, sive turpiter, sive non. Habemus autem specula multa & magna lucidaque, clarum videlicet Christi evangelium, apostolorum epistolas, libros theologorum patrum. Inspiciamus in eis: ipsa ostendent nobis qualiter unusquisque sentit, sive nothe, sive legitime. Qui autem ad speculum fuerit invitatus causa experientiæ, cum recesserit, confitebitur etiam invitus suum vultum esse deformem. Deus autem pacis conterat satanam sub pedibus nostris cito, autorem discordiæ; pacificus, odientem bonum; qui causa est bonorum omnium, scandala facientem. Et qui pacis est Deus mittat ad nos, qui pastores sumus ovium suarum rationabilium, angelum pacis, gaudium magnum annuntiantem: sicut prius in nativitate secundum carnem Emmanuelis pastoribus brutarum ovium: & dignos faciat canere illam laudem mirabilem, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, (Luc. 2.) & in sancto osculo ad invicem salutare. Gloria domini nostri Iesu Christi, & pax Dei Patris, & communicatio sancti Spiritus, vobiscum. Amen.

V. AD GERMANUM ARCHIEPISCOPUM GRÆCORUM.

Respondet superiori.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri Germano Græcorum archiepiscopo, salutem & apostolicam benedictionem.

FRaternitatis tuæ litteris, nobis & fratribus nostris per tuum nuncium præsentatis, qua decuit benignitate receptis, earumque tenore plenius intellecto, disposuimus viros religiosos vitæ laudabilis & probatæ scientiæ ad tuam præsentiam destinare: qui verba vitæ deferent, & nostram fratrumque nostrorum exponent plenius voluntatem. Verum quia de comedente exivit cibus, & de forti egressa est dulcedo: ne ex ore mortui leonis, non sine labore scribentis, a patre favus exhibitus contemnatur: pauca duximus rescribenda, ne viderentur scripta despici, si contingeret non rescribi. *Audiens enim sapiens, sapientior erit; & intelligens, guberna-*

A *cula possidebit.* Licet autem Christus, sicut tuæ series epistolæ retexebat, primum sit & præcipuum fundamentum fidei, quod fatemur, præter quod aliud poni non potest: secunda tamen & secundaria fundamenta legimus apostolos & prophetas: & fundamenta Sion in montibus sanctis, & cives supernæ Ierusalem super fundamenta apostolorum & prophetarum superædificati leguntur. Inter quos primus & præcipuus beatissimus Petrus, non sine causa, sed ex prærogativa speciali, a Domino audire meruit: *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*: (Ioan. 1.) ut sicut in capite plenitudo sensuum consistit, a quo ad singula membra occultis meatibus pars aliqua tamquam a fonte rivulus derivatur, sic B tres fidelium ordines in ecclesia, Noë, Daniel, & Iob, prælati videlicet, continentes, & conjugati, quos Ezechiel vidisse legitur in visione salvandos, a Petro petra, super quam non domum saltus Libani, nec porticum columnarum, nec domum filiæ Pharaonis, sed ecclesiam suam ædificavit Dominus fidelibus, velut de omni genere piscium in ejus rete conclusis, tamquam a primate primatum, qui de fonte Dominici pectoris fluenta potavit, & suæ salutis debent postulare remedia, & cum omni patientia & doctrina, non contentiose vel superbe in aliquo resistentes, a mentis suæ tenebris dubietatis scrupulos removere. Nec obstat quod asseris, si tempora locumque distinguas, Paulum Petro in C faciem restitisse, cum dispensative ab orthodoxis patribus hoc factum esse legatur: dum Petrus legem Mosaicam profitendo, Iudæos; & Paulus circumcisionem evitans, totis viribus lucrifacere studuerit ex hujusmodi simulatione gentiles. Alioquin & Paulum perambulantem Syriam & Ciliciam, cum pervenisset Derben & Lystram, ex eo redargues quod Timotheum, ex patre gentili ortum, fidelis viduæ filium, circumcidit. Secundo etiam & tertio vel se vel Paulum argues, qui cum navigasset Syriam, & cum eo essent Priscilla & Aquila, & caput timore Iudæorum totondisset in Cenchris, quare comam, quam ex voto nutrierat, quod Nazaræi, qui secundo voverant, juxta præceptum Moysi facere consueverant, ibidem totondit in le- D ge. Si, frater carissime, dignitatis mysterium, & autoritatis officium, pleno intellectu distinguens & Petri & Pauli zelum consideres, qui animas tantummodo sitiebant, eos nec in morte, quos eadem fides & passio vere fecit esse germanos, nec dum viverent, in doctrina invenies fuisse discordes. Licet enim Petrus pro duræ cervicis Iudaïco, & Paulus pro gentili populo, lac parvulis, & escam provectis exhibentes, diversis linguis & ritibus laboraverint: cum jam plenitudo temporis advenisset, unum Dominum, unam fidem, unum baptisma, & alios articulos fidei, secundum gratiam sibi datam a Domino, in uno eodemque Spiritu prædicavit uterque. Fuit enim Paulus ex verbo Domini Petro & cæteris apostolis universaliter sic dicentis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta erunt*, (Ioan. 20.) cum Petro mysterium dignitatis exercens: & ex verbis ejusdem autoritatis singulariter Petro propositis, *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, (Matth. 16.) in Petro autoritatis officium recognoscens. Ideoque ad eum, tamquam primatem & evangelii Dominici fontem, venit Hierosolymam: & postmodum cum ipso & aliis secundum revelationem contulit evangelium, ne in vacuum cucurrisset. Quod iterum ex verbis Domini confirmatur, cum soli Petro, si frater suus in se peccaverit, non tantum septies, sed usque (Matth. 22.)

X septuagesies

A septuagesies septies præcipitur remittendum: ipsi soli oves indistincte committens, qui tam speciali miraculorum virtute pollebat, quod per plateas in lectulis & grabatis positi ad umbram ejus sanabantur infirmi. Cujus autoritas ex ejusdem Domini verbis expressius confirmatur, cum sibi dictum est: Luc. 5. *Duc in altum*; & pluraliter subinfertur: *Laxate retia in capturam*. Si igitur Petrus propter excellentiam fidei, qua in uno Christo duas naturas veraciter recognoscens, cum dixit, Matth. 16. *Tu es Christus, filius Dei vivi*, claves regni cælestis in terris solus accepit; cum Ephes. 4. *Unus sit Dominus, una fides, unum baptisma*, unum principium, unum corpus militantis ecclesiæ, & corpus cum multis capitibus monstruosum, B & sine capite acephalum censeatur: restat ut ad regimen generalis ecclesiæ, quam idem cum Paulo, & cæteris de gentibus Græcis, Latinis, & Barbaris congregavit, caput ejusdem, & suum Dominus, per ea quæ præmissa sunt, ostenderet successorem. Prævidens autem Dominus quod ecclesia a tyrannis conculcaretur, & ab hæreticis laniaretur, & a schismaticis scinderetur, dixit: Luc. 22. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ex quo colligitur evidenter, quod ad sedem Petri omnis quæstio fidei referenda sit. Sed, quod dolentes dicimus, ut epistolæ tuæ verbis utamur, præsumptuose quidem, non per manus militum, sed ecclesiasticarum personarum sensus, veri Ioseph talaris tunica & inconsutilis est passa scissuram. Sed quis sciderit videamus. C Cum Græcorum ecclesia a Romanæ sedis unitate recessit, statim privilegio caruit ecclesiasticæ libertatis: & quæ libera fuerat, facta est sæcularis potestatis ancilla, ut justo Dei judicio, quæ noluit Divinum recognoscere in Petro primatum, toleret invita dominium sæculare. Sub quo non modica contemnens, paulatim decidens, fidem informem profitens, & a fraterna caritate tepescens, licentius per campum licentiæ non refrenate discurrit, ut sine alicujus reprehensione licitum sub illicito palliaret, & a templo Petri recedens, a Domino quasi attritum foris ejicitur: quod virga sua Ioannes, prohibente Domino, non metitur, quoniam datum est illud gentibus, quod jam conspicis visibiliter consummatum. D Quod Samaria, quæ a templo Domini & a Iuda & veræ fidei confessione recedens, facta idololatra præfigurans, bellorum cladibus continuis attrita, & pondere peccatorum gravata, (licet Elias & Elisæus, tamquam magna luminaria, ibidem, sicut in loco caliginoso, refulserint) data est gentibus, projecta est foris in vindictam fornicationis & idololatriæ, quibus se a Domino separavit. Quod si Paulum Græcorum ecclesia se habere proponit, exhibeat: vel a successore Petri & vicario Iesu Christi in apostolorum basilica, quæ a Constantino constructa est, cum Petro exhibitum recognoscat. Officii etiam notavit mysterium, licet litteris tuis sub forma reprehensionis insertum fuerit: E quod Petrus ter motus, ad galli cantum excitatus, factus est ostiarius paradisi: ut videlicet qui præesse debuerat, pati sciret & compati, & ex autoritatis officio, cui ter dictum est, Ioan. 17. *Pasce*, non pascite, *oves meas*, non alienas, ad successores transmisso exemplo veri pastoris, subditorum excessus ad unitatem ecclesiæ redeuntium in spiritu lenitatis corrigeret: & cultum Christiani nominis sponte professos, ab ecclesia aberrantes, exigente contumacia, juxta verbum apostoli, 1. Cor. 5. *tradendo hujusmodi satanæ in interitum carnis*, ad ovile reduceret vel invitos. Si vero ex compassionis affectu ad apostolicæ sedis primatem sicut verus Israelita recurris, & super contritione Ioseph de scissura inconsutilis tunicæ mota sunt tuæ pietatis viscera, passioni tuæ compatimur, & dolori tuo cum apostolo condolemus: & ei ad grates assurgimus, qui oculos cæci nati aperuit: humiliter postulantes, ut qui per collyrium ex felle piscis Tobiæ oculos illuminavit, corda ecclesiæ Græcorum cum tuo illuminet, & nostris tuisque temporibus ad unum ovile & unum pastorem providentia Divina reducat. Librum igitur de quo dictum est Ioanni in Apocalypsi: *Accipe, frater carissime, & devora illum: & si amaricare faciat ventrem tuum*, Apoc. 10. propter contritionis aculeos, qui in principio pungunt; *tamen in ore tuo erit dulcis adinstar mellis*, juxta verbum sponsi dicentis in Canticis: *Sonet vox tua in auribus meis: vox tua dulcis.* Cant. 2. Et prudentiæ tuæ conscientiam sine aliqua superstitione regyra, & illuminatus reperies, quod Romana ecclesia, quæ omnium ecclesiarum caput est & magistra, in speculo a te proposito (evangelii videlicet & epistolarum, & doctrina aliorum doctorum) nil contrarium invenit, quod interpretative vel dispensative, secundum statuta sanctorum patrum, in unitate fidei & spiritus non concordet. In cujus libri apertione invenies, quod Romanus pontifex, omnibus omnia factus, ut omnes salvi fiant, non turpis lucri gratia, vel voluntarie, sed a fratribus suis Divina inspiratione vocatus, statim servus servorum Dei effectus, murum pro fratribus suis & coepiscopis, & eorum subditis, contra hæreticos, schismaticos, & tyrannos, ad tuitionem ecclesiasticæ libertatis cum suis fratribus se opponit. Et licet quidam subrepant, publice tamen ab omnium incursibus modernis temporibus ecclesia Romana respirat. Sed si Græcorum ecclesia patienter sustineat (ut verbis tuis utamur) verba quæ mordeant, præter animarum pericula quæ ex scissura eorum proveniunt, satis eis vexatio dedisse debuerat intellectum, in quorum manibus ordo ecclesiasticus per adversas nationes Orientis in diversa partitus confunditur, ecclesiastica libertas deprimitur, & sacerdotalis dignitas conculcatur: & non est qui consoletur eam ex omnibus caris ejus, quia tamquam acephali ad caput ecclesiæ reverti contempserunt. *Revertere* igitur *Sunamitis, revertere, revertere, ut intueamur te*: Cant. 6. quia tunc recte poterit frater a fratre adjuvari, si filius, qui consumpsit omnia dissolute vivendo, a Domino inspiratus surgat & dicat: *Pater, peccavi in cælum & coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus, fac me sicut unum de mercenariis tuis*: Luc. 15. tunc enim pater, non ut mercenario, sed ut filio revertenti occurrens, *primam stolam proferet, & occidet vitulum saginatum*, & generale convivium faciens omnibus Christi fidelibus, in exultatione annuntiabit & gaudio, quod & frater & filius, qui mortuus fuerat, jam revixit: & drachma, quæ perierat, inventa est: & sic te in gremio matris ecclesiæ cum honore recepto, veritatem manifeste videbis in speculo puritatis, quam ecclesia Latina servat in fidei unitate, quæ non recipit maculam neque rugam. Datum Reate septimo Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno sexto.

VI. AD EUMDEM.

De unitate ecclesiæ.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri archiepiscopo Græcorum salutem & apostolicam benedictionem.

CUm, juxta testimonium veritatis, occasio sit errorum ignorantia scripturarum, cunctis expedit

pedit illas legere vel audire, quia quæ in eis inspiratio Divina reposuit pro doctrina sequentium, ad cautelam trahere voluit modernorum. Sane sub Ieroboam, qui peccare fecit, ut legitur, Israël, præsumpta divisio tribuum patenter signat schisma Græcorum, & multitudo abominationum Samariæ, diversas hæreses multitudinis a veneratione veri templi, Romanæ videlicet ecclesiæ, & reverentia separatæ. Quod Chrysostomus, Nazianzenus, & magnus Basilius, & Cyrillus, emicuerint in cœtu dissentientium, eadem fuit cælestis altitudo consilii, qua degere voluit inter idololatras Eliam & Elisæum, & filios prophetarum. Nunc igitur, quia in aliis litteris, quas tibi dudum remisimus, latius hanc & alias autoritatum & omnium, quæ pro Romanæ primatu ecclesiæ faciunt, materias explicavimus: illud tantum adiicimus, quod utrumque gladium ad Romanum pertinere pontificem ex evangelica lectione tenemus. Etenim loquente Iesu discipulis de acquisitione gladii spiritualis, illi duos ibi positos ostenderunt, quos Dominus duxit sufficere ad cohibitionem, videlicet spiritualis & corporalis offensæ. Si materialem gladium pertinere concedis ad potentiam temporalem, attende quid in Matthæi evangelio Dominus dicat Petro: *Converte gladium tuum in locum suum.* Dicendo, *tuum*, materialem signavit gladium, quo percusserat ille servum principis sacerdotum. De spirituali nemini venit in dubium, cum ei, id est Petro, per cujusdam specialitatis apicem ligandi & solvendi commiserit potestatem. Vterque igitur gladius ecclesiæ traditur: sed ab ecclesia exercetur unus: alius pro ecclesia, manu sæcularis principis est eximendus: unus a sacerdote, alius ad nutum sacerdotis administrandus a milite. Propter hæc ergo & alia, quæ post diligentem veritatis indaginem ordinatam te faciant sentire caritatem, latores præsentium Hugonem & Petrum, de prædicatorum, Haimonem & Radulphum, de minorum ordinibus fratres, viros virtute & religione conspicuos, morum honestate præclaros, & scripturarum sacrarum scientia præditos, juxta quod tibi per memoratas litteras intimare curavimus, ad te duximus destinandos. Et si cum eis de omnibus quæ in quæstionem veniunt tractare fideliter & socialiter conferre decreveris: in rota, quæ infra rotam Ezechieli ostensa est, vocem poteris audire tonitrui, & in mari vitreo speculari, quod unus Adam collocatus ad opus & custodiam paradisi, unam est sortitus uxorem, unum Dominum Iesum Christum in justitia & veritatis scientia creatum, & unicam sponsam ejus ecclesiam præfigurans: quod Lamech, qui humiliatum sonat, dum uxorem unam divisit in duas, sanguinarius factus est, & virum in suum vulnus occidit: quod alia, præter unam, arca non legitur, quæ, cuncta vastante diluvio, sub unius patriarchæ remigis potentatu paucas animas sub perfectionis numero reservavit: quod legem Dominus secundo dedit, non alteram, sed eamdem: quod duorum cherubim, qui propitiatorium obumbrabant, non aliorsum versi, sed respicientes erant vultus adinvicem: & unam Ioseph fuisse talarem tunicam; & nostri Salvatoris inconsutilem vestem unam. Verumtamen, si dualitatis sensum circa Eucharistiæ sacramentum vester diversus a nostro ritus inducit: attende quod non sit aliud nec diversum unius Domini nostri Iesu Christi, prius in assumpta propter nos carne passibilis, post sicut a morte, sic ab omni passibilitate prorsus immunis, a Græcis pariter & Latinis nostræ salutis mysterium frequentatum. Græcus ad fidem cum discipulo juniore præcurrens, & tantæ gratiæ non ingratus, illius dignationis, qua

Matth. 26.

Deus miseriæ compassus humanæ homo voluit esse passibilis, eligens quotidie reminisci, hostiam constituit offerri fermentatam: ut, apostolo dicente quod ex fermento massa corrumpitur, in fermento corruptionis, cui ante resurrectionem corpus Dominicum subjacere potuit, ostendatur. Latinus vero cum Petro seniore secutus litteræ monumentum, de qua procedit spiritualis sensus, prior introivit, & linteamina posita, quæ sacrosanctum corpus, quod ecclesiam signat, involuerant, separatumque sudarium quod fuerat super caput, aspexit, sacramentum glorificati corporis celebrare mirificentius in azymis sinceritatis elegit. Sed uterque panis simplex ante sacrificium panis est: transubstantiatione vero facta per verba Dominica, panis non est. Et ideo nec fermentatus, nec azymus dici potest: sed ille potius creditur esse panis vivus qui descendit de cælo, & tribuit vitam mundo. Hæc & his similia docuit Petri sedem unctio Spiritus, & sanitas intellectus. Vtinam & tu tandem aliquando juniorem discipulum, qui vidit & credidit, secutus introeas: ut omnibus intellectis, nobiscum vere psallas illud Davidicum: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* Datum Laterani, decimoquinto Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno septimo.

Psalm. 131.

DEFINITIO APOCRISIARIORUM

GREGORII PAPÆ.

Quod Spiritus sanctus a Patre Filioque procedat æqualiter.

PAter perfectus Deus est in seipso: Filius perfectus Deus, a Patre genitus: Spiritus sanctus perfectus Deus, a Patre & Filio procedens. Procedit autem ex Filio quidem immediate, at ex Patre mediante Filio. Quod enim Spiritus sanctus a Filio procedit, id Filius habet a Patre. Propterea quicumque non crediderit Spiritum sanctum a Filio procedere, in via perditionis est. Vnde sanctus Athanasius, dum in partibus occidentalibus exulabat, in expositione fidei, quam Latinis verbis reddidit, sic ait: Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus. Spiritus sanctus a Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Idemque Athanasius in expositione fidei, quam Græcis verbis declaravit, sic ad verbum inquit: Spiritus autem sanctus processio est Patris, omniaque portantis Filii, per quem implevit omnia. Vnde & sanctus Gregorius, qui jure dicitur Thaumaturgus, seu mirabilium effector, Neocæsareæ Ponti episcopus, in expositione fidei, quam per revelationem a beato Ioanne evangelista, mediante Dei genitrice accepit, sic apertissime exclamavit, dicens: Vnus Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, & potentiæ ac characteris sempiterni, perfectus perfecti genitor, Pater Filii unigeniti, unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character & imago deïtatis, Verbum operativum: & reliqua. At hic de Filio loquens, dicit: Solus ex solo. Non ergo Spiritus sanctus ex solo est: ergo ex Patre & alio, cum sit ab aliquo. Cæterum dum dicimus ex Patre & alio, non dicimus ex alio quoad substantiam: at secundum hypostasim seu subsistentiam. Quod enim Spiritus sanctus immediate ex Filio sit, ex Patre autem mediante Filio, testatur Gregorius Nyssenus, ita dicens: Nos qui Divinam naturam differentiæ variationisve esse confitemur expertem, eam, quæ circa causam & causatum consi-

consideratur, differentiam non inficiamur: per A quod solum comprehendimus alterum ab altero discerni, nimirum eo quod credimus, aliud quidem causam esse, aliud autem ex causa, & ex eo quod ex causa est. Quin & aliam rursum differentiam consideramus: nam aliud quidem continenter ac sine medio ex primo est, aliud vero per id quod immediate & continenter ex prima causa est. Cum illi, quo aliqua differunt, utrumque convenire sit impossibile: quare continenter & immediate ex primo esse, aut solum Filio, aut solum Spiritui sancto conveniat necesse est. Quod si, ut sancti patres asserunt, inter Patrem & Filium non sit dare medium: erit igitur solus Filius ex Patre immediate, cum & se- B cundum communem sententiam atque intellectum, id quod est ab aliquo, ab eodem sit immediate. Sed cum Spiritus sanctus sit ab aliquo, ab aliquo immediate erit: at non est a Patre immediate, sicut nunc ostensum est: erit igitur immediate a Filio. Sanctos itaque hos patres, & inter alios beatum Ambrosium episcopum Mediolanensem, beatum Augustinum civitatis Hipponensis episcopum, beatum quoque Hieronymum fortissimum perversissimorum hæreticorum oppugnatorem secutus beatus Cyrillus, & cum eo universa sancta œcumenica tertia synodus, perspicue scriptum reliquit, Spiritum sanctum ex Filio esse. Unde quisquis ejus verba oppugnat, non orthodoxus est, sed a fide aberrans. Affirmat enim C manifestissime in sua ad Theodosium regem de recta fide expositione, Spiritum sanctum ex Filio esse, hisce verbis: Præterea virum dicens, qui mox adfuturus & videndus erat, ipsum dicit baptizare in igne & Spiritu sancto: non quod alienum his qui baptizantur immittat Spiritum, servilem in modum & quasi ministrum, sed ut Deum secundum naturam cum suprema potestate, quia ex ipso & per ipsum, *&c.* Quid eo testimonio clarius? siquidem hic manifestissime de Filio dicit, quod Spiritum sanctum his qui baptizantur immittat ex seipso, ac proprium ejus. Quin & hoc ipsum iisdem verbis Herniæ scribit beatus idem Cyrillus, in sermone ad eumdem Herniam, cujus inscriptio est: De incarnatione Unigeniti, & quod Christus unus, & Dominus secun- D dum scripturas. Illudque ipsum ab eodem Cyrillo in declaratione novi anathematismi dicitur. In eodem quippe anathematismo proprium esse Filii Spiritum inquiens, eumdemque novum anathematismum declarans, quo sensu proprium suum esse Spiritum dixerit, aperuit dicens: Cum homo factum sit unigenitum Dei Verbum, etiam sic tamen Deus mansit, omnia existens quæ Pater, solo hoc dempto, quod ille Pater est; & proprium habens, quod ab ipso est, & essentialiter ipsi inhærens Spiritus sanctus: & reliqua. Ubi rursus Spiritum sanctum ex Filio esse clarissime sanctus pater affirmat. Quare nemini debet esse dubium, quin eumdem hic sensum sanctus aperuerit, quem tenuit, quando anathema- E tismum exposuit. In eodemque sensu anathematismum hunc cum omnibus aliis sancta & œcumenica tertia synodus suscepit, in quo illum sanctus declaravit. Certum namque est, sanctos patres in prædicta sancta synodo congregatos, totam tertiam jam dicti patris epistolam ad impium Nestorium Constantinopolitanum scriptam, absque ulla hæsitatione irrefragabiliter suscepisse. Novimus autem prædictos duodecim anathematismos in postrema dictæ epistolæ parte contineri. Porro si quis tamquam legitima tueri conatus fuerit impientissima Theodoriti Cyri episcopi verba, quæ ipse adversus dicti sancti patris duodecim sacra capita licenter nimis ac temere evomuit: noverit is a quinta sancta generalique synodo prædicti Theodoriti blasphemias damnatas esse: quippe qui adversus beati Cyrilli verba, quibus ei respondit, nil præter calumnias dicere novit. Ait enim quinta sancta universalis synodus in actione octava ad hunc modum: Condemnamus & anathematizamus eum, cum quibuscumque aliis hæreticis, qui damnati & anathemate percussi sunt a dictis quatuor sanctis synodis, & ab ecclesia catholica, & apostolica: & Theodorum qui fuit espiscopus Mopsuestiensis, impiaque ejus conscripta: & quæ impie a Theodorito conscripta sunt adversus rectam fidem, ac contra duodecim sancti Cyrilli capita, nec non contra tertiam sanctam generalem synodum Ephesinam, & quæcumque ad defensionem Theodori, ipsiusque Nestorii scripta sunt. Ex quibus perspicuum evadit, illa, quæ Theodoritus adversus duodecim sancti Cyrilli capita scripsit, damnata esse, impietatisque plena. Et quisquis ea ut vera & legitima tenet tueturque, inimicus existit fidei. Scribit enim beatus Cyrillus ad Acacium Melitensem episcopum, post concordiam ac pacem sanctarum ecclesiarum, sic inquiens: Quæ vero recte contra Nestorii blasphemias scripsimus, omnino nemo nobis, ut non recte scripta dicamus, persuadebit. Quid quod & ad Dynatum episcopum eodem modo scribit, ubi ait: Quæ scripsimus, recte scripsimus, veræ & inculpatæ patrocinantes fidei, neque quidquam omnino nostrorum scriptorum sumus negaturi: cum neque quidpiam, ut illi referunt, sit dictum temere, verum ubique nos rectitudini adhærere fidei, veritatisque virtuti consentire oportere. Ex his itaque longe clarissimum existit, beatum Cyrillum eorum nihil inficiari quæ dixit, sed in eodem sensu, quo hæc ab eo dicta sunt, citra ullam correctionis notam perstitisse: cum neque ipse solus corrigi potuisset, licet etiam (quod tamen a sancto absit) voluisset, in his quæ universa sancta synodus absque ulla ambiguitate irrefragabiliter confidenterque accepit. Accepit autem in eo sensu, sicut dictum est, quo exposuit, cum prima synodo hæc suscipienda repetens. Siquidem illam sanctam synodum omnes sancti patres in conciliis post sequentibus venerantur, eademque cum illa credunt: quin & sancti patres, qui hanc ipsam antecesserunt, eadem cum illa sensere. Hanc fidem tenemus, sic credimus, sentimus, & profitemur.

SUBSCRIPTIONES.

Hanc fidem teneo ego Rodulphus ex fratrum Minorum ordine, domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi apocrisiarius, sic subscribo, & ita credo.

Hanc fidem ego Ammonius ordinis fratrum Minorum, apocrisiarius domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi, habeo, sic credo, & ita sentio.

Hanc eamdem fidem & nos Hugo & Petrus prædicatorum ordinis, ac domini papæ Gregorii veteris Romæ episcopi apocrisiarii, amplectimur, sic credimus, atque ita sentimus.

VII.

VII. AD OMNES ARCHIEPISCOPOS, EPISCOPOS, ABBATES, &c.

De canonizatione sancti Dominici.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, & dilectis filiis abbatibus & prioribus, archidiaconis, decanis, præpositis, archipresbyteris, & aliis ecclesiarum prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

FOns sapientiæ Patris dominus noster Iesus Christus, cujus natura bonitas, opus misericordia, redimens & renovans quos creavit, qui vineam, quam de Ægypto transtulit, usque ad consummationem sæculi non relinquit, sapienter signa propter instabiles mentes innovat, & mirabilia contra diffidentiam incredulitatis immutat, dum in ecclesiæ nascentis exordio post obitum Moysi, videlicet finem legis, ascensurus equos in evangeliorum quadrigis, quæ vere sunt sanitas, arcu sacri eloquii, quem, donec Iudæus infirmetur, intenderat, & juramentis, quæ in patribus nobis disposuerat, suscitatis, confidentiam Iericho, gloriam mundi, quem prædicationis fremitu obstupefactis gentibus vicerat, calcaturus, viam equis suis in mari faceret, & in Rahab salutem latitudinis gentium signo coccineo figuraret, in prima quadrigarum quatuor egredientium in Zacharia de medio duorum montium æreorum protulit equos rufos populorum principes, fortes terræ, qui per obedientiam fidei Deo Abraham patris credentium in fundamentum novi fœderis adhærentes, ad ducis instar tinctis de Bosra, id est tribulationis angustia, vestibus, cuncta suæ signa militiæ rubricarunt, ut pro futuræ gloriæ gaudio præsentem gladium non timentes, effecti martyres, id est testes novæ legis, libro confessionis voce subscriberent, & forinsecis miraculorum signis ad stipulationum robur appositis, librum & tabernaculum, quod Deus & non homo fixit, ac evangelici vasa ministerii non brutorum, sed rationabilium hostiarum sanguine tingerent, & in universam spatiosi maris faciem sagenæ prædicationis expansa, multiplicatam super numerum de cunctis quæ sub cælo sunt nationibus ecclesiam congregarent. Sed quia præsumptio multitudinem, & malitia subsecuta est libertatem: in quadriga secunda, sub colore qui lugentibus ac pœnitentibus congruit, equestrem cuneum deputavit, qui ad claustrale desertum ductus per spiritum, sub novi Israëlis auriga sanctissimo Benedicto, velut sub altero Elisæo, filiis prophetarum communis vitæ bonum, occasione multitudinis perditum, injucundæ cohabitationis grata societate restituit, & sic unitatis scissum rete reficiens, ac per opera pietatis ad terram Aquilonis, unde omne malum panditur, proficiscens, eum fecit in ingressis thesauros nivis & contritis corde quiescere, qui dedignatur in corpore subdito peccatis habitare.

Post quos quasi lassum renovaturus exercitũ, & redditurus jubilum post lamentum: applicitis ad quadrigam tertiam equis albis, fratribus Cisterciensis ordinis & Florensis, velut tonsarum greges geminæ caritatis fetibus uberes, de pœnitentiæ lavacro fecit ascendere, sancto Bernardo ariete ovium in virtute spiritus, qua ex alto indutus extitit, & in abundantia frumenti vallium præeunte, ut transeuntes liberati per eum in fortitudine clament ad Dominum, dicant hymnum, & ponant castra Dei exercituum super mare.

Novo igitur Israële his tribus agminibus, turmis totidem, quas Philisthiim fecerant, occurrente hora undecima, cum dies jam declinasset ad vesperum, &

A propter iniquitatis abundantiam caritate plurimum frigescente vergeret justitiæ radius ad occasum: quia vineam, ad quam paterfamilias operarios diversis temporibus denarii conductos conventione præmiserat, & quam sua dextera plantarat, non solum vitiorum vepres & spinæ pervaserant, sed jam propemodum vulpeculæ demolientes convertere in alienæ vitis amaritudinem intendebant: adversus infestissimam multitudinem militiam adunare voluit promptiorem, &, sicut impræsentiarum cernimus, post trium signis differentium tirocinia quadrigarum, in quadriga quarta equos varios & robustos Prædicatorum & Minorum fratrum agmina cum electis ducibus simul in prælium directurus, spiritum S. Dominici suscitavit, B & ei velut equo suæ gloriæ præbens fidei fortitudinem & fervorem, Divinæ prædicationis hinnitum circumdedit collo ejus. Qui gerens a pueritia cor senile, ac in mortificatione carnis eligens vivere, vitæ requisivit autorem: & Deo dedicatus, ac in Nazaræum sub beati Augustini regula consecratus, sedulum circa sancta Samuëlis imitatus obsequium, in castigatione desiderii piissimum Danielis continuavit affectum. Iustitiæ semitas & sanctorum vias strenuus athleta custodiens, & vel ad momentum de tabernaculo Domini, de militantis ecclesiæ magisterio & ministerio non discedens, carnem spiritui, & sensualitatem subjiciens rationi, & factus unus cum Deo spiritus, totus in eum per excessum mentis pergere studuit, & C sobriæ compassionis studiis a caritate proximi non recessit: quo fagittante delicias carnium, & fulgurante mentes lapideas impiorum, omnis hæreticorum secta contremuit, omnis ecclesia fidelium exultavit. Ætate crescente crevit & gratia: quandoquidem inexplicabile gaudium de zelo concipiens animarum, ad eloquia Dei dedit animum, & per evangelium Christi multos generans, in conversione tam strenuæ multitudinis evangelicæ dignitatis officium profitentis nomen & opus in terra meruit obtinere majorum: pastor & dux inclytus in populo Dei factus, novum Prædicatorum ordinem instituit meritis, ordinavit exemplis, nec miraculis confirmare desiit evidentibus & D approbatis. Nam præter opera sãctitatis & signa virtutis, quibus in carne positus claruit, diversorum curatis languoribus, loquela mutis, visu cæcis, surdis auditu, gressu paralyticis, & sanitate pristina multarũ generibus invaletudinum restitutis, aperte patuit, qualis spiritus in ejusdẽ sanctissimi gleba corporis habitavit.

Cum igitur ex multa familiaritate, quam nobiscum in minori constitutis o[illegible] habuit, argumenta sanctitatis ipsius ex insignis vitæ testimonio constitissent, essetque postmodum de miraculorum veritate dictorum facta nobis per testes idoneos plena fides: nos cum commisso nobis grege Domini confidentes ejus posse suffragiis per Dei misericordiam E adjuvari, ut cujus in terris solatium gratiosæ familiaritatis habere meruimus, ejus in cælis potenti patrocinio gaudeamus: ipsum de fratrum nostrorum consilio & assensu, ac omnium tunc apud sedem apostolicam consistentium prælatorum, catalogo sanctorum adscribere decrevimus: statuentes firmiter, ac universitati vestræ præsentibus injungentes, ut Nonis Augusti, ante diem quo posita carnis sarcina dives meritis penetravit in sancta, similis sanctorum factus in gloria, ejus natalitia celebretis, & faciatis solenniter celebrari: quatenus ejus precibus Deus, quem vivens coluit, exoratus, gratiam in præsenti sæculo & gloriam nobis tribuat in futuro. Nos vero tanti confessoris venerabilem sepulturam, quæ miraculorum fulgoribus generalem illustrat ecclesiam, cupientes dignis Christianæ devotionis honoribus frequentari, vere pœnitentibus & confessis, illam in festivitate præ-

fata annis singulis cum devotione ac reverentia debita visitantibus, de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus autoritate confisi, annum unum de injuncta sibi pœnitentia misericorditer relaxamus.

Datum Reate tertio Idus Iulii, pontificatus nostri anno octavo.

VIII. AD ANGLOS.

De negotiis terræ sanctæ promovendis.

Gregorius episcopus servus servorum Dei universis Domini nostri Iesu Christi fidelibus per regnum Angliæ constitutis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Rachel suum videns in verę fidei cognitione principium accrescentium in salutem, & filiorum dexteræ pia mater sancta Romana ecclesia, cujus magna est quasi mare de suæ prolis internecione contritio: vocem lamentationis, fletus & luctus emisit hactenus, & emittit, quam audiri cupimus in excelso: ut per diem & noctem fidelium oculi doloris lacrymam deducentes non taceant, & donec misereatur Dominus non quiescant. Lamentatur autem, quia domus cælestis panis, mons Sion, unde lex exiit, civitas regis magni, de qua dicta & scripta multa gloriosa, terra quam Dei Filius fuso pro nobis suo sanguine consecravit, regni robur perdidit & fortitudinem. Flet, quia quondam libera, sub impio tyrannidis jugo cogitur ancillari. Luget, quia ubi pacem multitudo cælestis militiæ cecinit, ibi pressura gentis immundissimæ scandalorum spurcitie, abominabiles simultates & schismata suscitavit: ac innovans exordia præliorum, misit ad desiderabilia manum suam, & sacrorum ordinum pias leges, & ipsius naturæ jura relegans a templo Domini, diversis ibidem spurcitiis detestabilibus & ignominiosis vitiis introductis turpiter in suo stercore computrescit. Et ideo Ierusalem in suis derisa sabbatis obsurduit, quasi polluta menstruis suos inter inimicos. Nam licet dudum carissimo in Christo filio nostro Friderico Romanorum imperatori semper augusto, Ierusalem & Siciliæ regis illustri, civitas eadem, præter templum Domini, fuerit restituta: tamen quia Deus omnipotens tunc magnificentius agere cum populo suo Christiano non adjecit, Imperator prædictus treugas init cum Soldano: quarum terminus [illegible] est vicinus, quod tempus medium præparationi [illegible] sufficere creditur, nisi ad quæque necessaria per promptitudinem, spem, & fervorem fidei, festinetur. Ad ejus ergo succursum, nullum tædeat peregrinari, & pro patria certare cum spe victoriæ, pro corona mori, pro vita, pro illo sustinere dura & tristia, qui confusione concepta, sputo conspersus, cæsus alapis, flagellis afflictus, coronatus spinis, coram Pilato sisti tamquam multorum criminum reus pertulit; crucifixus ad ultimum, & potatus felle, lancea perforatus, emittens cum clamore valido spiritum, pro conditionis humanæ viribus reparandis, cursum præsentis vitæ saturatus iniuriis consummavit. Hic est, ut repetamus altius, qui de paterno solio gloriæ, cælis mirabiliter inclinatis, ad nostræ mortalitatis ima descendens, non dedignatus est Deus homo, creator fieri creatura, suscipere Dominus formam servi: ut qui non poteramus per nostram iustitiam sperare veniam, consecuti per hæc gratiam inauditam, heredes Dei, coheredes vero Christi, Divinitatis consortium, felicitatis æternæ participium sortiremur. Et licet per gratiam adoptati, quotidie causas ingratitudinis cumulemus: ipse tamen abundat in divitiis bo-

A nitatis, dum propter diversitatem voluntatum, virium facultatem delinquentibus, diversa pro tempore satisfaciendi genera contulit, varia medendi languentibus remedia suscitavit: dum terram, in qua nasci, mori, & resurgere voluit, tamdiu ad exercitationem fidelium ab infidelibus detineri permittit: cum non sit abbreviata manus Domini, nec virtus eius in aliquo diminuta, quin eam, sicut fecit cuncta de nihilo, liberare valeat in momento. Sed illas compassionis & dilectionis gratias exquirit ab homine, quibus, ad omnis consummationis finem legisque plenitudinem ostendendam, ipse prior homini perdito & damnato voluit miseratus adesse: qui nullatenus permisisset manus impias contra pios usque adeo roborari, nisi &
B suam vindicari de nostra confusione providisset injuriam, & servari nostram de sua victoria disciplinam. Sub hac occasione delicati plurimi satisfacere pro modo criminum non valentes, nec volentes, velut in profundo malorum penitus desperassent, nisi occurrisset eis hæc tabula: ut per hoc compendium suis peccatis pro Christo animabus consummati, breviter multorum temporum spatia complevissent. Multi etiam invenire locum, ubi steterunt pedes Domini, cupientes, prius ad bravium sine cursu, vel potius ad coronam sine gladio pervenerunt: illo suum remunerante militem, qui solam considerat in oblatione voluntatem. Vt autem propter præmissa fideles efficaciter & potenter
C excitentur: nos de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli apostolorum autoritate confisi, ex illa quam nobis Deus, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestatem, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint & in expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus veraciter fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in personis propriis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis, juxta facultatem & quantitatem suam, viros idoneos destinaverint; & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Hujus quoque remissionis volumus & concedimus esse
D participes, juxta quantitatem subsidii & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt. Personas quoque ipsorum & bona, ex quo crucem susceperunt, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus: necnon & eadem sub archiepiscoporum, & omnium prælatorum ecclesiæ Dei defensione consistant. Statuentes ut, donec de ipsorum obitu vel reditu certissime cognoscatur, integra maneant, & secura consistant. Porro ecclesiarum prælati, qui in exhibenda justitia crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciāt se graviter puniendos. Quod si quisquam contraire præsumpserit, per ecclesiarum prælatos, appellatione postposita, censura ecclesiastica compescatur. Si qui vero proficiscentium illuc, ad præstandas usuras juramento tenentur astricti: creditores eorum per eccle-
E siarum prælatos, ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus. Iudæos vero ad remittendas ipsis usuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem: & donec illis remiserint, ab universis Christi fidelibus, tam in mercimoniis quam in aliis, per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. His vero qui Iudæis debita solvere nequeunt in præsenti, sic principes sæculares utili dilatione provideant: quod post iter arreptum, usquequo de ipsorum obitu vel

Iisdem verbis utitur Innocentius III. in concilio Lateranensi IV.

vel reditu certissime cognoscatur, usurarum non incurrant incommoda: compulsis Judæis proventus pignorum, quos interim perceperunt, in sortem, expensis necessariis deductis, computare: cum hujusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii: quia solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Vt autem terræ sanctæ subsidium divisum in plurimos facilius impendatur, obsecramus omnes & singulos per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum solum verum æternum Deum, postulantes vice Christi, pro Christo, ab archiepiscopis & episcopis, abbatibus & prioribus, & tam cathedralium quam aliarum conventualium ecclesiarum capitulis, & clericis universis, necnon civitatibus, villis, & oppidis, competentem numerum bellatorum cum expensis necessariis, secundum proprias facultates, in succursum terræ sanctæ alacriter destinare. Et si ad hoc, unum quodlibet non sufficiat, plura conjungantur in unum, quia pro certo speramus quod personæ non deerunt, si expensæ non defuerint: postulantes hoc ipsum a regibus & principibus, comitibus & baronibus, aliisque magnatibus, qui forsitan per seipsos personaliter non accesserint ad obsequium Crucifixi. A civitatibus vero marinis navale subsidium postulamus. Clericis vero ad hoc negotium necessariis providimus indulgendum: ut, omni contradictione cessante, beneficiorum suorum proventus propter hoc valeant ad triennium pignori obligare: ita tamen quod illi, quibus committendos duxerint vel etiam obligandos, infra præscriptum tempus cum ea integritate proventus percipiant antedictos, cum qua ipsi eos perciperent, si in ecclesiis, in quibus ipsos obtinent, personaliter residerent. Quia vero subsidium terræ sanctæ multum impediri vel retardari contingeret, si ante susceptionem crucis quemlibet examinare oporteret, an esset idoneus & sufficiens ad hujus votum personaliter prosequendum: concedimus, ut (regularibus personis exceptis) suscipiant quicumque voluerint signū crucis. Ita quod si urgens necessitas aut evidens utilitas postulaverit, votum ipsum de mandato apostolico possit commutari, aut redimi, aut differri. Vniversis autem ecclesiarum prælatis districte præcipimus, ut singuli per loca sua illos qui signum crucis deposuerunt, resumere, ac tam ipsos quam alios Crucesignatos, & quos adhuc signari contigerit, ad reddendum Domino vota sua diligenter moveant & inducant. Cæterum, quia cursarii & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo & spoliando transeuntes ad illam, & ab illa revertentes: nos eos & principales adjutores & fautores, excommunicationis vinculo innodamus, sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis cum eis scienter communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, injungentes rectoribus civitatum & locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare perversos, nihil aliud est quam fovere; nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare: nos in personas & terras eorum, severitatem ecclesiasticam curabimus exercere: cum tales, non minus quam Saraceni, adversentur nomini Christiano. Innovamus præterea excommunicationis sententiam, in Lateranensi concilio promulgatam adversus eos qui Saracenis arma, ferrum, & ligamina deferunt galearum, quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, vel quibuslibet aliis, aliquod eis impendunt consilium vel auxilium in terræ sanctæ dispendium: eosque rerum suarum privatione mulctari, & capientium servos, si capti fuerint, fore censemus: præcipientes, ut per omnes urbes maritimas diebus Dominicis & festivis hujus sententia publice innovetur. Et talibus gremium non aperiatur ecclesiæ, nisi totum quod de commercio tam damnabili perceperint, in subsidium terræ sanctæ transmittant, ut æquo judicio, in quo deliquerint puniantur. Quod si forte solvendo satisfacientes non fuerint, sic alias reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis interdicatur audacia similium præsumendi. Quia vero ad hoc negotium exequendum, est permaxime necessarium, ut principes & populi Christiani ad invicem pacem observent, juxta quod statutum est in concilio generali: volumus & mandamus, ut saltem per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter observetur: ita quod per ecclesiarum prælatos, discordantes reducantur ad plenam pacem aut firmam treugam inviolabiliter observandam. Et qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras arctissime compellantur: nisi tanta fuerit injuriatorum malitia, quod ipsi tali non debeant pace gaudere. Quod si forte censuram ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per autoritatem ecclesiæ contra eos, tanquam perturbatores negotii Crucifixi, sæcularis potentia inducatur. Accingantur igitur omnes filii adoptionis Divinæ ad obsequium Iesu Christi, dissensiones & lites in pacis & dilectionis fœdera commutantes: credendo firmiter, quod si vere confessi fuerint & compuncti, felici commercio laboribus suis, qui cito transeunt, æternam requiem mercabuntur.

Datum Spoleti II. Nonas Septembris, pontificatus nostri anno octavo.

Capitula a Gregorio papa IX. contra Patarenos edita.

EXcommunicamus & anathematizamus universos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur: facies quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsū. Damnati vero per ecclesiam, sæculari judicio relinquantur, animadversione debita puniendi: clericis prius a suis ordinibus degradatis. Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur. Credentes autem eorum erroribus, hæreticos similiter judicamus. Item receptatores, defensores, & fautores hæreticorum, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere: firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a sua super hoc non curaverit præsumptione cessare, ipso jure sit factus infamis: nec ad publica officia seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Qui si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti: & in similibus idem præcipimus observari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem, tales, postquam ab ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint, excommunicationis sententia percellantur: alias animadversione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspicionis qualitatemque personæ propriam innocentiam congrua

ter. IV. fine.

grua purgatione monstraverint, anathematis gladio A feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes & appellationes hujusmodi personarum minime audiantur. Item judices, advocati, & notarii, nulli eorum officium suum impendant: alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Item clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta, nec eleemosynas aut oblationes eorum accipiant: similiter Hospitalarii & Templarii, ac quilibet regulares; alioquin suo priventur officio: ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, B usque ad satisfactionem idoneam excommunicationis sententiæ se noverint subjacere: nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent, & projiciant hujusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetuo careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam laicæ personæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentes: eos studeat indicare confessori suo, vel alii per quem credat ad prælati sui notitiam pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur. Filii autem C hæreticorum, receptatorum, & defensorum eorum, usque ad secundam generationem ad nullum ecclesiasticum officium seu beneficium admittantur: quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane.

Datum Viterbii VI. Idus Novembris, pontificatus nostri anno IX.

IX. AD PRIOREM FRATRUM ORDINIS PRÆDICATORUM IN LOMBARDIA.

Prædicatores constituit executores suæ constitutionis contra hæreticos editæ.

D *Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio priori provinciali fratrum ordinis prædicatorum in Lombardia, salutem & apostolicam benedictionem.*

ILle humani generis pervicax inimicus, omnium malorum incentor, quem de supremis ad ima superbia sua prostravit, non contentus quod suæ fraudis nequitia hominem perduxit ad casum, ærumnis & miseriis applicandum, callide eum nititur pestiferis retibus irretire: astute sibi parans insidias ne resurgat, locum a quo ceciderat obtenturus. Novissime autem diebus istis, fidem nisus perfidia depravare per ministros suos iniquitatis operarios, venena spargit mortifera; seditiose considerans quod familiaris hostis sit efficax ad nocendum, qui quasi dulcia præmittentes, cauda pungunt ut scorpio, in aureo tandem calice Babylonis virus pestilentiæ infusuri. Licet enim hæretici hactenus diutius latitantes sicut cancer serperent in occulto, & velut vulpes lætarentur vineam Domini sabaoth demoliri: jam tamen peccatis exigentibus, in aperto, quasi equi parati ad prælium, præsumunt manifeste insurgere contra eam, in quibusdam locis publice prædicando, quærentes in cibum simplices, & in prædam indoctos, ac illaqueare nihilo minus fideles quoslibet suis circumventionibus cupientes, facti magistri erroris qui nunquam fuerunt discipuli veritatis. Unde expedit quod insurgant viriliter contra eos, ut, eorum omnino hæresi confutata, per totum vigeat fides Christi: nam corona sequitur præmii tentationibus resistentes. Cum igitur dudum resplenduerit in partibus Lombardiæ fida fides, ac per hoc formidemus ibi potius animalia venenosa, ne forte simplices, ipsorum callidis seductionibus circumventi, & astuti pravis circumventionibus periculose decepti, in profundum deveniant peccatorum, sicque violetur ibidem fidei firmamentum: nos, qui circa horam undecimam inter operarios, imo verius supra operarios vineæ Domini sumus a patrefamilias evangelico deputati, moniti voce sponsi capere vulpes parvulas, quæ demoliri vineam Domini moliuntur, & tacti dolore cordis intrinsecus, non valentes sustinere tantam contumeliam creatoris, ac volentes tot animarum periculis obviare, discretionem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, per apostolica tibi scripta sub Divini obtestatione judicii districte præcipiendo mandantes, quatenus aliquos de fratribus tuis tibi commissis, in lege Domini eruditos, quos ad hoc esse noveris idoneos, ad partes tibi secundum tuum ordinem limitatas transmittas, qui clero & populo convocatis generalem prædicationem faciant, ubi commodius viderint expedire: & adjunctis sibi discretis aliquibus ad hæc solicitius exequenda, diligenti perquirant solicitudine de hæreticis & etiam infamatis: & si quos culpabiles vel infamatos repererint, nisi examinati velint absolute mandatis ecclesiæ obedire, procedant contra eos juxta statuta nostra contra hæreticos noviter promulgata; in receptatores, defensores, & fautores hæreticorum secundum eadem statuta nihilo minus processuri. Si vero aliqui hæretica labe penitus abjurata ad ecclesiasticam redire voluerint unitatem, ipsis juxta formam ecclesiæ beneficium absolutionis impendant, & injungant eis quod talibus consuevit injungi. Attentius provisuri, ne qui videntur reverti, sub palliata specie pietatis impietatem committant, & angelus satanæ in angelum lucis se transformet. Propter quod statuta, quæ super hoc duximus promulganda, inspicere poterunt, & ab eorum insidiis secundum discretionem eis traditam a Domino præcavere. Ad hæc, ut super præmissis omnibus officium sibi commissum liberius possint & efficacius exercere: omnibus qui ad prædicationem eorum accesserint in singulis stationibus viginti dies, illis vero qui ad impugnandum hæreticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, in munitionibus & castellis, vel alias contra ecclesiam rebellantes, ipsis ex animo auxilium, consilium præstiterint, vel favorem, de omnipotentis Dei misericordia & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus autoritate confisi, tres annos de injuncta sibi pœnitentia relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione hujusmodi negotii forte decesserint, eis omnium peccatorum, de quibus corde contriti ac ore confessi sunt, plenam veniam indul- E genius. Nec vero aliquid fratribus ipsis desit ad prædictum negotium prosequendum, in contradictores & rebelles ecclesiasticam proferendi censuram tenore præsentium liberam eis concedimus facultatem. Prædicatores quoque quæstuarios, quorum interest caritativa tantum subsidia simpliciter petere, ac indulgentiam, si quam forsan habent, exponere: a prædicationis officio, quod ad ipsos nullatenus pertinet, compescendi censura simili, eisdem nihilo minus licentiam indulgemus.

Datum Viterbii decimotertio Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno undecimo.

X. AD

X. AD ARCHIEPISCOPUM BREMENSEM, &c.

De monasterio sanctæ Mariæ in Stadio.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Bremensi archiepiscopo, & dilectis filiis decano & Ioanni Beversak, canonicis Bremensibus, salutem & apostolicam benedictionem.

DEsideria devotorum, in quibus fructus æternæ vitæ contineri dignoscitur, eo promptioribus ad effectum per nos sunt deducenda studiis, quo super talibus exequendis nobis inesse debet diligentia specialis. B Hinc est quod cum monasterium sanctæ Mariæ in Stadio, ordinis sancti Benedicti, Bremensis diœcesis, sicut accepimus, sit peccatis exigentibus ita dispositum, quod evidenter ibidem non absque Divini numinis offensa salus negligitur animarum: ad preces abbatis ejusdem monasterii super hoc salubriter providere volentes, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum, si salubriter in suo non possit ordine reformari, de Cisterciensi ordine consilium habendo præ oculis reformare curetis, illos ex iisdem monachis, qui forte meliorationis hujusmodi gratiam consequi recusantes noluerint habitum Cisterciensem assumere, in aliis locis sui ordinis collocando, C contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescatis. Quod si non omnes his exequendis interesse poteritis: tu, frater archiepiscope, cum altero eorum nihilo minus exequaris.

Datum Viterbii secundo Nonas Maii, pontificatus nostri anno undecimo.

XI. AD OTTONEM CARDINALEM LEGATUM IN ANGLIA.

Fridericum secundum imperatorem excommunicat, & excommunicationem publicari jubet.

Gregorius episcopus servus servorum Dei dilecto filio suo Ottoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem. D

SEdes apostolica, sicut totus fere orbis facti evidentia didicit, Fridericum dictum imperatorem, ex quo ipsum ex utero matris excepit genibus, affectu materno prosequens, lactavit uberibus, & humeris bajulavit: quem olim omni pene destitutum auxilio, & dubiis tantum derelictum eventibus, suo recepit patrocinio confovendum: opponens se potenter invasoribus regni sui, qui in terram ejus oculos aviditatis injecerant. Cujus jam fines ingressi, eam absque ullo defensionis obstaculo usurpabant: & defendens eumdem ab insidiantibus vitæ suæ, qui æmuli saluti ipsius, conabantur animam ejus extinguere, & de terra ipsius memoriam abolere. E Cumque idem protectionis ecclesiasticæ clypeo præmunitus, personæ regni sui bonæ memoriæ G. de Gualganem, tituli sancti Anastasii, presbyteri cardinalis, a sede apostolica per multos annos deputati custodis, majoris metas attigisset ætatis, tandem ad altioris dignitatis apicem per eam extitit sublimatus. Sed diligentiæ studium circa personam ejus impensum, labores plurimos quos ecclesia subiit propter eum, quoad ipsum perdidisse videtur: cum tot beneficiorum sit immemor, tantæ gratiæ sit ingratus. Et utinam illius ingratitudinis non excederet terminos, per quam percepto-

A rum bonorum existeret negatione contentus. Porro licet offensa quælibet aculeos doloris importet: illa tamen jaculo graviori percellit, in qua ingratitudo pro gratia rependitur, & pro beneficiis maleficia compensantur. Verum quamtumcumque ipsum apostolica sedes dilexerit, & supremæ culmine potestatis erexerit sæcularis: suis tamen exigentibus culpis, de quibus, quamquam pluries a nobis monitus satisfacere non curavit, coacti sumus, licet inviti, animadvertere in eumdem. Nam etsi Adam Divina providentia excellentia dignitatis, & autoritatis extulerit, cui omnia animantia terræ subjecit: quia tamen sui jussa præterit plasmatoris, ejus excessibus non pepercit. Quæ autem a dicto Friderico pro tot bonis sibi collatis ecclesia retributionis præmia reportarit, discretionem tuam volumus non latere, pauca de multis præsenti pagina declarando. In Urbe siquidem gravem movit seditionem: exinde nos & fratres nostros totis viribus nisus excludere, ut sic apostolicæ sedis honorem deprimeret, ac libertatem ipsius penitus conculcaret, contra juramenta præstita temere veniendo: & venerabilem fratrem nostrum Prænestinensem episcopum, dum ipsum ad partes Albigensium disponeremus pro corroboratione fidei catholicæ destinare, per quosdam suos fideles in via impediri mandavit. Cathedrales etiam ecclesias, & alias vacantes regni sui, nequaquam ordinari permittit, in animarum periculum, & grave detrimentum ipsarum. Eas & quasdam alias nihilo minus spoliando fere omnibus bonis suis, & tallias ac exactiones indebitas prælatis, religiosis, & aliis clericis sæcularibus imponendo. Nobilibus, pauperibus, orphanis & viduis usque ad inanitionem extremam deductis, eos ad modicum dura & crudelis exactorum suorum acerbitas non patitur respirare: & sic totum fere regnum, quod est spirituale patrimonium beati Petri, pro quo juramento fidelitatis apostolicæ sedi tenetur, & ipsius ligius vassallus existit, quantum in eo est, in favillam quasi & cinerem jam redegit. Quod si, postquam monitus fuerit a nobis, non duxerit corrigendum, nos super hoc, autore Deo, sicut expedire videbimus, procedemus. Insuper negotium impedit terræ sanctæ, necnon etiam imperii Romaniæ. Præterea cum tempore concordiæ inter ipsum & ecclesiam reformatæ, in manibus sedis apostolicæ legatorum juraverit ecclesiæ præceptis obedire, & ipse mandatum ab eis receptum, quod terram ecclesiæ, vel terras eorum, quas tunc ad suas manus tenebat, aut ipsorum personas nullatenus caperet, occuparet; sive etiam devastaret, adimplere contempsit, terram ecclesiæ occupando: videlicet in Lombardia; Ferrariam, Bononiam, * Pingnogoman, terram quidem Sardiniæ & Messanensem, Lucanensem, diœceses capiendo, & dejiciendo illos quos ad manus suas ecclesia reservavit, & devastando terras ipsorum, licet extunc in eum præsentem ipsi legati excommunicationis sententiam tulerint, si super his non faceret quod mandarent. Idem etiam nepotem regis Tunicii detinet, ad Romanam curiam & ecclesiam pro percipiendo sacri baptismatis lavacro accedentem: Ac dilectum filium Petrum Saracenum, nobilem civem Romanum ex parte carissimi in Christo filii nostri illustris regis Angliæ ad sedem apostolicam missum, & filium ejus, carceri detinet mancipatos. Quia vero super his & quampluribus aliis excessibus pluries a nobis monitus, correctionis medelam non sentiens, cum suarum sint ulcera indurata culparum, quotidie deteriora committere non veretur: nos hæc absque Christi offensa præterire sub dissimulatione ulterius non valentes, de fratrum nostrorum consilio, ex parte Dei omnipotentis, (cujus

vicem in terris gerimus, licet inviti) & autoritate A beatorũ apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, in eum excommunicationis & anathematis sententiã duximus promulgandam, tradentes ipsum Fridericum satanæ in interitum carnis, ut spiritus ejus in die Domini salvus fiat: omnes, qui ei fidelitatis juramento tenentur, decernendo ab observatione juramenti hujusmodi absolutos, & firmiter prohibendo ne sibi fidelitatem observent, donec fuerit vinculo excommunicationis adstrictus. Quocirca devotionem tuam monemus, & exhortamur attente, per apostolica scripta tibi præcipiendo mandantes: quatenus prædictam excommunicationis & anathematis sententiam, singulis diebus Dominicis & festivis, pulsatis campanis & candelis accensis, solenniter publicari, ac absolu- B tionem & inhibitionem nunciari procures, & facias per totam terram tuæ legationis modo simili publicari, & etiam nunciari. Mandatum nostrum taliter impleturus, quod devotio tua possit exinde merito commendari. Cæterum cum præfatus Fridericus de aliis magnis & gravibus sit plurimum infamatus criminibus: nos, dante Domino, super his suo loco & tempore procedemus, prout in talibus negotiis natura requirit. Verum, quia terroris sonitus semper est in auribus impiorum, & etiam quando pax est insidias suspicantur, eo quod turbata conscientia semper sæva præsumit: idem Fridericus, priusquam sententia excommunicationis lata esset in ipsum, quasdam fratribus nostris decrevit litteras transmit- C tendas pro parte inferius annotatas: quæ post eamdem latam sententiam ipsis præsentatæ, ad nostram & eorumdem notitiam pervenerunt. Unde quia voluit Dominus occulta cordis ejus detegere, qui manifestat abscondita tenebrarum, & cordium secreta revelat: ex ipsarum litterarum tenore colligitur, quam gerat devotionem ad Romanam ecclesiam matrem suam; quam ad summum pontificem ac fratres ejus ac sedem apostolicam reverentiam habeat, cujus, ratione regni, vassallus existit. Contra nos enim & ipsos conspirasse videtur: ex quo, quantum & quale crimen incurrerit, satis patet. Inter cætera vero, quæ sua continebat epistola, hæc habebantur inser- D ta: Propter quod non indigne dolemus, si pater apostolicus offendere tam graviter nos intendat, ut dum in constantem virum tam vehemens cadit injuria, etsi patienter ferre velimus, immanitas negotii non permittat, quin ad ultiones, quibus Cæsares uti solent, facti violentia nos impellat. Verumtamen dum consideramus impatientiam procedentis, & difficultatem attendimus offensoris: si ex æquo liceret privatas exercere vindictas, quas in hominem, per quem scandalum venit, & in sui participes sanguinis, compensare possemus, ut in ipsum & suos attentata nostræ sedis injuria redundaret, tolerabilius duceremus. Sed cum nec ipse, nec tota propter hoc sua E passura progenies, tanti forent, ut culmen imperii zelaret ultionem ipsorum: cumque sedis autoritas, audaciæ sibi frena relaxet, & tot venerabilium fratrum moles eum in concepta fovere pertinacia videatur: angit nos altiori mente turbatio, quod dum nos intendamus a persequente defendere, oporteat nos defendendo gravius offendere resistentes.

Datum Laterani, tertio Idus Aprilis, pontificatus nostri anno decimotertio.

XII. AD ARCHIEPISC. CANTUAR. ET SUFFRAGANEOS EIUS.

Vitam, mores, ingratitudinem, impietatemque Friderici secundi imperatoris insinuat, & causas exprimit, propter quas sedes apostolica, post multam cunctationem, ad vindictam tandem faciendam, vel sero, serio tamen surrexerit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus archiepiscopo Cantuariensi, & suffraganeis ejus, salutem & apostolicam benedictionem.

Ascendit de mari bestia, blasphemiæ plena nominibus: quæ pedibus ursi, & leonis ore desæviens, ac membris formata cæteris sicut pardus, os suum in blasphemias Divini nominis aperit, tabernaculum ejus, & sanctos qui in cælis habitant, similibus impetere jaculis non omittit. Hæc unguibus & dentibus ferreis cuncta confringere, & suis pedibus universa desiderans conculcare, fidei occultos olim paravit arietes: & nunc apertas machinas instruit Ismaëlitarum, gymnasia animas avertentia construit, & in Christum humani generis redemptorem, cujus testamenti tabulas stylo pravitatis hæreticæ nititur abolere, fama testante, consurgit. Igitur admirari desinite omnes, ad quos ab hac bestia contra nos edita pervenerunt obloquia blasphemiæ, si nos omni Deo servitute subjecti detractionum sagittis impetimur: cum nec ab his opprobriis immunis Dominus relinquatur. Admirari desinite, si injuriarum in nos mucronem exerit, qui ad perdendum de terra nomen Domini jam assurgit: sed potius, ut ejus resistere aperta veritate mendaciis, ac illius confutare fallacias puritatis argumento possitis, caput, medium, & finem hujus bestiæ Friderici dicti imperatoris inspicite diligenter: & in ejus verbis abominationes dumtaxat invenientes & scelera, contra ipsius dolos, sinceros animos scuto veritatis armate; attendentes qualiter sinceritatem apostolicæ sedis, & nostram, litteris per diversa climata mundi transmissis, pollutis nisus est maculare narratibus. Dictus Fridericus, figulus falsitatis, modestiæ nescius, nec aliquo perfusus rubore, mentitur quod nos ipsum, nobis in minori officio constitutis, amicum pristinum, fidem & mores, adepto apostolatus officio, relinquentes, quia, sicut sacramento præstito, & lata in ipsum excommunicationis sententia tenebatur, præfixo tempore in terræ sanctæ subsidium vel succursum infirmitate non potuit prohibente transire, vinculo excommunicationis adstringere, postulatum ab ipso sanitate resumpta absolutionis beneficium denegare, ipsumque in dictum transeuntem subsidium, per nuncios & legatos nostros processui suo contrarias Soldano mittentes, impedire curavimus, ut sic esset de regni Hierosolymitani recuperatione concepta frustratus: regnum Siciliæ, pro eo quod Reinaldus olim filius ducis Spoleti, præter ipsius cõscientiam, terram invasit ecclesiæ, nos injuste & violenter intrasse, ac ipsius homines provocasse ad perjurium, falso conqueritur. Seque de Syria in Apuliam redeuntem, illatæ injuriæ omisisse vindictam, acceptasse concordiam, & rediisse ad matrem ecclesiam gloriatur. Licet autem hæc figmenta, publica notitia reprobet: quia tamen nonnunquam rectitudinis sedem velatum occupat in aure sincera mendacium, apud quam pro se veritas non invenit advocatũ: ne in corda vestra falsitas quacumq; possit fraude subrepere, dignum est vos rei per nos gestæ modum & ordinem non latere, qui dictum Fridericum, ante & postquam apostolicæ nostros subjecimus humeros servi-

servituti, sub vulpe latentem omni curavimus gratia A prosequi: donec spe, quæ patri de filio solet innasci, sublata, idem Fridericus fremens in magnitudine sua, & ex adepta fortitudine infrunitus, matri ecclesiæ pro bonis mala retribuit: & in eam, quam fucatis delinivit aliquando verborum fallaciis, virus effundere caudæ aculeo, more scorpionis, incepit. Nam cum olim terræ sanctæ necessitas, prædicta sententia, & juramentum, ac præfixus terminus, transitum ejus exposcerent, & illud idem multa millia Crucesignatorum ipsum Brundusii expectantia cum instantia postularent: idem dictos Crucesignatos inibi, donec sub ignoti aëris intemperie diversis lugendæ mortis casibus periere, detinuit, & perjurium ac excommunicationis sententiam gratis incurrens, infirmus fide, sed sanus corpore, ut securius Deo mentiretur, & ecclesiam B falleret, omisso promisso passagio, in lecto ægritudinis diebus aliquot simulatus decubuit, ac terram sanctam incursibus hostium Christi exponere minime dubitavit: ex eo nullo dolore percussus, quod ibi claræ memoriæ nobilis vir Turingiæ Langravius, utinam non veneni periculo, sicut mundus clamat, extitit interemptus. Cumque de conficta ægritudine, & aliis præmissis, nobis per litteras prælatorum ibi morantium constitisset: ne, disciplinæ virga tanto subtracta facinori, nos & apostolica sedes redderemur inde notabiles, Crucesignatorum mortem & terræ sanctæ pericula deplorantes, & cupientes, saltem in altero, ecclesiæ lacrymas mœroris dextra debitæ consolationis abstergi, ipsum latæ in eum de consensu suo autoritate bonæ memoriæ Ho- C norii papæ prædecessoris nostri excommunicationis sententiæ subjacere denunciavimus: summo desiderio postulantes, ut eum postmodum in emendationem tantorum & talium damnorum optatam præstare operam audiremus; litteris nostris offerentes eidem, quod impartiremur sibi, juxta formam, absolutionis beneficium, quam cito arriperet iter in præfatæ terræ succursum. Sed ipse, in cujus erat super his pectore cura minor, claves ecclesiæ parvipendens, non absolutus in Syriam transiit. Ubi cum Soldano, solis sibi mœniis Ierusalem restitutis, & illi grandi ad impugnationem Christianorum transmisso equorum & armatorum exercitu, sexennale fœdus feriens, & templum Dominicum Saracenorum ibi laudes excla- D mantium Machometi curæ relinquens, ex defensore mutatus in hostem, venerabilem fratrem nostrum patriarcham Hierosolymitanum & Templarios pro viribus expugnavit. Illud autem non debet ad sanæ mentis credulitatem accedere, quod eum in recuperatione regni Hierosolymitani nos vel legati nostri, cum ad hoc multo labore sudaverit, grandiumque ecclesia subierit onera expensarum, studuerimus impedire. Sed istud in notitiam omnis terræ pervenit, quod idem Fridericus, sicut in Syriæ partibus in propria persona Dei persequebatur ecclesiam, sic citra mare ipsam diversis tribulationibus dicti Reinaldi ministerio, quem contra consilium nostrum E suum in regno vicarium reliquerat, affligebat. Cujus terram cum litteris aurea bulla munitis, pecunia, & vassallis ipsius Friderici, præfatus Reinaldus invadens, nonnullos sacerdotes & clericos suspendere, mutilare, ac fustibus cædere: necnon, statu nostro turbato Perusii, partem ipsius terræ præoccupare præsumpsit. Quem licet fideles & devoti nostri, non valentes id ulterius sustinere, a parte terræ prædictæ, Christo sponsæ suæ indulgente victoriam, ejecissent: quia tamen idem Reinaldus nequaquam ab incepta persecutione cessabat, consultius æstimantes, si originalis militiæ venas inciderent, quam jam excitati torrentis impetus novis repletos rivulis expectarent: dictum regnum Siciliæ, quod est spirituale patrimonium ecclesiæ, ne inde nos percuterent jacula, unde potius erat expectandum subsidium, intraverunt: multique ex ipsius regni habitatoribus obedientes apostolicæ sedi, nequaquam ob id reputari debent perjurium incurrisse, cum a juramento fidelitatis, quod eidem Friderico præstiterant, ex lata in eum excommunicationis sententia absoluti fuissent. Dicto quoque Friderico redeunti de partibus transmarinis, & ad sinum matris ecclesiæ revertenti, pietatis apposuimus apostolicæ gremium: ipsique ad expetitam inclinati concordiam, absolutionis beneficium curavimus impartiri. Ad hæc idem mendacii filius falsitates falsitatibus cumulans, ut quo plura mendaciorum retia orditus fuerit, eo gravioribus se doleat periculis irretitum, de nobis mendacii scripturas pronuntiat: quod eidem, ut Lombardiam pacificus & inermis intraret, promittentes quod aspera sibi converteremus in plana, pro sua confusione subjecimus: & non permisimus obice nunciorum & litterarum nostrarum intentionis suæ metas attingere. Ac deinde, quia sibi potentia non suffragabatur armorum, in regnum redire coactus, ad instantiam nostram Romanos, tunc Viterbium impugnantes, diffidasse, & in Viterbiensium subsidium strenuam misisse militiam, se falso asserit: nosque scripsisse Romanis id præter conscientiam nostram fieri, & cum ipsis eo irrequisito reformasse concordiam, in querelam adducit: novo sibi blanditus mendacio, quod diffidentibus iterum ab ecclesiæ pace Romanis, idem non vocatus cum Conrado filio suo, quem nobis obtulerit obsidem, ad præsentiam nostram personaliter veniens, & arbitrio nostro motam inter ipsum & Lombardos discordiæ causam exponens, terram sedis apostolicæ occupatam ejus juri restituit, & libertatem ecclesiasticam in statum primum & debitum reformavit. O utinam iste falsidicus esset vir habens spiritum! O utinam hujus propositio falsitatis verum habuisset eventum! Ipsius vero negotium, quod per venerabilem fratrem archiepiscopum Ravennatem, de restituendis ei & dicto Conrado juribus, ipsis in regno Hierosolymitano subtractis, ordinatum fuerat, nos, quam cito delata potuit numerari pecunia, detraxisse fidelibus suis (quos non sine ecclesiarum incendiis & hominum stragibus hostilis devastabat insultus) ipsius interdixisse succursum, & ob id nos nuncium noluisse vel litteras destinare, contrarius veritati conqueritur. Ac civitatem Castellæ, contra formam pacis & fratrum consilia, in sui juris præjudicium detineri a nobis, suis exarare litteris stylo mendacii non veretur. Quamquam autem his figmentis modica veritas intermixta aliquid coloris adjiciat: ut tamen apertius intelligatis quod totam hujus commenti seriem non modica falsitatis adjectio decolorat, scitote pro certo, quod, sicut nunc ex temporum eventu convincitur, discretæ menti verisimilius videretur ipsum de Lombardis suum potius consequi propositum potuisse, si se illis, quos populorum numerositas, profunditasque vallorum, armatorum copia, ac murorum reddit altitudo munitos, pietatis parentem exhibuisset, & clementiæ dominum, quam si trementibus pro culpa imposita subditis ultionis exerto mucrone terribilis occurreret in cuneis armatorū: cui nos, qui bona pacis procurare tenemur, bona fide suasimus, ut armatæ militiæ omisso terrore, sub indictarum omissione pœnarū, & beneficiorum oblatione, illos ad imperii devotionem reduceret. Qui etsi in Lombardiam famulis stipatus militaribus accessit, quia tamen consilii fidelis oblitus, in partem Cremonensium cedens factus est schismaticus, scissamque in discordias Lombardiam fortius scindere & Mediolanenses a se

terroribus & minis abigere studuit, quos tamen ab adversa parte ad unitatem trahere potius debuit in funiculo caritatis: non est quod nostræ imputetur innocentiæ, si spe frustratus in Apuliam redit, ipso spei conceptæ interitum procurante. Post hæc super tuitione libertatis ecclesiasticæ, super extirpanda hæretica pravitate, nostris beneplacitis paratum se obtulit. Ad quem recurrens littera nostra respondit, quod cum in regno suo, ubi nullus manum vel pedem absque ejus movet imperio, in fidem catholicam hæresis latius venena diffunderet, & libertas ecclesiæ quasi penitus conculcata jaceret; non credebatur capiti salutis adhibere remedium, qui pedem suo reddiderat contractu morbosum. Sicque responsum hujusmodi lapsu modici temporis approbante, audito quod quidam pravo seducti consilio ecclesiæ terram intrare volebant: in Siciliam, quasi fuga capta, ne rupta promissio eum falsitatis argueret, protinus abiit, ac contra illos verbo vel opere in aliquo non processit, nobis improperans quod revertentes ad urbem Romanos, filios speciales ecclesiæ, ad matris dilectionem paterna curavimus diligentia revocare. Idem insuper intellecto quod illos ab ecclesiæ caritate sejungere quidam iniquitatis filii nitebantur, & excogitato quod facilius hanc & illos opprimeret, si præfatam caritatem acerbius fraude solita vulneraret: nobis tunc Reate præsentibus, ad sedem cucurrit apostolicam, etiam non rogatus. Ubi sub multa humilitate promittens quod terram ecclesiæ perditam in pristinum statum reduceret, & ipsam pro viribus defensaret: in Tuscia, ad quam vires suas contulit, recuperationem cujusdam castelli, quod ad jus ecclesiæ modico labore reduci poterat, impedivit. Et cum adhuc manus tradentis nobiscum esset in mensa, cum hostibus ecclesiæ (sicut ex consequentia facti, & litteris suis, quæ a nobis in tantæ proditionis testimonium reservantur, aperte convincitur) hoc, signo dato, inde vicarius pepigit, ut ipso certa die exinde recedente, illi ad arma consurgerent *. Ista modus pestifer devotionis obsequia præstitit. Attendite quales ecclesiæ famulatus occultus hostis impendit, qui in ecclesiasticum transformari non erubuit famulum, ut nobis ad nocendum fieret efficacior. Pro firmo tamen vos tenere cupimus, quod nos his sub dissimulatione præteritis, circa eum adhuc non permittentes immutari affectum apostolicæ puritatis, per dictum archiepiscopum, commisso sibi legationis officio, jura ei & præfato Conrado in eodem regno Hierosolymitano mandavimus subtracta restitui. Qui licet id fecerit, quia tamen formam sibi datam, propter quod ab eo ad nos extitit appellatum, excedens, terram sanctam, quod est inauditum a sæculo, post appellationem hujus sententiæ supposuit interdicto. Nos attendentes quod ob id, in maximum ejusdem terræ periculum, peregrini ex ipsa recederent, & alii inceptos ad illam transitus retardarent, dictam sententiam, quæ utpote lata post appellationem legitimam ipso jure nulla fuerat, in omnibus aliis præfati archiepiscopi intacto remanente processu sufficienti, ab ordinibus, nobilibus & comitatibus regni prædicti cautione recepta, in omni sinceritate de fratrum nostrorum consilio duximus relaxandam. Quod ergo ipse de nobis ob hoc labiis pollutis obloquitur, vester animus non turbetur: quia cum sit vas repletum vitiorum spurcitia, ea quæ ipsius infecerunt animum, putat in aliis criminum delævire tormenta. Ex quo, cum malorum opprobria laudem, laudes quoque opprobriū resonent: a viro cujus omnis lingua clamat infamiā, suggillationibus impeti eligimus multo fortius quam laudari. Sed forsan maculam opinionis suæ his credit abolere conviciis, quia se dum Viterbii moraretur inficiens, a facie hostium ecclesiæ non verecundus aufugit: & ad defensionem suorum fidelium, quos ipsius hostes in oculis ejus obsederant, & terram nullo prohibente vastarant, affirmans suum per nos ad illos interdici progressum, imperialis honoris prodigus, sed timore prohibitus non accessit: ex eo innocentiam nostram accusans, quod ad evitanda hujus belli dispendia nuncium a latere nostro non misimus. Sed nec mirum, cum eo tempore status ecclesiæ multiplici fuisset persecutorum afflictione turbatus. Venimus autem ad civitatem Castellanam, cujus cives se illi, violato sacramento fidei, ecclesia ignorante prodentes, nullum jus ei per hoc in seipsis acquirere, nullum nobis circa possessionem, cum jurisdictionem civitatis & civium quasi possideret, ecclesiam prodendo, potuerunt præjudicium generare: quia illi a quibus alteri potius quam sibi possidentibus non requiritur possessionis initium, leges possessionum evertere, & extraneis jura conferre nequeunt possessorum. Necnon qui de reddendis possessionibus ecclesiæ ratione ad eum pertinentibus pluries juramentum præstiterat, satis improvide a nobis videbatur petere, quod non poterat absque perjurio retinere. Nec credi debet, in hoc nos sibi omnimodam coram arbitris vel alio modo justitiam exhibere paratos, fratrum nostrorum despexisse consilium: quod nunciis ejus inceptum judicium recusantibus prosequi, non fuerat requirendum. Quin potius hanc petitionem ea dumtaxat fraude intentasse proponitur, ut sic ei obloquendi de ecclesia, & pacem inter ipsam & eum initam irritandi occasio præberetur. Illud quidem quod super facto imperii inter cætera sua detestabilis testatur epistola, nostris edisserit his litteris calamus: ut quo pluribus ejus fictio cognita fuerit, eo fortius ex suo maneat commento confusus: dum de nobis obtrectat, quod ad nostram translato notitiam eum ad recuperanda jura imperii cum multis bellatorum intrare millibus Lombardiam, sibi ne Italiam intraret armatus, & de negotio Lombardorum in nos præcise compromitteret, apostolico scripto mandavimus, ut illud perpetuo suspendere, vel jus imperii libere suffocare possemus, contra ipsum venerabilem fratrem nostrum Prænestinensem episcopum, per quem ejus vacuaremus propositum, transmittens, ei impedimentis clandestinis per legatos & litteras nostras per orbem undique procuratis. Iste vero, cui, ne veritatem fateri, aut enarrare possit judicium, a Divina forsan est indignatione negatum, sicut obtrectationes personæ nostræ non verecundatur ex falsis assumere: sic & excusationes suas ex similibus propositionibus non veritus ordinare, se per nuncios suos venerabilem fratrem nostrum Panormitanum archiepiscopum, & quosdam alios ad apostolicam sedem missos, devotionem omnimodam super ecclesiastica libertate & reformandis ecclesiæ & imperii juribus obtulisse: nosque id attentantes & promittentes a cujuslibet ipsius impedimento cessare, nunciis suis ad eum redeuntibus, dilecto filio Gregorio de Montelongo, notario nostro, in suorum eversionem fidelium, legationis officium commisisse, asserit. Ipsoque nihilo minus præfatos archiepiscopum & alios nuncios suos ad sedem apostolicam remittente, & offerente satisfactionem omnimodam, nos eum, contradicente saniore parte fratrum nostrorum, contra traditiones sanctorum patrum, & solennem morem ecclesiæ, injuste excommunicasse falso concludit; pro sua confusione subjungendo, nos beati Petri vicarium non habere ligandi solvendique potestatem, quasi velit asserere nos concessa apostolorum principi carere clavium potestate. Quæsumus igitur, libram rationis assumite, & in ea perpe-

* & B. Petri patrimoniū occuparēt. Videte igitur quæ nobis sub pardi varietate modus iste pestifer.

A perpetratis per dictum Fridericum contra ecclesiam excessibus, & beneficiis quæ ab ea recepit appensis, clarius videte, quod licet draco iste, qui ad illudendum nobis formatus, & in escam populo Æthiopum datus existit, aquas persecutionum in subversionem ecclesiæ ex ore quasi fluvium miserit: apostolica tamen sedes ipsius nequitiam inæstimabili beneficiorum misericordia superavit. Nam eum olim ab annis teneris, illorum morsibus, qui terram ejus & sanguinem sitiebant, in lacuna confusionis expositum, parentum & amicorum solatio penitus pene nudum videns mater ecclesia, protinus circa ipsum nutricis & bajulæ officium executa, eum pallio apostolicæ protectionis operuit, de laqueo venantium eripuit, multis laboribus & expensis ad regni solium & coro- B nam imperii sublimavit: insuper hoc ei fecisse modicum reputans, & sibi Hierosolymitanum subjici regnum, & illum undique per orbem exaltari procurans, licet ab eodem multiplici se læsam afflictione doleret, a paucis tamen retroactis temporibus contra Henricum natum ejus (qui partem non modicam Alemanniæ ejus jurisdictioni subtraxerat) potenter astitit; & inflictorum sibi per eum oblita vulnerum, ipsum quasi de novo in imperatorem erigens, Teutoniam apostolicis litteris ipsius reformavit desiderio: his & aliis, quæ non sufficimus recordari, beneficiis ipsi conferens munimenta decoris. Sed iste baculus impiorum, terræ malleus, uni C versam conturbare terram, regna conterere, & orbem desertum ponere cupiens, libertatem ecclesiasticam in dicto regno Siciliæ in opprobrium servitutis extremæ adducens, & ecclesias quas, ut earum teneritudine suum ventrem impleret, quasi jam penitus exossasset, sordibus, oneribus, & angariis opprimens, eas bonis sacris deputatis sanctorum usibus spoliavit, personas ecclesiasticas carceri mancipavit, ipsasque in examine vetito accusationes suscipere, tallias solvere, & bona ecclesiastica, ut se a vexationibus redimant, exhaurire, & postremo exulare coarctat. Ecclesiis pastorum solatio viduatis non permittit sibi sponsum eligere, viduitatis vestimenta deponere, donec alicujus adulterinis amplexibus per compulsionem extiterint copulatæ. De Christia- D norum habitaculis construens mœnia Babylonis, & ædificia, in quibus Divinum nomen excolitur, illuc transferens ubi Machometus perditus adoratur, turbis undecumque collectis Crucifixi fidem & nomen publice prædicari in eodem regno prohibuit. Recuperationem terræ sanctæ & negotium crucis impediens, ad ejus consummationem subsidium suorum fidelium conferri interdixit. Contra juramentum præstitum, & pacis inter ipsum & ecclesiam reformatæ fœdera, nobiles privatos castris & aliis bonis suis, uxoribus & liberis captivatis, loca sua proscriptos relinquere, domicilia in aliorum transferre coloniam, nutrites in croceis amplexari stercora, & ad extremam coëgit inopiam devenire. Necnon dum afflictione comprimit simili pauperes, E id tanto fortius Deo displicere putamus, quanto verius ipsos credimus innocentes. Quid plura? baronibus, militibus, & aliis hominibus ejusdem regni Siciliæ, ad formam & conditionem servorum inaudita crudelitate redactis: jam pro majori parte ipsius regni habitatores non habent de proprio unde stramine vili quiescere, nuditates suas rudi sacco contegere, vel ventrem pane possint miliatio saturare. Cumque ululatus & clamores dictarum ecclesiarum & hominum a tempore dicti Honorii prædecessoris nostri, ecclesiæ aures continua deploratione pulsassent, & jam vix possemus eos absque læsione conscientiæ sub dissimulatione transire: ipsum super correctione dictorum scelerum non semel, sed pluries, nunciis & litteris nostris monuimus, ac longa patientia temporibus expectavimus retroactis, si forsan oculos suos ad cælos erigeret, exutus veterem, novumque indutus hominem, manus suas a tanta perpetratione facinorum cohiberet. De petita insuper emendatione dubii adhuc, volentes statum ejus proprio processu gratulari, eo Lombardiam cum armis intrante, mandavimus ut in locis pro quacumque causa interdicto subjectis, ipso præsente interdictum minime servaretur: eumdem Fridericum nostris litteris admonentes, ut, ne crucis negotium, quod ad utilitatem ecclesiæ, imperii, & totius populi Christiani, fuerat ordinatum impedire valeret, præcise in nos compromitteret: ne, si contra Lombardos armata manu procedens tantam daret exempli perniciem, præsumeretur a pluribus quod cæteros ecclesia fefellisset. Cæterum, quia redintegrare scissuras schismatis nostræ incumbit officio servitutis: pro sedanda imperii & Lombardorum discordia, Prænestinum episcopum, commisso sibi legationis officio, illa consideratione potissime duximus destinandum, ut sibi & quibuscumque discordantibus minori haberetur ratione suspectus, quo suis actibus minus firmamenti, odii, vel amoris ingereret, qui a mundo & carne ex susceptione sanctæ religionis abstractus, in Divini amoris altitudinem evolasset. Noster igitur detractor respondeat, quid ex hoc nobis & eidem episcopo poterit imputari, si Placentiæ inter patres & filios, affines, consanguineos & germanos, ordinata concordia, eo præsente, & protestante quod id salvis honoribus & juribus imperatoris & imperii & quorumlibet aliorum fieret, consummationem accepit? Quinimmo idem blasphemus intelligat, sibi ad infamiam merito reputari, quod cum ad ipsius & nunciorum suorum instantiam venerabilem fratrem nostrum Ostiensem episcopum, & filium nostrum T. tituli sanctæ Sabinæ presbyterum cardinalem, pro pace juxta formam ab eisdem nunciis inter Lombardos & imperium reformanda, ad partes misissemus easdem, idem dictis legatis petita & ampliora adimplere paratis, & delusis nobis, reformationem pacis per ipsos noluit acceptare. Ecce, nunc intelligite qualiter imperii jura conculcavimus. Ex præmissis advertite qualiter hic a nobis fuerit impeditus: qui longo & inani labore suos & suorum humeros decrevit prius conteri, quam passus extiterit per nos jura imperii reformari. Præterea idem, illatis ecclesiæ non contentus injuriis, data quibusdam rebellibus nostris non modica summa pecuniæ, seditionem contra nos in Urbe molitus est pluries commovere: ut nobis & fratribus nostris a sede nostra repulsis, & concusso capite fidei, quod superædificavit Dominus, impulsu ejusdem Friderici rueret leviori. Ferrariam & quasdam alias terras ecclesiæ in Lombardia contra juramentum præstitum temere veniens occupavit. Super quo & aliis, credēs nos detinere inanibus verbis, dictos Panormitanum archiepiscopum & alios nuncios suos cum litteris de credentia ad nostram duxit præsentiam destinandos. Quibus offerentibus nobis satisfactionem super præmissarum offensarum emendatione verbalem, ante & post ipsorum a curia nostra recessum, terram Sardiniæ, Messanensem & Lucanensem diœceses occupare, ad Romanam ecclesiam pertinentes, non omittens, ipso facto, ne ultra ejus expectaremus correctionem, edocuit: ac non deberi fidem sibi vel suis nunciis adhiberi, operis evidentia demonstravit. Ex quo illud solum in conscientia sua legens, quod cor ejus ad conterendas ecclesias & catholicam fidem dirigitur: de nobis, quibus se jam quocumque fraudis vellere occultare

non poteſt, non immerito ſuſpicatur: quod ipſius potentiam habentes juſtitiæ ratione ſuſpectam, cum melius ſit ante tempus occurrere, quam poſt inflicta vulnera remedium invenire, ad avertendas ſuorum progreſſuum ſemitas, officium legationis dicto notario commiſimus: quod nequaquam juxta ipſius ſuſpicionem id fecimus, ſed ut per eum bellorum cladibus, animarum corporumque periculis obviare poſſemus. Ex præmiſſis igitur & aliis nequeuntes de ipſius correctione ſperare, & dolentes nos ejus promiſſionibus toties & toties fuiſſe deluſos: præfatum Fridericum, de fratrum noſtrorum conſilio, ſententia excommunicationis duximus innodandum. Qui quamquam ex hoc perditum intellectum reſumere, & coram Deo potius humiliari deberet: eo tamen amplius inde furens, quo jam ſuam confuſionem agnoſcens fortius veretur ne eccleſiæ obſtetricante manu educatur coluber tortuoſus; nos ex perſonæ noſtræ meritis indignos aſſerens qualibet officii autoritate papalis, per nos prædicta ſententia minime potuiſſe conſtringi ſuis præſumptuoſe litteris aſſerit: & nos, qui temporibus noſtris patrimonium eccleſiæ per gratiam Dei non modice ampliavimus, de dilapidatione bonorum eccleſiaſticorum, diſpenſationum proceſſu, receptione munerum, & avaritiæ vilitate redarguit: ac contra eum, ex illo quod contrahendis inter neptem noſtram & naturalem ejus filium ſponſalibus petitum ſubtraxit aſſenſum, provocari falſo confingit: illud apertius mentiens, quod Lombardis contra eum & imperium corporale præſtitimus ſacramentum: ſeu quod totius orbis decimas, terræ ſanctæ utilitatibus reſervatas, convertere promiſerimus in ejus compendium, ſi arbitrio noſtro negotium exponeret Lombardorum. Fatemur autem nos defectu meritorum noſtrorum indigne Chriſti eſſe vicarium: fatemur nos oneri tanto inſufficientes exiſtere, quod humana conditio non poteſt abſque Divino ſuffragio ſupportare: nihilo minus tamen vices nobis commiſſas, prout melius noſtra permittit fragilitas, exequentes, ſecundum quod locorum, temporum, perſonarum, & negotiorum qualitas & natura requirunt, diſponenda diſponimus: & cum excellentibus perſonis pure & ſecundum Deum, cum neceſſitas id expoſcit, de noſtræ poteſtatis plenitudine diſpenſamus. Verumtamen non eſt dolor qui ſic profundo gladio ejus feriat animum, ſicut quod, dum terminos regum tranſgreditur, non poteſt aggredi officia ſacerdotum. Propter quod idem qui pro auri fame dictum regnum Siciliæ jam redegit in cinerem, credens ex ſe, qui omni tempore vitæ ſuæ paucis pure, pluribus vero juſtitiam precii venalitate corruptus exhibuit, quod in perſona ſua reſuſcitans magum Simonem, luto temporalium maculare poſſet eccleſiæ puritatem: ut ſic in ſpiritualibus graſſari, & in ſuis permitteretur ſordibus remanere, murum integritatis eccleſiæ multis modis, & ſpecialiter oblatione caſtrorum, ac parentela inter ſuos & noſtros contrahenda, pro qua nos per quoſdam prælatos & nuncios ſuos pluries requiſivit, tentavit infringere. Nunc vero quia id nulla inſtantia nulloque ingenio, ſicut eſt in curia noſtra notorium, a nobis potuit obtinere, quin potius ſe cum ſuis perditioni relictum artium ſuarum fallaciis in pejus proficere jam agnoſcit: quia neſciat ultra quid faciat, ſeipſum mendacio ſuo in aliorum detractione deturpat, more meretricis Ægyptiacæ, quæ Ioſeph invitavit ad ſtuprum, & ab ipſo contempta, apud virum ſuum volens accuſavit invitum. Unum quidem eſt de quo, etſi pro homine perdito ſit dolendum, lætari non modicum & Deo regratiari debetis: quod volente Domino, qui diutius occultari non patitur umbram mortis, iſte, qui gaudet ſe nominari præambulum antichriſti, non expectans propinquum ſuæ confuſionis judicium, manibus propriis effoſſo ſuarum abominationum pariete, per dictas litteras ejus ſuarum producit in lucem opera tenebrarum: in eis conſtanter proponens, quod per nos tamquam Chriſti vicarium vinculo excommunicationis aſtringi non potuit. Sicque affirmans non eſſe apud eccleſiam a Domino beato Petro & ejus ſucceſſoribus ligandi atque ſolvendi traditam poteſtatem, dum hæreſim aſſerit, primo ſibi argumento concludit: conſequenter oſtendens quod male ſentiat de cæteris fidei orthodoxæ articulis, dum eccleſiæ, ſuper quam fides fundata conſiſtit, auferre nititur conceſſum verbo Dei privilegium poteſtatis. Sed quia minus bene ab aliquibus credi poſſit quod ſe verbis illaqueaverit oris ſui, probationes in fidei victoriam ſunt paratæ: quia iſte rex peſtilentiæ a tribus baratatoribus, ut ejus verbis utamur, ſcilicet Chriſto Ieſu, Moyſe, & Machometo, totum mundum fuiſſe deceptum: & duobus eorum in gloria mortuis, ipſum Ieſum in ligno ſuſpenſum manifeſte poſtponens. Inſuper dilucida voce affirmare, vel potius mentiri præſumpſit, quod omnes fatui ſunt, qui credunt naſci de virgine Deum, qui creavit naturam, & omnia potuiſſe. Hanc hæreſim illo errore confirmans, quod nullus naſci potuit, cujus conceptum viri & mulieris conjunctio non præceſſit: & homo debet nihil aliud credere, niſi quod poteſt vi & ratione naturæ probare. Hæc, & alia multa, quibus verbis & factis catholicam fidem impugnavit, & impugnat, ſuo loco & tempore, ſicut decet & expedit, manifeſte poterunt comprobari. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, in virtute obedientiæ per apoſtolica ſcripta diſtricte præcipiendo, quatenus, ne dictus Fridericus corda fidelium fallacibus verbis ſubvertere, vel contagione ſua poſſit quomodolibet gregem Dominicum maculare, clero & populo vobis ſubditis ſupradicta plene ac fideliter exponatis. Datum Laterani * duodecimo Kalendas Iunii, pontificatus noſtri anno decimotertio.

* nono Iulii.

XIII. AD NOBILES ANGLIÆ.

Angliæ magnates jure patronatus eccleſiæ privantur.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis nobilibus viris, Richardo comiti Pictaviæ & Cornubiæ, & baronibus Angliæ præſentes litteras inſpecturis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

CUm ex operibus noſtris, quæ plenum perhibent teſtimonium veritati, ſit liquidum univerſis, quod nos perſonam cariſſimi in Chriſto filii noſtri illuſtrem regem & reginam, inter alios reges & principes orthodoxos & regna, in quibus nomen colitur Chriſtianum, in caritatis viſceribus ſpecialiter gerimus, & pacem ac tranquillitatem eorum propenſius affectemus: rite præſumi non poteſt, & omnino credi non debet, quod nos, quantum cum Deo poſſumus, agere ſeu tolerare velimus, quod juſte poſſit honorem regiæ ſerenitatis offendere, aut in eodem regno ſcandalum generare. Unde cum intentionis noſtræ non fuerit, nec exiſtat, ut beneficia in regno Angliæ conſtituta, quæ ad præſentationem pertinent ſæcularium patronorum, autoritate noſtra cuiquam conferantur: ſicut ex quibuſdam litteris noſtris, quondam in Angliam deſtinatis, quarum tenorem de verbo ad verbum celſitudini regiæ ſub bulla noſtra duximus deſtinandum, colligitur evidenter. Nos comperto nuper ex ejuſdem regis & veſtrarum

vestrarum continentia litterarum, quod quidam prædicti regni miles in ecclesia de Luthunum, Eboracensis diœcesis, quam olim cuidam de partibus nostris clerico, ignorantes quod præsentatio ad laïcum pertineret, contulisse dicimur, jus obtinet patronatus, prælibati regis & vestris precibus inclinati, concessionem eamdem autoritate apostolica revocamus: venerabili fratri nostro archiepiscopo Eboracensi nostris dantes litteris in mandatis, ut eum, quem dictus miles ad præfatam ecclesiam duxerit præsentandum, admittat & instituat in eadem, prout pertinet ad eumdem, diuturnitate temporis, cum per ipsum minime steterit, non obstante, dummodo aliud sibi rationabile non obsistat. Tenore præsentium districtius inhibendo, ne alicui de cætero liceat ecclesias prædicti regni, in quibus sunt laïci patroni, præter eorum assensum, apostolicæ sedis autoritate conferre. Datum, *&c.*

XIV. AD OTTONEM CARDINALEM LEGATUM IN ANGLIA.

De eodem.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, legato salutem & apostolicam benedictionem.

AD tuam volumus notitiam pervenire, quod cum intentionis nostræ non fuerit nec existat, ut beneficia regni Angliæ, quæ ad præsentationem sæcularium pertinent patronorum, autoritate nostra cuiquam conferatur: nos nuper ex carissimi in Christo filii nostri regis illustris, & nobilium virorum comitum & baronum Angliæ, insinuatione, comperto, quod quidam regni Angliæ miles in ecclesia de Luthunum, Eboracensis diœcesis, quam olim cuidam de partibus nostris clerico, ignorantes quod præsentatio ad laïcum pertineret, contulisse dicimur, jus obtinet patronatus: regis & nobilium eorumdem precibus inclinati, concessionem eamdem autoritate apostolica revocantes, venerabili fratri nostro archiepiscopo Eboracensi nostris dedimus litteris in mandatis, ut eum, quem dictus miles ad præfatam ecclesiam duxerit præsentandum, admittat & instituat in eamdem, prout pertinet ad eumdem: diuturnitate temporis, cum per ipsum minime steterit, non obstante, dummodo aliud rationabile non obsistat: districtius inhibendo, ne alicui de cætero liceat ecclesias regni prædicti, in quibus laïci sunt patroni, præter eorum assensum, apostolicæ sedis autoritate conferre. Datum, *&c.*

XV. AD ARCHIEPISCOPVM BREMENSEM ET EPISCOPVM VERDENSEM.

De electione episcopi ecclesiæ Zuverin.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepisco Bremensi & episcopo Verdensi salutem & apostolicam benedictionem.

EX parte dilectorum filiorum, decani & capituli Zuverin. ecclesiæ, propositum fuit coram nobis, quod eadem ecclesia pastoris solatio destituta, episcopi convenientes in unum, de futuri substitutione pontificis tractaturi, quasi divinitus inspirati, omnes voto unanimi & voluntate concordi in dilectum filium, præpositum ipsius ecclesiæ, virum, ut asserunt, scientia præditum, disciplinis ecclesiasticis eruditum, & morum honestate præclarum, per cujus industriam dicta ecclesia, in medio pravæ & perversæ nationis posita, posse creditur a suis tribulationibus & angustiis respirare, sua desideria direxerunt, votis tam cleri quam populi concurrentibus in eumdem. Sed intellecto quod defectum in † natalibus pateretur, utpote de quodam milite soluto genitus & soluta: ad electionem non processerunt ipsius, sed ad nos potius habuere recursum: nobis tam per litteras quam per dilectos filios magistrum Elerum Hamburgensem, ac Sibonem Zuverin. canonicos nuncios suos, viros providos & discretos, qui apud nos super assumpti promotione fideliter institerunt, humiliter supplicantes, ut utilitate ac necessitate ecclesiæ supradictæ pensatis, supplentes defectum hujusmodi, ipsum eis in patrem & pastorem animarum eorum concedere curaremus, vestris & plurium aliorum tam prælatorum & capitulorum, quam nobilium pro ipso supplicantium, nobis litteris præsentatis, qui eum super præmissis reddunt multipliciter commendatum. De vestra igitur circumspectione plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus de modo postulationis, studiis postulantium, & postulati meritis, veritate solicite inquisita, si postulationem ipsam alias inveneritis de persona idonea canonice celebratam, cum eo super hujusmodi defectu autoritate apostolica dispensantes, præficiatis eum eidem ecclesiæ in episcopum & pastorem, ac faciatis ei a subditis Zuverin. ecclesiæ obedientiam & reverentiam debitam exhiberi: contradictores, si qui fuerint, vel rebelles, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Alioquin provideri præfatæ ecclesiæ de persona idonea per electionem canonicam faciatis. Datum Laterani decimotertio Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno quartodecimo.

† Euripidis est : νόθοι δὲ πολλοὶ γνησίων ἀμείνονες.

XVI. AD OMNES EPISCOPOS.

Vt ad concilium venire non differant.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri tali episcopo vel tali salutem & apostolicam benedictionem.

PEtri navicula, matris ecclesiæ sinus, quasi negotiorum operta fluctibus & quæstionum urgentium agitata procellis, dexteram Iesu salvatoris implorat. Ea quidem flatibus Aquilonis impulsa, dormire videtur Dominus, nutant discipuli, nautæ quasi naufragii verentur ventum & eventum, populi trepidant, clamat Petrus: utinam tepescentibus cæteris saltem porrigerent filii opem & operam consilii salutaris, nec ipsam fluctus involuat, nec pirata crudelis abducat. Porro fœdere naturalis pactionis irrupto, fides quatitur, caritas refrigescit, tepescit devotio, crescit & invalescit iniquitas in Dominum & proximum commissura: ex quibus, fidei Christianæ profectibus evidens præstatur obstaculum, sequuntur dispendia, & plebs devota fidelium, beneficio quietis excluso, variis molestiis fatigatur. Quæ communis statera judicii apostolicæ dignitatis autoritas justæ discussionis examine prudenter appendens, ut omnium generalis & una mater utilitati provideat, singulorum manus fortium, regum videlicet, prælatorum, principum, & aliorum fidelium, non indigne advocare decrevit: ut multiplicatis clamoribus Dominum suscitet dormientem, & plurium adjuta consiliis, prementia faciat onera leviora, expeditionis optatæ portum feliciter petitura. Inter quos te, frater episcope, devotum ecclesiæ filium, & nobile membrum

membrum ipsius, ut venires ad matris ecclesiæ gremium ad proximum venturum festum resurrectionis Dominicæ, litteris recolimus apostolicis convocasse. Verum, sicut pro certo didicimus, singularis ille dudum ecclesiæ filius, apostolico provectus & defensus auxilio, de puero tunc omni destituto suffragio ad imperii culmen humero materno translatus, ea non contentus injuria, qua mercede recompensans, in qua patris irrumpit solium, matris exponere pudicitiam, & vendicare sanctuarium indevotus intentat: astutus ad hæc in ipsa armatur insidiis, prælatis nuper vocatis a nobis accessum suis terroribus interdicens, ut nullius expers calumniæ, illam quam gravibus infestat molestiis, nec in filiorum patiatur solatio respirare. Cum igitur tam sanctum generalis utilitatis propositum sub fiducia Divini favoris assumptum, humanis non debeat versutiis retardari: fraternitatem vestram rogamus, monentes attente per apostolica scripta, & districte præcipiendo mandantes, ut Deum præferens homini, & difficultatibus omnibus ob meritum fidei anteponens, in supradicto termino ad sedem apostolicam accedere non omittas: ut mater, filiorum roborata præsentia, hostis adversantis obstaculo providentia Divina sublato, piæ intentionis exordium felici consummatione concludat. Nos enim super omnibus quæ ad tantum negotium expediunt, annuente Domino, providere curabimus, prout tibi ex parte nostra plenius exponetur. Datum Laterani, Idibus Octobris, pontificatus nostri anno decimoquarto.

XVII. AD IMPERATOREM FRIDERICUM II.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, Friderico illustri imperatori, &c.

Miranda tuis sensibus nostra venit epistola, ut scripsisti, sed mirabilior tua nostris. Sane si nostræ paginæ verba justo librasses examine, si litterales ad rivalem sensum, postposita conjuge, non traxisses, interpretans non suspecto judicio: invenisses in illis, unde spirituali patri reverens esses & matri.

Tuæ quidem tenor epistolæ continebat, quod præter omnium opinionem, & consilia principum, ut tuis verbis utamur, te invenerimus ad beneplacita nostra paratum: ita ut nullus prædecessorum tuorum, ullis retro temporibus recolatur, adeo ecclesiæ Romanæ fuisse devotus. Sed de principibus non aliter ex his verbis reformabimus animum, quam probabilis credulitas habeat, facti experimento probata: de quibus apostolicæ sedis constantia, rectæ opinionis judicium, sinistræ suggestionis instantia, non mutabit, cum facta præferenda sint dictis, & certa præjudicent positivis. Ecce de archivo ecclesiæ monimenta publica prodeunt, quæ sigillorum pene omnium principum munita signaculis, opinionem repudiant, quam videris ingerere contra eos, quos verisimilitudo non recepit, tantos & tales viros, excellentiæ tuæ dedisse consilium contrarium scripto tui, & ipsorum signato sigillis De prædecessoribus autem tuis si aliquid certius major eddisset expressio, metiremur in illis quod in te sperare possemus. Quoniam si ad proximos sanguinis, scribentis referatur intentio, modicum devotionis sufficeret, ut eos comparatione præcedas: si tamen comparatio gradum inveniat, ubi nullum præveniet positivum. Quod si ad illos prædecessores intellectum patiaris extendi, qui fidei præclaritate ferventes, devotione sinceri, sibi & subditis proficientes verbo pariter & exemplo, ecclesiam multis libertatum privilegiis munierunt, multarumque largitionum liberalitate ditaverunt: illis, si placet, in his, se magnificentia tua non præferat, sed consideret potius, si affluentia talium, illorum metas attingas: discutiat, quæsumus, viri prudentis ingenium, si merito titulum tibi multæ devotionis assumis, dum beneficia ecclesiæ matris tuæ revocare conaris in dubium, tanquam si unius possint inficiatione celari, quæ multorum notio publicat; & singularis assertio reddat ambigua, quæ universalis notitia manifestat. Porro illa ingratitudinis species, qua beneficia profecta negantur, aliquid turbationis consuevit afferre: sed illa majoris doloris habet aculeos, qua in bono malum præsumitur, & odium in dilectione notatur.

Circa tutelam quoque tui a claræ memoriæ imperatrice Constantia regina Siciliæ apostolicæ sedi relictam, a beneficiorum te gratia excipis, si tutelæ sit debito satisfactum: eo quod fas inducebat ut fieret, & nefas, si deficeret, notaretur. Verum nullus necessitatis articulus tunc urgebat eo ecclesiam, ut in te, qui eras omni suffragio destitutus, onus non leve susciperet. Nec tutelæ susceptio, quæ a gratia sumpsit exordium, habere te debuit pro persecutionis debito non ingratum: saltem ut tutrici notam non solum suspectæ, sed fraudulentæ administrationis non niteris impingere dicens: Quod ecclesia nomine defensorum hostes immmiserat palliatos, qui ad perdendam animam pueri festinarent, & pupilli susciperent regnum pariter & coronam. Habebat præterea diffamationis objectio, quod, quem nutrix ecclesia debuit promovere, dejecit, erigens in paterna sede hominem alienum, qui non contentus imperio, ad regnum nihilominus aspiravit. Et quidem non habuit id hactenus tua confessio, non id usque nunc committebat tuarum series litterarum, quibus post Deum, totum adscribebas matris ecclesiæ studio, totum attribuebas ejusdem tutricis laboribus, quidquid eras; & ecclesiæ, quod vivebas. Unde igitur tam contraria, tam novella processit opinio? unde præsumptio tam adversa, tam repentina prorumpit? si enim frequens missio litterarum comitem conscientiam mittentis habebat: cum nulla subsecuta sit causa novæ scientiæ, nec scientia novæ causæ, cur calumniose impingitur, quod evidentia facti repudiat? cur sub quodam involucro duplicitatis infertur, quod veritatis simplicitas non admittit? Quod si scripta præmissa destituta erant credulitate scribentis, tua circumspectio colligat, quæ de istis illatio subsequatur.

Suntne ista, quæ promittebas matri ecclesiæ, si necessitas immineret? est hic retributionis affectus, quem offerebas, si gravamen occurreret? Non id mater expectavit a filio: non id nutrix sperare debuit a pupillo. Ah Deus! quæ in tali filio aliis spei reliquiæ relinquantur, si mater tam diligens desperare cogatur? Ah Deus! quæ de tali pupillo fragmenta favoris cæteri colligent, si nutrix tam utilis jaculis detractionis impetitur? Ah Deus! quot & quantos labores amisit ecclesia, si palmes, quem multo sudore plantavit & coluit, in amaritudinem vitis convertitur alienæ; cum sit minoris dispendii, nullos fructus producere, quam nocivos? O quam uberes lacrymas, quam amaras, felicis recordationis prædecessor noster papa Innocentius multotiens pro te fudit! O quanta solicitudine laboravit, ut te a nocentium manibus eriperet, insidiantium laqueis liberaret, & quasi de mortis faucibus extorqueret! Ecce quid retributionis eidem imperialitas afferat? Ecce quid regalis magnificentia recompenset, dum pupilli

pupilli insidiator occultus dicitur, & bonorum tacitus spoliator. Recogita, recogita, fili carissime, ac intra claustra pectoris frequenti meditatione revolve; quam parvum, quamque depressum, te ille summus pontifex post obitum matris accepit, & quam grandem, quamque promotum in sua morte reliquit.

Porro, ut credimus, tenellæ infantiæ nondum finem attigeras, cum impius Marchoaldus, tui nominis detractor perfidus, avidusque invasor, regni Siciliæ metas aggressus, utrasque manus invasionis extendens, montem Cassinum obsedit, & insultibus multis impetiit, exercens sui robur exercitus ad speratum exterminium captionis. Sed in hoc ecclesiæ solicitudo non defuit, quæ per duos cardinales, cum multis militibus, & expensis non modicis, efficacem manum auxilii porrexit obsessis, vires invasionis debilitans, & conatus obsidentis elidens. Cumque obsidionis exitus, insultantis non responderet affectui, & prorogata spe defensionis ad alios resistendi animum resumerent cōvicini: se iniquus ille in Siciliam transtulit, ut ibi, si de persona regis desiderii sui finem attingeret, ad regni fastigium sine difficultatis obstaculo perveniret. Sed nec ibi protectionis solitæ dexteram subtraxit ecclesia, mittens illuc bonæ memoriæ C.... tituli S. Laurentii presbyterum cardinalem, nobili viro comite Iacobo, consobrino prædecessoris prædicti mei, multis associato militibus, in tui subsidium nihilo minus destinato, aliusque cardinalis tibi postmodum extitit deputatus: qui tuis utilitatibus non remissus, ibidem diem clausit extremum: consequenter alio substituto, ut solicitudinis debitæ plenitudo circa tuæ personæ custodiam non deesset. Interea Diapoldi militia longe lateque diffusa, sic per partes Apuliæ se extenderat, tantumque susceperat incrementi, quod de obtenta de P.... quodam comite Celunensi victoria, pro majori fere parte homines regionis suo applicabat arbitrio, suoque dominio addicebat, in aliquo, sicut poterant, resistentes; & crudelius debacchando: quo minus de paucorum & humilium timebat repagulo, qui de multorum & sublimiū viribus triumphabat. Cumque in partibus illis non haberet ecclesia, quæ erigeret contra illum, multosque sumptus amiserit in omnibus regionibus, quæ pro te jam fecit expensas multarum millium unciarum, recepto ad opus tui a S.... comite Brenni fidelitatis publicæ juramento: ipsum misit in regnum, ut per eum elati confringerentur cornua inimici.

Nunquid hoc commissum fuit perdere puerum? Nunquid hoc fuit creditum spoliare pupillum? De throno Dei sententia prodeat, & virtus Altissimi rectum judicium operetur, si adversus ecclesiam excellentiam tuam decuit talia credere, si debuit ex his concepta credulitas in partum prodire hujusmodi, ut verbis & scriptis exposita in publico compareret? Sed forsan hoc Divina providentia voluit, ut habeatur in posterum cautela securior ex præviso. Cum hominem siquidem alienum, quem in sede patris tui, si tamen sedes patris dici debeat, quæ non successionis, sed electionis jure defertur, erectum fuisse prædicas, tua prudenter adversus ecclesiam substituisset invectio: eo quod veritas negata de publicis, minus reliquisset fidei de occultis. Nullum enim angulum latet imperii, quod imperatore Henrico defuncto, quidam olim Philippo duci Sueviæ, ac quidam Othoni post modum imperatori diversis voluntatibus adhæserunt. Et licet idem Philippus nomen tuum primo prætenderet, ad se postea convertit negotium, sic illud, succedentibus prosperis, suis utilitatibus applicans, quod non jam de jure dubitabat imperii, sed spem ad occupationem regni Siciliæ prorogabat, quemdam L.... Varinaciensem episcopum ad hoc mittens, in his etiam tuo subsidio apostolicæ sedis providentia non defecit. Sic illi per memoratum O.... cardinalem, & nonnullos ecclesiæ vassallos resistens in Marchia, quod conatus contrivit adversos, & interdictus est hostibus etiam ad primos regni fines accessus.

Philippo tandem sublato de medio, Othoni, quem omnium principum roborata consensibus præsentabat electio, nec expedivit, nec licuit diadema imperii denegari: qui procul dubio, ut scripsisti, subito factus ingratus, tergum, non faciem vertit ecclesiæ, immemor receptorum. Sed quamvis eam multis provocaverit offensis, dissimulabat illas utcumque misericordis ecclesiæ patientia consueta. Sed postquam ad tuam prorupit injuriam, in te, quasi pupilla oculi, tactum contrarium ferre non potuit, multas vias excogitans, quibus pleno remedio, suo posset subvenire minori. O quam proximus eras periculis! O quam paratus eras ad casum! Quapropter invocavit ecclesia illius auxilium, qui superbis resistit, & dat humilibus gratiam, qui imperat mari & ventis; qui deponit potentes de sede, ac ponit humiles in sublimi. Invocavit etiam principum corda fidelium, pusillos & magnos solicitans, ut hi ad tuam relevationem collapsi, manum porrigerent adjutricem. Obstitit tandem Divina potentia ingrati conatibus, faciens in te cum ecclesia signum in bonum, ut elato cadente tu surgeres, & potente debilitato, tu potens esses. Arguit enim illum sua malitia, suaque aversio increpavit. Quoniam justo Dei judicio propria perdidit, qui avare cupiverat aliena: & tu, cujus regni tui vix extrema remanserant, illius omnino imperium obtines. Hæc utique salutis remedia, cum auxilio principum, Divinæ providentiæ virtute præambula, tibi providit mater ecclesia, talia beneficia contulit puero & adulto. Quid ultra tibi facere potuit, & non fecit, de contingentibus nihil omittens; ea etiam ad quæ non tenebatur, adjiciens?

Miramur autem, quod in his tuos labores commemoras, dicens, te dubii facti securum: qui vocatus ad sceptra, laboritantibus aliis, in labores alterius introisti: metens quæ non seminasti, & colligens quæ proculdubio non sparsisti. * Denique in defuncto non fatigatur persona nostra, tua non præterivit invectio, minus diligenter considerans, quod nos, qui prædecessori nostro quoad utilitates tuas, affectione plenaria succedentes, ad tui consummationem honoris patenter adstitimus, & potenter, nostro in multis detraximus, ut tuo adjiceremus honori, facti quodammodo nostræ famæ prodigi, tuæ parci. Sed pro istis ac aliis, hac nobis retributione respōdes, quia jus regibus Siciliæ in electionibus, sicut asseris, debitum ex antiquo, nostris constitutionibus minorari [ais] verum, si scripta tua, & genitricis tuæ manu solicitius revolvisses, si sanctorum etiam patrū constitutiones adverteres: non culpares ecclesiam circa defensionē ecclesiasticę libertatis, cū non debeat de persecutione morderi justitię, qui cōtendere nititur de abusu.

** Locus corruptus.*

Asseris insuper nos, præter formam communiter acquisitam, te inconsulto quibusdam ecclesiis regni vacantibus præfecisse personas. Sed, quæ sit illa forma, nescimus, quæ pro certo nimis esset informis, per quā apostolicæ sedis judicium ex tuæ voluntatis arbitrio dependeret. Non tamen intendimus repromovere suspectos, dummodo non ultra notam suspicionis extendas, quam rationis tramites patiantur. Tarentinum post hæc archiepiscopum, quem apud te, quasi a summo gratiæ in profundum odii casus repentini mutatio sic dejicit; qui paulo ante quasi cor unum & anima una cum principe censebatur, subito fur, subito proditor, subito tui sanguinis dictus sit obtrectator, non excludimus a responso: mirantes quid

quid in illum expetas ultionis, quem per subtractio- A
nem suorum, & interdictum suæ sedis accessum, contra fas, & licitum tui prosecutor arbitrii, jam punisti pœna præveniente judicium, & executione non expectante libellum.

Sed forsitan est qui dicat, quod dum sua placuisse crediderit, ipse displicuisse videtur. Catanensem episcopum non duximus omittendum, cujus prodigalitate totum regnum dicis esse corrosum: si tamen in totum processit corrosio, unde tot remanserunt reliquiæ corrodendæ. Hic si merces servitiis, si fructus laboribus, si meritis præmium responderet: aliud profecto reciperet, quam solvatur. Pro quo quid nobis apud Ferentinum, quid fratribus nostris apud sanctum Germanum magnificentia tua promiserit, non B
ignoras. Deinde Cephaludensis episcopi, circa quem sanguinem occisorum asseris ad nos clamare de terra, nec vita, nec spoliatio sub nube tegetur: ut de ipso, post restitutionis debitum, justitiæ satisfaciat. Nec movemur, si super hoc ad lacrymas & querelas tuorum fidelium forte, sicut asseris, movearis: dummodo in illum, qui suo domino stat, aut cadit, non processeris ad vindictam: primo in castrum ecclesiæ ac bona ejus manu occupationis extensa, quam querelam delatio justa præferret ad examen judicis competentis. Quapropter nō inferas, ut apud nos ille meruit, unde apud nos demeruisse videtur. Sed tamen non ignoras, quod si pro justitia spoliatæ steterunt ecclesiæ, licet apud te C
propter hoc demeruisse credantur, apud nos, qui sumus, & esse tenemur justitiæ zelatores, sibi meritum compararunt.

Tandem concussis columnis ecclesiæ, prælatis videlicet, inferioris gradus & ordinis clericos rigor tui gravaminis atterit; & quasi aliorum velis supplere defectum, pretendis negligentiam prælatorum: quamvis superioris sedis non desit autoritas in crimina diligenti examinata judicio, & judiciali examine cognita tanta censura præcellit, quod pœnæ districtio culpæ interdicit exemplum, & vindictæ severitas esse poterit aliis limes offensæ. Quia vero Dei causæ deesse non possumus, nec debemus: super omnibus istis, & aliis contingentibus ecclesiasticam libertatem, sic Divina suffulti potentia debitum nostri prosequimur officii: D
quod Deo pro posse satisfacientes & homini, in hoc geremus utiliter negotium nostræ salutis ac tuæ, cum deferre homini contra Deum, præsertim in talibus, sit nocere; ac parcere, sit sævire. Manus enim mulierum misericordium filios destruxerunt. Sed habet vera dilectio plagas suas, quæ dulciores fiunt, cum amarius inferuntur.

Adjecisti præterea, quod post reditum suum in regno Siciliæ, redintegratis viribus tuis, pro temporum varietate dispersis, exclusis rebellibus, ecclesia contra matris officium suspectos filios receptavit. Et quidem de jurium redintegratione gaudemus; & utinam redintegrantis affectio sic debitis contenta fuisset limitibus, quod a justitia recuperationis in suis, nec in alienis ad usurpationis injuriam transisset. Quia præ- E
ter id, quod in die novissimo, districti judicis ultione reddetur, consummari felicibus substantia non consuevit eventibus, augmentis non aggregata legitimis: quin immo grandis acervus inficitur partis adjectione corruptæ.

Super exclusis, responso supersedere possemus, nisi alicujus indicio crederetur retardatum silentium repetitam significare querelam: sed, ut videmus, quod hactenus respondentis dissimulatio distulit, nunc extorquet instantia conquerentis. A memoria quoque tua excidisse non credimus, quod comiti T... Rainaldo de adversa & fautoribus eorumdem antequam castra, quæ viribus obtinere nequiveras, resignarent;

inter alia, quæ publica & authentica sunt conventione notata, venit expressius personarum securitas in promissum, ut id robur majoris firmitatis haberet; nos, & universos fratres nostros affectuose rogasti per litteras & nuncios spirituales, & in testimonium reservatas, ut Romana ecclesia super se secure ac confidenter reciperet, quod inviolabiliter promissa prædictis attenderes, & plenarie observares. Sed utinam verbis facta respondeat, fidesque promissis. Plusquam deceat sedis apostolicæ ac excellentiæ imperialis honorem afflictionibus publicis, & pœnis manifestis exponuntur nonnulli de fautoribus comitis memorati: quorum multos post speratam de securitate fiduciam dedisti exilio, & quosdam ignominiosa morte damnasti. Proinde possumus non immerito formidare, ne nostra patientia in prædictis veræ patientiæ nomen amiserit, & effectum. Quare non credas, id oblivioni esse relictum: licet sit hactenus dissimulatione suspensum. Sed quod in similibus inferiores pro te promittere debeant, de speculo poterunt eminenti respicere speculum & exemplar. In quo quantum autoritati sedis apostolicæ sit detractum, quæ ipsos ad tuarum precum instantiam sub sua securitate recepit, satis intelligunt, qui rem sciunt.

De comite vero Matthæo, quem apud te in subtractione suorum, terræ sanctæ servitium, crucis & crucifixi reverentia non defendit; comite quoque Rogerio quodam capto, ut nosti, & postmodum liberato, ut scimus, necnon & quibusdam aliis, qui ad urbem & loca confinia a persequentis facie confugerunt. Conquiescat de cætero, quæso, principis excellentis [ira] ne siccam stipulam persequi, & contra folium, quod a vento rapitur, suam monstrare præsentiam videatur. Hæc quippe a Iulii Cæsaris gestis non elicis; qui Domitium pœnæ avidum, & venæ contemptorem, vitæ servavit invitum, & Metellum se gladiis offerētem ira principis reputavit indignum. Certe in Israëlitico populo civitates erant refugii: & urbem ad refugium Christianus populus non habebit? David recursus erat oppressis: & summus pontifex Dei magni vicarius avertet faciem ab afflictis? utique non, cum nulla molestia tibi per illos inferatur & tuis, nisi velis id dūtaxat ferre moleste, quod vivunt.

Ad hæc de viro egregio socero tuo, si ad nostram pervenisset notitiam, quid de his, quæ tibi facere debuit, omisisset: nostra eum non præterisset monitio, quem tibi desideravimus acceptum, & te illi potentissime gratiosum. In quo movet multorum corda miratio, quod cum consueverint alii crescere ex affinitate majorum: iste non sine multorum scandalo, non sine terræ sanctæ dispendio, non sine tui nominis læsione, decrevisse videtur. Et quidem, his similia magnificorum principum gesta non continent, sublimium mores ignorant, liberalium largitas non acceptat. Non sic illius terræ procuratur utilitas. Non sic ad ejus subsidium bellatores strenui advocantur. Super quo ubi onera gravia & importabilia nos asseris alligare, quæ digito nostro movere nolumus, non attendens, quod jam pluribus annis elapsis ultro te istis omnibus subjecisti spontaneus in Theutonia signum crucis assumens: non attendens, quod pro crucifixo gerendo negotium onus tam leve tulit ecclesia in ecclesiasticorum decimatione proventuum: non attendens quod per fratres nostros, & alios prædicatores, multi potentes & nobiles, magni & parvi se crucis obsequio devoverunt. Pro mercatoribus autē Romanis excellētię tuę scripsisse meminimus, sicut dicis: sed cū per hoc jus suū non assequantur, ut asserūt, non debet illis in sua justitia cēsura ecclesiastica deesse.

De Vassallis quoque patrimonii, de quibus, prout placuit, rescripsisti: quid iuris imperiali excellentiæ compe-

competat, tuorum, & prædecessoris tui privilegiorum A inspectio protestatur. Quod si præter debitum a nobis in illis aliud pro terræ sanctæ subsidio petiisses, sicut decuerat, formata petitio ad exauditionis gratiam introisset. Provideas tamen, ut advocatiæ vocabulum frequenter tuis litteris repetitum, tua, si placet, non protrahat interpretatio in abusum. Quoniam cum advocatus ecclesiæ idem intelligi debeat quod defensor, si defensoris amittis officium, nomen improprie retines advocati. Quod satis in Archivata & castris aliis quondam nostrorum fidelium ostendisse videris, quæ detines contra justitiam occupata, post illatam violentiam, post commodum possessoris adeptum, factus de petitore possessor, asserens conquerentibus, te jus in tua curia redditurum. Super quo, si qua nova jura sunt condita, in publicum prodeant, cum id non patiantur antiqua.

Quia vero non est abbreviata manus Domini, ut non possit sublimitatem curvare hominum, altitudinem humiliare virorum: nunc etiamsi felicium tuis votis successuum splendor illuxerit, humilitatem in sereno non deseras, quam in nubilo prætendebas. Speramus itaque quod viri tam discreti memoriam nunquam sic ad examinationem deducet oblivio, ut omnino in vitium ingratitudinis incidat, quod reprehendit in æmulo, & culpam quam damnat in hoste, committat. Non ergo seducant te prospera, quem instruxisse debuerant adversa: cum fuerit Pharaonis C pincerna notatus, eo quod succedentibus prosperis, sui est oblitus interpretis, & lex nobilitatis id habeat, ut nobilium mentes excelsa non elevent, & infima non demittant.

Quapropter, fili carissime, probatis apostolicæ sedis affectibus, nullius suggestio te seducat, quæ nisi obstaculum nimiæ devotionis impediat, a te dexteram beneficiorum non subtrahet, & dulcedinis ubera non abscondet: cum non sit verisimile, quod animi ferventis affectum ab illo de facili velit avertere, quem multo labore fovit impuberem, multaque sollicitudine promovit adultum.

XVII. AD VENETOS.

Contra Fridericum imperatorem, qui prælatos D ad generale concilium vocatos, ceperat.

Gregorius IX. episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, nobili viro ..... duci, & populo Venetorum, salutem & apostolicam benedictionem.

EXistens in mari hujus mundi Petri navicula contrariis interdum ventis impellitur, & nonnunquam ictibus colliditur procellarum. Sed tandem Domino flatibus imperante quietem, & turbinum impetus prohibente, succedit tempestati tranquillitas: & eidem naviculæ placati æquoris sulcanti planitiem undæ cedunt. Quia inopinatis aliquando impulsa flatibus, etsi jactetur, non mergitur; & undis repercussa fluentibus, etsi jactetur, non quassatur. Ecclesia quidem super fidei petram erecta, frequenter ab æmulis Christianæ religionis impetitur, & impugnatur sæpe ab ecclesiasticæ persecutoribus libertatis. Sed demum Altissimo ad eam clementiæ oculos inclinante, suæque potentiæ dexteram extendente tutricem, detractores fidei fræno arceantur silentii, & persequentium manus in jura ecclesiæ injuriose laxatæ, repressis viribus contrahuntur: sicque post turbationis nubilum, serenum pacis subsequitur; & ecclesiæ ipsi, gubernante Domino, præsentis sæculi mare substernitur, colliso impetu insurgentium procellarum.

Si ergo fideles ejusdem ecclesiæ, juxta mutabilitatem temporis sinistris aliquando exasperentur eventibus, & mulceantur quandoque votivis: non eos successus adversitatis deprimat; nec tamen occursus prosperitatis extollat. Sed in eo spes tota ponatur, omnisque fiducia, qui sperantibus in se misericordiæ sinum aperit, & post tribulationis patientiam in adversis, remedium in prosperis consolationis impendit. Fridericus namque dictus imperator, ecclesiæ persecutor, directis olim fratribus nostris & ecclesiarum prælatis, ac principibus orbis, litteris, petiit convocari concilium, ut ibi de meritis cognosceretur ipsius. Nosque tandem de fratrum eorundem consilio B prælatos, & regum ac principum nuncios, ad sedem apostolicam duximus convocandos. Sed idem, hoc intellecto (quia terroris sonitus impiorum auribus semper inest, eo quod læsa conscientia, sæva præsumit) subsequenter alias litteras contrarias destinavit: & nequiter se humilians, examen concilii requirendo, interiora sua plena dolo, scripturæ varietate detexit. Accedentibus itaque ad sedem eandem prælatis aliquibus, & pluribus eorum propter maris timorem ad propria redeuntibus: ipse audito vicino reliquorum adventu, eos, positis insidiis, fecit cum venerabili fratre I.... episcopo Prænestino, ac dilecto filio nostro Othone S. Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, legatis sedis apostolicæ detineri: quasi non sufficeret sibi, quod ecclesiam multipliciter læserat, nisi & alias eidem inæstimabilem irrogaret offensam.

Verum, etsi hæc turbationem mentis fidelibus inferant, non tamen suorum cordium est immutanda constantia, nec eorum sunt animi sinceri flectendi: sed tanto debent ipsi ecclesiæ contra persecutorem eundem favorabiliores adesse, quanto eum ex his graviorem ipsis injuriam in illam sentiunt intulisse. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus in ecclesiæ devotione constantissime persistentes, & confidentes in Domino, & in potentia virtutis ejus, inimicis ipsius, tanquam Christi fortissimi bellatores potenter & viriliter resistatis. Nec repentini casus iniquitas corda vestra stupore consternat: sed ad ipsius defensionem Ecclesiæ accendat ea potius zelus Dei. Nos enim super his taliter providere, Deo autore, studebimus, auxilii sui dexteram nobis adesse sperantes, quod impiorum depressis conatibus, honor erit Altissimo, catholicæ fidei robur, & ecclesiasticæ libertati augmentum provement, ac vestra, & aliorum fidelium utilitas subsequetur.

XVIII. AD ARCHIEPISC. ARELATENS. ET EPISCOPUM ARAUSICANUM.

Ut comitem Tolosanum, & ejus uxorem reconcilient.

E *Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, archiepiscopo Arelatensi, & episcopo Arausicensi, salutem & apostolicam benedictionem.*

AD audientiam nostram pervenit, quod nobilis vir R.[a] Comes Tolosanus, & nobilis mulier S.[b].. uxor sua nequaquam cohabitant ut tenentur, neque sibi mutuo affectus exhibent conjugales. Quia vero ex hoc grave potest scandalum suboriri, & utrique imminere periculum animarum: fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus eos simul ut cohabitent, & sibi mutuo conjugales affectus exhibeant, moneatis prudenter,

[a] Raimundus
[b] Sanctia

prudenter, & efficaciter inducatis eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione proposita compellendo. Quod si alterutra partium ad hoc impedimentum objecerit, vos audiatis hinc inde proposita, & si de partium voluntate processerit, causam fine debito decidatis: alioqui, quæ inveneritis, nobis fideliter intimetis, ut procedamus exinde prout secundum Deum utriusque saluti & honori videbimus expedire. Datum apud Cryptam ferratam XI. Kal. Aug. pontificatus nostri anno quarto.

XIX. AD PETRUM S. A. LEGATUM.

Ut inquirat an comes Tolosanus ante obitum signa pœnitentiæ dederit.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio magistro Petro de Collemedio capellano nostro, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

EXposuerunt nobis nuncii nobilis viri comitis Tolosani, quod licet in ipsius patre, qui ante reconciliationem terræ decessit, indicia pœnitentiæ in mortis articulo apparuerint manifesta, nec per eum steterit quominus reconciliatus fuerit ecclesiasticæ unitati: corpus tamen ejusdem adhuc extitit inhumatum. Unde ex parte ipsius comitis suppliciter petebant a nobis, ut cum sacramentum non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excluserit, & ecclesiæ judicium, Divinum debeat imitari; mandaremus defunctum, qui propter hoc habendus est ab ecclesia, sicut apud Deum fuisse creditur, absolutus, in cœmeterio ecclesiastico sepeliri. Quocirca discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus diligenter super hoc veritatem inquiras, eam nobis fideliter rescripturus. Datum Anagniæ XIV. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno quarto.

In eumdem modum scripsit episcopo Tolosano, & abbati Grandis-silvæ. Dat. Anagniæ VII. Kal. Octobris, pontificatus anno quarto.

XX. AD EUNDEM.

Ut comiti Tolosano terminus solutionis, & itineris Hierosolymitani prorogetur.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio magistro Petro de Collemedio capellano nostro, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

VEnientes ad præsentiam nostram nuncii nobilis viri Raimundi comitis Tolosani, ex parte ipsius devote a nobis & suppliciter petierunt, ut tam super passagio suo & suorum in subsidium terræ sanctæ, quam super summa decem millium marcarum, in qua ecclesiis pro restitutione damnorum tenetur, sibi inducias de benignitate sedis apostolicæ concedere dignaremur: cum de novo reconciliatus sanctæ matri ecclesiæ, de terra sua, sicut oportet, disponere non potuerit; & de transitu suo, cum non instet modo passagium, provenire nequiret utilitas quæ speratur, nec termino assignato, scilicet proxime venturo festo resurrectionis Dominicæ, illuc valeret, prout eum decet, accedere, cum terra sua nimium exhausta facultatibus, infra tam breve spatium non sufficeret ad expensas necessarias ministrandas. Volentes autem dicto comiti juxta fervorem devotionis suæ, quam habere dicitur ad Deum & ecclesiam, gratiam, quam cum Deo possumus, exhibere: super solutione summæ præfatæ, usque ad beneplacitum nostrum ei duximus terminum prorogandum: discretioni tuæ per apostolica scripta mandantes, quatenus inquisita super hac cōcedenda sibi dilatione passagii, voluntate illustrium regis & reginæ[a] Francorum, & habito prælatorum & baronum, ac aliorum bonorum virorum, quos videris expedire, consilio; consideratis quoque statu ipsius comitis, & terræ suæ, aliisque circumstantiis universis quas inveneris: nobis studeas, transmissis singulorum consiliis, fideliter intimare, ut per tuam relationem instructi, super hoc securius disponere valeamus. Datum Anagniæ VII. Idus Iulii, pontificatus nostri anno quarto.

[a] Nempe S. Ludovici & Blanchæ matris ejus.

Iisdem verbis scribit archiepiscopo Senonensi, ac Parisiensi & Carnotensi episcopis. Dat. Anagniæ X. Kal. Octobris, pontificatus anno quarto.

XXI. AD COMITEM TOLOSANUM.

Ut debitam Cistercienſibus pecuniam solvat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Tolosano, salutem & apostolicam benedictionem.

SIgnificante dilecto filio abbate Cisterciensi nos noveris accepisse, quod tu quandam summam pecuniæ, in qua Cistercio & quibusdam aliis monasteriis ordinis Cisterciensis teneris, sicut in litteris super compositione pacis inter te ex una parte, & ecclesiam, ac carissimum in Christo filium nostrum illustrem regem Franciæ ex altera, per dilectum filium nostrum Romanum sancti Angeli diaconum cardinalem, tunc legatum apostolicæ sedis, reformata plenius dicitur contineri, detines pro tuæ arbitrio voluntatis & eis solvere contradicis. Quare a nobis humiliter postulabat, ut tibi super hoc preces nostras & litteras dirigere dignaremur. Nos igitur ejus devotis precibus inclinati, nobilitatem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur per apostolica scripta mandantes, quatenus jam dictam pecuniam monasteriis sine difficultate qualibet, ut teneris, restituas memoratis: alioquin noveris nos venerabili fratri nostro episcopo Tornacensi apostolicæ sedis legato nostris dedisse litteris in mandatis, ut te ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, cognita veritate compellat. Datum Laterani IV. Nonas Ianuarii, pontificatus nostri anno quarto.

XXII. AD EUNDEM.

Ut puniat eos qui monachum Conchensem occiderūt.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Tolosæ, salutem & apostolicam benedictionem.

HOrrendum facinus quod Bernardus Convenarum, & quidam alii vassalli tui in Iesu Christi opprobrium attentarunt, ipsum Christum sine dubio provocat, & provocare debet homines contra eum; ipsumq; reddere universis odibilem, qui Deū timent, & homines reverentur. Sicut enim dilecti filii abbas & conventus Conchensis gravi nobis conquestione monstraverunt, iidem vassalli quendam eorum monachum subdiaconum juxta altare constitutum, ausu sacrilego capientes, ac eum, crucifixum, ac Eucharistiam amplectentem, lethaliter vulnerantes, & extrahentes ab ecclesia, violenter ipsum in Iesu Christi, & totius cleri contumeliam in patibulo suspenderunt. Et licet quidam eremita semivivum eumdem de patibulo deposuisset eodem: ipsi tamen eum iterum suspendentes, in iis & aliis, eis graves

graves & injuriosi existunt. Quia igitur tantam Dei, A & ecclesiæ non possumus injuriam, sicuti nec debemus, æquanimiter sustinere: nobilitatem tuam rogamus, & monemus attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus, cum injuria hujusmodi Dei potius quam hominis censeatur, pungat cor tuum tui contumelia creatoris; & sic hujusmodi sacrilegos tradita tibi potestate castiges, ac facias eisdem abbati & conventui de illatis injuriis satisfactionem congruam exhiberi; quod per hoc crescas, & nomine apud homines, & merito apud Deum.

Datum Reate x. Kalend. Novembris, pontificatus nostri anno quinto.

XXIII. EPISCOPO TORNACENSI.

Vt benigne suscipiatur comes Tolosanus.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabili fratri episcopo Tornacensi, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

DE parte dilecti filii comitis Tolosani nobis est oblata querela, quod cum ipse in firmo proposito, & summo gerat desiderio inflexibiliter permanere in devotione sedis apostolicæ matris ejus; super quo turbati plures tanquam non valentes, cum in se mali sint, aliorum bonitatem in patientia sustinere, ipsum ab intentione sua laudabili retrahere moliuntur: quidam terræ suæ prælati hoc nolentes intendere, in proferendo in eum excommunicationis sententiam nimis C faciles & præcipites se ostendunt: contra quos dictus comes humiliter petiit per nostram sollicitudinem provideri. Quia vero non modicum expedire dinoscitur, ut ad augmentandum in ipso pietatis affectum quasi nova plantula benignitatis foveatur irriguo, & dulci lacte ecclesiæ recreetur: fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus in lenitate ac mansuetudine tractans eundem, & ad hoc ipsum prædictos prælatos inducens, nihil ab eis permittas in ejus gravamen aut contumeliam attentari.

Datum Reate XII. Kalend. Martii, pontificatus nostri anno quinto.

XXIV. AD S. LUDOVICUM REGEM D FRANCORUM.

Cur R. ecclesia detineat comitatum Venascenum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Ludovico regi Francorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

LItteras quas pro dilecto filio nobili viro comite Tolosano super terra, quam Romana ecclesia citra Rhodanum ad manus suas retinuit, regalis nobis excellentia destinavit, solitæ benignitatis affectu recepimus: & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter. Sane illius testimonium invocamus, qui E testis est in cælo fidelis, quod licet ecclesia Romana prædictam terram, in qua infinitis angustiis, & expensis innumeris, multorum sanguine hactenus extitit laboratum, ad manus suas duxerit retinendam, ne reprobis repetentibus vel irruentibus in eandem, fieret durior post prosperitatem adversitas: non tamen intendimus terram illam propriis usibus applicare, non in ea privatum prosecuti fuimus interesse, nullam in retentione ipsius utilitatem quæsivimus temporalem, cum sit negotium pacis & fidei, & Dei sit causa quam agimus, & spirituale dumtaxat in hoc commodum attendamus. Sed cum illius terræ conversio adeo sit adhuc recens & tenera, quod ex mutatione subita facile posset incurrere recidivum, & recidivi languores interdum esse soleant prioribus graviores: accurata est sollicitudine præcavendum, ne morbus, qui tam graviter Christi maculavit ecclesiam, iterum postquam curatus est, in ipsius possit refluere corruptelā. Quantum claræ memoriæ Ludovicus rex Francorū pater tuus in præmisso negotio laboravit, ad cujus prosecutionem de suis liberaliter contulit, & tandem se liberalius adjecit, vitæ vitam offerens, ut viveret in Christo post mortem? Quot inclyti in prosecutione ipsius negotii de regno Francorum ceciderunt? Quanto sudore laboratum est, & quanto labore sudatum, ut terra illa conversa in salsuginem a malitia inhabitantium in ea, bellis attrita continuis, & B hæreticæ pravitatis erroribus involuta, & ab hujusmodi respiraret angustiis, & contagiis purgaretur? Quanta strages populi Christiani, quot animarum pericula, ecclesiarum destructio, religiosorum locorum excidium, damna rerum, & expensarum dispendia, occasione præfati negotii, peccatis exigentibus sunt secuta? Et utinam esset adhuc dictum negotium adeo solidatum, quod ex nulla parte status ejus penitus fluctuaret. Nunquid non grandi cautela opus est, ne tot impensæ perdantur? Nunquid vero nobis, si quid inde sinistri, quod absit, accideret, posset non immerito imputari? Nunquid formidare non immerito possumus præteritis futura pericula graviora? Et ideo quantumcumque dictum comitem, sicut specialem apostolicæ sedis filium, sincera diligamus in Domino caritate, & ad incrementum & exaltationem ipsius libenter, si per eum non steterit, aspiremus, paternæ circa eum sollicitudinis gerentes affectum: expedit tamen ut in tanto negotio non nisi circumspecta deliberatione præhabita procedatur.

Verum quia nobis quid super hoc magis expediat negotio memorato, fieri non potuit plena fides, venerabili fratri nostro episcopo Tornacensi apostolicæ sedis legato, nostris damus litteris in mandatis: ut vocatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis, qui in sua legatione consistunt, & cum eis super præmissis & eorum circumstantiis universis deliberatione habita diligenti, consilium quod super his datum fuerit, nobis studeat suis litteris fideliter intimare, ut procedamus exinde prout secundum Deum videbimus expedire melius. Ipsius itaque habita responsione legati, sic Deo propitio in præmisso negotio procedemus, nihil de contingentibus omittendo, quod Deo pro posse satisfaciemus, & homini, ac tuæ serenitati gratum esse poterit & acceptum.

Datum Reate IV. Nonas Martii, pontificatus nostri anno quinto.

XXV. AD REGINAM FRANCORUM.

Ejusdem argumenti.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, carissimæ in Christo filiæ reginæ Francorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

LItteras quas pro dilecto filio nobili viro comite Tolosano super terra, quam Romana ecclesia citra Rhodanum ad manus suas retinuit, regalis nobis excellentia destinavit, solitæ benignitatis affectu recepimus, & quæ continebantur in eis intelleximus diligenter, &c. *ut epistola præcedenti.*

XXVI. AD COMITEM TOLOSANVM. A

De eodem argumento.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Tolosæ salutem & apostolicam benedictionem.

NOn est de arbore dubitandum, cum de fructu constiterit; nec de illius intentione querendum, qui nihil agit in tenebris, sed in luce, ut ejus sint opera manifesta: cum in actibus suis non dubiæ præsumptioni sit locus, sed experientiæ certæ credatur. Sane quam intentionem in facto tuo gesserimus hactenus & geramus, licet non pepercerimus virgæ, ut filium B lucraremur, operis exhibitio manifestat. Paternæ siquidem erga te solicitudinis gerentes affectum, te sicut specialem apostolicæ sedis filium sincera diligimus in Domino caritate: ad incrementum & exaltationem tuam, si per te non steterit, aspirantes. Cæterum licet ecclesia Romana terram citra Rhodanum, pro qua tibi restituenda carissimi in Christo filii nostri, Fridericus Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem & Siciliæ rex, ac rex & regina Francorum, illustres nobis humiliter supplicarunt, in qua infinitis angustiis, & expensis innumeris, multorum sanguine hactenus extitit laboratum, ad manus suas duxerit retinendam, ne reprobis repetentibus vel irruentibus in eandem, fieret durior post C prosperitatem adversitas: illius tamen testimonium invocamus qui testis est in cælo fidelis, quod non intendimus terram illam propriis juribus vel usibus applicare, non in ea privatum prosecuti fuimus interesse, nullam in retentione ipsius utilitatem quæsivimus temporalem, cum sit negotium pacis & fidei, Dei sit causa quam agimus, & spirituale in hoc duntaxat commodum attendamus. Verum quia nobis quid super hoc magis expediat negotio memorato, fieri non potuit plena fides: venerabili fratri nostro episcopo Tornacensi apostolicæ sedis legato damus nostris litteris in mandatis, ut vocatis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis ecclesiarum prælatis qui in sua D legatione consistunt, & cum eis, tam super præmissis, quam super prorogatione termini de transfretando in subsidium terræ sanctæ, quam iidem rex & regina pro te a nobis fieri postularunt, & eorum circunstantiis universis, deliberatione habita diligenti, consilium quod super iis datum fuerit, nobis studeat suis litteris fideliter intimare, ut procedamus exinde prout secundum Deum videbimus melius expedire. Ipsius itaque habita responsione legati, sic Deo propitio in præmisso negotio procedemus, nihil de contingentibus omittendo: quod Deo pro posse satisfaciemus, & homini; & tua devotio poterit non irrationabiliter acceptare. Tu autem in nostra & eccle- E siæ Romanæ devotione ac fidei puritate persistas, cum possis credere firmiter ac sperare, quod tibi sit devotionis & fidei tuæ sinceritas responsura.

Datum Reate IV. Nonas Martii, pontificatus nostri anno quinto.

XXVII. AD EPISC. TORNACENSEM.

Vt benignus sit erga comitem Tolosanum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Tornacensi apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem.

ET verbera patris & ubera matris apostolica sedes habere dinoscitur, dum & patris rigorem observat, & matris non deserit lenitatem: sic utrumque condiens, ne crudelis sit rigor, nec lenitas dissoluta: & sic vicissim alterum altero recompensans, ut nec parcat virgæ dum diligit, nec dum corrigit in caritate frigescat, sed fervet in ira misericordiam, & in benevolentia disciplinam. Licet igitur dilectus & nobilis vir comes Tolosanus aliquando elongatus a nobis, in regionem dissimilitudinis aberrasset: quia tamen illo faciente cum eo signum in bonum, qui neminem a misericordia sua repellit, recurrit ad ubera sanctæ ecclesiæ matris, quæ ipsum desiderat lacte dulci nutriri: nos paternæ circa eum solicitudinis gerentes affectum, & ipsum sicut specialem apostolicæ sedis filium sincera diligentes in Domino caritate, ad incrementum & exaltationem suam, si per eum non steterit, aspirando, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem comitem habens pro nostra & apostolicæ sedis reverentia propensius commendatum, jura sua sic conserves illæsa, sicut ecclesiastica vis illibata servari.

Datum Reate IV. Idus Martii, pontificatus nostri anno quinto.

XXVIII. AD COMITEM TOLOSANVM.

Confirmat institutam Tolosæ academiam.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio & nobili viro comiti Tolosano, salutem & apostolicam benedictionem.

OLim operante illo qui vult omnes homines salvos fieri, & neminem vult perire, per dilecti filii nostri Romani Portuensis electi ministerium, tunc in illis partibus apostolicæ sedis legati, inter ecclesiam & te pace, Divina præeunte gratia, reformata: dictus legatus tam provide quam prudenter attendens quod fides Catholica, quæ pene penitus videbatur de illis partibus profligata, inibi reflorere valeret, si illic litterarum studium crearetur, duxit provide statuendum, ut in Tolosana civitate cujuslibet licitæ facultatis studia plantarentur: quorum magistris, ut liberius possint vacare studiis & doctrinis, a te fuit promissum certum salarium & statutum. Vnde nos, quod super præmissis factum est, gratum & ratum habentes: ut ea, qua gaudent Parisienses scholares, perpetuo magistri scholares Tolosæ, & omnes qui eis successerint in hac parte, gaudeant libertate, ipsis duximus concedendum.

Statuimus nihilo minus, ut cives Tolosani domos vacantes ad inhabitandum scholaribus pro competenti pretio taxando a duobus clericis, & totidem laïcis, viris discretis, catholicis & juratis, communiter electis ab ipsis locare cogantur.

Sancimus præterea quod nulli magistri, & scholares, vel clerici, ac servientes eorum, si, quod absit, contigerit eos in quocumque maleficio deprehendi, ab aliquo laico judicentur, vel etiam puniantur: nisi forsitan judicio ecclesiæ condemnati, sæculari curiæ relinquantur; & ut laici teneantur studentibus in...... coram ecclesiastico judice respondere secundum consuetudinem ecclesiæ Gallicanæ.

Necnon & ut tu, comes Tolosane, ballivi tui, & barones terræ, securitatem & immunitatem suo jurejurando promittere compellamini personis & rebus scholarium, ac etiam nunciis eorumdem; & a vestris subditis illud idem fieri faciatis. Et si qui eos vel eorum nuncios in terris vestris pecunia vel rebus aliis spoliaverint: vel emendari faciatis, vel etiam emendetis.

Ad hæc & tu cum in reformatione pacis te obligaveris præfato juramento, ut certum salarium usque ad certum

ad certum tempus, certo numero magistrorum exsolvas: statuimus, ut illud sine qualibet diminutione persolvas usque ad terminum constitutum, & plenarie satisfacias de subtractis. Quocirca nobilitatem tuam rogandam duximus attentius ac monendam, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus magistris & scholaribus supradictis te favorabilem exhibeas & benignum, statuta præfati electi illibata conserves, & ab omnibus tuæ jurisdictionis subjectis facias firmiter observari.

A

Datum Laterani pridie Kalend. Maii, pontificatus nostri anno septimo.

XXIX. AD ARCHIEPISCOPOS, ET EPISCOPOS IN PROVINCIA CONSTITUTOS.

B

Ut benigni sint erga comitem Tolosanum.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Viennensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, & aliis archiepiscopis, & episcopis in Provincia constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

CUm dilectus filius nobilis vir comes Tolosanus nuper redierit ad apostolicæ sedis gratiam, ita quod devotionis alumnum se reputat, & ecclesiæ Romanæ filium specialem: per vos eum exasperari non expedit, sed semper in Deum potius confoveri, ut idem sentiens affectum in membris, quem cognoscit in capite ecclesiæ, in dulcedine delectatus ad devotionis augmentum amplius inardescat. Quare fraternitatem vestram monemus, per apostolica vobis scripta mandantes, quatenus in benignitate prosequentes eumdem, sibi vos exhibeatis, quantum cum Deo poteritis, favorabiles & benignos; neque sitis, sicut nec convenit, proni vel faciles ad ferendum in personam suam excommunicationis sententiam, vel ad supponendum interdicto ecclesiastico terram ejus, cum inter alia prælatos potissimum deceat maturitatem & gravitatem in ferendis hujusmodi sententiis observare: mandatum nostrum taliter impleturi, quod ipse mansuetudinem in vobis se gaudeat invenisse, & nos debeamus vos exinde merito commendare.

C

D

Datum Laterani Idibus Ianuarii, pontificatus nostri anno VII.

XXX. AD COMITEM TOLOSANUM.

Cur ei Venascensem agrum non restituat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio nobili viro comiti Tolosano, salutem & apostolicam benedictionem.

REputantes ecclesiæ Romanæ te specialem filium & devotum, ac ad personam tuam patris gerentes affectionem, petitionibus tuis benignum assensum, quantum cum Deo possumus, impertimur. Unde si quando preces tuas non admittimus, credere potes & debes rationabilem causam subesse, propter quam a pietate paterna, quod filius postulat devote, non impletur. Cum itaque in terra Venascensi, pro qua tibi restituenda nobis per litteras & nuncios supplicasti, multi se jus habere proponant, & nos ex officii nostri debito teneamur cuilibet justitiam suam conservare: ad præsens super hoc deliberare nequivimus, nec tibi certum aliquid respondere. Unde ei, qui tibi contra pravitatem hæreticam fidei suæ fervorem inspiravit & zelum, laudes & gratias exhibentes, & tuæ commendantes sinceritatis affectum, nobilitatem tuam monemus, & hortamur attente, ac tibi consulimus, quatenus id indefesso prosequaris studio pietatis pro exaltatione puritatis catholicæ, & sis, sicut laudabiliter incœpisti, solicitus in Romanæ ecclesiæ dilectione immobiliter perseverare. Nos enim cum devotionis continuatio te amplius reddit favorabilem & acceptum, eo magis in his quæ cum nostra possumus honestate, parati sumus favorem tibi & benevolentiam exhibere.

E

Datum Laterani XVIII. Cal. Febr. pontificatus nostri anno septimo.

XXXI. AD S. LUDOV. FRANC. REGEM.

Edidit Puteanus ex authentico quod in regio tabulario servatur.

Auxilium petit adversus Fridericum imp. regesque Francorum sanctæ sedis defensores prædicat.

Gregorius episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri regi Franciæ salutem, & apostolicam benedictionem.

DEi filius, cujus imperiis totus orbis obsequitur, cujus beneplacitis cælestis exercitus agmina famulantur, secundum divisiones linguarum & gentium in signum Divinæ potentiæ diversa regna constituit, diversa populorum regimina in ministerium mandatorum cælestium ordinavit: inter quæ sicut tribus Iuda inter cæteros filios patriarchæ ad specialis benedictionis dona suscipitur, sic regnum Franciæ præ cæteris terrarum populis a Domino prærogativa honoris & gratiæ insignitur.

Nam velut præfata tribus regni præfigurativa prædicti undique fugabat hostium cuneos, terrebat & conterebat undique, ac suis subjugabat pedibus per circuitum inimicos: non aliter idem regnum pro exaltatione catholicæ fidei Dominica prælia dimicans, & in Orientis & Occidentis partibus pro defensione ecclesiasticæ libertatis, ecclesiæ hostes expugnans, sub vexillo claræ memoriæ prædecessorum tuorum: quandoque terram sanctam superna dispositione de manibus paganorum eripuit, quandoque Constantinopolitanum imperium ad obedientiam ecclesiæ Romanæ reducens, dictorum prædecessorum studio ecclesiam ipsam a multis periculis liberavit, pravitatem hæreticam, quæ in partibus Albigensibus fere fidem extirpaverat Christianam, totis viribus expugnare non destitit, donec ea quasi penitus confutata, fidem ipsam ad pristini status solium revocavit. Sicut præfata tribus velut reliquæ a cultu Dominico nunquam declinasse legitur, sed idololatras & infideles multis expugnasse præliis perhibetur: sic ut in eodem regno quod a devotione Dei & ecclesiæ nullo casu avelli potuit, numquam libertas ecclesiastica periit, nullo unquam tempore vigorem proprium Christiana fides amisit: quinimmo pro earum conservatione reges & homines dicti regni sanguinem proprium fundere, & se periculis multis exponere minime dubitaverunt.

Ad quorum probationem inclytæ recordationis Caroli, & multorum Regum progenitorum tuorum gesta colligere possumus. Sed tamen ne habito ad infinita descensu, a longe exempla veterum colligamus: recolendæ memoriæ Ludovicus pater tuus, non pro amplificatione regni sui, sed fidei, Domino in dictis partibus Albigensium, cum multitudine nobilium militum, & aliorum fidelium eligens præliari, sub sudore militiæ Dominicæ exutus corpore, cælo spiritum reddidit: & posteris suis similia faciendi sub quodam tacito testamento præceptum indicens, ad regnum quod Deus præparavit se diligentibus, cum iisdem fidelibus, quos Dominus in triumphali victoria ad coronam vocavit martyrii, cursu laudabili properavit.

Ex quibus evidenti ratione perpendimus, quod regnum Franciæ prædictum, benedictum a Domino, redemptor noster quasi specialem Divinarum voluntatum executorem eligens, & ipsum sibi sicut pharetram circa femur accingens, ex ipsa sæpius sagittas electas extrahit, & eas in tuitionem ecclesiasticæ libertatis & fidei, in contritionem impiorum, & defensionem justitiæ, in arcu brachii potentis emittit. Propter quod prædecessores nostri Romani pontifices a progenie in progenies tam laudabilia dictorum progenitorum opera recensentes, ad ipsos continuum in necessitatibus suis habuere recursum: illique credentes, quod non petentium, sed causa Dei potius agebatur, petitum nunquam negavere subsidium: quin potius nonnunquam non postulatum, ecclesiæ opportunitatibus in manu forti indulsere succursum.

Ex quo & nos scientes quod propriæ servat propago vitis originem, quod idem succus ramos vivificat & radicem; & non credentes omnino ut eisdem progenitoribus quibus parificaris honore dominii, patiaris te contrarium moribus & inferiorem virtutum actibus inveniri; quinimmo sperantes quod gratia bonitatis, quæ ipsis erat innata, in tuam sit derivata personam: ad te multa ducti confidentia recurrimus, ut, sicut tenemur, serenitati tuæ plagas longe duriores & diriores, quam in crucis patibulo inflictæ fuerunt regi omnium sæculorum, quas in corpore Christi multis blasphemiis & aliis modis quasi obducta cicatrice Fridericus dictus imperator jam renovat & cruentat, aperire possimus, qui ministerio proditoris velamen apostolatus, ut Dominum crucifixoribus tradere posset, habentis, uti minime erubescens, se Divinis mysteriis, quæ ante sententiam in se latam quasi paganus penitus abhorrebat, ut sub pallio pietatis facilius Christum in ecclesia sua de novo crucifigere valeat, in suæ proditionis augmentum immiscere præsumit: sicque secum omnes quos potest in viam perditionis attrahens, ad excusandas excusationes in peccatis, litteras quasdam de promptuario fallaciarum suarum emittit, ex quibus cum earum principium ex veritatis via penitus deviet, finis cum medio falsitati omnino concordet, nihil in mentis discretæ credulitatem assumitur, nisi quod mendaciorum compositor, artium suarum ingenio fortius confutetur.

Propter quod consultius attendentes, quod hæc vulnera non debebamus tam pernicioso occultare silentio, ipsum super prædictis & multis aliis sceleribus sæpe sæpius coram venerabilibus prelatis ecclesiarum, apostolicis scriptis, & solemnibus nunciis monitum, & ad emendationem longis retroactis temporibus expectatum, spe nobis de ipsius correctione subtracta, de consilio fratrum nostrorum post frivolas responsiones suas, excommunicationis vinculo duximus innodandum. Quia etsi in occupatione bonorum ecclesiæ tolerari aliquatenus non deberet, multo fortius super excidio fidei, nostra vel cujuscumque circa eum deberet patientia penitus reprobari.

Hinc est quod nos Christi, qui pro salute hominis descendens e cælis ad prædicandum evangelium in universum mundum transmisit apostolos, exemplo compulsi, ad te præcipuum, te carissimum ecclesiæ filium, te speciale subsidium, te refugium singulare, venerabilem fratrem nostrum episcopum Prænestinum, virum approbatæ bonitatis, & sanctitatis expertæ, magnum ecclesiæ Dei membrum, officio sibi legationis cōmisso pro defensione fidei, pro qua laborare tenetur quilibet qui Christianus professione censetur, dirigimus, & per eū in tantæ necessitatis articulo tui brachii auxilium invocamus. Cum enim pugnare pro eripienda terra sancta de manibus paganorum, sit perpetuæ vitæ meritorium: multo majoris meriti esse creditur, si eorum qui exterminium fidei, in qua salus totius mundi consistit, & ecclesiæ machinantur generale excidium, impietas expugnetur. Speramus autem & pro firmo tenemus, quod Iesu Christo qui pro redemptione tua servi formam accipiens, proprium sanguinem crudeli perforatus lancea fundere, & in cruce mortis voluit subire tormentum, qui diebus istis a dicto Friderico eum asserente in uterum Virginis minime descendisse, crudeliter in se & membris suis ac multipliciter impugnatur: curabis tanquam athleta Dominicus potenter assistere, & honorem Christi, cui nulla debes vel potes ratione deesse; & ecclesiæ sponsæ suæ, bonum statum fidei, & omnium fidelium, totis viribus conservare studebis. Igitur prudenter attendens, quod id tempus est ab æterno conditore dispositum, ut nunc publicæ notitiæ suorum revelet animos amicorum: dicti Friderici, qui eundem episcopum, immo Christum & ecclesiam, suos asserit capitales inimicos, detractionibus & mendaciis, tua in nullo moveatur constantia puritatis: quinimmo eundem legatum, vel potius Christum in ipso, cujus legatione fungitur, & pro cujus tantum fide laborat, præcepta benignitate suscipiens, & ei honore sicut regiam magnitudinem decet impenso, frequenter infra tui pectoris arcana revolvens, quatenus dictis progenitoribus tuis, ex obsequio ecclesiæ præstito laudis titulus & honoris accrevit, dictorum progenitorum excitatus exemplo, apostolicæ sedi, immo Deo, & toti populo Christiano, illud in hoc articulo consilium & auxilium studeas impertiri, per quod in cælesti palatio perpetuæ merearis diademate gloriæ coronari.

Datum Anagniæ XII. Kal. Novembris, pontificatus nostri anno XIII.

*** FRAGMENTA DECRETORUM GREGORII IX.

EX LIB. DECRETALIUM EXCERPTA.

I. Ad abbatem S. Salvatoris Papiensis & Vercellen. præposit.

Nemo prætextu excommunicationis a prosecutione appellationis repellitur. De except. c. II.

Significaverunt nobis capitulum de Tornacen. quod cum P. in suum archipresbyterum elegissent, Mediolanensis archiepiscopus præsentatam sibi electionem renuens confirmare, quendam Zephum clericum in archipresbyterum instituit ecclesiæ supradictæ. Quare ipsis ad sedem apostolicam appellantibus, præposito S. Stephani causam ipsam super his dicimur cōmisisse: qui electionem ipsorum confirmans, & pronuncians jus eligendi ad ipsum capitulum pertinere, partem adversam ab impetitione ipsorum absolvit; a qua sententia partes ad sedem apostolicam appellantes, causam ipsam vobis obtinuere committi. Sed a parte altera, exceptione excommunicationis opposita contra capitulum memoratum, vos minus provide attendentes, quod prætextu excommunicationis oppositæ a prosecutione appellationis non debeat quis excludi; cum omnis legitima defensio excommunicato in judicio reservetur: partem adversam non esse cogendam ad respondendum eisdem, perperàm decrevistis. Propter quod, dictum capitulum nostram audientiam appellarunt. *Et infra*: Mandamus, quatenus si est ita, exceptione hujusmodi non obstante, in eodem negotio procedatis.

II. AD

A

II. Ad abbatem S. Ioannis de Vineis.

Non per positiones & responsiones, sed per petitionem in iure propositam & responsionem secutam, fit litis contestatio, qua omissa nullus est processus. De lit. cōt. unic.

OLim inter episcopum Noviensem ex parte una, & capitulum ecclesiæ S. Quintini ex altera, super quibusdam injuriis, & excommunicationum sententiis, & quibusdam aliis articulis orta fuit materia quæstionis. *Et infra:* Iudices factis quibusdam positionibus, & responsionibus ad easdem: auditis etiam quæ partes voluerunt proponere coram eis, causam eandem ad examen apostolicum remiserunt. Procuratoribus igitur partium propter hoc in nostra præsentia constitutis, quamvis posititiones & responsiones hinc inde super pluribus articulis factæ fuerint coram judicibus memoratis: quia tamen litis contestationem non invenimus esse factam, cum non per positiones, & responsiones ad eas, sed per petitionem in jure propositam & responsionem secutam contestatio litis fiat: processum ipsorum de fratrum nostrorum consilio irritum duximus nunciandum.

III. Ad abbat. S. Nicolai, & decanum Furnens. Morin. Diœc.

Clericus causa mutandi iudicium non debet recipere cessionem a laico.

EX parte Scabinorum Hipreti fuit propositū, quod inter laïcos ejusdem loci quæstionibus emergentibus dirimendis per judicium sæculare, quidam clerici sibi dono vel precio ab aliquibus laïcorum ipsorum cedi faciunt actiones, ut adversarios ad ecclesiasticum forum trahant, & prædam ex hujusmodi commercio assequantur: *Et infra.* Cum igitur cessiones & emptiones litium legitime prohibeant sanctiones, ita quod jactura causæ afficiant illos, qui sibi potentiorum patrocinium taliter advocare præsumunt, & ex eo sint etiam odiosæ, quod ex fonte cupiditatis videntur procedere: mandamus quatenus clericos memoratos a præsumptione hujusmodi per censuram ecclesiasticam compescatis.

IV. Ad abbat. S. Genovefæ.

Delegata iurisdictio ad personas non expressas in rescripto, prorogari non potest.

P & G. per litteras apostolicas conquerentibus coram te de episcopo London". quod concessum ab eis mutuum promisso loco & termino non persolvit: pendente judicio, I. Laicus qui in quantitate quadam eisdem mercatoribus tenebatur, se in tuam jurisdictionem, sicut asserit, voluit prorogare: ut, si intra terminū constitutum prædictam non solveret quantitatem, excommunicationis & interdicti sententias in personam & terram ejus promulgares. Quas hujusmodi occasione a te latas decernimus non valere: cum etsi alias jurisdictioni præesse dicaris: quia in dictum I. nullam jurisdictionem habebas, jurisdictionis prorogatio nulla noscitur extitisse: cum hujusmodi delegata jurisdictio ad alias personas nequeat prorogari.

V. Ad abbatissam & conventum Iotren.

De controversia inter archiepiscopum Senonensem & abbatissam Iotrensem. De arbitris. c.13.

CVm a nobis petitur: *Et infra.* Ex parte vestra fuit propositum, quod olim inter vos & Senonensem archiepiscopum quæstione suborta super eo quod idem archiepiscopus asserens monasterium vestrum Metropolitico jure sibi subesse, procurationes & res alias exigebat a vobis: tandem in V. sancti Angeli diac. cardin. tunc apostolicæ sedis legatum, a partibus concorditer compromisso, & promisso sub certa pœna quod arbitrio seu ordinationi eiusdem, vel duorum mediatorum, quos idem super hoc deputaret, præcise parerent: magister P. capellanus noster, & I. archidiaconus Senon. mediatores ab eodem super hoc deputati legato, ordinando & definiendo causam huiusmodi terminaverunt. Nos igitur quod per prædictos mediatores super hoc actum est, autoritate apostolica confirmamus.

B

VI. Ad S. præcentorem, & magistrum N. canonicum Ambianensem.

Si delegatus pronuntiaverit se iurisdictionem non habere, ipsam etiam de consensu partium non reassumit. De offic. & pot. jud. deleg. c.38.

C

SIgnificantibus M. muliere, & I. nato eius, nos noveritis accepisse, quod cum nobilis mulier Iuliana vidua mentiens se pauperem, contra eos super terris & rebus aliis ad iudices nostras litteras impetrasset: iidem coram eis excipiendo proponere curaverunt, quod cum dictæ litteræ suggesto mendacio impetratæ fuissent, cum prædicta Iuliana, quæ nobilis est & dives, pauperem se dixisset in eis coram ipsis, nisi requisito prius domino, sub cuius iurisdictione ipsi consistunt, & coram quo parati erant eidem exhibere iustitiæ complementum, non debebant de iure per tales litteras conveniri. Vnde dicti iudices interloquendo pronunciarunt se per easdem litteras procedere non debere. *Et infra:* Demum fuit a partibus in quosdam tanquam in arbitros taliter compromissum, quod si intra terminum in compromisso expressam causam non deciderent, partes ad eorundem iudicum redirent examen. Verum arbitris causam intra terminum negligentibus terminare, dicti iudices iurisdictionem per formam compromissi huiusmodi resumpserunt: a quibus iidem se sentientes gravari, quod super his, super quibus ab eis fuerant absoluti, litigare compellebant eosdem, ad nostram audientiam appellarunt. Ideoque mandamus, quatenus, si est ita, revocetis in irritum.

D

E

VII. Ad patriarcham Antiochiæ apost. sedis legatum.

Ecclesia ministris destituta, absentes non obstantibus privilegiis per subtractionem proventuum redire cogat. De cler. non resid. c. 16.

CVm ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata. *Et infra:* Sane vobis innotuit, quod ecclesia Antiochena, multis ex servitoribus eius absentibus, est fere destituta ministris. Vnde mandamus, quatenus non obstantibus apostolicis indulgentiis & prædecessorū tuorū licentia, absentes canonicos & assisios revoces

revoces ad residendum in ecclesia supradicta: & si A non venerint, tu de ipsorum beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi ecclesiæ facias congrue deserviri, in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis beneficiis superfuerit, convertendo.

VIII. Ad Antonium subdiaconum.

De testam. c.1.

Episcopus de rebus patrimonialibus testari potest: de rebus ecclesiæ, seu tempore episcopatus acquisitis minime.

QVorundam ad nos relatione pervenit, quod I. Atellanæ civitatis episcopus condito testamento B in octo uncias substantiæ suæ nurum heredem instituit, ecclesiam suam in residuis quatuor. Hortamur igitur ut solicite hoc discutias, & quicquid ipsum habuisse patuerit, a qualibet persona detineri nullatenus patiaris: nisi hoc solum, quod eum ante episcopatus ordinem proprium habuisse constiterit. Quicquid vero ecclesiæ ante ipsius consecrationem fuisse cognoveris, vel in episcopatus ordine prædictum episcopum acquisivisse", in ejusdem ecclesiæ dominio conservetur.

" acquisisse in antiquis.

IX. Ad Arelaten. capitulum.

De privil. c.33.

De novalibus. C

COnsultationi vestræ breviter respondemus, quod terra, de qua non extat memoria quod aliquando culta fuisset, redacta per religiosos viros noviter ad culturam, perpetuo debet quoad immunitatem de nõ solvendis decimis novalium jure censeri. Cum alias nonnunquam contingeret indulgentiam de novalibus plus eis dispendiis, quam utilitatis afferre.

X. Ad archipresbyterum S. Mariæ majoris de Vrbe.

De major. & obed. c.15.

Qui maior est ordine, licet in ecclesia posterius receptus, in loco & portione præfertur. D

STatuimus ut presbyteri primum locum, diaconi secundum, subdiaconi tertium, & sic de reliquis obtineant ordinatim, etiamsi posterius admittantur. Et qui major est ordine, etiamsi postea sit receptus, in portione percipienda esse volumus potiorem: ac minores facere servitia consueta.

XI. Ad eundem.

De const. c.13.

Constitutio, futura respicit, & non præterita: nisi in ea de præteritis caveatur.

QVoniam constitutio apostolicæ sedis omnes astringit, & nihil debet obscurum vel ambiguum continere: declaramus constitutionem, quam nuper super preferendis in perceptione portionis majoribus, E & consuetis servitiis a minoribus exhibendis, edidimus: non ad præterita, sed ad futura tantum extendi, cum leges & constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad præterita facta trahi: nisi nominatim in eis de præteritis caveatur.

XII. Ad Argentinensem episcopum.

De cõvers. in fid. c.2.

Si alter infidelium coniugum venit ad fidem, altero remanente in infidelitatis errore, communis proles assignatur converso.

EX litteris tuis accepimus, quod quidam de Iudaïcæ cæcitatis errore ad Christum verum lumen A adductus, uxore sua in Iudaïsmo relicta, in judicio postulavit instanter, ut eorum filius quadriennis assignaretur eidem, ad fidem catholicam, quam ipse susceperat, perducendus. Ad quod illa respondit, quod cum puer adhuc infans existat, propter quod materno magis indiget solatio, quam paterno, sibique ante partum onerosus, dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur, ac per hoc legitima conjunctio maris & fœminæ magis matrimonium quam patrimonium nuncupetur, dictus puer apud eam debet convenientius remanere. *Et infra*: Cum autem filius in patris potestate consistat, cujus sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debeat apud illas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod saluti vel vitæ insidiantur illius, & pueri post trienniũ apud patrem non suspectum ali debeant & morari, materque pueri, si eum remanere contingeret apud ipsam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem: in favorem maxime fidei Christianæ respondemus, patri eundem puerum assignandum.

XIII. Ad eundem.

Pueri & alii ad beneficia inidonei.

De præb. c.35.

SVper inordinata ordinatione: *Et infra*. Cum autem illi sint in ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volunt in ipsis: cõsultationi tuæ taliter respõdemus quod pueri & beneficiati qui nõ possunt in eadẽ ecclesia deservire, in ea nõ debẽt idonei reputari.

XIV. Ad Astoricensem episcopum.

Ecclesia non consecrata, in qua Divina officia celebrantur, gaudet immunitate.

De mun. ecc. c.9.

ECclesiæ in qua Divina mysteria celebrantur, licet adhuc non extiterit consecrata, nullo jure privilegium immunitatis adimitur: quia obsequiis Divinis dicata, nullius est temerariis ausibus profananda.

XV. Ad eundem.

Ecclesia polluta, per quem reconcilianda.

De consec. eccl. c.9.

AQua per episcopum benedicta ecclesiam reconciliari posse per alium episcopum non negamus, per sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes. Non obstante consuetudine provinciæ Bracaren. quæ dicenda est potius corruptela, quia licet episcopus committere valeat quæ jurisdictionis existunt; quæ ordinis tamen episcopalis sunt, non potest inferioris gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus episcopis super reconciliatione factum est hactenus per eosdem, misericorditer toleramus.

XVI. Ad eundem.

Ecclesia etiam non consecrata, si polluitur, reconcilianda est.

Ibidem. c.10.

SI ecclesia non consecrata cujuscunque semine fuerit aut sanguinis effusione polluta, aqua protinus exorcizata lavetur, ne Divinæ laudis organa suspendantur. Est tamen quam citius fieri poterit consecranda.

XVII. Ad eundem.

De iis qui communicant excommunicatis.

De sent. ex comm. c. 55.

SI cõcubinæ publicæ clericorũ, ecclesiasticę censurę districtione notentur, eosdẽ concubinarios non est dubium

dubium sententiam majoris excommunicationis involvi, qui post latam sententiam communicant in eodem crimine criminosis.

XVIII. Ad Astoricens. & Lucens. episc.

De Iudæis. ...48.

Iudæi vel pagani publicis officiis non præficiendi.

EX speciali, quem erga illustrem regem Portugalliæ gerimus, caritatis affectu. *Et infra*: Mandamus, quatenus regem ipsum solicite inducatis, ne in officiis publicis Iudæos Christianis præficiat, sicut in generali concilio continetur: & si forte reditus suos Iudæis vendiderit vel paganis, Christianum tunc deputet de gravaminibus inferendis, clericis & ecclesiis non suspectum, per quem Iudæi sive Saraceni, sine Christianorum injuria, jura regalia consequantur.

XIX. Ad decanum & magistrum P. canonicum S. Petri Atrebatensis diœcesis.

De arbitris ...12.

Non valet compromissum factum in duos, hoc adiecto, ut in casu discordiæ eligatur tertius per eosdem.

INnotuit nobis Guillelmo laïco conquerente, quod cum O. laïcus ipsum super quadam summa pecuniæ coram judicibus autoritate apostolica convenisset, tandem fuit a partibus in duos arbitros compromissum: sic tamen quod si illi duo ad invicem discordarent, tertium adderent judices nominati, retenta penes se compellendi partes ad observandum arbitrium per dictos arbitros promulgandum nihilo minus potestate. Cumque tertius arbiter a judicibus prædictis electus, cum altero duorum, ipsum parti alteri condemnasset: idem ex eo sentiens a sæpe dictis judicibus se gravari, quod ipsum ad observationem hujusmodi arbitrii compellebant, nostram appellavit audientiam. Sed ipsi appellatione contempta, excommunicationis tulerunt sententiam in eundem. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, cum legali sit provisione statutum, ut compromissum de incerta persona in arbitrum assumenda non teneat, dictam excommunicationis sententiam denuncietis penitus nullam esse.

XX. Ad Baranensem archiepiscopum.

Ordinatus extra tempora statuta, post pœnitentiam ministret.

De temp. ord. c. 16.

COnsultationi tuæ taliter respondetur; quod eos, qui extra tempora statuta sacros ordines receperunt, characterem non est dubium recepisse: quos pro transgressione hujusmodi, primo eis pœnitentia imposita competenti, sustinere poteris in susceptis ordinibus ministrare.

XXI. Ad Baren." archiepisc. Et fratrem Ioseph monachum Florent.

Bararen.

De collus. deteg. c. 4.

Absolutio de criminibus per collusionem facta, non impedit facultatem iterum accusandi.

IN tantum clamor, qui ascendit contra Acheruntinum archiepiscopum invalescit, quod dissimulare ipsum ulterius sine scandalo non valemus, nec sine periculo tolerare. *Et infra*: Licet autem sedes apostolica frequentibus clamoribus excitata, inquisitionem quorumdam excessuum suorum duxerit committendam: propter tergiversationes tamen ipsius, ut dicitur, eodem cum inquisitoribus & examinatoribus colludente, necnon corruptis testibus & inquisitoribus, ac examinatoribus supradictis, non solum prædicti excessus remanserunt hactenus incorrupti, verum etiam pejora prioribus committere non expavit. *Et infra*: Discretioni vestræ mandamus, quatenus si de hujusmodi collusione ac corruptione constiterit: ex integro super præmissis & aliis, alioquin super novis duntaxat inquiratis, quæ videritis inquirenda.

XXII. Ad Beton. & Fungin. abbates.

Spirituale cum temporali permutari non potest. De rer. perm. c. 9.

EXhibita nobis abbatis & conventus S. Martini de Pannonia petitio, continebat quod cum super causa, quæ inter ipsos ex una parte, & præpositum Albanen. ex altera, super quibusdam decimationibus vertebatur, ad C. capellanum nostrum tunc in Hungaria commorantem, nostras litteras impetrassent: ipse ac magister M. in quos utrinque tanquam in arbitros extitit compromissum, arbitrati fuerunt, quod si dictus præpositus obtineret decem millia solidorum regalium a rege Hungariæ concedi monasterio memorato, ipsi ab earundem decimationum petitione cessarent. *Et infra*: Quocirca mandamus, quatenus si vobis constiterit de præmissis, cum permutatio de spiritualibus ad temporalia improbetur, prædictum arbitrium, & quicquid secutum est ex eo, vel ob id, irritum decernatis.

XXIII. Ad decanum & capitulum S. Ioannis & S. Stephani Bisuntinens.

De cõtrouersia super electione archiepisc. Bisuntini. De ele. & ele. pot. c. 52.

CVm in veteri lege. *Et infra*: Porro jamdudum vobis dedimus in mandatis ut intra quadraginta dies post receptionem litterarum nostrarum cum consilio S. Benigni & Morismundi abbatum, & fratris S. de ordine Prędicatorum, eligeretis personam idoneam canonice in pastorem: alioquin dicti consiliarii vobis de archiepiscopo providerent. Verum die ad eligẽdum præfixa, sex ex vobis potestatem eligendi dedistis, usque ad consumptionem cujusdam candelæ, quæ ibidem accensa extitit, duraturam. Tandem cum electores hujusmodi convenissent in prædictum abbatem S. Benigni, & super hoc sociorum ejus consilium requisissent: proponente uno ex illis quod deliberato consilio responderent, & differentibus eis festinanter dare responsum, præfati electores, cum candela ipsa deficeret; non expectato ipsorum consilio dictum abbatem in Bisuntinensem archiepiscopum elegerunt. *Et infra*: Relato ergo ad apostolicam sedem negotio, archiepiscopo Viennensi & abbati de Firmitate injunximus, ut si constaret ab eisdem electoribus de electione tractatum fuisse habitum, & in tractatu electionis" prædictorum consilium requisitum, electionem ipsius abbatis (si persona esset idonea) confirmarent. Quod si in tractatu electionis non fuisset illorum consilium requisitum, licet postea requisitum fuerit non competenti tempore, nec etiam expectatum responsum ipsorum, aut non esset idoneus idem abbas: quod de ipso factum erat, tanquam invalidum irritarent. *Et infra*: Cum autem compertum non fuerit, competenti tempore requisitum consilium de persona idonea prædicti abbatis; & quando extitit requisitum, non fuit expectatum responsum nisi modico tempore; nec debeat aliis imputari, quod in tantum illi sibi tempus arctarant: electionem abbatis ipsius, non personæ, sed electionis vitio, duximus irritandam.

" al. electione

XXIV. Ad Bracarensem Archiepisc.

De excess. Præl. c. 18.

Episcopus non servans interdictum, suspensus est ab officio, beneficio, jurisdictione.

TAnta est clavis Petri. *Et infra*: Ad confusionem P. episcopi quondam Colubrien. non potest in memoriam non venire, quantum in nos & ecclesiam Romanam deliquerit, despexerit Petri claves, & ecclesiasticam læserit potestatem: cum non solum interdicti sententiam, quam servaverat ab initio, temere violavit, verum etiam induxit alios, immo compulit non servare: & quos inducere monitis, & flectere B minis ac terroribus ad violandam interdicti sententiam nulla potuit ratione, post atroces injurias, amissionem bonorum, spoliationem parentum, dignitatibus, præbendis, & beneficiis spolians, coëgit miserabiliter exulare: ea suis in hac parte fautoribus non absque præsumptione temeraria conferendo, quæ omnia idem episcopus in nostra & fratrum nostrorum præsentia publice recognovit. Licet autem memoratus episcopus in manibus nostris spontanea cesserit voluntate, nolentes tamen ut qui hujusmodi sententiam interdicti non sunt veriti temeritate propria violare, ac recipere dignitates, præbendas, ac beneficia aliorum, qui absque culpa & sine causa rationabili eis fuerant spoliati, severitatem effugiant canonicæ ultionis, ne facti perversitas transeat præsumptoribus in exem- C plum: autoritate Dei omnipotentis omnem institutionem, destitutionem, collationem præbendarum, beneficiorum ac dignitatum, præsumptas per eundem episcopum, & excommunicationis seu interdicti sententias, in quoscumque hac occasione prolatas ab eo post interdicti violationem ejusdem, decernimus irritas & inanes. Quia vero ubi magis exceditur, ibi est severius vindicandum: mandamus quatenus omnibus quos prædictus episcopus in supradicta beneficia, præbēdas, & dignitates intrusit, non solum a beneficiis ipsis, præbendis, & dignitatibus, verum etiam ab aliis beneficiis, si qua obtinent, & ecclesiis, prorsus amotis, tam præsumptores eosdem, quam omnes alios qui præfatum D interdictum damnabiliter violarunt, suspendas autoritate apostolica ab officio & beneficio. Illos quoque quos in personas & res prædictorum canonicorum, prælatorum, & clericorum, manus temerarias constiterit extendisse, ad nostram compellas venire præsentiam, pro meritis sententiam recepturos, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

XXV. Ad archiepiscopum Burdegalensem.

De dolo & cōtum. c. 10.

De controversia cum Bituricensi archiepiscopo super jure primatus.

VEnerabilis frater noster. *Et infra*: Volentes finem imponi litibus, ne immortales existant: mandamus quatenus ad initium proxime venturæ quadragesimæ, quod tibi peremptorium terminum duximus assignandum, super jure primatiæ, quod Bituricensis archiepiscopus in te ac in provincia tua se habere proponit, per te, vel per procuratorem idoneum sufficienter instructum, ad litem contestandam, & alia negotia peragenda quæ necessaria negotii decisioni videbuntur, nostro te conspectui repræsentes. Nos vero nihilominus archidiacono Transvigens. & magistro M. canonico Turonensi dedimus in mandatis, ut & ipsi ad eundem terminum autoritate nostra juxta præmissam formam te perempto- A rie citare procurent: & si non poteris inveniri, faciant, ut citationis edictum, per ipsos vel alios, apud ecclesiam tuam publice proponant.

XXVI. Ad Cantuariensem archiepisc.

Potest appellare procurator generalis, cui denegantur induciæ ad consulendum dominum legitime absentem. De procur. c. 11.

DIlectus filius magister L. rector ecclesiæ de Anna transmissa nobis petitione monstravit, quod cum R. presbyter contra ipsum causa studii Bononiæ commorantem super eadem ecclesia ad judices nostras literas impetrasset: earum autoritate a judicibus ipsis eodem rectore citato, procurator generalis ipsius ad omnia ejus tractanda negotia, pro eo quod competentem terminum, intra quem rectorem ipsum consuleret utrum deberet contendere vel cedere quæstioni, sibi concedere denegabant, pro eodem nostram audientiam appellavit. Quocirca mandamus, quatenus si est ita, revocato in irritum, &c.

XXVII. Ad capitulum Catalaun.

Electio facta a maiori parte capituli, non valet, nisi illa pars sit sanior. De elect. & elect. pot. c. 57.

ECclesia vestra destituta pastore convenientes in unum, absente Guil. qui tunc noluit interesse, ad celebrandam electionem terminum statuistis. Veniente vero termino, & Guil. dicto, cum absens existeret, non vocato: præmisso juxta formam concilii ᵃ generalis scrutinio XIV. magistrum G. presbyterum cardinalem concanonicum vestrū, & XVII. R. Remensem canonicum elegerunt, præfato G. postmodum electioni ejusdem R. suum præbente consensum. Tādem procuratoribus utriusque partis in nostra præsentia constitutis, allegabatur pro electione dicti R. quod cum in IV. excederet aliam computato Guil. prædicto majorem capituli partem habebat, & per hoc debebat pars sua sanior reputari: cum, ubi major numerus est, zelus melior præsumatur. Pars vero altera electionem eandem multipliciter impugnabat, proponens prænominatum R. in ætate pati defectum, nec esse sufficientis scientiæ ad ecclesiam supradictam, cum ætatis maturæ & eminentis scientiæ præfatus cardinalis existat. Et cum electores cardinalis alios meritis & autoritate præcellerent: habito præsertim respectu ad personam electam, meliorem zelum eos habuisse constabat. Dicebatur preterea quod consensus dicti Guil. quem pars ejusdem R. confitebatur fuisse contemptum, asserente parte reliqua capitulum potius ab ipso contemptum E fuisse, cum non fuerit consensus præstitus in scrutinio, sed post electionem accesserit, adjicere nil valebat. *Et infra.* Denique statutum gener. conc. quod electionem decernit invalidam, cum contra ejusdem concilii formam in electione peccatur, non debet ad contemptum & alia quæ non sunt de forma referri. Unde quod ibi dicitur, quod aliter electio celebrata non valeat, ea respicit tantum quæ attentantur contra formam concilii memorati: non autem alia quæ ponuntur ibidem, sicut est istud quod præsentibus omnibus, qui debent, volunt, & possunt commode interesse, haberi debeat in electione processus, ne cætera quæ super hoc alibi statuta noscuntur, uno verbo videantur everti. Neque enim credendum est Roman. pontif. qui jura tuetur, quod alias excogitatum est multis vigiliis & inventum, uno verbo subvertere voluisse. Nos ergo quæ hinc inde fuere proposita plenius intellectis, cum ex Late-

ᵃ Later.

Lateranensi concilio in ordinationibus ecclesiarum major & sanior pars capituli exigatur, & statutum generalis concilii contineat inter cætera, ut is eligatur, in quem omnes, vel major vel sanior pars consentit: electionem dicti R. non personæ, sed potius electionis vitio, cum major & sanior pars non consenserit in eundem, de fratrum nostrorum consilio duximus sententialiter irritandam.

XXVIII. Ad Cenoman. episcopum.

jure-; c. 34.

De muliere quæ iurauit aliquem esse maritum, nec aliter probauit.

MVlieri, quæ in jure præstito juramento asseruit virum talem in ipsam per verba de præsenti matrimonialiter consensisse, probationes alias non habenti, viro ab ejus impetitione per sententiam absoluto, nec debes licentiam dare cum alio matrimonium contrahendi, ne autor perjurii videaris: nec hoc ei dicimus prohibendum, ne forte, si falsum juraverit, matrimonium contingat legitimum impediri: sed suæ conscientiæ est potius relinquenda.

XXIX. Ad Cenoman. episcopum.

spon- c. 30.

Sponsalia de futuro transeunt in matrimonium per carnalem copulam.

IS qui fidem dedit M. mulieri super matrimonio contrahendo, carnali copula subsecuta, etsi in facie ecclesiæ ducat aliam & cognoscat, ad primam redire tenetur: quia licet præsumptum primum matrimonium videatur, contra præsumptionem tamen hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur, quod nec verum nec aliquod censetur matrimonium, quod de facto est postmodum subsecutum.

XXX. Ad episcopum " Cister. de Alde. & de Salen. abbates.

istrens.

Vt inquirant de episcopo Frisigiensi denunciato de dilapidatione bonorum episcopatus.

accus. 7.

PRælatorum excessus. *Et infra*: Sane dilecti filii C. & quatuor alii canonici Frisigien. denunciando monstrarunt, quod Frisigiensis episcopus bona sui episcopatus (quem, ut dicunt, fuit minus canonice assecutus) adeo graviter dilapidat & consumit, quod nisi celeriter adhibeatur remedium, episcopatus idem per eum ad irreparabile " dissolutionis opprobrium deducetur: nec solummodo rerum, verum etiam famæ suæ prodigus & salutis, vitam ducit enormiter dissolutam. *Et infra*: Discretioni vestræ mandamus, quatenus personaliter accedentes ad locum, inquiratis solicite veritatem: & eam fideliter conscribentes, sub sigillis vestris nobis transmittatis inclusam. Eidem episcopo terminum assignantes, quo nostro se conspectui repræsentet pro meritis recepturus. Potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quolibet modo alienandi bona ipsius ecclesiæ, interim eidem penitus interdicta.

" irre- abilis.

XXXI. Ad archiepiscop. " Colocensem.

Colo- sem.

Ecclesia erecta in cathedralem eximitur a iurisdictione archidiaconatus in quo est sita.

majo b. c. 16.

CVm inferior superiorem solvere nequeat vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter & absolvat, & satis absonum videatur ut filius potestatem habeat in parentem: miramur, quod cum tu monasterium de Cheur. constitutum in Firmiensi archidiaconatu, tuæ diœcesis, ecclesiam erexeris cathedralem: archidiaconus Firmiensis, in tantam prorupit temeritatis audaciam, ut in episcopum ibi consecratum, & ecclesiam suam, jurisdictionem exercere præsumat. *Et infra*: Mandamus, quatenus præfato archidiano, a cujus jurisdictione dictum episcopum denunciamus exemptum, id districte studeas inhibere. Proviso ut si ex hoc, archidiaconi Firmiensis jura læduntur: in diœcesi tua, ubi expedire videris, absque alieni juris præjudicio recompensationem illi facias congruentem.

XXXII. Ad abbatem Cluniacensem.

Per compositionem factam cum prælato & capitulo, non potest ius eligendi competere laico, etiam patrono, in ecclesia collegiata.

De ele. & ele. pot. c. 51.

SAcrosancta Romana ecclesia. *Et infra*: Sane proposuisti in nostra præsentia, quod super ordinatione prioris monasterii S. Pancratii ad Cluniac. ecclesiam pertinentis cum comite de Varenna " patrono ipsius, quidam prædecessor tuus de consensu capituli sui compositionem quandam inivit juri contrariam, & ecclesiæ ipsi damnosam: videlicet ut in optione sit ipsius comitis assumere ad prioratum dicti monasterii (Cluniac. & de Caritate prioribus duntaxat exceptis) unum de duobus melioribus totius Cluniac. ordinis, quos abbas duxerit nominandos. *Et infra*: Attendentes itaque, quod jus eligendi in collegiata ecclesia non cadit in laïcum, & ideo id esset perniciosum exemplo, & redundaret in dispendium ecclesiasticæ libertatis: volumus ut dictum prioratum libere possis, non obstante compositione ipsa, sicut alios prioratus tibi subditos, ordinare, denunciando ordinationem factam patrono, ut suum, si voluerit, honestum impartiatur assensum.

" al. Varonia

XXXIII. Ad archipresbyterum civitatis novæ, & M. canonicum Culmen.

Non tenetur reus respondere libello in actione personali, si non exprimitur causa petendi.

De lib. obl. c. 3.

DIlecti filii fratres ecclesiæ S. Mariæ de Hispida, sua nobis petitione monstrarunt, quod cum prior & conventus S. Mariæ ad carceres, ipsos super quadam pecuniæ summa coram priore sanctæ Trinitatis Veron. autoritate apostolica convenissent: ex parte ipsorum fuit excipiendo propositum, quod cum dicti prior & conventus nollent exprimere in porrecto libello conventionali, quare sibi dicta pecunia deberetur, super hoc minime respondere tenebantur. Et quia dictus judex exceptionem hujusmodi admittere denegabat, nostram appellaverunt audientiam. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, revocato in irritum, &c.

XXXIV. Ad capitulum Cumanum.

Electio facta a non maiori parte capituli, & omissa collatione, non valet.

De ele. & ele. pot. c. 50.

CVmana ecclesia pastoris solatio destituta, & congregatis die ad celebrandam electionem præfixa, qui præsentes erant de Cumanis canonicis, ac tribus abbatibus, qui vocem in electione habere noscun-

noſcuntur, capellani & clerici civitatis electioni ſe debere intereſſe dicentes, ſub hujuſmodi proteſtatione admiſſi fuerunt, quod vox eorum, qui non deberent intereſſe de jure vel de conſuetudine, non valeret. Tandem præmiſſo juxta formam concilii * generalis ſcrutinio, VII. de canonicis, unus abbatum, ſex capellani, & novem clerici in ejuſdem eccleſiæ archipreſbyterum convenerunt: novem canonicis, uno de abbatibus, uno capellano, & XI. clericis in ipſius eccleſiæ archidiaconum dirigentibus vota ſua. *Et infra*: Cum decem & octo fuerint canonici, tres abbates, XX. clerici, & XIV. capellani, neutram electionem comperimus ad majorem partem totius capituli perveniſſe. Nec probatum fuerat quod clerici admitti debuerint, nec quod capellani admiſſi fuerint de conſuetudine vel de jure. Nam etſi capellani duabus electionibus epiſcoporum interfuerint, & ſcrutatores dederint voluntatum: non tamen inquiſita ſua vota fuiſſe, vel ipſe aliquos elegiſſe probatur. Sed & ſi inquiſita fuiſſent vota, vel ipſi aliquos elegiſſent, per hoc tamen non conſtitit id eis de jure competere, vel ex conſuetudine jam præſcripta. Vnde nos electiones ipſas præſumptas etiam contra formam concilii generalis, cum collatio omiſſa fuerit, quæ poſt publicationem ſcrutinii fieri debuiſſet: de fratrum noſtrorum conſilio ſententialiter duximus irritandas, electores hac vice eligendi poteſtate privantes.

* Lateran. ſub Innoc.

A B C

XXXV. Ad Dunelmenſem epiſcopum.

Priuilegiatus, qui non tenetur reſpondere niſi in certo loco: ſi in alio loco reſpondere vel ſoluere promittit, ibi poterit conueniri, & etiam ubi habet domicilium.

De foro comp. c. 17.

DIlecti filii I. & A. cives Romani ſua nobis petione monſtrarunt, quod cum abbati S. Genovefæ Pariſienſis ſuper quadam pecuniæ ſumma contra R. prædeceſſorem tuum litteras impetraſſent, tu proponi feciſti quod omnibus Anglicis eſt a ſede apoſtolica indultum, ut ſuper cauſis pecuniariis citra mare conveniri non poſſint: propter quod idem abbas in negotio non proceſſit. Verum quia etſi fuiſſet privilegium tale conceſſum, non tamen prodeſſet illis, qui ſe certo loco reſpondere, vel ſolvere adverſariis promiſerunt, cum ibi, & ubi domicilium habent, valeant conveniri: mandamus, quatenus eiſdem de pecunia ipſa cum juſtis & moderatis expenſis & congrua ſatisfactione damnorum, uſuris omnino ceſſantibus, ſatisfacias ut teneris. Alioquin eidem abbati noſtris damus litteris in mandatis, ut in commiſſo ſibi negotio, propoſita ex parte tua indulgentia non obſtante, juxta prioris mandati noſtri tenorem ſine diſpendio more procedat.

XXXVI. Ad Eboracenſem archiepiſcopum.

De patrono & præſentato.

De jure patron. c. 31.

TRanſmiſſæ ad nos tuæ litteræ continebant, quod cum capitulum Eboracen. eccleſiam de Gameforde vacantem, in qua jus obtinent patronatus, R. clerico conceſſiſſent, ipſi poſtmodum L. clericum tibi ad eandem eccleſiam præſentarunt, poſt appellationem ab eodem R. ad ſedem apoſtolicam interjectam. *Et infra*: Conſultationi tuæ taliter reſpondetur: quod cum ex vi juris patronatus, non conceſſio, ſed præſentatio pertineat ad patronum, præſentatum, ſi ei aliquid non obſiſtat canonicum, inſtituere in ipſa eccleſia poteris, utpote potiorem.

XXXVII. Ad Decanum & Sacriſtam Engoliſm.

Præbendarum numerus diminutus, cum non ſufficiunt eccleſiæ facultates: non augendus, cum augentur eædem.

De verb. ſig. c. 33.

TRanſmiſſæ nobis litteræ continebant, quod ſignificantibus epiſcopo & capitulo Xanton. quod quadragenarius canonicorum numerus inſtitutus in eorum eccleſia non poterat obſervari, pro eo, quia non ſufficiebant eccleſiæ facultates: vobis dedimus in mandatis, ut canonicorum & præbendarum numerum juxta facultates eccleſiæ moderantes, ſtatueretis eundem firmiter obſervari. Vos vero inveniſtis prædictæ eccleſiæ facultates a tempore ſtatuti numeri adeo excreviſſe, quod abſque mutilatione præbendarum major haberi poſſet numerus in eadem. Quare quæſiſtis, an per moderationis verbum litteris noſtris appoſitum, eundem numerum augmentare, vel minuere deberetis. Quocirca mandamus, quatenus ſi veteres non ſunt minutæ præbendæ, cum moderatio locum non habeat, ipſarum & canonicorum numerum dimittatis in eodem ſtatu, in quo hactenus dignoſcitur extitiſſe: in utilitatem ejuſdem eccleſiæ convertentes augmentum ſuorum redituum, donec duxerimus aliter diſponendum.

XXXVIII. Ad Priorem. S. Thomæ Eſculanen.

Canonico debetur præbendæ reditus, etſi non ſeruaverit conſuetudinem de aliquo temporali dando canonicis.

De ſimon. c. 44.

IAcobus canonicus Eſculanus expoſuit, quod cum ipſe in eccleſia Aprutin. ſit receptus in canonicum & in fratrem: canonici ejuſdem eccleſiæ partem proventuum ac præbendam ſibi aſſignare recuſant, quandam conſuetudinem prætendentes, quod prandium habere debeant a canonico recepto de novo. Quocirca mandamus, quatenus ſi eſt ita, dictos canonicos, tali conſuetudine non obſtante, ſibi ſicut uni ex aliis in proventibus & præbenda provideant, appellatione remota, compellas.

D

XXXIX. Ad Exonenſ. epiſcopum.

Vota quomodo eleemoſynis redimenda, vel in aliud commutanda.

De voto. c. 1.

DE peregrinationis votis, an eleemoſynis redimi poſſint, vel pro neceſſitate in aliud commutari. Reſpondemus, quod ab ejus qui præſidet, pendet arbitrio, ut conſideret diligentius qualitatem perſonæ, & cauſam commutationis, ſcilicet an ex infirmitate, ſeu affluentia divitiarum, an alia cauſa probabili, peregrinatio, an recompenſatio melior fuerit, & Deo magis accepta: & ſecundum hoc debet exinde diſpenſare.

E

XL. Ad Fratrem. R.

De eo qui viuente uxore promiſit aliam ſe ducturum.

De eo qui duxit. c. 8.

SI quis uxore viuente, fide data promiſit aliam ſe ducturum, vel cum ipſa de facto contraxit, ſi nec ante,

ante, nec post, legitima ejus superstite, cognovit eandem: quamvis utrique ipsorum pro eo quod in hoc graviter deliquerint, sit pœnitentia injungenda: non est tamen matrimonium quod cum ea contraxit, post uxoris obitum dirimendum. Cæterum tolerari non debet si prius, vel postea, dum vixerit uxor ipsius, illam adulterio polluisset.

XLI. Ad fratres Prædicatores & Minores.

deci- .. c. 1.

Exhortentur populum ut ecclesiis iura debita persoluat.

DIscretioni vestræ mandamus districtius inhibentes, ne talia, quæ audientes a decimarum, seu aliarum rerum ecclesiis debitarum solutione retrahant, vel alias animas corrumpant audientium, in sermonibus vestris vel alibi proponere de cætero præsumatis: immo verbo & opere informetis eosdem, ut ad solutionem prædictorum promptæ voluntatis animo sint intenti.

XLII. Ad patriarcham Gradensem.

major. b. c. 13.

Si metropolitanus a suffraganeo iuramentum exigit ultra formam statutam a canone: suffraganeus non tenetur.

DIlecti filii archidiaconus & capitulum Castellanū suam ad nos querimoniam detulerunt, quod cum a Castellano episcopo exigeres juramentum præter formam canonicam, quam cæteri suffraganei metropolitanis suis consuevere præstare, ijdem conspicientes ex hoc ecclesiæ suæ præjudicium generari, ad sedem apostolicam appellarunt. *Et infra*: Cum igitur non deceat alii te fecisse quod ab alio tibi fieri nolles: mandamus, quatenus contentus forma canonica, quam nos a coepiscopis nostris, nobis immediate subjectis, recipimus, nil amplius a Castellano episcopo obtentu alicujus consuetudinis exigas, prætextu præstiti juramenti: sciens nos eundem episcopum ab hujusmodi juramento, quoad alios articulos absoluisse, vel denunciasse potius non teneri.

XLIII. Ad H. judicem.

jure- c. 36.

De iuramento delato a iudice.

IVramentum a te parti delatum, nisi justa de causa, non potuit recusari. Quamvis, quod in judicio a parte parti defertur, recusari possit licite ac referri. Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi jusjurandum.

XLIV. Ad patriarcham Hierosolymitanum.

off. leg.

Præsente legato de latere, minor legatus executionem officii dimittat.

VOlentes. *Et infra*: Fraternitati tuæ legationis officium in provincia tua duximus committendum: ita tamen, quod si legatum ad partes illas de latere nostro contigerit destinari, executionem ipsius officii, quamdiu legatus ipse ibi fuerit, pro sedis apostolicæ reverentia omnino dimittas.

XLV. Ad I. tabellion.

De tabellionis mortui notis a notario in publicam formam redigendis. De fide instrum. c. 15.

CVm P. tabellio morte præventus quædam non perfecerit instrumenta, quæ in nota redacta fuerant ab eodem: ad petitionem eorum, ad quos pertinent, autoritate ordinarii judicis poteris ea fideliter in publicam formam redigere, habitura per hoc perpetuam firmitatem.

XLVI. Ad I. & I. canonicos Pragenses.

Suspensus ignoranter celebrando non indiget dispensatione. De cler. excom. c. 9.

APostolicæ sed. *Et infra*: Verum quia temporе suspensionis ignari celebrastis Divina, vos reddit ignorantia probabilis excusatos. Cæterum si forte ignorantia crassa & supina, aut erronea fuerit, propter quod dispensationis gratia egeatis, eam vobis de benignitate apostolica indulgemus.

XLVII. Ad I. & M. Pragenses canon.

Sententia suspensionis relaxata ad cautelam. De excep. c. 9.

APostolicæ sed. *Et infra*: Sane vobis apud sedem apostolicam constitutis, quædam suspensionis & amotionis a beneficiis sententiæ sunt in modum exceptionis objectæ. Quas licet proponeretis vos posse nullas esse per testes idoneos & instrumenta probare: ne tamen ordinationem Paganen. ecclesiæ propter quam veneratis, hujusmodi objectionis obstaculo contingeret retardari: sententias ipsas relaxamus ad cautelam.

XLVIII. Ad Lemovicensem archidiaconum & priorem S. Radegundis Pictaviensis.

De causa primatus inter Bituricensem & Burdegalensem archiepiscopos. De major. & ob. c. 17.

HVmilis doctrina magistri. *Et infra*: Mādamus, quatenus prælatorum Burdegalensis provinciæ in ea præsentium, & cathedralium capitulorum ejusdem, necnon & Bituricensis capituli, super provisione quam inter Bituricensem & Burdigalensem archiepiscopos in causa primatiæ duximus faciendam, requiratis assensum: quo habito provisionem nostram solemniter publicetis. Si qui vero consensum præstare noluerint, vos supersedentes publicationi prædictæ, districte præcipiatis eisdem, ut personaliter, si prælati fuerint, vel si alii, per procuratores idoneos, nostro se conspectui repræsentent, prosecuturi coram nobis jus, si quod habere contendunt, & satisfacturi parti alteri, si succubuerint, in expensis.

XLIX. Ad episcopum Lexoviens.

De reo qui recedit a iudicio, dimisso procuratore solummodo ad agendum. De procur. c. 12.

COnstitutis in præsentia nostra H. priore Sagiensi, & T. laïco, dilectum filium O. subdiaconum nostrum super causa, quæ inter ipsos super quadam summa

summa pecuniæ vertitur, concessimus auditorem : A *Et infra.* Quia prior super ipsa pecunia in qua dictus T. eum sibi suæ uxoris nomine teneri dicebat, recepto libello illicentiatus recessit, quemdam procuratorem dimittens solummodo ad agendum. Quem cum auditor ipse per mandatum procuratorium sibi datum ad defendendum priorem sufficientem non viderit, eum ex hoc reputans contumacem, ipso præfato T. in unam marcham sterlingorum condemnavit, taxatione præhabita in expensis. *Et infra* : Nos autem finem litibus imponere cupientes, & quod ab auditore præfato factum esse dignoscitur approbantes, mandamus quatenus partibus convocatis, *&c.*

L. Ad decanum Linconiensem. B

De excep. c. 10.

Excommunicationis exceptione non obstante valet rescriptum impetratum in causa appellationis.

DIlectæ in Christo filiæ priorissa & conventus de Campessia nobis significare curarunt, quod cum inter ipsas ex una parte, & priorem & conventum de Buxellera ex altera, super quibusdam decimis & rebus aliis, pro quibus conveniebantur ab illis coram abbate S. Benedicti & ejus collegis autoritate apostolica, quæstio verteretur, & ipsæ ad nos ex sufficienti gravamine appellassent, ac nuncium suum ad aplationem miserint prosequendam : præfati judices postmodum tulerunt excommunicationis sententiam in easdem. C Nostris ergo litteris super appellatione præfata, non facta mentione de excommunicatione, per eundem nuncium ad priorem de Angles & suos conjudices impetratis : pars adversa ex eo se appellasse proponens, quod ipsi judices exceptionem excommunicationis prædictæ contra ipsas, ab eadem parte propositam, admittere denegarunt, ad priorem de Gernemoe & suos conjudices, nostras super hoc litteras impetravit. Coram quibus ex parte ipsarum fuit excipiendo propositum, quod cum post appellationem legitimam dicta sententia lata fuerit, & cuilibet excomunicato defensionis auxilium competere dignoscatur, memorati judices exceptionem partis contrariæ, sicut nec debebant, admittere noluerunt : sed cum dictus prior de Gernomoe & conjudices sui D talem exceptionem non reciperent earumdem, ipsæ ad nostram audientiam appellarunt. Quocirca mandamus, quatenus, si est ita, revocato in statum debitum quicquid post hujusmodi appell. inveneris attentatum ; in eodem negotio juxta prioris mandati nostri ad præfatum priorem de Gernemoe & conjudices suos directi tenorem, prævia ratione procedas.

LI. Ad majoris ecclesiæ & Christianitatis decanum & archidiaconum Lincon.

De privil. c. 31.

De decimis novalium.

' al. de Buten

DUdum inter priorem & conventum de Butele " E ex parte una, & priorissam & moniales de Campesse ex alia, super decimis lite mota. *Et infra* : De cõsilio fratrum nostrorum decernimus, juri prędictorum prioris & conventus super decimis novalium, in quarum erant possessione tempore illo, quo indulgentiæ apostolicæ impetratæ fuerunt, a parte altera de decimis novalium non solvendis, non debere per eas non facientes de hoc aliquam mentionem, præjudicium generari.

LII. Ad Londonien. archiepiscopum.

Manus impositio in ordinatione presbyteri, vel diaconi, prætermissa, deinde suppleatur. De sacr. non iter. c. 3.

PResbyter & diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali, ritu ab apostolis introducto, recipiunt. Quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum : sed statuto tempore ad hujusmodi ordines conferendos, caute supplendum, quod per errorem extitit prætermissum. Suspensio " autem manuum debet fieri, cum oratio super caput effunditur ordinandi.

" al. impositio. *sed in pluribus & vetustioribus* suspensio.

LIII. Ad Lucan. episcopum.

De controversia inter Pisanos & Lucanos. De restit. spol c. 19.

PIsanis ac Lucanis civibus per gravem discordiam, quam diu inter se habuerant, afflictis graviter & attritis. *Et infra* : P. subdiacono nostro dedimus in mandatis, ut possessione, quam in quibusdam castris constat Lucanam ecclesiam habuisse, sibi prius plene ac libere, sicut tempore motæ discordiæ habuerat, restituta, & super ea, de qua dubietas oriretur, sufficienti cautione recepta, quod juri corã nobis prædicti Pisani parerent, prolatas pro occupatione castrorum ipsorum in eos sententias relaxaret. *Et infra* : Pisanis igitur asserentibus quod per te stabat, quo minus tibi juxta mandatum nostrum fieret restitutio, & instanter petentibus ut dictas sententias præfatus subdiaconus relaxaret : ipse receptis cautionibus de parendo justitiæ coram nobis, sententias relaxavit easdem. Propter quod tu reputans te gravatum, ad nostram præsentiam accessisti, impugnaturus processum subdiaconi sæpe dicti. *Et infra* : Porro duo in nostro continebantur mandato : ut videlicet possessio, quam constabat Lucanam ecclesiam habuisse, tempore motæ discordiæ, prius restitueretur eidem : & ut ejusdem possessionis restitutio fieret plene ac libere, sicut eam habuerat tempore supradicto. Quorum primum ad factum, alterum vero referebatur ad modum. Unde licet, prout pars Pisanorum dicebat, in facto, mandati formam subdiaconus ipse adimplere nequiverit, quia non poterat facere tibi restitui possessionem castrorum, de qua non constabat eidem, nec etiam, secundum quod tu ipse, dicebas, affictuum & pensionum possessio poterat tibi restitui, quia ea non fueras spoliatus : fuit tamen in modo peccatum, quia debuit facere, ut Pisani possessionem pensionum & affictuum, quam per eorum confessionem constabat te in castris prædictis habere, tibi dimitterent plene ac libere, sicut ecclesia tua illam habuerat tempore motæ discordiæ. Quod quidem esse non poterat, nisi Pisani castra ipsa omnino dimitterent : quia illis detinentibus castra & munitiones castrorum, in quibus dictas pensiones recipis & affictus, ea plene ac libere habere non posses, sicut habebas quando ipsi castra eadem minime detinebant : eo quod quamdiu ea detinent, in eorum potestate relinquitur te non admittere vel repellere quando velint. His ergo diligenter auditis, processum hujusmodi de fratrum nostrorum consilio irritum judicamus.

LIV. Ad præpositum S. M. Magdeburg. & decanum Misnen.

Acta quæ coram primis judicibus facta sunt, fidem faciunt coram secundis. De prob. c. 15.

CUm bonæ memoriæ. *Et infra* : Cum acta originalia dicantur apud priores judices remansisse : mandamus quatenus ea cum omni diligentia requirentes,

rentes, ipsa si potuerint inveniri : & si qua partes duxerint legitime proponenda, in scriptis redacta ad nostram præsentiam remittatis. Alioquin cum non revocetur in dubium de contestatione litis super statu Pigam. monasterii, & quibusdam spoliationibus contra abbatem ejus factis a Masburgensi episcopo, recipiatis partium probationes de novo, " & audientes, si partes audire voluerint, de compositione tractatum, tam quod super hoc inveneritis, quam causam sufficienter instructam, ad nos remittere procuretis. A

LV. Ad magistrum A. de Mandeforde.

De voto, c. 3.

Propositum ingrediendi religionem, non obligans.

Litteraturam tuam. *Et infra* : Cum ex quadam minutione, nimio fuisses mortis pavore perterritus, hæc verba protulisti : non diu hic morabor : proponens in animo, quod religionis habitum esses aliquando suscepturus. *Et infra* : Tibi igitur respondemus, quod si plus non est in voto processum, transgressor judicari non poteris, si non impleas quod dixisti. B

LVI. Ad capitulum Massan.

De ele. & ele. pot. c. 56.

Electio pontificis ne fiat per laïcos cum canonicis.

Massana " ecclesia pastore vacante. *Et infra* : Edicto perpetuo prohibemus, ne per laïcos cum canonicis, pontificis electio præsumatur. Quæ si forte præsumpta fuerit, nullam obtineat firmitatem. Non obstante contraria consuetudine, quæ dici debet potius corruptela. C

" *al.* Messana

LVII. Ad Mediolanensem archiepisc.

De hæret. c. 14.

Laïci ne prædicent.

Sicut in uno corpore. *Et infra* : Cum igitur nonnulli laici prædicare præsumant, & verendum nimis existat ne vitia sub specie virtutum subintrent: nos attendentes quod doctorum ordo est in ecclesia Dei quasi præcipuus, mandamus quatenus, cum alios Dominus apostolos dederit, alios prophetas, alios vero doctores, interdicas laïcis universis, cujuscumque ordinis censeantur, usurpare officium prædicandi. D

LVIII. Ad magistrum scholarium H. & G. de Rupe canonicos S. Audomari Morinensis diœcesis.

De appel. c. 67.

Si is, qui desiit esse tutor, nomine pupilli convenitur invitus, poterit appellare.

" *al.* Colestr.
" *al.* Bievion.

Ex parte M. dominæ de Colb. " nobis fuit oblata querela, quod cum nobilis mulier domina de Bellebron. " super quibusdam terris ipsam nomine filiorum suorum coram judicibus autoritate nostra traxisset in causam, eadem in judicum ipsorum excipi fecit præsentia : quod cum res, de quibus in judicio agebatur, & prædicti filii ejus sub potestate & tutela ipsius minime permanerent, cum jam ad secunda vota transisset, super his ei non tenebatur, ipsorum nomine, quorum tutrix esse desierat, respondere. Sed quia dicti judices hac exceptione neglecta, nihilo minus ad hoc compellebant eandem, ipsa sentiens se gravari, nostram audientiam appellavit. Ideoque mandamus, quatenus, si ita est, revocato in irritum quicquid post appellationem hujusmodi inveneritis attentatum, audiatis hinc inde proposita, *&c.* E

LIX. Ad magist. & fratres domus Morien.

Ibidem. c. 68.

Iudex qui se relaturum pollicetur, consultationis exemplum edat partibus.

Intimasti. *Et infra* : Præterea hospitalariis ignorantibus, & non facta eis copia de inquisitionis processu, ad nos relationem transmisisse noscuntur : cum juxta legitimas sanctiones, quoties relaturum se judex quilibet pollicetur, illico litigatoribus apud acta consultationis exemplum edere teneatur.

LX. Ad episcopum N.

De sepult. c. 14.

Excommunicatus, qui fuit absolutus in morte, in cœmeterio sepeliatur: & heredes satisfaciant.

Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifestis excessibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum injectione in personas ecclesiasticas, ecclesiarum violatione, vel incestu fuit, dum ageret in extremis per presbyterum suum juxta formam ecclesiæ absolutus, non debent cœmeterium & alia ecclesiæ suffragia denegari. Sed ejus heredes & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipsius, ut pro eodem satisfaciant, censura sunt ecclesiastica compellendi.

LXI. Ad Neapolitanum archiepiscopum.

De ser. non ordi. c. 8.

Natus ex servo & libera liber est, & licite promovetur.

Dilectus filius G. diaconus proposuit : quod I. miles ea occasione quod patrem ipsius hominem suum esse proponit, licet mater sua, cujus debet imitari conditionem, libera esse noscatur, ne promoveatur in presbyterum impedire præsumit. Quocirca mandamus, quatenus, si tibi constiterit de præmissis, eundem militem ab hujusmodi impedimento cessare compescas.

LXII. Ad Noviomens. episcopum.

De testam. c. 17.

Executores testamenti ad exequendas pias voluntates compellantur.

Tua nobis fraternitas intimavit, quod nonnulli tam religiosi, quam clerici sæculares, & laïci, pecuniam & alia bona, quæ per manus eorum ex testamentis decedentium debent in usus pios expendi, non dubitant aliis usibus applicare. Cum igitur in omnibus piis voluntatibus sit per locorum episcopos providendum; ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici : mandamus, quatenus executores testamentorum hujusmodi, ut bona ipsa fideliter & plenarie in usus prædictos expendant, monitione præmissa compellas.

LXIII. Ad Norvicensem episcopum.

De voto. c. 2.

De eo, qui in puerili ætate vovit.

Veniens ad nos R. narratione accepimus, quod in puerili ætate constitutus, Hierosolymam disposuit proficisci: cuidam quoque, qui sepulcrum Dominicū proposuerat visitare, fidem dedit, & suam recepit ab eo, quod sibi invicē in via socii fideles existerent. *Et infra* : Nos autē ipsum a voto quod in ętate tene-

ra, facilitate potius, quam ex arbitrio discretionis, promisit, absolvimus: ita tamen, quod idem votum eleemosynis redimat, & juxta consilium nostrum" toto vitæ suæ tempore uni pauperum Christi, dummodo ad hoc facultates suæ sufficiant, debeat providere.

" al. vestrum

LXIV. Ad fratrem Palmerium canonicum sanctæ Trinitatis.

De foro comp. c. 16.

De laïcis usurpantibus iura ecclesiastica.

CONquestus est nobis Bononiensis episcopus, quod potestas & commune Bononiense temporalem jurisdictionem, quæ in quibusdam castris & villis, ecclesiæ Bononiensi competit pleno jure: & in cujus quasi possessione fuisse ac esse dignoscitur, per violentiam usurpare præsumunt. *Et infra*: Cum autem valde sit iniquum, ea, quæ collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus ecclesiis, vel relicta, aut eis justis modis aliis acquisita, aliis usibus applicari, propter quod merito invasores ipsarum rerum, tanquam sacrilegi, sunt anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi. *Et infra*: Mandamus, quatenus, si tibi constiterit de præmissis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam cessare ipsos ab hujusmodi, & satisfacere de præteritis damnis & injuriis, appellatione remota compellas.

LXV. Ad episcopum Pictaviensem.

De eo qui cog. c. 11.

Affinitas superveniens, non dissolvit matrimonium.

IOrdanæ mulieris petitio continebat, quod I. laïcus cum ipsa, quæ nondum decimum ætatis suæ annum compleverat, per verba de futuro contraxit, & ea intra anni spatium carnaliter cognita, matrem ipsius sibi matrimonialiter copulare, & ad damnatæ commixtionis amplexus procedere, non expavit. *Et infra*: Quare præfata I. supplicavit, ut cum carnis stimulis resistere nequeat, sibi (ne jure suo sine propria culpa fraudetur) providere salubriter dignaremur. Eapropter mandamus, quatenus, si res ita se habet, utrumque ipsorum ad vovendam perpetuam continentiam attente moneas & inducas: & si ad eam induci nequiverint, memoratum I. injuncta ei primitus pro commisso incestu pœnitentia competenti, ut eidem cohabitet, & conjugale debitum reddat exactus, ecclesiastica censura compellas.

LXVI. Ad I. Monialem monasterii de Plauda."

" Plonea. al. Plonta.

De cōvers. conjug. c. 20.

Conjux quæ consentiente viro continentiam promittit, & religionem profitetur, repeti ab eo non potest.

DVdum a C. laïco mota contra te, quam uxorem suam dicebat, materia quæstionis, R. sanctæ Mariæ in Cosmedim diac. cardin. dedimus auditorem: coram quo dictus C. conquerendo proponens quod indebite recusabas eidem, cujus uxor eras per consensum de præsenti & carnis copulam subsecutam, matrimonialiter adhærere, te sibi restitui postulavit. Ad quod fuit responsum, quod ipse pro animæ suæ remedio, pura & spontanea voluntate, præsentibus duobus religiosis sacerdotibus, & adhibitis quinque testibus fide dignis, omni juri quod in te habuerat, renunciavit omnino, resignando illud in manibus alterius ex sacerdotibus supradictis, qui in personam ecclesiæ resignationem hujusmodi recipere procuravit: & quod idem C. se castitatem servaturum promisit, pauperumque hospitalis de Ponte obsequio se devovit, promittens voto solemni omnia & singula supradicta, & tribuens tibi licentiam ad monasterium transeundi: te versa vice similiter promittente ac tribuente illi licentiam, & jus quodlibet resignante, sicut hæc omnia dicebantur per publicum instrumentum esse probata manu B. notarii Aretinensis confectum. Verum prænominatus C. proposuit, quod casu amisso instrumento præfato, illud in prima persona, quod prius erat in tertia, insertis pluribus in uno, aliter quam in alio fuit ab ipso formatum: & cum tibi iratus fuisset, sicut verba & verbera indicabant, nondum calore iracundiæ quiescente, quidam ipsum deceptorie allexerunt, proponentes eidem quod in hospitali prædicto cibis ad libitum posset uti, ac proprium retinere, præfato B. sibi nihilo minus promittente, quod non solum ardorem, sed etiam appetitum libidinis extingueret in eodem. Propter quod quicquid in hac parte fecisse dignoscitur: iratus, seductus pariter & illectus, & sub spe promissionis, ac sub ea conditione vel modo, si posset continentiam observare: asseruit a se" factum. Sed ad ista respondebatur e contra, quod an tabellio in tertia persona instrumentum conficiat, vel in prima (dummodo non mutetur substantia veritatis) nihil interesse videtur. Insuper quamvis aliquando spes memorato C. data fuisset, per quam ad hoc se proposuit inductum, eo tamen tempore quo talia facta fuerunt, pure, simpliciter, & voluntarie, pro amore Dei, & remedio animæ suæ, solummodo ad votum & ad alia supradicta noscitur processisse: propter quod a consortio sæcularium hominum debet discedere, vitamque mutare, cum se illius ætatis esse proponat, ut sine suspicione incontinentiæ non valeat in sæculo remanere. Nos itaque habito fratrum nostrorum consilio, te ab impetitione dicti C. sententialiter duximus absoluendam, perpetuum illi super hoc silentium imponentes.

" al. asseruit esse factum.

LXVII. Ad priorem S. Bartholomæi, & decano de Arcubus London.

De judice, qui parti petenti non facit edi communia instrumenta.

De fid. instr. c. 12.

G. perpetuus vicarius ecclesiæ de Recham nobis exposuit, quod cum prior & conventus de Ledis eum super decimis coram iudicibus autoritate apostolica convenissent, & dictus G. super similibus coram ipsis reconvenisset eosdem, quia dicti judices copiam quorumdam instrumentorum communium, quæ habebat pars altera, & per quæ intendebat intentionem suam super principali fundare, fieri non faciebant eidem hoc cum instantia postulanti: nostram audientiam appellavit. Ideoque mandamus, quatenus si est ita, revocato in statum debitum, &c.

LXVIII. Ad priorem fratrum Prædicatorum & archidiaconum Rhegin.

Vacante episcopatu, capitulum confirmet electiones.

De major. & ob. c. 14.

CVm olim causa. *Et infra*: Quocirca mandamus, quatenus licet conventus monasterii S. Salvatoris Messanensis sint ipso jure hac vice eligendi potestate

testate privati: de gratia tamen eligendi seu postulandi detis ipsis autoritate nostra liberam facultatem: mandantes eisdem, ut cum ecclesia Messan. vacet ad præsens, electionem suam confirmandam, prout de jure fuerit, vel etiam infirmandam præsentent capitulo Messanens.

LXIX. Ad fratrem R.

De usur. c. 19.

Qui sint usurarii, qui non.

NAviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscepit in se periculum recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus. Ille quoque qui dat decem solidos, ut alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mensuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, utrum plus vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, verisimiliter dubitatur: non debet ex hoc usurarius reputari. Ratione hujus dubii etiam excusatur qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, ut amplius quam tunc valeant, in certo termino recipiat pro eisdem, si tamen ea, tempore contractus, non fuerat venditurus.

LXX. Ad Remensem archiepiscopum & suffraganeos suos.

De hæret. c. 1.

Propter hæresin clericum degradare possit solus eius episcopus.

QVoniam episcoporum numerus ad degradationem clericorum a canonibus constitutus, non potest de facili convenire: concedimus, ut sacerdotem vel alium clericum in sacris ordinibus constitutum (cum pro hæresi fuerit curiæ sæculari relinquendus aut perpetuo immurandus) convocatis abbatibus, aliisque prælatis & religiosis personis ac litteratis suæ diœcesis, de quibus expedire videbitur, suus solus possit episcopus degradare.

LXXI. Ad archiepiscopum & priorem S. Mariæ Rothomagensis.

De accusat. c. 26.

Committit iis monasterium reformandum.

OLim I. V. & P. ordinis Tironensis. *Et infra*: Ne igitur reformatio monasterii valeat retardari: mandamus, quatenus relaxatis excommunicationum seu suspensionum sententiis, si quas idem abbas protulerit, vel per quoscumque judices promulgari fecit, post inceptum negotium in eos, & adhærentes eisdem, ac eis restitutis, quos idem abbas, negotio pendente contra justitiam spoliavit: in negotio, de plano & absque judiciorum strepitu procedentes, cum talibus maxime in hoc casu non deceat Dei servos involvi, inquiratis quæ circa " personas & observantias regulares videritis inquirenda, corrigentes & reformantes tam in capite quam in membris; quæ correctionis & reformationis officio noveritis indigere: juramentis si qua de tacenda veritate abbas extorserit, relaxatis, proviso ut negotio ipso pendente præfati monachi eidem abbati obediant & intendant, ita tamen quod per hoc prosecutio negotii non valeat impediri. Si vero testes contra eundem abbatem producti fuerint, dictorum ipsorum copiam ei dari faciatis. Prædictis autem monachis expensas factas propter hoc, & tribus vel quatuor ex istis, vel aliis quos idoneos ad dictum negotium prosequendum duxeritis assumendos, taxatis de bonis ejusdem monasterii: & faciendas expensas ad prosecutionem ipsius negotii necessarias computatis, si qua propter hoc receperunt de bonis monasterii, cum proprium non habeant, ministrari. Contradictores, *&c.*

LXXII. Ad episcopum Silvanectensem.

De ele. & ele. po. c. 53.

Si maior pars capituli eligit indignum, valet electio de digno a minori parte etiam ex eodem scrutinio facta.

COngregato Nivernensi capitulo ad electionem futuri pastoris, XIII. in decanum, & XVIII. computato procuratore cujusdam absentis, in cantorem ipsius ecclesiæ convenerunt: qui cum plures in eum, & pauciores in alium sua desideria direxissent, a parte sua electus extitit in pastorem ecclesiæ Nivernen. postmodum credente parte decani quod alii plurimum deliquissent eligendo personam scientiæ litteralis expertem, propter quod illis secundum statuta Lateranensis concilii ipso jure eligendi potestate privatis, potestas eligendi ad eos extitit devoluta: decanum ipsum, qui in eum sua vota direxerant, in suum episcopum elegerunt, ad sedem apostolicam appellantes. *Et infra*. Reliquis petentibus ut irritare decani electionem attentatam a paucioribus, & post aliam non cassatam, ac confirmare reliquam veluti canonice celebratam a pluribus de persona idonea dignaremur. Nos igitur mandamus, quatenus si dictus cantor defectum in litteratura non patitur, & alias est idoneus ad regimen pastorale, ipsius electionem procures autoritate nostra, infirmata reliqua, confirmare. Alioquin ipsius cantoris electione irrita, prænominatum decanum, si nihil ei de canonicis obsisteret statutis, eadem autoritate præficias ecclesiæ memoratæ.

LXXIII. Ad episcopum Suan.

De offic. ord. c. 14.

Papa mandans ordinario, ut corrigat clericos, non dat ei iurisdictionem super exemptos.

GRave gerimus, quod cum in ecclesiam S. Mariæ de Orbicello, & quasdam alias existentes in tua diœcesi monasterium S. Anastasii de Vrbe spectantes nullam jurisdictionem habeas ordinariam, aut etiam delegatam occasione litterarum nostrarum, quas super correctione clericorum tibi transmisimus: in eas interdicti, ac in clericos earundem suspensionis sententias promulgasti: quamquam abbas ejusdem monasterii eos corrigere sis paratus. *Et infra*: Mandamus, quatenus si est ita, prudenter corrigens per te ipsum quæ minus provide attentasti, prædictas sententias sine difficultate relaxes.

LXXIV. Ad abbat. Trecensem.

De foro comp. c. 18.

Clericus non potest iurisdictionem non sui iudicis prorogare, nisi episcopus consentiat, & iudex ille sit ecclesiasticus.

SIgnificasti nobis, quod P. clericus ad petitionem C. mercatoris se tuæ jurisdictioni subjecit, si in termino nunc elapso de pecunia mutuata non satisfecisset eidem. *Et infra*: Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod licet privatorum consensus eum, qui jurisdictioni præesse dignoscitur, suum possit judicem

judicem constituere : clerici tamen in judicem non suum, nisi forte sit persona ecclesiastica, & episcopi diœcesani voluntas accedat, consentire non possunt.

LXXV. Ad decanum & I. canonicum Tullens.

De solut. c. 3.

De clericis qui non habent unde satisfaciant creditoribus.

ODoardus " clericus proposuit, quod cum P. clericus, D. laïcus, & quidam alii ipsum coram officiali archidiaconi Remensis super quibusdam debitis convenissent : idem in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, excommunicationis sententiam promulgavit. *Et infra* : Mandamus quatenus, si constiterit quod prædictus O. in totum vel pro parte non possit solvere debita supradicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, recepta prius ab ipso idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta " persoluat.

" al. Odardus.

" præscripta

LXXVI. Ad archiepiscopum, & magistrum R. Turonens.

De præb. c. 36.

Pro unius præbendæ integratione, alia diuidi non debet.

CVm causam, quæ inter Aurelianensem episcopum, & I. de Blesis canonicum sanctæ crucis, super integratione præbendæ ipsius canonici vertebatur, vobis duxerimus committendam. *Et infra* : Consultationi tuæ taliter respondemus: Quod nostræ intentionis non existit, ut pro integratione præbendæ supradicti canonici præbenda de novo aliqua scinderetur.

LXXVII. Ad archiep. & G. canonicum Turonen.

De app. c. 69.

De appellatione.

SIgnificante Aurelian. episcopo nos noveritis accepisse, quod cum decanus & capitulum Magdunense, ipsum, super eo quod dicebant alibi quam in stallis decani & capituli prædictorum carnifices carnes vendere non debere, coram judicibus autoritate apostolica convenissent, petentibus tandem decano & capitulo nominatis judicum officium implorando, ut cum idem episcopus post citationem carnes in stallis aliis vendi fecisset, quod per eum super hoc factum fuerat in statum pristinum revocarent : pro parte ipsius fuit propositum, quod cum lis præsertim non fuisset super negotio contestata, locum imploratio hujusmodi non habebat: adjiciens quod cum de consensu partium coram dictis judicibus, ad litigandum super ipso negocio certus dies statutus fuisset, & quantum ad eam diem solutum fuisset judicium eorumdem, prævenire diem ipsum ac audire partem adversam in tali imploratione, absque consensu partium, non debebant. Et quia super his non audiebant eundem, nostram audientiam appellavit. Et licet procuratorem suum intra annum ad hujusmodi appellationem miserit prosequendam: quia tamen dictus procurator, ut creditur, circumventus, contra inhibitionem ipsius episcopi nostras super hoc ad quosdam judices certa ratione suspectos litteras impetravit : dictus episcopus uti noluit litteris sic obtentis, petens non obstante lapsu anni ad prosecutionem appellationis admitti. Ideoque mandamus, quatenus si de inhibitione hujusmodi, & præmissis causis appellationis, vel earum altera constiterit, revocato in irritum, *&c.* ubique ad attentatum in jam dicto negotio juxta priorum continentiam litterarum, *&c.*

LXXVIII. Ad Tolet. & Compostel. archiepiscopos.

Qui sub spe immunitatis in ecclesiis vel cœmeteriis delinquunt, immunitate non gaudeant.

De im. eccl c. 10.

IMmunitatem ecclesiasticam. *Et infra* : Nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem ecclesiæ obtinere sperantes, homicidia & mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis, vel earum cœmeteriis committere non verentur: qui, nisi per ecclesiam ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri. *Et infra* : Cum autem in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat; & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem : mandamus quatenus publice nuncietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.

LXXIX. Ad B. judicem Viterbiensem.

De confessione facta in iure per errorem facti.

De confes. c. 3.

EX parte abbatis & conventus monasterii S. M. fuit propositum, quod cum inter ipsos ex parte una, & V. nomine suæ uxoris ex altera, coram te quæstio verteretur, œconomus monasterii memorati quædam per errorem facti fuit in jure confessus, ex quibus timet sibi præjudicium generari. Cum igitur negotio nondum finito, nemini noceat error facti : mandamus, quatenus, si de hujusmodi potuerit errore docere, provideas, ut nullum sibi super hoc præjudicium generetur.

LXXX. Ad nobilem virum " Vbaldum civem Pisanum.

" Vmbaldum.

In causa matrimoniali constituens procuratorem gaudeat plena libertate.

De procur. c. 10.

ACcedens ad apostolicam sedem. *Et infra* : Mandamus, quatenus D. nobilem mulierem, quæ sub tua potestate tenetur, plenæ restituas libertati, faciens ipsam ad castrum de Massa Lucanæ diœcesis secure perduci : ut existens ibidem libera, procuratorem libere ordinare valeat, qui suam coram nobis justitiam prosequatur. Tu ergo super sponsalibus, quæ inter natam tuam & filium ejusdem nobilis contracta proponuntur, procuratorem idoneum ad præsentiam nostram mittas, qui ad agendum & respondendum plenariã habeat potestatem.

LXXXI. Ad universos ecclesiarum prælatos.

XV. Grauamina illata religiosis, a quibus præcipit prælatos abstinere.

De excess. præl. c. 16.

NImis iniqua. *Et infra* : Cum religiosi viri abnegantes salubriter semetipsos, elegerint in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam

quam nihil habentes & omnia possidentes: non desunt plerique, tam ecclesiarum prælati, quam alii, qui cæca cupiditate seducti, propriæ aviditati subtrahi reputantes quicquid prædictis fidelium pietas elargitur, quietem ipsorum multipliciter inquietant". Volunt namque contra regulam a sede apostolica approbatam, & sui ordinis instituta, ipsis invitis eorum confessiones audire, ac eis injungere pœnitentias & Eucharistiam exhibere: nec volunt, ut corpus Christi in eorum oratoriis reservetur: & fratres ipsorum defunctos apud ecclesias suas compellunt sepeliri, & eorum exequias celebrari: & si quis decedentium fratrum alibi quam in suis ecclesiis eligat sepulturam, funus primo ad ecclesias suas deferri cogunt, ut oblatio suis usibus cedat. Nec sustinentes eos habere campanam vel cœmeterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipsos celebrare Divina. Volunt quoque in omnibus eorumdem certum numerum fratrum, sacerdotum, clericorum, & laicorum, necnon cereorum, lampadarum, & ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando noviter apponuntur, exigunt ab eisdem. Nec permittunt quod "novi sacerdotes eorum alibi quam in ecclesiis suis celebrent primas Missas, eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant & reservent. Quicquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorquere oblationis nomine contendentes: quod eisdem tam in ornamentis altaris, quam in libris ecclesiasticis absolute confertur, vindicant perperam juri suo. Quocirca mandamus, quatenus universi & singuli a prænotatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ab hujusmodi arctius compescendo.

"inquietēt. " ut

LXXXII. Ad universos ecclesiarum prælatos.

De excess. præl. c. 17.

Gravamina Prædicatorum & Minorum, a quibus præcipit prælatos abstinere.

NImis prava. *Et infra*: Cum quidam viri religiosi, ut puta fratres Prædicatores, & Minores, quorum ordinem & regulam sedes apostolica noscitur approbasse, in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur: plerique prælati & alii eos ad synodos suas cogunt accedere, ac suis constitutionibus subjacere. Nec his contenti, capitula & scrutinia in locis fratrum pro his corrigendis facturos se comminantur, fidelitatem juramento firmatam ab eorum ministris & custodibus exigentes: eis quoque, ut tam extra civitates, quam intra, cum eis processionaliter veniant, ex levi causa mandantes: excommunicationis sententiam fulminant in benefactores ipsorum, & id ipsum fratribus comminantes, eos de locis in quibus Domino famulantur satagunt amovere, nisi eis obediant in omnibus supradictis. Ad hæc, ne fratres ad honorabiliores civitates & villas, ubi religiose ac honeste valeant commorari, a populis devote vocati accedere audeant, inhibentes: tam in accedentes fratres, quam in receptatores eorum, præsumunt excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus decimas, necnon de habitaculis fratrum, sicut de Judæorum domibus, contendunt reditus extorquere: asserentes quod nisi fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui solverentur: & ut ipsos suæ subdant totaliter ditioni, eisdem ministros & custodes volunt præficere pro suæ arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus universi ac singuli a prænotatis gravaminibus desistatis, subditos vestros ab hujusmodi arctius compescendo.

LXXXIII. Ad universos ecclesiarum prælatos.

De prælato obligante ecclesiam pro alienis debitis. De solut. c. 2.

SI quorumdam. *Et infra*: Firmiter inhibemus, ne quis præsumat ecclesiam sibi commissam pro alienis gravare debitis, aut litteras alicui seu sigilla concedere, quibus possent ecclesiæ obligari: decernentes, si secus fuerit attentatum, ad solutionem talium debibitorum ecclesias non teneri. Si quis autem contra præmissa de cætero venire præsumpserit, ab administratione spiritualium & temporalium noverit se suspensum.

LXXXIV. *Occulti criminis reus, præterquam homicidii, post pœnitentiam in susceptis vel suscipiendis ordinibus potest ministrare.*

De temp. ordin. c. 17.

QVæsitum est de sacerdotibus, vel aliis clericis, qui per reatum adulterii, perjurii, homicidii, vel falsi testimonii bonum conscientiæ rectæ perdiderunt. *Et infra*: Respondemus, quod si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi, præter reos homicidii, post pœnitentiam in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri. Qui si non pœnituerint, monendi sunt, & sub interminatione Divini judicii obtestandi, ut in testimonium suæ damnationis in susceptis etiam ordinibus non ministrent.

LXXXV. *Iterum examinandus est testis qui obscure deposuit.*

De test. & att. c. 53.

CVm clamor validus contra Acherontinensem episcopum super simonia & aliis criminibus ascendisset: Melfitensi & Ruben. episcopis dedimus in mandatis, ut super his diligenter veritatem inquirerent. *Et infra*: Verum, quia apertis attestationibus L. & G. super simonia ita deposuere confuse, quod ex dictis eorum non potest veritas declarari: mandamus quatenus examinetis eos iterum diligenter, & tam eorum, quam aliorum quos receperitis, testificata sub sigillis vestris nobis fideliter referatis.

LXXXVI. *Qui sint ob crimen repellendi a testimonio, qui minime.*

De test. & att. c. 54.

TEstimonium ejus, cui ab adversa parte opponitur crimen, merito reprobatur in criminali causa sive civili, si in ipso crimine perseveret. Si vero sit de crimine emendatus, & eum non comitetur infamia: non est in causa civili, vel etiam cum de crimine civiliter agitur, præterquam pro reatu perjurii, repellendus. In criminali autem, si in alio judicio instituta accusatione contra ipsum, de crimine convictus extitit, vel confessus; vel si nunc per exceptionem exinde convincatur, aut gravata sit ejus opinio, pro eo quod quandoque fuit tali modo repulsus: quamvis in hoc casu non excluderetur in causa civili, potest a testimonio, licet egerit pœnitentiam, removeri.

LXXXVII. *Quarta productio non est danda sine solemnitate legali.*

De test. & att. c. 55. p.

VLtra tertiam productionem non debent testes ulterius produci in causa, nisi præstito ab eo qui hoc postulat juramento, quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunctatus:

nec per dolum aut artem aliquam quartam productionem exposcat: sed quia quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit.

De test. & att.c.56.

LXXXVIII. *Accusatus criminaliter an admittatur in testem.*

NOn debet quis in criminibus, nisi forsan in exceptis, ad testificandum admitti pendente accusatione de crimine contra ipsum: cum etiam accusati, nisi prius se probaverint innocentes, ab accusatione ac susceptione ordinum repellantur.

De cõsuet. c.11.

LXXXIX. *Consuetudo quando non deroget juri.*

CVm tanto sint graviora peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam: nemo sanæ mentis intelligit naturali juri, cujus transgressio periculum salutis inducit, quacumque consuetudine, quæ dicenda est verius in hac parte corruptela, posse aliquatenus derogari. Licet etiam longævæ consuetudinis non sit vilis autoritas: non tamen est usque adeo valitura, ut vel juri proprio debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationabilis, & legitime sit præscripta.

De cẽsibus. c.25.

XC. *Procuratio exhibenda visitanti.*

CVm nuper archiepiscopus Beneventanus Beneventanam provinciam visitaret. *Et infra*: Mandamus quatenus cum eundem archiepiscopum, sive autoritate propria, sive nostra, Beneventanam provinciam contigerit visitare, procurationes ratione visitationis debitas, juxta facultates ecclesiarum vestrarum, exhibeatis eidem. Alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus autore Domino inviolabiliter observari.

De cẽsibus. c.26.

XCI. *Quomodo solvendæ pensiones antiquæ.*

CVm canonicis majoris ecclesiæ, quandam summam pecuniæ ecclesiæ tuæ debitam aliquot annis persolveris, & iidem summam illam ex integro de meliori moneta exigant sibi solvi: tibi damus nostris litteris in mandatis, ut canonicos illos, solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ facias manere contentos.

De cẽsibus. c.27.

XCII. *An procuratio pro privatis oratoriis debeatur.*

AVtoritate præsentium inhibemus, ne quis pro eo quod in oratoriis, quæ in grangiis vestris habetis, interdum aliqui vestrum celebrant, procurationes quæ ratione visitationis debentur, a vobis exigere, vel extorquere præsumat.

De rest. spol.c.1.

XCIII. *Quando restituendus reus.*

LIcet multum. *Et infra*: Conquestus est nobis Philasius [a] cæcus, ejus campum ab ecclesiæ hominibus irrationabiliter occupatum. Quod si ita est, quãquam ante omnem contentionem possessio ei debuerat violenter ablata restitui: tamen, quia Eventus diaconus ipsius ecclesiæ, consentiente illo, constituit se legitime probaturum, dictum campum ejusdem ecclesiæ juris esse, inquire veritatem. Et si hoc probatum fuerit, huic dicendum est, ut a sua intentione discedat: Alioquin res ei ablata reddatur.

[a] Philagrius. *al.* Philarius.

De eo qui mittit in poss.c.4.

XCIV. *De absente, qui non dimisit procuratorem.*

SI adversarius tuus post citationis edictum, ad remota loca se transferens, procuratorem legitimum

A non dimisit, & denunciatione publice facta domi, non apparet, qui defendat eundem: iure petere potes, ut in possessionem earum terrarum, de quibus quæstio vertitur, causa custodiæ inducaris.

XCV. *Sequestratio fructuum lite pendente.*

De seq.poss. & fruct.c.3.

AB eo qui a sententia provocavit, fructus possessionis, si dissipentur ab ipso, possunt lite pendente rationabiliter sequestrari.

XCVI. *Clerici ignobiles non repellendi, etiam in ecclesia quæ tales admittere non consueuit.*

De præb. c.37.

VEnerabilis frater noster Portuensis episcopus supplicavit, ut cum quandam præbendam, quæ B in Argentinensi ecclesia tamdiu vacaverat, quod donatio ejus erat ad sedem apostolicam devoluta, I. clerico contulerit, dum in illis partibus legationis officio fungeretur, suam collationem benigno prosequeremur affectu. Verum procurator Argentini capituli proposuit ex adverso, quod idem capitulum hoc audito consuetudinem allegans antiquam inviolabiliter observatam, juxta quam nullum, nisi nobilem & liberum, & ab utroque parente illustrem, honestæ conversationis ac eminentis scientiæ, in suum consortium hactenus admiserant: ne contra hoc fieret, maxime cum nulla tunc præbenda vacaret antequam monitorias C vel executorias litteras recepisset, ad sedem apostolicam appellavit. *Et infra*: Nos igitur attendentes, quod non generis, sed virtutum nobilitas, vitæque honestas, gratum Deo faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundum carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: eo quod non est personarum acceptio apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum, nedum ad præbendas, viri eminentis scientiæ valeant reperiri: exceptiones hujusmodi non duximus admittendas. *Et infra*: Discretioni vestræ mandamus, quatenus si vobis constiterit prædictam præbendam vacasse, quando ipsam dicto I. episcopus contulit memoratus, ipsum ad eam recipi faciatis.

D XCVII. *De eo qui providendus erat in ecclesia.*

De pred. c.38.

CVm olim priori sanctæ M. dederimus in mandatis, ut Gu. diacono in aliqua ecclesia civitatis vel diœc. Luc. autoritate apostolica provideret: idem præfatum Gu. ecclesiæ S. Petri de vico rectorem autoritate hujusmodi nisus est designare, in qua rector ab ejusdem ecclesiæ clericis eligi consuevit, excommunicationis sententiam nihilo minus proferens in rebelles. Cum igitur mandatum hujusmodi se ad talia non extendat, nec ad rectoriam vel dignitatem nostra feratur intentio, cum pro simplici beneficio iussio nostra manat: mandamus, quatenus tam institutionem hujusmodi, quam excommunicationis sententiam pro- E pter hoc latam, denuncies non tenere.

XCVIII. *Quando venditor emptori de evictione non teneatur.*

De empt. & vend.c.7.

SI venditor post institutum contra se iudicium, quis omiserit, ut rem venditam sibi defenderet, nunciare, vel contumaciter absfuit tempore sententiæ promulgatæ, seu per iniuriam sententia lata fuit: de evictione iuxta legitimas sanctiones agere non valebit.

XCIX. *De clericis comatis.*

De vita & hon. cler c.3.

SI quis ex clericis comam relaxaverit, anathema sit.

XCX.

De in integ. rest. c. 8.

C. *De restituendo minore.*

CONstitutus in nostra præsentia magister Guill. pro se ac fratre suo I. canonico Parrosinen.[a] exhibita nobis petitione monstravit, quod eis in minori constitutis ætate, ac eorum matre, cuius successores existunt, rebus humanis exempta, quondam G. pater ipsorum quasdam possessiones utrique communes quibusdam vendidit pro quadam pecuniæ quantitate, ac ut huiusmodi venditio robur firmitatis haberet, emancipavit eosdem, & fecit eos contractui consentire. Quare supplicavit, ut vel venditionem eandem mandaremus nunciari nullam, vel, cum adhuc existant intra tempus ad obtinendum beneficium in integrum restitutionis indultum, & intra annū & diem a tempore contractus ipsis tamquam proximioribus competeret super illa portione jus offerendi emptoribus precium : iuxta municipii Parrosinen. consuetudinem approbatam, quod hactenus omiserunt, dignaremur eis super utroque, cum in hoc non modicum læsi noscantur, & emptoribus portionis eiusdem, vel eorum successoribus precium sint offerre parati, per idem beneficium subvenire. Quocirca mandamus, quatenus si præmissa inveneritis veritate subnixa, vel venditionem prædictam, quoad partem ex successione materna ipsos contingentem, nunciare curetis, si in ea debita iuris solemnitas est omissa : vel, si forsitan intervenerit, & eos læsos esse constiterit, tam super ea, quam super residua portione, dum tamen quod offerunt duxerint faciendum, autoritate nostra in integrum restituere studeatis.

[a] Paronen. al. Peienensi.

De in integ. rest. c. 9.

CI. *Restitutio in integrum a quo postulanda.*

CAusa restitutionis in integrum coram iudicibus ordinariis administrationem habentibus, vel delegatis ab eis, tractari poterit & finiri : sive hoc ipsis delegatis specialiter demandatum fuerit, sive in commisso eis negotio contingat incidere hujusmodi quæstionem. Delegati vero ab ordinariis qui administrationem non habent, sed tantummodo facultatem judicandi, seu arbitri, de hac causa cognoscere nequeunt: nisi coram eis mota fuerit incidenter. In matrimoniali quoque causa, liberali, vel criminali, cum majores judices exigant, arbiter nequit assumi.

De in integ. rest. c. 10.

CII. *De restitutione ecclesiæ denegata.*

BEneficio restitutionis in integrum ecclesiæ tuæ in alio judicio denegato: restitutio, præterquam ad appellationem omissam, videtur eidem ecclesiæ posse denegari, nisi novis defensionibus ad hujusmodi sit beneficium admittenda.

De deposito. c. 2.

CIII. *Quando successor precariam revocet.*

DE precariis irrationabiliter factis a rectoribus ecclesiarum se suosque successores pœna gravi obligantibus, ut facta ipsorum dissolvere nequeant : præcipimus, ut nemo successor antecessoris sui pœna sit obligatus, sed suæ providentiæ sit concessum, ut si antecessor ejus res ecclesiæ irrationabiliter distribuit, ab eo ad jus ejusdem ecclesiæ revocentur.

De condit. ap. c. 7.

CIV. *De conditione turpi vel impossibili, adiecta contractui matrimonii.*

SI conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si alter dicat alteri : contracto tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem, aut si pro quæstu adulterandam te tradas : matrimonialis contractus, quātumcumque sit favorabilis, caret effectu. Licet aliæ[b] conditiones appositæ in matrimonio, si turpes aut impossibiles fuerint, debeant propter favorem ejus pro non adiectis haberi.

[b] al. alias

De simon. c. 45.

CV. *De ordinato sub promißione de non petendo ab ipso provisionem.*

SI quis ordinaverit, seu ad ordinem præsentaverit aliquem, promissionem seu iuramentum ab illo recipiens, quod super provisione sua non inquietet eundem : ordinator a collatione, præsentator vero ab executione ordinum per triennium, & ordinatus ab ordine sic suscepto, donec dispensationem super hoc per sedem apostolicam obtinere meruerint, noverint se suspensos.

De simon. c. 46.

CVI. *De resignationibus.*

MAndato nostro recepto, ut cum monachis qui per simoniam dato aliquo locum in monasteriis sunt adepti, secundum constitutionem generalis concilii dispensares. *Et infra*: Consultationi tuæ breviter respondentes, dicimus mandatum apostolicum etiam ad abbates extendi, & resignationes spiritualium & temporalium quæ nullo pacto sed affectu animi præcedente utrinque taliter acquiruntur, in quo casu delinquentibus sufficit per solam pœnitentiam suo satisfacere creatori, eos pro simonia huiusmodi non teneri.

De cler. excom. c. 10.

CVII. *De eo qui celebrat in excommunicatione minori.*

SI celebrat minori excommunicatione ligatus: licet graviter peccet, nullius tamen notam irregularitatis incurrit, nec eligere prohibetur, vel ea quæ ratione iurisdictionis sibi competunt, exercere. Si tamen scienter talis electus fuerit, eius electio est irritanda, pro eo quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a sanctis patribus est privatus. Peccat autem conferendo ecclesiastica sacramenta: sed ab eo collata, virtutis non carent effectu, cum non videatur a collatione, sed participatione sacramentorum, quæ in sola consistit perceptione, remotus. Dummodo non in contemptum ecclesiasticæ disciplinæ, videlicet contra prohibitionem superioris, communioni excommunicatorum pertinaciter se ingesserit : in quo casu est anathemate feriendus.

De foro comp. c. 19.

CVIII. *De legitime citato a iudice.*

PRoposuisti nobis quod quidam subditus tuus ad petitionem cuiusdam adversarii sui a te legitime citatus ad causam, quia postmodum iurisdictionis alterius esse cœpit, tuum intendit iudicium declinare. Porro tuæ prudentiæ dubium esse non credimus, quod is in prædicta causa ius revocandi forum non habet, quasi ab illo iam præventus.

CIX.

De foro comp. c. 20.

CIX. *Clericus potest in curia Romana conueniri.*

LIcet ratione delicti seu contractus aut domicilii, sive rei de qua contra possessorem causa movetur, quibus forum regulariter quis sortitur, episcopus vester apud sedem apostolicam conventus non fuerit: quia tamen omnium ecclesiarum mater est eadem, & magistra, rite compelli potuit, ut ibi suis adversariis responderet, nisi pro alia iusta & necessaria causa venisset, quam si tunc allegasset, ius revocandi domum salvum fuisset eidem.

De postul. c. 3.

CX. *De sacerdotis & clerici officio.*

B

CVm sacerdotis sit officium nulli nocere, omnibus autem velle prodesse: non nisi pro se ipso, vel ecclesia sua, vel, si necessitas immineat, pro personis coniunctis, aut miserabilibus, sibi licitum est postulare. *Et infra*: Clericus autem qui contra ecclesiam, a qua beneficium obtinet, pro extraneis advocatus vel procurator esse præsumit, tanquam ingratus potest, maxime si clericus sit eiusdem ecclesiæ, beneficio huiusmodi spoliari.

De pact. c. 8

CXI. *Quæ pactio in spiritualibus valeat.*

PActiones factæ a vobis, ut audivimus, pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cum in huiusmodi omnis pactio omnisque conventio debeat omnino cessare, nullius penitus sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendum, quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum. Nam etiam iuxta legitimas sanctiones, pactum turpe vel rei turpis, aut impossibilis de iure, vel de facto, nullam obligationem inducit.

C

De solut. c. 4.

CXII. *De conquerente se indebite soluisse.*

IS qui conqueritur indebitam pecuniam se solvisse, probare tenetur quod indebite sit soluta: nisi eius adversarius solutionem inficians, exinde convincatur. Tunc enim diffitenti onus incumbit probandi, quod debitum recepisset.

D

De conversione conjugũ. c. 19.

CXIII. *De adultera quam maritus reconciliare non vult.*

GAudeamus in Domino. *Et infra*: Mulieres vero quæ relicto maritali toro lapsu carnis ceciderunt, si mariti earum, a te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ conversas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœnitentiam ibi agant.

De cõvers. cõjug. c. 21.

CXIV. *Quando possit uxor religionem intrare.*

E

MVlier quæ in fide remansit, potest nolente viro qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio ecclesiæ separata, ad religionem libere convolare.

De donat. inter vir. c. 8.

CXV. *De donatione inter coniuges.*

DOnatio quæ constante matrimonio inter conjuges dicitur esse facta, ex quo alter locupletior, & pauperior alter efficitur, firmitatem non habet, nisi donatoris obitu confirmetur. Quæ tamen penitus evanescit, si revocetur ab eo tacite vel expresse: vel qui donatum accepit, prius debitum naturæ persolvat. Sane soluto matrimonio, sicut dos ad mulierem, sic & donatio propter nuptias redit ad virum: nisi de consuetudine secus obtineat, vel ex pacto de lucranda dote vel donatione propter nuptias, quod æquale sit, cum hinc inde contrarium inducatur.

A

CXVI. *De decimis.*

De decimis. c. 35.

INterdicimus universis personis ecclesiasticis, ut decimas detentas a laicis, ad alienas ecclesias pertinentes, in pignus recipere ab eisdem laicis non præsumant.

CXVII. *Ecclesia destituta ministris, absentes redire cogat per subtractionem prouentuum.*

De cler. nõ resid. c. 16.

CVm ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata. *Et infra*: Sane nobis innotuit quod ecclesia Antiochena, multis ex servitoribus ejus absentibus, est fere destituta ministris. Vnde mandamus, quatenus non obstantibus apostolicis indulgentiis, & prædecessorum tuorum licentia, absentes canonicos & assisios" revoces ad residendum in ecclesia supradicta: & si non venerint, tu de ipsorum beneficiis, dum absentes fuerint, ipsi ecclesiæ facias congrue deserviri, in utilitatem ejusdem, quod ex præfatis beneficiis superfuerit, convertendo.

" *qui aliter dicti* mansionarii.

CXVIII. *In sponsalibus promißio pœnæ a contraueniente soluendæ non obligat.*

De spons. c. 29.

GEmma mulier nobis exposuit, quod cum T. filia ejus cum C. contraxit matrimonium, B. de Alferio ea occasione, quod inter P. filium suum & prædictam puellam intra septennium constitutos sponsalia contracta fuerant, pœnam solvendam a parte quæ contraveniret in stipulatione appositam ab ipsa nititur extorquere. Cum itaque libera matrimonia esse debeant, & ideo talis stipulatio propter pœnæ interpositionem sit merito improbanda: mandamus quatenus, si est ita, eundem B. ut ab extorsione prædictæ pœnæ desistat, ecclesiastica censura compellas.

CXIX. *Non sponsalia de præsenti, sed de futuro, soluuntur per sequens matrimonium.*

De spons. c. 31.

SI inter virum & mulierem legitimus consensus interveniat de præsenti, ita quod unus alterum mutuo consensu verbis consuetis expresso recipiat, utroque dicente: Ego te in meam accipio, & ego te accipio in meum, vel alia verba consensum exprimentia de præsenti: sive sit juramentum interpositum, sive non, non licet alteri ad alia vota transire. Quod si fecerit, secundum matrimonium de facto contractum, etiam si sit carnalis copula subsecuta, separari debet, & primum in sua firmitate manere. Verum si inter ipsos accessit tantummodo promissio de futuro, utroque dicente alteri, ego te recipiam in meam, & ego te in meum, sive verba similia: si alius mulierem illam per verba de præsenti desponsaverit, etiam si inter ipsam & primum, juramentum intervenerit, sicut diximus, de futuro: hujusmodi desponsationis intuitu, secundum matrimonium non poterit separari, sed eis est de violatione fidei pœnitentia injungenda.

CXX. *De desponsata per verba de futuro.*

ADolescens qui desponsatam sibi per verba de futuro, licet sæpe nisus fuerit, carnaliter non cognoscens, cum alia postmodum per verba de præsenti contra-

De spons. c. 32.

contraxit: non primam cum qua nec fuit verum matrimonium ex forma contractus, nec præsumptum, cum conatus non habuisset effectum: sed secundam debet habere uxorem.

De except. c.12. CXXXI. *De exceptione excommunicationis in iudicio.*

EXceptionem excommunicationis in dilatoriis proponendis reus scienter omittens, in qualibet parte litis opponere minime prohibetur: quod est in hac exceptione specialiter observandum, ne quisquam in periculum animæ suæ excommunicato communicare cogatur. Qui si eam omiserit, ut actor laboribus & sumptibus fatigetur, in expensis est legitimis condemnandus. Excommunicatus autem publice, etsi huiusmodi exceptio non opponitur, nihilo minus est officio iudicis repellendus.

De except. c.13. CXXXII. *De exceptione rei iudicatæ.*

ADversario tuo per iudicem absoluto, quoniam tempore motæ litis rem petitam ab ipso sine dolo desierat possidere: si eam modo possideat, tibi petenti denuo rei iudicatæ exceptio non obsistat.

De except. c.14. CXXXIII. *De rescripto impetrato ab excommunicato.*

VEnerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Narbonensem, qui a iudicibus ex sufficienti gravamine ad apostolicam sedem appellans, ad vos super appellatione sua nostras litteras reportavit, etsi ex causis aliis tempore impetrati rescripti vinculo fuerit excommunicationis astrictus, de quibus ibi mentio non habetur, ad prosequendam per easdem litteras appellationem prædictam decrevimus admittendum. Quia nihil excommunicato appellare prodesset, si non posset appellationem suam prosequi, & super ea litteras impetrare.

De testam. c.2. CXXXIV. *Abbatissa testari non potest.*

QVia ingredientibus. *Et infra*: Gabina abbatissa conquesta est, S. quondam abbatissam monasterii sui, postquam regendi suscepit officium, condito testamento legata reliquisse, dicens eam usque in diem obitus sui non induisse habitum monachalem, sed in vestibus quibus utuntur loci illius presbyteri permansisse, sicut & illa quæ ante illam fuerat abbatissa, & hoc pene ex consuetudine licuisse. Necessarium ergo visum est, postquam abbatissa ordinata est, & in monasterio per annos plurimos usque ad obitum præfuit, vestis qualitatem ad culpam forte episcopi pertinere, qui eam sic esse permisit: non tamen potuisse præiudicium monasterio irrogare, sed res ipsius eidem loco, ex quo illic ingressa & abbatissa constituta est, de iure competere.

De offic. leg. c.9. CXXXV. *Excommunicatos pro injectione manuum in clericos, qui legati absoluant.*

EXcommunicatis pro injectione manuum violenta, ecclesiæ Romanæ legati qui de ipsius latere non mittuntur, extra provinciam sibi commissam, vel ibidem, si huiusmodi manuum iniectores illuc contingat aliunde accedere; & qui ecclesiarum suarum prætextu, legationis sibi vindicant dignitatem; etiam subditis, quamvis in provincia sua existentes, beneficium absolutionis impertiri non possunt. Nisi de speciali gratia illis & istis amplius a sede apostolica concedatur.

CXXXVI. *Legati statuta durant legatione finita.* De off. leg. c.10.

NEmini dubium esse volumus, quin legatorum sedis apostolicæ statuta, edita in provincia sibi commissa, durent tanquam perpetua, licet eadem postmodum sint egressi. Secus autem si causas duxerint delegandas aliquibus: cum iurisdictio istorum expiret, si ante illorum discessum, horum citatio non præcessit.

CXXXVII. *Ecclesia post quadriennium non admittitur ad restitutionem in integrum.* De in integr. restit. in 6. c. 1.

ECclesia quæ ad retractandam sententiam vel contractum per beneficium restitutionis in integrum, postulat se admitti: si quadriennii spatium post sit lapsum, & negligenter omiserit: non est ad beneficiũ huiusmodi admittenda, nisi prævaricationis vel fraudis manifestæ probetur super hoc intervenisse commentum: aut alia rationabilis causa subsit, quæ superiorem movere debeat ad idem beneficium concedendum.

CXXXVIII. *Quis alloquens excommunicatum, non sit excommunicatus.* De sent. excomm. c.54.

CVm voluntate ac proposito maleficia distinguantur: excommunicationis sententiam non incurrit, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel alias ad salutem animæ pertinent, in locutione participat: licet etiam alia verba incidenter (ut apud eum magis proficiat) interponat.

CXXXIX. *Excommunicatus minori potest ab eadem excommunicatione absoluere.* De sent. excom. c.56.

DVobus collata potestas, ut a minori excommunicatione, si in ipsam inciderint, invicem se absolvant, utroque ligato vinculo excommunicationis huiusmodi, non expirat.

CXL. *Permittitur ministris ecclesiarum semel in hebdomada celebrare tempore interdicti.* De sent. excom. c.57.

PErmittimus ecclesiarum ministris semel in hebdomada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, Missarum solennia celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non negatur.

CXLI. *Satisfaciens clerico quem verberavit, non potest tamen ab episcopo absolui, nisi in certis casibus.* De sent. excom. c.58.

QVamvis incidens in canonem latæ sententiæ propter violentam manuum injectionem, iuxta proprias facultates eis satisfaciat, quibus iniurias irrogavit: non tamen aliter, quam per sedem apostolicam, vel eius legatum, absolutionis potest beneficium obtinere: nisi imminente mortis articulo, infirmitate, inimicitia, aut inopia, puerili aut senili ætate, fragilitate sexus, seu alia corporis impotentia, sive quolibet impedimẽto canonico retrahatur, quo minus Romanũ pontificẽ possit adire: vel nisi iuris beneficio a labore huiusmodi excusetur. Cæterum quibusdã prædictorũ, videlicet

licet qui temporali impedimento laborant, exceptis A pueris, sub debito juramenti, quod secundum ecclesiæ formam præstare tenentur, consuevit iniungi, ut impedimento cessante ad apostolicam sedem accedant, mandatum ipsius humiliter suscepturi.

De sent. excom. c. 59.

CXLII. *Excommunicatio simpliciter lata intelligitur de maiori.*

SI quem sub hac forma verborum, illum excommunico, vel simili, a iudice suo excommunicari contingat: dicendum est, eum non tantum minori, quæ a perceptione sacramentorum, sed etiam maiori excommunicatione, quæ a communione fidelium separat, esse ligatum.

De sent. excom. c. 60.

CXLIII. *De beneficio absolutionis indulto minoribus ætate.* B

PVeris, qui in canonē inciderunt sentētiæ promulgatæ, sive ante, sive post pubertatem postulent se absolvi, potest diœcesanus episcopus absolutionis beneficium impertiri: cum propter defectum ætatis in qua fuit commissus excessus, rigor sit mansuetudine temperandus.

De cogn. spirit. c. 8.

CXLIV. *Inter baptizatum & filium baptizantis oritur cognatio spiritualis.*

EX litteris vestris accepimus, quod cum M. mulier coram officiali Cantuar. Alanum peteret C in virum, & se affidatam ab eo ac carnaliter cognitam per testes idoneos probavisset: dictorum tandem testium depositionibus publicatis, idem Alanus excipiendo proposuit, quod eam non poterat habere in uxorem, pro eo quod ipsum pater mulieris ejusdem, qui sacerdos extitit, baptizavit. Sed cum idem officialis exceptione huiusmodi non admissa definitivam tulerit sententiam contra ipsum, & idem ad sedem Apostolicam appellaverit: mandamus quatenus, si est ita, eundem Alanum super hoc ab impetitione mulieris absolvatis ipsius, eidem mulieri perpetuum silentium imponentes.

De rescrip. in 6. c. 1.

CXLV. *De rescripto impetrato ab excommunicato.* D

IPso iure rescriptum, vel processus per ipsum habitus non valeat: si ab excommunicato, super alio quam excommunicationis vel appellationis articulo, fuerit impetratum.

De regul. c. 23.

CXLVI. *Novitiis licet ante professionem, redire ad sæculum: habitus professorum sit distinctus ab habitu novitiorum.*

STatuimus novitios in probatione positos, ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, vel ante professionem emissam, ad priorem statum redire posse libere intra annum: nisi evidenter E appareat, quod tales absolute voluerint vitam mutare, & in religione perpetuo Domino deservire: cum quilibet renunciare valeat ei quod pro se noscitur introductum. Nihilominus statuentes ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, quod cum in quibusdam locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum: professionis tempore benedicantur vestes quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum habitus a professorum habitu distinguatur.

CXLVII. *De religiosis fugitivis.*

De regul. c. 24.

NE religiosi vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de prælatorum manibus requiratur: statuimus ut præsidentes capitulis celebrandis, secundum statum concilii generalis, seu patres abbates, seu priores, fugitivos suos & eiectos de ordine suo requirant solicite annuatim. Qui si in monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, abbates seu priores eorum monitione prævia per censuram ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva ordinis disciplina. Quod si hoc regularis ordo non patitur, autoritate nostra provideant ut apud eadem monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin aliis religiosis domibus eiusdem ordinis, ad agendam ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur. Si vero huiusmodi fugitivos vel eiectos inobedientes invenerint, eos excommunicent: & tamdiu faciant ab ecclesiarum prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.

CXLVIII. *Concessio precarii extinguitur voluntate concedentis, aut ei succedentis: precariæ concessio non.*

De precar. c. 3.

PRecarium utendum conceditur, quandiu patitur qui concessit: solvitur quoque obitu eius cui concessum est, non etiam concedentis: aut cum ipsum alienari contingit, alicui hoc revocare volenti: quia per conventionem huiusmodi non licet rem alienam invito domino possideri. Porro precariæ quæ quandoque de ecclesiarum possessionibus fieri solent, non sunt pro voluntate concedentium revocandæ.

CXLIX. *Commodatarius tenetur etiam de levissima culpa: non de casu fortuito, nisi in tribus casibus.*

De commodato. c. un.

CVm gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: licet casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari. Contra eum quoque recte commodati non agitur, nisi post usum expletum cujus gratia res fuerat commodata: cum non decipi beneficio nos oporteat, sed adjuvari.

CL. *Quando fideiussor fideiussione liberetur.*

De fidejuss. c. 5.

EVm pro quo te fidejussorem obligasti, si diu in debiti solutione cessavit, aut dissipare sua bona cœpit, seu super hoc condemnatus fuisti, iure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare.

CLI. *Non professus in abbatem eligi non potest.*

De ele. & ele. pot. c. 49.

CVm in magistrum assumi non debeat, qui formam discipuli non assumpsit; nec sit præficiendus, qui subesse non novit: nos intellecto per te, quod in quibusdam regularibus domibus jure tibi diœcesano subjectis, sunt quidam in abbates, non professi ordinem regularem, assumpti: mandamus, quatenus, cum abbates tales esse non debeant, qui per professionem monachi & regulares canonici non fuerint, ad amotionem eorum quos tales inveneris, sublato appellationis impedimento, procedas.

De ele. & ele. pot. c. 15. " Lateran. sub Innoc. III. c. 24.

CLII. *Quæ irrita sit electio.*

IN Genesi legitur. *Et infra* : Cum in concilio " caveatur, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes vel major & sanior pars capituli consentit : & in Guil. major pars totius capituli non consenserit, quamquam majorem partem habuit partium, comparatione minorum. Nec plene numeri ad numerum, quia utrum G. & H. de quibus adversarii referunt quæstionem, in electione vocem habuerint, tractatum non extitit nec discussum : nec zeli ad zelum, nec meriti ad meritum collatio facta fuerit. Nec etiam electio communiter celebrata, quoniam licet in eundem Guil. singulariter singuli consensissent, non tamen debuit subsequi singularis electio, sed communis, ne vel idem repeti videretur, vel ex hoc sequeretur absurditas, ut tot essent electiones, quot essent numero eligentes. Nec ex singularibus vel particularibus consensibus appareret universalis electio vel communis, licet quilibet singularis veritatem exprimat suæ partis : quemadmodum ex singularibus propositionibus, licet veris, universalis propositio non apparet, nisi per signum universale forsitan exprimatur. Nec præmissi duo canonici poterant sic excludi, cum primus existeret in canonicatus possessione, vel quasi, habendo stallum in choro, locum in capitulo, legendo & cantando ut canonicus, & ad tractatus ac electiones dignitatum & personarum, quæ occurrerunt pro tempore faciendæ, tanquam canonicus sit vocatus, quanquam hac vice fuerit cum protestatione admissus : secundus vero esset in tali loco, de quo fuerat ad electionem vocandus : cum de toto regno Franciæ vocentur absentes de consuetudine ecclesiæ Gallicanæ. Nos his plenius intellectis, de consilio fratrum nostrorum prædictam electionem, utpote contra formam concilii attentatam, decernimus irritam, & inanem.

De ele. & ele. pot. c. 58.

CLIII. *Publicato scrutinio, non possunt electores variare.*

PVblicato scrutinio variare nequeunt electores, cum sit facienda collatio, & electio celebranda. Ad quod per superiorem, si oportuerit, compellantur.

De ele. & ele. pot. c. 59.

CLIV. *De cassata electione propter simoniam.*

SI alicujus electionem propter simoniam, eo ignorante ac ratum non habente commissam, contigerit reprobari : cum eo super prælatione " ad quam taliter fuerat electus, illa vice non potest episcopus dispensare. Quamvis circa eum, qui ignoranter recipit simplex beneficium per simoniacam pravitatem, post liberam resignationem, episcopi dispensatio toleretur.

" al. postulatione

De ele. & ele pot. c. 60.

CLV. *De electionibus.*

HIs quibus interdicitur ut absque superioris licentia eligere non præsumant, tempus statutum a canone currit, ex quo in mora fuerint licentiam hujusmodi postulandi.

De offic. & pot. jud. deleg. c. 39.

CLVI. *De causa suspicionis, contra iudicem.*

SVspicionis causa contra judicem assignata, non ipse, qui forsan provocatus obesset, sed arbitri potius, coram quibus probatio est facienda, & ad quos omnia quæ ad hunc articulum faciunt, pertinere noscuntur: possunt ad hoc terminum assignare. Ab ipso quoque judice, cui sicut jurisdictio, sic & cæ-

A tera sine quibus explicari non potest, intelliguntur esse commissa, iidem ut conveniant (si discordes fuerint) in unam sententiam, vel tertium concorditer advocent, cum quo duo vel alter eorum id faciat, sunt cogendi : ne hujusmodi occasione principale negotium plus debito prorogetur.

CLVII. *Sua ætate possit quisque delegari.*

Ibidem c. 41.

CVm vigesimum annum peregeris, dari potuisti in ætate hujusmodi delegatus. Cæterum constituto infra ætatem eandem (nisi partes scienter consentirent in eum qui annum XVIII. transcendisset) facta delegatio ab alio quam a principe, non teneret.

B

CLVIII. *Potestas plurium delegatorum vel arbitrorum expirat per mortem unius.*

Ibidem c. 42.

VNo delegatorum vel arbitrorum, sicut proponis, rebus humanis exempto, eorum officium expiravit : nisi aliud in delegatione aut compromisso fuisset expressum.

CLIX. *Qui delegati subdelegare possint: qui non.*

Ibidem c. 43.

QVoniam apostolica sedes intendit providere negotiis, & non personis quibus eadem committuntur: si judex tertius licet ex officio nostro, vel
C de assensu partium pro communi a nobis datus eisdem, alii delegaverit vices suas (cum delegato a principe id concedatur a jure) delegatio valebit ipsius. Idem quoque dicendum est, cum mandatur episcopo ut cum altero suorum conjudicum mandatum apostolicum exequatur, & tunc sine subdelegato ab ipso episcopo reliqui duo procedere non valebunt. Is autem cui injungitur, ut personaliter negotium exequatur, potest, dummodo partes consentiant, hoc aliis delegare. Præterquam si inquisitionem fieri, vel ecclesiis de prælatis vel aliis ministris provideri mandaremus. Cum in his omnibus casibus industriam & fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur. Cæterum salva legatorum sedis apostolicæ autoritate, nulli cui commissum fuerit prædicare crucem, ex-
D communicare, vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, liceat hæc de cætero aliis demandare : quia non sibi jurisdictio, sed certum ministerium potius, committitur hac in parte.

CLX. *Hæretici puniendi.*

De hæret. c. 15.

EXcommunicamus & anathematizamus universos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Tossepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed causas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in id ipsum. Damnati vero per ecclesiam, sæculari ju-
E dicio relinquantur animadversione debita puniendi, clericis prius a suis ordinibus degradatis.

Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire noluerint ad agendam condignam pœnitentiam : in perpetuo carcere detrudantur : credentes autem eorum erroribus, hæreticos similiter judicamus.

CLXI. *Liberantur ab omni obligatione, qui hæreticis adstricti erant.*

Ibidem c. 16.

ABsolutos se noverint a debito fidelitatis, hominii, & totius obsequii, quicumque lapsis manifeste in hæresim aliquo pacto quacumque firmitate vallato tenebantur adstricti.

A

De Iudæis c.19.

CLXII. *Iudæus baptizatum vel baptizari volentem non retineat in servitio.*

NVlli Iudæo baptizatum, vel baptizari volentem, emere liceat, vel in suo servitio retinere. Quod si quem nondum ad fidem conversum causa mercimonii emerit, & postmodum factus sit, vel fieri desideret Christianus: datis pro eo XII. solidis, ab illius servitio protinus subtrahatur. Si autem intra tres menses ipsum venalem non exposuerit, vel ad sibi serviendum emerit eundem: nec ipse vendere, nec alius audeat comparare: sed nullo dato precio perducatur ad præmia libertatis.

B

De ordin. ab episc. qui renũc. episc. c.2.

CLXIII. *De iis qui ab excommunicato ignoranter ordinati sunt.*

CVm clericis, qui ab excommunicato episcopo ignoranter ordines receperunt, per suos poterit episcopos dispensari.

De novi op. nũciat. c. 4. " denunciasse

CLXIV. *De eo qui opus novum nunciat.*

IS cui opus novum te nunciasse" proponis, non obstante cautione, quæ offertur ab ipso de opere destruendo, si non jure ædificatum existat, tenetur te per trium mensium spatium expectare, juris tui præjudicium probare volentem.

De maledicis. c. 2.

C

CLXV. *Pœna blasphemantis Deum, vel sanctos.*

STatuimus, ut si quis contra Deum, vel aliquem sanctorum suorum, & maxime beatam Virginem, linguam in blasphemiam publice relaxare præsumpserit: per episcopum suum pœnæ subdatur inferius adnotatæ: videlicet quod in septem diebus Dominicis præ foribus ecclesiæ in manifesto, dum aguntur Missarum solemnia, blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico palleum & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque" præcedentibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres, si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus suppetant facultates: id in pœnam aliam commutetur. Cui etiam, si renuerit recipere ac peragere pœnitentiam supradictam, ecclesiæ interdicatur ingressus, & in obitu ecclesiastica careat sepultura. Per temporalem præterea potestatem coactione (si necesse fuerit) episcopi diœc. adhibita contra eum, blasphemus, si dives fuerit, quadraginta solidorum, alioquin triginta sive viginti, & si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetæ pœna mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus. Quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.

" al. septemq; præcedentibus sex feriis vel subsequentibus in pane, &c.

D

De arbitris. c. 14.

E

CLXVI. *Quandiu duret compromissum.*

COmpromissum non extenditur in compromittentis heredes, si de ipsis non caveatur ibidem.

De test. & attest. c. 1.

CLXVII. *Socius simoniæ admittitur in testem, si agatur civiliter.*

MEdiatores, per quos scelus simoniæ plerumque committitur, ad testimonium contra sceleris ejusdem autores, in detestationem criminis, admittuntur: si non agatur criminaliter, sed civiliter, & emolumentum exinde non fuerint assecuti.

De pœnit. c. 16.

CLXVIII. *Qui possint sibi eligere confessorem.*

NE pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus episcopis & aliis superioribus, necnon minoribus prælatis exemptis, ut, etiam præter sui superioris licentiam, providum & discretum sibi possint eligere confessorem.

De appel. c. 70.

CLXIX. *De appellatione.*

INterposita appellatione ex causa probabili, non sufficit appellanti probare, quod ex causa hujusmodi provocavit, si eam non doceat esse veram: nisi hoc se offerens probaturum, non fuisset admissus. Eidem quoque permittimus, si non recipiatur appellatio ejus a judice, nec ab adversario approbetur, super prosecutione appellationis, per procuratorem ad impetrandum & contradicendum constitutum, litteras impetrare: licet pars altera, per se vel per procuratorem idoneum, judicium super hoc apud sedem apostolicam recipere sit parata. Ille denique qui vocem appellationis emisit, cujus nondũ est alii cognitio delegata ad petitionem ejusdem, ad eum a quo provocavit de jure remittitur: contradictione partis alterius non obstãte. Est tamen in legitimis expensis adversario, quas eum propter hoc fecisse constiterit, condemnandus. Sane parato aliquo probare gravamen, propter quod duxerat appellandum, & parte adversa se contumaciter absentante, potest super hoc lite non contestata procedi: licet nondum contestatio litis facta fuerit in ipso appellationis articulo vel negotio principali: quia cum in hoc casu iniquitas prioris judicis principaliter arguatur, non est rigor juris, ex quo sequi posset causæ perplexitas, requirendus.

Ibidem. c. 71.

CLXX. *De clausula, appellatione remota.*

INquisitioni tuæ taliter respondemus, quod quoties clausula, per quam tollitur appellationis remedium, in medio litterarum ponitur: si sunt plura negotia se minime contingentia, præmissa tantum complectitur: nisi forte in fine litterarum prædicta clausula iteretur.

Ibidem. c. 72.

CLXXI. *Appellatio unius prodest alteri.*

VNa sententia pluribus condemnatis, si unus solus ad appellationis beneficium convolaverit, illius victoria jure communi cæteris suffragatur: si communi jure juventur, idemque negotium & eadem causa defensionis existat.

Ibidem. c. 73.

CLXXII. *Quando non appellans habeatur pro appellante.*

SI justus metus quo minus appellaveris te excusat: ad appellationis reputaris beneficium convolasse: dummodo intra tempus, quo licite provocatur, coram judice a quo appellasse volueras; vel si habere ipsius copiam nequivisti, in præsentia bonorum virorum protestatione super hoc proposita, causas appellationis duxeris exprimendas.

De sent. & re jud. c. 25.

CLXXIII. *Res inter alios indicata, quando aliis noceat.*

QVamvis regulariter aliis non noceat res inter alios judicata: ei tamen qui, cum sibi primum de ea re actio vel defensio competebat, sustinuit sequentem

tem agere, ac illi etiam, qui passus est eum, a quo causam habuit, experiri, est præjudicium generatum.

A

Ibid.c.26. CLXXIV. *Si duo ordinarii pronunciant contraria, tenet sententia pro reo: nisi in aliquot casibus.*

DVobus judicibus, ut accepimus, diversas sententias proferentibus: si ex jurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia: nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata. Si vero ex delegata potestate, utraque pendet sententia ex arbitrio delegantis. Quod si ex compromisso, neutra debet habere vigorem.

B

De injur. c.8. CLXXV. *Qui iurat de non repetendis damnis, potest tamen expensas repetere.*

IN nostra & fratrum nostrorum præsentia proposuistis, quod olim cives Brixienses pro restaurationibus damnorum ad invicem, quæ propter multas civiles discordias incurrerant, plurimum aggravati, statutũ editum de non petendo vel recipiendo in posterũ restaurationes hujusmodi a communi generaliter approbarunt, & firmarunt etiam juramento. *Et infra*: Cum igitur aliud sit damnorum restauratio, quam satisfactio expensarum; & ideo in juramento exhibito super damnorum articulo intelligi non debeat, quod factum expensarum fuerit comprehensum: mandamus, quatenus, juramento non obstante prædicto, autoritate nostra provideas, quod dictum commune pro bono concordiæ ad expensarum satisfactionem aliquid contribuat, juxta tuæ discretionis arbitrium, a te sicut expedierit moderandum.

C

Ibid.c.9. CLXXVI. *De eo qui alteri damnum dat vel infert iniuriam.*

SI culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem forte tulisti; aut hæc, imperitia tua, sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam. Quod si animalia tua nocuisse proponas, nihilo minus ad satisfactionem teneris, nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum: quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverũt nocere, fuissent, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere. Sane licet, qui occasionem damni dat, damnum videatur dedisse: secus est tamen in illo dicendum, qui ut non accideret, de contingentibus nil omisit.

D

E

De donat. c.10. CLXXVII. *Donatio potest per donatorem, non per heredem, revocari.*

PRopter eius ingratitudinem, in quem liberalitas est collata, donatoris persona de rigore iuris eam potuit revocare, si forte in ipsum impias manus iniecerit, aut sibi atroces iniurias, seu grave rerum suarum damnum, vel vitæ periculum inferre præsumpserit. Quod tamen ad donatoris, qui hoc tacuit, non extenditur successores.

CLXXVIII. *Iurans servare statuta edita, & promittens per idem iuramentum servare edenda, non tenetur ex iuramento ad nouiter edita.* De jurejur. c.35.

CLericus, qui iuravit se statuta in ecclesia sua edita servaturum, promittens per idem iuramentum, statutum, quod postmodum subsecutum est, fideliter observare: licet transgredi non debuerat quod promisit, non tenetur ad illius observantiam ex debito præstiti iuramenti.

CLXXIX. *Distans a capite quarto gradu, cum distante quinto, contrahere potest.* De cõsang. & affin. c.9.

VIr, qui a stipite quarto gradu, & mulier quæ ex alio latere distat quinto, secundum regulam approbatam, qua dicitur quoto gradu remotior differt a stipite, & a quolibet per aliam lineam descendentium ex eodem: licite possunt matrimonialiter copulari.

CLXXX. *De scripturis contrariis ab eodem productis.* De fide instrum. c.13.

IMputari ei potest, qui contrarias inter se scripturas in iudicio protulit fidem sibi ad invicem derogantes: cum in ipsius fuerit potestate, quam voluerat non proferre.

CLXXXI. *De cautione, in qua debiti exprimitur causa; & ea in qua non exprimitur.* Ibid. c.14.

SI cautio, quam a te indebite proponis expositam, indeterminate loquatur: adversarius tuus tenetur ostendere debitum, quod continetur in ea. Sed si causam, propter quam hujusmodi scriptura processerit, expresseris in eadem: confessioni tuæ statur, nisi probaveris te indebite promisisse.

CLXXXII. *Instrumentum exemplatum per tabellionem autoritate ordinarii, vim habet.* Ibid. c.16.

SI instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam causam, exemplari petantur: coram ordinario judice vel delegato ab eo specialiter præsententur. Qui si ea diligenter inspecta in nulla sui parte vitiata repererit: per publicam personam illa præcipiat exemplari, eandem autoritatem per hoc cum originalibus habitura.

CLXXXIII. *Probata violentia per testes, res amissæ probantur per juramentum.* De iis quæ vi, metusve causa fiunt. c.7.

SVper eo, quod adversarius vester se conquerebatur a vobis per violentiam spoliatum, arbitramini contra vos fuisse injuste processum: cum non nisi proprio juramento probaverit singula quæ amisit. Verum postquam de violentia per testes, & de amissis rebus per ipsius constitit sacramentum: potuit iudex, taxatione ab ipso facta, pro personarum ac negotii qualitate, vos, in æstimatione rerum amissarum iuramento adversarii declarata, rationabiliter condemnare.

CLXXXIV. *Quando colono facienda remissio pensionis: item quando inquilinum liceat amouere.* De loc. & cond. c.3.

PRopter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem: colonis ecclesiæ tuæ pro

pro rata pensionis remissio est facienda: nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari. Verum invito inquilino domum inhabitare vel reficere poteris: si necessitas, quæ tamen non imminebat locationis tempore, id exposcat: remissa sibi pro residuo temporis pensione. Qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perverse ibi fuerit conversatus: vel, cum canonem per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providit.

Ibid. c. 4.

CLXXXV. *Emphyteuta quando meliorationes suas vendere possit. Item quando possit expelli.*

POtuit emphyteuta (ecclesia primitus requisita, eique nunciato, quantum sibi ab aliis offertur, si nolle se emere dixerit, vel a denunciationis tempore duorum mensium spatium sit elapsum) meliorationes & jus sibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujusmodi minime prohibentur. Emphyteuta quoque secus præsumendo, vel cessando in solutione canonis per biennium, nisi celeri satisfactione postmodum sibi consulere studuisset, juste potuisset expelli. Non obstante, quod ei, ut canonem solveret, non extitit nunciatum: cum in hoc casu dies statuta pro domino interpellet.

De infan. & lang. expos. c. 1.

CLXXXVI. *Infans expositus a patre, patria potestate liberatur. Eodem casu servo libertas, liberto ingenuitas datur. Idem iuris in prædictis languidis sic expositis, vel si eis alimenta denegantur.*

SI a patre, sive ab alio, sciente ipso aut ratũ habente, relegato pietatis officio, infans expositus extitit: hoc ipso a potestate fuit patria liberatus. Nam & hoc casu in ingenuitatem libertus, & servus in libertatem eripitur: quod & de prædictis cujuscumque ætatis languidis, si expositi fuerint, vel si alicui illorum alimenta impie negari contigerit, est dicendum. Sane qui hos suscipiunt, non possunt propter hoc in eorum personis jus aliquod vindicare.

De homicid. c. 25.

CLXXXVII. *Homicidium casuale non imputatur presbytero qui rei licitæ dabat operam.*

QVidam, ut asseris, ad ædificationem ecclesiæ in adjutorium a presbytero evocatus, ruens cum laqueari, quod idem presbyter solvere nitebatur, hac occasione rebus est humanis exemptus. *Et infra*: Attendentes igitur, quod sacerdos ipse dabat operã licitæ rei, studuit etiam quam debuit diligentiam adhibere, circumstantibus quibus periculum imminebat, ita tempestive & alta voce præmonitis, quod & intelligere & fugere potuerunt. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod ob hanc caussam, vel quia omnes casus fortuitos, qui prævideri non possunt, forsitan non prævidit: non debet, quoad officium vel beneficium impediri.

De pignor. c. 8.

CLXXXVIII. *De usufructuariis.*

CVm constet I. mulierem uxorem Ogerii quoad usumfructum filio suo successisse in bonis, quorum proprietas ad M. mulierem uxorem C. dignoscitur pertinere: mandamus, quatenus eam ad cautionem idoneam exhibendam, quod utatur & fruatur salva rerum substantia rebus immobilibus, quæ usu non consumuntur, ad arbitrium boni viri, pecuniam vero, si quam habuit, vel habebit, acæstimationem bonorum, quæ consumuntur usu, & in hereditate inventa fuerint, in morte sua dictæ mulieri, vel heredibus ejus restituat, per censuram ecclesiasticam compellatis.

CLXXXIX. *Filius rogatus restituere hereditatem, detrahit tertiam jure naturæ & quartam Tribellianicam.* De testa. c. 18.

RAinaldus Peponis filius, heres ab ipso institutus hoc modo, ut patruis suis hereditatem restitueret, si absque filiis masculis moreretur: cum eis (mortuo Pepone) super quibusdam bonis hereditatis ejusdem in tres arbitros compromisit: quorum duo, mortuo reliquo (prout ex forma compromissi B poterant) procedentes, taliter arbitrati fuerunt: quod neutra pars haberet licentiam transferendi quocumque modo in alium res prædictas, nisi in eorum filios masculos ex ipsis legitime descendentes: & quod contra hoc fieret, non valeret. Porro dictus R. prolem non habens, condidit testamentum, in quo medietatem partis suæ de rebus prædictis, quibusdam avunculis suis, aliam vero medietatem & reliqua bona paterna, uni ex patruis suis & ejus filiis legavit: adjiciens ut bona, in quibus ex testamento vel ab intestato dicti heredes R. possent succedere, si venirent contra legatum dictis avunculis suis debitum, ad ipsos pro determinatis portionibus devenirent. Demum eodem R. naturæ debitum persolvente, ac uno ex patruis hereditatem adeunte prædictam, cum dicti avunculi adversus eundem patruum ac filios ejus coram judice communitatis Vrbenaten. moverunt quæstionem, petendo pro rata, quæ ipsos contingit, legatum prædictum, & restitui eis si contra ipsum illi venirent, quæcumque occasione testamenti ejusdem R. ad ipsos pervenerant, vel poterant pervenisse. Præfatus judex ab illorum impetitione super legato ipsos absolvens, ad restitutionem aliorum bonorum sententialiter condemnavit eosdem. A cujus sententia cum ambæ partes ad nostram audientiam appellassent, petente utraque parte dicti judicis sententiam infirmari, quatenus contra se fuerat promulgata; & quatenus pro se faciebat, executioni mandari. Dilectus filius noster O. D S. Nicolai in carcere Tulliano diac. cardin. lite coram se legitime contestata, quoniam idem R. habebat in bonis quondam Peponis patris sui tertiam partem debitam iure naturæ, in qua gravari nequivit, necnon quartam Trebellianicam, quam quilibet extraneus restitutione gravatus deducere potuisset, propter quod in rebus prædictis avunculis legatis portiones easdem habuit R. præfatus, easque potuit in ultima voluntate legare, ac per hoc legatum tenuit usque ad tertiam & quartam præfatas, licet ipsas non expresserit in legando: pronunciavit (non obstante præmisso arbitrio, quod, ne legatum teneret, non poterat impedire) iudicẽ ipsum in eo quod super hoc, dictũ patruum in totum absolvit, qui confessus est se pro mediate possidere prædicta, perperam iudicasse, condemnavitque ipsum ad restitutionem medietatis tertiæ & quartæ partis ipsius legati pro rata, quæ dictos avunculos de ipso contingit, & in residuo, præfati iudicis sententiam confirmavit. Cæterum in eo quod idem iudex dictum patruum, & eius filios, totaliter in aliis, quæ in secundo articulo petita fuerant, condemnarat: male ipsum pronunciasse decrevit, quia filii eius contra voluntatem testatoris non inveniuntur aliquid commisisse, cum nihil de petitis reperti fuerint possidere. Verum in portione, quam patruus habebat in bonis illis ratione quartæ & tertiæ prædictorum, quas R. habuit in bonis eisdem, in quibus eius institutio, & legatio, ac adjectio pœnæ tenebat pro rata eosdem avunculos contingente

tingente de' prædicto legato confirmavit sententiam A judicis supradicti: eodem patruo & ejus filiis in residuo absolutis, & salvo nihilo minus ei ex jure institutionis beneficio legis Falcidiæ, in restitutione præfati legati, si intra tempus legitimum voluntati paruerit testatoris cum inventarium fecerit, & contra voluntatem testatoris lex Falcidia inducatur. Nos itaque ipsius cardinalis sententiam ratam habentes, eam autoritate apostolica confirmamus.

Ibid. c. 19. CXC. *Executor testamentarius, qui suscepit illud officium, exequi compellitur.*

IOannes clericus, & P. laïcus, executores ultimæ voluntatis O. clerici S. crucis, qui venerabilibus & B piis locis de bonis suis in ultima voluntate legavit, mandans insuper satisfieri creditoribus per eosdem: post mandatum susceptum, per diœcesanum cogi debent testatoris explere ultimam voluntatem.

Ibid. c. 20. CXCI. *De quibusdam legatis non solvitur canonica portio, nisi fiat in fraudem.*

DE his, quæ in ornamentis, vel pro eis, seu fabrica, luminariis, anniversario, septimo, vigesimo, tricesimo die, sive aliis, ad perpetuum cultum Divinum legantur ecclesiis, vel reliquis piis locis, canonica portio (dummodo in fraudem non faciat, ut ea episcopus seu parœcialis ecclesia debeat defraudari) deduci non debet.

C

ANNO CHRISTI 1228.

*** CONCILIUM ROMANUM

IN QUO FRIDERICUS IMPERATOR excommunicatus in Cœna Domini, ann. MCCXXVIII.

H*Uius mentio concilii habetur in actis Gregorii IX. relatis ab Odorico Raynaldo in hæc verba:* Tum prælatorum Lombardiæ, Tusciæ, totius patrimonii, ac Apuliæ, & aliorum qui pro suarum prosecutione causarum ad curiam venerant, convocata ad concilium multitudine, post hujus profundi sermonis decursum: Quis mihi tribuet auditorem, &c. respondentibus singulis vota sua, qualiter contra dictum D Imperatorem procederet, ordinavit.

In Cœna autem Domini anathemate perculsum fuisse Fridericum de huius concilii sententia, docent eiusdem pontificis litteræ ad Apulos præsules, ab eodem Oderico descriptæ: quarum partem illam hic quoque describere visum est.

Vniversis archiepiscopis, episcopis, &c. per Apuliam constitutis.

QVanto nobilius membrum in ecclesiæ corpore læditur, tanto acrioribus doloribus cruciamur: qui Cephæ locum, licet insufficientibus meritis, obtinemus. Verum quia tectum vulnus, si dimittatur E intactum, solet in scandalum corporis latius evagari: nos olim viso, quod Fridericus Romanorum imperator salutem propriam negligebat, dum salubre votum, quod Deo voverat additis juramentis, detrectabat exolvere, non sine detrimento fidei, & gravi scandalo totius populi Christiani, quia juxta sapientis edictum: *Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris:* medicinalem Petri gladium in eum exeruimus, in spiritu lenitatis, excommunicationis sententiam publicando, quam ipse in se voluntarius fecerat promulgari: nisi statuto termino transfretaret in terræ sanctæ subsidium, & alia promissa fideliter adimpleret: sperantes, ut percussus dolens, ad percutientem se in humilitate rediret, Dominum exercituum requirendo. ANNO CHRISTI 1228. Sed quod dolentes referimus, inclinato corde medicinam exhorrens, & increpationem abominans disciplinæ, immo malleum velut stipulam reputans: non solum nulla pœnitudine se correxit, verum etiam adjiciens peccata peccatis, contra se Dominum audaciter irritat, ultra quam recensere nos deceat, ne videamur in ejus conviciis delectari, qui conversionem ejus desiderabiliter expectamus. Inter alia namque claves ecclesiæ contemnens, quibus Dominus B. Petro & successoribus ejus ligandi & solvendi contulit potestatem, sibi facit celebrari, vel potius quantum in ipso est, profanari Divina, in enormius animæ suæ periculum, & enervationem totius ecclesiasticæ disciplinæ. Vnde timentes, ne plaga ejus fieret penitus desperabilis, si male permitteremus obduci neglecti vulneris cicatricem, & eo insanabile, quo insensibile redderetur: malagma studuimus apponere sanativum.

Vtinam studium nostrum, optatum habuisset effectum. Cum enim piæ recordationis Honorius papa prædecessor noster, per bonæ memoriæ Tusculanum, & Sabinensem episcopos, & dilectum filium magistrum. G.... notarium nostrum, & Roffridum clericum cameræ nostræ, & abbatem S. Martini Viterbien. Cisterciensis ordinis, eundem imperatorem diversis temporibus, super diversis articulis, in quibus Deum & ecclesiam graviter offendebat, diligenter commoneri fecisset: nos adhuc humiliantes vim autoritatis ecclesiæ, ad præsentiam eius dilectos filios.... tituli S. Sabinæ presbyterum, & O...... S. Nicolai in carcere Tulliano diaconum, cardinales, curavimus destinare, ut eum super præmissis, & subsequentibus vice nostra salubriter commonerent. Qui licet de contingentibus nil omiserint, nequaquam tamen eum potuerunt ad pœnitentiam revocare. Vtinam ad nequiora nequaquam manus illicitas extendisset. Quare ne videremur deferre homini contra Deum, ecce iustitiam in iudicium convertentes, in proximo præterito festo Cœnæ Dominicæ, in prædictum imperatorem excommunicationis sententiam solemniter duximus promulgandam: tum pro eo quod, ut præmissum est, non transfretavit in subsidium terræ sanctæ, nec promissum numerum militum in expensis suis tenuit, vel transmisit, nec pecuniam quam promiserat destinavit; tum quia venerabilem fratrem nostrum Tarentinum archiepiscopum ad sedem propriam accedere non permittens, eum populum suum non patitur visitare, tum etiam quia Templarios, Hospitalarios bonis mobilibus & immobilibus, quæ habebant in regno, temere spoliavit; & quia compositionem factam inter ipsum, & comitem Celanensem, & Raynaldum de Aversa, pro cuius observatione Romana ecclesia ad precum eius instantiam fideiussit, servare contemnit; & quia comitem Rogerium crucesignatum sub apostolicæ sedis protectione receptum, comitatu, & aliis terris indebite spoliavit, & filium eius in captivitate detentum, ad mandatum apostolicum sæpius iteratum reddere denegavit, &c.

ANNO CHRISTI 1228.

*** CONVENTUS EPISCOPOR. ET PROCERUM, BASSEGLÆ INCHOATUS, MELDIS CONTINUATUS, LUTETIÆ ABSOLUTUS.

In quo Raymundus comes Tolosanus, in gratiam ecclesiæ & S. Ludovici Franc. regis receptus est. Anno Domini MCCXXVIII.

R*Efertur hic conventus a Guillelmo de Podio Laurentii in chronico, ad ann. MCCXXVIII.* Interea, *inquit*, venerabilis abbas Grandis-silvæ dominus Helias Garini venit de Francia, autoritate

tate legati pacem offerens Tolosanis, qui quassati multis vexationibus prælibatis, paci consentiunt faciendæ. Et sumptis treugis miscentur colloquia circa Vasegiam, & quod sit in Franciam eundum ordinatur. Et locus ad conveniendum primo fuit Meldis in Bria civitate comitis Campaniæ assignatus : affueruntque tam iussi quam spontanei, archiepiscopus, ejusque suffraganei provinciæ Narbonensis : veneruntque illuc comes Tolosanus, & alii viri, & cives Tolosæ, qui in forma pacis, seu aliis instrumentis inde formatis nominantur ; eratque ibi legatus, pluresque alii prælati, qui fuerant evocati, ubi tractando pacis modum diebus pluribus est moratum. Deinde profecti sunt Parisius, ut in præsentia regis deberent omnia consummari : omnibusque ad calcem dictis & sigillatis, reconciliatus fuit comes in die Parasceves, & qui cum eo erant excommunicationis sententia innodati. Eratque pietas virum tantum videre, qui tanto tempore, tot & tantis nationibus poterat restitisse, duci nudum in camisia & braccis & nudis pedibus ad altare. Erant præsentes ad hæc, duo Romanæ ecclesiæ cardinales : unus legatus noster in regno Franciæ, & alius in regno Angliæ episcopus Portuensis. De forma vero pacis non mea interest scribere, cum vulgata, & scripta a pluribus habeatur.

Eadem habet ad verbum liber inscriptus, Præclara Francorum facinora. *Pacis autem acta, cum non regia tantum, sed etiam ecclesiastica autoritate constituta fuerit, & ad res ecclesiæ omnia ferme illius capita pertineant, iuvat hic describere ex Guillelmi Catelli libro II. histor. comit. Tolos.*

TRACTATUS LUDOVICI REGIS FRANC. ET RAIMUNDI COMITIS TOLOSANI.

Coram legato, prælatis, & baronibus, factus in conventu Parisiensi.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Ludovicus Dei gratia Francorum rex. Noverint universi præsentes pariter & futuri, quod cum Raimundus filius Raimundi quondam comitis Tolosani diu in excommunicatione persistens, ecclesiæ & Dei volens esse longo tempore contumax & rebellis, ad cor tamen rediens Domino faciente, ad mandatum ecclesiæ & carissimi amici nostri Romani sancti Angeli diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati, nimium venit humiliter & devote absolutionem suam petens, gratiā & misericordiam ecclesiæ & nostram, & non judicium postulando. Promisit autem dicto legato nomine ecclesiæ Romanæ, & nobis, quod ecclesiæ, & nobis, & heredibus nostris, de cætero erit devotus, & usque ad mortem fideliter adhærebit, & quod hæreticos & eorum credentes, fautores, & receptatores, in terra quam ipse & sui tenent, & tenebunt, semper totis viribus expugnabit, non parcens in hoc proximis, vassallis, consanguineis, nec amicis : & terram tandem purgabit ab hæreticis & hæretica fœditate, & juvabit etiam purgare & defendere terram quam nos tenebimus : & promisit quod justitiam debitam faciet sine mora de hæreticis manifestis, & fieri faciet per bailivos suos viriliter & potenter. Inquiret etiam diligenter & inquiri faciet de inveniendis hæreticis, credentibus, fautoribus & receptatoribus eorundem, secundum ordinationem quam super hoc faciet dictus legatus. Et ut facilius & melius hæretici valeant inveniri, promisit quod solvet usque ad biennium duas marchas argenti, & exinde in perpetuum unam, ei qui hæreticum ceperit, & per episcopum loci vel alium qui potestatem habeat, ille qui captus erit, fuerit de hæresi condemnatus : ita quod si plures ceperit, pro singulis dabit vel dari faciet tantundem. De aliis non manifestis, & credentibus, & receptatoribus, & fautoribus hæreticorum, servabit & servari faciet secundum quod dictus legatus vel Romana ecclesia ordinabunt. Item servabit & servari faciet pacem in terra, quam ipse & sui tenebunt : & juvabit servari in terra quam nos in manu nostra tenebimus. Et Ruptarios expellet & puniet animadversione condigna & debita, & receptarios eorum. Ecclesias, & viros ecclesiasticos defendet & defendi faciet a suis, & jura, libertates, & immunitates quas habent, conservabit eisdem, & faciet firmiter conservari. Et ne de cætero in terra ista claves ecclesiæ cōtemnantur, sententias excommunicationis servabit, & a suis servari faciet, & per suos.

Excommunicatos vitabit, vel vitari faciet : sicut in sacris constitutionibus continetur. Et si aliqui in excommunicatione per annum contumaciter permanserint, extum idem Raimundus ad mandatum ecclesiæ ipsos ad sinum matris ecclesiæ redire compellet, occupando omnia bona sua, mobilia & immobilia : & tenebit ea donec ad plenum satisfaciant de causa pro qua fuerunt excommunicationis vinculo innodati. Et de damnis datis occasione excommunicationis prædictæ, faciet omnes bailivos suos, institutos & instituendos, in ipsa institutione jurare, quod omnia supradicta fideliter observabunt : ita quod si negligentes in his reperti fuerint, pro modo delicti punientur ; & si culpabiles extiterint omnium, puniantur amissione bonorum.

Instituet etiam bailivos, non Iudæos, sed Catholicos in terra, & nullius hæresis suspicione notatos. Et tales prohibiti nec possunt admitti ad emendum reditus civitatū, & villarum, vel castrorum, vel pedagiorum. Et si forte talis ignoranter institutus fuerit, expellet eum & puniet, dum super hoc fuerit certificatus.

Item, promisit idem Raimundus quod omnia bona immobilia & jura ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum ad præsens restituet, & restitui faciet ad plenum a suis in tota terra quam ipse & sui tenebunt : illa videlicet quæ ecclesiæ vel personæ ecclesiasticæ

siasticæ tenebant ante primum adventum crucesignatorum, vel de quibus constabit eos spoliatos. De aliis autem stabit juri coram ordinariis, vel coram dicto legato, vel a sede apostolica delegatis.

Promisit etiam quod ipse solvet imposterum integre decimas, & solvi faciet integre a suis bona fide, & quod milites & alii laici non habeant decimas in terra quam ipse & sui, tenent & tenebunt: nec permittet eos habere, sed ad ecclesias juxta dispositionem ipsius legati vel ecclesiæ Romanæ integre revertentur. Pro damnis vero illatis a se vel a suis, ecclesiis vel viris ecclesiasticis super rebus mobilibus, vel destructione castrorum, vel villarum, vel aliarum rerum, exceptis immobilibus de quibus fieri debet restitutio, sicut superius dictum est, solvet decem millia marcharum argenti, assignanda bonis personis idoneis, & fidelibus, quos ipse legatus eliget, vel ecclesia Romana, qui quantitatem prædictam de bonorum virorum consilio proportionaliter & fideliter divident, juxta quantitatem damnorum: nec poterunt ipse vel ipsi pro damnis mobilium, vel destructione domorum, vel villarum, sicut expressum est superius, ultra summam illam amplius conveniri.

Item, solvet abbatiæ Cisterciensi duo millia marcharum argenti, ut emantur inde reditus, pro refectione abbatum & fratrum, in capitulo generali. Abbatiæ Clarevallis quingentas marchas, ad emendos reditus pro refectione abbatum & fratrũ, qui conveniunt, in festo Nativitatis B. Virginis: abbatiæ Grandis-silvæ mille marchas: abbatiæ Bellæ-perticæ trecentas marchas: abbatiæ Candeli ducentas marchas, ad dicta monasteria construenda, tam pro damnis eisdem illatis in rebus mobilibus, quam pro salute animæ suæ.

Item, sex millia marcharum solvet, quæ retinebuntur ad muniendum, infortiandum, & custodiendum castrum Narbonense, & alia castra, quæ nos pro ecclesiæ & nostra securitate tenebimus, usque ad decennium, prout inferius continetur, & sicut visum fuerit expedire: supradicta vero viginti millia marcharum, solvet hinc ad quatuor annos.

Item, quatuor millia marcharum deputabuntur ab ipso Raimundo, duobus magistris theologiæ, duobus decretistis, sex magistris liberalium artium, & duobus magistris grammaticis regentibus Tolosæ, quæ dividentur hoc modo. Singuli magistrorum theologiæ habebunt singulis annis quinquaginta marchas, usque ad decennium, scilicet annuatim uterque magistrorum decretorum habebunt triginta marchas, usque ad decennium, singuli magistri artium habebunt viginti marchas, usque ad decennium.

Item, statim post absolutionem suàm assumet pro pœnitentia crucem de manu domini legati contra Saracenos, & ibit ultra mare infra biennium, ibidem per quinquennium integre continuum moraturus. Illos autem qui adhæserunt ecclesiæ, nobis, patri nostro, comitibus Montisfortis, & adhærentibus eis, occasione hujusmodi quod adhæserunt ecclesiæ, nobis, patri nostro, comitibus Montisfortis, & adhærentibus eis, non gravabit, sed benigne tractabit idem Raimundus eos tanquam amicos, ac si ei contrarii non fuissent, exceptis hæreticis, & credentibus ipsorum. Et ecclesia & nos humiliter faciemus illud idem de illis qui ipsi Raimundo contra nos & ecclesiam adhæserunt: exceptis illis, qui ad pacem ecclesiæ & nostram non veniunt cum eodem Raimundo.

Nos autem attendentes humilitatem ejusdem Raimundi, & sperantes quod in devotione ecclesiæ & fidelitate nostra perseveret fideliter: volentes sibi facere gratiam, filiam suam quam nobis tradet, trademus in uxorem uni de fratribus nostris per dispensationem ecclesiæ, & dimittemus eidem Raimundo totum episcopatum Tolosanum, excepta terra marescalli, quam marescallus tenebit a nobis. Post mortem autem ejusdem Raimundi, Tolosa & episcopatus Tolosanus erit fratris nostri, qui habebit filiam suam in uxorem, & filiorum susceptorum ex ipsis duobus. Si autem frater noster, quod absit, moreretur sine filiis ex ipsa: Tolosa, & episcopatus Tolosanus revertentur ad nos, & heredes nostros, & filia, vel alii filii, vel filiæ, vel heredes ipsius Raimundi, nihil juris in ipsis poterunt reclamare. Et si ipsa filia sine filiis ex fratre nostro moreretur, Tolosa similiter & episcopatus Tolosanus ad nos, & heredes nostros revertentur: ita quod omni casu contingente, ad nos & heredes nostros Tolosa, & episcopatus Tolosanus revertentur, & nulli poterunt ibi jus aliquod reclamare, nisi filii, aut filiæ descendentes ex fratre nostro, & filiæ ejus, sicut est supradictum.

Item dimittimus eidem Raimundo, Agennensem & Caturcensem episcopatus: de episcopatu Albiensi, dimittimus eidem Raimundo, quicquid est de episcopatu Albiensi, citra fluvium de Tarn, videlicet ex parte de Gaillac: & civitas Albiensis remanebit ex parte nostra, & quicquid est ultra fluvium illum versus Carcassonam, in eodem episcopatu Albiensi: & nos habebimus ripam, & aquam ex parte usque ad medium flu-

ANNO CHRISTI 1228.

men: & idem Raimdunus similiter habeat ripam & aquam ad medium flumen ex parte sua, salvis juribus & hereditatibus aliorum, dummodo de iis qui ex parte Raimundi faciant quod debebunt, & similiter ex nostra. Episcopatum Caturcensem dimittimus eidem Raimundo, excepta civitate Caturcensi & feudis, & aliis quæ habuit in eodem episcopatu rex Philippus avus noster tempore mortis suæ. Et si dictus Raimundus sine filiis de legitimo matrimonio procreatis decesserit, tota terra remanebit filiæ suę, quam habebit frater noster in uxorē, & heredibus susceptis ab ea: ita quod dictus Raimundus ut verus dominus habeat plenum jus & liberum dominium in supradicta terra quæ dimittitur ei, salvis conditionibus supradictis, tam de civitate Tolosæ, & episcopatu Tolosano, quam de terra alia superius nominata, ut in morte pias eleemosynas facere possit, secundū usum & consuetudines aliorum baronū regni Franciæ. Supradicta omnia dimittimus ei salvo jure ecclesiæ & ecclesiasticorum virorum, sicut superius est expressum. Vnde Viridifolium cum pertinentiis suis, & villam de Lasbordes cū pertinentiis suis dimittimus, secundum ordinationem bonæ memoriæ patris nostri Ludovici regis & comitis Montisfortis, episcopo Tolosano & filio O. de Luers: ita tamē quod episcopus Tolosanus pro Viridifolio faciat Raimūdo quod debebat facere comiti Mōtisfortis, & filius ejusdem faciat quod debebat facere bonæ memoriæ regi Ludovico patri nostro. Donationes aliæ a nobis, vel a patre nostro, vel a comitibus Montisfortis factæ, non teneantur, nec idem Raimundus vel sui ad eas teneātur in terra, quę ipsi Raimundo dimittitur. De omnibus supradictis dictus Raimundus faciet nobis homagiū, ligium, & fidelitatem secundum consuetudinem baronum regni Franciæ. Totam aliam terram quæ est citra Rhodanum in regno Francorum, & omne jus si quid ipsi Raimūdo competit vel competere posset in ea, pręcise & absolute quitavit nobis, & heredibus nostris in perpetuum. Terram autem quæ est in Imperio ultra Rhodanum, & omne jus, si quod ipsi Raimundo competit vel competere posset in ea, pręcise & absolute quitavit dicto legato nomine ecclesiæ in perpetuum.

Item, omnes indigenæ qui fayditi fuerunt de terra illa pro ecclesia, pro patre nostro, & comitibus Mōtisfortis, & adhærentibus eis, vel propria voluntate recesserunt ab eadem terra, nisi inveniantur hæretici ab ecclesia condemnati, integre restituantur in statum pristinum quoad hereditates & possessiones, propter illa, si qua ex causa donationis a patre nostro, vel a nobis, vel a comitibus Montisfortis habuerunt. Si vero aliqui hominum qui remanebunt in terra, quæ dimittitur Raimundo, noluerint redire ad mandatum ecclesiæ & nostrum, specialiter comes Fuxensis, & alii: idem Raimundus faciet eis vivam guerram, nec pacem cū ipsis faciet vel treugas, sine assensu ecclesiæ & nostro: & si terræ eorum occupabuntur, remanebunt eidem Raimundo, destructis tamen prius omnibus munitionibus & fortalitiis, muris & fossatis; nisi pro securitate ecclesiæ, & nostra, voluerimus ea retinere; usque ad decennium post acquisitionem: & tunc cum reditibus & proventibus ipsorum castrorum retinebimus ipsa.

Item idem Raimundus faciet dirui muros civitatis Tolosæ omnino, & fossata impleri juxta mandatum, voluntatem, & ordinationem legati.

Item diruentur funditus, & replebuntur fossata triginta villarum & castrorum per ipsum Raimundum, videlicet de Fano Iovis, de Castronovo, de la Besseda, de Avinioneto, de Podio Laurentii, de sancto Paulo, de Vauro, de Rabastentiis, de Gaillaco, de Monteacuto, de Podio-celsis, de Verduno, de Castro Sarraceno, de Moyssaco, de Monte-Albano, de Monte-Acuto, de Agenno, de Condomio, de Saverduno, de Alta Ripa, de Cassanolio, de Pugeolis, de Alta-villar, de Villa Petrutii, de Layrac, & de quinque aliis ad voluntatem ipsius legati: nec poterunt reædificari sine voluntate ecclesiæ, & nostra, nec alibi fient novæ fortiæ. Villas tamen non infortiatas bene poterit facere idem Raimundus, si voluerit, in terra quæ dimittitur ei: si vero aliqua villarum vel castrorum quæ debent dirui, ut dictum est, essent hominum suorum, & nollent quod diruerentur: idem Raimundus faciet eis vivam guerram, nec pacem vel treugas sine assensu ecclesiæ & nostro cum eis faciet, donec diruantur muri & impleātur fossata omnia supradicta. Promisit & juravit nobis & dicto legato præfatus Raimundus, se firmiter & perpetuo servaturum bona fide & sine fraude & malo ingenio, & quod faciet bona fide, ab hominibus & vassallis & fidelibus suis firmiter observari. Faciet etiam illud idem jurare omnes cives Tolosanos. Et alios homines terræ quæ dimittitur ei, & addet juramento illorum, quod dabunt operam efficacem, quod ipse Raimundus servet ea. Et si idem Raimundus venit contra prædicta, vel aliquod prædictorum, ipso facto de voluntate ejus sunt absoluti, & ex nunc ipse eos absolvit a fidelitate & hommagio, & omni alia obligatione, quibus ipsi tenentur ei, & adhærebūt ecclesiæ, & nobis contra ipsū, nisi infra quadraginta dies, postquā fuerit monitus, hoc emendaverit vel juri steterit corā ecclesia, de iis quæ ad ecclesiam pertinent, & juri

ANNO CHRISTI 1228.

& juri coram rege de his quæ ad regem pertinent: & tota terra ipsa quæ dimittitur ei, incidet in commissum regis, & erit idem Raimundus in eo statu in quo nũc est, quoad regem, & quoad excommunicationem, & omnia alia, quæ fuerunt statuta contra ipsum & patrem suum in concilio generali, vel postea. Addetur etiam in juramento ipsorum, quod juvabũt ecclesiam contra hæreticos, credentes, fautores, & receptatores eorum, & contra omnes alios, qui occasione hæresis vel contemptus excommunicationis, ecclesiæ contrarii existerent in terra quæ dimittitur eis, & in terris aliis supradictis; & regem juvabunt contra omnes, & eis B facient vivam guerram, donec ad mandatũ ecclesiæ revertãtur, & regis. Renovabuntur autem prædicta juramenta de quinquennio ad quinquennium, ad mandatum regis.

Ut autem omnia supradicta adimpleantur, & ecclesiæ & nobis plenius & melius observentur: tradet pro securitate ecclesiæ & nostra in manibus nostris castrum Narbonense, quod tenebimus usque ad decennium, muniemus & infortiabimus, si visum fuerit expedire.

Item, tradet nobis pro securitate ecclesiæ & nostra manibus nostris caput castri C Vauri, castrum de Monte-acuto, Penam de Agenesio Rupeperusii, castrum de Cordis, castrum de Verduno, castrum de Villomuri: & usque ad decennium tenebimus ea, ita quod primis quinque annis solvet idem Raimundus nobis pro expensis custodiæ, quolibet anno mille quingentas libras Turonenses, non computatis in iis sexmillibus marcharum supradictis. In aliis quinque annis si voluerimus tenere, faciemus expensis propriis custodiri: nos tamen poterimus, si placuerit ecclesiæ & nobis, diruere D quatuor castra de prædictis, videlicet castrum Vauri, caput castri novi, de Villomuro, & Verdunum. Et propter hoc non diminuetur prædicta summa mille & quingentarum librarum Turonensium reditus & proventus castrorum, & omnia quæ jure dominii percipiuntur, erunt Raimundo: & nos ad sumptus nostros tenebimus capita ipsorum castrorum & Corduam. Et dictus Raimundus habebit ibi bailivos suos non suspectos ecclesiæ, & nobis, qui faciant justitiam hominibus, & recipiant reditus & proventus prædictos. Post decennium au- E tem restituemus dicta capita castrorum & Corduã dicto Raimundo libere, salvis conditionibus supradictis, & si prædicta omnia quantum ad ecclesiam & nos fuerint observata. Penam autem de Albigesio tradet nobis infra Kalendas Augusti proximas, cum aliis castris detinendam a nobis usque ad decennium. Si vero illã non poterit habere usque ad terminum illum, tunc obsideri faciet, & vivam guerram fieri tandiu quousque eam habeat, nec pacem, nec treugam cum ipso faciet qui tenet eam vel tenebit, donec ipsam habeat: non tamen propter hoc retardetur a peregrinatione transmarina de qua superius est ordinatum. Et si usque ad annum integrũ post ipsas Kalendas Augusti tradiderit nobis prędictam Penam de Albigesio, erit in conditione supradictorum castrorum, scilicet quod reddemus ei, quando reddemus alia castra: si vero post annum prædictum ipsam Penam de Albigesio non poterit assignare, ex tũc eam tradet Tẽplariis vel Hospitalariis, sive aliis religiosis in eleemosynam perpetuo, salvis hereditatibus eorum qui se tenẽt ex parte nostra; possidendam ad voluntatem legati vel ecclesiæ Romanæ: tali conditione, quod ipsi non alienent ipsam de manu sua, nec de ea faciant guerram dicto Raimundo, nisi de mandato ecclesiæ. Et si non poterunt aliqui religiosi inveniri qui velint eam habere, diruatur omnino, nec possit reædificari sine voluntate ecclesiæ Romanæ & nostra, & ipsius Raimundi. Item donec dictam Penam de Albigesio tradat nobis vel Tẽplariis, vel Hospitalariis, vel aliis religiosis sicut dictũ est: tenebimus propter hoc obligatam Penã de Agenesio, & castrum Narbonense. Et si etiam infra duennium det Penam de Albigesio Tẽplariis vel Hospitalariis, vel aliis religiosis, ut dictum est: tãto tempore post decennium sumptibus nostris tenebimus, si voluerimus, illa duo castra prænominata, quanto tempore distulerit tradere Penam. Et si post decennium Pena de Albigesio nõ esset acquisita, tamdiu post tempus memoratum tenebimus post decennium illa duo castra, quousque ipsa esset restituta, & esset assignata, sicut superius est expressum.

Et nos absolvimus, quantum ad nos pertinet, cives Tolosanos & alios homines terræ quam ipsi Raimundo dimittimus, a juramẽto & aliis obligationibus factis nobis, & patri nostro, & comitibus Mõtisfortis, vel aliis pro eis, a pœna, & incursibus, quibus nobis, vel patri nostro, vel episcopo Tolosano, vel aliis prælatis, vel comitibus Montisfortis, se obligaverãt, si unquam in dominium ipsius Raimundi vel patris ejus reverterentur: salvis in omnibus & per omnia conditionibus supradictis. Ut autem prædicta omnia rata maneant, præsentem paginam sigilli nostri autoritate & regii nominis charactere inferius annotato fecimus communiri. Actum Parisiis anno Domini MCC XXVIII. mense Aprili, regni vero nostri anno III. astãtibus in palatio nostro; quorũ nomina supposita sunt & signa. Dapifero nullo. Signum Roberti buticularii, signum Bartholomæi camerarii, signum Mathæi constabularii. Datum vacante cãcellaria.

ANNO CHRISTI 1228.

"** STATUTA

DOMINI " LUDOVICI REGIS.

Pro libertate ecclesiæ.

" S. Ludovici regis Francorū.

Ex editione Catelli & Duchesn. & MS. Iac. Sirmondi.

LUDOVICUS DEI GRATIA Francorum rex, universis civibus Narbonensibus, & aliis fidelibus suis per Narbonensem diœcesim constitutis, salutem & dilectionem.

I. CUpientes in primis ætatis & regni nostri primordiis, illi servire, a quo regnum recognoscimus, & id quod sumus: desideramus ad honorem ipsius, qui nobis culmen dedit honoris, quod ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longo tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquassata, in nostro dominio honoretur, & feliciter gubernetur. Unde de magnorum & prudentium consilio statuimus, quod ecclesiæ, & viri ecclesiastici in terris constituti prædictis, libertatibus & immunitatibus utantur, quibus utitur ecclesia Gallicana, & eis plene gaudeant secundum consuetudinem ecclesiæ memoratæ.

II. Et quia hæretici longo tempore virus suum in vestris partibus effuderunt, ecclesiam matrem nostram multipliciter maculantes: ad ipsorum extirpationem statuimus, quod hæretici, qui a fide catholica deviant, quocunque nomine censeantur, postquam fuerint de hæresi per episcopum loci, vel per aliam ecclesiasticam personam, quæ potestatem habeat, condemnati, indilate animadversione debita puniantur.

III. Ordinantes etiā, & firmiter decernentes, ne quis hæreticos receptare vel defensare quomodolibet, aut ipsis favere aut credere quoquo modo præsumat. Et si aliquis contra prædicta facere præsumpserit, nec ad testimonium, nec ad honorem aliquem de cætero admittatur; nec possit facere testamentum, nec successionem alicujus hereditatis habere. Omnia bona ipsius mobilia & immobilia, quæ sint ipso facto publicata, decernimus ad ipsum, vel ad posteritatem ipsius, nullatenus reversura.

IV. Statuimus etiā & mandamus, ut barones terræ, & bailivi nostri, & alii subditi nostri, præsentes & futuri, soliciti sint & intenti terram purgare hæreticis & hæretica fœditate. Et præcipientes quod prædicti diligenter ipsos investigare studeant, & fideliter invenire; & cum eos invenerint, præsentent sine moræ dispendio personis ecclesiasticis superius memoratis; ut eis præsentibus de errore & hæresi condemnatis, omni odio, prece, precio, timore, gratia & amore postpositis, de ipsis festinate faciant quod debebunt.

V. Verum quia honorādi sunt, & muneri- A bus provocandi, qui ad inveniendum & capiendum hæreticos solicite diligentiam suam exercent: statuimus, & volumus, & mandamus, ut bailivi nostri in quorum baliviis capti fuerint hæretici, pro quolibet hæretico, postquam fuerit de hæresi condemnatus, usque ad biennium solvant duas marchas integre capienti, post biennium autem unam.

VI. Sane quia Ruptarii solēt devastare ac demoliri terram prædictam, & quietem ecclesiæ & ecclesiasticorum virorum turbare: statuimus, ut omnino Ruptariis illis expulsis, pax perpetuo servetur in terra: ad quam B servandam dent omnes operam efficacem.

VII. Ad hęc, quia claves ecclesię cōsueverūt in terra illa cōtemni: statuimus, ut excōmunicati vitentur, secundum canonicas sanctiones: & si aliqui per annum contumaciter in excommunicatione perstiterint, ex tunc temporaliter compellantur redire ad ecclesiasticam unitatem: ut quos a malo non retrahit timor Dei, saltem pœna temporalis compellat.

VIII. Unde præcipimus quod bailivi nostri C omnia bona taliū excommunicatorum mobilia & immobilia post annum capiant: nec eis aliquo modo restituant, donec prædicti absoluti fuerint, & ecclesiæ satisfecerint: nec tunc etiam, nisi de nostro speciali mandato.

IX. Decimæ sane, quibus fuit ecclesia lōgo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus & ordinamus, quod restituantur ecclesiis: & amplius laici decimas non detineant, sed ecclesia eas libere habere permittant.

D X. Hæc statuta inviolabiliter servari jubemus. Mandantes quod barones, & vassalli, & bonæ villæ, jurent ista servare, bailivis nostris ad hoc executoribus deputatis: qui infra mensem postquam fuerint in baliviis constituti, publice, & in loco publico, & die solenni, jurent quod hæc servabunt, & facient ab omnibus bona fide servari. Quod si non fecerint, pœnam bonorum omnium, & corporis, poterunt formidare. Noveritis etiam quod ista statuta sic volumus observari: quod etiam quando " frater E noster terram ipsam tenebit, jurabit hoc servare, & quod faciet a suis fidelibus observari. Ut autem hæc statuta firma & inconcussa permaneant, ea sigilli nostri munimine fecimus communiri. Actum Parisius anno gratiæ MCCXXVIII. mense Aprili.

ANNO CHRISTI 1228.

" *Alfonsus comes Pictav.*

G. C. Hæ Ludovici regis litteræ datæ sunt non ad Narbonenses tantum, sed etiam a paribus ad Cadurcenses, Rutenenses, Aginnenses, Arelatenses, ut ex variis exemplaribus agnovisse se docet Catellus: addo ego, & ad Nemausenses, ut intelligo ex Sirmondi nostri manuscripto.

"** CONCI-

ANNO CHRISTI 1228.

** CONCILIUM BITURICENSE,

Mense Novembr. ann. MCCXXVIII. celebratum, in quo Burdigal. archiepisc. ab officio metropolitani suspensus.

Hujus concilii notitiam habemus ex patriarchio Bituricensi, ubi inter res gestas Simonis de Soliaco archiepisc. LXX. Anno, *inquit*, Dom. Incarn. MCCXXVIII. convocavit concilium provinciale Bituris, in octavis B. Martini hiemalis: ad quod cum Burdegalensis archiepiscopus accedere curasset minime, eundem de consilio suorum suffraganeorum suspendit ab officio metropolitani.

** CONCILIUM TOLOSANUM,

ANNO CHRISTI 1229.

Anno MCCXXIX. de inquirendis hæreticis, deque aliis ecclesiasticæ disciplinæ capitibus, celebratum.

Res in hoc concilio gestas sic describit Guillelmus de Podio Laurentii in Chronico cap. XL. Post pacem, *inquit*, Parisius celebratam in fine anni, in sequenti anno Domini 1229. mense Iulii, per magistrum Petrum de Collomedio, gerentem vices legati, fuit reconciliata civitas Tolosana, comite nondum reverso de Francia: qui de voluntate propria remansit in prisione regis Parisius, donec muri Tolosæ corruissent, & castra, & villæ, prout in pace fuerat ordinatum; & esset tradita filia ejus Ioanna novem annos C habens regiis nunciis Carcassonæ, quam postea duxit Alphonsus frater regis, comes Pictaviæ, in uxorem. Factus ergo miles idem comes a domino rege in festo Pentecostes, mox impletis quæ pacta fuerant, ad propria est reversus. Quem non post multos dies legatus sequitur, præmissis ad terras, pro diruendis castris, crucesignatis cum indulgentia infinitis, qui venturi erant cum armis, nisi pax intervenisset. Idemque legatus ibidem Tolosæ post æstatem concilium celebravit, cui interfuerunt Narbonensis, Burdigalensis, Auxitanensis, archiepiscopi; & episcopi multi, & alij prælati. Item adfuerunt comes Tolosanus & alij comites præter Fuxensem, Barones, & senescallus Carcassonæ, & consules Tolosani duo, unus de civitate, & alius de burgo, qui statuta pacis in totius D universitatis animam juraverunt, & tam comes, quam cæteri, illud approbaverunt, & fecerunt, & idem fecit postea tota terra. Ne autem videretur legatus, sicut erat vir circumspectus & providus, omittere aliqua de contingentibus: mandavit inquisitionem fieri contra suspectos de hæretica pravitate: fuitque in illo concilio Guillelmus de Solerio, qui fuerat hæreticus vestitus, & sponte sua recesserat ab hæreticis, restitutus ad famam, ut ejus testimonium valeret contra alios de quibus noverat veritatem. Quæ inquisitio fuit sic ordinata, ut singuli episcopi qui aderant, testes, quos producebat Tolosanus episcopus, examinarent, & eorum dicta in scriptis redacta eidem E episcopo redderent conservanda, & sic possent multa brevi tempore expedire. Et vocatis & auditis prius, qui fideles reputabantur & catholici, mox vocandis qui suspecti erant aliquibus, in testimonium est processum. Qui hoc præsentientes, se invicem, ne quicquam contra se dicerent, præcluserunt. Quod satis patuit ex postfacto: nihil enim, vocati ad testimonium, fatebantur. Fuere autem quidam usi consilio saniori, qui primo ante alios venerunt, & legato se tunc submiserunt, seu subdiderunt, & ideo misericordiam invenerunt: cujus se, qui dura cervice erant, reddiderunt indignos, & postea coacti & velut tracti venerunt, pœnitentias difficiles

A les habuerunt. Fuere & alii, sed pauci, qui dicebant se velle defendere in jure, petentes sibi tradi nomina testium, qui deposuerunt contra eos, quod possent esse inimici, quibus credendum non fuerat, capitales. Et sequuti sunt legatum usque ad Montem-pessulanum, taliter insistendo. Præsumensque legatus, quod hoc prosequerentur, ut testes interficerent quos scirent deposuisse specialiter contra eos: caute eorum illusit instantiam, & nomina omnium testium in inquisitione tota excepta inde tantum eis tradidit intuenda, si forte ibi suos cognoscerent inimicos. Qui videntes proinde circumventos, quibus nomina testium tradebantur, nec ob hoc nosse poterant, quos suos dicerent inimicos, quando nescirent, quod deposuissent aliqui B contra se, ab incœpto litigio quieverunt, legati se voluntati finaliter supponentes.

ANNO CHRISTI 1229.

Addenda quoque hic concilii hujus decreta, quorum exemplar habemus Sirmondi nostri manu descriptum: item alterum quod ex locupletissima sua bibliotheca depromptum humanissime nobis concessit illustrissimus abbas Tellerius, eruditissimus idem & eruditorum patronus. Eadem ante R. P. D. Lucas Dacherius edidit spicilegii sui Tomo II. Ex tribus iis exemplis perfectius aliquid edere licebit.

Hæc sunt statuta in concilio apud Tolosam promulgata per dominum Romanum S. Angeli diaconum cardinalem, apostolicæ sedis legatum, anno Domini MCC C XXIX. mense Novembri.

TITULI CAPITULORUM.

ANNO CHRISTI 1229.

PRÆFATIO.

LICET a diversis apostolicæ sedis legatis diversa emanaverint instituta contra hæreticos, credentes, fautores, & receptatores hæreticorum, & super pace conservanda in Tolosana diœcesi, & Narbonensi provincia, & circumadjacentibus diœcesibus, & terris vicinis, & super aliis quæ ad bonum statum terræ pertinere noscuntur: nos tamen attendentes, terras prædictas, post longæ ac miserabilis turbationis discrimina, nunc quasi miraculose, pace, de assensu & voluntate majorum, gaudere: ordinandum duximus & statuendum de consilio archiepiscoporum, episcoporum, & prælatorum, & baronum, & militum, quæ ad purgationem hæreticæ pravitatis, conservationem pacis, necnon & terræ quasi neophytæ, novimus expedire. D

CAPITULA. E

I. Ut in singulis locis sacerdos unus & tres laici constituantur, qui diligenter inquirant hæreticos.

Statuimus itaque, ut archiepiscopi & episcopi in singulis parochiis, tam in civitatibus, quam extra, sacerdotem unum, & duos vel tres bonæ opinionis laicos, vel plures, si opus fuerit, sacramento constringant, qui diligenter, fideliter, & frequenter, inquirant hæreticos in eisdem parochiis, domos singulas & cameras subterraneas aliqua suspicione notabiles perscrutando, & appensa, seu adjuncta in ipsis tectis ædificia, seu quæcumque alia latibula, quæ omnia destrui præcipimus, perquirendo: & si quos invenerint hæreticos, credentes, fautores, & receptatores, seu defensores eorũ, adhibita cautela ne fugere possint, archiepiscopo vel episcopo, dominis locorum, seu bailivis eorundem, cum omni festinantia studeant intimare, ut animadversione debita puniantur.

II. Ut idem faciant abbates exempti.

Hoc idem faciant abbates exempti in locis suis, quæ non sunt ordinariis jure diœcesano subjecta.

III. Ut domini locorum inquirant in hæreticos.

Soliciti etiam sint domini terrarum circa inquisitionem hæreticorum in villis, domibus, & nemoribus faciendam: & circa hujusmodi appensa, adjuncta, seu subterranea latibula, destruenda.

IV. De pœna ejus qui in terra sua permiserit morari hæreticum.

Statuimus etiam, ut quicumque in terra sua de cætero permittet scienter morari hæreticum, sive propter pecuniam, sive propter aliam quamcumque causam, & fuerit inde confessus aut convictus: amittat in perpetuum terram suam, & corpus suum sit in manu domini ad faciendum inde quod debebit.

V. De eo qui non est convictus quod sciverit hæreticos esse in terra sua.

Si autem de scientia convictus non fuerit, & probata fuerit negligentia dissoluta, vel frequenter in terra sua inveniantur hæretici, vel super hoc sit diffamatus, pœnis legitimis puniatur.

VI. Ut domus in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur, & fundus confiscetur.

Illam autem domum, in qua fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus: & locus ipse sive fundus confiscetur.

VII. De bailivo qui non est contra hæreticos diligens.

Bailivus vero qui semper est in terra residens, in loco contra quem præsumitur, nisi contra hæreticos valde solicitus inveniatur & diligens, bona sua amittat, & de cætero, nec ibi, nec alibi constituatur bailivus.

VIII.

ANNO CHRISTI 1229.

VIII. *Vt nemo puniatur tamquam credens, vel hæreticus, nisi talis per potestatem ecclesiastiacm iudicatus.*

Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuslibet per aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur: statuimus, ne aliquis ut credens vel hæreticus puniatur, nisi per episcopum loci, vel aliquam personam ecclesiasticam, quæ potestatem habeat, fuerit credens vel hæreticus judicatus.

IX. *Vt quilibet in terra alterius possit inquirere vel capere hæreticos.*

Statuimus etiam, ut quilibet in terra alterius possit inquirere vel capere hæreticos, & bajuli locorum teneantur eis præstare auxilium & favorem: ita quod bajulus regis, in terra comitis Tolosani & aliorum, hoc facere possit; & comes Tolosanus & alii, in terra regis.

X. *Quomodo agendum cum hæreticis sponte ad fidem reuersis.*

Item statuimus, ut si qui hæretici vestiti, hæresi sponte dimissa fuerint ad catholicam fidem reversi, suum recognoscentes errorem, non remaneant in villa in qua fuerant antea conversati, si villa suspecta de hæresi habeatur: sed collocentur in villa catholica, quæ nulla sit hæresis suspicione notata. In detestatione quoque veteris erroris duas cruces portent de cætero altius præeminentes, alterius coloris quam sint vestes eorum, unam a dextris, & alteram a sinistris. Nec propter cruces excusetur aliquis, nisi habeat litteras sui episcopi testimoniales de reconciliatione ipsius. Nec de cætero talibus officia publica committantur: nec ad actus legitimos admittantur, nisi per domnum papam, vel per legatū ab ipsius latere destinatum, fuerint in integrū restituti, injūcta sibi pœnitentia cōpetenti.

XI. *Quomodo agendum cum hæreticis non sponte, sed timore vel alia causa conuersis.*

Hæretici autem qui timore mortis, vel alia quacumque causa, dummodo non sponte, redierint ad catholicā unitatem: ad agendam pœnitentiam per episcopum loci in muro cum tali includantur cautela, quod facultatem non habeant alios corrumpendi. Quibus ab illis qui bona eorum tenuerint, provideatur in necessariis secundum dispositionem prælati: si vero bona non habuerint, eis provideatur per prælatum.

XII. *De juramento a singulis catholicis præstando.*

Vniversi tam mares quam fœminæ, masculi a XIV. anno & supra, fœminæ a XII. abjurent omnem hæresim extollentem se adversus sanctam & catholicam Romanā ecclesiam, & fidem orthodoxam, quibuscumque nominibus censeatur: jurent etiā, quod fidem catholicam, quam Romana ecclesia tenet & prædicat, servabunt; & hæreticos pro viribus persequentur, & eos bona fide manifestabunt. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet parochia conscribantur, & omnes coram episcopo, vel coram bonis viris quibus hoc demandatum* fuerit, præstent juramentum præmissum. Et si quis absens fuerit, & post reditum ejus infra XV. dies idem sacramentum non præstiterit, quod ex inspectione nominum poterit apparere, suspectus de hæresi habeatur. Hujusmodi autem juramentum singulis bienniis renovetur.

* al. demandaverit,

XIII. *Vt singuli ter in anno confiteantur & communicent: alioqui suspecti de hæresi habeantur.*

Omnes autem utriusque sexus, postquam ad annos discretionis advenerint, confessionem peccatorum faciāt ter in anno proprio sacerdoti, vel alii de voluntate ipsius, vel mandato, injunctam pœnitentiam & humiliter & pro viribus impleturi, & ter in anno, in Natali Domini, Pascha, & Pentecoste, sacramentum Eucharistiæ cum omni reverentia suscepturi: ita quod confessio communionem præcedat: nisi forte, ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab ejus participatione abstinuerint, de consilio proprii sacerdotis. Soliciti sint itaque presbyteri circa ista, ut ex nominum inspectione cognoscant, sicut superius est expressum, utrum sint aliqui qui communicare subterfugiant. Nam si quis a communione, nisi de consilio proprii sacerdotis, abstinuerit, suspectus de hæresi habeatur.

XIV. *Ne laici habeant libros scripturæ, præter psalterium, & Diuinum officium: at eos libros ne habeant in vulgari lingua.*

Prohibemus etiam, ne libros veteris testamenti aut novi, laici permittantur habere: nisi forte psalterium, vel breviarium pro Divinis officiis, aut horas beatæ Mariæ, aliquis ex devotione habere velit. Sed ne præmissos libros habeant in vulgari translatos, arctissime inhibemus.

XV. *Quomodo agendum cum ægrotis infamatis de hæresi, vel suspicione notatis.*

Statuimus etiam, quod quicumque fuerint infamati de hæresi, vel suspicione notati, officio medici de cætero non utantur. Cumque aliquem infirmum de manu presbyteri sui sacram communionē contigerit rece-

ANNO CHRISTI 1229.

recepisse: adhibeatur ei diligens custodia usque ad diem obitus sui vel convalescentiæ, ne hæreticus aut de hæresi suspectus ad ipsum infirmum possit habere accessum: cum ex accessu talium, nefanda intellexerimus & enormia pluries contigisse.

XVI. *Vt testamenta fiant coram proprio presbytero, vel altero ecclesiastico.*

Cum vero aliquis voluerit condere testamentum, hoc faciat sub testimonio sui presbyteri, vel alterius ecclesiasticæ personæ, si proprius non possit haberi sacerdos: adhibitis bonæ opinionis viris, quos ad hæc voluerit accersiri. Et testamenta aliter facta vigorem non habeant, nec alicujus sint momenti.

XVII. *Ne hæreticis, aut de hæresi diffamatis, administratio ulla committatur: nec familia aut consilio retineantur.*

Inhibemus etiam ne prælati, barones, milites, seu quicumque domini terrarum, hæreticis vel credentibus eorum bailivias seu administrationes suarũ terrarum committant: sed nec eos, aut etiam aliquos diffamatos de hæresi, vel quos credunt de hoc esse suspectos, in sua familia vel suo consilio habere vel retinere præsumant.

XVIII. *Quinam habendi sint diffamati.*

Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram episcopo loci legitime constiterit.

XIX. *De libertatibus ecclesiarum.*

Omnia privilegia ecclesiarum & libertates earum, & religiosarum domorum inviolabiliter præcipimus custodiri. Vniversi etiam de bonis & proventibus suis, non deductis expensis, ecclesiis integre decimas & primitias solvere teneantur, præscriptione, seu consuetudine aliqua non obstante. Nec quascumque exactiones laïci exigere, vel extorquere præsumant.

XX. *Vt clerici non tallientur.*

Clerici quoque non talliabuntur occasione etiam hereditatis; etiamsi per successionem eis obvenerit, nisi sint mercatores, vel uxorati. Sed si per successionem hereditariam, aliqua possessio feudalis, seu etiam censualis, ad eorum manus devenerit, pensiones & onera ipsi in posterum annexa solvere teneantur; alias a talliis, & aliis exactionibus omnino liberi & immunes.

XXI. *Qui sint immunes a pedagiis: & ne noua exigantur.*

Item præcipimus quod clerici & etiam religiosi, & quilibet peregrini & milites, cum rebus ipsorum, immunes sint ab omni pedagio, nisi fuerint mercatores. Sed nec ab ipsis, aut quibuscumque aliis personis, pedagia, quidagia, seu alias exactiones quascumque laïci exigere vel extorquere præsumant: nisi ea, quæ ab antiqua regũ, vel imperatorum, vel principum concessione probaverint esse concessa, vel ex antiqua consuetudine introducta. Quod si acquiescere noluerint, per diœcesanum loci censura, qua convenit, desistere compellãtur.

XXII. *Vt qui pedagia recipiunt, securas vias præstent.*

Hi autem qui pedagia recipiunt, taliter in districtu suo stratas studeant custodire, quod damnum aliquod transeuntes non sentiant, vel violentiam aliquorum. Et si forte aliqui in districtu eorum damnum incurrerint, dummodo non sit guerra communis, & de die viatores incedant, ipsi ad damni restitutionem integre teneantur, eos ad hoc per superiorem, si necesse fuerit, compellendo.

XXIII. *Vt nihil exigant laici ab hominibus ecclesiarum & ecclesiasticorum, nisi ab iis possessiones habeant.*

Homines autem ecclesiarum & ecclesiasticorum virorum, laïci talliare, vel in eos exactiones aliquas facere non præsumant, nisi forte ab eis aliquas possessiones habere noscantur. Et tunc etiam temperate id faciant, considerato nihilo minus possessionum, quas ab eis tenent, valore. Ecclesiæ autem, & viri ecclesiastici, eodem iure uti possunt circa homines laïcorum.

XXIV. *Quid agendum de eo, qui clericum ceperit.*

Si quis autem quemcumque clericum, etiamsi tantum primam tonsuram habuerit, pro quocumque crimine, vel alia qualibet causa captum detinuerit, hoc insinuet statim presbytero loci, ut per eum significetur episcopo: & requisitus ab episcopo, vel archidiacono, seu mandato ipsorum, captum clericum sine dilatione restituat, ut per eum secundum iuris exigentiam iudicetur. Quod si facere distulerit, denuncietur excommunicatus: & per superiorem dominum, ipsum reddere compellatur.

XXV. *Vt omnes Dominicis & festis veniant ad ecclesiam: & de pœna absentium.*

Item statuimus, vt parochiani, dominus & domina cuiuslibet domus, Dominicis & festivis

ANNO CHRISTI 1229.

festivis diebus in quibus ab operibus est A cessandum, teneantur ad ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro prędicationem, & Divinum officium: nec inde recessuri, donec Missa compleatur omnino. Quod si alter ipsorum absens fuerit extra villam, vel alia de causa rationabili præpeditus, alter saltem teneatur venire. Quod si non fecerint, dummodo sint in villa præsentes, nulla infirmitate seu aliqua rationabili causa detenti, XII. denarios Turonenses solvere quilibet teneatur, quorum medietas sit domini villæ, & alia sacerdotis & ecclesiæ. Sabba- B to etiam circa vesperas, ob reuerentiam B. Mariæ virginis, ecclesias suas cum devotione visitent.

XXVI. *Qui dies sint festiui.*

Dies autem festivos dicimus, sicut in canone continentur, Natale Domini, S. Stephani, sancti Ioannis evangelistæ, sanctorũ Innocentium, sancti Sylvestri, Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis beatæ Mariæ virginis, Pascha cum duobus diebus sequentibus, Rogationum C tribus diebus, diem Pentecostes cum duobus diebus sequentibus: natale sancti Ioannis Baptistæ, Inventionem & Exaltationem sanctæ Crucis, duodecim Apostolorum, sanctæ Mariæ Magdalenæ, sancti Laurentii, sancti Martini, sancti Nicolai, dedicationem sancti Michaëlis, dedicationem cujuscumque ecclesiæ, & festivitatem cujuslibet sancti in cujus honore constituta est ecclesia: item omnem Dominicam.

XXVII. *Quod festiuis diebus feriandum est: & populo annunciandi sunt die Dominico.* D

In his itaque diebus secundum canones, & antiquam consuetudinem, est ab omni opere feriandum, & in aliis festivitatibus pro locorum variis consuetudinibus, prout prælatus indixerit. Hujusmodi autem festivitates debent sacerdotes populo suo annunciare quolibet die Dominico in Missa.

XXVIII. *Vt omnes ab anno* XIV. *iurent seruare pacem.* E

De pace statuimus & præcipimus, quod omnes quatuordecimo anno, & supra, jurent servare pacem. Et si quis monitus a diœcesano, vel per litteras, vel per nũcium ejus, infra XV. dies venire noluerit, ad id cogatur per censuram ecclesiasticã. Et ipse sit extra pacem, & homines sui, si ei fuerint. Nec aliquis qui sit in pace teneatur ei in aliquo respondere. Ipse autem de conquerentibus respondere cogatur. Illud autem juramentum de conservatione pacis, de triennio in triennium renovetur.

XXIX. *De eo qui pacem fregerit.*

Si aliquis pacem fregerit vel moverit guerram, nisi monitus infra XV. dies emendam & damna refundat, excommunicetur, & extra pacem sit, & tota terra faciat ei & toti terræ suæ guerram. Et expugnetur sive in castro, sive in civitate, sive in nemore, & homines sui similiter, nisi ipsum cum aliis impugnaverint, non obstante fidelitate, quam ei primo fecerunt circa locum etiam, in quo se receptaverit: fiant stabilitates militum & peditum, & nec nocere possit aliis, nec alii sibi prodesse; nec recipiantur ad pacem, nisi emendent, & resarciant omnes expensas & damna.

XXX. *Quid de illius bonis, personaque ipsa, si capiatur, agendum.*

Si vero capiatur, publicentur bona ipsius: & is, qui bona ejus habuerit, pro valore eorumdem bonorum damnum restituat, & de persona ipsius faciat dominus superior quod debebit. Si quis autem auxilium illi dederit, consilium, vel favorem, vel ipsum receptaverit cum præda, vel etiam sine præda: nisi monitus infra diem sibi præfixum emendaverit, pœna simili puniatur. Consanguinei & parentes ipsius teneantur jurare, quod ei non procurabunt auxilium vel favorem, sed ei, sicut & alii, facient vivam guerram. Quod si facere recusaverint, in manu domini sint ipsi, & bona ipsorum.

XXXI. *De pacis violatore, qui redire non vult ad mandatum.*

Si movens guerram, vel pacis violator, ad mandatum redire noluerit, firmantia, vel sacramentum solum non recipiatur ab ipso: sed pignora, vel obsides, vel propria persona in bona custodia teneatur, donec emendaverit competenter. Si vero aliqua sunt castra vicina illi qui pacem fregerit, si illi qui pacis factum procurant, communire noluerint, contra illum sine difficultate tradantur, & ipsi guerra finita in eodem statu dominis restituere teneantur, donec emendaverit competenter. Hoc idem de castris paciariis erit observandum.

XXXII. *De eo qui prædam abduxerit.*

Item si is qui guerram movet, damnum intulerit, vel prædam abduxerit: villæ vel castra per quorum territorium transitum fecerit, damna restituant, nisi pro posse eum arrestaverint & prædam defenderint, vel clamaverint, & insequuti fuerint bona fide.

XXXIII. *De eo qui de præda huiusmodi emerit.*

Si vero de pręda hujusmodi scienter eme-

ANNO CHRISTI 1229.

rit quis, ei cujus est, prædam sine pretio restituat, & tantumdem domino pro emenda solvat.

XXXIV. *De vassallis vel hominibus insurgentibus contra dominos.*

Si vassalli homines rebellaverint, vel insurgere attentaverint contra dominos: pax adsistat dominis contra eos.

XXXV. *Ut familiaritas vel treuga non habeatur cum fayditis.*

B

Item statuimus ut aliquis amicitiam, familiaritatem, vel treugas non habeat cum fayditis, vel aliis qui guerram moverunt: de bonis suis expensas faciat contra illos, & damna data restituat, alias ad utilitatem domini puniendus.

XXXVI. *Ut latrones & ruptarios nemo recipiat.*

Nullus etiam latrones, ruptarios, vel lacinones accipiat, sed ab omnibus abiiciantur: & si quis eos tenuerit, damna per eos illata restituat ad vocem simplicem conquerentis, & pacis reputetur infractor.

C

XXXVII. *Ut fiat sacramentum contra inimicos fidei atque pacis, quorum aliqui nominatim designantur.*

Præcipimus etiam quod quando aliquis guerram moverit, fiat contra eum sacramentum de novo: quod qui procurare noluerit, fractor pacis reputetur: modo etiam expresse fiat sacramentum contra inimicos fidei atque pacis. Videlicet Guillelmum dictum dominum de Petra pertusa, Gauserandum du. qui tenet Podium Laurentium, Raimundum de Mort: & excommunicentur, & perpetuo sint exheredati, nec absolvi possint a sententia, nisi per sedem apostolicam, vel legatum de ejus latere destinatum.

D

XXXVIII. *Ut nullæ coniurationes seu confratriæ fiant.*

Inhibemus etiam ut barones, castellani, milites, cives burgenses, seu etiam rurales, coniurationes, colligationes, confratrias, seu alias quascumque obligationes fide vel iuramento, seu qualibet alia firmantia interposita, facere non præsumant. Quod si fecerint; baro in centum libris currentis monetæ puniatur, castellanus in sexaginta, miles in quadraginta, civis vel burgensis in viginti, & rurales in centum solidis. Si quæ vero coniurationes vel colligationes usque nunc factæ sunt, eas decernimus irritas & inanes: statuentes, ut omnes abiurare teneantur easdem.

E

XXXIX. *Ut nullus castrum vel villam furetur de his quæ tenentur ab ecclesia, vel a rege.*

A

Item nullus castrum vel villam furetur de his, quæ ab ecclesia tenentur, & a rege. Quod qui fecerit, & bona ipsius omnia publicentur, & excommunicatus perpetuo habeatur, nec a sententia possit absolvi, nisi per dominum Papam, vel legatum de ipsius latere destinatum. Mittatur etiam ultra mare, ad terram propriam nullatenus reversurus.

XL. *Ut nullus alterius bona per vim rapiat: sed per iudices repetat.*

Item statuimus quod nullus aliqua occasione alicuius bona per vim rapiat, vel pignora, nec vassallum, nec rem vassalli pro domino capiat: sed si aliquid sibi deberi credit, per iudices repetat. Si autem contra hoc aliquis fecerit, tanquam fractor pacis habeatur; & ius quod habebat, amittat. Si vero nullum ius habuerit, res pignoratas, & earum æstimationem restituat: & in utroque casu, videlicet si ius habeat vel non habeat, tantumdem domino pro emenda persolvat.

XLI. *Ne castra de novo ædificentur, aut diruta reædificentur.*

Pro pace quoque melius conservanda, statuimus quod castra non ædificentur de novo occasione bovariæ, vel quacumque alia ratione, nec munitiones dirutæ reædificentur.

XLII. *Ut mulieres quæ habent castra & munitiones, non nubant inimicis fidei & pacis.*

Mulieres quoque viduæ, & mulieres heredes nobiles, quæ munitiones habent vel castra, inimicis fidei & pacis scienter non nubant. Quod si fecerint, castra ipsa & munitiones a terrarum dominis occupentur: ad heredes tamē ipsarū legitime reversura.

XLIII. *Ut nullus iudex a litigantibus quicquam quovis prætextu exigat.*

Nullus omnino judex occasione expensarum, seu prætextu alicuius consuetudinis, pro iustitia exhibenda aliquid a litigantibus exigere vel extorquere præsumat: sed gratis omnibus iustitia exhibeatur, postposita gratia, odio, vel timore.

XLIV. *Ut curia det pauperibus advocatum.*

Si autem aliqui pauperes sint, aut pro paupertate advocatum habere non possint, det ipsis curia advocatum, si causa indiguerit advocato.

XLV. *Ut hæc statuta quater in anno parochianis exponantur.*

Hæc autem statuta præcipimus per parochiales presbyteros parochianis diligenter exponi quater in anno, in Dominicis videlicet diebus, quæ ieiunia quatuor temporum proxime subsequuntur.

ANNO CHRISTI 1229.

** CONCILIUM ARAUSICANUM,

DE POENITENTIIS CONTRA SUSPECTOS de hæresi Albigensi, a Romano S. Angeli diacono Card. S.A.L. ann. MCCXXIX. celebratum.

GUillelmus de Podio Laurentii ad ann. MCCXXIX. Legatus, *inquit*, Aurasiæ civitate Cisalpina cum archiepiscopis, & episcopis, & prælatis, suum concilium celebravit: & litteras pœnitentiarum quas ordinaverat contra suspectos, quos Tolosæ per inquisitionem invenerat, remisit episcopo Tolosano de castro Mornais ubi erat. Quas episcopus Tolosanus reversus, vocatis eis in ecclesia S. Iacobi publicavit. Legatus autem repetens Romam, secum totam inquisitionem asportavit: ne forte, si aliquando inventa fuisset in terra ista a malevolis, in mortem testium, qui contra tales deposuerant, redundaret.

ANNO CHRISTI 1229.

** CONCILIUM TURIASONENSE IN ARAGONIA.

De dissolvendo Iacobi regis & Eleonoræ matrimonio III. Kal. Mai. anno Dom. MCCXXIX.

HOc concilium Baronii continuator Spondanus, *sic describit ex rerum Hispanicarum scriptoribus, ad annum MCCXXIX.* Hoc item anno, *inquit*, Ioannes monachus Cluniacensis, natione Gallus, ex diœcesi Ambianensi, nobili familia Halgrina, ex archiepiscopo Bisuntino doctrina & virtutibus claro creatus a Gregorio papa cardinalis episcopus Sabinensis, & sedis apostolicæ legatus in Hispanias missus, concilio Turiasonense in regno Aragoniæ, sub finem mensis Aprilis celebrato (cui interfuerunt Toletanus & Tarraconensis archiepiscopi, aliique episcopi) causa cognita coniugii Iacobi Aragoniæ regis, quod octo ante annis tenera admodum & impotenti adhuc ætate cum Leonora matertera Ferdinandi Castellæ regis natu multo grandiori inierat, autoritate apostolica dissolvit, ob propinquitatem cognationis, cujus nulla facta gratia fuerat: sive id expetente rege tædio hujusmodi nuptiarum, sive non nolente, sane nequaquam contradicente, nisi quod cavit de legitimitate Alfonsi pueri, quem ex Leonora, bona utriusque parentis fide, susceperat, & in spem successionis educabat. Sicque secundum regis voluntatem pronunciatum est, locum esse divortio, eoque non obstante Alfonsum verum esse ac legitimum patris successorem: ac Leonora ad suos remissa, oppidis dotalibus quæ in Aragonia habebat retentis, multaque supellectile, auro, gemmis, ac veste preciosa secum asportata. Narrant hæc pluribus Surita, Gomesius, Mariana, & alii rerum Aragonicarum & Hispanicarum scriptores. Cumque nihilo minus, post aliquot annos nonnulli prædictum Alfonsum in periculum successionis adducere vellent: Gregorius pontifex sententiam legati cõfirmans, eundem Alfonsum autoritate apostolica legitimum esse ac regnandi capacem, semel iterumque declaravit, eo quod natus Iacobo fuisset, cum bona fide legitimum illud matrimonium ab omnibus credebatur. *Hactenus Spondanus.*

Hoc autẽ habet peculiare Hieronymus Surita in Indicibus rerũ Aragon. quod exhibeat & orationem qua Alfonsi filii natales asseri rex Iacobus petiit, & instrumentum quo synodus concessit. Sic enim ille ad hunc annum. Cum filium, *inquit*, ex ea rex bona fide suscepisset, antequam legatus sententiam ferret: regẽ conceptis verbis, hac formula expressa atque constituta, ne a me ejus verba invertantur, ita præfatum comperio. Vobis, domine legate, & omnibus archiepiscopis, & aliis ecclesiasticis personis, qui hic assistunt, necnon & nobilibus & popularibus innotescat, quod nos

A carissimæ uxori nostræ Alienor per ecclesiam conjuncti fuimus: & credidimus nos eidem legitime fuisse conjunctos: & ex ea suscepimus carissimũ filium nostrum dominum Alfonsum, quem nos arbitrantes legitimum, heredem & successorem regni nostri jampridem constituimus: & a vassallis & nobilibus regni nostri eidem fecimus jurari & assecurari regnum nostrum. Nunc autem coram vobis constituti, & nescientes quid super nostra conjunctione decernere proponatis, in præsentia vestra & omnium assistentium, quod de supradicto filio nostro, sicut prædictum est, fecimus, confirmamus: & si legitimatione indigere aliquatenus videatur, nos autoritate & potestate regia legitimamus ad omnia, ad quæ legitimari potest autoritate regia: & heredem, & successorem regni nostri constituimus & declaramus: & præcipimus quod sicut ei juratum est regnum, tanquam verus heres, post
B nos ab omnibus vassallis nostris, & a toto regno in dominum recipiatur & regem. Petimus quoque a vobis & supplicamus, domine legate, & ab omnibus archiepiscopis qui hic præsentes sunt: ut hoc factum nostrũ litterarum vestrarum testimonio roboretis.

Nos igitur, inquit legatus, ad instantiã prædicti regis, præsentibus annotari fecimus in testimoniũ veritatis. Hæc autem acta sunt præsentibus domino R. Toletano archiepiscopo, domino S. archiepiscopo Tarraconensi, & venerabilibus patribus Burgen. Calagurritanen. Segovien. Seguntinen. Oxomen. Ilerdensi, Oscen. Tirasonen. & Bajonen. episcopis. Apud Tirasonam III. Kal. Maii, anno Domini MCCXXIX.

ANNO CHRISTI 1231.

C ** CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII

A Turonensi archiepiscopo & suffraganeis celebratũ anno Domini MCCXXXI.

TITULI CAPITULORUM.

ANNO CHRISTI 1231.

CAPITVLA.

I. *De matrimoniis clandestinis.*

NOs intimo mentis desiderio corrigere cupientes ea, quæ correctione legitima circa personas ecclesiasticas infra B Turonensem provinciam novimus indigere: convocatis nostris provincialibus, & aliis ecclesiasticis personis iurisdictionem habentibus, apud Castrum Gonterii: statuimus ut prælati cum maturitate & consilio peritorum procedant, & quod matrimonia clam contracta " nullatenus sustineant timore vel amore; sed ad illa dirimenda, omni dilatione & excusatione exclusis, procedant.

" *al.* tractata

II. *Ne archipresbyteri de causis matrimonialibus cognoscant.*

C

Inhibemus ne archipresbyteri vel rurales decani, autoritate propria de causis matrimonii de cætero cognoscant.

III. *De modo instituendi rectores ecclesiarum, & de iuramento ipsorum.*

Statuimus etiam ut personæ ecclesiasticæ in ecclesiis parochialibus instituendæ, cum sequenti solemnitate instituantur. Primo vacante ecclesia infra tempus a jure statutũ, instituendus a patrono clerico vel laïco, archidiacono vel rurali decano præsentetur, D & postea diœcesano, vel alii jus episcopale habenti: qui antequam tradat instituendæ personæ curam animarum, ab eadem prius recipiat juramentum quod nihil promisit, vel dedit, nec alius pro eo quod sciat, pro illo beneficio obtinendo: & si sciret quod aliquid esset datum vel promissum, dimitteret. His expletis diœcesanus, vel alius jus episcopale habens, tradat eidem curam animarum, si alias idoneus habeatur: qua tradita, iterum jurabit quod diœcesano, & aliis magistris suis obediens erit, & ad mandatum suum se faciet ordinari, & jura ecclesiæ defendet, & alienata revocabit bo- E na fide. Et si ista forma fuit omissa, institutio fiat irrita, & ecclesia pro vacante habeatur.

IV. *De residentia rectorum.*

Item statuimus quod diœcesani compellant omnes clericos ecclesias habentes, quibus est cura animarum annexa, quod A ipsi deserviant in eis personaliter in ordine competenti: nisi cum quibus episcopi duxerint ex causa rationabili & evidenti dispensandum.

V. *De capellano ecclesiæ ad firmam traditæ.*

Item si aliqua necessitate contingat, quod aliqua ecclesia alicui tradatur ad firmam, talis portio fructuum ecclesiæ reservetur capellano, quod ex eo valeat sustentari.

VI. *Vt statuatur numerus canonicorum.*

Item statuimus quod ubi non est certus numerus canonicorum, statuatur: ne fiat ecclesiarum sectio, vel præbendarum, sed cum integritate conferantur.

VII. *Ne quis instituatur in cathedrali ad vacaturam.*

Nec aliquis de cætero in ecclesia cathedrali instituatur ad vacaturam præbendam: etiam instituti, ne spe sua defraudentur, primo vacaturas obtineant. Et si contra hoc factum fuerit, id decernimus non tenere.

VIII. *Vt consuetudines cathedralium redigantur in scriptis.*

Insuper præcipimus ut consuetudines cathedralium ecclesiarum redigantur in scriptis, ne valeant ignorari.

IX. *De pœna participantium cum excommunicatis.*

Statuimus ut injungatur sacerdotibus, ut si viderint aliquem communicantem cum excommunicatis in domo, vel mensa, vel commerciis, vel fabulando, ipsum moneant ut desistat: & si desistere noluerit, monitus ab ingressu ecclesiæ arceatur: nec possit, nisi per diœcesanum, vel ejus mandatum, interdicti sententia relaxari.

X. *Ne fiant excommunicationes in generali.*

Item omnes tam ordinarii, quam delegati, a generalibus excommunicationibus se temperent, & refrænent: nec participantes cum excommunicatis in generali sententia excommunicationis percellant.

XI. *Ne clericus se tributarium faciat personæ sæculari.*

Præcipimus ne quis sacerdos, vel aliqua alia ecclesiastica persona, sæcularibus personis tributarium se constituat. Et si fecerit, a diœcesano ab officio & beneficio suspendatur: nec prius relaxetur sententia, nisi soluta marcha argenti, fabricæ cathedralis ecclesiæ deputanda.

XII.

ANNO CHRISTI 1231.

XII. *Ne archidiaconi & inferiores prælati, extra ciuitatem officiales habeant.*

Item ne archidiaconi, archipresbyteri, & alii iurisdictionem ecclesiasticam habentes, extra civitatem officiales habeant: sed extra civitatem in personis propriis officium suum fideliter expleant. Et si aliquis processus fuerit coram talibus officialibus habitus, quod fieri prohibemus, illum decernimus non tenere.

XIII. *De procurationibus.*

Inhibemus etiam ne prælati, & alii iurisdictionem habentes, in pecunia numerata procurationes accipiant contra statuta concilii generalis.

XIV. *Ne prælati a firmariis pecuniam exigant.*

Item cum a radice cupiditatis procedat, quod prælati ecclesiarum a firmariis ponendis in ecclesiis pecuniam exigant aut extorqueant, prohibemus ne de cætero fiat. Et si quis contra hoc venire præsumpserit, & de hoc constare poterit, duplum extortæ pecuniæ restituere matrici ecclesiæ compellatur.

XV. *De pœna patroni illiteratum præsentantis.*

Item accidit interdum, quod patroni ecclesiarum tam clerici, quam laïci, præsentant illitteratos ad regimen animarum: quod fieri prohibemus. Et si quis patronus contra hanc inhibitionem venire præsumpserit, iure careat præsentandi illa vice.

XVI. *Ne ecclesia conferatur ignoranti linguam loci.*

Item prohibemus ne quis instituatur in aliqua ecclesia, cui sit cura animarum annexa, nisi loci illius loquatur & intelligat idioma: & si contra præsumptum fuerit; & institutus privetur beneficio, & instituentes potestate instituendi careant illa vice.

XVII. *Ne tutela vel cura minorum vendatur.*

Item quia in aliquibus partibus provinciæ, abutuntur vendendo tutelas, vel curas minorum, in enorme præiudicium pupillorum, hoc fieri prohibemus, nisi per se, vel per idoneas personas tutelas vel curas gerant, & minoribus de proventibus necessaria subministrent.

XVIII. *De executione officii sacerdotis.*

Item præcipimus quod nullus sacerdos recipiatur ad executionem ordinis sui sine licentia episcopi sui, vel nisi alias constet de canonica ordinatione ipsius.

A

XIX. *Ne laïci clericis actiones cedant.*

Item quia per excogitatam malitiam laïci cedunt actiones suas clericis, ut iurisdictio sæcularis ad iurisdictionem ecclesiasticam transferatur: hoc fieri prohibemus, nisi in casibus a iure concessis. Et si contra factum fuerit, clericus ab agendo repellatur. Et sub pœna eadem prohibemus, ne actiones vendantur.

XX. *De clericis delinquentibus puniendis.*

B Item ne facilitas veniæ delinquendi præbeat incrementum: præcipimus, quod clerici in enormi delicto deprehensi, reddantur diœcesano. Et si convicti fuerint vel confessi coram eodem de crimine, & tale fuerit delictum propter quod debeant degradari ab episcopo, degradentur. Et si postea incorrigibiles apparuerint, ab ecclesia nullatenus defendantur.

XXI. *De Goliardis.*

Item in concilio provinciali statuimus quod clerici ribaldi, maxime qui Goliardi C nuncupantur, per episcopos & alios ecclesiæ prælatos, præcipiantur tonderi vel etiam radi: ita quod non remaneat in eis clericalis tonsura: ita tamen quod ista sine scandalo, & periculo fiant.

XXII. *De crucesignatis enormis delicti reis.*

Statuimus etiam quod crucesignati, homicidio, vel alio enormi delicto deprehensi, vel alias coram judice ecclesiastico convicti legitime, signo crucis & aliis pri- D vilegiis, tunc crucesignatis competentibus, per judicem ecclesiasticum exuantur. Si autem alias inventi fuerint delinquentes, secundum quantitatem criminis a iudice ecclesiastico puniantur.

XXIII. *De tyrannis qui per viles personas ecclesiasticorum bona deprædantur.*

Item quia nonnulli tyranni, per viles & abiectas personas quæ non sunt solvendo, ecclesiasticas personas capiunt & redi- E munt, & bona ipsorum & hominum suorum deprædari faciunt & comburi, sic tacite faciendo ne videantur fecisse: statuimus ut ipsis tyrannis, si de hoc suspecti fuerint, vel diffamati, eisdem a diœcesano episcopo purgatio indicetur, quam si subire noluerint, vel si purgari non possint, pro convictis habeantur; & iuramento passorum damna cum taxatione iudicis credatur.

XXIV. *De silentio & signis monachorum.*

Circa religiosos autoritate provincialis concilii duximus statuendum, quod silentium obseruent. Et abbates provideant

ANNO CHRISTI 1231.

Loquebantur monachi per signa, ne silentium violarent: erātque varia constituta, quibus res varias exprimerent.

quod monachi sibi subditi sciant *signa facere. Et omnes religiosi, cujuslibet sint ordinis, vestibus & calceamentis suo ordini competentibus, quantum potest fieri, vniformibus utantur. Et si abbas vel abbatissa hoc incorrectum dimiserint, superioris arbitrio puniantur. A

XXV. *De monachis quindecim annorum.*

Item monachi qui non attingunt quindecim annos, in prioratibus, nisi conuentualibus, nullatenus ponantur.

XXVI. *Ne monachi proprium habeant.*

B Item inhibemus, ne monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant sub alio colore aliquam possessionem, vel aliquam proprietatem, etiam de licentia abbatum; cum licentia abbatis in hoc eis non valeat suffragari. Quod si abbates contra nostram prohibitionem fecerint, per superiorem grauissime puniantur.

XXVII. *De esu carnium, quod ad regulares attinet.*

C Item præcipimus quod monachi & alii religiosi regularem observantiam quantum ad esum carnium observent.

XXVIII. *Ne abbas sine monacho, monachus sine famulo.*

Item præcipimus ne abbas sine monacho, nec monachus sine famulo audeant equitare.

XXIX. *Ne monachi sint solitarij.*

Item ne monachi solitarii sint in prioratibus, sed de duobus solitariis fiat prioratus: D vel ad monasteria redigantur, in quibus expleant illud officium quod pro patronis in locis solitariis facere tenebantur. Et per diœcesanum, patroni ut in hoc consentiant, propter mala quæ inde proveniunt, efficaciter inducantur.

XXX. *De usurariis.*

Item, cum sit detestabile vitium usurarum: præcipimus quod sacerdotes parochiales singulis diebus Dominicis sub pœna excommunicationis inhibeant in ecclesiis suis, ne quis per se, vel interpositam personam, usuras exercere præsumat. Et si aliquis super hoc suspectus fuerit aut inventus, compellatur usuras publice abjurare: & post abjurationem, si super hoc fuerit diffamatus, purgatio eidem super hoc indicatur. Quod si in purgatione defecerit, fidelium communione privetur: donec sic extorta restituerit, & ecclesiæ satisfecerit. Et si ita decesserit, ecclesiastica careat sepultura. E

XXXI. *De Iudæis.*

ANNO CHRISTI 1231.

Item districtius inhibemus ne Iudæi efficiantur bailivi, nec eis contra fideles aliqua districtio committatur. Et si contra hoc factum fuerit, delinquentes ad desistendum per censuram ecclesiasticam compellantur.

XXXII. *Iterum de Iudæis.*

Coërceantur etiam Iudæi, ne quid faciant, vel dicant in contemptum fidei Christianæ, & blasphemiam Salvatoris. Et si contra hoc factum fuerit, & coram judice ecclesiastico convicti fuerint, vel confessi: quousque ecclesiæ satisfecerint competenter, a fidelium communione priventur.

XXXIII. *Ne testimonia Iudæorum contra Christianos admittantur.*

Quia novimus quod de testimoniis Iudæorum contra Christianos proveniunt multa mala: prohibemus districtius, ne testimonia Iudæorum contra Christianos admittantur de cætero. Et judex sæcularis per diœcesanum ad statutum hujusmodi observandum per censuram ecclesiasticam compellatur.

XXXIV. *De sponsalibus, & matrimonialibus.*

Quia vero per matrimonia clam contracta, multa pericula & incommoda semper evenire contingit: sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus, ne qui de cætero contrahant per verba de præsenti, nisi prius banna in ecclesia more solito præmittantur. Contracturi tamen, vel præsentes matrimonium proloquentes, per arras sponsalitias, vel alias solicite taliter poterunt obligari, quod compelli poterunt, si ecclesia consensit, ad matrimonium in facie ecclesiæ consummandum. Quod si contra præscriptum modum factum fuerit: tam heredes, quam illi quorum consilio id fuerit attentatum, præstent emendam, quam superior duxerit inducendam.

XXXV. *De juramento iudicum.*

Autoritate concilii prouincialis duximus statuendum, quod officiales, & alii demandatam jurisdictionem habentes, in institutione sua jurent, quod turpia munera non recipiant, & quod causas bona fide audient & decident.

XXXVI. *De juramento advocatorum.*

Item advocati qui de consuetudine salarium receperint: nisi jurati, de cætero nullatenus admittantur. Forma juramenti talis existat. Quod non fovebunt injustas causas scienter, neque proponent dilatorias, vel peremptorias malitiose per calumniæ, vel

ANNO CHRISTI 1231.

de veritate dicenda, sacramentum: neque instruent partem suam ad respondendum vel proponendum malitiose, nec post publicatas attestationes; vel in quacunque parte litis: neque ante juramentum testes subornabunt, vel facient subornari: neque permittent quod pars sua falsos testes producat; & si hoc sciverint, curiæ revelabunt: & quod in memoriis faciendis convenient bona fide, nec recedent a curia malitiose, donec memoriale sit confectum; & coram judice concessum: & quod partes quam citius poterunt, expedient bona fide: nec onerabunt judicem interlocutoriis; credentes ipsos succumbere in eisdem: & quod honorem servabunt curiæ, nec aliquam falsitatem in curia perpetrabunt.

XXXVII. *Ut pareatur statutis concilii Vallis Guidonis.*

Præcipimus quod concilium quod apud Vallem Guidonis provida fuit deliberatione statutum, inviolabiliter observetur.

Actum apud Castrum Gonterii anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo primo.

ANNO CHRISTI 1232.

*** CONCILIA QUÆDAM IN CAUSA MILONIS EPISCOPI BELLOVACENSIS,

Apud S. Quintinum, Noviomi, Lauduni, celebrata an. MCCXXXII. & MCCXXXIII.

SPondanus *Baronianæ continuationis tomo I. ad annum MCCXXXI.* Hoc, *inquit*, anno celebratum est concilium provinciæ Remensis apud S. Quintinum Veromanduæ ab Henrico de Branna archiepiscopo, in causa episcopi Belvacensis: cujus jura rex Ludovicus, seu ejus ministri usurpaverant, & damna non pauca tam ipsi, quam incolis Belvacensibus intulerant. Pro quo patres concilii nonnullos episcopos ad regem destinarunt rogatum, ut episcopum in integrum restitueret. *Quæ profitetur Spondanus a se petita ex schedis quibusdam sibi a Sirmondo nostro communicatis. Addit Hemeræus in Augusta Veromanduorum*: Statutum fuisse, ut, nisi satisfactum esset vexati præsulis petitioni, intra XL. dies, interdicti per diœcesim suam publicandi facultas oppresso præsuli, concilii autoritate concederetur, & eo ad episcopos rescribente de interdicto per episcopatum suum promulgato, simili quoque cessatione res sacras per suas illi diœceses suspenderent; prius tamen vel episcopi, vel ipse Remorum archipræsul, regem ad procurandam reparationem jacturarum, quas tulisset Milo de Nantolio Bellovacensis præsul, altera postulatione supplicationeque adhortarentur.

G. C. Quod autem anno MCCXXXI. hoc concilium assignent tum Spondanus, tum Hemeræus, parum probabile videtur: cum in instrumento inquisitionis hac de re factæ anno MCCXXXV. editæ a Louvetio in histor. Bellovac testes omnes dicant seditionem Bellovacensem, quæ occasionem his conciliis præbuit, accidisse anno MCCXXXII. Qui conciliari ista possunt? Neutiquam certe, nisi dicamus, alios secutos esse Romanam anni rationem, alios Gallicanam: In Galliis enim (ubi annorum initium ducebatur a festo Incarnationis, aut Paschæ) adhuc labebatur annus MCCXXXI tempore hujus concilii, quod celebratum esse oportuit post paulo quam Bellovacum Rex ingressus est, ut a seditiosis pœnas repeteret: quod pridie Purificationis B. Virginis factum esse, discimus ex inquisitione cujus ante mentionem feci.

Aliud mirari subit, quod in illa inquisitione, nulla sit mentio Quintinopolitani hujus concilii, in qua tamen, accurata & minutissima omnium narratio fit a testibus: sed statim a Noviomensi ducatur initium. Hinc suspectum mihi haberetur primum istud hac in causa concilium, nisi Sirmondinarum schedarum ex Remensi tabulario excerptarum fide muniretur.

ANNO CHRISTI 1232.

In inquisitione supra memorata, habetur Noviomensis concilii descriptio, in octavi testis responsione, hæc in verba: Petrus archidiaconus dicit, &c. Item fuit præsens apud Novionum in concilio provinciali congregato anno Domini MCCXXXII. prima septimana quadragesimæ: ubi episcopus proposuit querimoniam de domino rege super injuriis quas ei intulerat & inferri fecerat, in hunc modum per officialem suum. Vobis, sancti patres, significat episcopus vester Belvacensis, quod cum justitia & jurisdictio villæ Belvacensis ad episcopum pertineat, & causam habeat in singulos & omnes de Belvaco, & ea fuerit usus ipse, & prædecessores sui, pacifice: dominus rex per occasionem cujusdam forefacti sibi commissi, venit ad villam Belvacensem cum armis & communiis plurimis, & post supplicationes & admonitiones ab episcopo sibi factas, bannum suum in villa sua fecit proclamari, homines capi, domos dirui usque ad mille quinquentas, alios ebannivit. Et in recessu suo cum peteret ab episcopo pro procurationibus quinque dierum octoginta libras Parisienses: dixit episcopus, quod res insolita & nova petebatur, brevem diem petens a domino rege, ut deliberaret super hæc cum capitulo suo. Attamen dominus rex ullam diem noluit illi dare, sed omnia pertinentia ad domum episcopi saisivit, & sic recessit, custodibus in villa & domibus episcopi relictis. Quare petit a sancta synodo consilium & auxilium impertiri sibi & ecclesiæ. Postmodum exivit episcopus cum consilio. Et concilium, deliberato consilio, ordinavit mittere tres episcopos, scilicet Suessionensem, Laudunensem, & Catalaunensem, ad inquirendum de injuriis, quas dicebat episcopus sibi esse illatas, ut postea dictum est illi. Et vidit litteras archiepiscopi & episcoporum, in quibus continebatur, quod illi tres inquirerent autoritate concilii, de justitia ecclesiæ Belvacensis Et illi tres venerunt Belvacum, & denunciaverūt episcopo Belvacensi, & illis qui ex parte domini regis; quod venerant ad inquirendum ex parte concilii, de justitia ecclesiæ Belvacensis, & injuriis quas dominus episcopus sibi inferri dicebat: & dicti episcopi inquisiverunt. *Hæc de Noviomensi concilio testis octavus in illa inquisitione. Primus autem testis ait, decretum fuisse a concilio, non ut statim irent Bellovacū episcopi illi tres inquisituri: sed*, mitterentur ad regem, ut monerent eum ex parte concilii, quod hoc emendaret: & si non emendaret, ipsi tres episcopi accederent ad villam Belvacensem ad inquisitionem faciendam. *De injuriis autem quas sibi factas episcopus conquestus est in concilio, hoc addit tertius testis*: Quod duo servientes regii, Durandus de Senonensi, & Christianus Parisiensis, remanserunt in domo episcopi, & saisiverunt domum & vina, & recipiebant reditum episcopi: & fecit Petrus de Halla vendi vina; & quando episcopus veniebat Belvacum, manebat in domo thesaurarii.

Côcil. Noviom 1232.

Pergit inquisitio. Fuit etiam præsens idem testis (*octavus*) in septimana ante Ramos palmarum, apud Laudunum, ubi congregatum concilium erat: & ibi relata fuit inquisitio: *facta scilicet Belvovaci a tribus episcopis. Primus autem testis*: Inquisitione, *inquit*, facta retulerunt eam ad concilium quod indictū erat. Et ibi ordinatum fuit, quod iterum moneretur rex, & iterum. Et scit quod tunc archiepiscopus & episcopi venerunt ad regem monendum, & scit quod bis monitus fuit. *Episcopos ad regem missos nominat Spondanus ex Sirmondinis schedis*, Gothofridum Laudunensem, Gothofridum Cameracensem, Azonem Atrebatensem.

Concil. Laudunense. 1232.

Eodem

ANNO CHRISTI 1232. Concil. S Quintin 1232.

Eodem anno, *inquit Hemeraus*, Henricus archipræsul convocat suffraganeos eodem loci (*apud S. Quintinum, ubi prius habitam eodem anno synodum ait*) tertio concilio celebrando die sabbati ante Nativitatem B. Mariæ virginis, quo constitutum interdictum est, conspirantibus omnium animis in eam voluntatem, ut sociatis affectibus & auxiliis, commune negotium promoveretur. *Henricus Spondanus Sabbato, non ante Nativitatem B. Virginis, sed post eandem assignat hoc concilium: ubi* promiserunt *ait*, inter se, & sese, ut loquuntur acta, obligaverunt pro honore Dei & ecclesiarum libertatibus cōservandis, ad hoc quod irent omnes Romā in propriis personis, si archiepiscopo videretur expedire, vel illi quos ad hoc eligeret; vel ipsemet archiepiscopus, si episcopis expediens videretur: & qui irent, expensas facerent de communi omnium. Sed capitula, *inquit ibidem Hemeraus*, suis episcopis obmurmuravere, questa se ad synodos non vocata, palamque vociferata nullius autoritatis & virium futuras sanctiones, quas de cessatione Divinorum per Remensem provinciam promulganda, ne quidem invitatis summonitisque capitulis, episcopi statuissent. Eaque in obnunciatione palma constantis & imperterriti animi, vel etiam ad episcoporum minas, M. Simoni de Arceia decano Ambianensi tributa est. Hac occasione captata, rescripsit Ludovicus ad eadem capitula de interdicto non admittendo. Factumque ut querimoniæ capitulorum augescentes, materiam præbuerint quarto concilio Sanquintini congregando ad diem Dominicam ante natalem Domini ejusdem anni. Cujus autoritati nemo ut in posterum adversaretur, visum est ad illud quoque capitula cathedralium ecclesiarum evocanda. Ista autem synodo, suadente eodem decano, revocatum interdictum est, cui provinciam Remensem episcopi capitulis inconsultis subdidissent: conclusumque, nihil deinceps ab episcopis statui decernique posse, sine consensu capitulorum eorumdem: haberique eam ob causam subventaneas & irritas sanctiones præcedentium synodorum, quas nullo suo suffragio capitula probavissent. His indignatum frementemque Milonem, & acerba oratione in obnunciatores incursantem, Petrus de Collemedio præpositus Audomarensis flexit oratione.

S. Quintin. eod. an.

Hac de re octavus testis, in inquisitione de qua supra sum locutus: Item fuit præsens, *inquit*, apud S. Quintinum in concilio ibidem aggregato ante natale Domini, ubi episcopus Belvacensis eadem Dominica tertia, hora vespertina, quia intellexit quod interdictum positum pro ecclesia Belvacensi idem archiepiscopus relaxare volebat, appellavit ne dictum interdictum, quod pro se & ecclesia sua fuerat positum, nulla sibi facta satisfactione relaxaretur. Et hæc appellatio facta fuit in concilio coram archiepiscopo, & episcopis Silvanectensi, Cameracensi, Tornacensi, Atrebatensi, Morinensi, & aliis: exceptis Laudunensi & Noviomensi.

In sequenti die Lunæ vel die Martis fuerunt congregati omnes episcopi, & capitula: & surrexit M. Simon de Arceia, & proposuit ex parte capitulorum, ut dicebat, in pleno concilio prædictas causas (*quarum præcipua erat, quod capitula vocata non essent*) & quasdam alias, inter quas fuit, quod negotium Belvacense tempore mandati facti ab archiepiscopo de ponendo interdicto, relatum fuit ad curiam: & dicebat quod archiepiscopus in concilium ulterius se intromittere non debebat.

Item fuit præsens, ubi dominus Suessionensis ex parte domini archiepiscopi & episcoporum qui erant de concilio, post appellationem episcopi relaxarunt interdictum positum pro ecclesia Belvacensi. Et hoc factum fuit die Lunæ vel Martis post Dominicam ante natale Domini, MCCXXXIII. Et die Dominica præcedenti appellavit idem episcopus.

ANNO CHRISTI 1232.

Item dicit quod appellavit Simon de Arceia pro capitulis cathedralium ecclesiarum provinciæ Remensis, apud S. Quintinum, ubi erat concilium provinciale congregatum die Dominica proxima ante festum natalis Domini: ubi suffraganei archiepiscopi Remensis, exceptis archiepiscopo, episcopo Suessionensi, & Cameracensi, dixerunt quod male posuerant interdictum in suas diœceses: & melius volebant revocare per se, quam revocaretur per superiorem. Et episcopus Catalaunensis pro se ac pro aliis dixit, quod ipsi revocarent interdictum: & ne archiepiscopus nomine suo, vel autoritate concilii, in aliqua re contra eos procederet, appellabat pro se ac pro aliis ad dominum papam.

Post hæc verba ex parte domini episcopi Belvacensis fuit propositum sic: Domine archiepiscope, vos » scitis quod autoritate concilii vos & suffraganei ve- » stri posuistis interdictum in vestras diœceses pro in- » juriis ecclesiæ Belvacensi irrogatis: de quibus in nullo » adhuc satisfactum est. Et bene scitis quod mea interest » ne revocetur ante satisfactionem. Et quia de consensu » vestro & suffraganeorum vestrorum fuit positum: ap- » pello, ne revocetur, ad dominum papam, me & eccle- » siam meam & processum meum protectioni domini » papæ supponens. *Quæ appellatio non prohibuit, ut ante vidisti, quin solveretur interdictum.*

" ** CONVENTUS MELODUNENSIS ANNI MCCXXXII.

ANNO CHRISTI 1232.

In quo expostulatum cum comite Tolosano de pace Parisiensi anni MCCXXVIII. male observata.

Conventum hunc nobis indicat Guillelmus de Podio Laurentii ad ann. MCCXXXII. Habens, *inquit*, comes quandoque latera Aquilonis circa se, idem ex calido reddebatur tepidus & remissus, ut minus inveniretur fervens in negotio pacis & fidei prosequendo. Super quo dictus legatus, vocatis secum venerabili archiepiscopo Narbonensi, & quibusdam suis episcopis suffraganeis, ipsum vocatum a rege coram eo convenit super pluribus articulis in pace Parisiensi expressis, minus vere, sicut decuerat atque debuerat, observatis. Fuitque ordinatum finaliter, quod idem comes omnia emendaret ad cognitionem episcopi Tolosani, & unius militis, quem Rex ad hæc tractanda & agenda cum eodem episcopo destinaret. Solutoque colloquio apud Melodunum habito, episcopus præveniens, reformationis articulos ordinavit: missusque est post eum dominus Ægidius de Flagiaco, miles providus & discretus: qui in veniendo transivit per Provinciam, visurus mandato regis primogenitam comitis, futuram conjugem ipsius regis. Et cum venisset Tolosam, expositi sunt omnes articuli comiti Tolosano, ex quibus comes formavit statuta sua, & ea in præsentia legati & plurium, in claustro S. Stephani Tolosæ in communi colloquio publicavit. Et hæc " acta sunt anno Domini MCCXXXIII. *Statutorum autem istorum exemplum subiicio.*

" *nimirum hæc statuta, eorumque publicatio.*

STATUTA

Anno Christi 1233.

** STATUTA

RAIMUNDI COMITIS TOLOS.

Super hæresi Albigensi, & aliis capitibus, promulgata anno Dom. MCCXXXIII.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ad exaltationem fidei Christianæ, & ad extirpandam hæreticam pravitatem, & ad conservationem pacis, & ad bonum statum totius terræ conservandum, & in melius reformandum. Nos Raimundus Dei gratia comes Tolosæ, de consilio & assensu episcoporum, & aliorum prælatorum, comitum & baronum, militum & plurium aliorum virorum prudentum terræ nostræ, B matura deliberatione habita, & diligenti studio præcedente, hæc statuta salubria in terra nostrorum duximus ordinanda: cum sit de nostro firmo proposito, ut terram nostram, & subditorum nostrorum, purgemus hæretica pravitate, & ad hoc tam curiose quam fideliter intendere proponamus.

Statuimus, ut in persequendis, inquirendis, capiendis, & puniendis hæreticis, omnes barones, milites, bailivi, & cæteri homines nostri, curam vigilem, & sollicitudinem adhibeant diligenter sicut a nobis pace facta Parisius est promissum.

Item statuimus, ut sine dilatione fiat legitima inquisitio contra illos qui persecutores hæreticorum interfecerunt, vel forte, quod absit, interficient in futurum: C & contra omnes villas & homines terræ nostræ de nostro districtu, qui illorum interfectioni consenserunt, vel forte consentirent in futuram. De omnibus illis tam hominibus quam villis debita justitia fiat, & hoc tam per nos quam per barones & bajulos nostros volumus fideliter observari.

Item statuimus, quod ubicumque in terra nostra seu districtu nostro hæretici inventi fuerint, in civitatibus, castris & villis intus, vel extra in tenementis, homines illius civitatis, villę seu castri, in qua, vel in quo, vel in cujus tenemento inventi fuerint, solvant marchas illis, qui hæreticos ceperint; scilicet pro singulis hæreticis marcham unam.

Item statuimus, quod seneschalli vel bailivi suspecti D in fide non instituantur: & si forte eos constitui contigerit, sine dilatione removeantur.

Item statuimus, quod omnes domos in quibus, a tempore pacis factæ Parisius, hæreticus inventus fuerit, vivus, vel sepultus, sciente & consentiente domino domus, existente legitimæ ætatis, vel in eis prædicaverit, diruantur: & bona omnia tunc ibidem inhabitantium confiscentur, nisi suam innocentiam & justam ignorantiam probare potuerint manifeste: in ipsis inhabitantes capiantur, pœna legitima puniendi: & omnes cabanæ suspectæ a communi habitatione castrorum remotæ, & speluncæ inforciatæ, & clusella in locis suspectis & diffamatis destruantur vel obturentur. Nullusque de cætero in prædictis locis audeat tales facere mansiones, aut in eisdem habitare; in qui- E bus si quis fuerit deprehensus post edictum nostrum, omnia ipsius bona mobilia confiscentur; domini vero castrorum, in quorum dominio post edictum nostrum tales mansiones contigerit inveniri, in viginti quinque libris Tolosanis puniantur.

Item statuimus, quod omnes hereditates eorum qui hæreticos se fecerunt, vel facient in futurum, confiscentur & occupentur: sic quod ad liberos eorum vel ad alios successores qui ab intestato eis deberent succedere, si fuissent orthodoxæ fidei, per venditionem aut donationem, aut alio modo, bona prædicta non valeant pervenire. Et si talibus prædicta bona A reddita fuerint, vel ab eisdem aliter detineantur, ab ipsis penitus auferantur. Domus autem illorum qui a tempore dictæ pacis hæretici facti sunt, vel de cætero fient, quas ipsi eo tempore inhabitabunt, sine omni misericordia destruantur.

Item statuimus, quod omnes qui villas vel domos, vel clusella, vel nemora, inquisitoribus hæreticorum prohibuerint, vel hæreticos inventos defenderint, vel captos abstulerint, vel ipsis inquisitoribus auxilium in capiendis hæreticis præstare noluerint, cum inde ab ipsis super his fuerint requisiti, vel clamantibus non succurrerint, vel in custodiendis quos receperint, auxilium non ministraverint postulatum, aut in commenda sua receptos abire permiserint, maxime si fuerint de hæresi suspecti: tales qui potestatem habent custodiendi, per omnium bonorum suorum confiscationem puniantur. Et nihilominus personæ eorum aliis pœnis legitimis subjiciantur.

Item statuimus, quod si qui de hæresi suspecti fuerint inventi, jurent pacem & fidem catholicam, omnem hæresim abjurantes. Et si fidem catholicam jurare noluerint, & hæresim abjurare, pœna contra hæreticos edita puniantur: si vero, post sacramentum præstitum, receptores, fautores, consiliatores hæreticorum, vel in aliquo cum ipsis participantes inventi fuerint, pœna simili puniantur.

Item statuimus, quod si quis post mortem detectus fuerit fuisse hæreticus, & coram episcopo loci probatum fuerit legitime, bona illius omnia confiscentur, & domus illorum, qui post pacem factam Parisius hæretici facti sunt, vel in posterum fient, in quibus habitabant, vel habitabunt, diruantur.

Item statuimus, quod bona eorum qui fuerunt hæretici vestiti, licet recesserint sponte ab hæreticorum observantia, nisi de reconciliatione sua litteras testimoniales ostenderint, vel per alias personas catholicas & honestas illud ostenderint, vel probaverint, confiscentur. Et etiamsi de reconciliatione constiterit, nisi cruces super hoc a suo episcopo admoniti ad portandum assumpserint, aut assumptas autoritate sua propria deposuerint, aut cum exterius super vestes, extraque partem pectoris anterius prominentes portare debeant, eas celare intra vestes deprehensi fuerint, pœna simili puniantur, & tamen sive bona habuerint, sive non, ad hoc modo debito compellantur.

Item statuimus, quia intelleximus quod credentes hæreticorum, cum proponunt se facere secundum eorum ritum detestabilem hæreticos perfectos, ante præcedens tempus possessiones suas, & hereditates in fraudem fisci vendant, vel donant, vel pignori obligant, aut modis alienant aliis: hujusmodi contractibus irritis non obstantibus prædicta bona confiscentur, si consideratis circumstantiis dictorum contractuum & ipsorum contrahentium, nobis fuerit visum, eos in quos dicta bona translata fuerint, fraudis participes extitisse.

Item quia intelleximus quod credentes quidam sub specie mercaturæ vel peregrinationis, transferunt se ad hæreticos, ut sub tali absentia eludant fiscum, & ei subtrahant bona sua: si coram episcopo loci, qui super hoc propinquos vel eos qui bona hujusmodi absentium tenent, monuerit, requisierint, & ab eisdem propinquis, vel tenentibus bona eorum infra annum, computandum a tempore monitionis ejusdem episcopi, probatū non fuit legitime, illos absentes justa causa & rationabili absfuisse, & tamen abesse: statuimus, ut si alias suspecti fuerint, cōtra ipsos tāquam cōtra hæreticos præsumatur, & eorū bona conficiscentur. Si vero ipsi vel successores eorum, vel qui bona eorum tenent

ANNO CHRISTI 1232.

tenent post confiscationem bonorum, vel ante justam & probabilem causam suæ absentiæ, ultra prædictum tempus probare potuerint, bona illa eis legitime relinquantur vel restituantur.

Item quia nolumus quod claves ecclesiæ contemnantur in terra nostra: statuimus, ut si quis in excommunicatione permanserit per annum contumaciter, per occupationem bonorum redire ad sinum sanctæ matris ecclesiæ sic compellatur, sicut in pace facta Parisius plenius continetur.

Item, statuimus ut tranquillitas pacis in terra nostra plene & inviolabiliter observetur, & quod ruptarii, fayditi, prædones, latrunculi & statores, a tota terra nostra expellantur, & receptatores eorumdem animadversione debita puniantur.

Item statuimus, quod quicunque pacem de cætero violaverit, si monitus a nobis vel per certum nuncium nostrum, non emendaverit, infra terminum sibi assignatum omnia bona ipsius occupentur. Nos enim bona illa, quæ a nobis tenebunt, occupabimus, & episcopos, & prælatos terræ nostræ in feudis eorum similiter occupandis juvabimus bona fide, cum ab eis fuerimus requisiti. Quæ bona tamdiu detineantur, quousque de fractura pacis & damnis datis sit nobis, & damnum [a] passis, plenarie satisfactum, & persona violatoris nihilominus animadversione debita puniatur. Et quicumque violatores pacis receptaverit, in castro, vel in domo, vel in villa cum ipsa præda, postquam fuerit eis denunciatum, vel eis equitaturas, vel alia necessaria ministraverit, vel eisdem prædam, aut aliam capturam præparaverit, vel machinatus fuerit, pœna simili puniatur.

[a] *Mendose scriptum erat*, pacis

Item statuimus, quod occulta & clandestina maleficia, de communitate castrorum, civitatum & villarum, in quibus vel in eis, vel in earum tenementis fuerint perpetrata, de nocte vel de die [b] occulte, sive per incendium, sive per incisionem arborum aut vinearum, vel segetum, vel occisionem animalium, vel effusionem liquidorum, vel dispersionem aridorum, aut alio modo, exceptis furtis, damna passis resarciantur, damni æstimatione declaranda per sacramentum illius qui passus est damnum, taxatione legitima præcedente. Per hoc enim & voluntas nocendi plurimum refrænabitur, & cujuslibet loci universitas majori solicitudine tales maleficos persequetur, & quod super hujusmodi maleficis fiat inquisitio diligens sine mora; & reperti, pœna violatorum pacis, & aliis pœnis legitimis torqueantur.

[b] *f.* palam vel occulte,

Item statuimus, ut nullus sit tantæ temeritatis quod domos religiosas, & præcipue Cisterciensis ordinis, offendat in aliquo, in rebus vel personis, palam vel occulte. Et si qui contra hoc fecerit, bona ipsius occupentur, de quibus passis damna plenarie satisfiet: & persona ipsius animadversione debita puniatur. Volentes & mandantes, contra hujusmodi maleficos diligentem ac pervigilem, celeremque inquisitionem fieri, non observata nimia juris subtilitate. Et reperti seu convicti in hujusmodi maleficiis, prout culpæ enormitas exegerit, puniantur, ut alii exemplo perterriti contra domos religiosas delicta similia committere perhorrescant.

Item statuimus, ne barones, milites, & alii homines nostri, abbatias, grangias, & alias domos religiosas nimia importunitate albergandi opprimere præsumant. Et si quis contra voluntatem custodum nostrorum, quos in singulis domibus, ad requisitionem ipsarum, ponemus ibi continue moraturos, qui jurati nobis suo ministerio, autoritate nostra hujusmodi albergatores repriment importunos, & domos prædictas qui albergaverit; si eques, in quinque solidis Tolosanis; si pedes, in duobus solidis, puniantur. Volentes ut custodes, hujusmodi transgressores sub juramento prædicto denuncient nominatim.

ANNO CHRISTI 1233.

Item, quia sicut intelleximus tanta est quorundam malignitas & insolentia, quod licet ipsi latrones foveant & raptores, nequaquam a vicinis suis qui bene noverint eos, manifeste istud eis improperari audeat vel opponi, nisi forte illorum aliqui in se iras exacuant speciales: nos illorum malitiam reprimendam ducentes, studio cautiore statuimus, quod contra aliquem baronem, militem, aut quemlibet alium qui publica fama laboraverit, quod ipse sit receptator aut quidator, adjutor vel consiliator latronum aut prædonum, aut aliorum maleficorum, de quorum maleficiis solent aliquas accipere portiones, contra tales inquisitio fiat. Et si probatum fuerit legitime contra ipsos, tanquam convicti de maleficiis, pœna contra violatores pacis supra edita puniantur.

Item statuimus, ne aliquis autoritate propria audeat pignorare, vel marcham facere; & si quis contra fecerit, compellatur incontinenti pignator restituere pignus, & resarcire damnum pignorato, quod sacramento pignorari declaretur, taxatione legitima præcedente.

Item statuimus, ne in terra nostra, nova instituantur pedagia; & omnia a triginta annis citra instituta removeantur.

Hæc autem omnia statuta præmissa facimus, sine præjudicio domini regis Franciæ, & ecclesiæ, & salva pace Parisiensi. Acta sunt hæc Tolosæ duodecimo Kal. martii, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio. Et ut hæc prædicta semper inviolabiliter observentur, & robur habeant plenissimæ firmitatis, præsentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari.

ANNO CHRISTI 1233.

*** CONCILIUM BITERRENSE,

A VALTHERO EPISCOPO TORNACENSI

Sedis Apostol. legato, celebratum ann. Dom. MCCXXXIII.

G*Villelmi de Podio Laurentii chronicon, ad ann. MCCXXIII.* Circa illud tempus, *inquit*, dominus legatus apud Biterrim concilium celebravit. *Hujus concilii statuta, in Gallicam linguam conversa, ediderat olim Arnaldus Sorbinus Nivernensis episcopus: Latinis vocibus omissis. Ego, prout concepta primum fuerant, Latine repræsento ex codice, Sirmondi nostri manu descripto.*

STATUTA

CONCILII BITERRENSIS,

Facta per Dominum Tornacensem.

TITULI CAPITULORUM.

11.

ANNO CHRISTI 1233.

11. *De patronis ecclesiarum.*
12. *De beneficiis quæ curam habent animarum.*
13. *De vita & honestate clericorum.*
14. *De observantia regularium.*
15. *De vestibus abbatum & monachorum.*
16. *De vestibus canonicorum regularium.*
17. *De custodia claustri.*
18 *Ut fiat lectio ad mensam, & quotidie capitulum teneatur.*
19. *Ne exeant vel vagentur sine licentia.*
20. *Ut mandatum fiat pauperibus.*
21. *Ut in monasteriis fiant magistri, qui grammaticam doceant minores.*
22. *De non conferendis beneficiis in laicos.*
23. *Ut vina non vendantur, & personæ turpes non introducantur infra ambitum monasterii.* B
24. *Ut laici non admittantur ad præbendas.*
25. *Ut nullus monachus sit solus in prioratu.*
26. *Ut renovetur juramentum de pace servanda.*

PRÆFATIO.

QUoniam statuta salubria per dominum Romanum apostolicæ sedis legatũ, & cæteros legatos, super negotio fidei ac pacis, autoritate apostolica diversis temporibus edita sufficere credimus; dum tamen fuerint observata: quæ inferius duximus subscribenda ad præsens, non intendimus omnino super his novos canones edere, sed eorum transgressores canonice puniantur.

CAPITULA.

I. *Ut hæretici & eorum fautores singulis Dominicis excommunicentur.*

Præcipimus itaque ut hæretici & eorum credentes, fautores, eorum receptatores & defensores, singulis diebus Dominicis excommunicentur. Et si quis prædictorum credẽtium, fautorum, receptatorum, & defensorum personaliter monitus, & excommunicatus nominatim, infra quadraginta dies resipiscere noluerit; sed in eorum defensione perstiterit, vel inquisitionem eorum impedierit, pro hæretico habeatur: cum perseverantia & defensio erroris in talibus hominem faciat hæreticum judicari.

II. *Ut possit quilibet & ubilibet capere hæreticum.*

Præcipimus etiam ut quilibet privatus in terra cujuslibet possit inquirere & capere hæreticum, & captum, necesse habeat episcopo ostendere, vel baculo ipsius episcopi præsentare: nec ipsum præsumat aliquis impedire, sed in captione quilibet Christianus præstet ei auxilium & favorem.

III. *Ne fautores hæreticorum emant bailivas.*

Intelleximus quod quidam credentes & fautores hæreticorum, seu defensores eorum, pro majori summa emunt bailivas dominorum, ut sub alis eorum bailivorum hæretici libere valeant egredi, vel ingredi, & impune fidem catholicam violare. Quare districtius inhibemus, ne talia a dominis de cætero attententur. Quod si

A attentaverint, & admoniti ab episcopo non emendaverint, cum nota infamiæ, quam se noverint incurrisse, excommunicationis gladio feriantur.

IV. *De hæreticis conversis, qui duas cruces prominentes non tulerint.*

Item reconciliati de hæresi, qui duas cruces prominentes, ad mandatum episcopi portare noluerint, pro hæreticis habeantur, & bona eorum confiscentur.

V. *De suspectis qui diebus festis ad ecclesiam non veniunt.*

Item cum singuli parochiani in diebus festis venire ad ecclesiam teneantur; sub pœna in Tolosano cõcilio promulgata: necesse est, ut sacerdotes erga omnes suspectos de hæresi, quos per scripturam, & ex nomine cognoscere debent, ut illi ecclesiam frequenter statutis diebus, & sine remedio pœnam levent, & in vita & in morte statuta cõtra hujusmodi promulgata, ut pupillam oculi conservent. Quod si sacerdos eorum transgressor fuerit deprehensus, ab officio & beneficio suspendatur, privãdus eodem, C si competenter monitus fuerit negligens & remissus. Quod si sacerdos se insufficientem cognoverit ad exequendum, quod de hæreticis est statutum: episcopo suo denunciet, quicquid inquirere poterit, ut ita se a culpa liberet & a pœna. Dominus autem requiret de manibus episcoporum sanguinem pereuntium, si eis non adhibuerint vigilantiam pastoralem.

ann. 1229.

VI. *Quales admittantur ad sacros ordines.*

Quia penitus indigni ad dignitatem sa-D crorum ordinum, contra canonicas sanctiones in partibus hujus legationis hactenus sunt admissi: præcipimus ut quilibet ordinãdus examinetur, de vita & de sciẽtia & moribus diligenter: & sine titulo patrimoniali centum solidorum Turonensium ad minus "ecclesiastico beneficio competenti, sicut in jure canonico cautum est, ordinandus de cætero nullatenus admittatur.

" *add.* vel

VII. *Quales admittantur ad tonsuram.*

Quia etiam ad primam tonsuram non es-E set admittẽdus quisquam, nisi sciret distincte legere; & nisi de utero libero & legitimo matrimonio procederet, juxta illud: De utero novi te: nõ ingredietur mãser, hoc est de scorto natus, in ecclesiam domini Dei: statuimus & firmiter præcipimus & mandamus, ut nullus etiam ad primam tonsuram de cætero admittatur, nisi sciat legere & cantare, & de libero utero & legitimo matrimonio sit procreatus: nisi ex causa visum fuerit episcopo loci super procreatis ex contubernio dispensandum.

ANNO CHRISTI 1233.

VIII. *Vt episcopi cautionem simoniacam non exigant ab iis quos promovent ad sacros ordines.* A

Ad abolendam etiam simoniæ corruptelam, quæ in his partibus inolevit, videlicet quod episcopi clericos ad sacros ordines promovendos nolunt aliquatenus promovere, nisi prius præstito juramento, vel alia cautione, quod ratione tituli patrimonialis, vel alterius minus idonei, ipsos, vel eorum non impediant successores: districtim inhibemus ne talia præsumant de cætero attentare. Quod si fecerint, a celebratione ordinis noverint se suspensos: quia sanctius est in ordine sacerdotii, paucos quam multos B malos habere ministros, sicut est in Lateranensi concilio constitutum.

IX. *Vt archidiaconi habeant zelum animarum, & prædicare sciant.*

Præcipimus ut tam episcopi, quam alii, præficiant tales archidiaconos, qui zelum animarum habentes, sufficiant prædicare clero & populo verbum Dei.

X. *De legendis constitutionibus.*

Legantur constitutiones contra iniuste C
Concil. Later. c. 47. excommunicantes, scilicet: *Sacro approbante concilio*: & : *Sub interminatione Divini judicii.* Sicut scribit nobis dominus papa: Vbi
Ibid. c. 49. non est gubernatio, populus corruet, & ecclesia sine rectore pervia est in temporalibus & spiritualibus detrimentis.

XI. *De patronis ecclesiarum.*

Vnde omnibus religiosis, capitulis, & aliis personis, qui tenent ecclesias parochiales, ad eorum donationes spectantes, autoritate qua fungimur districte præcipimus, quatenus usque ad festum omnium Sanctorum D proxime venturum, suis diœcesanis episcopus rectores, seu perpetuos vicarios, & idoneos vita & scientia, ad easdem ecclesias repræsentent, ut ab eis curam recipiant animarum: congrua tamen prius ipsis quæ sibi sufficiat, & in suis adsignata de ipsarum proventibus portione, iuxta canonum sanctiones, quam portionem debeat & possit diœcesanus episcopus merito approbare. Quod si forte infra præscriptum tempus, in auditum nostrum executioni distulerint demandare: diœcesanis episcopis in virtute obedientiæ præcipimus, ut sine dilatione vice nostra fideliter exequantur, E contradictores & rebelles, &c. Quod si id episcopi efficere neglexerint, per mensem ab ingressu ecclesiæ noverint se suspensos. Si vero episcopi tales ecclesias habuerint, & infra præscriptum tempus perpetuos vicarios non instituerint: in eisdem donationi nostræ dictas ecclesias reservamus.

XII. *De beneficiis quæ curam habent animarum.* ANNO CHRISTI 1233.

Quicumque habent curam animarum, ad ordinem sacerdotum promoveantur, ubi citius poterunt commode promoveri. Et qui ordines tempore congruo recipere detrectaverint, ad hoc per subtractionem beneficii compellantur: ut qui honorem refugerint appetere, mittantur ad quæstum. Quod si ecclesia parochialis præbendæ vel dignitati sit annexa: necesse habet (quod oportet in maiori ecclesia deservire) vicariũ perpetuum & idoneum in parochiali ecclesia præsentare episcopo, qui congruam habeat de parochiali ecclesia portionem. Quod si facere neglexerit, elapsis sex mensibus institutione dictæ ecclesiæ ea vice noverit se privatum. Volumus igitur & districte præcipimus, ut quælibet parochialis ecclesia proprium habeat & perpetuum sacerdotem, qui personaliter deserviat in eadem. Ita quod unica persona una parochiali ecclesia sit contenta, statutum concilii recolens, quo cavetur: ut quicumque re- Later. IV. c. 29.
ceperit beneficium habens curam animarum vel residentiam annexam, si prius tale beneficium obtinebat, eo sit ipso jure privatus: & si forte illud retinere contenderit, etiam alio spolietur. Quapropter donationes beneficiorum sic vacantium nostræ specialiter donationi reservamus.

XIII. *De vita & honestate clericorum.*

Circa clericos vero sæculares præcipimus observari constitutiones de vita & honestate clericorum, editas in concilio generali, Ibid. c. 15. & 16.
quæ sic incipiunt: *Clerici*: *A crapula*. Adiicimus etiam & districtius inhibemus, ne aliqui clerici, qui volunt gaudere privilegio clericali, cultellos acutos, enses vel lanceas deferre præsumant, vel armis impugnativis quibus vis infertur, non utantur: nisi forte tempore guerræ. Inhibemus, ne aliqui canonici sæculares stallum in choro, vel vocem habeant in capitulo, nisi fuerint in sacris ordinibus constituti, nisi ex causa cum eis ab episcopo fuerit dispensatum.

XIV. *De observantia regularium.*

Tria sunt de substantia regularis professionis, scilicet, abdicatio proprietatis, continentia carnis, obedientia regularis. In his tribus & cæteris observantiis, per quæ conservatur ordo & disciplina regularis, tam monachi, quam canonici regulares, & moniales, in silẽtio, & in parcitate cibi, professione faciẽda, infirmaria, in eleemosynis, hospitalitate, & aliis suam magistram sequantur regulam, secundum quam vivere sunt professi, & sine cujus observatione non sunt in statu vel ordine salvandorum. Verum

ANNO CHRISTI 1233.

rum quia de proprietate & veste prædictorum est scandalum in clero & populo: breviter tangimus, quæ de proprietatibus a domino Innocentio sunt statuta. Prohibemus itaque in virtute obedientiæ sub obtestatione Divini judicii, ne aliquis religiosorum proprium possideat. Sed si quis aliquid habeat proprium, in continenti resignet. Si vero posthæc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari admonitione præmissa, de monasterio expellatur: nec recipiatur ulterius, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam. Quod si proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte ipsa: cum ea in signum prædonis, secundum statuta beati Gregorii, extra monasteria subterretur. Nec etiam "temperet abbas, vel aliquis superior, "qui super habenda proprietate possit cum aliquo monacho vel regulari canonico dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit "indulgentiam indulgere. Immo tales in præcipuis festivitatibus excommunicationis vinculo innodentur. Quod si abbas, vel alii superiores, in his corrigendis negligentior extiterit: correctio ad episcopum devolvatur, abbatibus nihilo minus de negligentia puniendis.

" al. æstimet
" al. quod
" al. licentiam

XV. *De vestibus abbatum & monachorum.*

Abbas & monachi secundum regulam B. Benedicti vestes habeant, de quarum colore aut grossitudine non causentur: sed quales inveniri possunt in provincia in qua habitant; aut quod vilius potest comparari.

XVI. *De vestibus canonicorum regularium.*

Canonibus etiam regularibus prohibemus, ne sit eorum habitus notabilis vel reprehensibilis, nec affectent vestibus placere, sed moribus. Secundum statuta concilii [1] Avenionensis & [2] Mõtispessulani, capis, tunicis, & palliis, caligis de aliqua bruneta, clara, vel nigra, nec etiam stamine forti, vel alio colorato panno, seu sumptuoso, vel aliquo serico de cætero non utantur: ne sordes animo contrahat preciosæ vestis nimius appetitus, nec accipiant monachi vel alii clerici regulares a suo majore, vel aliquo alio, aliquam pro vestibus pecuniæ quantitatem, quia ex hoc datur eis materia proprium retinendi: sed omnes tam majores quam inferiores de ecclesiæ vestiario vestiantur.

1 An. 1209.
2 An. 1214.

XVII. *De custodia claustri.*

Claustrum quoque diligenter observetur ut claudatur, ut re & nomine claustrum valeat appellari. Nec milites vel etiam lai-

A ci claustrum vel officinas monasterii introeant, nisi causa exequiarum, & in processionibus: & hoc, si fieri consuevit, vel necessitate alia evidenti.

XVIII. *Ut fiat lectio ad mensam, & quotidie capitulum teneatur.*

Illud etiam expressius duximus exprimendum & statuendum, quod omnes regulares infra monasterium habeant & audiant lectiones ad mensam. Item præcipimus, quod in claustris regularium, singulis diebus capitulum teneatur, ubi supra excessibus fiat proclamatio & correctio regularis:
B & in conventualibus ecclesiis, & præcipuis festivitatibus, fiat sermo.

XIX. *Ne exeant vel vagentur sine licentia.*

Omnes etiam qui non habent officium speciale, vel necessitatem aliam, ab hora capituli usque ad Tertiam, sedeant in claustro aspicientes quæ in regula legenda sunt vel cantanda: nec exeant vel vagentur, sine sui majoris licentia speciali.

C XX. *Ut mandatum fiat pauperibus.*

Item consulimus ut mandatum pauperibus, saltem in hebdomada, semel fiat, sicut in monasteriis ordinatis fieri quotidie consuetum est.

XXI. *Ut in monasteriis sint magistri, qui grammaticam doceant minores.*

Quia vero cæcitas ignorantiæ in istis partibus nimium prævaluit: statuimus ut singulis monasteriis conventualibus abbates, priores, & præpositi conventuales, infra
D septa monasterii teneant magistrum ex suis, vel alium clericum sæcularem, qui minores, & alios indoctos in grammatica valeat edocere.

XXII. *De non conferendis beneficiis in laicos.*

Quidam etiam, ut intelleximus, se & sua conferunt monasteriis, sub spe ut ipsis postmodum ecclesiastica beneficia conferantur: quod omnino damnabile est propter maculam simoniæ: & tales beneficio privandos decernimus, quod pro pecunia sunt
E adepti. Taliter vero beneficia conferentes, illa vice donandi potestate priventur, & ad diœcesanum episcopum donatio eorum devolvatur. Nec ipsi, tales recipiant ad curam animarum. Neque abbas, nec prior, nec monachus alterius monasterii teneat prioratum: nisi per electionem canonicam ad conventualem prioratum, in quo professus non fuit, fuerit advocatus.

XXIII. *Ut vina non vendantur, & personæ turpes non introducantur infra ambitum monasterii.*

De his quæ vidimus & audivimus, testimonium

ANNO CHRISTI 1233.

monium prohibemus, scilicet quod quidã monachi, & maxime exempti intra fines legationis nostræ, ecclesiæ cujusdam libertatis infra ambitum monasterii faciunt; certis temporibus anni vendi vina sua, & pro medio quæstu & turpi introducunt; vel introduci permittunt, personas turpes & inhonestas, vel histriones, jaculatores, talorum lusores, & etiam publicas meretrices. Quod de cætero nusquam fiat, ab aliquibus exemptis personis, vel aliis arctius inhibemus. Quod si hujusmodi personas inhonestas introduxerint, vel lusores talorum aut potatores nomen Dei blasphemantes introduci permiserint, illi qui monasterii exteriora ministrant officia, ab ingressu ecclesiæ noverint se suspensos, maxime cum libertate sua libere uti possint, absque abusu & introductione talium personarum.

XXIV. *Ut laici non admittantur ad præbendas.*

Districtius quoque mandamus, quod in nulla ecclesia laici recipiantur, in donatos ad præbendam panis & vini. De quorum turpi conversatione scandalum generetur. Quod si qui tales recepti inventi fuerint fornicatores, adulteri, & alias criminosi, post monitionem competentem, nisi excessus suos correxerint perpetuo beneficio careant memorato.

XXV. *Ut nullus monachus sit solus in prioratu.*

Quia parum est promulgari statuta, nisi ad observationem eorum arceantur improvidi transgressores; cum sit cautum ut nullus monachus in prioratu solus existat, sed tres vel quatuor insimul commorentur, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus in terris tuæ legationi commissis facias firmiter observari contradictores, &c. Hujus igitur autoritate mandati præcipimus, ut nullus monachus in aliquo prioratu solus existat: sed tres vel quatuor ibidem commorentur. Nolumus autem quod pravi monachi sint de illis tribus vel quatuor monachis, qui debent in prioratu commorari, sed in claustro mittantur & disciplinis regularibus instruantur.

XXVI. *Ut renovetur iuramentum de pace servanda.*

Item præcipimus & mandamus, ut a decimo quarto anno, & supra, ad pacem servandam & custodiendam compellantur de novo jurare: archiepiscopis & episcopis, & aliis prælatis, injungentes expresse, ut ubi expediens fuerit, violatores & fractores pacis, & raptores & conspiratores, etiam singulis diebus Dominicis & festivis, ex- A communicari faciant publice in ecclesia.

** CONCILIUM NYMPHÆÆ IN BITHYNIA.

Ubi actum frustra de concordia Græcorum cum Latinis, mense April. MCCXXXIII.

ANno Dom. MCCXXXIII. Missi sunt a Gregorio pontifice ad C.P. patriarcham apocrisarii quatuor, duo ex ordine Prædicatorum, Hugo & Petrus; totidem ex Minorum familia, Aymo & Radulfus: qui de concilianda utraque ecclesia serio agerent. Hi post disceptationes aliquot, de processione Spi- B *ritus sancti, deque azymo, Nicææ cum Græcis habitas, Constantinopolim discesserunt, expectaturi quid Patriarcha C.P. statueret in synodo cum Ierosolymitano, Antiocheno, & Alexandrino, quos evocaverat, cum non sua tantum, sed illorum etiam res ageretur. Invitati sunt deinde apocrisarii, ad eandem synodum Leschara primum, deinde Nymphææ ad Pontum Euxinum in Bithynia indictam: eoque, cum sæpe recusassent, tandem multorum, ac præsertim Imperatoris rogatu, profecti sunt. Quæ fuse omnia narrantur a Vadingo in Annalibus Minorum, accepta ex Centii Camerarii codice Vaticano.*

De concilio ipso hæc idem refert, quæ sic ex eodem Centio in compendium redigit. Feria, *inquit*, secunda post Pascha, congregatis prælatis in domo patriarchæ C C.P. vocati sunt ad cœtum apocrisarii: in quo proposuerunt quid actum sit Nicææ, & quomodo propter pacis & unionis desiderium patienter tulerint, ut convocarentur præcipui Orientis prælati, quomodo vasta terræ marisque spatia emensi sunt, qualiter etiam tot vitæ discriminibus semet exposuerunt, eo solo fine, ut fraternitatis & unitatis vinculo Græci cum Latinis coïrent: neque se velle, ut a capite res tota inciperetur; sed a secunda adhuc indiscussa quæstione de sacramento altaris, originem susciperet collatio. Illi e contra contendebant, rem totam a capite coram ipsis agitandam: incipiendumque, tanquam a potiori dubio, a processione Spiritus sancti. Sed in eam ventum est sententiam, ut recitaretur quid Niceæ gestum sit, D deinde disputaretur de azymo & fermentato: & si quid dubii superesset theologis Nicænis, aliisve de processione Spiritus sancti, redigeretur in scripta, & utrimque offerretur. Archiepiscopus autem Samastriæ in Flagonia Ægyptianæ regionis, nescio quid commentus est duplicis sacramenti Eucharistiæ, in superioribus litteris pontificiis, quas apocrisarii detulerãt Constantinopolitano. In cujus dubii explicatione, & tenaci hujus contradictione, non nihil temporis insumptum est. Tandem post multas disceptationes, & querelas hinc inde exhibitas de injuriis exceptis & prætensis per utriusque fidei viros in odium professionis Græcæ & Latinæ, tandem contendentibus Græcis, & subscribentibus patriarchis, singulisque prælatis, præcipue præfato archiepiscopo Samastriæ, hæreticum esse, E & in viam perditionis abire, qui dixerit posse confici in azymis, pactum est, ut illi fidem hanc suam circa consecrationis materiam, apocrisarii etiam suam circa processionem Spiritus sancti scriberent, & scriptam traderent. Data utrinque scripta hæc, quæ subministramus ad controversiæ clariorem notitiam & rei actæ a pontificiis autoritatem.

PROFESSIO

ANNO CHRISTI 1233.

PROFESSIO FIDEI GRAECORVM, qui convenerant in synodo, Nimphaæ celebrata, circa materiam, in qua conficiendum erat sacramentum altaris.

QVæsierunt a nobis honorabilissimi apocrisarii sanctissimi papæ antiquioris Romæ, si possunt conficere azymaton, hoc est, sacrificium corporis Christi in azymis? & respondimus, impossibile esse hoc hominibus volentibus sequi novam gratiam, propter eam quam a principio traditionem Salvator tradidit sanctis suis discipulis & apostolis per fermentatum panem secundum tenorem evangeliorum. Tradiderunt autem & ipsi hujusmodi mysterium, quale & ipsum acceperunt secundum sermonem magistri Pauli scribentis ad Corinthios, sic: *Fratres: ego accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit arton, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit, dicens: hic calix novum testamentū est in sanguine meo: hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescumque enim comedetis panem hunc, & hunc calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Quia ego, sic & vos accepimus a bonæ famæ apostolis, sicut & ipsi acceperunt a Christo, & sic tenent quatuor ecclesiæ diœcesis orbis usque nunc. Æstimamus autem, quod & diœcesis antiquioris Romæ, & sic accepit & tenebit. Propter hoc dicimus, quod non potest consummari sacrificium per azyma, ut azymo per se existente, cujus typus cessavit legalis servitutis. Et hæc quidem scripsimus, quasi in compendio secundum apocrisariorum voluntatem, non patientium audire latius. Si autem quærantur a nobis autoritates, & probationes sermonis nostri, tunc dilatabimus, & a veteri & a novo Testamento. Mense April. Indictione VI.I. Chartophylax sanctissimæ magnæ Dei ecclesiæ Constantinopolis, ex præcepto sanctissimorum patriarcharum, universalis & Theupolitanæ, magnæ Antiochenæ, & eorum qui cum eis aderant, præsulum, subscripsi.

1.Cor.11.

Lecta est publice hæc fidei professio in ipsa synodo, deinde tradita venerabilibus apocrisariis, qui ad eandem responderunt, prout infra subjiciemus. Deinde suam tradiderunt prius lectam coram omnibus professionem circa Spiritus sancti processionem tenoris subsequentis.

PROFESSIO FIDEI APOCRISARIOrum sanctiss. domini Papæ circa processionem Spiritus sancti a Patre Filioque.

PAter perfectus Deus est, &c. *Extat supra, p. 326.* Tradito scripto patriarchæ Constantinopolitano, cœperunt agere de porrecta sibi fide Græcorum circa sacramentum altaris, & interrogare quo ducti fundamēto asserebant cōsecrantes in azymis, seu azymatos, ut illi consueto nomine vocabant, esse in via perditionis, & cum omnes essent in partibus, appellabant ad codices sacros & sanctos Doctores. Sed vel nulli ibi suppetebant Græcis tunc libri, vel porrigere nolebant: ita ut ipsa petentibus Biblia non liceret habere. Vltra itaque instantibus apocrisariis, ut Græci traditæ fidei rationem redderent, illam tradiderunt, se Christum in consecratione imitari. Cum vero amplius quæreretur, unde constaret Christum in azymis celebrasse? responderunt: ex evangelio, ubi habetur quod *Dominus accepit* ἄρτον, *& fregit.* ἄρτον autem contendebant significare panem perfectum, panem levatum, panem fermentatum. Hic sibi hærendum judicarunt apocrisarii, & ostendendum vel ex ipsa Græcorum confessione ἄρτου, non semper significare fermentatum, & aliquando poni per se dictionem, aliquando cum adjuncto, neque semper absolute positum idem cum eadem proprietate significare; sed & sæpissime solum panem in commum; propterea-que in evangeliis Latinis recte translatum pro ἄρτον panem. Confirmaruntque veram & doctam hanc solutionem ex Levitici c. 7. in lege hostiæ pacificorū ubi habetur ἄρτος, azymus & ἄρτος fermentatus; atque hinc sequi azymum & fermentatum se habere, tamquam differentias specificas, vel accidentales, verbi αυτο,: atque ita dictionem illam per se absolute positam, utrique tam azymo quam fermentato pani æque convenire. neque enim genus magis proprie prædicatur de una specie quam de alia.

ANNO CHRISTI 1233.

Deinde quod allegarunt Græci de facto & exemplo Christi, refutarunt ex illo loco Matthæi: *Prima die azymorum accesserunt ad Iesum discipuli, dicentes: Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Cui objectioni responderunt ex Ioanne Chrysostomo, per primam diem azymorum intelligi primam diem ante azymos. Admiserunt illi ita explicasse Chrysostomum, attamen amplius addidisse, & veram Latinorum ibidem confirmasse sententiam, ita adjungendo: Matth.26.
Prima die ante azyma: Consueverunt enim semper a vespere dies numerare, & eam commemorat, in cujus vespere pascha erat immolandum, &c. Ergo in illo vespere fuerat Pascha Iudæorum, & fuit eis prohibitum, ne fermentum vel fermentatum haberent in domibus suis, vel in omnibus terminis vicinis. Ita enim legitur Exodi 12. *Septem diebus azyma comedetis, in prima die non erit fermentum in domibus vestris. Quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israel, a primo die usque ad septimum.* Ex quo intulerunt per optimam consequentiam Christum Pascha suum in azymis celebrasse, quia legem observavit usque ad ultimum vitæ suæ terminum, & expresse habent Chrysostomus citatus & Epiphanius. Hinc argumentum ad hominem deduxerunt, ex illis verbis, quæ in scripto Græci porrexerunt, dum absque salutis detrimento dixerunt non posse in alio pane confici sacramentum, quam in illo in quo Christus consecravit: nam ex dictis apparebat Christum in azymis celebrasse: ergo inferenda erat illa consequentia: Græci nullatenus possunt conficere in fermentato, quod tamen publica protestatione caverunt, se non velle inferre, nec dicere, cum illorum hunc cultum vel ritum non condemnabant pontifices, neque ecclesia Latina, immo tolerabat, sed & probabat; atque ita similiter debuisse eos facere circa ritum Latinorum, non condemnando eos, uti faciebant, pro hæreticis azymitis.

Chrysost. Exod. 12.

Vt vero apertius eorum, quæ dicebant, veritas cōstaret: instituerunt ut producerentur codices sanctorum patrum Græcorum (quibus illi magis adhærebant) in medium. Quos cum habere non poterant, memoriter cœperunt hæc quæ sequuntur ex Chrysostomo & aliis recitare. Ex Homilia 81. (secundum recentiores editiones est 82.) Ioannis Chrysostomi in Matthæum resumpserunt superius objecta verba, quæ prosequuti sunt (ex illius temporis, vel sua translatione) in hunc modum. Explicans sanctus Doctor illa verba Evangelistæ: *Prima die azymorum venerunt discipuli ad Iesum*: ita ait. Prima azymorum erat, quæ ante azyma dicebatur: consueverunt enim semper a vespere numerare diem: & eam commemorat, in cujus vespere Pascha erat immolandum. Quinta enim sabbati accesserūt, & hanc hic quidē, quæ ante azyma erat, vocat ipse diem, in qua accesserunt. Alius vero

Matth. 26. Chrysost. in Matth. Luc. 22.

ANNO CHRISTI 1233.

vero sic ait: *Venit dies azymorum, in qua oportebat immolari pascha.* Venit, hoc est, in azymis erat, vesperam scilicet illam commemorans: a vespera enim incipiebatur, propter quod unusquisque evangelistarum addidit, quando immolabatur pascha. Item, quod Iesus observabat legem in cœna, & ritum Iudæorum, probat idem Chrysostomus, dicens in eadem homilia: Propterea autem venit ad Pascha, per omnia ostendens usque ad ultimũ diem, quod non erat cõtrarius legi. Et homilia octuagesima secunda (in recentioribus editionibus octuagesima tertia,) ita ait: Quod autem tempore Paschæ mysterium consummabat, illud fecit, ut discas undique etiam veteris testamenti ipsum esse latorem, & omnia quæ in veteri lege sunt, propter hanc novam fuisse figurata, & propter hoc ibi figuræ veritatem imponit. Vespera autem impletionis temporum argumentum erat, & quod ad ipsum de cætero, ut ad finem omnia respiciunt. Item Epiphanius Cypri in opere quod Panarium inscribitur, in tractatu contra Ebionitas, sic ait: Quomodo carnium comestione non statim eorum dementia redarguetur? Primo, Domino comedente Pascha Iudæorum: Pascha autem Iudæorum erat ovis & azyma, carnes ovis assæ igne, sicut discipuli sui ei dicunt: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? Et ibidem contra Marcionistas in redargutione seu confutatione sexagesima prima, quæ ita incipit: Nubem sagittarum contra te, &c. ubi post pauca, inquit: Contra te, o Marcion, induxisti multis modis redargutionem, magis autem ab ipsa veritate coactus. Pascha enim antiquum, nihil aliud erat, quam ovis immolatio, & carnium comestio, animatorumque perceptio cum azymis. Et post paucula: Quod enim tu detestaris carnium comestionem, dominus Iesus cum suis discipulis comedit, faciens Pascha secundum legem. Et ne dicas quod quia facturus erat mysterium, hoc prænominavit dicens: Volo vobiscum comedere Pascha. Ut enim per omnem modum te confundat veritas, non in principio facit mysterium, ut non neges; sed postquam cœnavit, accipiens hæc & hæc, & dicens hoc, est hæc & hæc, & non reliquit locum malignitati. Ostendit enim quod postquam comedit Pascha Iudæorum, id est, postquam cœnavit, venit ad mysterium.

Epiphan. Panar.

Renuentibus autem Græcis plures audire autoritates sanctorum, & jam dictis opponentibus locum illum Ioannis: *Non introierunt Iudæi in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent pascha*: responsum fuit ab apocrisariis, nequaquam id vel leviter credendum ut Ioannes cæteris contradixerit Evangelistis: quare verba illa, *ut comederent pascha*, ita explicanda esse dixerunt, ut scilicet comederent cibos Paschales, sic enim alias in veteri Testamento verbum hoc *Pascha* sumebatur; atque superiora dicta sunt Luna decima quinta. In his sessionem protraxerunt usque ad profundam noctem, donec dissolvente cœtum Imperatore, recesserunt.

Ioan. 18

Præterlapsi sunt aliquot dies quibus nihil disputatum est, agente clam Imperatore cum apocrisariis de suavi aut faciliori quopiam modo ineundi fœderis & unitatis inter utramque ecclesiam. In illam tandem ineptam & ridiculam abiit sententiam: (ut communiter contingit in principibus sæcularibus, qui controversiis ecclesiasticis temere se immiscent) Domini sæculares inter se contendentes de rerum dominio, hinc inde aliquid sui juris relaxant, & quisque partim cedit causæ, ut tandem optata pace fruantur. Ita hic agendum judicarem: videlicet ut suam de processione Spiritus sancti opinionem missam facerent Latini, & ex symbolo suisque libris expungerent verbum *Filioque*, permittentes ut Græci in controversia hac eodem modo, quo prius, sentirent. E regione vero Græci approbarent consecrationem Latinorum in azymis, neque amplius eos hæreticos propter hoc proclamarent; ita ut in duobus punctis controversis unaquæque pars unum probaret, alterum condemnaret. Animose & aperte significarunt apocrisarii, in quanto vir alias, ut scribunt, bonus & unionis ultra modum cupidus versaretur errore: idque sibi sciendum esse, ob nullum lucrum rei, aut provinciæ, quantumvis magnæ, ecclesiam Romanam catholicam iota unum aut apicem fundatissimæ suæ fidei mutaturam; neque ullo modo uniri posse cum Græca, nisi hæc prius abjectis & condemnatis erroribus, præcipue circa illud punctum de processione Spiritus sancti, omnes suos libros, in quibus doctrinam illam persuasit, aut scripserit, condemnaverit, igníque tradiderit. Quod vero attinet ad consecrationem in fermentato, Græcam ecclesiam non propter hoc reiici aut condemnari a Latina, neque velle ab eadem condemnari propter azymum, dum licite unaquæque in utroque consecrat pane.

Audiens hæc Imperator animo concidit, omnem unionis spem exuens, quia perspectam habebat suorum tenacitatem, ob nimiam propriæ opinionis prælationem, quos nullo modo vel prece sciebat eo ducendos ut Latinis cedere, aut alte impressis valedicere vellent sententiis. Idque ipso facto sequenti cognovit die, dum habitum cum apocrisariis referret colloquiũ. Adeo enim commoti & indignati sunt, ut magno exorto murmure fremuerint in apocrisarios, & secreta contra eos inierint conventicula, ut illos confunderent. Monuerunt vero die Mercurii tertiæ post pascha hebdomadæ, ut sequenti die Iovis ad concilium accederent pro unanimi hinc inde ejusdem dissolutione: neque enim jam videbatur debere ut ulterius cogeretur. Accedentibus illis, invenerunt universam plebis multitudinem congregatam, & apertis januis sedisse in atrio Patriarcham, coacto in ampliori illo patulo loco concilio. Sedentibus vero alta voce coram omnibus dixit Patriarcha: Dum spes erat unionis, omnem vobis loquuti sumus pacem, omnem exhibuimus amorem: modo vero spe frustrati quid agamus nescimus, vestram nobis de Spiritu sancto dedistis fidem in scriptis, vultis ut eam per gentes, nationes, & provincias nostras promulgemus, quæ hic coram astãtibus & vobis, dum placeat, volumus ut recitetur. Illis respondentibus sibi hæc valde placere, neque quidquam amplius optare, quam ut ubique diffundatur & legatur Romanæ ecclesiæ vera doctrina: statim unus ex grandævis consiliariis universam definitionem apocrisariorum perlegit.

Post hæc contra lecta, & in favorem suæ opinionis Græci quasdam protulerunt sanctorum patrum autoritates, primo Damasi papæ dicentis; Quicumque non credit Spiritum esse a Patre proprie, anathema sit. Cui responsum ab apocrisariis: Nos credimus Spiritum sanctum proprie esse a Patre, & qui hoc non crediderit, anathematizetur. Adjungimus etiam esse Spiritum sanctum a Filio proprie, sicut dicit beatus Cyrillus, quem jam ostendimus ita scripsisse; & qui ita similiter non credit, anathematizetur. Aliam objecerunt ex Basilio, vel ex alio quopiam patre Græco autoritatem in hunc sensum, quod Spiritus sanctus erat a Patre, & non aliunde, quam etiam libenter admiserunt apocrisarii, dicentes verum dixisse non aliunde, id est, non de alia substantia esse Spiritum sanctum. Alia plura conglomerarunt hujusmodi loca sanctorum Patrum, obscuriora & minoris efficaciæ: quæ nullo negotio apocrisarii dissolvebant. Exorto tunc magno murmure & tumultu in populo, Patriarcha manu & voce silentium indixit, timentibus sibi

ANNO CHRISTI 1233.

sibi apocrisariis ab infræni & seditioso populo. Ut A tamen pacatus est, & a murmure cessavit, dixerunt alta voce apocrisarii : Creditis Spiritum sanctum procedere a Filio, vel non? Respondit pro omnibus unus patriarcha : Credimus quod non procedat a Filio. Et subjunxerunt: Sed beatus Cyrillus, qui præfuit tertio concilio, anathematizat omnes, qui hoc non credunt: ergo vos estis anathematizati. Item vos creditis & dicitis, quod corpus Christi non potest confici in azymo: sed hoc est hæreticum. Illi commoti de dure condemnatis illorum sententiis, apocrisarios, fautoresque vel sectatores illarum opinionum, conclamabant hæreticos, & excommunicatos.

Facta itaque magna seditione & tumultu, recesserunt apocrisarii caventes sibi : & antequam pranderent, B instanter egerunt cum Imperatore de obtinenda regrediendi facultate; videntes se nihil potuisse proficere, nec spem ullam superesse de flectenda gente duræ cervicis, & in suis erroribus pertinaci. Venia itaque obtenta (dolebat enim Imperator rem infectam mansisse, atque ad contentionem seditionemque processisse) summo mane sequentis diei Sabbati recesserunt a Nympha, datis sibi itineris ducibus & comitibus: & postridie venerunt ad villam Calami, ubi supervenerunt cursores nuncii, missi ab Imperatore & a Patriarcha. Imperatorius omnia eis bona precabatur, & felicem itineris terminum : significabat vero sibi displicuisse, ita latenter & ex abrupto abiisse insalutatis patriarchis, & cæteris in synodo congregatis. Cui illi, festini sui recessus ju- C stas exposuerunt causas, quas poterant, maximas gratias agentes Imperatori ob singularia in eos beneficia. Patriarchales vero nuncii se a concilio missos dixerunt, ut professionem seu definitionem fidei circa processionem Spiritus sancti porrectam ab apocrisariis, eisdem redderent, repeterentque quam Græci tradiderant circa Eucharistiæ sacramentum. Responderunt apocrisarii propterea se illis definitionem dedisse, ut remaneret in memoriale fidei & doctrinæ ecclesiæ Romanæ, scirentque universæ Græcorum ecclesiæ, quid credere & docere deberent circa illum articulum. Scriptum vero vestrum, inquiunt, circa sacramentum altaris volumus nobiscum deferre, ut Latinorum ecclesiæ ac sanctissimo domino Papæ cer- D tius constet in quo errore versamini, neque ab eo vos velle discedere. Institerunt tamen nuncii de scripto reddendo per biduum : quod dum habere non poterant, tulerunt excommunicationis sententiam in omnes comites & duces apocrisariorum, prohibentes sub anathemate, ne quisquam eis esset auxilio aut consilio. Illi frustra tentarunt soli pedites abire. Nam post emensa septem vel octo milliaria, ob iter periculosum terræ desertæ & inaquosæ, insidiasque in montibus præparatas: ab Imperatoris nuncio precibus & obsecrationibus revocati, & protestationibus Imperatoris nomine factis ferme coacti, regressi sunt ad locum unde exierunt. Patriarchales videntes nihil se prece potuisse efficere circa obtinendam, quam pe- E tebant chartam, manum admoverunt, vi sarcinas omnes, libros, & quidquid erat supellectilis apocrisariorum minutim investigantes : donec tandem vocatos in partes socios explorarunt, & sub vestibus alligatam originariam scripturam detexerunt, & abstulerunt. Sed translationem vel exemplar Latinum non invenerunt, quod ad Pontificem detulerunt apocrisarii, cujus nos transsumptum dedimus supra. Obtento quod desiderarunt, ad bona verba conversi, dimiserunt eos in pace, dantes eis has litteras patriarchæ Nicæni seu Constantinopolitani, nec non Antiocheni, sive potius universæ synodi, in quibus ad nauseam usque suum errorem de processione Spiritus sancti, conglomeratis sanctorum patrum auctoritatibus, inculcant.

ANNO CHRISTI 1233.

EPISTOLA SEU PROFESSIO patriarchæ Nicæni, & universæ synodi Nymphææ Græcorum, missa ad sanctissimum D. Gregorium IX.

CRedimus in unam Deitatem, quæ in Patre, & Filio, & Spiritu sancto adoratur & glorificatur, ab omni creatura; imprincipiatam, quantum ad temporale initium; increatam, creaturarum omnium factricem; omnipotentem, super omnia potestatem habentem, & sine fine. Confitemur principium naturale Patrem Filii, & Spiritus sancti : a quo Patre ante omnia sæcula impassibiliter & influxibiliter illuxerunt Filius & Spiritus sanctus, non hoc prius, & illud posterius, sed simul Pater, simul Filius, & simul Spiritus sanctus, æquali honore Filio & Spiritu a Patre procedentibus, Filio quidem nascendo, Spiritu autem sancto procedendo. Neque enim sunt in Trinitate duo fontes, aut duæ radices, aut duo principia, ne & duos Deos confiteamur. Quod vero propter hoc nobis unus Deus est, quidquid adoratur : quia solus Pater est principium, & fons, & radix Filii, & Spiritus, testes omni exceptione majores sunt duo magna luminaria, sanctus Gregorius Thaumaturgus, & Gregorius Theologus. Quod autem solus Pater principium, & radix, & fons Filii & Spiritus sit, testes absque exceptione sunt prædicti sancti, ac magnus Athanasius, & totum Nicænum generale primum concilium, & Ioannes Chrysostomus, & maxime præ his omnibus, qui revelationes cælestes vidit, magnus Dionysius, qui os Pauli factus est, quemadmodum Paulus Christi: quorum testimonia ita se habent. Sancti Dionysii ex epistola super Divinis nominibus edita. Est » Dion. de Divin. nom. c. 2.
» autem & discretio in supersubstantialibus theologiis non sola quam dixi, quod secundum ipsam u- »
nionem inconjuncte conjuncta est, & inconfuse »
una quæque thearchicarum (*a theos & archi quod* »
est principium, vel archos quod est princeps,) hy- »
postaseon (*id est, unaquæque Deitatis substantia.*) »
Sed quod in ea, quæ in supersubstantiali theogo- »
nia (*id est, a theos, quod est Deus, & gonos quod* »
est semen; id est, Divinum seminium) sunt, »
non convertuntur ad invicem. Solus autem fons »
supersubstantialis Deitatis Pater est, non quod fi- »
lius Pater sit, nec Pater filius, unaquæque Divi- »
na substantia vocabulum suæ proprietatis conve- »
nienter servans. Item in sermone illo ubi de Divi- »
nitate conjuncta & abscondita tractat, sic dicit : »
Quod quidem fons Deitatis Pater est, Filius autem »
& Spiritus, theogonicæ Deitatis sunt, si sic dici de- »
cet, rami theophyti (*id est, a Deo plantati*) aut »
velut flores & substantialia lumina, ex sacris scri- »
pturis accepimus. Qualiter autem hæc sunt, neque »
dicere, neque intelligere possibile est. Item in epi- »
stola in qua de mystica theologia tractat, sic di- »
cit : In exemplis quidem Divinitatis principales » Dion. de myst. theol.
proprietates laudavimus, qualiter Divina & bona »
naturæ singularis dicitur, qualiter ternalis, quæ »
sit quæ in ea dicitur Paternitas & Filiatio, & »
quid velit significare theologia Spiritus : qualiter »
ex immateriali & individuali bono præcordialia bo- »
nitatis lumina prodierunt, & ab ea quæ in seipso »
& in seipsis, & in adinvicem coæterna pullulatio- »
ne »

ANNO CHRISTI 1233.

ne sola permanserunt impertita. Hæc quidem tertius decimus apostolus Dionysius, qui solum fontem supersubstantialem Deïtatis Patrem dixit, & quod ea quæ in supersubstantiali theogonia sunt, non convertuntur ad invicem; ita quod & Filius & Spiritus sanctus theogoniam, id est, originem Deïtatis habeant, sed in solo eam Patre esse inspiciendam, & ipsum fontem, & radicem esse Filii & Spiritus, & luminum emissorem sibi coæternorum & præcordialium luminum, videlicet Filii & Spiritus.

Thaumaturg. in exposit. ampliori fidei. Item Gregorius Thaumaturgus: Si quæratur „ quomodo unus Deus est; si ex Deo Filius: dice- „ mus, quod juxta principii vocabulum, secundum „ quod unum principium est Pater. Et post pauca „ iterum dicit: Si dixerint impii, quomodo non sunt „ tres Dii tres personæ, & si non unam habeant Deï- „ tatem: dicemus quod Deus principium & Pater est „ Filii, & ipse Filius imago est & genimen Patris, „ non frater ejus; & Spiritus similiter Spiritus Dei „ est. Et jam pridem per prophetam David: *Verbo* Ps. 32. „ *domini cælos* dicitur *firmavisse, & Spiritu oris ejus* „ *omnem virtutem eorum.* Et iterum dicit: Et pro- „ pter hoc unus Deus est, quia principium Pater est: „ qui autem duo principia in Deïtate dicit, duos Deos „ necesse est esse ut fateatur. Et iterum idem dicit: „ Perfectus autem est Spiritus sanctus, ex Deo per Fi- „ lium datus his, qui adoptionis filii sunt. Hæc ex sermone, quem de fide edidit idem sanctus Gregorius, dicta sunt. Didicit autem iste sanctus hujusmodi theologiam per sanctum evangelistam Ioannem, ad exhortationem beatæ Virginis, ut dicit sanctus Gregorius Nyssenus, qui vitam ipsius refert. Do- Nyssen. in vita Thaumaturgi. „ ctrinæ autem ipsius verba sunt talia: Vnus Deus „ Pater Verbi vivi, Sapientiæ subsistentis, & virtu- „ tis & characteris æterni, perfectus perfecti geni- „ tor, Pater unigeniti, Filius unus dominus, solus a „ solo, Deus de Deo, character & imago Deïtatis, „ Verbum sine principio, Sapientia per quam universa „ consistunt, omnia comprehendens, & virtus totius „ creaturæ creatrix. Filius verus veri Patris, invisibi- „ lis ex invisibili, incorruptibilis ex incorruptibili, ac „ immortalis ex immortali, æternus æterni. Vnus Spi- „ ritus sanctus, qui ex Deo existentiam habet, & per „ Filium manifestatus hominibus innotescit, imago Fi- „ lii perfecta perfecti.

Hæc sunt de revelatione. Quidam vero non intelligentes quid dicunt, vel de quo affirmant: illud quod dicitur, solus ex solo, sic calumniantur, quod solus Filius a solo Patre, tanquam si Spiritus non ex Patre solo sit. Veritas autem aliter se habet, solus enim Filius Dei a solo Patre est, omnes autem hominum filii non a solo Patre sumus, sed a matre: singulare in Deïtate intelligendum est, id est, quod non ex aliqua materia consistit, propter immateriale & simplex & individuum Divinæ naturæ. Duale autem materiale est, & de his, quæ materiei subjecta sunt: solus enim Pater est genitor, id est, a quo procedit Spiritus sanctus, vel prolator &" provoleus; προβολεύς. & solus Filius genimen Patris, & solus Spiritus, id est a Patre procedens, vel processura & pneuma Patris. Qui autem dicunt a Patre & Filio Spiritum esse, dualitatem singularitatis genitricem dicunt, quod neque in numero verum reperitur, neque simplicis & incompositæ naturæ proprium est, sed compositæ & materialis. Iste autem sanctus, sicut de Spiritu sancto ab evangelista Ioanne didicit, sic & docuit, & ea idem evangelista, secundum Gregorium docuit, quæ ipse in evangelio scripserat: scripsit ille in evangelio quod *Spiritus sanctus ex Patre procedit*: scripsit ipse etiam ut dicatur, *Spiritus verita-* Ioan 15.

A *tis*, ac sicut ipse scripserat, sic sancto Gregorio revelavit.

Sermo autem de Spiritu sancto sic se habet: Vnus Spiritus sanctus ex Deo existentiam habens, & per „ Filium manifestatus hominibus innotescit. Vides quare dicitur Spiritus esse Filii, pro eo quod per Filium existit manifestatus hominibus: & deinde sequitur. Imago Filii perfecta perfecti: imago autem Patris Filius est, & propter incommutabilitatem vel incommutabile substantiæ, & pro eo quod Patrem mundo manifestavit. Dicit in evangelio: *Qui vidit me, vidit & Patrem.* Et iterum: *Manifestavi hominibus nomen tuum.* Et iterum: *Ego clarificavi te super terram.* Simili autem modo Spiri- B tus est imago Filii. Spiritus enim sanctus superveniens ad discipulos ejus, & implens eos miraculorum gratia, clarificavit Filium in mundo, & innotuit omnibus, quod Deus verus esset. Scriptum est enim, quod *ipse me clarificabit, quia de meo accipiet.* Sic enim mundanus rex, qui non potest in regno suo semper præsentialiter adesse, & videre, mittit multoties imagines suas: homines autem, loco illius ipsas videntes imagines, sicut ipsum venerantur easdem, & ad ipsum honorem transferunt. Sic & Pater cum Filium in mundum misit, notus factus est omnibus hominibus Pater esse, & Deus sine principio; & Filius veniens cum carne in mundum, & illusiones & passiones sustinens, sepultus fuit, & resur- C rexit, & ascendit in cælum, & misit Spiritum sanctum discipulis suis: ac miraculorum virtute innotuit, quod qui crucifixus & sepultus extitit, & resurrexit, vere fuit Dei Filius, & verus Deus. Hoc autem quod dicit, misit, nullum perturbet: bonam voluntatem enim pro missione posuit, seu notavit. Nam in libro Isaiæ prophetæ invenitur ipse dicens: *Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Et hoc qui diligenter legit, intelliget. Vsus est autem hujusmodi testimonio magnus Basilius, ubi contra Eunomium tractat: ac propter hoc & sanctus Gregorius de Spiritu dixit quod haberet existentiam ex Deo Patre, manifestatus autem fuisset hominibus per Filium, ac ad certitudinem manifestationis, hujusmodi subjunxit: Sicut & Spiritus imago Filii est.

Ioan. 14. Id. 17. Id. ibid. Id. 8. Isai. 48. Basil. cont. Eunom. l. 2.

D Item de gestis primi concilii. Dixerunt SS. patres per Leontium ad philosophum: Accipe unam Deïtatem Patris, qui genuit Filium ineffabiliter, & Filii, qui ex „ eo natus est, & Spiritus sancti, qui procedit ex ipso „ Patre. Item de eisdem capitulum sexagesimum secun- „ dum: Addentes sancti patres dixerunt ad philosophum „ de fonte, flumine, & aqua, per Leontium episcopum: „ Illud autem intelligendum est, o amice de cætero „ veritatis philosophe, quod fontem intelligimus, qui „ fluvium aquæ generat: omnis enim fluvius sicut no- „ sti, fontem habet genitricem: deinde provenit qui- „ dem fluvius de fonte aquæ, sed nullus vocat fluvium „ fontem, aut fontem fluvium; sed fons quidem fons „ nominatur, & fluvius fluvius nominatur, & uterque „ eadem aqua. Cum autem quis de flumine, aut de fonte „ E aquam haurire voluerit, mutat nomen. Non enim di- „ cit, vade & hauri, & defer mihi fontem aut fluvium; „ sed aquam: & una quidem natura est, tres tamen per- „ sonæ nominandæ, fons, fluvius, aqua. „

Gelaz. Cyzic.

His quoque similia Chrysostomus scribit in sermone illo, *Dominus regnavit*, qui sic incipit: Iterum nobis beati David spiritualis cithara, &c. & exemplum hujusmodi apertius ostendit, proponens unum esse fontem, & non duos. Magnus vero Gregorius Theologus apertius exemplum hujusmodi declaravit. Dicit enim in sermone illo ad Evagrium de Deïtate: Sicut solaris luminis radii individui, qui ha- „ bentes naturaliter adinvicem in seipsos quamdam „ habi-

Chrysost. in Ps. 92. Nazianz. or 45.

ANNO CHRISTI 1233.

habitudinem, neque aliunde separantur, neque ab invicem dividuntur, & usque ad nos gratiam luminis dirigunt sive mittunt: eodem modo Filius, & Spiritus sanctus, duplex Patris radius, & usque ad nos lumen veritatis administrant, & Patri uniti sunt. Ac quemadmodum ab aliquo aquarum fonte duo fluvii manant, & positione quidem dividuntur, fluenta adinvicem humoris qualitatem unam & eamdem habent, licet specialiter uterque per se fluat: eodem modo prima causa Pater, fons vitæ, duplicem quamdam Filii & Spiritus sancti gratiam nobis mittens, non aliquando in usia sustinuit passionem, neque aliquam diminutionem sustinuit per aliorum ad nos accessum: hi usque ad nos accesserunt, & a Patre nihilo minus permanserunt inseparabiles.

Quia igitur de primo concilio mentionem fecimus, producendus est etiam magnus Athanasius, qui in primo emicuit concilio, de sermone æternæ essentiæ Filii & Spiritus contra Sabellianos edito, qui incipit: Fides Iudæorum contraria est fidei Gentium. Iudæi unum Deum colunt, Gentiles plures: Iudaismus oppositus est Ethnicismo. Hoc videntes exemplum, etiam nunc alienati sumus ab his, qui ethnicizant sub nomine Christianismi, qui opus Dei audent theologizare, id est, Deum vocare & adorare. Separamur autem ab his, qui iudaizant & qui Christianismum in Iudaismo corrumpunt, qui desinde Deum ex Deo negantes, unum Deum juxta Iudæos dicunt; non ideo quod solus non natus, & solus fons Deitatis est: propterea dicentes ipsum esse solum Deum, sed tanquam carentem Filio, & sine fructu existentem vivi Verbi & sapientiæ veræ. Vide & in hoc loco quod solus Pater fons Deitatis est, & quod propterea unum Deum dicimus, quia unus fons Deïtatis Pater est. Si autem & Filius fons est, sicut quidam dicunt, duo utique dii. Item de disputatione facta cum Macedonio: Si ponatur ejusdem esse naturæ & Deitatis Patris & Filii, & Spiritus, qui ex ipso patre per filium effusus est: προσκυνητὸς καὶ λατρευτὸς ἀποδειχθήσεται, id est, adorabilis, & cui latria exhibenda est, demonstrabitur. Item de eodem sermone. Sicut enim Filius, qui in natura omnia habens Patris, sicut Filius, dicit de seipso; quod *nihil facio a me ipso*, ut bonorum principium ad Patrem reducat: sic & de Spiritu audi ipsum dicentem, quod cum omnia in natura Deïtatis, sicut spiritus Dei, haberet, ad causativum tamen ipsum reducit dicens: *Non loquetur a semetipso, sed quæcumque audiet, loquetur; & quæ ventura sunt annunciabit vobis*: & quod: *ille de meo accipiet*, scilicet de Patre. Item de eodem disputationis sermone. Dixit Macedonius: Tria ergo ingenerata dicis? Respondit idem sanctus dicens: sed non incausata, nec etiam sine Patre. Etenim ingeneratus est Spiritus, sed non incausatus, habet enim causativum Deum, cujus Spiritus est. Licet, si ingeneratus Filius, sed non est sine Patre, habet enim patrem Deum, a quo & natus est: Pater autem & ingeneratus est, & sine causa, & sine Patre. Idem de eodem: Credimus in unum ingenitum Deum Patrem omnipotentem: Spiritus autem sanctus & pneuma existens Patris, semper est in manibus mittentis Patris, & ferentis Filii. Idem de eodem. Capitulum septuagesimum sextum, de testimoniis scripturarum de communione secundum naturam Patris & Filii & Spiritus sancti. Quid est Deus? principium omnium, sicut ait apostolus, unus Deus Pater a quo omnia: etenim Verbum ex eo generative, & Spiritus ab eo processive. Item idem ex epistola ad Serapionem missa, de Spiritu sancto: Nonne male sentientes de Spiritu sancto, neque de Filio sentiunt bene? si enim recte de Verbo sentirent, sentirent etiam sane de Spiritu sancto, qui ex Patre procedit, & Filii existens proprius, & ab eo datur discipulis, & omnibus, qui credunt in eum. Audiant qui bene de Spiritu sancto non sentiunt, qualiter neque de Filio bene sentiunt. Sanum namque intellectum de ipso sanctus iste docet sic esse, scilicet, quod ex Patre quidem procedit, proprius autem Filii est, tamquam qui ab eo discipulis datus est, ac omnibus fidelibus datur. Sunt etiam & aliæ multæ autoritates ipsius sancti, quæ pro nostro dogmate faciunt: sed eas propter sermonis prolixitatem prætermittimus. Item de sermone sancti Gregorii Theologi, ubi tractat de dogmatibus & institutione episcoporum: Servet quidem sermo meus, quod unus nempe est Deus, vel ad jus causatum Filio, &c. Secundum causa & Filio & Spiritui præferentis; non quod compositi sunt vel divisi. Ergo si propter hoc nobis unus Deus est qui adoratur, quia sine causa, vel ad jus causatum est Filio & Spiritui præferentis: qui duas causas dicis in Trinitate, necessitas tibi incumbit duos etiam glorificare Deos. Cum autem Spiritus non sit causa alicujus consubstantialis hypostaseos, nec Deus etiam est, quod blasphemum est, *non dimittitur ei neque in præsenti, neque in futuro.*

Item in sermone illo, ubi tractat de Spiritu: Nobis unus Deus est, quia una est Deïtas, & ad unum ea quæ ex eo sunt respectum habent, licet tria dicantur: ac nec hoc magis Deus, & illud minus Deus, neque hoc prius & illud posterius, neque de voluntate dividuntur, neque virtute separantur. Item de eodem. Quandoquidem ad Deïtatem respectum habemus, & ad primam causam, & ad monarchiam, id est, unum principatum: unum est nobis quod imaginamur. Cum autem ad ea in quibus est Deitas, & ad ea quæ ex prima causa sine tempore, similique gloria ibidem sunt: tria sunt quæ adorantur, &c. Ubi sunt qui male interpretantur, mediatum & immediatum? Sanctus enim doctor iste simili gloria ex prima causa dixit, a patre videlicet, Filium & Spiritum sanctum illuxisse. Item de eodem ex sermone ad Heronem philosophum: Vere Filium dico Filium, quia solitarie & solus & tantum, (neque enim & Pater est) & in totum Filius, & totius, & ab initio. Nota quod Filius tantum Filius, & totum Filius, sed non etiam προβολεύς: id est, quod ex eo processio sit, vel prolator. Item in sermone de his qui navigio ex Ægypto accesserunt. Si autem omnia, quæ habet Pater, Filii sunt, præter causam, omnia vero quæ sunt Filii, sunt & Spiritus præter filiationem, & præter illa quæ temporaliter de ipso dicta sunt propter me hominem, meum honorem, & propter meam salutem. Nota saltem hæc, quomodo sicut dixit quod Filius omnia habet, quæ Patris sunt, præter causam, non dixit quod eodem modo Spiritus omnia habet, quæ Filii sunt præter causam: sed dixit præter filiationem. Si enim sciret quod Filius quoque causa esset Spiritus, non utique tacuisset. Item de eodem. Si enim Filii & Spiritus dignitatem fatentes, ipsos esse sine principio ponere debemus, aut ad aliud ipsos referre principium: necesse utique foret ut ita honoraretur, vel inhonoraretur Deus, aut illud quod contra Deum est, apud nos periclitaretur. Si autem quantumcumque extuleris Filium, sive Spiritum, non supra Patrem pones, neque a causa alienaveris: sed illud ad Patrem, scilicet, bonum genimen, & mirabilem processionem referes seu reduces: quæram,

Marginal notes: Athanas. cōt. greg. Sabellii. — Ioan. 8. — Ioan. 14. — Athanas. epist. ad Serapion. — Nazianz. or. 29. — Luc 12. — Id. or. 37. — Id. or. 23. — Id. or. 24. — Id. or. 33.

ANNO CHRISTI 1233.

ram a te, o Philagennite, & Philanarcha, id est, o amice ingenerati & imprincipiati, utrum injuriatus Deo magis ille, qui istorum ponit principium, quorum ipse inducit, vel ille qui parit, istorum, scilicet Filii & Spiritus, sed natura similiũ, similique gloria existentium, & qualium noster, id est sermo noster intendit. Et post pauca item dixit: Ego deitatis principium introducens, sine tempore, & sine divisione, & sine termino, & principium, & ea quæ ex principio sunt, æqualiter veneror. Hoc quidem, quia istorum principium: ista, quia sic & talia ex tali, neque loco, neque natura, neque bonitate distantia.

Basil. l. 1. cont. Eunom. Item de tract. B. Basilii contra Eunomiũ. Ea quæ patri & filio cõmunia sunt, ea etiam cõmunia sunt Spiritui. Si igitur cõmune est Patri & Filio processio Spirit⁹, erit etiam commune Spiritui, ac procedet ab isto alius Spiritus. Item: Generat Deus non ut homo, generat autem vere, & genimen a semetipso est: profert verbum non humano modo, nam nec os in Deo corporaliter est: ex ipso eodem autem & Spiritus est, & non aliunde. Hoc autem quod dixit, non aliunde, quid aliud notat, nisi quod spiritus non sit ex alia aliqua hypostasi, nisi tantum ex hypostasi Patris? Item idem in sermone illo quem edidit contra Eunomium exponens, *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me:* dicit duas manus esse Patris, Filium & Spiritum. (Id. l. 5. Iob. 10.)

Athanas. cont. greg. Sabelli. Item Athanas. contra Arianos & Sabellianos in sermone illo, qui sic incipit: Repugnat Iudaismus ethnicismo: Spiritualiter filius ex Deo est, & Spiritus ex Deo est: natura Filius a Patre exivit, & Spiritus a Patre procedit: sed Filius quidem a Patre nascendo, Spiritus autem ineffabiliter ex Deo.

Basil. epist. 43. ad Greg. Nyss. Item Basil. in epistola missa Greg. fratri suo, in qua tractat. de differentia usiæ & hypostaseos. Quia igitur Spiritus sanctus, a quo omnium bonorum distributio super terram abundat, a Filio nempe pẽdet, cum quo indistanter comprehenditur, a causa autem Patris exiens habet esse, a quo & procedit. Hoc notionale proprietatis, quæ secundum hypostasim est, signum habet: quod per Filium, & cum eo cognoscitur, & quod ex Patre subsistat: Filius autẽ, qui ex Patre procedentem Spiritum, per seipsum, & cum seipso cognoscens, solus more unigeniti ab ingenito lumine resplendens, nullam secundum proprietatem notionum communionem habet ad Patrem, vel ad Spiritum sanctum. Et quomodo tu dicis communionem habere hypostaticam Filium ad Patrẽ, quia æqualiter ex hypostasi Patris, & ex hypostasi Filii ipse existentiam habet? & hoc & ad aliud inconveniens habens, quod confundis duas hypostases, Patris & Filii, in unam hypostasim. Sicut enim in Trinitate communionum singularitatem habet: ita si, sicut vos dicitis, communionem hypostaticam habet Filius ad patrem, necesse erit vobis etiam unam personam Patris & Filii confiteri.

Damas. pap. Item Damasus papa Romanus, de his quæ ad Paulinum Thessalonicensem metropolitanum scripta fuerunt. Quicumq; non dixerit Spiritum sanctum ex Patre esse, omnimode, vere, & proprie, sicut & Filium, ex Divina usia, & Deum Dei verbum, anathema sit: Iste Damasus propugnator fuit in II. generali concilio.

Celestin. papa. Celestinus vero qui similiter fuit papa Romanus & propugnator in III. concilio, scribit sic in capitulo 10. gestorum ejusdem tertii concilii, ad Nestorium sermonem suum dirigens. Quis unquam non dignus excommunicari judicatus est, aut auferens, aut aliquid addens fidei? Ea enim quæ plene & aperte nobis ab apostolis fuerunt tradita, neque additamentum, neque diminutionem suscipiunt. Legimus, libris nostris, neque addere licere, neque minuere. Magna enim & addentem & minuentem pœna ligat. Vnde cauterium

A & ferrum paramus, cum aliter non sint curanda vulnera, quæ jam incisione digna sunt. Item Gregorius Dialogus papa Romanus de oratione, quæ in festo Pentecostes legitur: Mentes nostras, quæsumus Domine, Spiritus sanctus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. (S. Greg. M lib. Sacram.) Item in fine libri secundi dialogorum, dicit hoc: Vnde siquidem & ipsa veritas Dominus noster Iesus Christus, ut fidem discipulis adderet, dixit: *Nisi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos.* (Idem l. 2. dial. c. 38. Ioan. 16.) Manifestum igitur est quod Spiritus Paracletus ex Patre provenit vel progreditur, & in filio permanet. Sicut igitur isti veteris Romæ pontifices de Spiritu sancto docuerunt, sic & nos alumni novæ Romæ credimus, neque addentes aliquid, neque detrahentes. Si enim scirent, quod B Spiritus a Filio sicut a Patre procederet: hoc nullaten⁹ occultassent, neque ex medietate fidem docuissent. Ex parte enim confiteri veritatem, & ex parte celare, non est patrum orthodoxorum: & maxime in verbis, quæ de Trinitate sunt, ubi etiam prætermissa minima parte, magni periculi causa efficitur.

Veniamus quoq; ad testimonia S. Greg. Nyss. quæ de Spiritu sancto dixit. Sufficit vero divulgatum ab omnibus sanctis patribus, qui in secundo concilio convenerunt, secundum fidei symbolum, ubi ex Patre procedere Spiritum sanctum apertissime dictum est, non addito quod *ex Filio.* Nam & hoc secundum concilium contra Macedonium Pneumatomachum, id C est, Spiritui repugnantem, a pneumate, quod est Spiritus, & machi, quod est pugna, extitit celebratum, qui dicebat Spiritum sanctum esse Filii creaturam. At si scirent sancti patres, qui in ipso concilio congregati fuerunt, quod ex Filio ipse Spiritus haberet existentiam, hoc nullatenus tacuissent, sed dixissent utique, quod non esset creatura Filii, sed ejus pneuma, sicut & Patris. Qui de Filio propter hoc mentionem minime facientes, ad Patrem solum reduxerunt causam existentiæ Spiritus: & sic equidem totus orbis terrarum.

Ex hoc secundo generali cõcilio symbolum fidei accepit & tenet usque hodie. Illis autem, qui dicunt quod ea quæ privatim ab aliquo sanctorum scripta fuerunt, firmiora sunt his quæ communiter & in concilio fuere statuta, non decet respondere: derisorium D enim est, si hoc solummodo cogitetur. Tamen ut ipsos ex majori abundantia devincamus, proponamus in medio ea, quæ privatim ad Ablabium a S. Gregorio Nysseno scripta sunt: Incommutabile naturæ fatentes, quæ secundum ex causativo & causatum est, differentiam non negamus, in quo solum discerni unum ab alio invenimus, hoc quidem causativum esse credere, illud vero ex causativo. Item illius quod ex causa est, aliam rursus differentiam intelligimus. Hoc etenim est proxime ex primo; illud per id quod est proxime ex primo. Dicta quidem ipsius ita sunt. (Nyssen. orat. ad Ablau.)

Respõde ergo mihi, qui ex adverso in secũdo symbolo addidisti, quod ex Patre *& ex Filio* Spiritus S. procedit, nunc iterum, quomodo cõtraria tibi ipsi scribis, E qualiter intelligis prædictã clausulam, scilicet, per id quod est *proxime ex primo*, de Spiritu hoc dictum esse? Si dices quod ex Filio existẽtiam habet proprie & vere spiritus, sed quia Filius ex Patre est, propterea & Spiritus ex Patre est. O quanta inconveniẽtia! abstulisti enim causam existentiæ Spiritus a Patre: & solum Filium fontem existentiæ Spiritus dogmatizas: & imples in hac parte illud proverbiorum impossibile, e converso dicens; *sursum à fluminibus recedunt fontes:* & flumen dicis aquæ causativum, non fontem, unde & fluvius & aqua exeunt. Sic sancti patres in Nicæno concilio dixerunt. Ostendis autem & Damasum papam mendacem, qui anathematizat eos, qui non dicunt proprie & vere ex Patre Spiritum procedere: qui

ANNO CHRISTI 1233.

qui autem dicit, quod procedit, nempe Spiritus sanctus ex Filio, per Filium autem & ex Patre, timeat hujus terribile interdictum. Vera autem interpretatio prædictæ clausulæ, scilicet *proxime ex primo, & per id quod est proxime ex primo*, ita se habet: quod & Filius, & Spiritus sanctus, a primo sunt, scilicet ex Patre, filius tamen immediate propter respectum, qui est ad Patrem. Nam Pater & Filius de his sunt, quæ sunt ad aliquid, & similiter invenitur Filius medius Patris & Spiritus in annumeratione sola nominum, sed non distantia temporali, vel per distantiam temporalem. Per Filium autem & Spiritus sanctus ex causa Patris proprie & vere existens est, unde & procedit.

Item de eodem ex sermone edito contra Eunomium. Patri etiam secundum increatum conjunctus est Spiritus: iterum ab eo ut Pater, nō sicut ipse distinguitur. Ea autem qua Filio est secundum increatum conjunctione conjunctus, & in eo quod causam existentiæ a Deo fonte omnium habet, regreditur iterum ad suum proprium, in eo quod neque more unigeniti a Patre subsistat, & in eo quod ipsum illuceat. Item de eodem sermone. Quomodo impossibile erit, quod in inferioribus, hoc & increata & ante sæcularia existimare existentiam esse, in qua Pater quidem imprincipiatus, & ingenitus, ac semper intelligitur; ex ipso autem secundum proximitatem indistanter unigenitus Filius cum Patre simul intelligitur; per ipsum autem & cum ipso antequam aliqua nova & insubstantialis per medium intercideret cogitatio, statim Spiritus sanctus per Filium conjunctum comprehenditur, non posterior Filio secundum existentiam: ita quod nunquā unigenitus Filius sine Spiritu intelligatur, sed quod ex Deo omnium & ipse causam essendi habeat, unde & unigenitum lumen est; per verum autem lumen ipse Spiritus resplendens fit.

Idē cont. Eunom.

Itē contra eū qui nō recte intelligit, quod per Filium ex Patre, producamus etiam ipsius Nysseni fratrem magnum Basilium, quibusdam canonicis sic scribentem. Si non est ex Deo Spiritus sanctus, per Christum autem est: omnino non est, adeo quod detrimentum quod in ordine fit, ipsius existentiæ contemptum habeat & totius fidei negationem. Quod est autem hujuscemodi detrimentum? quod cum omnes sancti patres a patre procedere Spiritum doceant, & quod per Filium hominibus datur: illi qui ex opposita parte sunt, dicunt quod ex Filio Spiritus existentiam habeat, per Filium autem & ex Patre. Hoc est detrimentum, quod magnus Basilius fidei abnegationem dicit.

Basil. ep. 141.

Item sanctus Cyrillus in capitulis contra Nestorium excommunicatum in nono videlicet capitulo dixit sic: Quicumque unum dominum nostrum Iesum Christum glorificatum fuisse a Spiritu, & eo tamquam aliena virtute usum fuisse, & ab eodem spiritum recepisse, ut posset adversus immundos spiritus prævalere, & in homines Divina miracula exercere, & non potius proprium ejus Spiritum esse dixerit per quem miracula operatus est: anathema sit. Huic ergo verbo adhærens videlicet, *& non potius proprium ejus spiritum esse dixerit*, Theodoretus episcopus inter alia multa dicit: Si tanquam ex Filio, aut per Filium existentiam habētem, proprium dicis Spiritum esse Filii, o Cyrille, blasphemum est hoc, sicut impium id projicimus. Credimus tamen Domino dicenti Spiritum sanctum *qui à patre procedit*; & B. etiam Paulo dicenti similiter: *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est*. Respondit ergo ad hæc sanctus Cyrillus, & cum venit ad locum illum, ubi de Spiritu tractarat, non repugnat super his contra Theodoretum, nec dicit quod non sit blasphemum dicere, quod Spiritus ex Filio existētiam habeat, immo orthodoxū est hoc maxime & pium. Sed quod

Cyril. anathem. 9.

Theodor. cont. anathemat. 9 Cyrilli.

Ioan. 15.

1. Cor. 2.

dixit, procedit, nempe tamquam ex Deo & Patre, Spiritus sanctus juxta vocē Salvatoris. Sed non est a Filio alienus: omnia tamen habet cum Patre, & hoc ipse de Spiritu docuit dicens: *Omnia quacumque habet Pater, mea sunt.* Explanavit ergo & exposuit hic sanctus super his omnia disputabilia verba sua super existentiam Spiritus, & docuit nos ubicumque hujusmodi verbum inveniamus, scilicet Spiritum Filii, & Spiritum Christi dici, intelligere & credere possimus hoc propter identitatem naturæ dictum & intellectum fuisse. Si tamen crederet idem sanctus, quod a Filio existentiam haberet: hoc nequaquam silentio transivisset. Animæ etenim periculum est, subticere ea quæ ad fidem spectant: & maxime ei, qui potentes adversarios habet, & quem propter hoc ipsum blasphemum vocant. Qui autem dicunt, quod capitula ipsius Theodoreti excommunicata fuerunt sive reprobata per quintum concilium: audiant a nobis, numquid etiam omnia quæcumque de Divina scriptura idem Theodoretus dixit, ut illud, Christus verus Deus est; & quod credimus Domino dicenti, *Spiritum qui ex Patre procedit*; & B. Paulo similiter dicenti, *Nos autem non spiritum mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est*, insimul excommunicata fuerunt. Numquid & responsum sancti Cyrilli super his factum, insimul excommunicatum fuit? nequaquam. Interrogatus fuit Christus a Caipha, & ab impio cœtu ejus: *Tu es Christus filius Dei vivi*? qui respondit: *Ego sum.* Ille autem respondit, quod blasphemasset. Nos autem excommunicamus Caipham & dictum ejus, qui dixit quod blasphemasset: sed responsum Christi adoramus & veneramur ut verum.

ANNO CHRISTI 1233.

Ioan. 16.

Ioan. 15.

1. Cor. 2.

Idem S. Cyrill. Ioannem Antiochenum & synodum ejus, cujus pars potissima idem Theodoretus erat, recepit, & socios ipsos habere confessus est, & ex tunc cavebat sibi ne scriberet de Spiritu sancto, quod ex Filio profunderetur & emanaret, &c. quæ habere scandali materiam videbantur. Post responsum tamen ejus ad Theodoretum factum scribit Ioanni Antiocheno epistolam de concordia, vel unitivam, quæ sic incipit: Exultent celi & lætetur terra: & procedēs, dicit: Nullomodo commoveri, vel concuti ab aliquibus sustinemus statutum fidei, id est, fidei symbolum, quod a sanctis nostris qui in Nicæna civitate convenerunt pro tempore statutum extitit: nec etiam permittimus nobis vel aliis aut dictionem mutare, de his quæ continentur ibidem, aut unam saltem transgredi syllabam, memores existentes illius, qui dixit: *Ne transgrediaris terminos sempiternos, quos posuerunt patres tui*: non enim ipsi erant qui loquebantur, sed Spiritus Dei Patris qui ex Deo quidē procedit, est autem non Filii alienus secundum usiæ rationem. Post hæc iterum Poto" existente patriarcha Constantinopolitano scribit quandam epistolam quibusdam monachis, cujus initium est: Diligentia doctrinæ, & diligentiam laboris vestræ caritatis: in qua totum symbolum sanctum narrat, ac expleto sermone in quo de Filio tractavit, incipit tractare de Spiritu, scribens sic: Explicato sermone quem beatiss. patres de Christo ediderant, fecerunt de Spiritu sancto mentionem. Credere enim dixerunt in eum quoque, sicut & in Patrem, & in Filium. Consubstantialis enim eis est, & profunditur utique, id est, procedit sicut a fonte ex Deo Patre: distribuitur autem creaturæ per Filium. Insufflavit namque apostolis suis dicens: *Accipite spiritum sanctum*: In superioribus autem epistolæ ista dicit: Editam ergo & institutam a sanctis patribus, qui in Nicæa civitate convenerunt, fidem servaverunt sine transgressione & alii sancti patres, qui post illos fuerunt, & qui doctores populorum, & lumina ecclesiarum, & optimi artifices mysteriorum fuerunt secundum

Cyrill. epist. 28.

Prov. 22.

" Procla

Cyrill in exposit. symboli.

Ioan. 20.

Cyrill. ib.

ANNO CHRISTI 1233.

cundum concilium. Idem Cyrillus in hoc tertio concilio notans, quod & ipse secutus est, & cui ipse præfuit: qualiter enim dictum esset tertium concilium, nisi secundum & tertium sequeretur. Item idem Cyrillus. « Nihil penitus defuisse vel prætermissum esse de omnibus quæ ad salutem sunt necessaria, inueniet quis in sanctorum patrum confessionibus; id est, statutis quæ condiderunt de recta & incomparabili fide, ad reprobandam omnem hæresim, & obturandum os blasphemum, ac ad certitudinem & firmitatem illorum, qui recte in fide incedunt. » Sciendum namque est, quod idem sanctus Cyrillus magnus certamen iniit, & multos sermones proposuit contra Nestorii hæresim: qui Nestorius inter alias blasphemias suas, hoc etiam de Christo dicebat, quod miraculorum gloriam dominaliter Christo Spiritus sanctus largitus fuisset: hoc autem non est verbum meum, sed est verbum ipsius sancti Cyrilli in responso quod fecit Theodorito in nono capitulo excommunicationum: ubi talia dixit: « Accedens dixi, quia injuriosis verbis, id est, blasphemiis & praviloquiis, quæ nimis incaute a Nestorio dicta sunt, vis capitulorum pugnat. Illo enim dicente de Spiritu sancto, quod tantam gloriam largitus fuisset, quod dæmonibus ipsum terribilem fecisset, & ascensionem ei ad se largitus esset; ac eodem, sicut de aliquo homine nobis simili, una hæc proferente facta fuit necessario excommunicatio: non quidem contra illos qui dicunt Iesum glorificatum fuisse a Spiritu, id est, quod humanatum fuisset Verbum Dei; sed contra illos potius, qui ipsum dixerunt virtute Spiritus ut aliena usum fuisse. » Et contra hujusmodi hæresim repugnans festinauit ostendere, qualiter alienus non erat Spiritus sanctus ab usia unigeniti Filii, neque dominus Christi, sed æqualis ei honoris. Atque in multis sermonum suorum, hujusmodi intentionem habuit. Quandoque quidem dicit quod profunditur a Filio sicut a Patre, quandoque quod emanat a Filio, quandoque quod distribuitur a Filio, interdum quod Spiritus est Filii: hæc autem ad unam tantum intentionem respiciunt, quod videlicet non est alienus Spiritus sanctus ab usia Filii, & effunditur ex eo, non quod per participationem ipsum Spiritum secum habeat, sicut omnes justi; sed quod ante omnia sæcula quidem Patris sic existens & Filii, etiam in seipso, non in Filio requiescit & permanet, sicut sancti docent: perfunditur autem non usia Spiritus, Deus enim non effunditur, sicut ait Chrysostomus in sermone quodam, quem de Spiritu sancto edidit, ubi dicit, se donum Spiritus. Item breve responsum super prædictis de omnibus quæ ad quæstionem videbantur pertinere, ab eodem magno Cyrillo factum. Ipse enim ex debito expositor est sermonum suorum, qui interrogatus quomodo diceret Spiritum ex Filio proprium, non dixit, pro eo quod ex Filio procederet, sed quod non esset a Filio alienus, videlicet secundum naturam. Quod autem secundum naturam alienum non est, proprium est secundum naturam; quod sentit Omousion. Non autem omne quod secundum naturā proprium est alicui, jam ex eo est.

Cyrillus in respōs. ad reprehension. Theodoreti.

Poteramus etiam alia vobis testimonia producere tam de sancto confessore Maximo concordantia nostro dogmati per omnia, & multa, & efficacia, & quibus contradici non posset, & cum euangeliis conuenientia de Spiritu sancto, quod ex Patre procedit, & quod Spiritus veritatis dicatur: quam a sancto Sophronio patriarcha Ierosolymitano: quæ testimonia sextum concilium approbat: & etiam a sapientissimo & B. Ioanne Damasceno, qui inter alia multa, sic dixit: Spiritum Filii dicimus, ex Filio autem non dicimus. Sed quia ad prolixitatem noster sermo ex-

Damasc. lib. 1 de fide orthodox.

A tensus est, in hoc sermone signamus. Recipimus omnes traditiones apostolorum tam scriptas quam non scriptas. Veneramur septem sacra & generalia concilia, & quos illa receperunt recipimus; & quos reprobauerunt, reprobamus. Et ritus ecclesiasticos, qui tunc tenebantur, sequimur, & hactenus observamus, sicut a sanctis apostolicis ecclesiis per universum mundum existentibus tradita fuerunt: ac sicut regali purpura induti animam fide orthodoxa clari stabimus ante tribunal Christi, & per eam regni Christi erimus participes, intercedente immaculata domina nostra Dei genitrice, & semper virgine Maria, cum omnibus sanctis, qui pro fide certauerunt certamen dulcissimum, per quod meruerunt coronam im- B marcescibilem & gloriam sempiternam. Fiat hoc, Pater omnipotens, genitor unigeniti Filii tui, & proveleus Spiritus tui sancti. Amen, Amen, Amen.

Charthophylax summæ Dei ecclesiæ Constantinopolitanæ Aulinus præsentem libellum nostræ confessionis, & fidei, præcepto sanctorum patriarcharum tam generalis, quam Theopoleos magnæ Antiochiæ, persuasione etiam sancti concilii subscripsi.

G.C. *His subjungit Vadingus*: Nullibi adeo diffuse Græcorū fundamenta pro pertinaci illa sua hæresi vidi congesta, neque in aliis eorum scriptis quæ occurrerunt, neque in concilio Florentino, neque apud controuersistas. *Et paulo post*: Sane quædam citant opuscula, quæ non facile licet inuenire: alia corrupta sunt, modo ad castigatissimas hujus temporis editiones ea referamus: cætera facilem habent solu- C tionem. Nam vel eorum vis in eo consistit, ut Patrem dicant fontem, principium, radicem, & his similia: quod verum est, cum Pater sit principium sine principio Filius vero etiam principium esse potest, sed principium de principio Vel negant Filio causalitatem (phrasis est antiqua Græcorum) quam haber Pater: quod verum est de ea, qua Pater respicit Filium. Vel asserunt Spiritum sanctum procedere a Patre per Filium. Quem loquendi modum in sensu cohærere cum locutione Latinorum, largius probat Bessarion cardinalis, Nicænus archiepiscop. in oratione habita pro unione utriusque ecclesiæ in concilio Florent. necnon ipsum concilium, atque multi, qui data opera, de hac controversia scripserunt. Fugiebant autem phrasim illam, procedere ex, vel a, vel de Filio, judicantes has præpositiones rationem denotare principii: putantes necessario ex illo loquendi modo statim inferri duo principia. Vt vero per- D ceperunt rationem unius principii constare cum sententia Latinorum: facilius & alacrius iisdem subscripserunt: ut videre est in conclusione concilii Florentini, & ex iis quæ gesta sunt in concilio Lugdunensi sub Gregorio X.

DECRETA

IVHELLI TVRONENSIS ARCHIEPISCOPI PRO ECCLESIA BRIOCENSI, Anno MCCXXXIII.

ANNO CHRISTI 1233.

IVhellus Dei gratia Turonensium archiepiscopus, omnibus Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem in Domino.

E Cum in Briocensi diœcesi visitationis officio fungeremur, nos ad Briocensem ecclesiam accedentes, quædam in ea ad honorem Dei & ipsius ecclesiæ, venerabili Fratre nostro VVillelmo dicti loci episcopo, & canonicis quos invenimus ibidem, præsentibus & consentientibus, duximus statuenda: quæ si bene custodiri contigerit, ipsa ecclesia Divino servitio, concedente Domino, non privabitur in futurum.

Statuimus siquidem quod septem canonici qui in villa Briocensi præbendas suas percipiunt, ad parochiam Briocensis ecclesiæ vicarium unum eligent, quem episcopo præsentabunt, & qui ab eo curam animarum habebit. Vicarius vero prædictus duos capellanos secum habebit, quos episcopo præsentabit: ita quod ipse vicarius & duo capellani prædicti parochiæ servire tenebuntur, & etiam majori altari

ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1233.

ecclesiæ Briocensis, & horis in eadem ecclesia interesse. Vicarius vero omnes redditus parochiæ prædictæ percipiet, exceptis peregrinorum oblationibus, & bladi decimis, quæ dictis septem canonicis remanebunt: & etiam vicarius persolvet eisdem quatuor libras annuæ pensionis. Tenebuntur autem jurare tam vicarius quam capellani sui canonicis memoratis, quod redditus ipsorum qui ad eorum manus devenient, fideliter custodient, & reddent eisdem. Alii autem quinque canonici per se, si voluerint, deservient in ecclesia memorata. Quod si non fecerint, cantor & archidiaconus Guillelmus vicarios sacerdotes in ipsa tenebunt, ita quod uterque eorum centum solidos de redditibus præbendæ suæ vicario suo annuatim concedet. Guillelmus vero canonicus & diaconus vicarium diaconum in ipsa tenebit, qui de redditibus præbendæ suæ sexaginta solidos percipiet annuatim. Magistri vero VVillelmus de Alta villa, & Petrus de Moncontor vicarios subdiaconos tenebunt ibidem, quorum uterque de redditibus eorum ipsorum quinquaginta solidos annuatim habebit.

Statuimus insuper quod nullus canonicus vel clericus de choro Briocensi a pulsatione matutinarum usque post magnam Missam: & a pulsatione nonæ usque post completorium, sine superlicio intret ecclesiam Briocensem.

Statuimus præterea, quod de redditibus servitio ecclesiæ deputatis, canonicis qui horis intererunt, per aliquẽ vel per aliquos ad hoc a capitulo deputandos, fiat quotidie distributio, tali modo: Ad matutinas scilicet, quatuor denarii; ad magnam Missam, tres denarii; ad vesperas, duo denarii deputentur: ita quod si dicti redditus ad distributiones istas per totum anni curriculum faciendas non possent sufficere, saltem semper aduentus, & quadragesimæ temporibus fiat distributio, ut in aliis temporibus sit defectus potius quam in istis. Considerantes etiam quod in dicta ecclesia sint quædam pingues, quædam vero tenues præbendæ, cùm dignum sit, quod qui in vinea Domini sabaoth par pondus sustinent & laborem, pari recompensentur mercede: statuimus quod post obitum quinque canonicorum qui pinguiores habent præbendas, omnes in dicta ecclesia adæquentur præbendæ, sic scilicet, quod quilibet canonicus pro grossa præbenda xx. libras percipiat, ratione cuius residentiam sex mensium vel in ipsa ecclesia facere teneatur, vel in schola ubi sit studium generale: super quo & teneatur capituli sui consensum requirere; quod tamen eidem capitulum non poterit denegare.

Duodecim vero præbendis sic in ipsa ecclesia adæquatis, residuum, si quod fuerit, servitio ecclesiæ deputetur. Decedentibus vero canonicis, si præbendam vacare contigerit, quæ valorem viginti librarum excedat, de illa viginti libræ instituendo canonico assignentur, & residuum communitati canonicorum applicetur. Cum autem præbenda minoris valoris quam viginti librarum vacaverit, substituendus in ea canonicus ipsam in statu illo habeat, donec post obitum illorum quinque canonicorum qui pinguiores habent præbendas; ita quod ipsis defunctis, omnes præbendæ tam pingues quam tenues ad viginti librarum valorem, ut dictum est, redigantur, & residuum servitio ecclesiæ deputetur.

Episcopus vero prædictus, ecclesiæ suæ honorem & exaltationem desiderans, ut in dicta ecclesia canonicorum numerus augeatur, ad preces nostras concessit capitulo Briocensi ecclesiam de Ploidran, ab ipso, post obitum personæ quæ in præsentiarum tenet eandem, in perpetuum possidendam. De qua nos volentes quod non solum in Briocensi ecclesia per vicarios vel per capellanos, sed & per canonicos sacerdotes serviatur: de consensu ipsius episcopi & canonicorum qui tunc erant præsentes, statuimus quod cum dictam ecclesiam vacare contigerit, capitulum in ipsa ponet vicarium, episcopo, ut curam animarum ab ipso habeat, præsentandum, qui secum unum capellanum habebit, & tenebit; cui certa portio de proventibus ipsius ecclesiæ relinquetur. De residuo vero fient in ecclesia Briocensi duæ præbendæ sacerdotales, aliis præbendis æquales, in quibus episcopus duos creabit canonicos, qui in sua institutione jurabunt, quod in ecclesia Briocensi per se deservient; & quod infra annum a tempore suæ institutionis se facient in presbyteros ordinari. Quod si non facerent, præbendæ ipso jure vacarent, & aliis ab episcopo conferrentur. Nec poterunt episcopus vel capitulum tempus hujus prorogare. Si quid vero de portione, quam capitulum percipiet in ecclesia memorata, ultra quadraginta libras, ad dictas duas præbendas assignandas, residuum fuerit: servitio Briocensis ecclesiæ deputetur. Capitulum vero memoratum gratiam sibi factam ab episcopo tenens memoriter, & volens se ei reddere non immerito gratiosum: ecclesias de Pleneet & de Henanbian, ad usus episcopalis mensæ antea deputatas, concessit eidem liberaliter & benigne, ab ipso & suis successoribus in perpetuum possidendas.

Ut autem ista ordinatio futuris temporibus inviolabiliter observetur, statuimus quod instituendus episcopus, post consecrationem suam, antequam recipiatur in ecclesia Briocensi, juret se servaturum eamdem, & eam sigillo suo sigillet: similiter quilibet instituendus canonicus, antequam ei stallum in choro, & locus in capitulo assignetur, juret se servaturum eamdem; & quod denarios distributionum, nisi horis interfuerit, non percipiet, nec præbendam suam, nisi residentiam in ecclesia Briocensi fecerit, ut superius est expressum.

Actum apud S. Briocum de consensu venerabilis fratris nostri VVillelmi episcopi Briocensis, qui præsentibus litteris sigillum suum apposuit: & de consensu etiam canonicorum qui tunc in eadem ecclesia præsentes erant. Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo tertio, mense Octobri.

Ego Petrus primo vidi hanc chartam anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo quarto, die Iovis post Epiphaniam Domini.

" ** CONVENTUS MOGUNTINUS ADVERSUS QUOSDAM DE HÆRESI infamatos, anno Domini MCCXXXIII. celebratus.

ANNO CHRISTI 1233.

Orta erat in Germania Stadingorum hæresis, dæmone magistro usa, qui se multiplices formas induebat in secretis eorum scholis, in quibus horrenda flagitia perpetrabantur. Ad eam excindendam Pontifex " litteras ad Conradum Marpurgensem ex ordine Prædicatorum dedit, quibus hortatus est, ut perfidos revocare niteretur a scelere; si pertinaces essent, sacram in eos militiam compararet. Paruit Conradus pontificis mandato, ut ex anonymo Schafnaburgensis continuatore intelligimus: qui ad annum MCCXXXII. Circa Rhenum, *inquit*, & alibi, innumerabiles hæretici, per magistrum Conradum de Marburg, autoritate apostolica examinati, ac per sententiam sæcularem damnati, igne combusti sunt. Fuerunt autem præsente eodem Conrado Erphordiæ quatuor combusti. Anno MCCXXXIII. rex (Henricus Friderici Imperatoris filius) & Moguntinus (archiepiscopus Conradus) & magister Conradus de Marburg, Moguntiæ conventum episcoporum & comitum

" lib. 6. registri, ep. 173.

Conventus.

ANNO CHRISTI 1233.

comitum atque clericorum fecerunt pro quibusdam infamatis de hæresi. Inter quos comes de Seine accusatus, inducias purgationis ulteriores obtinuit. Super reliquos vero qui non comparuerunt, prædictus Conradus de Marburg, ibidem populum cruce signavit. Quapropter illi felle amaritudinis commoti, jam dicto Conrado in reditu insidias juxta Marburg ponentes, ipsum una cum Gerardo Minoris ordinis fratre, probatæ vitæ viro, III. Kal. Aug. crudeliter occiderunt. *Addit*: Hoc anno hæreticorum innumera multitudo per totam Alemanniam igne cremata est: multoque plures hæresim abjuraverunt.

** *INQUISITIONES PER ARCHIdiaconatus episcopatus Lincolniensis, a singulis archidiaconis faciendæ.*

ANNO CHRISTI CIRCITER 1233.

1. AN aliqui rectores ecclesiarum, vel vicarii, vel sacerdotes parochiales, sint enormiter illitterati?

2. An sacramentum Eucharistiæ portetur ad infirmos, cum debita reverentia, &, sicut decet, custodiatur?

3. An aliqui prædicti, vel aliqui infra sacros ordines constituti, sint incontinentes?

4. An incontinentes sint correpti per archidiaconum loci, & quoties unusquisque sit correptus & qualiter?

5. An aliqui convicti vel confessi super incontinentia, obligaverint se ad resignationem beneficii, vel ad aliquam pœnam canonicam si recidiverint, & si quisquam eorum recidiverit post obligationem?

6. An aliqui beneficiati, in sacris ordinibus constituti, sunt uxorati?

7. An aliqui clerici frequentent ecclesiam monialium sine causa rationabili?

8. An aliquis clericorum in sacris ordinibus teneat mulierem cognitam sibi, vel aliam, de qua oritur suspicio mala?

9. An aliqui sint ebriosi, vel tabernas frequentantes, vel usurarii, vel negotiatores, vel pugnantes, vel alio vitio notentur?

10. An aliqui sint firmarii, dantes vel recipientes ad firmam ecclesias, sine licentia episcopi?

11. An aliqui sint vicecomites, vel justitiarii sæculares, vel tenentes bailivas a laïcis, unde obligentur eis ad ratiocinia?

12. An aliqui rectores faciant pactum cum sacerdotibus suis annuis, ut præter stipendia a rectore recepta, possint ab aliis recipere annualia vel triennalia?

13. An aliquis sacerdos parochialis non habeat a rectore suo sufficientem sustentationem?

14. An laïcis detur ad firmam aliqua libera terra alicujus ecclesiæ?

15. An redditus assignati ad luminaria, vel ad alios usus ecclesiæ certos, in certos usus ecclesiæ convertantur, vel in usus rectorum vel vicariorum?

16. An alicubi compellantur parochiani, ut in die Paschæ simul communicent & offerant?

17. An aliqui intendant histrionibus, vel ludant ad aleas, vel taxillos?

18. An aliqui portent arma, vel non habeant tonsuram, & habitum congruentem?

19. An aliquis habeat plures curas animarum sine dispensatione?

20. An aliquis rector, sive vicarius, sit filius proxime ministrantis?

21. An aliquis sacerdos extorqueat pecuniam pro pœnitentia vel aliis sacramentis, vel injungat pœnitentias lucrativas?

22. An diaconi ministrent sacramenta solis sacerdotibus commissa, vel audiant confessiones?

23. An aliquis rector vel vicarius non sit in ordine, quem exigit sua cura, vel non faciat residentiam in suo beneficio?

24. An ecclesia aliqua non habeat clericos vel clericum honestum secundum facultates ecclesiæ?

25. An mercata, vel ludi, seu placita sæcularia, sint vel fiant alicubi in locis sacris?

26. An cœmeteria sint ubique clausa, & ecclesiæ decenter ædificatæ & ordinatæ, & vasa sacra rite custodita?

27. An aliquis sacerdos celebret de aceto?

28. An aliqui beneficiati, audiant vel doceant leges sæculares?

29. An canon missæ sit rite correctus?

30. An alicubi leventur arietes, vel fiant scottalos, vel decertetur in præeundo cum vexillo matricis ecclesiæ?

31. An ad mandatum ecclesiæ & episcopi, hæc in singulis ecclesiis alias sint prohibita?

32. An aliquis clericus vel laïcus teneat in hospitio suo concubinam clerici: & ubi sunt concubinarum receptacula?

33. An aliquis sacerdos sit desidiosus ad visitandum infirmos?

34. An chrismalia convertantur in usus sæculares?

35. An aliqui religiosi appropriaverint sibi aliquas decimas vel ecclesias, sine licentia episcopi, vel aliqua hujusmodi?

36. An aliquæ ecclesiæ sint vel fuerint retentæ sine sacerdote?

37. An aliqui vicarii se faciant rectores, vel e converso?

38. An aliqui illegitimi, cum quibus non est dispensatum, habeant ecclesiastica beneficia, vel sint in sacris ordinibus constituti?

39. An aliqui gerant se rectores vel vicarios, qui non sunt per episcopum instituti?

40. An superaltaria sint honesta, & non " molentur super ea colores, & quæ ecclesiæ sint dedicandæ? " *f. numi mutentur*

41. An aliqua, post Oxoniense concilium, sint diruta sine episcopi licentia?

42. An Judæi morentur alicubi, ubi non consueverunt morari?

43. An adulteria, vel crimina publica laïcorum, sint rite per archidiaconum correcta; & si aliqua sint incorrecta?

44. An in singulis archidiaconatibus sint sufficientes pœnitentiarii episcopi?

45. An aliqui laïci sint pertinaces, ut stent in cancello cum clericis: & qui sacerdotes sunt ordinati alibi extra episcopatum, & per quem licentiati sunt ad celebrandum?

46. De vita & honestate archidiaconorum, decanorum, & clericorum, qui ministrant in ecclesiis?

47. An aliquis sacerdos bis celebret in die, nisi in casibus concessis, & in propria persona, in propria ecclesia?

48. An aliqua anachorita facta sit sine assensu episcopi?

49. An in aliqua capella celebretur sine assensu episcopi?

50. An alicubi morentur monachi vel alii religiosi in grangiis, vel aliis possessionibus suis, & quomodo se gerunt, & cujus famæ sunt? De famulis eorum & servientibus, quomodo se gerunt, & cujus famæ sunt?

** CONCI.

ANNO CHRISTI 1234.

** CONCILIUM ROMANUM PRO EXPEDITIONE IN TERRAM SANCTAM suscipienda,

Indictum anno Dom. MCCXXXIV. sub Gregorio papa IX.

BZovius autoritate epistolarum a Gregorio IX. scriptarum, acta hujus concilii summatim enarrat his verbis: Eodem anno Gregorius pontifex recuperationi terræ sanctæ intentus, concilium Romæ celebravit. Intererant, cum imperatore Friderico & archiepiscopis atque episcopis, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Hierosolymitanus. Ex omnium judicio decreta est expeditio generalis, ad subveniendum rebus Syriacis. Huic sacro negotio præpositus fuit Theodoricus archiepiscopus Ravennas, cum potestate legati de latere, quem ut omnes debito honore prosequerentur, & in rebus agendis illi obtemperarent, ex sententia concilii Gregorius omnibus archiepiscopis & episcopis in regno Hierosolymitano scripsit, Spoleti 6. Augusti. Fridericus autem imperator universis baronibus, militibus, & populo præcepit, datis Reate litteris anno Dominicæ Incarnationis MCCXXXIV. mense August. Indict. 7. Concessit tunc Gregorius Theodorico, & subjunctis illi episcopis, ut omnis pœnæ peccatis debitæ remissionem iis autoritate pontificia indulgerent, qui in Hierosolymitanam expeditionem aut ipsi exirent, aut pecuniam militesve submitterent. Injunxitque episcopis, ut cruce insignire eos possent, qui in eo sacro bello militaturi accederent. Ad hæc renovavit execrationem concilii Lateranēsis in eos qui ad Saracenos ferrū efferrēt, datis litteris Theodorico archiep. 6. Idus Nov. Perusii, quo se Gregorius cōtulerat, ut exules cōpesceret.

G. C. Non Romæ celebratum esse hoc conciliū, sed Spoleti, docet Odoricus Raynaldus ex autore anonymo vitæ Gregorii IX. cujus hæc verba refert: *Ibidem primo crucis verbum in terræ sanctæ subsidium in majori platea civitatis utriusque sexus populo congregato lacrymabiliter & devote proponens, eorum turbam non modicam, cum lacrymarum profluvio, crucis charactere insignivit.* Eodem faciunt litteræ Gregorii, quas post cōcilium ad episcopos omnes & prælatos alios Hierosolymitani regni dedit. Sunt enim illæ Spoleti datæ, ut Bzovius paulo ante retulit. Extant apud Rubeum, histor. Ravenn. lib. VI.

ANNO CHRISTI 1235.

** MODUS CONSTITUENDI ABBATIS EXEMPTI APUD ANGLOS POST CONCILIUM generale Lateranense, sub papa Innocentio III. prout habetur in exemplo constitutionis Ioannis II. abbatis S. Albani XXIII. Anno Dom. MCCXXXV. Henrici III. XIX.

Ex vet. cod. MS. de gestis abb. S. Albani, in biblioth. Cottō.

Ex tomo II. conciliorum Britannicor.

IOannes secundus, VVilhelmo abbati successit creatus in abbatem. Iste de Herefordia oriundus, & in cella quæ ibidem est, primo in sacristam, postea in Priorem a memorato abbate promotus: vir extitit dapsilis, & mansuetus, corpore elegans, fratribus suis socialis, & reliquis amabilis universis; & a stirpe mediocri, laudabili, mansueta procreatus legitime; de virtute in virtutem progrediens, præclaræ famæ dotibus meruit honorari. Unde, meritis ejus promerentibus, rite meruit in abbatem, sine alicujus commendatione, sublimari. Et quoniam primus erat in abbatem creatus post concilium Lateranense generale, a papa Innocentio tertio celebratum; in quo constitutum erat ut abbates exempti ab ipso papa confirmarentur; & prædecessor VVilhelmus, circiter viginti annis, in prosperitate prævixerat: hæsitabant quid agendum foret de hujus negotii progressu & egressu universi. Vocantur igitur ad consilium conventus, magistri solennes & juris periti. Horum igitur consilio seniores & saniores ipsius consulte ac prudenter, in tam arduum negotium & tutius processerunt, ita ut posteri in consimili casu constituti poterunt edoceri. Litteræ igitur ad dominum papam & dominum regem, & alios transmittendæ illico post mortem nominati abbatis VVil. & electionem sequentis, scilicet Ioannis, sunt confectæ: quæ in illo libello inseruntur, cum quibusdam aliis, quę exprimunt modū & formā electionis.

ANNO CHRISTI 1235.

Littera domino regi pro licentia eligendi.

„ EXcellentissimo domino & in Christo reverendissimo Henrico Dei gratia illustri regi Anglorum, domino Hiberniæ, duci Norm. & Aquitan. comiti Andegaviæ, devoti sui semper & humiles, Prior sancti Albani, & ejusdem loci conventus, cum omni humilitate & devotione, æternam in Domino salutem. Vestræ innotescimus excellentiæ, quod venerabilis pater noster VVillielm. quondam abbas ecclesiæ nostræ, in fata decessit. Ideoque dilectos fratres nostros N. & N. latores præsentium, ad vos destinamus, excellentiæ vestræ, omni qua possumus devotione & lacrimarum effusione, flexi que genibus supplicantes; quatenus Divinæ pietatis intuitu, nobis gratiam impartientes, eligendi pastorem liberam nobis concedatis facultatem: statui domus nostræ misericorditer, si placet, compatientes, juxta necessitates, quas dicti fratres nostri vobis duxerint exprimendas. Valeat regia dignitas in æternum.

Littera amicis in curia pro expeditione.

„ VRgentibus negotiis novis, & inopinatis emergētibus, piorum amicorū auxilium familiare, & cōsilium invocare, evidens suadet honestas, & cōpellit instans necessitas. Ideoque sinceræ paternitati vestræ, omni qua possumus devotione supplicamus, quatenus Divinæ pietatis intuitu, statui domus nostræ juxta necessitates quas fratres nostri N. & N. latores præsentium vobis duxerint exprimendas, misericorditer, & paterno subveniatis affectu: eo quod venerabilis pater noster VVillielm. quondam abbas monasterii nostri, Divino nutu diem clausit extremum: nos monachos suos, quasi orphanos, piorum consilio relinquens & auxilio destitutos. Quorum indigentiæ sic vestra dignetur consulere miseratio, ut Deus pater pupillorum digna mercede vestram remuneret pietatem.

Convocatio Priorum ad electionem.

„ FRater E. Prior sancti Albani, ejusdemque loci conventus dilecto sibi in Christo tali vel tali Priori, salutem in Domino sempiternam. Quoniam venerabilis pater noster VVillielm. quondam abbas monasterii nostri Divino nutu diem clausit extremum; & oportet per commune consilium ecclesiæ nostræ providere de pastore: mandamus, quatenus in crastino Annunciationis Dominicæ proximo affuturæ compareas personaliter apud S. Albanum, una nobiscum tractaturus super electione abbatis. Quod si forte non poteris, justa ex causa impeditus, tunc te sub hac forma excuses per litteras tuas patentes.

Excusatio Priorum non venientium.

„ VIris nobilibus, domino E. Priori de sancto Albano, ejusdemq; loci cōventui, frater N. Prior talis vel talis loci, salutem. Præpeditus negotio certo, videlicet assignato, vel gravi detentus infirmitate, in crastino Annunciationis Dominicæ apud S. Albanum personaliter interesse non possum, una vobiscum super electione abbatis tractaturus. Itaque non expectata præsentia mea in dicto negotio, quod vestrum est exequimini. Valete. Obtentis igitur litteris a domino Rege de licentia eligendi, & congregatis fratribus die statuto, tam Prioribus, quam aliis, qui interesse debuerunt, & voluerunt, elegerunt solemniter Ioannem de Herefordia, Priorem de Hertford, monachum suum professum, in pastorem animarum suarum, virum piū & mo-

ANNO CHRISTI 1235.

& monachum ordinatum. Qui domino Regi præsentatus, ab eo favorabiliter, tum quod elegans & venerabilis extitit persona statura, tum quoniã audierat quod dapsilis & civilis ac socialis fuerat, dum Prior Hertfordiæ fuerat, est susceptus. Et idcirco promptius, quia rex semper domum sancti Albani dilexerat, cui litteras petitorias sub hac forma transmiserunt.

Littera domino Regi pro electo recipiendo.

ILlustri domino suo ac magnifico Henrico Dei gratia regi Anglorum, &c. devoti sui semper & humiles E. Prior sancti Albani, & ejusdem loci conventus, cum omni humilitate & devotione æternam in Deo salutem. Regiæ excellentiæ vestræ dominum Ioannem Priorem de Hertford, virum idoneum & honestum, quem, de benignitate & licentia vestra nobis cõcessa, in patrem nobis elegimus & pastorem, præsentamus, cum omni humilitate & devotione, supplicantes quatenus ex innata vobis benignitate solitaque clementia erga nos & ecclesiam nostram concepta & habita, dictum Ioannem electum nostrum in gratiam recipiatis; vestrum eidem cõsilium, auxilium, & favorem, Divinæ si placet intuitu pietatis, impendẽtes. Valeat, &c. Dominus autem rex, cum hæc audisset, & perpendisset progressum nostrum ordinatum & humilem, non tantum suum favorem impertivit & juvamen, immo domino papæ & amicis suis in curia Romana scripsit pro electo, sub hac forma.

Littera Regis summo pontifici pro electo.

REverendo domino & patri in Christo carissimo, domino Gregorio Dei gratia summo pontifici, Henricus eadem gratia rex Anglorum, &c. salutem, & tam devotam quam debitam in omnibus tanto domino & patri reverentiam. Noverit sancta paternitas vestra, nos electioni factæ de fratre Ioanne de Hertford, monacho S. Albani, in abbatem S. Albani, regium adhibuisse favorem & assensum. Et quoniam ad sedem apostolicam immediate spectat electionis prædictæ confirmatio: hoc sanctæ paternitati vestræ duximus, tenore præsentium, significandum; devote supplicantes, quatenus eidem electioni munus cõfirmationis dignemini, si placet, favorabiliter impendere. Teste meipso apud Abendon I. die Aprilis, anno regni mei xix.

Littera regis cardinalibus pro electo:

VEnerabili in Christo patri, & amico specialiter dilecto I. Dei gratia, titulo sanctæ Praxedis presbytero cardinali, Henricus Dei gratia Anglorum rex, &c. Quoties ingruente necessitate nos contingit pro nostris vel alienis negotiis apostolicæ sedis implorare subsidia: ad eorundem negotiorum expeditionem vestra nobis necessaria est diligentia, quam in omnibus vestri gratia nobis recolimus subvenisse. Cum igitur electioni factæ de fratre Ioanne de Hertford monacho S. Albani in abbatem ejusdem loci, regium adhibuerimus assensum & favorem; & immediate subjecta sit ecclesia S. Albani ecclesiæ S Romanæ: paternitati vestræ duximus attente supplicandum, quatenus, cum nuncii & procuratores dicti electi, ad obtinendum a sede apostolica cõfirmationem dictæ electionis ad curiam venerint, ad assecutionem sui propositi, in hac parte, vestra dignetur paternitas eis auxilio & consilio subvenire: per quam subventionem multiplicetur vobis gratia nostra, quam ex diversorum negotiorum promotione non dubitamus eis vos comparasse. Teste meipso, &c.

Diriguntur itaque fratres ad curiam Romanam, ut electionem rite factam impetrarent a sede apostolica confirmari. Qui cum ad curiam, quæ tunc Perusii fuerat, pervenissent, ostenderunt regios apices domino papæ; & aliis amicis regis. Et cum respexissent illos & janitores & ministros papæ, approbata fuit quamplurimum ab ipso domino papa, & a cunctis cardinalibus, forma electionis, & maxime a domino Ottone, qui domum & religionem S. Albani plurimum commendavit. Electione igitur confirmata, dicti fratres cum benedictione apostolica gaudenter sunt reversi; & ut audientes non lateat, hæc est consuetudo eligendi abbatem in ecclesia S. Albani.

De modo & forma eligendi abbatem.

COnfessores tres vel quatuor jubentur districte, & in virtute Spiritus sancti, utpote qui cognoscunt corda & renes singulorum, ut ipsi eligant xii. modo ix. de conventu fratres electos fideles & peritos: ut ipsi, vel de seipsis, vel de ipso conventu ecclesiæ, vel de cellis, unum idoneum eligant in abbatem. De ipsis inquam, quia sic nõn consueverunt antiquitus: immo de aliis quam seipsis, quod absurdum fuit & dissonum rationi. Et in hoc variata est antiqua consuetudo, & in melius commutata. Ut enim electio & labor tantæ deliberationis super hoc negotio nullatenus irritus habeatur & inanis: litteras habent de conventu penes se, sigillo conventus roboratas, ut ipse conventus, illum quem ipsi xii. eligerent in abbatem, sine contradictione aut difficultate unanimiter in pastorem susciperet & gratanter. Unde series negotii sic prosecuta, a summo pontifice palam coram omnibus est commendata, & facta examinatione, autoritate apostolica illico confirmata, pro eo quod unitas & concordia in domo S. Albani ingruerunt. Unde ab universis dictum est, quod non sine nutu Spiritus sancti illud negotium fuerat prosecutum. Multitudinis enim credentium erat cor unum & anima una. Verumtamen quia de persona electi domino papæ non constabat, dedit in mandatis Eliensi & Londoniensi episcopis, ut rite facta examinatione ex persona electi, eundem in abbatem confirmatum benedicerent, plene in omnem tam spiritualium, quam temporalium administrationem instituentes. Cum ergo redissent nuncii de curia, ostendebant litteras domini papæ episcopis memoratis, qui electo scripserunt sub hac forma.

Littera pro examinatione.

HEnricus Dei gratia Eliensis & R. eadem gratia London. episcopi Ioanni de Hertford electo S. Albani, salutem. Mandatum domini papæ suscepimus in hæc verba, G. episcopis, &c. Hujus igitur autoritate mandati nostri transmissi, vobis mandamus: quatenus die Lunæ proximo post festum S. Laurentii in ecclesia conventuali apud crucem Roisiæ, comparealis coram nobis, parati examinationem subire, & electionis, Deo dante, confirmationem suscipere, secundum formam mandati apostolici. Quod & abbas fecit sub omni maturitate. Affirmabant utiq; tam episcopi memorati, postquam audierant, quam nuncii nostri, quod prudenter processum est in hoc negotio. Londoniensis vero episcopus variis & arduis negotiis præpeditus, ne ad locum veniret memoratum, se excusavit Eliensi episcopo, sic scribens.

Littera excusatoria unius commissarii.

VEnerabili fratri & amico in Christo carissimo H. Dei gratia Eliensi episcopo R. divina miseratione London. ecclesiæ minister humilis, salutem & sinceram in Domino caritatem. In negotio examinationis electi S. Albani, & confirmationis ejusdem, vobis & nobis a domino papa commisso, variis præpediti negotiis, die Lunæ proximo post festum S. Laurentii apud crucem Roisiæ, in ecclesia conventuali interesse non possumus. Ideo non expectata præsentia nostra, quod vestrum est in dicto negotio exequmini. Valeat paternitas vestra semper in Domino.

Confir-

Confirmatio.

Confirmatus est igitur electus, facta examinatione, sub tali scripto. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti: Inquisitis secundum formā litterarum domini papæ, quæ circa personam Ioannis electi S. Albani sunt requirenda, tum per juratos, tum per propriæ personæ examinationem, invenimus ipsum ad regimen dictæ ecclesiæ sufficientem. Vnde electionem de ipso factam autoritate apostolica cōfirmamus. Quo facto misit Eliensis episcopus conventui S. Albani ad majorē certificationē litteras, sub hac forma.

Littera conventui de admittendo electo.

Henricus Dei gratia Eliensis episcopus, dilectis in Christo priori & conventui S. Albani salutem in Domino. Noverit discretio vestra, nos juxta formā mandati apostolici electionem de fratre Ioanne de Herthford, in abbatem monasterii nostri canonice celebratam, autoritate apostolica confirmasse. Quocirca autoritate apostolica, qua fungimur, vobis mandamus, in virtute obedientiæ districte præcipientes, quatenus eundem electum vestrum in abbatem & pastorem devote admittatis, obedientiam & reverentiam debitam eidem humiliter impendentes. Valete. Scripsit insuper idem episcopus domino Regi super hoc sub hac forma.

Littera domino Regi post confirmationem.

Excellentissimo domino Henrico tertio, Dei gratia illustri Anglorum, &c. Henricus divina miseratione Eliensis episcopus, salutem, reverentiam, & honorem. Noverit excellentia vestra, nos juxta formam mandati apostolici electionem de fratre Ioanne de Herthford, in abbatem monasterii sancti Albani canonice celebratam, autoritate apostolica confirmasse. Quocirca excellentiam vestram rogamus, quatenus ob reverentiam sedis apostolicæ, dictum electum habentes commendatum, administrationem dictæ abbatiæ eidem committatis. Valeat reverentia vestra semper in Domino. Scripsit etiam domino Rege acceptante, & palam publicavit chartam illam confirmationis.

Prosecutio negotii.

Omnibus Christi fidelibus litteras inspecturis, Henricus Dei gratia Eliensis episcopus, salutem in Domino sempiternam. Noveritis, quod cum nobis & venerabili fratri nostro Londonensi episcopo, commissum est negotium a domino papa examinationis personæ Ioannis de Hertford, electi in abbatem monasterii sancti Albani, & confirmationis ejusdem: episcopo Londonensi, in dicto negotio excusato litteratorie, nos electionem ipsius Ioannis in hunc modum confirmamus. In nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti: Inquisitis secundum formam litterarum domini papæ, quæ circa personā electi S. Albani fratris Ioannis sunt inquirenda, tam per testes juratos, quam per propriæ personæ examinationem, invenimus eum ad regimen dictæ abbatiæ sufficientem. Vnde electionem tanquam de persona idonea de ipso factam, autoritate apostolica confirmamus. In cujus rei testimonium his litteris nostris patentibus sigillum nostrum duximus apponendū. Acta ann. Dom. MCCXXXV. die Lunæ proxima post festum S. Laurentii apud crucem Roisiæ. In crastino igitur beatæ Virginis, in ecclesia sancti Albani, ad majus altare, in præsentia episcopi Londonensis, & totius conventus in choro existentis, idem episcopus eidem electo munus impendit benedictionis, ubi apertæ sunt litteræ inclusæ & bullatæ domini papæ, quas oportuit electum in abbatem benedicendū, profitendo palam legere, sub hac forma.

Professio.

Ego Ioannes monasterii S. Albani abbas, ab hac hora in antea fidelis & obediens ero S. Petro, sanctæque apostolicæ Romanæ ecclesiæ, & domino meo papæ Gregorio, ejusque successoribus canonice intrantibus. Non ero in consilio, aut consensu, vel in facto ut vitam perdant aut membrū, aut capiantur mala captione. Consilium etiam quod mihi credituri sunt, per se aut per nuncios suos, sive per litteras, ad eorum damnum scienter nemini pandam. Papatum Romanū & regulam S. Petri adjutor eis ero ad retinēdum & defendendum, salvo ordine meo, contra omnem hominē. Legatum apostolicæ sedis in eundo & redeundo, honorifice tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo. Vocatus ad synodum veniam, nisi præpeditus fuero canonica præpeditione. Apostolorū limina singulis trienniis visitabo, aut per me, aut per meum nuncium, nisi absolvar apostolica licentia. Possessiones etiam ad monasterium meum spectantes non vendam, neque donabo, neque impignorabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconsulto Romano pontifice. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta evangelia. Hæc cooperta fuerunt, occulta, & clausa sub bulla, donec staret pontificalibus ad altare redimitus, quando nullo modo poterat ab ista obligatione resilire. Et cū rogasset abbas ab episcopo London. Rogero, quid Romæ faceret? Episcopus, sicut jocundus extitit, jocose respondit, & subridens ait: Amice ut offeras. & veritas in verbis latitavit. Rex autem super præmissis certificatus, tenentibus de S. Albano scripsit in hac forma.

Littera domini Regis tenentibus abbatis post confirmationem.

Henricus Dei gratia rex Anglorum, &c. militibus, liberis hominibus, & omnibus aliis tenentibus de abbatia de S. Albano salutem. Sciatis quod electioni factæ de fratre Ioanne de Hertford, in abbatem S. Albani, assensum regium præbuimus & favorem. Et ideo vobis mandamus quod eidem fratri Ioanni tanquam domino vestro in omnibus, quæ ad prædictam abbatiā pertinent, intendentes sitis & respondentes. Teste meipso apud VVest. XVIII. die Aug. anno regni nostri XII.

Ex tunc igitur abbas plenarie constitutus, cepit homagia & juramenta, & fidelitates omnium abbatiæ subditorum, installatus, & in omnibus abbas habitus & firmatus. Sed ut non lateat simpliciores qualiter se gessit dum esset electus, & qualiter in posterū se gerere debet electus, præsentibus duximus inserendum.

Qualiter se gerere debet electus.

Postquam electores nominarunt electum proprio nomine cū aliquo adjecto, ita scilicet ut unus electorum loquatur pro omnibus aliis electoribus, præstito assensu Prioris & totius conventus, surgat electus & accepta venia supplicet omnibus ut orent pro eo, quod Deus det illi sic curam & officium hoc suscipere, ut ad honorem Dei & ecclesiæ, & animæ suæ fiat salvationem. Facta autem oratione a priore quod sic fiat, & in fine orationis respondente conventu Amen, incipiatur solemniter Hymnus, *Te Deum laudamus*, & ducatur, modeste & ordinate, assistente Priore ei in uno latere, suppriore in alio, cum aliis dignioribus ecclesiæ personis propinquius in ecclesiam, & præsentetur Deo & S. martyri Albano ad majus altare, pulsato classico, accensisque cereis circa altare, & discooperto feretro. Et toto corpore prostratus electus, oret breviter, sed præcordialiter, ut dignus tanto honore habeatur. Et finito sonitu dicatur ab omnibus: *Pater noster*. & Prior, *Et ne nos*. ℣. *Salvum fac servum tuum. Deus m. s. Mitte ei domine auxilium de sancto. Et de Sion tuere eum. Dominus vobiscum*, & *Oratio*. Omnipotens sempiterne Deus, dirige hunc famulum tuum in viam salutis æternæ: ut, te donante, placita tibi cupiat, & tota virtute perficiat, per Dñm. *Dominus vobiscum. Benedicamus Dño*. Deinde erigat se, & sine aliquo offendiculo aut mora ducatur in cameram, videlicet Prioris, quæ sua dum ele-

ANNO CHRISTI 1235.

electus est, debet appellari: donec in abbatem creatus, in suam magnam cameram secedat. Et tunc poterit electus providere sibi de sociis & de nunciis ad curiam Romanam destinandis, & invitare quos voluerit ad refectionem: sed tamen qui vocati sunt, de licētia prioris veniant. Nec exeat aliquis nisi de licentia prioris, exceptis magnis obedientiariis. Electus autem etsi fuerit unus de ultimis novitiis, in loco supremo illico statuetur. Et si fuerit de parte prioris, quam nos chorum appellamus, transferetur ad partem chori abbatis, ubi supremus statuetur. Solus in refectorio prandebit supremus, priore prandente ad magnam mensam. In processionibus supremus ex parte abbatis procedet, non in medio choralem ferens baculum, ut antiquitus temere consuevit: ne forte in posterum cassatus, retrocedat, & tunc cum rubore incipiat locum novissimum tenere.

ANNO CHRISTI 1235.

*** CONCILIUM NARBONENSE. EX TRIUM PROVINCIARUM EPISCOPIS.

In quo data consilia fratribus Prædicatoribus fidei inquisitoribus, quomodo se cum hæreticis gererent.

DE *hoc concilio ita Spondanus Baronianæ continuationis tomo I. ad annum* MCCXXXIII. Quo eodem, *inquit*, tempore habitum fuit Narbonæ concilium sub Petro Amelio archiepiscopo: cui etiam interfuerunt Arelatensis & Aquensis archiepiscopi, una cum trium illarum provinciarum suffraganeis episcopis: cum mandato accepto a sede apostolica de consilio impertiendo fratribus Prædicatoribus, recens in illis partibus constitutis inquisitoribus contra hæreticos, quomodo se gerere adversus eos deberent: XXIX. capitula condiderunt de pœnis, tam iis, quam eorum fautoribus imponendis, qui converterentur, sive qui obstinati permanerent; ac de signis, quibus detegi possent: suntque valde severa, prout ferebat praxis ejus temporis. *Hæc Spōdanus. Quæ omnia didicerit necesse est ex hujus cōcilii capitulis, quibus cōtinentur, excepta anni notitia, quam unde ille habuerit nescio. Forte perfectius exemplar nactus erat, cui adscriptus annus. Forte etiam conjectura una nititur, ex eo petita quod institutos a Gregorio IX. inquisitores ex Prædicatorum ordine, ad hunc annum aliqui referant.*

Capitula autem ipsa, huc usque inedita hic repræsentabo ex codice MS. Mauritii Tellerii abbatis, qui fortunam summe illustrem eximiarum splendore virtutum ac doctrinarum obscurat. Quod exemplar contuli cum alio inter Sirmondi nostri schedas reperto. Hæc in utroque exemplari est inscriptio : Concilium Narbonensis, Arelatensis, & Aquensis, archiepiscoporum.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

P*Etrus Dei gratia Narbonensis, Ioannes Arelatensis, Raimundus Aquensis, archiepiscopi, cæterique prælati, quorum sigilla huic chartulæ sunt appensa: Dilectis & fidelibus in Christo filiis ordinis Prædicatorum fratribus inquisitoribus hæreticorum, per memoratas & circumjacentes provincias constitutis, salutem in Domino.*

I. *De pœnis hæreticorum, qui immunitatem carceris assecuti sunt.*

DUbitationes vestras, prout possumus, amputantes, devotioni vestræ duximus consulendum: quatenus hæreticis, & eorum credentibus, receptatoribus, defensoribus, & fautoribus immunitatem carceris assequutis, quam ex vobis aliqui eis infra certam diem sponte venientibus, pœnitentibus, & tam de se quam de aliis plenam dicentibus veritatem, consulte & laudabiliter promisistis; quia cum sponte confessis mitius est agendum, & quia per hoc latentem saniem hæreticæ pravitatis facilius & melius detegi merito sperabatis, sicut & rei eventus manifeste probavit: his pœnitentias injungatis: videlicet ut cruces portent, quaque Dominica die inter epistolam & evangelium vestibus aliquibus denudati, prout visum fuerit pro qualitate temporis faciendum, sacerdoti parochiæ suæ Missam celebranti cum virgis in manu publice se præsentent, ibique recipiant disciplinam: & idem faciant in omni processione solem-

ANNO CHRISTI 1235.

solemni. In prima etiam Dominica cujuscumque mensis, post processionem, vel Missam, visitent nudi similiter & cum virgis domos omnes, in quibus aliquando viderunt hæreticos in eadem civitate seu villa, & intersint omni die Dominica Missæ, ac vesperis, & sermoni generali, si fiat in villa: nisi impedimentum habuerint sine fraude. Quod si forte villa fuerit interdicta, vel ipsi excommunicati; cunctas ecclesias, & domos in quibus viderunt hæreticos, diebus visitent assignatis: & teneantur sermonibus generalibus interesse: jejunent: limina Sanctorum visitent: loco transitus transmarini, qui talibus consuevit injungi. Fidem & ecclesiam per certos annos, seu menses, seu dies, cum armis & expensis propriis per se vel per alios magis idoneos, contra Sarracenos, vel hæreticos, vel eorum fautores, vel aliter rebelles, ad mandatum & arbitrium domini Papæ, vel ejus legati, vel nostri, vel alterius juxta ordinationem vestram, defendere teneantur.

II. *Ne iis transitus transmarinus injungatur.*

Nec eis de cætero memoratus transitus injungatur propter domini papæ prohibitionem, super hoc nuper factam: ne per ipsorum perfidiam violetur fidei firmamentum, ibi etiam ubi cœpit: quod non immerito timeretur, si eos hinc dispersos, contingeret illuc per injunctiones hujusmodi congregari: licet velit ipse dominus papa, ut ab his, quibus idem transitus ante suam prohibitionem injunctus fuerat, compleatur.

III. *Ut in alias villas aut provincias, ubi visum fuerit, mittantur.*

Et ubi fuerit visum expedire, de villa, in qua conversati fuerint, ejiciantur, in alia certa villa seu provincia ad tempus, vel perpetuo, moraturi.

IV. *Ut conversis pauperibus includendis carceres construantur.*

Conversis ab hæresi pauperibus includendis carceres construantur. Et in necessariis provideant competenter, ne per tales nimium graventur prælati, vel eorum multitudini fortasse nequeant providere.

V. *Quod pœnitentiæ, inquisitorum discretioni permittuntur.*

Hoc quidem ita perstringimus, non ut vos pœnitentias prætaxatas omnes ubique, vel omnes omnibus imponatis: sed ut eas secundum discretionem vobis traditam a Domino, pro culparum & personarum, locorum & temporum, & aliarum circumstantiarum qualitate, ita caute ac provide dispensetis, ut sive plectendo, sive ignoscendo, vita culpabilium corrigatur: vel saltem valeat apparere, quis in tenebris ambulet, quis in luce; quis vere sit pœnitens, quis ficte conversus: nec inde veris catholicis scandalum generetur: nec prætextu scandali, seu aliquo alio, quantum in vobis fuerit, defendi possit hæresis seu nutriri.

VI. *Ut conversi culpas suas publice confiteantur.*

Omnes vero faciatis culpas suas, clero & populo convocatis, publice confiteri, & abjurare, atque jurare prout in mandatis apostolicis, & statutis domini Romani plenius continetur: nisi ubi culpæ levitas, & scandali enormitas, rigori etiam huic quicquam ostenderent detrahendum. Et de singulis fiant publica instrumenta continentia culpas, abjurationes, promissiones, & pœnitentias eorundem: ne ulterius perire possit vel latere veritas diu cælata, nunc autem a Domino tam mirabiliter quam misericorditer revelata. Concil. Tolos. ann. 1229.

VII. *Ut inquisitores injunctis pœnitentiis addere vel detrahere possint.*

Illa semper retentione caute adhibita, ut liceat vobis seu aliis inquisitoribus, seu quibus hoc Romana ecclesia, vel ille cui ex officio competit, duxerit committendum, pro vestro, & illorum arbitrio ac voluntate, injunctis pœnitentiis addere vel detrahere ex causa rationabili quandocumque.

VIII. *Ut propriis sacerdotibus cura committatur observationis pœnitentiarum.*

Observationis etiam pœnitentiarum curam propriis eorum sacerdotibus committatis: ita ut ipsi sacerdotes penes se habentes pœnitentias singulorum parochianorum suorum, & circa earum observationes solicite vigilantes, contemptores, si qui fuerint, vobis, vel quibus statueritis, denuncient sine mora, processuris in eos juxta formam inferius designatam.

IX. *De his qui in carcerem detrudi debent, quid agendum, si nimia sit eorum multitudo.*

De hæreticis autem seu credentibus, præfata immunitate, quia veritatem de se vel de aliis suppresserunt, vel quia infra tempus indulgentiæ non venerunt, seu alias indignis, paratis tamen absolute mandatis ecclesiæ obedire, & recognoscere quam vel suppresserant, vel negaverant veritatem: quamvis tales proculdubio sint secundum statuta domini papæ in perpetuo carcere detrudendi: quia tamen intelleximus vos de his tantam in pluribus partibus multitudinem invenisse, ut nedum expensæ sed vix etiam lapides aut cæmenta sufficere possint ad carceres construendos: consulimus ut eorum immurationes, ubi expedire videbitur, differatis, donec ipse domi-

ANNO CHRISTI 1235.

nus papa de illorum multitudine plenius fit A consultus: nisi forte aliqui essent tam facinorosi, ut de ipsorum impœnitentia, vel fuga, vel relapsu, vel corruptione, seu turbatione aliorum, merito timeretur: tales enim sine ulla prorsus dilatione firmo & opportuno carceri deputetis.

X. *De his qui pœnitentiam carceris, vel aliam non perficientes, rebellant.*

Porro illos hæreticos seu credentes, qui postquam juraverint mandatis ecclesiæ obedire, absolutionis beneficium fuerint, vel non fuerint consecuti, iniunctam sibi pœnitentiam carceris vel non intrando, B vel post ingressum exeundo, seu quamcumque aliam servare, seu perficere renuentes, vel se ab ea recipienda contumaciter absentantes, rebelles existunt, & sic suam impœnitentiam, fictamque conversionem aperte ostendunt:

XI. *De his qui in abiuratam hæresim reciderunt.*

Et illos qui post abjurationem erroris seu purgationem, deprehensi fuerint in abjuratam hæresim recidisse: sæculari judicio C sine ulla penitus audientia relinquatis, animadversione debita puniendos: cum sufficiat tales per falsam conversionem semel ecclesiam decepisse, præsertim ubi tanta eorum invaluit multitudo: licet eis pœnitentibus, nequaquam pœnitentia sit neganda.

XII. *Quinam dicendi rebellare: quinam in hæresim recidisse.*

Eos sane qui legitime moniti, contemptũ suum, cum possint, gratis emendare non curant, indubitanter dicimus rebellare: sed D & eos recte intelligimus in hæresim recidisse, qui post abjurationem suam, seu purgationem, ut prædictum est, hæreticos scienter & libenter recipere, vel aliter eis favere non excusabiliter præsumpserunt: quia tunc nec dubitari oportet illos ex prioris erroris consequentia hoc fecisse: maxime si specialiter abjurarant, quod fecerunt, & ad hujusmodi pœnam se obligaverant sponte sua. Quod si occasionem aliquam habuerunt, per quam a tam vehementi præsumptione valeant excusari: saltem perpetuo carceri sine aliqua dila- E tione mancipentur.

XIII. *De receptatoribus seu fautoribus, qui vel reciderint, vel pœnitentias accipere refugerint.*

Illos autem qui cum tantum receptatores, seu defensores, seu fautores extiterint, & reconciliati fuerint, seu mandatis ecclesiæ juraverint obedire, in abjuratam culpam reciderint, seu pœnitentias accipere contumaciter refugerint, vel implere, & propterea secundo fuerint excommunicationis vinculo, vel ipso jure, vel per sententiam innodati: si redire voluerint, receptis ab ipsis talibus ac tantis securitatibus, præter juratoriam cautionem, quod timore pœne temporalis ab excessu simili debeant coërceri, eos cum litteris vestris testimonialibus plenam veritatem continentibus, ad dominum papam, pro absolutione trahenda, & recipienda pœnitentia, transmittatis.

XIV. *Quinam existimandi fautores hæreticorum.*

Plane inter fautores accipimus tam eos, qui hæreticorum seu credentium extirpationem, seu correctionem impediunt, quam qui non dant operam ad id, quam non possunt sine culpa omittere manifesta. Ex diligenti tamen circumstantiarum consideratione, plus minusve contingit culpæ in talibus reperire. Nam multum favet hæreticis, sive credentibus, qui cælat, cum possit & debeat indicare: plus, qui eos occultando, seu aliter, ipsorum examinationem, vel incarcerationem, vel punitionem malitiose nititur impedire: plurimum, qui captos vel incarceratos relaxat præter ecclesiæ voluntatem: seu cujus consilio, vel auxilio, mandato vel jure talia perpetrantur.

XV. *Ut fautor eorum habeatur, qui cum potestatem habeat, in eos non animadvertit.*

Cujus criminis reus incomparabiliter est habendus ille, qui temporalem habens iurisdictionem, præfatos pestiferos hæreticos seu rebelles ab ecclesia denotatos persequi, & de sua terra vel provincia exterminare postponit, vel in eos animadvertere sine mora. Quippe nec caret scrupulo societatis iniquæ, qui tanto facinori sibi per denunciationem ecclesiæ, seu aliter, legitime manifesto, cum teneatur & possit, desinit obviare: præsertim si ad hoc faciendum etiam iuramento proprio se astrinxit.

XVI. *De iis, qui cum possint, prædictos non capiunt, aut iuvant capientes.*

Sed nec illi sunt immunes a crimine, qui cum se illis offert opportunitas loci & temporis, ac facultas, hæreticos seu prænominatos rebelles capere, capientesve iuvare, nequiter prætermittunt: maxime si de hoc fuerint a capientibus seu capere volentibus requisiti. Et quoniam plures & quasi investigabiles sunt modi nocendi, quibus hæretici eorumque credentes atque fautores nituntur vineam Domini Sabaoth demoliri, & eis est tam prudenter, quam viriliter occurrendum: curet vestra devotio secundum datam a Domino gratiam, mala illorum agnoscere, & salutarem apponere medi-

ANNO CHRISTI 1235.

medicinam: suppleatque discretio, quod scripto non posset facile comprehendi.

XVII. *Vt fratres Prædicatores a pecuniariis pœnitentiis abstineant.*

Similiter a fidejussoribus hæreticorum seu credentium qui fugerunt, & a decedentibus, qui pœnitentias non egerunt, vel ab eorum heredibus; seu fidejussoribus, exactis per episcopum loci ex officio suo bonis pignoribus, & in aliqua æde sacra depositis, ad dominum legatum pœnitentiarum injunctio referatur. Ab hujusmodi enim pecuniariis pœnitentiis & exactionibus, vobis est abstinendum pariter, & parcendum, propter vestri ordinis honestatem. Cum & satis plene alias negotii hujusmodi executio vos oneret, & affligat.

XVIII. *Vt prædicti culpabiles religionem ingredi non permittantur.*

Ne autem per tales religionis simplicitas corrumpatur, nullum de præfatis culpabilibus religionem quamcumque ingredi, nisi ex domini papæ vel ejus legati indulgentia permittatis: & si qui sine ipsorum & vestri licentia post inchoatam inquisitionem, vel si etiam ante, non tamen confessi, & canonice absoluti, ingressi fuerint, revocetis.

XIX. *Vt a carcere nemo excusetur propter senium, &c.*

Circa incarcerandos etiam duximus hoc addendum, ut a carcere nec vir propter uxorem licet juvenem, nec uxor propter virum, nec quisquam propter liberos seu parentes; seu aliter necessarios; aut propter debilitatem; vel senium, vel aliam similem causam; excusetur, absque indulgentia sedis apostolicæ speciali. Si qui vero culpabiles vel suspecti ad vestram pertinentes inquisitionem; præsentes nec sint, nec fuerint; & infra competentem terminum eisdem a vobis peremptorie assignatum, & per ecclesias publicatum, non curaverint comparere, vel se legitime excusare: contra eos tanquam contra præsentes non dubie procedatis.

XX. *Qui pertineant ad inquisitionem.*

Ad inquisitionem quippe vestram eos intelligimus pertinere, qui vel infra ejusdem inquisitionis limites deliquerunt; vel domicilium ibi habent, seu habebant quando inquisitio cœpta fuit, vel cum ibi morarentur occasione officii cujuscumque; publici seu privati, vel certum domicilium non habentes; ibidē inventi, citati fuerūt a vobis; sive illis per quācumq; cautionem astrictis, sive non, inquisitionem contra eos facere incœpistis, vel eis purgationem forsitan indixistis. Siquidem contra tales præsentes vel absentes potestis procedere ac debetis: nisi forte ratione delicti majoris, seu minoris, commissi alibi, vel ratione domicilii, vel alia, de prædictis inquisitores alii procedere cœperint contra illos. Etenim cum in locis diversis, & per inquisitores diversos, Deo autore, inquisitio celebretur: tutius & salubrius est, ut quisque culpabilis in quibuscumque locis deliquerit, uni & illi tantum inquisitori permaneat obligatus, a quo primo ex aliqua de causis præscriptis, sine fraude, & sine periculo negotii, & animarum, fuerit occupatus.

XXI. *Vt inquisitores alii, si quid norint, scribant ad eum cui culpabilis est astrictus.*

Ita tamen ut inquisitores cæteri, quicquid de illo nosse poterunt, inquirant nihilo minus & scribant inquisitoribus illis, quibus idem culpabilis sit astrictus: sic enim quasi vir unus pugnabitis, & vincetis.

XXII. *Ne testium nomina verbo vel signo publicentur.*

Illud autem caveatis secundum providam sedis apostolicæ voluntatem, ne testium nomina verbo, vel signo aliquo publicentur: sed si instat contra quem fit inquisitio, dicens forte se inimicos habere, vel in se aliquos conspirasse: inimicorum ab eo seu conspiratorum nomina & inimicitiarum, seu conspirationis causa, & veritas exigantur: ut sic & testibus consulatur, & ipsis etiam convincendis.

XXIII. *Vt nemo condemnetur, nisi conuictus.*

Ad nullius vero condemnationem sine lucidis & apertis probationibus, vel confessione propria procedatis. Satius enim est facinus impunitum relinquere, quam innocentem condemnare.

XXIV. *Vt ad accusationem, vel testimonium omnes admittantur.*

Quamvis in hujusmodi crimine propter ipsius enormitatem omnes criminosi & infames, & criminis etiam participes, ad accusationem, vel testimonium admittantur.

XXV. *Quæ exceptiones fidem testium euacuent.*

Illis tantum exceptionibus fidem testium ex toto evacuantibus, quæ non ex zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite procedere videantur: ut sunt conspirationes & inimicitiæ capitales. Alia vero crimina, etsi debilitent, non repellunt, præsertim si testes de crimine fuerint emendati.

XXVI. *De eo qui conuictus, pertinaciter negat.*

Si quis tamen culpam suam, ex qua possit

ANNO CHRISTI 1235.

sit credens, vel hæreticus judicari, de qua plene per testes, seu aliam probationem constat, pertinaciter negare non metuit: quamdiu in hujusmodi negatione persistit, licet alias conversionem prætendat, hæreticus absque dubio est censendus: evidenter namque impœnitens est, qui peccatum nec vult etiam confiteri.

XXVII. *Ut qui semel deposuerunt, iterum non interrogentur, nisi de novis circumstantiis.*

Testes autem qui generaliter de se & aliis requisiti, semel deposuerint, si etiam post hujusmodi depositionem cōtra quemquam de quo quid noverint, dixerint, inquisitio cœperit, non est necesse ut iterum producantur: nisi de aliquibus circumstantiis, de quibus requisiti non fuerant, viderentur forsitan requirendi.

XXVIII. *An credendum confessori, de absolutione seu pœnitentia alicujus.*

Utrum autem soli confessori credi debeat de absolutione seu pœnitentia defuncti, seu vivi, licet videatur quod non: ne quid tamen ecclesiæ possit impingi, domini papæ responsio expectetur. Absolutis etiam per alios qui absolvere potuerunt, ad vestram inquisitionem secundum modum præfinitum pertinentibus, non injunctam ab illis pœnitentiam injungatis.

XXIX. *De quibus, & ex quibus credentes possunt iudicari.*

Sane inter culpas ex quibus credentes possunt judicari, ne ulterius dubitetis, has esse firmiter arbitramur: Si reverentiam fecerunt hæreticis, ubi credentes, orationes ipsorum implorantes, & bonos homines profitentes, quasi adorant illos: si consolationes eorum, ubi eum, quem consolantur, in hæreticum recipientes, per impositionem manuum se salvare proditionaliter mentiuntur: aut, servitio eorumdem, ubi majore ipsorum librum tenente apertum, per ipsum, quasi sub generali confessione, remissionem intelligunt fieri peccatorum: aut cœnæ Valdensi, ubi die cœnæ mensa posita, & pane superposito, Valdensis unus benedicens, & frangens, dansque astantibus, credit secundum damnabilem sectam conficere corpus Christi, non causa prodendi vel reprehendendi eos, vel alia commendabili seu excusabili, affuerunt: si eisdem Valdensibus peccata sua confessi fuerint, ut solet & debet quis sacerdoti proprio confiteri: si pacem ab hæreticis, seu Valdensibus, vel panem ab eis benedictum a quocumque sibi missum vel datum, scienter & damnabiliter receperunt: si crediderunt eos in sua secta salvari posse, vel esse bonos, vel sanctos homines, vel Dei

A amicos, vel nuncios, vel bonæ conversationis, vel vitæ, vel eorum persecutores peccare, vel si eos taliter laudaverunt, vel si aliquo qualicumque signo seu verbo, in eis se fidem vel credentiam habuisse, in jure vel alibi sunt confessi: si eos libenter & pluries receperunt, audierunt, visitaverunt; victualia seu alia dederunt, seu miserunt eisdem: orationes ab eis vel epistolas, vel evangelia didicerunt. Hæc enim & similia, etsi non probent singula, multa juvant: præsertim cum Ioannes dicat in epistola: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domo, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus eius malignis.* Hæc autem omnia intelligimus, cum hi qui sic culpabiles sunt inventi, sciebant illos, quibus vel per quos ista fiebant, esse hæreticos, vel Valdenses: nec ignorabant quod sancta ecclesia tales, propter errores proprios sectasq; suas damnabiles, ab unitate catholicæ fidei segregatos denunciat, & excommunicat, persequitur, atque damnat. Nec dicenti se hoc ignorasse, leviter est credendum. Quis enim est solus ille peregrinus, qui damnationem hæreticorum, & Valdensium nescierit a longe * retro annis, tam justissime factam, tam famosam, tam publicatam, tam prædicatam, tot & tātis expensis, laboribus, & sudoribus fidelium insecutam, & tot mortibus ipsorum infidelium solemniter damnatorum & publice punitorum, tam firmiter sigillatam? utique non est ferendus sic evidens discipulus mendacii magistrorum, sed potius cum ipsis damnatis damnandus, qui verum tam notorium diffitetur: quod etiam ipsius rei gestæ modus ignorari non potuisse arguit & convincit. Nam & latere volentes, & celari quærentes hæretici ac Valdenses, suis se tantum credentibus credunt, cum eisdem supradicta mala & similia in latibulis perpetrantes. Quæ, etsi quidam ex his similiter negent se illorum errores audivisse, vel auditis credidisse, a participatione tamen credendi eisdem erroribus saltem implicite, immunes esse non sinunt. Licet enim isti nihil expresse dicant contra aliquem articulum specialem, tacite tamen & per consequentiam dicunt: cum dicant & sentiant verbo vel signo illos perfidos esse bonos, quos constat ab ecclesia reprobatos. Quinimmo cum supradicta saluti animarum suarum prodesse crediderint, aut salutem extra ecclesiam esse credendo, aut quos ecclesia damnat, extra eam esse non credendo: procul dubio erraverunt. Equidem cum discretioni vestræ, dilecti filii in Christo, negotium istud, tam dominus papa, quam dominus legatus, in plerisque provinciis providerint cōmittendū:

2. Ioan. 10.

ANNO CHRISTI 1235.

ANNO CHRISTI 1235.

Hæc vobis scribimus, non ut vos velimus nostris A obligare consiliis, vel arctare, cum non deceat concessam vobis discretam arbitrij libertatem, aliorum consiliis, formis, seu regulis, quam sedis apostolicæ, in ipsius negotij præjudicium coarctari: sed vestram devotionem cupimus adjuvare, sicut & nobis ab ipsa sede apostolica est mandatum: ut qui nostra portatis onera, consilium a nobis & auxilium, in ipso nostro negotio, caritate mutua reportetis.

ANNO CHRISTI 1235.

** CONCILIVM REMENSE APVD S. QVINTINVM VEROMANDVÆ ab Henr. de Brenna Rem. archiep. & suffraganeis celebratum ann. Dom. MCCXXXV.

B

ANno Domini MCCXXXV. in crastino beatæ Mariæ Magdalenæ continuato a die præcedenti, ad quem fuerat concilium convocatum apud S. Quintinum, præsentibus domino Remensi, Suessionensi, Laudunensi, Catalaunensi, Noviomensi, Silvanectensi, & Morinensi, episcopis: præsentibus etiam procuratoribus Ambianensis, Atrebatensis, Tornacensis, & Cameracensis, episcoporum, missis ad consentiendum iis quæ in dicto concilio contingeret ordinari: præsentibus etiam procuratoribus omnium capitulorum cathedralium Remensis provinciæ. Consensit totum concilium, quod in his lædebatur ecclesia, & ecclesiasticæ libertates C provinciæ Remensis. Videlicet in bannitione Thomæ de Bellomanso, canonico Remensi, in saisitione bonorum capituli Suessionensis facta per dominum Regem; & in eo quod denegavit regalia beatæ Mariæ Suessionensis confirmatæ ab episcopo Suessionensi; & in eo quod prohibuit episcopo Suessionensi, ne eam benediceret, nisi prius raptis ab ipsa regalibus; & de inhibitione facta capitulo, ne eam reciperet benedicendam in ecclesia sua; & in eo quod reliquias & alia sacra ejusdem monasterij per baillivum suum secum fecit asportari. Item in eo quod in curia sæculari cum excommunicatis agentibus litigetur. Item in eo quod vult quod personæ ecclesiasticæ probent per duellū in curia sæculari homines de corpore suos esse. Item consensit concilium de D negotio Remensis ecclesiæ, quod dominus Rex debet credere domino Remensi super sententiis latis in cives Remenses autoritate apostolica: nec de iis pro quibus excommunicatos eos dicet, Rex aliquam debet facere inquisitionem. Item in hoc consensit concilium, quod si dominus Remensis requisierit Regem ut ei præstet auxilium in emendandis excessibus civium Remensium, pro quibus sunt excommunicati: præstare tenetur eidem auxilium, nec super hoc aliquam debet facere inquisitionem. Item in hoc consensit concilium, quod D. Remensis non tenetur respondere super homicidio aut alio crimine tangente personam ipsius, civibus Remensibus in E curia domini Regis justitiariis & fidelibus suis, nec etiam super alio, nisi fuerit in defectu, " si non collegit diem coram domino Rege contra eos, maxime cum ipsi essent excommunicati. Item in hoc consensit concilium, quod dicti episcopi personaliter accedant ad dominum Regem, & nuncii capitulorum ita quod præsentes sint hac instanti die sabbati, ubi dominus Rex erit, ad supplicandum domino Regi ex parte concilii super præmissis, antequam recedant a curia domini Regis. Assignata est etiam dies Dominica post festum beati Petri ad vincula, apud Compendium, de communi assensu totius concilij, ad celebrandum concilium super præmissis. Et injunctum est procuratoribus capitulorum, quod ad dictam diem mittant capitula procurationes ad concilium sine alia citatione, ad consentiendum iis quæ in dicto concilio contigerit communiter ordinari.

" *Deesse videtur:* nec reputandus est fuisse in defectu, si, &c.

ANNO CHRISTI 1235.

** SVPPLICATIO FACTA DOMINO REGI PER DEPVTATOS PRÆCEDENTIS concilij.

ANno Domini MCCXXXV. in octavis B. Mariæ Magdalenæ, fuerunt apud Meledunum dominus Remensis, Suessionensis, Laudunensis, Catalaunensis, Noviomensis, Silvanectensis, & Morinensis, episcopi, cum nunciis capitulorum cathedralium Remensis provinciæ: qui tunc adfuerunt ibidem & supplicaverunt ex parte concilij domino Regi sub hac forma.

"Supplicat totum concilium Remensis provinciæ pro ecclesia Remensi & archiepiscopo, ut dominus Rex præstet auxilium suum in emendandis excessibus civium Remensium, qui notorij sunt, & evidentes eidem, apud Atrebatensem expressis, pro quibus & sunt excommunicati per provinciam Remensem denunciati. De excommunicatione scilicet dominus Rex debet credere archiepiscopo, cum in cives Remenses autoritate ecclesiastica dictas sententias protulerit: nec super hoc debet dominus Rex aliquam facere inquisitionem.

"Item supplicat concilium, quod dominus Rex non compellat respondere archiepiscopū Remensem super homicidio vel alio crimine tangente personam ipsius, civibus Remensibus in curia sua, cum sint justitiabiles sui ac fideles: nec etiam super aliquo alio, cum non fuerit in defectu: nec reputet eum dominus Rex in defectu, si non colligat diem coram ipso contra illos, cum in nullo fuerit defectu erga eos, & cum ipsi sint excommunicati.

"Item supplicat concilium, ut bannitionem factam a domino Rege de Thoma de Bellomāso canonico Remēsi, & subdiacono, revocet eo modo quo facta est.

"Item supplicat concilium, quod dominus Rex non cōpellat personas ecclesiasticas probare per duellum in curia sua homines quos dicunt suos esse de corpore.

"Item supplicat concilium, ut & dominus Rex revocet saisitionem bonorum temporalium capituli Suessionensis, quam fecit, eo quod dictum capitulum non vult litigare coram eo super eo super quo litigatum est, & responsum, & sententia lata in curia ecclesiastica.

"Item supplicat conciliū, ne regalia deneget ecclesiæ B Mariæ Suessionensis, confirmatæ ab episcopo suo, & ne inhibeat episcopo Suessionensi ne eam benedicat, nisi prius ab ipso receptis regalibus; seu capitulo, ne eam recipiat benedicendam in ecclesia sua; & ne de reliquiis & aliis sacris quæ fecit per baillivum suum asportari, & singulo se intromittat ulterius, sed ecclesiæ faciat restitui, & ne non excommunicatos excommunicatis communicare compellat.

"Item supplicant prælati, non ex parte concilij, ne dominus Rex adsignet eis diem, sive alius, ubicumque fuerint, sed in certo loco, cum vix hoc posset fieri sine periculo causæ.

Facta autem supplicatione modo prædicto, dixit dominus Rex, quod super hoc haberet consilium: & habito consilio respondit, quod inde plenius consiliū volebat habere, & super hoc adsignabat diem ad crastinū quindenæ Assumptionis B. Mariæ apud Meledunum. Quo audito, dominus Rex & dicti episcopi cum præfatis nunciis capitulorum, secesserunt in partem, & habito consilio in hoc convenerunt, quod diem illam colligerent: sed super duobus articulis primis, scilicet de negotio Remensis ecclesiæ & archiepiscopi, & bannitione Thomæ de Bellomanso, canonici Remensis monerent dominum Regem. Et egressi coram domi-

no Rege super illis duobus ipsum ex parte concilii monuerunt, & diem præfatam ad audiendam responsionem domini Regis collegerunt.

ANNO CHRISTI 1235.

CONCILIUM REMENSE COMPENDII HABITUM AB IISDEM, anno eodem.

ACta anno Domini M. CC. XXXV. Dominica post festum beati Petri ad vincula, assignata apud Compendium ad celebrandum provinciale concilium, præsentibus domino Remensi, Suessionensi, Laudunensi, Catalaunensi, Tornacensi, Silvanectensi, & Morinensi, episcopis; & præsentibus procuratoribus Ambianensis, Attrebatensis, & Cameracensis episcoporum; nec non præsentibus nunciis capitulorum cathedralium Remensis provinciæ, absente Belvacensi episcopo, qui ad Romanam curiā profectus erat, consensit totum concilium, quod dominus Rex monebitur secundo super negotio Remensis ecclesiæ & archiepiscopi, & bannitione Thomæ de Bellomanso canonici Remensis, per archiepiscopum & suffraganeos suos prænominatos, aut illos de prædictis suffraganeis, qui præsentes fuerint: præsentibus etiam dictis procuratoribus episcoporum, præsentibus insuper & consentientibus nunciis capitulorum cathedralium Remensis provinciæ. Omnes enim prænominati debent interesse apud Meledunum in crastino quindenæ Assumptionis beatæ Mariæ, hora competenti, coram domino Rege, qui monit * * * *

Hic nos defecit MS. codex.

Eodē autem anno habitum fuisse Silvanecti ab iisdē episcopis de his controversiis concilium docet Spondanus in annal. eccles. ad ann. M CC. XXXI. item & Cl Hemeræus in Augusta Veromanduorum illustrata, in eo reprehendendus quod concilia Compendij & Silvanecti celebrata, suæ Quintinopoli falso tribuit.

ANNO CHRISTI 1236.

CONCILIUM REMENSE APUD S. QUINTINUM, Pro tuenda ecclesiastica libertate ann. Dom. M. CC. XXXVI.

DE hac synodo ita Claudius Hemeræus in Augusta Veromanduorum illustrata. Habitum Sanquintini concilium eorundem episcoporum (*provinciæ scilicet Remensis*) adversus Inguerranum Conciaci dominum, quo excessus violentiæ, in personam Mag. Andreæ de Corlandon decani Laudunensis illatæ, justa ultione emendarentur, & ecclesiæ libertates, adversus injurias tales, & earum autores, in posterum protegerentur. Ejus Inguerranni crudele facinus in Flandros nobiles lege apud Nangium.

ANNO CHRISTI 1236.

CONCILIUM TURONENSE A IUHELLO ARCHIEPISC. CELEBRATUM anno Domini M. CC. XXXVI.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *De crucesignatis enormis delicti reis : & ut Iudæis injurias non inferant.*

STatuimus quod si crucesignati occasione alicujus delicti a judice sæculari detenti fuerint, per competentem judicem ecclesiasticum repetantur: ad ipsos restituendos, si opus fuerit, detentorem per censuram ecclesiasticam compellendo. Quibus restitutis, si in foro ecclesiastico, de homicidio, vel alio enormi delicto de cætero perpetrando, legitime convicti fuerint vel confessi: nullis privilegiis crucesignati gaudentes, cum reatus omnem honorem excludat, signis crucis per eundem judicem ecclesiasticum exuantur. Si autem alias delinquentes in crimine objecto convicti fuerint vel confessi, secundum qualitatem & quantitatem criminis a judice ecclesiastico puniantur. Nos autem districtius inhibemus, ne crucesignati vel alij Christiani Iudæos occidere, seu verberare, vel bona eorum invadere, vel auferre, vel quascumque injurias eisdem inferre præsumant: cum ecclesia Iudæos sustineat, quæ non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur & vivat: scituri quod si contra præsumpserint, ultionem canonum non evadent.

II. *De advocatis.*

Quia per advocatorum vel scriptorum imperitiam multa solent in causis pericula evenire: statuimus quod nulli recipiantur in causis publicis, nisi per triennium iura audierint, vel sint in causarum exercitio approbati.

III. *De notariis.*

Item nulli recipiantur scriptores in curia, nisi sciant stilum curiæ & statuta, super quibus examinari debebunt per officiarios locorum, tam advocati publici, quam etiam scriptores.

IV. *De officialibus.*

Statuimus quod nulli statuantur officiales, nisi per quinquennium jura audierint, vel per causarum exercitium judicandi officio sint merito approbati.

V. *De officio delegati.*

Quia nonnulli litteris apostolicis abutuntur: volentes ipsorum obviare fraudibus juxta canonum sanctionem, statuimus ut judices in Turonensi provincia a sede apostolica delegati, non alias in causis sibi commissis procedant citando, vel aliud faciendo, nisi prius authentico sibi exhibito, & impetratore coram ipsis jurante, si præsens sit, quando citatorium vel aliud impetratum sit; vel si absens fuerit, doceat quod rescriptum de mandato ipsius impetratum fuerit,

ANNO CHRISTI 1236.

fuerit, & quod actionem habere credebat contra eum quem convenire intendit tempore impetrati rescripti, & quod pendente judicio coram ipsis super illo negotio, corã aliis judicibus non vexabit eum: cum æque commode jus suum sequi valeat coram ipsis. Cum honestis & gravibus personis, de quibus nulla poterit sinistra suspicio suboriri, remitti poterit hujusmodi sacramentum, hoc observando, sive tribus, sive duobus commissum fuerit negotium, sive uni.

VI. *De appellationibus.*

Statuimus ut suffraganei, vel officiales ipsorum, & alij inferiores judices, humiliter appellationibus deferant, nec propter hoc parti, aut advocatis ipsius, bona fide appellantibus, molesti existant: maxime cum a diffinitiva sententia fuerit appellatum.

VII. *De testamentis & eorum executoribus.*

Ne decedentium voluntates, quas pium est executioni demandari, per aliquorum malitiam supprimi valeant, vel etiam occultari: statuimus ut infra decem dies a tempore obitus testatoris, ad episcopum vel archidiaconum loci, vel ad illos qui loco ipsorum super hoc fuerint deputati, vel ad illos qui jurisdictionem episcopalem habere noscuntur, accedant, secum testamentum, si scriptum fuit, delaturi; vel si non scriptum fuerit, per sacramentum ipsorum, quod testator disposuit probaturi, ut tunc præfati testatoris voluntas in formam publicam redigatur. Injungimus autem episcopis, archidiaconis, & aliis jurisdictionem episcopalem habentibus, ut si executores testamentorum in exequenda decedentium voluntate invenerint negligentes, voluntatem ipsorum fideli executioni demandent, quibus sub" interminatione judicij firmiter inhibemus, ne quicquam de bonis decedentium in proprios usus convertere, vel etiam retinere præsumant: statuentes ut si executores aliquid, quod sibi deberi asserunt, propria autoritate duxerint usurpandum, id restituere compellantur; actione, si qua eisdem pro eodem debito competierit, sint hac sua temeritate privati, nisi id restituerint, ex quo super hoc moniti fuerint competenter.

" f. sub Divini interm. jud.

VIII. *De his qui binas nuptias contrahunt.*

Statuimus quod singulis diebus Dominicis in parochialibus ecclesiis inhibeatur per sacerdotes ne quis binas nuptias, vel bina sponsalia eodem tempore præsumat contrahere: & expressim adjiciant: Quod si contra fecerint, infames ipso facto effecti, a testimoniis & aliis legitimis actibus excludantur: firmiter injungentes, quod si qui reperiantur talia perpetrasse, nominatim denuncientur infames, & in scala ponantur: postea" publice suffigentur, nisi pecunialiter pœnam illam redimant arbitrio & judicio judicantis: quæ pœna fabricæ majoris ecclesiæ publice conferatur, parentibus, consanguineis, & aliis eidem pœnæ subdendis, quorum consilio talia fuerint perpetrata. Cui pœnæ subjacere censemus eum qui scienter duxerit alterius conjugatam.

" al. ponãtur ac prætetea publice fustigentur, nisi

IX. *De sortilegiis.*

Statuimus quod omnes sacerdotes ecclesiarum parochialium, diebus Dominicis & festivis, parochianis suis sub pœna excommunicationis districte inhibeant, ne aliquis, vel aliqua, sortilegium exercere præsumat. Si quis vero sortilegij crimen repertus fuerit perpetrasse, in scala positus publice suffigetur", vel alias competenter pro modo criminis castigetur: nisi pœnam sibi injunctam pecunialiter redemerit ad arbitrium judicantis. Pœna in usus pauperum illius parochiæ publice erogetur.

" al. fustigetur.

X. *De clericis participantibus cum excommunicatis.*

Revocantes vero ex certa causa statutum, quod apud Castrum Gonterij fecimus, per quod personæ ecclesiasticæ communicantes cum excommunicatis in mensa, incurrere poterant excommunicationis sententiam ipso facto, per quod irregularitatis periculum poterat imminere: statuimus ut nulla persona ecclesiastica scienter cum excommunicato participare præsumat. Si qua vero persona ecclesiastica scienter cum excommunicato nominatim participationem habuerit, in mensa, in domo propria, vel ipsius excommunicati, dum tamen in mensa sine scandalo eundem poterit evitare: quæ decem libras Turonenses habebit in redditibus, decem" solidos; quæ vero viginti libras & ultra", viginti solidos solvere teneantur. Cujus mulctæ medietas deputabitur fabricæ ecclesiæ cathedralis: alia vero pro delationis præmio ad illum pertineat, qui commissum hujusmodi in publico duxerit deferendum; dummodo id finaliter fuerit prosecutus.

" al. decem solvat: quæ
" al. & ultra viginti, totum solvere ten.

XI. *De privilegiis.*

Ne sub falso exemptionis prætextu quisquam jurisdictionem ordinariam illudere possit: præsentis concilij autoritate statuimus, ut si qui coram ordinariis conventi judicibus, se exemptos allegent, de quorum privilegiis dubitetur, privilegium exemptionis suæ exhibeant. Quod si facere noluerint, pro exemptis nullatenus habeantur.

ANNO CHRISTI 1236.

XII. *De falsis testibus.*

Statuimus, ut si qui de deferendo testimonium falso convicti fuerint, vel confessi, fustigentur, nisi pœnam illam pecunialiter redimant ad arbitrium judicantis, & si hoc ipsis* videbitur expedire.

* al, ipsi

XIII. *De conuersis.*

Disponant episcopi in suis diœcesibus qualiter de novo conversi erudiantur in fide, & commode sustententur, sicut viderint expedire: ne sub paupertatis prætextu ad vomitum redire cogantur.

XIV. *De hospitalitate.*

Iniungimus abbatibus & prioribus ut hospitalitatem exhibeant sicut decet, & maxime religiosis, qui nudi nudum secuti, propter Christum propria dimiserunt. Hoc servari præcipimus, salvis constitutionibus in aliis, & concilio apud Castrum Gonterij promulgatis: ita tamen quod per eas non derogetur consuetudinibus antiquitus approbatis. Datum die Martis proxima ante festum beati Barnabæ apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo sexto.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

Ex tomo II concil. Britannic.

** CONSTITUTIONES PROVINCIALES S. EDMUNDI CANTUARIENSIS ARCHIEPISC.

Circa annum Dom. M. CC. XXXVI. ut videtur editæ.

Ex veteri Cod. MS. in biblioth. Cotton.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *De iis qui suscipiendo ordines sunt irregulares, & suspensi mero iure.*

Imprimis igitur, in virtute Spiritus sancti districte præcipimus, ut omnes ecclesiæ ministri, & præcipue sacerdotes, discutiant diligenter & solicite, juxta testimonium conscientiæ suæ, quales ad ordines susceptos accesserint, & quo fine: generaliter enim quos irregularitatem in ordinis susceptione, vel ante vel post ordinem susceptum constat contraxisse, nisi cum eis dispensatum fuerit expresse ab eo qui cum eis dispensare poterit, ab officii sui executione suspensos denunciamus. Ne autem ignorans* ignoretur: irregulares, qui secundum canones ab ordinibus prohibentur, & illos, qui dispensationis gratia admittuntur, seriatim duximus per ordinem specificandos. Homicidæ advocati in causa sanguinis, executores servorum in publicis administrationibus, simoniaci, interventores simoniacarum pactionum, & qui labe illa infecti, ordines scienter susceperunt. Item bigami,

CIRCITER ANNO CHRISTI 1236.

bigami, correptarum mariti, Deo sacratarum virginum violatores. Item excommunicati, vel qui furtive, scienter* aliter ministrare præsumpserint. Incendiarii ecclesiarum. Omnes tales, nisi nostrum vel superioris super hoc requisierint consilium, & requisitum habuerint, ab officii sui executione se noverint suspensos.

II. *Qui ante confessionem officium suum exequi non debent.*

Certum est enim, secundum traditiones sanctorum patrum, irregulares præsumptuose & periculose sine dispensatione ministrare, cum quibus non est dispensatum. Adjicimus autem districte præcipiendo, ut omnes, qui in conscientia mortalis peccati prius perpetrati, vel propter quæstum temporalem tantum, suscipiunt ordinem, officium suum non exequantur, antequam sacerdoti confiteantur.

III. *Quod clerici puniantur propter incontinentiam.*

Ne vero facilitas veniæ incentivum tribuat delinquendi: in generali concilio statutum, quod clerici, præsertim in sacris ordinibus constituti, qui deprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, & pro hac causa suspensi, officium suum exequi præsumpserint; non solum ecclesiasticis beneficiis spolientur, verum pro hac duplici culpa perpetuo deponantur: ut quos Divinus timor a malis non revocat, temporalis saltem pœna cohibeat a peccato. Prælati vero qui tales in suis iniquitatibus præsumunt sustinere, maxime obtentu pecuniæ, vel alterius commodi temporalis, pari subjaceant ultioni. Vnde oportet vos archidiaconos, officiales, & decanos, tanto vigilantius super hoc vigilare, quanto negligentibus majus periculũ dignoscitur imminere.

IV. *De monitione facienda concubinis sacerdotum, & pœnis imponendis eisdem.*

Concubinæ sacerdotum frequenter moneantur ab archidiacono, & præcipue a sacerdotibus, in quorum parochia morantur, vel ut contrahant, vel ut claustrum ingrediantur, vel sicut publice peccaverunt, publice agant pœnitentiam. Qui autem contra hanc monitionem, obtentu pecuniæ vel familiaritatis, negligens extiterit, pœnæ supradictæ subjacebit. Quod si ad nullum istorum per monitionem reduci possint, interdicto eis, primo pacis osculo, & pane benedicto, in ecclesia, si perseverant in obstinatione, ipsæ & communicantes cum eis excommunicentur, sæculari justitiæ tradendæ, si non resipuerint.

V. *De pace inter parochianos per rectores ecclesiarum servanda.*

Magna nobis, filii carissimi, injuncta est necessitas pacis observandæ, cum Deus ipse pacis sit autor & amator, qui non solum cælestia, sed etiam terrestria venit adinvicem pacificare: & cum non nisi per pacem temporis, & pacem pectoris, ad pacem perveniatur æternitatis, monemus vos & districte præcipimus, quatenus pacem, quantum in vobis est, cum omnibus habentes, parochianos vestros moneatis, ut in unitate fidei & pacis vinculo, unum corpus sint in Christo: inimicitias, si exortæ fuerint, in parochia vestra diligenter sedantes: amicitias copulantes: discordantes a discordia revocantes: quantum in vobis est, non permittentes quod Sol occidat super iracundiam parochianorum vestrorum.

VI. *Quod clerici non nimis potent, nec scotalla faciant, nec eis intersint.*

Illum abusum clericis penitus interdicimus, quando ad potus æquales sumendos se obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Vnde interdicimus, quod nullus alium cogat ad bibendum: si quis super hoc culpabilem se exhibuerit, nisi a superiore commonitus, satisfecerit competenter, a beneficio & officio secundum statuta concilii suspendatur. Bannum quoque scotallorum per sacerdotem fieri prohibemus. Quod si sacerdos vel clericus hoc fecerit, vel scotallis intersit, canonice puniatur.

VII. *De infringentibus laudabilem consuetudinem ecclesiæ: & pœnis eorundem.*

Sed quoniam quidam laïci, laudabilem consuetudinem erga sanctam ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis, nituntur infringere, sub prætextu catholicæ puritatis: sicut præcipimus, pravas exactiones super iis non fieri, ita pias & laudabiles consuetudines præcipimus observari: & qui maliciose nituntur laudabilem consuetudinem immutare, per vos cognita veritate compescantur, sicut in concilio statutum est: & quod a terragio corpus sepelire non differatur, sed post sepulturam, si quid datum fuerit, in eleemosynam recipiatur.

VIII. *De prohibita Missarum venditione, & annualium, &c.*

Præterea, venalitatem Missarum districte inhibentes, præcipimus, ne annualibus & triennalibus missarum faciendis, laïci & alii aliquid dare vel legare in testamento cogan-

Circiter Anno Christi 1236.

cogantur. Et ne super hoc aliqua pactio vel actio vera, vel sub alia specie palliata, a sacerdotibus vel aliis mediatoribus fiat, prohibemus: & ne superflua multitudine talium annualium quandoque se onerent sacerdotes, ad quæ explenda honeste sufficere non possunt, & propter quæ ipsos oportet sub certo precio conductos habere sacerdotes, aut ea vendere aliis facienda, ut se exonerent: illud de cætero fieri sub pœna suspensionis prohibemus.

IX. *Quod fontes sint sub firma serura.*

Fontes sub serura clausi teneantur, propter sortilegia: chrisma & oleum sacrum sub clave custodiantur. Si vero is, ad quem spectat custodia, incaute ea reliquerit, tribus mensibus ab officio suo suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid nefarium contigerit, graviori subjaceat ultioni.

X. *De baptisterio, & de aqua baptismali, & quid sit faciendum cum aqua & cum vase, in quibus propter necessitatem puer domi baptizetur.*

Baptisterium habeatur in qualibet ecclesia baptismali lapideum, vel aliud competens: id decenter cooperiatur, & reverenter conservetur, & in alios usus non convertatur. Aqua vero, in qua baptizatus est puer, ultra septem dies in baptisterio non servetur. Si vero puer a laïco domi propter necessitatem fuerit baptizatus: aqua, propter reverentiam baptismi, vel fundatur in ignem, vel ad ecclesiam in baptisterium fundenda deferatur, & vas illud vel comburatur, vel ad usus ecclesiæ deputetur.

XI. *Sacerdos interroget laïcum de dictis suis & factis, quando baptizaverit puerum domi.*

Semper interroget sacerdos laïcum diligenter, cum in necessitate baptizaverit puerum, quid dixerit: etiam quid fecerit. Et si diligenti præcedente inquisitione, facta sibi fide plena, invenerit laïcum distincte in forma ecclesiastica baptizasse, sive in Latino, sive Gallico, sive in Anglico, approbet factum. Sin autem, baptizet puerum dicendo ut supra".

" quod tamen hic non extat.

XII. *Diaconi baptizare, & pœnitentias dare non debent, nisi in casibus necessitatis.*

De baptismate & pœnitentia præcipimus, quod diaconi pœnitentias dare & baptizare non præsumant, nisi in iis casibus: cum sacerdos non potest, vel absens est, vel stulte vel indiscrete non vult, & mors imminet puero vel ægroto. Si puer baptizatus fuerit a laïco, præcedentia & subsequentia immersionem compleantur a sacerdote.

XIII. *Quod panni chrismales tantum cedant in usum ecclesiæ.*

Panni etiam chrismales non nisi in usus ornamentorum ecclesiæ convertantur: similiter alia ornamenta ecclesiastica, quæ pontificalem accipiunt benedictionem, nullo modo in usus profanos deputentur. Et archidiaconus in suis visitationibus, an hoc observetur, diligenter inquirat.

XIV. *Quod mulier mortua in puerperio, scindatur, ore aperto.*

Si mulier mortua fuerit in partu, & hoc bene constiterit, scindatur, si infans vivere credatur, ore tamen mulieris aperto.

XV. *De custodia infantis.*

Fœminæ commoneantur, ut pueros caute alant, & juxta se de nocte non collocent teneros, ne opprimantur: solos in domibus ubi ignis fuerit, vel solos juxta aquas sine custode non relinquant. Et hoc omni die Dominica eis dicatur.

XVI. *Quod omnis commixtio maris & fœminæ extra matrimonium est mortale peccatum.*

In confessionibus & prædicationibus sæpius laïcis inculcetur, & præcipue in majoribus solemnitatibus, quod omnis commixtio maris & fœminæ, nisi per matrimonium excusetur, est mortale peccatum. Et si in denunciatione hujusmodi salubris doctrinæ sacerdos negligens inventus fuerit, tanquam fornicator vel consentiens fornicatoribus canonice punietur.

XVII. *Confessiones mulierum audiantur extra velum, & moneantur laïci confiteri.*

Confessiones mulierum audiantur extra velum, & in propatulo, quantum ad visum, non quantum ad auditum. Moneantur etiam laïci statim in principio Quadragesimæ confiteri, & cito semper post lapsum, ne peccatum pondere suo trahat ad aliud. Item nullus sacerdos nomine pœnitentiæ totaliter & partialiter Missas præsumat injungere: consulere tamen potest.

XVIII. *De pœna non confitentium.*

Confessiones ter in anno audiantur. Ter communicare moneantur: in Pascha, in Pentecoste, & in natali Domini. Prius tamen præparent se per aliquam abstinentiam de consilio sacerdotis faciẽdam. Quicumque autem, semel in anno ad minus, proprio non confessus fuerit sacerdoti, & ad minus ad Pascha sacramentum Eucharistiæ non perceperit, nisi de consilio sacerdotis duxerit abstinendum: & vivens, ab

[C]irciter [A]nno [C]hristi 1236.

ab ingreſſu eccleſiæ arceatur : & mortuus, Chriſtiana careat ſepultura. Et hoc frequenter eis dicatur.

XIX. *De diffamatis monendis confiteri.*

Diffamati fama publica, vel veriſimilibus indiciis " ſuper aliquo crimine, de quo convinci non poſſunt, moneantur ſemel, ſecundo, & tertio, ut confiteantur & ſatisfaciant. Si vero incorrigibiles in diffamatione conſtiterint, indicatur eis purgatio, quæ occaſione pecuniæ promiſſæ vel oblatæ, in diem nullatenus differatur: ſed ſi parata fuerit, ſtatim prima die", & canonum numerus obſervetur. Archidiaconus, ſive ejus officialis, ſeu decanus, contra hoc veniens, ab officio ſe noverit ſuſpendendum.

[al. de duobus judiciis] [al. prima die recipiatur, & can.]

XX. *De modo audiendi confeſſiones, & mittendi confeſſos ſuperioribus.*

In confeſſione habeat ſacerdos vultum humilem, & oculos ad terram demiſſos, ne faciem reſpiciat confitentis, maxime mulieris: & patienter audiat quicquid dixerit, & in ſpiritu lenitatis eum ſupportet: & ei pro poſſe ſuadeat, & pluribus modis, quod integre confiteatur: aliter vera non eſt confeſſio. Peccata inquirat uſitata ſingulatim: inuſitata autem non niſi a longe & per circumſtantias, ut expertis detur modus confitendi, & inexpertis non detur occaſio nova delinquendi. Perſonarum nomina, cum quibus confitens peccaverit, non inquirat ſacerdos: ſed per confeſſionem poteſt inquirere, utrum clericus vel laicus, monachus, vel ſacerdos, vel diaconus exiſtat: & ſemper majora, præcipue notoria, majoribus reſerventur. Sunt autem iſta majora, homicidia, ſacrilegia, peccata contra naturam, inceſtus, ſtupra virginum & monialium; & injectiones manuum in parentes, necnon & in clericos; vota fracta, & hujuſmodi. Sunt autem caſus, in quibus nullus niſi papa ſolus poteſtatem habet abſolvendi, vel ejus legatus. Abſolutio tamen talium in articulo mortis nulli deneganda eſt, ſaltē conditionalis, videlicet quod ſi cōvaleſcant, apoſtolico conſpectui ſe præſentent. Nihilo minus tamen talium rei mittendi ſunt ad epiſcopum vel ejus pœnitentiarium. Semper autem qui mittuntur, deferant ſecum litteras continentes genus peccati, & circumſtantias ſufficientes, vel ipſe ſacerdos veniat perſonaliter cum eis: alioquin non recipiantur.

XXI. *De denunciatoribus criminum in quolibet decanatu.*

Sint autem in quolibet decanatu duo vel tres viri, Deum habentes præ oculis, qui exceſſus publicos prælatorum, & aliorum A clericorum, ad mandatum archiepiſcopi, vel ejus officialis, ipſis denuncient.

Circiter Anno Christi 1236.

XXII. *De pignore non retinendo.*

Inhibeatur frequenter, ne pignus retinere quiſpiam contendat, poſtquam de fructibus ſortem perceperit, deductis expenſis: quoniam uſura eſt.

XXIII. *Qui ſunt publice denunciandi in eccleſiis ter ſingulis annis, in feſtis majoribus.*

Singulis autem annis, in tribus ſolemnitatibus majoribus, ſolemniter excommunicati B denuncientur in genere: ſortiarii, auxilium dæmonum quoquo modo invocantes, ſacramentis vel ſacramentalibus abutentes, vel ea ad uſus profanos convertentes, incendiarii, raptores publici, malitioſe impedientes executiones rationabilium teſtamentorum.

XXIV. *De communicantibus cum excommunicatis.*

Ne eccleſiaſticæ cenſuræ rigor vileſcat: C præcipimus, quod omnes qui ſcienter communicant nominatim & publice excommunicatis, tamdiu arceantur ab ingreſſu eccleſiæ, quamdiu talibus communicaſſe convinci potuerint: niſi citius reſipiſcant: ſalvo tenore canonis, q. ult. xi. *Quoniam multos.* [Et nota, quod iſta materia, *de ſen. ex.* capitulo, *ſtatuimus*, &c. Quæſtionum libro ſexto.]

Incluſa duobus uncinis aliena ſunt, annotata ſcilicet ab aliquo inter legendum. Nam ſextus decretalium ibi citatur: cujus autor Bonifacius VIII. qui ſedere cœpit anno 1294.

XXV. *De veneratione Euchariſtiæ portatæ ad infirmum.*

His addimus: quod, cum Euchariſtia ad D ægrum fuerit deferenda, habeat ſacerdos aliquam pixidem mundam & honeſtam, in qua ſit pannus lineus mundiſſimus, & in ea deferat corpus Dominicum ad ægrotum, linteo mundo ſuperpoſito, & lucerna præcedente, niſi æger valde remotus fuerit, & cruce ſimiliter, ſi fieri poteſt, niſi crux fuerit ad alium ægrotum deportata: præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus ſonitum excitetur devotio fidelium. Habeat quoque ſecum ſacerdos orarium ſive ſtolam, E quando cum Euchariſtia, ſicut diximus, vadit ad ægrotum. Et æger ſi remotus non fuerit, in ſuperpellicio decenter ad ipſum accedat. Habeatque vas argenteum, ſive ſtanneum, ad hæc ſpecialiter deputatum, quod ſemper ad ægrotū ſecum deferat, ut in eo dare valeat ægro, poſt ſumptā Euchariſtiam, ſuorum loturam digitorum.

XXVI. *De domibus ruinoſis reparandis poſt deceſſum.*

Item volumus, quod hæc cōſtitutio inviolabiliter obſervetur: videlicet, ſi rector alicujus

Circiter Anno Christi 1236.

cujus ecclesiæ decesserit, ecclesia sua relicta A sine indumentis sacerdotalibus competentibus, vel sine libris, vel sine utrisque, vel si forte domos ecclesiæ reliquerit dirutas vel ruinosas, de bonis ejus ecclesiasticis tanta portio deducatur, quæ sufficiat ad comparandum hoc, & ad defectus ecclesiæ supplendos. Idem statuimus circa illos vicarios, qui solvendo modicam portionem sive pensionem, omnes habent ecclesiæ proventus. Nam cum ad præmissa teneantur, talis portio deducta satis poterit, & debet inter eos computari: semper tamen rationabilis consideratio sit habenda ad facultatem ecclesiæ, cum deducenda fuerit B hæc portio.

XXVII. *Quod decimæ non vendantur ante Annunciationem beatæ Mariæ.*

Nullus rector ecclesiæ nobis subjectus decimas ecclesiæ vendere præsumat, ante Annunciationem beatæ Mariæ, cum extunc, secundum consuetudinem, fructus cedere debeant ad debita vel legata solvenda.

XXVIII. *De noua pensione a præsentatis non præstanda.*

C Item, ne cui de ecclesiasticis proventibus modica vel magna pensio detur in fraudem, sicut in concilio prohibitum est, & nos prohibemus. Et quoniam circa hujusmodi pensiones fraus sæpius solet & simoniaca pravitas perpetrari: nos, ut melius obviemus talibus morbis, præsentantis & præsentati recipimus interdum juramentum, quod nec promissio nec pactio illicita intervenerit, & quod ecclesia non debet amplius obligari, quam prius fuit obligata: similiter, ne quis, qui prius ecclesiæ fuit persona, in eadem ecclesia fiat vicarius. D

XXIX. *Quod rectores ecclesiarum & capellani, sine rationabili causa, non sunt amouendi.*

Monemus etiam rectores ecclesiarum, ne capellanos annuos sine causa rationabili studeant amovere: maxime si honestæ fuerint conversationis, & laudabile de conversatione sua habeant testimonium.

XXX. *De incontinentia presbyteri parochialis per rectorem ordinario manifestanda.*

Et si de incontinentia parochialis sacerdotis scandalum ortum fuerit, cum circa hoc vigilis[a] esse debeat rector ecclesiæ, si per famam vel inquisitionem nobis prius de hoc constiterit, quam per rectoris denunciationem, tanquam conscius punietur arbitrio superioris. Simile de vicariis perpetuis est censendum. Et tam personas, & vicarios, quam annuos sacerdotes, graviter puniendos esse decrevimus, nisi super denunciatione excessuum, & præcipue incontinentiæ, in quibus notabiles clerici inventi fuerint, in suis parochiis fuerint vigilantes.

[a] vigil

XXXI. *Quod alter coniugum ne transeat ad religionem sine littera episcopi.*

Item doceat frequenter sacerdos populum, & prohibeat sub anathemate, ne alter conjugum transeat ad religionem, vel recipiatur, nisi per nos aut litteram nostram.

XXXII. *Quod mulieres non faciant vota sine consensu virorum.*

Item moneat sacerdos mulieres, ne faciant vota, nisi cum magna deliberatione, aut virorum suorum consensu, aut concilio sacerdotum.

XXXIII. *Testamenta laicorum non fient sine præsentia sacerdotis parochialis.*

Præcipimus, quod laïcis frequenter inhibeatur, ne testamenta sua faciant sine præsentia sacerdotis parochialis, sicut diligunt quod eorum ultimæ voluntates adimpleantur. Sacerdotibus similiter inhibemus, ne testamentum suum per manum ordinent laïcalem.

XXXIV. *Ne medici ministrent aliquid ægrotis, quod in periculum animarum conuertatur.*

Cum anima longe preciosior sit corpore, sub interminatione anathematis prohibemus, ne quis medicorum, pro corporali salute, aliquid ægro suadeat, quod in periculum animæ convertatur: verum cum ipsum ad ægrotum vocari contingit, ægrum ante omnia moneat efficaciter, & inducat, quod medicos invocet animarum, ut postquam infirmo fuerit de spirituali provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Transgressores hujusmodi constitutionis pœnam in concilio statutam non evadent.

XXXV. *De domibus religiosorum de nouo fundandis.*

Quoniam religionum nimia diversitas gravem in ecclesia Dei confusionem inducit: præcipimus, quod qui volunt domum hospitalem, seu xenodochium fundare de E novo, regulam & institutionem a nobis accipiant, secundum quod vivant regulariter & religiose.

XXXVI. *De modo sumendi Eucharistiam.*

Item in celebratione Missæ hostiam consecratam[a] daturus sacerdos sibimetipsi, ne ammoveat ori suo, quia ante perceptionē, eam ore suo tangere non debet. Si vero de patena, sicut quidam faciūt, eam sumat: post

[a] host. consecratam, pacem daturus

post celebrationem Missæ, tam patenam quam calicem, faciat aqua perstringi, vel solum calicem, si eam non sumat de patena: habeat quoque sacerdos juxta altare pannum mundissimum circumdatum undique, & honeste ac decenter coopertum, in quo, post sumptionem sacramenti salutaris, digitos cum labiis ablutos emundet.

XXXVII. *Quod mulieres ante partum confiteantur, & pariendo habeant secũ aquam paratã.*

Item, commoneant sacerdotes mulieres prægnantes, de parochia sua, ut, cum tempus partus intelligunt instare, sibi prospiciant quod aquam habeant promptam & paratam: & quod, propter mulieris periculum, confiteantur, antequam in puerperio jacuerint, omnia peccata sua sacerdoti, ne subito præoccupatæ non possint, cum voluerint, habere copiam sacerdotis.

XXXVIII. *De iis qui clericos occidunt, faciuntve occidi.*

Sacri insuper provisione concilii distinctum est, quatenus si patroni, vel advocati, aut feodatarii, seu vicem gerens alicujus domini, rectorem ecclesiæ, vicarium, seu clericum ipsius ecclesiæ, per se vel per alios occidere ausu nefario præsũpserint, patroni patronatus, advocati advocatiã, feodatarij feodum, vicedomini vicedominatũ, usque ad quartam denunciationem amittant: & posteritas taliũ in clericorũ collegium nullatenus assumatur, nec in regularibus domibus alicujus prælatiæ assequatur honorẽ. Et hoc volumus in ecclesia sæpius denunciari.

XXXIX. *De confirmatione puerorum, & de iis qui eos tenere debent.*

Sacerdotes frequenter moneant populũ ad Confirmationem puerorum. post baptismum enim suscipi debet sacramentum Cõfirmationis. Quod si confirmandus adultus fuerit, monendus est per sacerdotem loci, ut prius confiteatur, & postea confirmetur. Item, sæpe dicatur laicis, ne expectent diu adventum episcopi, pro Cõfirmatione, sed adducant pueros ad eum, nisi eum adesse audierint prope, quam citius poterint: & ut ligaturas secũ deferant competẽtes, scilicet longas & latas sufficienter. Item, parvuli cõfirmati, tertia die post Confirmationem, deportentur ad ecclesiam, & frontes eorũ per manus sacerdotũ in baptisterio, propter reverentiam sacramenti, abluantur ibidem, & tunc ligaturæ simul in igne cõburentur. Itẽ, nullus teneatur ad Confirmationem a patre, vel vitrico, seu noverca. Et hæc prohibitio sæpius publicetur in ecclesiis per sacerdotes.

XL. *Quod decimæ dentur de omnibus, quæ renovantur per annum.*

Circa decimas autem hoc observari præcipimus: ut de omnibus, quæ per annum renovantur, ecclesiis, quibus debẽtur, persolvantur: & præcipuè illa, quę Divina lege debentur, vel ex loci cõsuetudine approbata: ita scilicet quod occasione mercedis serviẽtum, vel messorum, ecclesiæ decima parte non fraudentur, quo minus eam plenã percipiant. Detentores vero earum decimarũ, si semel, secũdo, & tertio commoniti, excessum suum non emendaverint: concedimus, quod per capellanos locorũ, usque ad satisfactionem congruam, anathematis vinculo feriantur. Cum autem ij, qui decimas detinuerint, ad pœnitẽtiam accesserint: non admittantur, nisi per se vel per manum sacerdotis sui ei, cui decimæ debentur, satisfaciant competenter. Item decimæ tam prædiales, quam alię, sine difficultate & diminutione, & cum omni integritate solvantur, secundum quod canonum cõvenit institutis. Concedimus etiam, quod quilibet sacerdos parochialis detentores decimarũ in sua parochia potestatem coërcendi habeat: & si cõtumaces fuerint, & cõmoniti se non correxerint, ipsos excommunicandi. Itẽ, nullus laïcus quantacunq; diuturnitate tẽporis immunitatem sibi vendicet a pręstatione decimarum: cum laïcus, secundum sacrorũ canonum instituta, decimas præscribere non possit. In præstãdis decimis & maxime prædialibus, nullæ deducantur expensæ. Et sic nota, quod quilibet sacerdos potest excommunicare pro decimis debitis nõ solutis. Et cum sit crimen decimas notorie debitas detinere: videtur, quod notorie detinenti debitas, vel alia jura debita ecclesiis, possit in Paschate licite denegari corpus Christi: quia pro manifesto & notorio crimine potest illud cuilibet denegari. de cons. dist. *pro dilectione*. Nec obstat c. *si sacerdos* de off. ordi. cum similibus: quia loquitur de crimine occulto, ut ibi per doct.

Vide constitutiones Roberti de Wynchelse, apud Merton. anno circiter 1300.

XLI. *Quod laici non intromittent se de bonis clericorum.*

Sub interminatione anathematis prohibemus, ut nullus constabilarius castrorũ, forestarius, vel cujuscunq; potentis bailivus, possessiones seu bona clericorũ aut religiosorũ, seu quarumcumque religiosarum personarum, ausu temerario, præsũmat invadere: aut eas exactionibus injustis & oppressionibus quibuscumq; indebite, contra libertatem ecclesiasticam, attentet molestare.

Quod si qui contra prohibitionem nostrã in propriæ salutis dispendium, quod Deus avertat, intrare præsumpserint, & moniti se non correxerint, terras eorum per archidiaconum sine dilatione ecclesiæ supponi præcipimus interdicto: & tunc demum, si ad correctionem non redierint, indurati, pulsatis campanis, & accensis cãdelis, excommunicentur, canonica monitione præmissa. Volumus etiam & districte præcipimus; ut

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

ut archidiaconi & eorum ministri, cum fuerint super hoc ab executoribus requisiti, mutuum sibi invicem præstent auxilium.

Ex tom. II. concilior. Britannic.

** CONSTITUTIONES DOMINI ALEXANDRI COVENTRENSIS EPISCOPI, in regimen suæ diœcesis, factæ anno circiter MCCXXXVII.

Ex veteri cod. MS.

V*Niversis archidiaconis per Covetrensem diœcesim constitutis, Alexander permissione divina ejusdem minister ecclesiæ humilis, salutem: & sic vigilias noctis super gregem sibi commissum custodire, ut angelis ducentibus possint in magnum palatium Salvatoris introire: ubi non sordes stabuli, ubi non paupertas præsepii, nec bos, id est labor obedientiæ; nec asinus, id est pœna patientiæ: sed erit Deus omnia in omnibus.*

Vos igitur, quibus incumbit vigilare juxta verbum beati Petri: habeatis duos gladios propter timores nocturnos, & sufficient. Gladium, verbum Dei limatum & acutum: limatum, ut fulgeat: non enim debet esse sermo Dei obscurus, præcipue quando proponitur laïcis: acutum ut cædat, hoc modo, ut
Is. 34. nulli peccato parcat. Unde in Isaia: *Gladius meus descendet super Idumæam*, id est, super peccata. Et
Ibid. 49. idem: *Posuit Deus os meum quasi gladium acutum.*

Aliena peccata non facietis propria. Propria quidem vestra erunt, si dissimuletis, si negligenter corrigatis.
Psal. 19. Et tunc oportebit quemlibet nostrum dicere: *Ab alienis parce servo tuo.* Et scitis quid dicit Apostolus:
Rom. 1. *Non solum qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte æterna.* Consentire est tacere, cum possitis redarguere. Ego etiam vobis dico, quod si possim in aliqua parochia invenire aliquem hujusmodi publice peccantem, puniam tanquam peccatum vel archidiaconi, vel personæ, vel sacerdotis. Nec mirum, quia non sua, faciunt sua, de quibus
Osee 4. scriptum est in Osee: *Peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum*, id est sacerdotum, *sublevabunt animas eorum*, id est populorum. Quia sacerdotes fornicarii sustinent populos fornicarios. Sed quid
Is. 24. accidet? *Erit sicut populus, sic sacerdos.* Sicut populus suspendetur ab introitu ecclesiæ, sic sacerdotes a celebratione Missæ. Præcipue autem peccata publica non permittatis crescere usque ad messem damnationis extremæ. Sed si publica fuerint, primo arguite corripiendo, postea increpate comminando: & hoc opportune, & postea importune, pœnam infligendo.

Multis videtur prælatus importunus cum affligit affligendos. Propter hoc ut manifesta judicaret judex, sedebat in porta. Qui sedet in porta, potest videre ea quæ fiunt in plateis: hoc significat, quod prælatus debet judicare manifesta. Non potest autem videre ea quæ sunt in conclavi: hoc significat quod Deo debet relinquere occulta. Habeatis ergo gladium orationis, qui cælum penetret: de quo dicitur: Oratio justi nubes penetrat. Etsi quidam opponant nubem peccati, transit tamen oratio justi: ita ut nubes resolvatur in pluviam. Juxta quod legitur orasse Heliam, cujus precibus nubes resolutæ sunt in pluviam, & terra dedit fructum suum.

De sacramentis.

AD hæc cum nihil carius reliquerit nobis Deus in terris post ascensionem suam ad cælos, quam sacramenta, in quorum visione, ipsius habetur memoria: ipsa debemus venerari in tantum, ut contra ipsa, immo contra ipsorum autoritatem, nulla possit fieri blasphemia. Quia ergo solent quidam propter opprobria Christi, ut increduli, quidam qui propter

A minimum contemptum descenderunt in profundum abyssi, quidam autem, qui propter veneficia ut mali Christiani & Iudæi, aliqua turpia circa Eucharistiam & chrisma, & oleum sanctum, ausu temerario, immo nimis ausi præsumere: præcipimus, ut sub optima clausura clavium reponantur in diversis vasis, prout decet honestius. Quia etiam nihil est sanctius quam sacramentum altaris, in tantum, quod nisi Dominus nobis reliquisset, quasi Sodoma fuissemus, id est, muti non possemus respondere quærentibus, ubi est Deus noster. Nunc autem possumus dicere, quod hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic in terris quotidie videtur, dum per manum sa-
B cerdotis quotidie elevatur: & cum hominibus conversatur, dum in pixide modica in loco humili ponitur. Et quasi Gomorrha fuissemus, id est, asperi & aridi, sine omni devotione spirituali. Unde præcipimus, quod in elevatione Eucharistiæ, quando ultimo elevatur, & magis in altum: tunc primo sonet campanella, quæ sit quasi modica tuba denunciantis adventum judicis: immo salvatoris, secreto ad nos venientis, ut sit nobis animi tripudium ubinam accedimus ad cæleste convivium. Et erit triplex gaudium, quia ubi caro, ibi anima, ibi Deus Verbum. Similiter præcipimus, quod Eucharistia portetur ad infirmum intra villam, cum solemnitate accensæ lucernæ, & sonantis campanellæ Et hoc non portetur a solo sacer-
C dote, immo cum testimonio diaconi honesti, vel alicujus honesti clerici, vel saltem laïci boni testimonii, & hoc in superpellicio.

De Aqua benedicta.

AD hæc, quia oportet in ecclesia Dei esse pastores & doctores: nec est divisio inter pastores & doctores, cum alia dividat Apostolus. Dicit enim: *Ipse quidem dedit alios quidem apostolos & euangelistas, alios pastores & doctores.* Hic nullam Ephes. 4.
fecit divisionem. Præcipimus igitur, ut illi quorum interest, videant, ut in singulis locis ubi est regimen scholarum, sint tales qui sciant alios doctrina instruere, & velint eos exemplo bonæ vitæ informare. Sed quia plerique scholares carent necessariis, quorum
D scientia multi per gratiam Dei poterunt ædificari: volumus, ut scholares ferant aquam benedictam per villas rurales, si sint qui postulent & indigeant.

Item præcipimus, quod ea quæ pertinent ad dedicationem ecclesiæ, sint peracta.

Item præcipimus, quod in qualibet ecclesia sit vita beati Thomæ martyris, & oratio, *Deus pro cujus ecclesia.*

Præcipimus ut claudantur cœmeteria.

Item quod vicarii deserviant pro vicariis: nec ponant pro se sacerdotes conductitios, nisi de speciali licentia nostra.

Ut populus communicet ter in anno, & jejunet.

E ITem cum nihil valeat peregrinantibus tantū, quantum viaticum: moneantur laïci & clerici, ut ter in anno sumant corpus & sanguinem Iesu Christi, ad minus, qui provectioris ætatis sunt; videlicet in Nativitate Domini, in Pascha, & Pentecoste. Et qui noluerunt istud facere, moneantur ut jejunent per Adventum, vel ad minus per medietatem septimanæ, & præcedat confessio. Similiter a festo Ascensionis usque ad Pentecosten, vel ad minus per medietatem septimanæ, & præcedat confessio.

Item præcipimus, ne aliquis extraneus admittatur in aliqua parochia ad contrahendum matrimonium, nisi prius facto sacramento si alias est uxoratus. Et hoc sciatur per sacerdotem villæ ubi conversatus est, vel per litteras alicujus prælati de partibus illis, ubi natus vel conversatus est.

Item

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Item notificamus vobis, quod si sacerdos deprehensus fuerit in incontinentia, vel in suspicione violenta: puta si intrat in aliquem locum ubi possit malefacere: quia debemus providere bona coram Deo & hominibus: propter Deum debemus facta vitare; propter homines suspicionem facti: hoc modo punietur. Primo secundum quantitatem facultatum suarum, per manum episcopi dabit quandam summam pecuniæ in usus pauperum: & rector ecclesiæ similiter, sive fuerit privata persona, sive abbas vel prior, ad quem pertinet ecclesia, punietur pro delicto sacerdotis. Eorum enim interest habere bonos & honestos sacerdotes.

Rectoribus etiam, qui sunt privatæ personæ, gratiam facimus, quod eos ad sacerdotium non cogimus. Nec murmuret aliquis, quod peculiariter punimus. Hoc enim facimus propter multas causas: tum quia illa pœna magis timetur quam alia, tum etiam quia luxuria provenit ex abundantia. Ideo bonum est falce correctionis resecare superflua. Peccatum enim Sodomorum fuit ex saturitate panis, & abundantia, & otio, juxta illud poëticum: Quæritur Ægisthus, &c. Autoritate enim legis Divinæ hoc facimus. Dicitur enim in Esdra: *Omnis qui non fecerit legem Dei, indicium erit de eo: sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ eius, vel certe in carcerem.* Si secundo deprehensus fuerit, duplicabitur pœna, tam sacerdotis, quam rectoris. Tertio si deprehensus fuerit, punietur pœna exilii, quia nunquam in episcopatu nostro Divina celebrabit. De aliis personis ecclesiasticis, si deprehensi fuerint: si fuerint beneficiati, primo punientur per condemnationem substantiæ, postea per suspensionem ab officio & beneficio.

1. Esdr. 7.

Item singulis diebus Dominicis prohibeatur, ne quis det fidem in matrimonium contrahendo, nisi in sacerdotis præsentia. Et si qui inveniantur transgressores, mittantur ad episcopum compuniendi.

Similiter, singulis diebus Dominicis denuncientur excommunicati, qui falsum testimonium perhibent prudenter & scienter, vel prohibere procurant, vel etiam qui tales testes scienter producunt vel subornant, ubi agitur in causa matrimoniali, vel alicujus exheredatione.

Excommunicentur etiam omnes, qui gratia lucri, vel odio, vel alias malitiose crimen imponunt alicui, cum infamatus non sit apud bonos & graves: vel sic saltem eis purgatio indicatur, vel alio modo gravētur.

Itē, si sacerdotes sustineant in parochiis suis publicos fornicatores, vel usurarios, vel aliquid mortale peccatum manifestū, punientur tanquā pro propriis peccatis, & veniet super eos malum, & nescient ortum ejus. Hoc autem modo procedant circa fornicatores: quod si contingat aliquem jurare, quod in posterum non cognoscet quam cognoscere consueverat: indicatur ei talis pœna si eandem cognoverit, quod eam desponset, vel magnam portionē substantiæ suæ, secundum quod facultates suæ cōpetunt, nobis tribuat sub sacramento.

Item in omnibus ecclesiis quas habent monachi ultramarini, inquiratur quo titulo: & similiter, si habent decimas separatas, denuncietur nobis.

Item in quolibet decanatu sit unus, qui audiat cōnfessionem sacerdotum, vel ad minus unus confessor, in duobus decanatibus.

Item quotidie, quando leguntur tres lectiones, dicantur: *Placebo, Dirige,* & *Commendatio*, ab *In exitu Israel*, usque *Ad Dominum cum tribularer.*

Item præcipimus, sub pœna suspensionis, ut nullus clericus, qui servit in ecclesia, vivat de aqua benedicta.

Item præcipimus, quod quilibet Christianus, & quælibet Christiana, omni die dicat septies suum *Pater noster*: quia septies in die debet laudare Dominum, juxta Prophetam: *Septies in die laudem dixi tibi* Similiter septies, *Ave Maria*: & bis suum *Credo*: & ad hoc faciendum moneatur frequenter, & ad sciendum cogatur.

Ps. 118.

Item districte præcipiatur, ut nulla mulier ponat puerum suum juxta se in lecto, nisi sit ad minus trium annorum, vel circiter.

Item si ponatur in cubiculo, ita fulciatur cunabulum, ut non possit volvi cunabulum, & ita puer cadat super faciem suam.

Item veneficia, quia fidei manifeste sunt contraria, sub interminatione anathematis prohibeantur. Et si aliqui in hujusmodi caute possunt deprehendi, vel falso testimonio, ad nos mittantur puniendi.

Item prohibemus ut nullus celebret de novo in episcopatu Coventrensi sine licentia nostra.

Item ne quis recipiatur in hospitali sine licentia nostra.

Item præcipimus, quod quilibet sacerdos doceat parochianos suos baptizare pueros suos in necessitate secundum formam ecclesiæ, super his verbis: *Ego baptizo te* N. *in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.* Et illa eadem forma dicendi, servetur in Gallico & Anglicano sermone.

Præcipimus etiam vobis firmiter, per virtutem Iesu Christi, sub interminatione anathematis, & sub pœna suspensionis, quatenus hæc statuta observentur & scribantur, simul cum septē criminalibus quæ ad vos mittimus: similiter & cum quodam tractatu modico de confessione. Hęc serventur & scribantur, sicut quod ecclesiæ vestræ non suspendantur, cum ad ecclesias vestras accesserimus, vel per nos, vel per nuncium nostrum.

Denuncientur etiam excommunicati omnes illi, autoritate concilii, qui ecclesias malitiose suo jure privare præsumunt, aut per malitiā, vel contra justitiā libertates earundē infringere, vel perturbare contendunt.

Item inhibemus, sub pœna dimidiæ marcæ, ne quis sacerdos ad tabernam eat, aut tabernam teneat, vel scotales.

Dicatur omnibus sacerdotibus: quod, quando parochiani sui congregati sunt in ecclesia, in Dominicis diebus, vel in aliis festis, dicant hæc verba, quæ sequuntur: Septem sunt criminalia peccata, quæ fugere debetis, juxta quod dicit Sapiens: *Quasi a facie serpentis fuge peccata.* Peccatum comparatur serpenti: quia, sicut serpens veneno necat carnem, sic peccatum malitia necat animam. Quando vero anima est mortua, tunc efficitur cibus diaboli. Unde idem dicit: *Si accesseris ad peccata, tunc accipient te dentes leonis, dentes ejus interficientes animas.* De dentibus diaboli potest misera anima extrahi per virtutem Dei: juxta quod dicit Isaias: *Tolletur a forti præda, & quod ablatum est, a robusto salvabitur.* Et Iob: *Contereham molas iniqui, & de dentibus ejus auferebam prædam*: id est, animam, quæ præda est prædicatoris & sacerdotis, juxta quod dicitur: *Tulerunt justi spolia impiorum.* Sed si fuerit inter dentes misera anima usque dum perfecte masticetur, & in ventrem diaboli attrahatur, nunquam extrahetur, quia in inferno nulla est redemptio. Masticatur per totam vitam præsentem: in morte, in ventrem trahitur. Quam vilis res est diabolus, qui non diligit comedere nisi cadaver & rem fœtentem! Viles ergo sunt, qui tam vili serviūt. Legitur, ut caveamus à morsibus prædicti leonis. Ne incidamus in ejus fauces, vitemus septem deceptiones eius: id est, septem criminalia peccata, quorum primum est superbia, quæ natione cælestis sublimium mentes inhabitat, sub cinere & cilicio latitās. Superbia morbus est divitū: unde dicit August. quod nihil expavit Apostolus in divitiis, quādo dixit: Nolite esse divites neq; divitias amare velitis, neque morbū earū, scilicet super-

Eccli. 21.
Ibid.
Isa. 49.
Iob 29.
Sap. 10.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

superbiam. Superbia etiam in viris religiosis latet, A qui aliquando ex bono quod faciunt, superbiunt. Per superbiam cecidit Lucifer, qui fuit angelus in cælo, & factus est diabolus in inferno. Quantum sit peccatum superbia, potest perpendi ex quantitate pœnæ. Quis enim dubitat flagitiosius esse commissum, quod gravius est punitum? & hoc modo dicatur laicis, quod tunc superbit homo, quando ex aliquo dono, vel ex scientia, vel ex divitiis, vel etiam ex aliquo magno opere se magnum credit, & super alios se extollit. Unde alio modo sic describitur: Superbia est singularis excellentiæ super alios cæcus appetitus. Istud peccatum Anglice vocatur, *prude*. De divitibus non est dubium, quin multum habeant, sed pauperes negant se esse superbos. Sed potest eis probari quod sint superbi, B hoc modo. Multotiens enim vident divites in gloria sua, & dicunt in animo suo: Isti jam receperunt mercedem suam, sed nos non sic: & ex hoc superbiunt. Dicunt enim, hic recipimus mala, ut in futuro habeamus bona: & verum dicunt, si cum humilitate & patientia sustinent.

Invidia.

SEcundum peccatum est invidia: Invidet autem homo qui in animo suo tabescit, ex aliquo bono quod videt in proximo suo: & dicitur Anglice *Ich*, sive *Onde*. Qui autem invidus est, invidet Deo, invidet sibi, invidet proximo: & quando dolet quod aliquis habet bonum, cum bonum non sit nisi a Deo, dolet quod Deus bonus est. Unde in evangelio Matthæi:
Matth. 20. *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Invidet etiam sibi ipsi: quia, cum gaudet de bono proximi sui, facit bonum proximi esse suum. Unde Apostolus:
1. Cor. 12. *Deus qui operatur omnia in omnibus.* Ibi dicit Augustinus: *Tolle invidiam, & tuum est quod habeo.* Unde
Psal. 118. dicit David: *Particeps ego sum omnium timentium te.* Nulli invidet qui sic dixit. De hac invidia dicit
Eccli. 14. Sapiens: *Nihil indignius illo, qui sibi invidet.* Et quia morbus iste vix sanatur, appellatur gutta inossata. Quando gutta est in carne, cito sanari potest: quando est in osse, vix aut numquam. Quod sit in osse, dicit
Prov. 14. Salomon: *Putredo ossium invidia.*

Ira.

TErtium peccatum est ira. Est enim ira veniale
Psal. 4. peccatum, de qua dicitur: *Irascimini, & nolite*
Ephes. 4. *peccare.* Et ira mortale peccatum de qua dicitur: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Ei Sol, id est Christus, occidit, qui in ira perseverat, in tantū quod appetat vindicari. Unde etiam sic describitur: Ira est stulti & concitati animi fervor, fervens libidine ulciscendi. Quando veterascit & durat, efficitur odium;
1. Ioan. 3. *Qui autem odit fratrem suum, homicida est*, sicut dicit Ioannes in epistola. Sed qualiter est hoc verum? Multi enim sunt, qui odio habent alios, & nollent tamen eos interficere: sed forte vellent per calumniam eos opprimere, vel pecuniam auferre. Tales sunt homicidæ, occidunt enim animum proximi, eo quod provocant proximum contra se ad maledicendum vel odiendum: & quantum in eis est, homicidæ sunt. Occidunt etiam corpus, quando volunt injuste & per fraudem aliquid auferre. Et Sapiens: *Qui aufert in sudore pa-*
Eccli. 34. *nem, quasi qui occidit proximum suum.*

Acedia.

QVartum peccatum est acedia, quæ appellatur tædium de bono, quod potest dici *Idelness* in servitio Dei. Istud peccatum committunt homines, quando vel torpent venire ad ecclesiam: vel etiam, quando ibi sunt minus attenti, vel orationi, vel prædicationi. Propter hoc dicit Sapiens: *Subiice humerum tuum, & porta sapientiam, & ne acedieris vinculis eius.* Potest enim istud peccatum appellari negligen- Eccli. 6.
tia in operibus Divinis, de qua dicitur: *Maledictus, qui facit opus Dei negligenter.*

Avaritia.

QVintum peccatum est avaritia, quæ est servitus idolorum. Idolatrus servit idolo, & ita servus est idoli: sic avarus servus est nummi. Est autem avaritia immoderatus appetitus rerum temporalium, quæ Anglice dicitur *Vlcing.* Committitur autem istud peccatum a pauperibus: primo hoc modo, quia si pauper nimis appetat dives fieri, avarus est. Appetere potest sibi necessaria, si non habet: sed non ita, ut nimis. Nimis appetit, qui ab iis quæ Dei sunt propter temporalia se avertit: quando scilicet appetitus efficitur solicitudo. De qua Apostolus: *Nihil soliciti sitis*, id est, Philipp. 4.
non sitis soliciti de temporalibus quæ nihil sunt. Si immoderatus appetitus circa pauperes est damnabilis, multo damnabilior est circa divites. Qualiter ergo erunt homines sine avaritia? Hoc modo: si contenti sunt modico & magno: scilicet eo quod habent. Unde Apostolus ad Hebræos: *Sint mores sine avari-* Hebr. 13.
tia contenti præsentibus. Sive enim modicum, sive magnum dat Deus, contentus debet esse quilibet, quia C paupertatem dat homini, ut per patientiam habeat vitam æternam: & divitias, ut per eleemosynarum largitionem, similiter illam obtineant. Sunt etiam multi in tantum avari, sive cupidi, quod non formidant per fraudem aliquid acquirere, qui etiam dicuntur homicidæ: juxta quod dicit Sapiens: *Qui fraudem facit,* Eccli 34.
& sanguinem fundit, fratres sunt. Vel etiam per violentiam, sive rapinam, sicuti potentes & nobiles, contra quos dicitur: Ne introeas in agros pauperum: propinquus illorum est fortis. Quis est propinquus? Dominus. Sed quid faciet? Iudicabit contra te causam illorum: *Iudicabit enim pupillo & humili, ut non ap-* Psal. 10.
ponat ultra homo, scilicet raptor, *magnificare super* D *terram*: vel etiam per calumniam, sicut falsi advocati, falsi placitatores. Isti similiter sunt homicidæ, juxta quod ait Sapiens: *Homo calumniator, vir sanguinis est.* Quocumque modorum istorum, sive per violentiam, sive per rapinam, sive per fraudem, aliquis aliquid acquisierit, oportet ut reddat si habet unde, vel diabolus eum suspendet. Si non habet, habeat voluntatem restituendi cum habuerit, & restituat.

Similiter de usura. Quando aliquis dat mutuo undecim pro duodecim, vel vendit vel emit ad terminum, oportet quod totum restituat, nec sic de male acquisitis potest fieri eleemosyna. Ut breviter dicam, *Ou rendre, Ou prendre*, sicut Gallice dicitur: hæc est E pœna talium cupidorum: vel moriuntur sine heredibus: unde dicitur: *Thesaurizat & ignorat cui con-* Psal. 38.
gerit ea. Quasi diceret, heredem non habent. Frequenter etiam accidit, quod sine testamento decedunt, quia subito moriuntur. Unde de avaro dicit Sapiens: *Nescit quia mors appropinquat.* Et Dominus in evā- Eccli 11.
gelio dixit de divite, qui ita locutus est: *Anima mea habens multa bona reposita in annos plurimos.* Et Deus dicit: *Hac nocte repetent a te animam tuam*: Diaboli, Luc. 12.
scilicet. Quasi diceret, Subito morieris, & ex improviso. Sed quid tunc accidit? quod dicit Sapiens: *Quia iusto datur substantia peccatoris.* Præterea parum vi- Prov. 13.
vunt, quod potest probari per contrarium. Dicit enim Sapiens: *Qui odit avaritiam, longi fient dies eius: viri autem sanguinum non dimidiabunt dies* Ibid. 28.
suos.

Luxuria.

ANNO CHRISTI 1237.

Luxuria.

SExtum peccatum est luxuria, quæ dividitur in fornicationem & adulterium, & coitum contra naturam. Vt me expediam. Contra naturam est omnis coitus, qui non fit inter virum & mulierem; & debet appellari vitium sodomiticum, propter quod Deus destruxit illas civitates, de quibus satis notum est omnibus. Quam gravissimum est peccatum adulterium, manifeste patet per pœnam multorum adulterorum. Vt enim dicunt patres, adulterium secundum locum obtinet in pœnis. In Osee, *omnes adulterantes, quasi clibanus succensus a coquente*: constat quod clibanus magis ardet quam alius ignis. Fornicatio est, quando vir cognoscit mulierem, quæ non est sibi desponsata: & est mortale peccatum. Quando laïcus solutus a matrimonio, cognoscit solutam, committit adulterium. Sed si ita est in laïca persona: quam mortalissimum, quam nefarium, quam horrendum est, quando ecclesiastici, scilicet monachus, sive quis alius religiosus, aut sacerdos, vel rector ecclesiæ, seu etiam aliquis habens sacros ordines, cognoscit aliquam? Vnde propheta: *In domo Israel*, id est, clericorum, *vidi horrendum, id est, fornicationes eorum.* Istud ultimum sub interminatione anathematis & suspensionis præcipimus vobis sacerdotibus, quod semper aperte dicatis, quando mentio fit de fornicatione, ut saltem impleantur facies nostræ ignominia, & quæratur nomen Domini: sed timeo quod dicit propheta: *Non dabunt cor suum reverti ad Dominum, quoniam spiritus fornicationis est in medio eorum.*

Osee 7.

Osee 6.

Osee 5.

Gula.

SEptimum peccatum est gula, quæ dividitur in crapulam, & ebrietatem. Crapula est in sumptione ciborum, ultra quam sufficit naturæ: teste Augustino, sumenda sunt alimenta, quasi medicamenta. Corpus etiam interimit, ut dicit sapiens: *Propter crapulam multi perierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.* Ebrietas, si ducatur in consuetudinem, mortale peccatum est. Vnde Apostolus: *Ebriosi non possidebunt regnum Dei*: idest, consueti ebrietati. Cavenda est enim ebrietas: per ebrietatem pronus est homo ad omnia genera peccatorum perpetranda. Quid mirum? Potus enim immoderate sumptus, sicut dicit Sapiens, per omnia membra *venenum diffundit.* Tunc *maledictione os plenum est*: *veloces pedes eorum ad effundendam sanguinem*: tunc venter æstuans, de facili spumat in libidinem: tunc oculi vident extraneos, & cor loquitur perversa: tunc sæpius est gubernator, id est ratio, carni subjecta; & timere potest in aliis, scilicet vita hominis, ne eat in profundum. Et multotiens videmus ebrios se in aquis submergere. Tota etiam die videmus patres & matres carissimos filios suffocare. Quid plura? Miseros facit populos istud peccatum & maledictos. Vnde Isaïas: *Væ qui surgitis mane ad sectandum ebrietatem*: ecce maledictio. Sequitur: *Propterea captivus ductus est populus meus*: ecce miseria. Credo quod pro ebrietate perveniunt guerræ, fames, & pestilentiæ: quia ubi plus regnat ebrietas, ibi plus accidunt.

Eccli. 37.

1. Cor. 6.

Prov 23

Psal. 10.

Isa 5.

De pœnitentia.

CVm pœnitentia consistat in tribus: in cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione: primo quærendum est ab illo, qui venit ad confessionem, si dolet se peccasse: quia sine contritione cordis nunquam remittitur peccatum. Si dicat quod dolet, procedatur ad confessionem. Si dicat quod non dolet, tanquam contumax repellatur. Circa confessionem hoc modo procedendum est. Frater vel soror, tu vis confiteri peccata tua: habes tu in voluntate, ut de cætero non pecces mortaliter, in quantum poteris, per Dei gratiam? Si dicit non habeo: dicatur tunc, confessio tua nulla est. Quia ita dicit Sapiens: *Qui confessus fuerit peccata sua, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Intelligitur relinquere, qui habet in voluntate, per gratiam Dei non committere. Circa confessionem hoc modo procedatur. Dicatur confitenti quod tria sunt præcipue, quæ solent impedire hominem, veram facere confessionem: delectatio, & timor pœnitentiæ injungendæ, & pudor. Sed debet sacerdos ostendere quam brevis est delectatio peccati, propter quam amittet premium æterni gaudii. Contra timorem quem habet de pœnitentia, debet ostendere, quia pudor est maxima pars pœnitentiæ. Præterea, propter pudorem non debet dimittere, quia peccata sua non dicit homini, sed Deo, qui scrutatur corda & renes. Dicat ergo in nomine Domini. Auditis omnibus, debet quærere ab eo, si plura redeunt ad memoriam. Si dicit quod sic: dicat ergo. Si dicit quod non: tunc debet sacerdos supplere defectum confitentis: juxta quod scriptum est: *Iustus prior accusator est sui. Venit amicus ejus, & investigabit eum.* Iustus, id est confitens, primo debet accusare seipsum. Postea amicus ejus, id est sacerdos, debet investigare peccata quæ omisit. Si laïcus est, quærendum est primo, si sit conjugatus vel solutus: & si sit conjugatus, quærendum est, si credat legitimum matrimonium esse, scilicet quod non sit ibi compaternitas, vel consanguinitas, vel affinitas, vel aliud aliquod impedimentum, & si legitime contraxerit in facie ecclesiæ. Si non inveniat ita esse, recurrat sacerdos ad archidiaconum vel episcopum. Item quæratur cujus officij sit, si sit mercator, masculus, vel fœmina: Videat quod pondus & pondus non habeat, mensuram & mensuram: & si falso mensuraverit, tenetur reddere vel restituere illi quem decepit, per manum sacerdotis. Si illum non cognoscit: detur judicio ecclesiæ.

A

Prov. 28.

B

Prov. 18.

C

A laïcis generaliter quærendum est de decimis: quia si male decimant decimas quæ quæsitæ sunt, debent a rectore ecclesiæ petere veniam per se, vel per alium, si erubuerint per se. A militibus maxime quærendum est, & ab illis qui sub se habent familias, videlicet pauperes servos, si aliquid ab eis habuerint injuste, quia debent eis restituere. Sive vero fuerit solutus, sive conjugatus: quærendum est de septem criminalibus peccatis; & secundum quod continetur in scripto de illis peccatis procedendum est: & circa nullam personam omittatur quin præcipue quæratur de falso testimonio.

D

Circa mulieres, maxime de veneficiis & sortilegiis. Circa solutos quærendum est, si velint vivere continenter, quousque conjugatas: alioquin non valet confessio. Et similiter quærendum est a conjugatis de peccatis carnis quæ commiserint ante matrimonium: & dicendum est de illis, quod secundum debitum naturæ debent propriis uti vxoribus, alioquin peccant in matrimonio. Circa lubricum carnis hoc modo breviter fiat inquisitio. Aut scivisti illam ad quam accessisti esse solutam, aut nescivisti. Si scivisti, major pœnitentia injungenda est: si nescivisti, tunc minor injungenda est. Quia forte potuit esse conjugata, monialis, affinis, aut a parentibus cognita. Item meretrices se supponere leprosis, & ita potuit esse periculum in partu & in proprio corpore.

E

Item quærendum est de numero personarum, & de vicibus

vicibus, si habeantur in memoria. Item si cum viduis, quæ sunt ecclesiasticæ personæ. Si cum virginibus, si cum conjugatis, si cum monialibus. Tunc quærendum est si fuerit monialis benedicta, & tales mittantur ad episcopum, quia episcopus omnes qui habent processus ad tales, solet excommunicare. Si forte noluerit ire ad episcopum, eat sacerdos, & habeat autoritatem ejus. Item si ad consanguineas vel affines, quæratur in quo gradu, in remoto vel propinquo. Si in puerperio, vel in menstruo sanguine, ubi est periculum propter prolem, quia ex corrupto semine nascitur corruptus fœtus. Item, si cum muliere propinqua partui, quia tunc est periculum, posset enim partus interfici.

Itē, si cum masculis, si cum jumentis. Et hæc pœnitētia injungatur: qui cū jumentis, præter alia, quæ debet injungi, quod nunquam edant de carne illa. Et ut breviter concludam: A quocunque modo semen emittitur, non dormiendo, nisi cum propria uxore, & hoc fiat legitime secundum exigentiam naturæ, mortale peccatum est, & secundum diversitates circumstantiarum, diversæ sunt injungendæ pœnitentiæ.

Non oportet omnes istas inquisitiones circa omnes facere, sed secundum quod Deus inspiraverit, sacerdos debet inquirere. Sit autem unum generale, quod consentientes mortalibus peccatis, quæcunque sint illa, mortaliter peccant: quamvis non ita graviter aliquando, sicut facientes. Sed si competit restitutio, consentiens in damnum debet restituere: & consentiens fornicatori, sive masculus, sive fœmina, puniri debet, tanquam pro mortali peccato.

Circa ebrietatem & crapulam quærendum est. Circa crapulam attenduntur istæ circumstantiæ.

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose.

Præpropere, ut filius Saülis Ionathas, quādo ante horā comedit, & ideo graviter peccavit. *Laute*, ut Iudæi in deserto, qui petierunt carnes a Domino, non contenti manna. *Nimis*, ut Sodomitæ, quorum peccatum fuit abundantia panis. *Ardenter*, ut Esaü, qui vilem rem, scilicet lenticulam, nimis ardenter comedit: in tantum, quod propter illam vendidit primogenita sua. *Studiose*, ut filii Heli, qui nimium apparatum fecerunt circa cibos suos.

Hæc vitanda sunt omni tempore, sed præcipue in Quadragesima. Ebrietas, ubi fuerit assueta, mortale peccatum est. Vnde Apostolus: *Ebriosi non possidebunt regnum Dei*: id est, consueti ebrietati. Eum (1. Cor 6.) etiam judicant sapientes ebrium, qui propter excesū potus incurrit perturbationem capitis sive sensuum sensibiliter: immo dicunt quidam, quod etiam in casu unica ebrietas est mortale peccatum, quo aliquis, ex deliberatione plusquam ex recreatione naturæ, immo potius credit gravare naturam, sumit cibum cum excessu immoderato. Istud autem non audeo definire. Et notandum, quod quilibet excessus circa licita non est mortalis, sed immoderatus vel frequens. Vnde Augustinus in libro confessionum: Quis est qui metas necessitatis non excedat aliquando? Si quis est: magnus est, magnificet Deum. Ego non sum talis homo, peccator sum. Generaliter in omni professione considerandæ sunt istæ circumstantiæ quæ notantur per hunc versum.

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quādo?

Quis? cujusmodi persona, si clericus, vel laicus. Si clericus, utrum regularis, vel sæcularis; si in dignitate constitutus, vel extra; si in sacris ordinibus, vel extra; si religiosus, cujus professionis sit; si juvenis, vel senex; si servus, vel liber. *Quid?* considerandum est genus peccati. Vtrum fornicatio simplex, vel adulterium, vel incestus: vel in clericis, quia genus peccati maxime aggravat quantitatem peccati. *Vbi?* in quo loco? sacro, vel non sacro? *Quibus auxiliis?* quibus consentientibus, impellentibus? Vtrum tantum propria voluntate, vel alieno consilio, vel monitione? Vtrum casu, vel deliberatione? Multa enim alia possunt inquiri hic. *Cur?* propter quem finem? Solet autem distingui triplex finis: utile, honestum, delectabile. Multi committunt peccatum propter utilitatem: multi propter delectationem nullus potest committere peccatum propter honestatem. *Quomodo?* modi diversi attenduntur, secundum diversa genera peccatorum. De quibus modis, satis patet circa lubricum carnis, per ea quæ dicta sunt, & ibi maxime necessaria est inquisitio. *Quando?* in quo tempore? utrum extra Quadragesimam, vel in Quadragesima? utrum diebus festivis, vel profestis; & si in diebus festivis, puta in magnis festivitatibus, tunc esset competens pœnitentia, ut vigilia festivitatis illius jejunet in pane & aqua, maxime si peccaverit in lubrico carnis.

Circa personam clerici procedendum est. Quærendum est, an fuerint de legitimo matrimonio, & liberæ conditionis: & in quo ordine sint, & quomodo receperint ordines, utrum legitime, vel furtive, vel simoniace: item si a suis episcopis propriis. Si furtive receperint, episcopus potest dispensare cum illis, nisi sic dixerit: Inhibemus, sub pœna excommunicationis, ne aliquis accedat ad ordines, nisi legitime præsentatus. In hoc solo casu reputat Innocentius tertius esse excommunicationem: in aliis commmationem. Et ideo non potest episcopus dispensare, nec cum simoniaco, sed solus papa.

Quæritur a clerico, si propter Deum datum fuerit ei beneficium: & si propter Deum tenet, & pro salute animarum. Si non ita, purget animum; & si sine simonia ingressus est, teneat illud: timeat tamen.

Sequitur de satisfactione. Quia pœnitentiæ arbitrariæ sunt, non diffinimus vobis aliquas certas pœnitentias, quas debetis injungere. Hoc tamen sciatis, quod satisfactio consistit in tribus præcipue: in jejunio, oratione, & eleemosyna. Oratio est quasi avis, quæ volat in altum, si habet istas duas alas, eleemosynam & jejunium. Iejunium valet contra omnia carnalia vitia, & debet injungi pro carnalibus peccatis: oratio pro spiritualibus. Vnde Hieronymus: Iejunio, sanantur pestes corporis; oratione, mentis pestes; eleemosyna valet ad omnia. Vnde, *Redime eleemosynis peccata.* (Dan. 4.) Et hoc debet injungi pro omnibus peccatis. Videatis ergo ne sitis insipientes medici, qui putant uno collyrio omnes morbos curare. Non sanat oculum, quod sanat calcaneum. Immo, sicut exhibuimus membra nostra servire iniquitatibus ad iniquitatē: ita exhibeamus corpora nostra servire justitię in sāctificationē. Verbi gratia: si aliquis peccavit per os, falso placitādo, vel falso jurando, injungatur ei oratio, & quod defendet pauperes in causis honestis, contra quos deliquit. Item si peccavit retinendo, injungatur ei largitio eleemosynarum: si peccavit male pugnando contra innocentes, injungatur ei, quod pugnet contra nocentes; scilicet Saracenos, & hæreticos. Si peccavit per renes, injungatur ei, quod adstringatur zona pellicia circa lumbos ejus, & jejunet, & subtrahatur pabulum luxuriæ: & ita de omnibus aliis. Et quia generale vitium est gulæ, semper aliquid de jejunio indicatur.

Item semper quæratur ab omnibus, si sint excommunicati, vel propter incendium, vel propter percussionem alicujus religiosæ personæ. Sunt autem casus, in quibus non incidunt in canonem, si percutiant: si minor fuerit, qui percutit; si jocose; si prælatus vel magister corrigendo; si omnino depositus percutiatur; si vis vi repellatur incontinenti, cum moderamine in-

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

ne inculpatæ tutelæ; si cum sorore, matre, filia, uxore turpiter inveniatur, si ignoret esse clericum, si fuerit apostata, si negotiator personarum ecclesiasticarum, sæcularium procurationem gerens: si perturbatorem Divini officii clericum ab ecclesia expellat, si mandato prælati hæc faciat, si ferat arma in contumeliam ordinis clericus percussus. Hic est tamen distinctio facienda.

Item in istis casibus percussor clerici ab aliis absolvitur, quam a Papa. Si hostiarius, non malignando clericum læserit. Si percussor senex fuerit, mulier, impotens, cæcus, pauper, claudus. Si propter inimicitiam, vel aliam causam adire papam non potest. Ita cum istis casibus cessantibus, adeat papam. Item in articulo mortis. Item si clericus clericum leviter percusserit. Item si servus in fraudem clericum percusserit, vel se subtrahat ab obsequio domini sui, vel si ipse dominus propter carentiam ejus incurrat damnum.

Valetudinarii etiam possunt absolvi ab alio, præstita cautione, quod sanitate habita, adibit papam. Item vitandi sunt excommunicati, maxime in quinque, id est, mensa, oratione, salutatione, osculo pacis, in colloquio.

De iis qui non pœnitent, ad excommunicationem. Quatuor sunt quæ a comitantibus excommunicatis, excommunicationem excludunt: necessitas, pietas, utilitas, & ignorantia. Necessitas duplex, domestica vel adventitia. Domestica, ut in personis illis, quas excipit Gregorius cap. XI. & qu. 3.

Quoniam multos, peccatis nostris exigentibus pro causa excommunicationis perire quotidie cernimus, partim ignorantia, partim nimia simplicitate, partim timore, partim necessitate: devicti misericordia, anathematis sententiam, ad tempus, prout possumus, temperamus. Apostolica itaque autoritate ab anathematis vinculo hos subtrahimus: videlicet uxores, filios, servos, ancillas, seu mancipia: necnon rusticos & servientes, necnon & omnes alios, qui non adeo curiales sunt, ut eorum consilio scelera perpetrentur: & eos qui ignoranter excommunicatis communicant, sive illos, qui communicant cum illis, qui excommunicatis communicant. Quicumque autem, vel viator, vel orator, aut peregrinus, in terram excommunicatorum devenerit, ubi non possit emere, vel non habeat unde emat, ab excommunicatis accipiendi licentiam damus. Et si quis excommunicatis, non ostentatione superbiæ, sed humanitatis causa, dare aliquid voluerit, non prohibemus.

Pietas, in eo quod periturus nostro servatur beneficio: utilitas, ut si ad sanctificationem moneantur, & de his, quæ adhuc suffragantur, cum eis tractatur: Ignorantia probabilis, non supina. Vnde quidam, utile,* uxor, servus, lex, humile, res ignorata, necesse. Hæc omnia dicta sunt sine præjudicio sententiæ sanioris.

CONCILIVM LONDONIENSE

AVTORITATE OTTONIS LEGATI SEDIS apostolicæ pro reformanda ecclesia Anglicana celebratum, postridie octavarum S. Martini, anno Domini MCCXXXVII. tempore Gregorii papæ IX.

** MAtthæus Parisi. ad ann. MCCXXXVII. Eodem, *inquit*, anno, nesciebatur ad quid, circa festũ apostolorũ Petri & Pauli, dominus Otto S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, per mandatum Regis venit legatus in Angliam, nescientibus regni magnatibus. Vnde plures adversus Regem magnam conceperunt indignationem, dicentes: Omnia Rex pervertit: jura, fidem, promissa, in omnibus transgreditur. Nunc enim matrimonio se, sine amicorum & hominum naturalium consilio, alienigenæ copulavit: nunc legatum, regni totius immutatorem, clam vocavit: nunc sua dat, nunc data cupit revocare. Sic, sicque de die in diem, juxta dictum evangelicum, in se divisum & dissipatum regnum, est enormiter desolatum. Dictum est autem, quod archiepiscopus Cantuariensis Edmundus Regem talia facientem increpavit, præcipue de vocatione legati, sciens inde in suæ dignitatis præjudicium, magnam regno imminere jacturam. Sed Rex, spreto tam suo quam aliorum consilio, quod conceperat animo nullatenus voluit propositum revocare. Venit igitur in magno apparatu legatus prænominatus, & potentia magna: & occurrerunt ei episcopi & clerici famosi usque ad littus, & aliqui in naviculis navigando obviarunt ei, applaudentes, & munera inpreciabilia offerentes: immo etiam Parisiis in obviam ei, obtulerunt telas escarleti, & vasa pretiosa, nuncii diversorum episcoporum. In quo facto, nimis a multis meruerunt reprehendi, tum pro dono & pro dandi modo: quia in panno & ejus colore videbatur legationis officium & adventum acceptari. Adveniens autem munera oblata omnia non accepit, sed aliqua: sed quæ non recepit, jussit sibi reservari. Redditus autem vacantes, suis, quos secum adduxit, dignis & indignis largiter distribuit. Rex autem ei usque ad confinia maris occurrit, & inclinato ad genua ejus capite, usque ad interiora regni deduxit officiose. Et adventantes episcopi cum abbatibus & aliis ecclesiarum prælatis, eum cum omni honore & reverentia, cum processionibus & campanarum classico, & pretiosis muneribus, ut decuit, & plus quam decuit, receperunt.

Dominus autem Otto legatus, de quo superius mentio facta est, prudenter ac modeste se gerens, munera preciosissima sibi oblata in magna parte respuens contra consuetudinem Romanorum indignationem in toto regno conceptam, tam a clero quam militia, citra opinionem multorum, per gestum suum ordinatum temperavit. Primo enim quosdam magnates, ex quodam odio latenter concepto, sibi discordes, pacificavit, & indice osculo in bona fide confœderavit, ut pote dominum Petrum episcopum Vvintoniensem, & dominum Hubertum comitem Cantiæ, & Gilbertum Basset, Stephanum de Segrave, Richardum Svvard, & alios quamplures diu ante sibi diffidentes. Quod odium fere in lamentabile judicium proruperat in torneamento commisso apud Blie, in initio Quadragesimæ eodem anno, ubi se Australes Norenlibus opposuerunt contrarios: sed tandem prævalentibus Australibus, capti sunt ex aliis viri magni, & commissum est non hastiludium, sed hostile bellum. Inter omnes tamen strenuissime se habebat comes Begod. Quos postquam domini legati pacificavit industria, omnibus prælatis Angliæ scripsit, ut in octavis S. Martini Londoniis convenirent, authenticum domini papæ, de plenaria potestate legationis sibi concessa vel tradita, communiter in ecclesia S. Pauli audituri, & in eadem communiter de reformatione ecclesiæ Anglicanæ tractaturi, & in præsentia ejus concilium celebraturi.

Rex tam ejus, id est comitis Cornubiæ, quam aliorum naturalium hominum suorum spreto consilio, magis ac magis, ut incepit, deliravit, & se voluntati Romanorum, præcipue legati quem inconsultius advocaverat, mancipavit: adeo ut videretur quasi vestigia sua adorare, affirmans se tam in publico quam in secreto, sine domini sui Papæ, vel legati consensu, nihil posse de regno disponere, transmutare, vel alienare: ut non Rex, sed feudarius Papæ diceretur. His igitur

ANNO CHRISTI 1237.

igitur & aliis deliramentis, Rex omnium nobilium suorum corda cruentavit. Consiliarios quoque habuit infames & suspectos, qui hujus rei fomentum esse dicebantur, quos idcirco magis habebant nobiles Angliæ exosos, quia de regno ipso duxerunt originem. Et hi erant Ioannes comes Lincolniæ, S. comes Legriæ, frater G. Templarius.

Interim domino legato offerebantur dona preciosa, tam in palefridis concupiscibilibus, quam vasis preciosis, & vestimentis mollibus & duplicibus, pellibus variis & silvestribus, nummis, esculentis, & poculentis: ita quod unus solus, episcopus scilicet Vvintoniensis Petrus, cum constaret ei quod Londoniis esset hyematurus, quinquaginta boues pascuales, & centum summas tritici electi, & octo dolia vini meracissimi, transmisit ei in alimentum. Alii quoque secundum vires & facultates suas, ei similia contulerunt. Legatus vero Romanam avaritiam temperando, non omnia, sed aliqua oblata sereno vultu suscepit gratanter, considerans illud Senecæ philosophicum: Omnia oblata recipere, avarum est; nulla, rebelle; aliqua, sociale.

Et paulo post. Eodem quoque anno scripsit Rex omnibus magnatibus suis, ut coram eo & dom. Legato in festo Exaltationis sanctæ Crucis apud Eboracum convenirent, de arduis negotiis regnum contingentibus tractaturi. Venerat autem eis obviam rex Scotiæ vocatus a Rege Angliæ & legato, apud Eboracum, ut ibi, habita communi deliberatione de pace reformanda inter eos, feliciter componeretur, & Dei dante gratia, omnis lis mota prævia ratione sedaretur, & de juste utrique debitis satisfieret. Vbi tandem cum pervenissent, sic elaboratum est, ut rex Scotiæ perciperet de regno Angliæ trecentas libratas terræ sine castri constructione, homagiumque regi Angliæ faceret, & fœdus inter eos amicitiæ sanciretur: & hoc se fideliter facturum regi Angliæ, & conservaturum juraret: & sic omnis querela & vindicatio ex parte regis Scotiæ conquiesceret.

Volenti autem domino legato intrare regnum Scotiæ, ut ibi de negotiis ecclesiasticis tractaret, sicut in Anglia, respondit rex Scotiæ: „ Non me memini legatum in terra mea vidisse, nec opus esse aliquem esse „ vocandum, Deo gratias: nec adhuc opus est, omnia „ bene se habent. Nec etiam tempore patris mei vel alicujus antecessorum meorum, visus est aliquis legatus „ introitum habuisse: nec ego, dum mei compos fuero, tolerabo. Verumtamen, quia fama te sanctum virum prædicat, moneo te, ut si forte terram meam ingrediaris, caute progrediaris, ne quid sinistri tibi contingat. Indomiti enim & silvestres homines ibi habitant, humanum sanguinem sitientes, quos nec ego ipse valeo edomare, qui etiam si in vos irruant, nequeo eos cohibere. Me etiam nuper, ut forte audistis, voluerunt invadere, & a regno expellere exheredatum. Quibus auditis, legatus avidam voluntatem intrandi Scotiam temperavit, & latera Regis sui, scilicet Angliæ, sibi per omnia obedientis, non reliquit. Remansit tamen cum rege Scotiæ quidam Italicus legati consanguineus, quem Rex cingulo militari, terram etiam conferendo, ne penitus rebellis videretur, nobilitavit. Et sic soluto concilio regio rex Angliæ cum legato suo, versus australia remeavit.

Appropinquante vero tempore concilii, jussit sibi legatus sedem parari in occidentali parte ecclesiæ sancti Pauli Londoniis, fastigiosam nimis & solennem, longis trabibus & sedilibus gradatim exaltatam. Misit igitur litteras suas, ut vocati omnes Angliæ prælati, scilicet archiepiscopi, episcopi, abbates, priores installati, tam sub conventus sui, vel capituli, quam suo nomine, litteras procuratorias deferentes, ut quicquid

A in concilio statueret legatus, ratum utrobique haberetur. Venerunt igitur omnes juxta mandatum domini legati, nimis vexati & fatigati in corporibus propriis, equorum, & viaticis, utpote ingruente hyeme & multiformi tempestate, omnes prælati suæ legatiæ, Angliæ tamen potissime.

Et post descriptionem validissimæ tempestatis, qua legatus & totum concilium vehementius essent territi. Cum igitur, *inquit*, convenissent Londoniis prælati Angliæ, in ecclesia sancti Pauli, die prima concilio assignata, scilicet in crastino octavarum S. Martini, non comparuit legatus, quia episcopi rogaverant eum, ut ea die daretur eis copia inspiciendi quæ proposuit statuere; & secum super his deliberare, ne aliquid in præjudicium eorum statuere attentaret. B Altera igitur die constitutis in secretis & abditis locis militibus armatis & servientibus circiter ducentis, quos ad instantiam precum suarum dominus Rex cōmodaverat: timebat enim valde sibi, eo quod dicebatur, eum nimis velle desævire in eos qui plura habebant beneficia, & præcipue illegitimos. Apparuit autem summo mane, scilicet diluculo, in ecclesia prædicta: erat autem ibi tot expectantium multitudo tam compressa, quod ipsi legato ingressus erat difficillimus. Et ingressus ecclesiam, coram majori ecclesia pontificalibus se induit: scilicet superpellicio & desuper cappa chorali, pellibus variis furrata, & mitra, & præcedentibus archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi eum, cum processione solenni, cum cruce C & cereis accensis, & cum litania, sedem suam ascendit per gradus pompose, ut dictum est, præparatam: & jam pomposius tapetis & palliis redimitam, collocante se a dextris domino Cantuariensi, & Eboracensi a sinistris: propter quod orta est inter eos dissensio, scilicet de ordinatione sessionis. Et appellatum est ex parte Eboracensis, pro jure suo, quod sibi vendicabat. Lecto igitur solenniter evangelio, scilicet: *Ego sum pastor bonus*, sicut moris est, dictisque collectis propriis ab ipso legato, & cantato *Veni creator spiritus*, appellatoque ab Eboracensi, ut dictum est, sederunt juxta legatum duo archiepiscopi, Cantuariensis a dextris, Eboracensis a sinistris. Quibus dixit legatus, volens ipsam controversiam pacificare, neutrius tamen juri derogando: In bulla domini papæ stat imago Pauli a dextris crucis in medio bullæ figuratæ, & D Petri a sinistris, nulla tamen inter tantos sanctos est orta unquam contentio, ambo enim sunt in coæquali gloria. Veruntamen propter Petri clavigeri dignitatem, cum prioratu vocationis, merito a dextris crucis ejus imago collocanda videtur. Sed quia Paulus credidit in Christum, quem non vidit, a dextris figuratur: *Beati enim qui non viderunt*, &c. Sic dominus Cantuariensis, totius Angliæ primas, & qui præest antiquissimæ ac nobilissimæ ecclesiæ Cantuariensi, necnon & Londonensi, quæ est S. Pauli, non sine ratione a dextris est collocādus. Et ex tunc sequentibus diebus sedit Cantuariensis a dextris, Eboracensis a sinistris. Secundo autem die, concilio jam incœpto, missi sunt ex parte domini Regis comes Lincolniensis Ioannes, E & Ioannes filius Galfridi, & Vvillielmus de Ræle, canonicus S. Pauli, ut dicto legato ex parte Regis & regni inhiberent, ne ibi contra regiam coronam & dignitatem aliquid statuere attentaret. Et remansit ibi, ut hoc observaretur, Vvillelmus de Ræle, indutus cappa canonicali & superpellicio, aliis recedentibus. Eodem quoque die petiit dominus Simon Cantuariensis archidiaconus, dominum legatum in audientia omnium, ut audiretur ab omnibus authenticum suæ legationis, a domino Papa sibi commissum: quod & factum est. Et eodem die, ad impetrationem domini Regis, lectum fuit quoddam privilegium, de festivitatibus

Ioan. 20.

ANNO CHRISTI 1237.

tatibus S. Eduardi, per totam Angliam celebrandis: A & de mandato domini Papæ, de sanctis Francisco & Dominico canonizatis. Et quia audierat dominus legatus, dum adhuc in hospitio suo esset, multos pluribus ecclesiis beneficiatos, nobiles sanguine & possessionibus, & illegitimos, de quibus mentionem in quodam statuto concilii fecerat, contra ipsum murmurasse, & ei etiam insidias præparasse: quosdam magnates, scilicet comitem marescallum G. & comitem Lincolniæ I. & comitem de Monteforti S. & quosdam de familia domini regis, cum gladiis & fustibus munitos, ad tuitionem sui suorumque secum ad concilium duxit & reduxit. In concilio vero, cum statutum contra eos qui plura beneficia obtinuerunt contra concilium Lateranense, pronunciaretur: episcopus Vvigorniensis, Vvalterus scilicet de Cantelupo, surgens in medio, deposita mitra sua, sic dominum legatum est affatus: Pater sancte, cum multi nobiles, quorum sanguis noster est, plura obtineant beneficia, cum quibus nondum dispensatum est, quorum etiam aliqui provectæ sunt ætatis, & usque ad præsens honorifice vixerunt, & hospitalitatem ad posse procurando, eleemosynas patentibus januis erogarunt: durum esset nimis, tales suis beneficiis spoliatos, in ignominiosam tradi paupertatem. Quidam vero juvenes feroces ac strenui, maximis periculis se opponerent, antequam suis se sinerent privari beneficiis, unico tantum retento: quod bene perpendo per memetipsum. Antequam enim ad istam vocarer dignitatem, proposui in animo, quod si unicum amitterem beneficium, talis prætextu constitutionis, omnia amitterem. Vnde timendum est, quod multi ad præsens in simili proposito perseverent. Quoniam igitur multitudo talium in causa est, sanctæ paternitati vestræ supplicamus, quatenus ob salutem vestram & nostram, super hujusmodi statuto dominum papam consulatis. Præterea, cum statutum vestrum in religione S. Benedicti, ad omnes æqualiter se extendat; & durum sit multis, tum propter locorum penuriam, & præcipue monialibus, cum sint debiles & fragiles, hoc statutum observare: necessum est huic rigori discretum addere temperamentum. Super quo etiam postulamus, ut dominum papam super his velitis consultare. Cui dominus legatus respondit: Quod si omnes prælati, scilicet isti præsentes archiepiscopi, & episcopi, una cum eo, super his domino papæ scriberent, libenter consentiret.

Et sciendum, quod, quia aliqui opinabantur, sicut datum fuit intelligi domino legato, quod statuta sua robur nisi tantum in tempore suæ legationis non obtinerent, jussu ejusdem surrexit in medio quidam clericus suus, magister scilicet Attho, & aperto libro authentico, scilicet registro domini papæ, ad majorem autoritatem, ut validius talem opinionem improbaret, quandam decretalem legit distincte & aperte, quam dominus legatus distinguens approbavit: per illam asserens manifeste, quod etiam post recessum ejus, sua statuta perpetuæ firmitatis robur debeant obtinere. Nec prætereundum, quod primo die concilii collocatis (ut prædictum est) archiepiscopis, Cantuariensi scilicet a dextris, Eboracensi vero a sinistris perlectoque evangelio, *Ego sum pastor bonus*, dictisque collectis ad hoc pertinentibus, indictoque silentio, & turba comprimente castigata, dominus legatus sedendo, quasi tubam vocem suam exaltans, sermonem suum inchoavit, thema suum sic præordinando: *In medio sedis & in circuitu ejus quatuor animalia plena oculis ante & retro.* In sermone prosequendo innuens, quod prælati, quasi animalia habentia oculos ante & retro, debent esse in rerum sæcularium dispositionibus providi, & in spiritualibus circumspecti, priora sequentibus caute continuantes. Et post sermonem legi fecit statuta, alta voce & distincte, quæ firmiter statuit observari, quæ subscripta in hoc libro duximus annotari.

Ioan. 11. Apoc. 4.

DECRETA CONCILII.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

Quoniam domum Domini decet sanctitudo & ministros ejus, a Domino enim dicitur: *Sancti estote, quoniam sanctus sum ego Dominus Deus vester:* satagit astutia humani generis inimici ut sanctitatem subtrahat vel destruat utrobique, dum in plerisque locis, & ne consecrentur ecclesiæ vel retardat, & ne suo digne fungantur officio, ministrorum mores & vitam multorum vitiat & depravat, sanctorum patrum regulis & statutis, generaliterque omnibus Christianæ religionis profectibus se opponendo. Huic est igitur armata manu a cunctis Christi fidelibus fortiter in fide resistendum, & ad ejus molimina renovatis & novis semper utendum viribus enervanda: sicut Isaac puteos, quos foderant filii Abrahæ, sed humo impleverant Palæstini, prius studuit renovari, deinde alios fodere prorsus novos. Denique nos Otto, miseratione Divina sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, & apostolicæ sedis legatus, ad partes Angliæ cum legationis officio a sede apostolica destinati, divino fulti auxilio, & astantis concilii suffragio & consensu, ad roborandum & reformandum statum ecclesiasticum in partibus Anglicanis, salvis aliis canonicis institutis, quæ cum reverentia volumus & cupimus observari, quædam ex commissa nobis potestate duximus observanda, quæ per certos articulos fecimus digeri & distingui.

Ierem. 3. "f. vel impedit, vel iet.

ANNO CHRISTI 1237.

CAPITULA.

I. *De ecclesiarum dedicatione.*

BAsilicarum dedicatio a veteri testamento initium dignoscitur habuisse, & in novo est a sanctis patribus observata: in quo est eo dignius & studiosius facienda, quo in illo tantum offerebantur hostiæ animalium mortuorum, in isto vero cælestis hostia viva & vera, ipse scilicet unigenitus Dei Filius, in altari offertur pro nobis manibus sacerdotis. Quare statuerunt provide sancti patres, ne in aliis locis, quam Deo dicatis, nisi necessitatis causa, celebraretur officium tam sublime. Porro quia vidimus per nos ipsos, & a plerisque audivimus, tam salubre ministerium contemni, vel saltem negligi a nonnullis, dum multas invenimus ecclesias, & etiam cathedrales, quæ licet sint ab antiquo constructæ, nondum tamen sunt consecratæ oleo sanctificationis: volentes huic periculosæ negligentiæ obviare, statuimus, & statuendo præcipimus, ut omnes ecclesiæ cathedrales, conventuales, & parochiales, quæ perfectis parietibus sunt constructæ, infra biennium, per diœcesanos episcopos ad quos pertinent, vel eorum autoritate per alios, consecrentur: sicque infra simile tempus fiat de cætero construendis. Et ne tam salubre statutum transeat in contemptum, si loca hujusmodi non fuerint infra biennium a perfectionis tempore dedicata: a Missarum solenniis usque ad consecrationem manere statuimus interdicta, nisi aliqua rationabili causa excusentur. Ad hoc ne præsumant abbates, ecclesiarum rectores, antiquas ecclesias consecratas, sub prætextu pulcrioris vel amplioris fabricæ faciendæ, diruere absque licentia diœcesani episcopi & consensu, præsenti statuto districtius inhibemus. Diœcesanus vero diligenter consideret, utrum expediat dare licentiam vel negare: & si dederit, attendat & intendat, ut opus quam celerius poterit consummetur: quod extendi statuimus & volumus ad jam cœpta. De capellanis vero minoribus nil novi duximus statuendum. Consecrationes earum, qualiter & quando fieri debeant, definitionibus canonicis relinquentes.

II. *De sacramentis ecclesiasticis.*

Sacramenta ecclesiastica, in quibus tamquam in vasis cælestibus salutis remedia cōtinentur, necnon oleum sanctificatum & chrisma, a ministris ecclesiæ pure atque devote, qualibet exclusa cupiditatis labe, statuimus & statuendo præcipimus exhiberi, nulla difficultate in eis adhibita exhibendis, prætextu consuetudinis alicujus, quæ dicantur ab eis qui ea recipiunt aliquibus

A aliqua persolvenda. Sacramenta vero principalia, quæ sunt, & quot, propter simpliciores duximus exprimenda. Sūt enim baptismus, confirmatio, pœnitentia, eucharistia, extrema unctio, matrimonium, atque ordo: de quorum quolibet in sacris canonibus est tractatum, & plenius ordinatum. Sed quia non est leve canonum * gyrare & ignorare medico medicinale officium, minus grave: statuimus, ut in susceptione curæ animarum & ordinis sacerdotii examinentur de his præcipue ordinandi. Archidiaconi quoque in decanatuum suorum conventibus B sacerdotes maxime in his studeant erudire, docentes eos qualiter circa baptismum, pœnitentiam, eucharistiam, & matrimonium, debeant se habere.

ANNO CHRISTI 1237.

III. *De baptismo.*

Ad baptismum solenniter celebrandum duo, scilicet sabbatum ante resurrectionem Domini, & sabbatum ante pentecosten, sunt a sanctis canonibus propter mysterium deputata. Sed quidam, ut audivimus, in partibus istis diabolica fraude decepti, periculum suspicantur, si præfatis diebus pueri ba- C ptizentur: quod arbitrari, vel utrumque" metuere, sanæ fidei penitus adversatur, & manifeste convincitur esse falsum: cum summus pontifex personaliter illud mysterium solennizet, & diebus baptizet solenniter memoratis, & in aliis mundi partibus servet ecclesia illud idem. Quare statuimus, ut a tanto errore prædicatione frequenti populus avertatur, & ad solennizandum præfatis diebus baptismum, & baptizandum pueros suos, studiosius meditentur. Statuimus insuper ut parochiales presbyteri formam ba- D ptismi firmiter addiscentes, eam parochianis suis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari: ut si articulus necessitatis emergat, quo ipsos aliquem oporteat baptizare, eam sciant & valeant observare; quæ, utrum servata fuerint, inquirant postmodum diligenter.

" f. utcunque

IV. *De arcenda avaritia sacerdotum.*

Auditu horribili audivimus & relatu, quod quidam, scilicet miseri sacerdotes, dū forsan in beneficium vicariæ, vel ad firmam, seu quacumque alia quæstus causa, proven- E tus ex altari aut ex pœnitentia venientes recipiunt, non aliter admittunt ad pœnitentiam confitentes, nisi prius ab ipsis in sinu avaritiæ suæ quidpiam reponatur: sicque faciunt de aliis sacramentis. Quoniam igitur qui talia agunt, regno Dei & beneficio ecclesiastico sunt indigni: statuendo districte præcipimus, ut inquisitione arctissima per episcopos de his facta, qui tale aliquid commisisse repertus fuerit, & a beneficio, quod obtinet, removeatur omnino, &

ab officio, quod perperam gessit, perpetuo suspendatur.

V. *Qui confessores constituendi.*

Quod in quodam concilio statutum invenimus approbantes, statuimus, ut per quoslibet decanatus prudentes viri & fideles constituantur per episcopum confessores, quibus personæ & minores clerici confiteri valeant, qui decanis erubescunt confiteri, forsitan & verentur. In ecclesiis vero cathedralibus confessores institui præcipimus generales.

VI. *De qualitate ordinandorum.*

Sacer ordo eo est digno dignius conferendus, quo ab ordinato sacramenta cætera conferuntur. Quare cum periculosum sit minus dignos, idiotas, illegitimos, irregulares, & extraneos, aut sine titulo certo & vero aliquos ordinari: statuimus, ut ante collationem ordinum de his omnibus per episcopum indagatio diligens habeatur. Et ne reprobatis, qui fuerint reprobandi, approbatis, clanculo se valeant immiscere reprobati, in examinatione scribatur numerus & nomina approbatorum: & qui scripti fuerint, postmodum in ordinationis limine perlecta scriptura discretione solicita requirantur, ipsaque scriptura apud episcopum vel ecclesiam conservetur.

VII. *De firmariis & vicariis ecclesiarum.*

Ecclesias dari ad firmas, vel generaliter constitui vicarium in eisdem, nostra nequaquam volumus autoritate fulciri. Sed propter infirmitatem multitudinis, quæ in causa est, ne videamur potius laqueos injicere quam invenire remedia, prohibitionis edictum contra ea emittere formidamus. Quibusdam tamen moribus ex eis orientibus ad nostram delatis notitiam occurrere coarctamur. Accidit enim plerumque, ut dum hi qui firmarii appellantur, lucrari plus appetant quam exolvant, turpes exactiones faciunt, quæ interdum etiam cadunt in simoniacam pravitatem. Quare statuendo districtius prohibemus, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel archidiaconatus, sive proventus, ex ecclesiasticæ vel spiritualis jurisdictionis exercitio, sive ex pœnitentia vel altari, seu aliis sacramentis quibuslibet venientes, ad firmam de cætero nullatenus concedantur.

VIII. *Qualiter ecclesiæ ad firmam dandæ.*

Cum laïcis ecclesias dari ad firmas sit penitus inhonestum, & clericis quibuscumque ad longum tempus, propter continuationem temporis, quæ afferre consuevit periculum, ecclesiis posset esse damnosum: utrumque districtius inhibentes, statuimus, ut nec laïcis unquam, nec personis etiam ecclesiasticis ultra quinquennium ecclesiæ ad firmam concedantur, nec finito quinquennio renoventur eisdem, nisi prius ipsas habuerint alii mediate. Et ut omnia sint in tuto, præcipimus ut præsentibus episcopis vel archidiaconis firmaria fiat conventio: ex qua plures litteræ conscribantur, quarum una remaneat penes ipsos.

IX. *De eodem.*

Alicubi audivimus contigisse, quod vacante pingui ecclesia, quam quidam optabat habere, nec tamen audebat eam recipere ut persona, ne aliis ipso iure beneficiis quæ obtinuit privaretur, callide procuravit ut ecclesia illa sibi ad firmam perpetuo traderetur, ita quod modicum quid inde solveret alii nomine personatus, sibique totum reliquum retineret: quo dante causam, edicto statuimus, ut in tota vel in parte ad firmã alicui sub quocumq; colore in beneficiũ conferatur: cassũ & inane fore penitus decernẽtes, si contra fuerit attentatum.

X. *Qui vicarii ordinandi.*

Ad vicariam statuimus nullum admittendum, nisi jam presbyterum ordinatum, vel saltem diaconum in proximis quatuor temporibus ordinandum, qui renuncians beneficiis aliis, si quæ habet curam animarum habentia, juret residentiam ibi facere, ac eam faciat continue corporalem: alioquin institutionem illius fore nullam decernimus, & vicariam alii conferendam. Sic eluditur illi dolo, quo sæpe assignato alicui nomine personatus modico, simulate dabatur illi ecclesia sub ficto nomine vicariæ, qui timens alia beneficia perdere, metuebat eam recipere ut persona. De jam institutis vero vicariis, qui non sunt presbyteri, cum vicarii teneantur personis & ecclesiis deservire, statuendo præcipimus, ut infra annum, ad minus, se faciant in presbyteros ordinari: alioquin, si per eos steterit, quo minus infra annum, ut diximus, ordinentur, eos extunc vicariis eisdem fore decernimus privatos. Et de residentia circa eos statuimus, quod de instituendis supra diximus statuendum.

XI. *Ne leviter ecclesia absentis alteri conferatur.*

Ad elidendum fallacias iniquorum, sagaci est studio laborandum cuilibet justitiæ amatori, ne si torpescat rectorum industria, simplicitas a versutia supplantetur, & succumbat veritas falsitati. Sane relatione accepimus plurium, quod quidam in absentis beneficium oculos jacientes, novos fingentes rumores, asserunt se audisse mortuum esse, vel beneficium resignasse beneficii possessorem, sicque procurant in istud

ANNO CHRISTI 1237.

beneficium quomodolibet se intrudi: & si A fortitan revivifcens qui mortuus fuerat ad suam ecclesiam revertatur, Nescio te frater, respondeatur eidem, & clauditur janua contra eum. Nonnulli etiam nimia cupiditate cæcati, non solum in absentium beneficium, sed etiam in præsentium, clanculo irrumpere, vel ubicumque possunt, ea invadere, non formidant: &, cum intro fuerint, nec prosunt sententiæ, nec aliquid quo valeant mitti foras, quoniam armorum potentia se defendunt. In utroque igitur articulo remedium quale possumus adhibentes: statuimus districtius, prohibentes ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel de cessione habeatur absentis, ejus beneficium aliquatenus conferatur: sed prælatus, donec plenius de alterutro instruatur, expectet. Alioquin ad resarciendum omne damnum ex hoc inflictum absenti eum fore decernimus obligatum, & illum qui se procuravit intrudi, præter restitutionem bonorum, officio beneficioque suspensum protinus ipso facto: quod & ad illum extendi volumus qui beneficium ecclesiasticum, altero possidente, autoritate propria, vel potius vi, vel clam, occupare præsumit: vel, postquam declaratum fuerit ad alium pertinere, armis se defendere nititur in eodem.

XII. *Ne ecclesia una in plures vicarias dividatur.*

Cum ars artium, teste beato Gregorio, sit regimen animarum, non cessat antiquus sophista suæ gyrare molimina fraudis, & in falsæ prætentionis studere fallaciis, quo valeat concludere disciplinis artis, & eos excludere a salute quos imperitos invenerit vel incautos. Hoc est quod facit transgredi mandata Dei, & sanctorum patrum regulis contraire, dum nec sermo Divinus, nec sanctiones canonicæ, a distorto itinere possunt reducere peccatores. Exigit enim ars nostra catholica, ut unicus & in una ecclesia sit magister perfectus, ordine, habitu, vita, scientia & doctrina, & quod pura sit ecclesiæ ordinatio atque simplex. Sed objectio diaboli multos facit in hoc dogmate deviare, dum interdum eo suggerente non uni tantum una datur ecclesia, sed pluribus, prætextu plurium patronorum, ut sint plura capita in eodem corpore, quasi monstrum. Et interdum consentit persona, quæcumque sit occasio, ut aliquid concedatur alii nomine personatus absque magistro: præterea ecclesia sæpe maneat, dum nec persona in ea, nec saltem vicarius invenitur perpetuus, sed aliquis forte simplex sacerdos, qui nec jus habet, nec etiam juris imaginem in eadem. Et si moram forsitan persona ibi trahat, non est tam perfectus ordine, quoniam non sacerdos; nec habitu, quoniam visus ab aliquo, non clericus, sed miles potius putaretur. De vita, scientia & doctrina, est ei modica, heu: cura. Ordinatio quoque ecclesiæ raro fit simplici oculo, ut deberet: nec enim commenta fraudis diabolicæ desunt ibi. Nam interdum, ut audivimus, alicujus confertur ecclesia, hoc acto tacite vel expresse, quod aliquid ibi retineat instituens vel præsentans, vel aliquam alius ex ea percipiat portionem, qui totum B erat forsitan habiturus, nisi juris impotentia, vel metu perdendi alia beneficia, dimisisset. Cedit etiam quis aliquando personatui, & ab instituto inibi recipit postmodum vicariam: quod fieri non præsumitur sine fraude. Has igitur diminutiones & particulares assignationes & mutationes, tamquam arti nostræ contrarias reprobantes, ne de cætero fiant penitus prohibemus: firmiter statuentes ut nunquam deinceps in plures personatus vel vicarias una ecclesia dividatur: & quæ divisæ sunt hactenus, C quam citius se facultas obtulerit, integrentur: nisi forsitan sic instituta fuerit ab antiquo, ubi est per loci episcopum providendum, quod causa reditus, quam parochia congruis inter eos portionibus & regionibus. Provideant etiam diœcesani, ut semper apud ecclesiam resideat aliquis qui de animarum cura sit solicitus, ac se in celebratione Divinorum & collatione sacramentorum exerceat utiliter & honeste. Locus corruptus.

XIII. *De residentia in ecclesiis facienda.*

D De residentia vero in ecclesiis a rectoribus facienda, videtur nobis consulendum facto potius quam statuto. Extant enim concilia Romanorum pontificum luce clarius loquentia super eo, propter quod major requiritur executio statutorum, quam edictio sanctionum. Idem quoque per omnia dicimus & sentimus de his qui plures dignitates, personatus, seu beneficia curam animarum habentia, contra constitutionem concilii generalis, absque dispensatione sedis apostolicæ speciali, præsumunt in salutis suæ periculum detinere.

E XIV. *De habitu clericorum.*

Quoniam de habitu clericorum, qui non clericalis videtur, sed potius militaris, grave scandalum laicis generatur: firmiter statuendo præcipimus, ut ad formam, tam de vestibus clericorum, quam de ornamentis equorum, in generali concilio edictam, per subtractionem beneficiorum ab episcopis restringantur, ita quod in mensura decenti vestes

ANNO CHRISTI 1237.

vestes habeant, & cappis clausis utantur in sacris ordinibus constituti, maxime in ecclesia, & coram prælatis suis, & in conventibus clericorum & ubique in parochiis suis, qui cum animarũ cura ecclesias susceperunt. Et ut possint episcopi alios melius ad honestatem vestium, tonsuram & coronam decentem, & equorum ornamenta idonea coarctare : provideant ut a suis clericis commensalibus hæc prius faciant observari, habentes eos in vestibus, calcaribus, frenis & sellis, clericalis gerentes habitum honestatis.

A

XV. *Contra rectores ecclesiarum clandestina matrimonia contrahentes.*

B

Innotuit nobis, referentibus plurimis fide dignis, quod multi propriæ salutis immemores, matrimoniis contractis clandestine, retinere cum uxoribus ecclesias, & ecclesiastica beneficia adipisci, & de novo promoveri ad sacros ordines, contra statuta sacrorum canonum, non formidant. Deinde processu temporis, proli susceptæ de tali copula expedire videtur, ipsis viventibus vel defunctis, per testes vel instrumenta probare contracta fuisse matrimonia inter eos. Verum quia per clericos matrimonio seu contubernio intendentes procurari animarum perditio, negligi salus earum, & ecclesiastica diripi, sub morbo, qui multum invaluit, asseritur : sic duximus occurrendum, ut si repertum fuerit aliquos taliter contraxisse, & ab ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis, quibus tam eos quam quoslibet uxoratos fore decernimus ipso jure privatos, removeantur omnino : & si quæ bona post hujusmodi matrimonium qualitercumque quæsita fuerint, per ipsos vel submissas personas de bonis eorum, ea nequaquam filiis vel uxoribus hujusmodi, sed ecclesiis quas tenuerunt, vel in quibus habuerunt beneficia, protinus applicentur. Ipsi quoque filii ad ecclesias, & ecclesiasticos ordines, velut inhabiles, nullatenus admittantur : nisi cum eis, exigentibus eorum meritis, fuerit canonice dispensatum.

C

D

XVI. *De clericis concubinariis.*

Licet ad profligandum a laribus ecclesiæ putridum illud turpitudinis libidinosæ cõtagium, quo decor ecclesiæ graviter maculatur, studuerunt semper ecclesiastici correctores : ipsum tamen tantæ improbitatis existit, ut semper se ingerat impudendum. Nolentes igitur tantam ecclesiæ ignominiam conniventibus præterire oculis incorreptam, statuta Romanorum pontificum, & maxime decreta Alexandri papæ super hoc edita, sequentes, statuimus, & statuendo præcipimus, ut nisi clerici, & maxime in sacris ordinibus constituti, qui in domibus suis vel alienis publice detinent concubinas, eas a se prorsus removeant infra mensem, ipsas vel alias nullatenus de cætero detenturi, ab officio sint suspensi, ita quod usquequo super hoc digne satisfecerint, de beneficiis ecclesiasticis se nullatenus intromittant : alioquin ipso jure ipsis eos decrevimus fore privatos. Volumus quoque & districte præcipimus, ut archiepiscopi & episcopi diligentem faciant super hoc per omnes decanatus fieri inquisitionem, & quod statuimus observari.

E

ANNO CHRISTI 1237.

XVII. *De his qui patribus succedunt in ecclesiasticis beneficiis.*

Licet adeo detestati fuerint sancti patres, quod beneficia ecclesiastica jure possint hereditario possideri, ut in eis etiam sit interdicta successio sobolis bene natæ: quidam tamen de nefario coitu procreati, pede impudentiæ juris & honestatis autoritatem calcantes, in beneficia hujusmodi, quæ patres eorum nullo modo tenuerunt, irrumpere, atque ausu temerario detinere non formidant. Hoc igitur nos, qui ad revelandum honestatis ecclesiasticæ casum ad partes istas venimus, attendentes, statuendo districtius prohibemus, & prohibendo statuimus, ut ecclesiarum prælati aliquos tales in beneficiis hujusmodi, quæ patres eorum quocumque titulo tenuerunt, in totum vel in partem quocumque colore vel fraude instituere, vel utcumque admittere immediate, de cætero non præsumant. Illos vero qui beneficia hujusmodi jam illicite sunt adepti, eis præsenti statuto decernimus fore privatos.

XVIII. *Contra latronum protectores.*

Contra latronum flagitia, quibus nimis abundat regio Anglicana, quod nequaquam esset, ut accepimus, nisi majores eos defenderent & tenerent, sic duximus statuendum : ut nemo eos protegat, vel defendat, seu teneat in domibus suis, vel in villis, quos sciverint, vel manifestum fuerit latrocinium exercere. Eos autem qui contra fecerint, si tertio moniti per ecclesiasticum judicem ordinarium, ipsos a se non abjecerint, excommunicationi ecclesiasticæ subjugamus. Monitionem autem volumus & statuimus sufficere generalem, etiamsi fiat alicujus vel alicui nomine non expresso, dummodo ita publice ac solenniter fiat, quod ad eorum notitiam valeat pervenire.

XIX. *De esu carnium monachorum.*

Audivimus, & lætati sumus, quod religiosi viri abbates ordinis sancti Benedicti, per Angliam constituti, convenientes nuper in suo capitulo generali, tamquam filii,

juxta sermonem propheticum, ad suos terminos revertentes, provide statuerunt, ut de cætero secundum beati Benedicti regulam ab esu carnium debeant abstinere: exceptis debilibus & infirmis, quibus debet secundum ejusdem regulæ continentiam in infirmario provideri. Quod utique approbantes, statuimus inviolabiliter observari. Adjicimus quoque, quod postquam novitii, anno probationis finito, gestaverint habitum monachalem, ad professionem, juxta decretum vel decretalem felicis memoriæ Honorii papæ, districtione ecclesiastica vel canonica per abbatem protinus compellantur: nec aliquis, qui professionem non fecerit, in abbatem vel priorem aliquatenus admittatur. Hoc autem, & quod de professione, finito probationis tempore, faciendum duximus, ad canonicos regulares vel moniales duximus prorogandum. Super aliis vero, quæ ad correctionem vel reformationem tam canonicorum quam aliorum regularium noverimus pertinere, providere intendimus: & quæ ecclesiis eorum utilia, ipsis quoque salubria fuerint, concedente Domino, statuemus, & statuta mandabimus per eorum capitula solenniter publicari.

XX. *De officio archidiaconorum.*

De archidiaconis quoque statuimus, ut ecclesias utiliter & fideliter visitent de sacris vasis & vestibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis ecclesiæ serviatur, & generaliter de temporalibus & spiritualibus inquirendo, & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Ecclesias autem superfluis non gravent expensis, sed procurationes exigant, dumtaxat cum visitant, moderatas: non secum ducant extraneos, sed modeste se habeant, tam in familia quam in equis: nec ut non visitent aut corrigant, sive crimina puniant, aliquid ab aliquo recipere præsumant: nec sententiis aliquos involvant injuste, quo ab eis pecuniam possint extorquere. Cum hæc enim & talia simoniacam sapiant pravitatem: decernimus ut eos, qui talia agere præsumpserint, sic extorta in duplum erogare in pios usus arbitrio episcopi compellantur alias: salva nihilo minus pœna canonica contra eos. Sint autem soliciti frequenter interesse capitulis per singulos decanatus, in quibus diligenter instruant inter alia sacerdotes, ut bene sciant & sane intelligant verba canonis & baptismi, quæ scilicet sunt de substantia sacramenti.

XXI. *Ne quid exigatur pro pace reformanda.*

Cæterum districtius duximus inhibendum, ne ecclesiarum prælati, & maxime archidiaconi, & decani, vel officiales eorum, vel etiam quicumque alii ad universitatem causarum, vel aliqua negotia, ratione jurisdictionis ecclesiasticæ vel officii spiritualis, ecclesiæ forum contingentia, delegati, quin de discordiis vel querelis fiat pax vel concordia inter partes præsumant aliquatenus impedire: sed quandocumque partes voluerint, a judicio per compositionem recedant, dummodo sit tale negotium quod jure possit transigi vel componi, nec exigatur aliquid propter hoc ab eisdem.

XXII. *De officio episcoporum.*

Quid ad venerabiles patres archiepiscopos & episcopos incumbat ex officio faciendum, nomen dignitatis eorum, quod est episcopus, idest superintendens, exprimit evidenter. Intendere quippe habent, & supra gregem suum, juxta verbum evangelicum, noctis vigilias custodire. Cum igitur esse debeant forma gregis, ad quam se debent subditi reformare, quod nequit fieri, nisi omnibus se exhibeant in exemplar. Exhortamur igitur eos in Domino, & monemus, ut moram trahentes apud cathedrales ecclesias, congruenter ibidem Missas celebrent, in præcipuis saltem solemnitatibus, & diebus Dominicis, in quadragesima & adventu. Circumeant præterea diœceses suas temporibus opportunis, corrigendo & reformando, consecrando ecclesias, & verbum vitæ in agro Dominico seminando. Ad quæ omnia melius exequenda, professionem, quam in sua consecratione fecerunt, saltem bis in anno, scilicet * & in majori quadragesima faciant sibi legi.

XXIII. *Contra iudices imperitos.*

Cum non solum potestas, sed discretio & scientia in distinguendis negotiis potissimum requiratur: solerter ab omnibus præcavendum, ne talis judex vel cognitor deputetur, per cujus imperitiam, simplicitatem vel ruditatem, inutilis feratur sententia vel injusta, absolvatur nocens, & innocens condemnetur. Propterea duximus statuendum, quod matrimoniales causæ, quæ inter cæteras maturitate magna & diligentia sunt tractandæ, viris providis & fide dignis, & habentibus jurisperitiam, vel saltem competens exercitium, committantur. Si qui vero abbates archidiaconum vel decanum habent, ex privilegio vel consuetudine approbata quod de matrimonialibus causis cognoscant, diligenter ipsas examinare procurent, ita quod tam ipsi, quam delegati eorum, ad definitivam sententiam non procedant, nisi habita prius deliberatione de causæ meritis cum diœcesano episcopo diligenti, ipsiusque requisito consilio & obtento: ad quod etiam volumus teneri exemptos, vel speciali privilegio munitos.

ANNO CHRISTI 1237.

XXIV. *De iureiurando calumniæ.*

Iusjurandum calumniæ in causis ecclesiasticis cujuslibet, & de veritate dicendi, in spiritualibus quoque, ut veritas aperiatur facilius, & causæ celerius terminentur, statuimus de cætero præstari in regno Angliæ, secundum canonicas & legitimas sanctiones, obtenta in contrarium consuetudine non obstante. Huic statuto utiliter annectentes, ut judiciales induciæ judicis dentur arbitrio, juxta legitimas & canonicas sanctiones.

XXV. *De procuratoribus constituendis.*

Vsum procuratorum in obsequium justitiæ introductum, ut ejus qui causæ suæ non potest intendere, per alium absentia relevetur, convertit frequenter antiqui hostis invidia in abusum. Ex consuetudine namque, ut dicitur, hic habetur, ut citatus ad diem certũ, procuratorem tantum constituat ad eumdẽ absque litteris, vel per litteras sigillo authentico non signatas. Vnde fit quod dum talis procurator vel probare mandatum, vel fidem litteris imponere non vult per testes, aut aliud impedimentum occurrit, nil agitur illa die: sed nec expirante procuratoris[a] in sequenti, sicque perit illa instantia sine fructu. Huic igitur fallaci cautelæ clypeum opponere cupientes, statuimus de cætero, ut in causis ecclesiasticis regni Angliæ, procurator constituatur simpliciter: & si constituatur, ad diem non unum tantum, sed plures continuandos, si opus fuerit, constitui volumus, & intelligi constitutum. Mandatum etiam per scripturam probetur authenticam, nisi apud acta fuerit constitutus, aut sigillum authenticum de facili nequiverit constituens invenire.

[a] *f.* procurratione

XXVI. *Quomodo fieri debeant citationes.*

Tanto calliditatis studio persequuntur alterutrum se litigãtes, ut in supplantationem alterius, calcato justitiæ cultu, alter faciat quidquid possit. Denique a multis accepimus, quod citatorias litteras impetrantes, eas ad locum, ubi morari dicitur qui citatur, per tres destinant garciones, quas super altare loci ejusdem ecclesiæ, vel ibidem in alio loco, duo ponunt, & tertius rapit statim. Ex quo fit ut duobus testificantibus postmodum, quod illum citaverint, juxta morem sententiæ & regionis consuetudinem excommunicatur, vel suspenditur contumax, qui contumaciæ prorsus, utpote citationis, expers erat. Hunc itaque abusum tam detestabilem, & alios similes, zelo justitiæ prosequentes: statuimus, ut per impetrantes, vel eorum nuncios, in causis ecclesiasticis regni Angliæ, litteræ citatoriæ

A de cætero non mittantur, sed judex moderatis sumptibus impetrantis, per suum fidelem nuncium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat: quem si reperire non poterit, die Dominico, vel in alio die solenni, in ecclesia loci illius in quo degere consuevit, dum Missa cantatur, publice legi litteras faciat & exponi: vel saltem ad decanum, in cujus decanatu moratur qui vocandus est, citatio dirigatur, qui a judice missus fideliter hæc prosequatur per se aut per certos suos nuncios & fideles: quodque inde fecerint, eidem rescribere judici non omittat.

ANNO CHRISTI 1237.

XXVII. *Ne quis sigillum suuum apponat litteris quarum confectioni non interfuit.*

B Quanto scripturarum, quæ sigillo authentico muniuntur, est usus magis necessarius in partibus Angliæ, ubi publici notarii non existunt: tanto diligentius cavendum est, ne per aliquorum insolertiam possint pertrahi ad abusum. Cõficiuntur enim, ut audivimus, litteræ, ac signantur non tantum a minoribus clericis, verum etiam a prælatis, in quibus manifeste cavetur contraxisse aliquem, contractui vel negotio adfuisse, vel extitisse aliquem ad judicium C evocatum, seu sibi litteras citatorias præsentatas, qui tamen numquam præsens fuerat vel invẽtus, immo forsitan in alia provincia vel diœcesi tunc degebat. Cæterum, cum scripturæ hujusmodi, falsitatis vitium contineant manifeste: fieri talia vel similia districtius inhibentes, provida deliberatione sancimus, quod si fuerint in his deliquisse convicti, & qui talibus litteris, maxime in alterius præjudicium, præsumpserint ac perseveraverint, ut[b] scienter pœna falsariis & instrumentis falsis utentibus debita puniantur.
D

[b] *Corr.* perseveraverint uti sciẽter,

XXVIII. *Qui debeant habere sigilla authentica.*

Quoniam tabellionum usus in regno Angliæ non habetur, propter quod magis ad sigilla authentica credi est necesse, ut eorum copia facilius habeatur, statuimus ut sigillum habeant non solum archiepiscopi & episcopi, sed etiam eorum officiales, decani rurales, nec non ecclesiarum cathedralium capitula, & cætera quoque colle- E gia & conventus cum suis rectoribus, aut divisim, juxta eorum consuetudinem, vel statutum. Pro varietate quoque cujuslibet prædictorum, habeat uniuscujusque sigillum nomen, puta dignitatis, officii, collegii, & etiam illorum proprium nomen, qui dignitatis vel officii perpetui gaudent honore, insculptũ notis & characteribus manifestis, sicque sigillum authenticum habeant. Denique illi qui temporale officium susceperint, puta decani rurales, & offi-

ANNO CHRISTI 1237.

officiales, sigillum suum, quod tantum nomen habeat insculptum, finito officio, ei a quo habeant officium, continue & sine mora resignent. Sane de custodia sigillorum curam haberi præcipimus diligentem, scilicet unusquisque per se illud custodiat, vel uni soli, de cujus fide confidat, custodiendum committat: qui etiam juret quod fideliter illud custodiet*, alicui, nec etiam ipse aliquid inde sigillet, ex quo possit alicui præjudicium generari, nisi quod dominus ejus prius legerit & viderit diligenter, & sic præceperit sigillari. In facienda vero sigilli copia, fidelis & provida sit cautela: fidelis, ut indigentibus de facili præbeatur: provida, ut falsis & fraudulentis penitus denegetur. In principio quoque vel in fine cujuslibet scripturæ authenticæ, sufficientem datam inseri statuimus diei, temporis, & loci.

*f. nec dabit alicui,

XXIX. *Iuramentum ab advocato præstandum.*

Clamorem justitiæ audivimus conquerentis, quod etiam nimis impediunt per cavillationes & versutias advocati, negant plerumque per ignorantiam judices imperiti, & illudunt eis per contumaciam sæpe partes. Nam contingit aliquando, quod missus in possessionem, causa rei servandæ, ipsam retinere contendat, licet adversarius redeat infra annum, & juri per omnia satisfacere sit paratus. Aliquando vero qui in possessionem missus fuerit, nec infra annũ, nec post quantumcumque verus constituatur possessor, valet illam possessionem, resistente cum armis adversario, adipisci. In adjutorium itaque justitiæ assurgentes, approbatione concilii statuimus, ut qui advocati officium voluerit generaliter promereri, apud diœcesanũ, cujus origine vel domicilio jurisdictionis existit, præbeat juramentũ, quod in causis quarũ patronus extiterit, patrociniũ fidele præstabit, non ad differendã vel auferendã alterius parti justitiam, sed ad causam clientuli legibus defendendo* & rationibus. Alias autem non admittantur in causis matrimonialibus & electionibus, nisi juramentum simile voluerint præstare in eisdem: sed nec in aliis coram ecclesiastico judice ultra terminos tres absque juramento hujusmodi admittantur, nisi pro ecclesia sua, vel domino, aut amico notorie, vel paupere, seu extraneo, vel persona miserabili, duxit forsitan postulandum. Caveant omnes advocati, ne per se, vel per alios, testes subornent, vel partes instruant falsum ponere, vel supprimere veritatem. Qui contra fecerint, ipso facto ab officio & beneficio sint suspensi, quousque super hoc satisfecerint competenter, & alias nihilo minus, si de his convicti fuerint, pœna debita puniantur. Iudices quoque juris ignari, si dubium quid emerserit, ex quo possit alterutri partium grave præjudicium generari, expensis utriusque, alicujus consilium advocent sapientis.

* Corr. defendendam

XXX. *De actis scribendis.*

Statuimus insuper, ut, inquantum poterunt, constitutionem generalis concilii, tam in ordinariis quam extraordinariis judiciis observantes, acta originalia & authentica diligenter ac fideliter penes se custodiant, vel per scriptores suos faciant custodiri, ut partibus inde, ut debuerint, copiam faciant: quibus omnia postquam scripta fuerint, præcipimus, & præcipiendo statuimus publicari, ut, si erratum fuerit in scribendo, corrigatur, & ut veritas possit de his quæ acta fuerint liquido apparere.

XXXI. *De cautione præstanda.*

Provideant præterea judices, ut cum aliquem decreverint in possessionem mittendum, ob contumaciam partis adversæ de restituenda possessione cum fructibus, si quos inde perceperit, deductis expensis legitimis, si adversarius infra annum redierit ad mandatum ab eo qui mittendus fuerit, congruam recipiant cautionem. Illum quoque, qui possessionem possidere præsumpserit violenter, in quam ob ejus contumaciam alius missus fuit, & post annum verus possessor etiam constitutus, jure, si quod habuit in ea re, decrevimus fore privatum.

Hæc cum tertia die peragerentur, incepit dominus legatus solenniter, Te Deum laudamus, omnibus assurgentibus. Et postea incepta antiphona, In viam pacis, cum psalmo, Benedictus Dominus Deus Israel, dictisque collectis specialibus, & data benedictione cum non parvo gaudio recesserunt.

NOTÆ Severini Binii nihil continent præter narrationem gestorum in concilio, ex Matthæo Parisio ad verbum descriptam: quam supra in actis exhibuimus, cum aliis ex eodem Matthæo, quæ Binius prætermiserat.

CONSTITVTIONES SYNODALES EPISCOPI ANONYMI.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

To. II collectionis concilior. Angliæ.

Firmiter credimus, & simpliciter confitemur, quod unus solus verus est Deus, æternus, immensus, omnipotens, incommutabilis, incomprehensibilis, & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: tres quidem personæ, sed una est essentia, substantia, seu natura, simplex omnino. Pater a nullo, Filius autem a solo Patre, ac Spiritus sanctus pariter ab utroque: absque initio semper, & sine fine. Pater generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens; consubstantiales, & coæquales; coomnipotentes, & coæterni; unum universorum principium, creator omnium visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium: qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.

De baptismo.

Præcipimus autem, quod baptismus cum reverentia,

ANNO CHRISTI 1238.

rentia, & cum magno honore celebretur, & cum magna cautela, maxime in distinctione & prolatione verborum, in quibus tota virtus consistit sacramenti, & salus puerorum: Scilicet, *Ego baptizo te N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ubi nomen baptizandi præponatur, & sub eadem forma, in lingua quam melius noverit. Doceant frequenter sacerdotes, laïcos baptizare debere pueros in necessitate. Patrem etiam & matrem pueri sine præjudicio matrimonii, in summa necessitate.

Commoneant etiam sacerdotes mulieres prægnantes parochiæ suæ, ut cum tempus partus sui instare intelligunt, sibi prospiciant, & aquam promptã habeant, & propter imminens periculum loquantur de confessione cum sacerdote: ne subito præoccupatæ, non possint, cum voluerint, habere copiam sacerdotis.

Feminæ etiam moneantur, ut pueros suos caute alant, & juxta se de nocte non collocent teneros, ne opprimãtur, & cum eis ad baptismũ festinent & ad " consummationẽ. Similiter & mariti earum moneantur.

" f. confirmationem.

Si mulier mortua fuerit in partu, & de hoc bene constiterit, scindatur, si infans credatur vivere: ore tamen mulieris aperto, extrahatur puer, ut baptizetur.

Moneantur etiam, ne solos in domo ubi ignis fuerit, vel solos juxta aquam relinquant pueros suos sine custode. Et hoc eis sæpe dicatur.

Item.

Sacerdos interroget laïcum, qui in necessitate baptizat puerum, quid dixerit, & quid fecerit. Quod si invenerit laïcũ discrete, & modo debito baptizasse, & formam verborum in sua lingua integre protulisse, approbet factum. Sin autem, baptizet puerum.

Ad elevandum puerum de sacro fonte tres ad plus recipiantur: videlicet ad marem duo mares, & una femina; ad feminam vero duæ feminæ, & unus mas.

Item si in necessitate puer baptizatur a laïco: sequentia immersionem, non præcedentia, per sacerdotem expleantur: & aqua, in qua domi baptizatus fuerat puer, propter reverentiam baptismi, vel infundatur in ignem, vel in baptisterium ad ecclesiam deferatur, & vas illud comburatur, vel ad usus ecclesiæ deputetur.

Item de baptismate, vel confirmatione si dubitetur, sine trepidatione conferatur. Quia non dicitur iteratum, quod nescitur fuisse collatum. Ideoque baptizentur expositi, de quorum baptismo dubitant probabiliter, sive inveniantur cum sale, sive sine sale.

" f. Nullus, etiam diac.

Nullus quam " diaconus, vel inferior clericus, baptizet, vel pueros inungat: sed soli sacerdotes, quibus illud competit ex officio, nisi in summa necessitate: sicut quando sacerdos absens est, vel etiam præsens, & non possit interesse, vel stulte non vult, & imminet mors puero vel ægroto.

Item.

Præcipimus ut panni chrismales, quibus noviter baptizati induuntur, ad ecclesiam deportentur, nec ad omnes usus per aliquem assumantur, propter reverentiam sacramenti: sed in usus ecclesiæ, prout necessitas exegerit, reserventur.

Item.

Præcipimus, ut fontes in quibus pueri baptizantur, lapidei sint, vel alias honesti & integri: ita quod non sint alicui contemptui vel horrori, sed magis honor, & reverentia, & veneratio, ab universis exhibeatur eisdem. Aqua vero, ubi baptizatus fuerit puer, ultra octo dies non servetur.

De confirmatione.

Sacerdotes sæpe dicant laïcis, ne expectent adventum episcopi ad confirmandum, sed adducant pueros ad eum, ubi eum adesse audierint prope, quamcitius potuerint: & ut fascias sive ligaturas sufficientes, scilicet longas & latas, secum deferant. Quod si adultus fuerit confirmandus: monendus est per sacerdotem loci, ut confiteatur prius, & postea accedat ad confirmationem.

Item.

De confirmatione.

Nullus teneatur ad confirmationem a patre vel matre, vitrico, vel noverca: & hęc prohibitio sæpius publicetur in ecclesia per sacerdotes.

Caveant sibi diligenter parentes, ne parvulos suos iterato proferant confirmandos, cum & ipsi parvuli per illud sacramentum efficiantur irregulares, si masculi fuerint: & ipsi parentes ex tali negligentia, secundum canones, gravi subjaceant ultioni.

Sciant etiam tam parentes, quam illi, qui eorum pueros tenent ad confirmandum, & ipsi confirmati, quod spirituale vinculum in hoc sacramento contrahitur, ut in baptismo.

Parvuli confirmati, tertio die post confirmationem, deportentur ad ecclesiam, & frontes eorum, per manus sacerdotum in baptisterio, propter reverentiam chrismatis, abluantur: & ligaturæ ipsorum tunc similiter in igne concrementur.

Sequitur de sacramento altaris.

Ad hæc, quia cum magna reverentia, devotione, & munditia tractanda sunt ecclesiastica sacramenta, & maxime sacramentum redemptionis nostræ, scilicet corporis & sanguinis Domini: statuimus, ut presbyteri, circa ea quæ ad substantiam sacramenti corporis & sanguinis Domini pertinent, sint diligentes, & intenti, provisuri quod Eucharistia in pixide munda observetur: nec ultra septem dies serventur hostiæ consecratæ, sed septimana qualibet in die Dominica innoventur. Ita quod post perceptionẽ consecratæ recenter hostiæ, ante assumptionem sanguinis Domini, a celebrante Missam reservatæ hostiæ sumantur: nec in celebratione Missæ, hostiam consecratam, pacem daturus, ori suo sacerdos apponat, quia ante perceptionem eam ore suo tangere non debet. Si vero, sicut quidam faciunt, de patena eam sumat, vel super patenam eam confringat aut deponat: post celebrationem Missæ tam patenam, quam calicem, faciat aqua perfundi, vel solum calicem, si aliter faciat. Habeatque sacerdos juxta altare pannum mundissimum alio panno undique circumdatum, & honeste atque decenter coopertum: quo, post susceptionem sacramenti salutaris, digitos cum labiis tergat ablutos. Si vero sacerdos necesse habeat aliquando bis in una die celebrare; quod non fiat, nisi in die Nativitatis, vel Resurrectionis Dominicæ, vel quando aliquod corpus in ecclesia tumulandum, vel aliqua evidens necessitas urgeat: post primam celebrationem, & sanguinis susceptionem, nihil infundatur calici, quod a sacerdote sumatur celebrante, sed tantum post celebrationem subsequentem. Post primam vero celebrationem diligentissime absorbeantur stillæ de calice, & quod fuerit digitis superfusũ reservetur in vase mundo ad hoc specialiter deputato: & post secundæ Missæ celebrationem sumatur, nisi forte in prima celebratione adsit diaconus vel alius minister honestus, qui loturam illam sumere possit absque conscientiæ suæ læsione.

In sacramento autem sanguinis Dominici, major pars

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

pars vini, & modicum aquæ ponatur. His adjicimus, ut cum ad ægrum fuerit Eucharistia deferenda, habeat sacerdos aliam pixidem mundam & honestam, in qua sit linea bursa munda, & in ea Dominicum corpus deferat ad ægrotos, linteamine mundo superposito, & lucerna præcedente, nisi æger valde remotus fuerit, vel temporis inæqualitas impediat: & cruce similiter, si fieri potest, nisi crux fuerit forte apud ægrum: præcedente quoque tintinnabulo, ad cujus sonitum excitetur devotio audientium. Habeat quoque sacerdos vasa argentea, vel vas stanneum ad hoc specialiter deputatum, quod semper secum ad ægrum vadens deferat: ut in eo, ægro valeat dare, post sumptã ab eo Eucharistiam, suorum loturam digitorum. Habeat quoque sacerdos semper secum stolam, id est orarium, quando cum Eucharistia vadit, sicut diximus, ad ægrum. Et si æger remotus non fuerit, in superpellicio ad ipsum decenter accedat.

Quando vero mulieres, post puerperium venerint ad purificationem, sacerdos det eis tantummodo panem benedictum, & corpus Domini nullo modo: nisi expresse petant, & prius confessæ fuerint.

Ad hæc præcipimus, ut quælibet ecclesia habeat calicem argenteum, cum aliis vasis decentibus & honestis: sindonem mundam & candidam, amplitudinis congruentis: linteamina & alia ornamenta, quæ ad altaris officium spectant, honesta: libros ad psallendum & legendum idoneos, & sacerdotalia vestimenta sufficientia pariter & honesta. Et qui ministraverint sacerdoti in altari, superpelliciis induantur. Et omnes habeant canonem Missæ, secundum consuetudinem ecclesiæ nostræ, correctum: & ut verba canonis rotunde in Missa dicantur & distincte, similiter & omnes horæ, & omnia officia aperte & distincte dicantur, ita quod ex festinatione non præcidantur, vel syncopentur. Quod si observatum non fuerit: sacerdotes hoc non observantes, usque ad condignam satisfactionem puniantur.

Ex concilio. *Relinqui nolumus. Statuimus.* Sicut in concilio continetur.

AD hæc prohibemus, ne calices ecclesiarum, seu vestes, vel libri altaris, aut libri ecclesiastici, vel etiam tenementa ecclesiastica, vendantur vel pignori obligentur, aut aliquo modo alienentur ab ecclesiis: nisi in casibus concessis, & de licentia nostra, forma canonica observata. Si vero secus actum fuerit, irritetur.

Nec laïci ecclesias, vel quascunque decimas ad firmam aliquatenus teneant.

Prohibemus etiam districtius, ne sacerdotes ignoti, de quorum ordinatione non constat, ad Divinorum celebrationem, de serviendo ecclesiis admittantur, nisi de licentia nostra.

Moneantur autem rectores ecclesiarum, ne capellanos suos annuales, sine rationabili causa studeant amovere.

Similiter prohibemus excommunicatum aliquem vel interdictum, vel alienum parochianum laicum, in præjudiciũ proprii sacerdotis, vel ad cõfessionem, vel ad communionem Eucharistiæ, vel ad sepulturam, scienter aliquis sacerdos admittat, & præcipue in solemnitate Paschali. Quod si ab aliquo de cætero fuerit attentatum, ad damna resarcienda illius ecclesiæ cui injuriatum est, compellatur: alias etiam a nobis puniendus.

Ex concilio. *Cum sit ars artiũ*, &c. Sicut in concilio.

De Ministris ecclesiæ.

PRæcipimus itaque, quod si sacerdotes qui se noverint filios servorum, & præter conscientiã do-

A minorum suorum ordinatos, vel non de legitimo matrimonio natos, & absque dispensatione episcoporum suorum promotos, vel qui fuerint advocati in causa sanguinis, vel executores servorum aliquando in publicis administrationibus, vel homicidium perpetraverint, vel bigami fuerint, vel alias corruptarum mariti, vel qui excõmunicati ordines susceperint, vel excommunicati, sive suspensi celebrare præsumpserint, vel sortilegium exercuerint, maxime dæmonibus immolando, non exequantur sacerdotis officium, donec nostrum super hoc ab eis fuerit consilium requisitum.

Idem etiam dicimus de iis qui simoniace, vel furtive, vel per saltum, vel extra legitima tempora ordines susceperint.

Idem quoque dicimus de illis, qui intervẽtores fuerunt simoniacarum pactionum, & sunt ordinati, & nihilo minus labe illa infecti ordines susceperunt.

De aliis vero, qui in susceptione ordinum non peccaverint, præcipiendo statuimus, ut sacerdotes & clerici beneficiati, vel in sacris ordinibus constituti, sive
B beneficiati, sive non, qui a vitio luxuriæ debent esse alieni penitus, omnem libidinem fugiant, & continenter & honeste vivant, prout ad sacrum ministerium eorum noscitur rite pertinere. Nec in domibus propriis, vel alienis publice concubinas, unde scandalum oriatur, tenere præsumant: sed eas a se prorsus expellant, & longius faciant amoveri, nisi velint simul officio & beneficiis suis contra hoc agendo privari.

Moneantur concubinæ eorum, ut recedant ab ipsis: quæ nisi commonitæ, recedant ab eisdem, post trinam admonitionem, quoniam infamant ecclesiam, ab ecclesia expellantur, & excommunicentur: nec ad ecclesiastica sacramenta admittantur, sed ab legitimis
C actibus repellantur ut infames.

Quia etiam continentiam servare volentibus non est tutum habitare cum feminis: prohibemus, ne sacerdotes, vel clerici beneficiati, habeant famulas in domibus suis, de quibus possit aut debeat merito sinistra suspicio suboriri.

Cum autem sacerdos peccaverit, peccare facit populum Domini: & ideo debet ab omni fornicatione & immunditia se continere: maxime autem a filia sua pœnitentiali se contineat, sciens, quod in detestatione illius peccati dicitur in canone: sic peccare, pœnitentialem suam cognoscentem, sicut cognoscentem a se baptizatam, vel in baptismo susceptam, pro quo pec-
D cato secundum canones, xv. annorum debetur pœnitentia, & postea detrusio in monasterium.

Si sacerdotes aut clerici ad convivia fuerint ab honestis personis invitati: ibi, sicut ubique, sobrie, modeste, & honeste se habeant: & post prandium sobrie & honeste recedant, & cito. Et si in eisdem, in quibus intererunt, conviviis, inhonesta vel turpia narrentur, vel cantentur: si non possunt prohibere, saltem ita se gerant, ne videantur aurem vel animum talibus adhibere. Volentes quoque ab eisdem pestem avaritiæ extirpare, prohibemus, ne turpia lucra se-
E ctentur, & ne aliquam negotiationis speciem inhoneste audeant exercere.

Nullus quoque eorum sæcularem administrationem exerceat, ex qua eum oporteat laicæ personæ actus sui reddere rationem. Nec advocati sint sacerdotes, vel clerici, vel canonici in foro sæculari; nisi vel causas proprias, vel causas miserabilium prosequantur personarum. Sint etiam secundum facultates, & reditus suos, hospitales, & erga pauperes non avari.

Prohibemus insuper, ne sacerdotes de cætero utantur cappis manicatis: sed omnes habeant cappas clausas & honestas, & tonsuram canonicam. Ex concilio. *Irrefragabili. Quia non. Vt clericorũ. A crapula.*

Clerici

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

Clerici officia. Sententiam sanguinis. Cum infirmitas corporal. De multa providentia. In quibusdam provinciis. A

Sicut in concilio continetur.

Sequitur de pœnitentia.

SAnctorum patrum statuta sequentes, præcipimus, ut sacerdotes in pœnitentia danda diligenter attendant qualitatem personæ, quantitatem delicti, tempus, locum, causam, moram in peccato factam, devotionem animi pœnitentis, & ut pœnitentia talis injungatur uxori, unde non reddatur marito suo suspecta de aliquo occulto crimine & enormi, sed aliter condignam injungat pœnitentiam.

Idem de marito observetur.

B Non injungatur autem laïcis in pœnitentia, quod Missas celebrare faciant pro suorum remissione peccatorum.

Confessiones autem mulierum audiantur in Quadragesima, extra velum, in aperto semper, quantum ad visum hominum, non quantum ad auditum. Moneantur etiam laici statim in principio Quadragesimæ, vel pluries in anno, ut cito post lapsum confiteantur. In confessionibus vero, nec nimis perspicaciter scrutentur plebem suam sacerdotes, nec nimis facile aut negligenter pertranseant.

Item in confessionibus & prædicationibus sæpius laïcis inculcetur, & præcipue in majoribus solennitatibus, quod omnis conjunctio maris & fœminæ, nisi per matrimonium excusetur, mortale est peccatum. Et C si in denunciatione hujusmodi salubris doctrinæ sacerdos negligens inventus fuerit, tanquam fornicator, vel consentiens fornicationibus canonice puniatur.

Item in confessione habeat sacerdos humilem vultum, & oculos ad terram demissos, ne faciem respiciat confitentis, & maxime mulieris, & patienter audiat quicquid dixerit, & in spiritu lenitatis eum supportet, & ei pro posse suo persuadeat pluribus modis, quod integre confiteatur: aliter enim vera non est confessio. Peccata inquirat usitata, singillatim: inusitata autem, nisi a longe, & per circumstantias, sic ut expertis detur materia confitendi, & inexpertis non detur occasio delinquendi. In furto, rapina, usura, & maxime decimarum diminutione, seu subtractione alicujus ecclesiastici .... licenter sibi ca. .... ias aliquas injungant, nisi cum satisfactione & restitutione facienda injuriam passis, cum non remittatur hujusmodi peccatum, nisi restituatur ablatum. D

Item in majoribus criminibus, & atrocioribus & dubiis, sacerdos consulat nos sicut decet, vel ipsos, qui vices nostras gerunt, providos & discretos, quorum consilio certificatus, sciat quos & qualiter ligare possit & solvere. Et ne, quod absit, pœnitens in desperatione mittatur, moneat illum diligenter, ut interim quicquid boni facere poterit faciat, ut Deus cor suum illustret ad pœnitentiam. Et hoc idem de eo faciat, qui peccatum confitetur, & tamen ab eo non vult abstinere: quo casu munus absolutionis eidem non poterit impendi, nec pœnitentia injungi, cum venia non legatur concessa, nisi se corrigenti. Sunt autem majora crimina, homicidia, sacrilegia, peccata contra naturam, incestus, stupra virginum & monialium, injectiones manuum in parentes, in clericos, vota fracta, & hujusmodi. Sunt autem alia, in quibus nullus nisi solus papa, vel ejus legatus, potestatem habet dispensandi, videlicet injectio manuum in clericos, vel quoscunque religiosos, incendia ecclesiarum, simonia: nihilo minus talium rei, mittendi sunt ad nos, vel ad pœnitentiarium nostrum. Semper etiam, qui mittuntur, deferant secum litteras continentes E genus peccati, & circumstantias sufficienter, vel ipse sacerdos cum eis personaliter veniat, alioquin non recipiantur.

Item, caveant sibi sacerdotes, ut cum a pœnitente peccata inquirunt, nomina personarum cum quibus peccaverunt .... rant, sed circumst ...... & qualitatem peccati, cum scriptum sit: *Deus vitam meam*, non alienam, *annunciavi tibi.*

Nullus etiam sacerdos, post lapsum, antequam sacerdoti pœnitens confiteatur, ad altare præsumere audeat accedere celebraturus, si copiā habeat sacerdotis.

In quolibet autem capitulo duo sint sacerdotes confessores, quibus a nobis constitutis ejusdem capituli sacerdotes sua possint peccata confiteri. Si quæ vero dubia fuerint, quæ per eos expediri nequeant, vel si qui de sacerdotibus eis ob aliquam causam noluerint peccata sua confiteri, ad principales primarios nostros recurratur. Si vero neutri eorum suum voluerint revelare peccatum, ad nos veniat, ut vel nobis confiteatur, vel sibi a nobis alius assignetur, cui velit & valeat confiteri. Ex concilio. *Omnis utriusque.* Si post susceptorem.

De extrema unctione.

CUm magna reverentia deferatur oleum ad infirmos, & ipsos inungant sacerdotes cum magna devotione & orationum celebritate, quæ ad hoc sunt ordinatæ.

Ad sacramentum extremæ unctionis moneant sæpe populum, Domini sacerdotes: scilicet omnes a quatuordecim annis, & supra: & ad omnes, tam pauperes quam divites, communiter se paratos exhibeant, cum necesse fuerit.

Item doceant sacerdotes frequenter populum hoc sacramentum licite posse iterari, videlicet in qualibet periculosa infirmitate, ubi metus est mortis. Et cum quis post susceptum convaluerit ab infirmitate, licite posse reverti ad opus conjugale.

Sequitur de matrimonio.

CUm in causis matrimonialibus, cum majori discretione & cautela sit procedendum, statuimus, ut nulla causa matrimonialis, ubi agitur divortium, terminetur, nisi per nos vel gerentem vices nostras, nec aliqua hujusmodi causa, sive agatur de divortio, sive non, examinetur per diaconos rurales, sed cum magna diligentia per archidiaconos vel eorum officiales providos & discretos.

Ad hæc, prohibemus, ne matrimonium contrahat quis cum consanguinea olim uxoris suæ. Similiter nec uxor cum aliquo consanguineo quondam mariti sui. Nec susceptus in baptismo contrahat cum filia baptizantis, vel suscipientis, ante vel post genita. Nec contrahatur matrimonium inter personas incognitas, nec sine trina denunciatione in ecclesia publicata. Nec clādestina contrahantur matrimonia, sed publice & in facie ecclesiæ, præsente sacerdote. Si vero secus actum fuerit, factum non admittatur in ecclesia, nisi de speciali autoritate nostra. Sacerdos autem cum contra hujus statuti nostri formam aliquos matrimonio copulaverit, ab omni officio suspendatur, nec relaxetur nisi de speciali mandato nostro. Nec fides de aliqua desponsanda detur, nisi præsente sacerdote. Quod si aliter factum fuerit, decrevimus contractum non tenere, & personæ legitime puniantur.

Prohibeat autem quilibet sacerdos publice omnibus de parochia sua, ne clanculo fidem præstent de matrimonio contrahendo, sed publice coram testibus idoneis, ut fidem præstitam, si necesse fuerit, valeant comprobare. Proponatque eis præmonendo, quod sibi præcaveant, quia si talem fidem carnalis copula subsequatur, ecclesia hoc pro matrimonio habebit, & faciet tanquam matrimonium observari.

Item, doceant sacerdotes frequenter populum, & prohibeant sub anathemate, ne alteruter conjugatorum transeat ad religionem, nec recipiatur, nisi per nos aut per licentiam nostram.

Item, moneant mulieres conjugatas ne faciant vota, nisi cum magna deliberatione & cum consensu virorum suorum, & de consilio proprii sacerdotis.

Ex concilio. *Non debet. Cum inhibitio. Licet ex quadam.*

De statu monachorum & regularium.

NEc viris aut mulieribus religionem professis, absque superioris licentia liceat egredi septa domus, nec sine certa & honesta causa egrediendi licentia concedatur: ita tamen quod nulli claustralium causa orationis, aut visitandi parentes, exitus pateat; nisi fuerit talis, qui petit exire, de quo nihil sinistri debeat quis suspicari. Quotiens tamen exeundi causa licentia cuiquam indulgetur, socius ei deputetur, & certus dies in quo redeat præfigatur, in quo si redire poterit*, & extra monasterii septa non pernoctet.

Item, in civitatibus, burgis, seu villis, ubi ecclesia conventualis est, maxime sui ordinis, non hospitetur nisi penes religiosos. Et si domus ei & vecturis suis non sufficiat: nihilo minus, si fieri possit, de nocte dormiat infra septa illius monasterii.

Ad hæc: quia aliqui, ut audivimus, salutis suæ immemores, abjecto Dei timore, de ordine suo egredi, sine licentia suorum prælatorum, & in sæculo sæculariter conversari, abjecto religionis habitu, non verentur: præcipimus archidiacono & decanis, quod monitione præmissa competenti, tales ad claustrum per censuram ecclesiæ redire compellant. Quod si nec sic ad reassumendum habitum religionis induci possint, jubemus eos comprehendi, & nobis præsentari, & ad agendam pœnitentiam, in carcerem retrudendos.

Item, viri religiosi ecclesias illas, maxime in quibus jus sibi patronatus vendicant, ad firmam a clericis suis non recipiant sine licentia nostra, nec aliquam negotiationis speciem inhonestam audeant exercere: clerici autem ecclesias sic talibus demittentes, graviter punientur.

Item, monachis & canonicis regularibus, necnon monialibus, tam vestimenta quam coopertoria interdicimus colorata: nisi fuerint nigro tincta. Et cum equitant, decentibus sellis utantur, ac frænis ac superselliis. Moniales autem vestibus caudatis & crispatis, aut proprii corporis longitudinem excedentibus non utantur, nec pellibus delicatis aut coloratis: nec in velo acus argenteas audeant deportare.

Item, cum in generali concilio nuper esset statutum, quod quilibet regularis in ecclesiis, quæ ad ipsos pleno jure non pertinent, presbyteros instituendos eis repræsentent: præcipimus etiam, ut infra instans festum sancti N. ad tardius, secundum statuta ipsius concilii presbyteros idoneos nobis repræsentent ad vicarias in eisdem competentes.

Similiter fiat in ecclesiis præbendalibus, si ii, qui tenent, pœnam concilii voluerint evitare. Quod si non fecerint prout justum fuerit, tanquam de beneficiis vacantibus officium nostrum in hujusmodi exequemur.

Ex concilio. *Quoniam omne quod non est ex fide. In singulis regnis. Ne nimia. Ne pro defectu pastoris. Quia propter divitias. Si quis electionis. Grave nimis est. At privilegia Quod quibusdam religiosis. Ascendentibus. Quoniam simoniaca labes. Extirpande.*

Sequitur de decimis.

DEcimas de omnibus quæ renovantur per annum, & maxime consuetas, dandas decrevimus; & potissime de molendinis, & piscariis, & fœnis, & apibus, & de terris arabilibus, & ad prata postea, vel ad pasturā redactis: ita ut occasione mercedis servientium vel messorum, ecclesia decima parte non frustretur, quo minus eam plene percipiat. Detentores vero earundem decimarum, si semel, secundo, & tertio, commoniti, excessum suum non emendaverint, concedimus, quod per capellanos locorum, usque ad satisfactionem congruam excommunicationis vinculo feriantur. Cum autem ii, qui decimas detinuerint, vel subtraxerint, ad pœnitentiam accesserint, non admittantur: nisi, per se vel per manum sacerdotis, ei cui decimæ debentur, satisfaciant competenter.

De sententiis.

EXcommunicatio non passim & absque delicto fiat, sed præmissa canonica admonitione. Singulis autem annis in tribus solennibus festivitatibus, scilicet die Natalis, die Pentecostes, die Assumptionis beatæ Mariæ, excommunicentur in genere, sortiarii, testes perjuri super sacrosancta, incendiarii, usurarii, raptores publici, maliciose impedientes executionem rationabilium testamentorum & contumaces, & decimarum detentores: ita quod testes, qui scienter dejerant super sacrosancta, propter lucrum vel damnum aliorum, non absolvantur, nec eis aliqua pœnitentia injungatur, nisi a nobis vel nostra autoritate, præterquam in mortis periculo. Et tunc injungatur eisdem, ut ex quo convaluerint, nos adeant, a nobis pœnitentiam suscepturi.

Sub interminatione anathematis prohibemus, ut nullus constabularius, castellanus, forestarius, vel cujuscunque potentis baillivus, possessiones, seu bona religiosorum, clericorum, seu quarumcumque ecclesiasticarum personarum, ausu temerario præsumat invadere, aut eas vexationibus injustis, vel oppressionibus quibuscunque indebite, contra libertatem ecclesiasticam attentet molestare. Quod si qui contra hanc prohibitionem nostram in propriæ salutis dispendium, quod Deus avertat, præsumpserint, & commoniti se non emendaverint: terras eorum per archidiaconum loci, sine dilatione, ecclesiastico supponi præcipimus interdicto: & tunc demum si ad cor non redierint, indurati, pulsatis campanis & accensis candelis excommunicentur, monitione præmissa. Volumus etiam, & districte præcipimus, ut archidiaconus & ejus ministri, cum fuerint super hoc ab excommunicatoribus requisiti, mutuum sibi adinvicem in hujusmodi præstent auxilium.

Præcipimus etiam, sub pœna interdicti & excommunicationis, ne patroni ecclesiarum laïci, sive sint Anglici, sive alicujus nationis, hospitia a clericis beneficiatis extorqueant, vel exigant de cætero. Interdicimus etiam ipsis clericis, ne hospitia sic exacta laïcis procurent: & si fecerint, noverint se canonice puniendos.

Prohibemus etiam, sub...... pœna antedicta ne laïci, sive sint domini fundi, sive non: ne ullam habeant dispositionem in cœmeteriis, de domibus, vel exigendis casis propria autoritate, nisi tempore hostilitatis, & tunc de licentia & dispositione rectoris ecclesiæ.

Prohibemus etiam, sub eadem pœna, ne aliqui commisceant se carnaliter mulieribus infra ambitum cœmeterii.

Item, districte præcipimus, ut omnes sacerdotes, parochianis suis, autoritate Dei & nostra, & sub anathemate

themate, prohibeant, ut nullus, de cætero eo modo, quo aliquando soleant, aliquam fœminam teneant sub quadam pecuniæ taxatione; nec aliquis sacerdos vel clericus hujusmodi conventionibus intersit, nec in hujusmodi conventionibus de pecunia repetenda, licet fides vel sacramentum intervenerit, justitia exhibeatur.

Statuimus etiam domini fundorum, si communam pasturæ, quam ecclesiæ & earum rectores consueverunt habere, interdixerint, pro voluntate sua, communione fidelium careant, nisi commoniti satisfecerint competenter.

Statuimus insuper, ut si quis excommunicatus, infra xl. dies sanctæ ecclesiæ reconciliari contempserit, & hoc per ministros nostros domino ejusdem fuerit intimatum: si dominus ejus, ad unitatem ecclesiæ redire eundem excommunicatum non compulerit: monitione præmissa, eadem summa percellatur, & terra sua interdicto supponatur.

Inhibeatur etiam omnibus, & maxime ubi nihil de sorte minuitur*, retineant, postquam de fructibus sortem receperint, deductis expensis.

Ad hæc prohibemus, ne sine litteris nostris ad fidelium eleemosynas postulandas, aliquis admittatur prædicator: nec etiam, si aliquis litteris nostris munitus adveniat, ad prædicandum admittatur, nisi litteræ nostræ nomen exprimant ejusdem, & expresse contineant, quod ei dederimus licentiam prædicandi: negotium vero & necessitatem tantummodo, pro qua advenerit, bene poterit populo demonstrare, licet prædicandi licentiam non habeat: dum tamen, sicut diximus, litteris nostris sit munitus. Volumus autem ut sacerdos ecclesiæ, in qua prædicatur, vel etiam negotium demonstratur, ut diximus, pecuniam collectam accipiat, & salvo custodiat, sub testimonio duorum virorum fide dignorum, quousque de mandato nostro, vel officialis nostri, illi loco ad quem facta est collectio, conferatur.

Prohibemus etiam, ne pro justitia facienda, differenda, vel acceleranda, aliquid accipiatur: & ne pro aliquo spirituali, aliquid ex pactione promittatur, detur, vel accipiatur. Quod si fiat, tam dans, quam accipiens, sententia excommunicationis se noverit innodandum.

Diffamati fama publica, vel verisimilibus indiciis, super crimine aliquo, de quo convinci non possunt: commoneantur semel, secundo, & tertio, ut confiteantur & satisfaciant. Si vero incorrecti in negatione persti terint, indicatur eis purgatio, quæ, occasione captandæ pecuniæ, de die in diem non differatur: sed statim prima die, si parata fuerit, recipiatur, & canonicum numerum non excedat. Archidiaconus contra hoc veniens, vel officialis, vel alius quicunque, se noverit suspendendum ab officio.

Moneatque sacerdos quilibet, si inclusum habuerit in parochia sua, ne mulierculam aliquam recipiat in hospitio de nocte: similiter ne mulier masculum.

Prohibeat etiam sacerdos parochianis suis, sub interminatione anathematis, ne diebus Dominicis mercata frequentent, dimissis ecclesiis suis apud quas debent convenire, maxime diebus illis, & orationi intendere, ac officium ecclesiasticum & verbum Dei audire: quod non faciunt aliquo die in septimana, nisi rarissime, cum magnæ fuerint festivitates. Quare decrevimus mercatum nostrum de N. de cætero, die Lunæ frequentari.

Ad hæc prohibemus, ne choreæ vel turpes & inhonesti ludi, qui ad lasciviam invitent, in cœmeteriis agantur: & ne ibi tractentur causæ sæculares ex consuetudine, & maxime tales in quibus agatur de judicio sanguinis.

Prohibemus etiam, ne sacerdotes, vel clerici, tabernas frequentent, vel eas in domibus suis, vel alienis facere præsumant.

Prohibemus etiam, ne denuntiatio scotallarum fiat in ecclesiis, neque per sacerdotem, neque per clericos extra. Ex concilio. *Sacro approbante. Cum spirituali. Sub interminatione. Quia vero nonnulli.* Sicut in concilio continetur.

Sequitur de archidiaconis.

ARchidiaconus & ministri ejus curam habeant & solicitudinem, tam de iis quæ ad sacramētorum pertinent reverentiam, quam de omnibus aliis, de quibus promissum est: quæ quidem fideliter & irrefragabiliter observentur: transgressores, si qui fuerint in hujusmodi, prout culpæ qualitas exposcit, coercendo, vel ad nos referendo.

Item injungimus archidiacono, & ejus officialibus, ut in visitationibus ecclesiarum faciendis, diligenter faciant adscribi vasa, vestimenta, libros, & alia quæ ad Divinum pertinent officium: habeantque nihilo minus considerationem ad fabricam ecclesiæ, & maxime cancelli, si forte cooperatione indigeat. Et domos ecclesiæ, si forte dirutæ fuerint, vel ruinosæ. Si quos autem defectus invenerint in hujusmodi, certum, sub gravi pœna, præfigant diem & terminum, infra quem suppleantur. Et si interim decesserit rector ecclesiæ, de bonis ejus ecclesiasticis tanta portio rationabiliter juxta ecclesiæ facultates deducatur, quæ ad prædictos defectus complendos sufficiat. Caute etiam per se & suos inquirat: si in parochia sua officium visitationis impendunt, & si in rebus vel personis aliquid fuerit corrigendum, & excessus, si quos ibidem invenerit, vel tunc vel proximo capitulo corrigat, vel corrigendos nobis insinuet.

Item præcipimus, quod archidiaconus & eius officialis & decani, paratos se exhibeant & strenuos ad exhibendum conquerentibus justitiam, & ad defensionem ecclesiasticæ libertatis, & pro hujusmodi a quoquam nihil exigatur.

Ex concilio. *Procurationes.*

Sequitur de Crucesignatis.

AD hæc injungimus universis crucesignatis diœcesis nostræ, sub interminatione anathematis, ut iter arripiant, sine dilatione qualibet, ad vota propria exequenda: nec parcatur alicui, aut votum relaxetur, cujuslibet sexus, aut cujuslibet conditionis existat, nisi tanta & tam manifesta infirmitate laboret, vel adeo valetudinarius, quod nulli dubium esse debet ipsum non posse exequi votum suum. Et ii etiam tales secundum facultates suas de bonis propriis donent pro redemptione votorum. Et qui crucem abjecerint, excommunicentur, donec reassumpserint, & ad eundem se præparaverint.

Prohibemus etiam, ne aliquis clericus beneficiatus faciat servitium laïcale dominis laïcis, nec aliqui laïci ab eis servitium laïcale extorquere præsumant, nisi tenementum teneant laïcale, pro quo eis servitium debeant impendere laïcale, liberum, non servile.

Item inhibemus, ne aliqui viri ecclesiastici sive religiosi, sive alii, novam pensionem ecclesiis imponant, vel veteres pensiones augere præsumant. Si quis autem aliter egerit, irritum quod fecerit habeatur: prout in concilio Lateranensi continetur.

Inhibemus etiam, ne viri religiosi illas ecclesias habeant ad firmam, in quibus dicunt se jus patronatus habere: adjicientes, ne aliquis vendat, vel conferat, vel ad firmam det, vel pignori obliget monachis Cisterciensis ordinis, vel aliis religiosis, simile eis privilegium habentibus, terras aliquas, vel possessiones,

CIRCITER ANNO CHRISTI 1237.

nes, nisi ipsius facta sufficienti cautione de indemnitate parochialis ecclesiæ, & hoc de nostra autoritate.

Sacri nihilo minus autoritate concilii statutum est, quod si patroni, vel advocati, aut feodotarii, seu vicedomini alicujus ecclesiæ, rectorem vel alium clericum ejusdem ecclesiæ, per se vel per alios occidere ausu nefario præsumpserint: patroni patronatum, advocati advocatum, feodotarii feodum, vicedomini vicedominatum, usque ad quartam generationem amittant, & posteritates talium, in clericorum collegio non admittantur; nec in regularibus domibus, alicujus prælationis assequantur honorem.

Item cum inhonestum sit, & etiam canoni inimicum, ut viri religiosi, quibus concessum est in proprios usus convertere ecclesias, ecclesiis parochialibus personaliter deserviant: statuimus, ut in ecclesiis sic eis concessis, perpetuos vicarios per nos constituant. Et cum os bovis non debeat alligari triturantis, certam & competentem vicariam ad taxationem nostram, in dictis ecclesiis infra xl. dies eis assignent: alioquin nos dicto elapso termino de eis, prout viderimus expedire, disponemus.

Item, venalitatem Missarum districte inhibentes præcipimus, ne pro annualibus & tricennalibus Missarum faciendis, laïci vel alii aliquid dare vel legare cogantur; & ne super iis aliqua pactio vel exactio vera, vel sub aliqua specie palliata, a sacerdotibus, vel ab aliis mediatoribus fiat, prohibemus.

In generali concilio statutum est, quod prohibitio copulæ conjugalis, quartum consanguinitatis & affinitatis gradum, de cætero non excedat, quoniam sine gravi dispendio animarum hujusmodi prohibitio non potuit in ulterioribus gradibus generaliter observari. Unde, cum jam usque ad quartum gradum prohibitio conjugalis copulæ sit restituta, sancitum est, ut si qui, contra hujus prohibitionem præsumpserint de cætero copulari, nulla longinquitate defendantur annorum: cum diuturnitas temporis peccatum non minuat, sed augeat.

Item, cum secundum Apostolum, non solum a malo abstinendum est, sed etiam ab omni specie mali: præcipimus, ne aliquis turpis lucri spe denarios pro blado, vel pro animalibus, ante tempus receptionis bladi, vel animalium, secundum pessimum modum patriæ, dare præsumat, vel etiam terram vel possessiones quasi sub mortuo vadio recipere.

Augustinus, *de ebrietate & sobrietate.*

„ AUgustinus dicit: Ebrietas tota est imbecillis. Primum abolet memoriam, dissipat sensum, negligit mentem, confundit intellectum, concitat libidinem, involvit linguam, implicat sermonem, corrumpit sanguinem, obtundit visum, perturbat venas, infirmat nervos, obturat aures, turbat viscera, subvertit sensum, humectat cerebrum, debilitat membra, frangit somnum, impedit ministeria, obruit animam, maculat corpus, & omnem salutem exterminat.

„ Item ebrietas mater flagitiosorum est, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, turbo capitis, subversio sensus, tempestas linguæ, procella corporis, naufragium castitatis, ignominiosus languor, malesuada bilis, turpitudo morum, dedecus vitæ, honestatis infamia, animæ corruptela: vinum quippe, non refutatur usu, sed flammatur in excessu.

Item contra de sobrietate.

„ SObrietas autem tota formosa est, utilis tota. Primum salvat memoriam, acuit sensum, sincerat mentem, dirigit vultum, integrat pudorem, mitigat vitium, curat faciem, limat aures, exornat cerebrum, expedit linguam, explicat sermonem, confirmat sanguinem, nutrit medullam, curat venas, stringit nervos, contemnit libidinem, fruitur somno, recreat corpus, propagat senectutem, sine istis ministeriis omnem hominem contemptibilem facit. „

ANNO CHRISTI 1238. *Cognac.*

"** CONCILIUM APUD CAMPINACUM"

FERIA II. POST OCT. PASCHÆ ANN. DOM. MCCXXXVIII. a Gerardo archiepisc. Burdegalensi, & suffraganeis celebratum.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De excommunicatis in octo casibus.*
2. *Iterum de excommunicatis.*
3. *Ne quid exigatur ab ecclesiis violenter, aut in earum locis hospitetur præsumptive.*
4. *De vicariis non constituendis.*
5. *Ne rectores ecclesiarum sint aliarum ecclesiarum vicarii.*
6. *Ut quilibet sacerdos habeat proprium sigillum.*
7. *De non faciendo citationem ad judicium, nisi viso authentico, & transcripto retento.*
8. *Ne prælati relaxent excommunicationis sententias, juris ordine non servato*
9. *Ut prælati, aliorum sententias requisiti, faciant observari.*
10. *De causis matrimonialibus.*
11. *De laicis qui malitiose coram se personas ecclesiasticas litigare compellunt.*
12. *Ne monachi advocati seu procuratores existant.*
13. *Ne sacerdotes advocati vel procuratores sint.*
14. *De advocato pauperibus dando.*
15. *Qualiter homines diversorum dominorum pro indiviso debent interdicto supponi.*
16. *Ut ecclesiæ recuperent quæ occasione interdicti amiserunt.*
17. *Qualiter barones sunt pro suis excessibus excommunicandi.*
18. *De excommunicatis.*
19. *De pœna capientium clericos & verberantium.*
20. *Ne pecunia pro victu & vestitu regularibus assignetur.*
21. *De custodia claustri, & reddendo computo.*
22. *Ne monachi absque licentia exeant claustrum.*
23. *Ne monachi vel canonici regulares pallia deportent.*
24. *Non licet regularibus proprium habere, vel careant sepultura.*
25. *De vestibus regularium.*
26. *De vita & honestate monachorum & condonatorum.*
27. *Ne monachi fidejubeant ultra viginti mutuo.*
28. *Ne monachi carnes edant præterquam in domibus suis.*
29. *Ne monachi curam habeant animarum.*
30. *Ne soli sint monachi & canonici regulares.*
31. *Ne laici absque licentia diœcesani constituant confratrias.*
32. *De congrua sustentatione presbyteris assignanda.*
33. *De novis domibus religiosis & hospitalibus ne fiant.*
34. *De rebus ecclesiæ non alienandis.*
35. *Ut capellani qui parochiam habent communem, ad divisionem cogantur.*
36. *Ut nemo alienæ diœcesis recipiatur ad celebrandum Divina.*
37. *De ordinibus.*
38. *De collatione beneficiorum ad superiorem devoluta.*

PRÆ-

ANNO CHRISTI 1258.

PRÆFATIO.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, novis ac damnosis hominum malitiis obviantes, per quas justitia læditur, propagatur iniquitas, crescit impietas, totiusque cleri decoloratur honestas.

CAPITVLA.

I. *De excommunicatis in octo casibus.*

Excommunicamus omnes illos qui falsis litteris, & inanibus de cætero scientiis utentur. Item eos qui ad diversa loca, & coram diversis judicibus, simul super actionibus parilibus, trahunt aliquem vel aliquos, vel trahi etiam procurabunt. Item & eos qui cedunt actiones clericis, vel aliis, & qui recipiunt cessiones nisi in casibus a jure concessis, & qui advocando seu procurando actiones scienter hujusmodi prosequentur. In supradictis etiam casibus præsenti decreto eas pœnas duximus adjungendas, ut qui aliquid de præmissis commiserit, ipso facto cadat a jure, si quod sibi competat, & ad damna in judicio, & extra judicium contingentia, & ad expensas & omne interesse in solidum teneatur. In eodem:

II. *Item de excommunicatis.*

Item excommunicamus omnes illos qui contra ecclesias & ecclesiasticas personas, conspirationes, seu conjurationes fecerint, vel statuta: & hoc in ecclesiis frequenter denunciari mandamus. Item excommunicamus omnes illos, qui dicentes se judices datos, delegatos, vel subdelegatos a superiore, citant, vel citari faciunt aliquē vel aliquos, nisi prius inspecto authentico, vel authentica scriptura commissionis sibi factæ. Item & illos qui utuntur super novis injuriis, & actionibus, ex novis causis incipientibus competere post litteras impetratas, litteris ante illatas injurias impetratis, præcipimus excommunicari, & pœnis supra positis subjacere. Item cum olim in concilio provinciali fuerit certa deliberatione statutum, quod loca in quibus res ecclesiæ vel ecclesiasticæ personæ detinentur, subjiciētur interdicto, quamdiu res illæ vel personæ in locis illis fuerint detentæ, nisi solvantur vel recredātur; & certis experimentis edocti, noverimus quosdā malitiose negare, se res illas vel personas habere aut detinere, cepisse & occupasse: eorum fraudibus occurrentes, statuimus, ut sive loci fuerit dominus, sive præpositus & baillivus, & quocumque alio nomine appellentur, teneatur jurare se rem illam, vel personam nō habere, nec potestatem habere liberandi vel restituendi. Quod si juramentum præstare noluerit, excommunicationis vinculo innodetur. In eodem:

III. *Ne quid exigatur ab ecclesiis violenter, aut in earum locis hospitetur præsumptiue.*

Rursus quia pro certo nobis innotuit, quod per illicitas exactiones & angarias laicorum, quamplures ecclesiæ, hospitalia, & aliæ domus religiosæ, ad exinanitionem ultimam devenerunt: paterna eisdem solicitudine providentes, in hoc sacro concilio excommunicamus omnem sæcularem personam, quæ in ecclesiis, vel hospitalibus, vel aliis religiosis domibus vel personis, exactiones facere præsūpserit violentas; vel non invitata, invitis eorum rectoribus ibidem hospitata fuerit præsumptive. Si tamen præsumptores hujusmodi satisfacere voluerint de præmissis, diœcesanus loci absolvendi tales habeat potestatem. Et ut ab importunis, & extortis quodammodo donationibus & angariis, eidem rectores valeant excusari: sub pœna excommunicationis eisdem rectoribus inhibemus, ne memoratis exactoribus, prædonibus, & improbis, substantias pauperum & peregrinorum, & ibidem Domino servientium, largiri præsumant. In eodem:

IV. *De vicariis non constituendis.*

Vicarios etiam prohibemus per archipresbyteratus, decanatus, & archidiaconatus, constitui ab archidiaconis, decanis, & archipresbyteris: nisi ex justa causa absentes fuerint. Quo casu poterunt, cum consensu episcopi vicarios ordinare. In eodem:

V. *Ne rectores ecclesiarum sint aliarum ecclesiarum vicarij.*

Ad hoc de capellanis ecclesiarum parochialium, qui aliam accipient vicariam, censemus, ut si monitione præmissa noluerint ad intitulatam redire, sine remedio illis auferatur. In eodem:

VI. *Vt quilibet sacerdos habeat proprium sigillum.*

Ad hoc, cum non citatus, interdum esse citatus præsumatur, contingat condemnari aliquem innocentem. Vnde districte prohibemus, ne judex in aliquem ut in contumacem ferat excommunicationis sententiam, & aliam, donec de citatione certioratus fuerit per citatorem, vel alias sibi canonice fuerit facta fides. Vnde statuimus, quod quælibet capellania habeat sigillum proprium, in quo tales litteræ sint insculptæ: Sigillum capellaniæ N. ad citationes: capellaniæ expresso nomine, non personæ. Quod videlicet sigillum, citatione facta a capellano, in citatorio imprimatur. Item in eodem:

VII.

ANNO CHRISTI 1238.

VII. *De non faciendo citationem ad judicium, nisi viso authentico, & transcripto retento.*

Quotidianis viam fraudibus obviantes, deliberatione provida duximus statuendū, ne ii quibus datur in mandatis a delegatis Apostolicæ sedis, vel aliis, ut reum ad judicium evocent, citare præsumant, donec authenticum ipsum, cujus autoritate fit in jus vocatio, inspiciatur, & describatur ab eo cui fuerat ut citaret injunctum: ita scilicet ut transcriptum retineatur scribendum sumptibus illius qui scripto authentico est usurus, citato si necesse fuerit exhibendum. *In eodem:*

VIII. *Ne prælati relaxent excommunicationis sententias, juris ordine non servato.*

Prohibemus districtius, ne episcopi, & alii ecclesiarum prælati, sententias latas pro re judicata, & alia manifesta offensa, sine satisfactione competenti præsumant ullatenus relaxare. Sic nec latas pro contumacia, nisi præsente adversario, vel per contumaciam absente, volumus relaxari. *In eodem:*

IX. *Vt prælati aliorum sententias requisiti faciant observari.*

Item mandamus & jubemus, ut sententias prælatorum ad insinuationem ipsorum alii prælati faciant in sua diœcesi observari, ac si ab eisdem eædem fuissent promulgatæ, ut excommunicatis ubique aditus ecclesiasticus recludatur. *In eodem:*

X. *De causis matrimonialibus.*

Prohibemus ne causæ matrimoniales judicibus committantur, nisi viri periti fuerint & discreti: adjicientes, ut judex testes in causis matrimonialibus, per seipsum, vel per talem qui canonicas sanctiones non ignoret, examinet, ut erroris & fraudis materia penitus excludatur.

XI. *De laïcis qui malitiose coram se personas ecclesiasticas litigare compellunt.*

Ad reprimendam libertatem ecclesiæ & clericorum, quidam judices sæculares nova commenta & judicia confingentes, compellunt coram se personas ecclesiasticas per excogitatam malitiam respondere. Cum enim laïcus qui possessionem autoritate clerici vel ecclesiæ possidet, & excolit, vel aliquid aliud agit, tractus in causa coram judice sæculari, & de stando juri datis fidejussoribus, autorem in judicio nominaverunt ecclesiam, vel ecclesiasticam personam, ut exigit ordo juris, iniquo suo judicio, immo verius præjudicio, coram ipsis compellunt personam ecclesiasticam litigare: aut conventus laïcus & fidejussores ab eo dati compelluntur reddere rem petitam cum consuetudinaria mulcta judicis sæcularis. Dant etiam iidem judices laïcis licentiam ecclesias & personas ecclesiasticas spoliandi: ut cum coram ipsis contra spoliatores egerint, saltem respondeant reconventi: cum sit consuetudo Burdegalensis provinciæ, quod coram quo voluerint judice clerici litigent, sive actores fuerint, sive rei conventi, seu etiam reconventi. Vnde sub pœna excommunicationis, judicibus, & aliis personis sæcularibus inhibemus, ne de cætero præsumant talia attentare, sed ad judicium ecclesiæ remittant personas ecclesiasticas cōventas, vel reconventas, examen ecclesiasticum postulantes: & de suis laïcis, faciant clericis & personis ecclesiasticis justitiam competentem. Laïcus autem qui clericū, vel aliam personam ecclesiasticam, actorem in judicio sæculari nominaverit, postquam se persona ecclesiastica præsentaverit, forum ecclesiæ allegando, fidejussores quos dederat ab instantia sæcularis judicii, per sæcularem judicem absolvatur. Alioquin judex & ejus consiliarii in hac parte excommunicati publice nuncientur. *In eodem:*

CIRCITER ANNO CHRISTI 1238.

XII. *Ne monachi advocati seu procuratores existant.*

Obnixe præcipimus ne monachi in aliqua causa advocati & procuratores esse præsumant, nisi pro suæ ecclesiæ evidenti utilitate, suo superiore in illo casu hoc nihilo minus imperante. Quod si contra facere præsumpserint, eis audientia denegetur: & si quid per eos in foro judiciali actum vel gestum fuerit contra præceptum nostrum, habeatur irritum & inane. Hoc idem de canonicis regularibus duximus statuendum.

XIII. *Ne sacerdotes advocati vel procuratores sint.*

Sacerdotibus insuper prohibemus firmiter, ne pro aliquibus advocati existant & procuratores, seu defensores: nisi pro ecclesiis, & miserabilibus, & conjunctis personis; & tunc nullo pacto, ullo precio mediante.

XIV. *De advocato pauperibus dando.*

Pristini juris recolentes censuram, mandamus ut si aliqui pauperes sint, qui pro paupertate advocatum habere non possint, det ipsis curia advocatum, si causa indiget advocato. *In eodem:*

XV. *Qualiter homines diversorum dominorum pro indiviso debent interdicto supponi.*

Si plures domini, homines habeant divisos, pro delicto domini alterius, interdicto

ANNO CHRISTI 1238.

sui solummodo supponantur. Si vero homines habeant pro indiviso, subjiciantur omnes communi interdicto. *In eodem*:

XVI. *Ut ecclesiæ recuperent quæ occasione interdicti amiserunt.*

De dominis insuper terrarum, pro quorum contumacia & delicto terra supponitur interdicto: statuimus, ut ad restituenda beneficia ecclesiis pro eorum culpa amissa, per censuram ecclesiasticam compellantur. *In eodem*:

XVII. *Qualiter barones sunt pro suis excessibus excommunicandi.*

De baronibus excommunicandis statuimus observandum, ut cum eos excommunicari necesse fuerit, personæ eorum excõmunicationi subdantur; & eorum uxores, & familiæ interdicãtur; & ipsorum excommunicatio, & interdictum familiæ, publicentur diebus Dominicis & festivis. Et cum in aliqua villa vel castro, eorum subditis jurisdictioni, præsentes fuerint, cessetur penitus a Divinis: cum autem recesserint, Divina more solito celebrentur. Et sic per duos menses, nisi ad satisfactionem pervenerint, expectentur: quibus elapsis, castra ipsorum supponantur interdicto: & nisi infra alios duos menses resipuerint, in tota terra sua interdicti sententia promulgetur. Post annum vero, tanquam hæretici omnibus publicentur, & ipsorum bona confiscanda nihilo minus exponantur. *In eodem*:

XVIII. *De excommunicatis.*

Si quis per quadraginta dies in excommunicatione permanserit, pœna decem librarum mulctetur, vel alia competenti. *In eodem*:

XIX. *De pœna capientium clericos & verberantium.*

Ad reprimendam illius temerariæ præsumptionis audaciam, qua, suadente humani generis inimico, quidam in clericos manus injiciunt violentas, obliti sententiæ evãgelicæ; Qui vos tangunt, tangunt pupillam oculi mei: multa emanaverunt a sanctis patribus instituta, quibus anathematis mucrone præsumptores hujusmodi percelluntur: necdum tamen temeritas est succisa. Quin quidam vesaniæ suæ aculeis agitati, ipsos capere non verentur, atrocem inhumanitatem in eos crudeliter exercentes, ut redemptionem extorqueant ab eisdem. Quare præsenti statuto decernimus, & decernendo statuimus, ut nullus de posteritate præsumptorum hujusmodi, usque ad tertiam generationem, ad ecclesiasticum beneficium & ordines admittatur: cum secundum censuram Dominicam, patrum iniquitas, usque ad tertiam vel quartam generationem & progeniem, vindicetur. Et qui tali beneficium scienter contulerit, conferendi beneficia potestate privetur. *In eodem*:

CIRCITER ANNO CHRISTI 1238.

XX. *Ne pecunia pro victu & vestitu regularibus assignetur.*

Abbatibus districtius inhibemus, & capitulis regularibus universis, ne pecuniam aliquam pro victu vel vestitu præsumant fratribus assignare, ne habendi proprium eis materia tribuatur: sed in communi eos pro posse satagant procurare, & pietate tractare paterna. Nec aliquos recipiant, pacto, vel conditione, vel pecunia mediante: sed si monasterii non sufficiant facultates, pauciores habere liceat, quam hactenus fuerit consuetum: & deinceps nulli admittantur, donec de communi possint vivere, sicut superius est expressum. *In eodem*:

XXI. *De custodia claustri & reddendo computo.*

Volumus etiam & mandamus, quod administratores eorum singulis mensibus cum abbate & aliquibus fratribus computent de expensis & redditibus, & aliis proventibus universis: & quod in ostiis cujuslibet claustri claves fiant, quibus, competentibus horis, ostia firmiter claudantur. Abbates etiam semel in anno computent, & villicationis suæ rationem reddant in suo capitulo generali. *In eodem*:

XXII. *Ne monachi absque licentia exeant claustrum.*

Fratribus autem districtius inhibemus, ne exeant claustra, absque sui abbatis, vel prioris, seu servantis ordinem, licentia speciali: & ne in villis & castris in quibus morantur, extra claustra lateant, & comedant ullo modo. Quod si contra fecisse inventi fuerint: nequaquam ad aliorum recipiantur consortium, nisi salva ordinis disciplina. *In eodem*:

XXIII. *Ne religiosi absque licentia, nisi pro administratione, agant.*

Item ne aliqua in judicio repetant sine specialibus litteris sui superioris: nisi ad administrationem sibi commissam, quod peterent, pertineret. *In eodem*:

XXIIII. *Ne monachi vel canonici regulares pallia deportent.*

Item ne extra claustrum, sicut nec intra, pallium deferre præsumant in villis & castris in quibus morantur. *In eodem*:

ANNO CHRISTI 1238.

XXIV. *Non licet regularibus proprium habere, vel careant sepultura.*

Proprium autem vel peculium nulli habeant: quod si forte in morte habere inventi fuerint, Christiana careant sepultura. Sed nec cum talibus dispensetur, nec postmodum in cœmeterio reponantur, nisi abbati suo, vel cui fecerint professionem suam, reddiderint humiliter ac devote. *In eodem* :

XXV. *De vestibus regularium.*

Bruneta vel stamine forti nulli prorsus regulares utantur, nec supertunicale etiam deferant nisi clausum, & etiam manicatum. *In eodem* :

XXVI. *De vita & honestate monachorum & condonatorum.*

Abbatibus etiam firmiter præcipimus, & prioribus convẽtualibus, ut ter in anno publice injungãt monachis suis sub pœna excommunicationis, a se proprium abdicare, & in manu sua resignare compellant, & etiam condonatos: & vestes clausas habeãt, tonsuram etiam regularem, & annulos sive monilia nequaquam habere præsumant, & alia honestati non congrua regulari: sed caste se habeant & honeste. *In eodem* :

XXVI. *Ne monachi fidejubeant neve ultra viginti solidos mutuo sumant.*

Inhibemus quoque monachis, & aliis religiosis administrationes habentibus, ut absque abbatis & majoris sui licentia pro aliquo fidejubere, vel ultra viginti solidos recipere mutuo pecuniam non præsumant. Si vero contra hoc fecisse aliqui inventi fuerint, abbates, & conventus, & successores eorum, pro his respondere nullatenus teneantur: nisi forte in utilitatem domorum suarum manifeste constiterit redundasse. Ipsi tamen graviter puniantur. *In eodem* :

XXVIII. *Ne monachi carnes edant præterquam in domibus suis.*

De esu carnium monachis præcipimus firmiter & districte, vt regulam beati Benedicti in hoc observent : sub pœna excommunicationis districtius inhibentes, ne in domibus laïcorum eas comedant ullo modo. *In eodem* :

XXIX. *Ne monachi curam habeant animarum.*

Curam etiam parochialium ecclesiarum sub pœna excommunicationis districtius eis penitus inhibemus ; nisi in necessitate cum abbatis & ipsius diœcesani licentia. Et si quis contra hoc, &c. *In eodem*:

XXX. *Ne soli sint monachi & canonici regulares.*

Præterea præcipimus ne monachi vel canonici regulares soli maneant in prioratibus, cellis, & grangiis : & alias constitutiones super observatione monastici ordinis, a domino Papa de novo editas, observari præcipimus & mandamus. *In eodem* :

XXXI. *Ne laici absque licentia diœcesani constituant confratrias.*

Conjurationes vel conspirationes laïcorum, quibus interdum nomen confraternitatis imponunt, impietatem palliantes sub nomine pietatis, omnino fieri prohibemus. Vnde statuimus, quod nulla fiat confraternitas laïcorum sine autoritate & consensu diœcesani ejusdem loci : quod si factum fuerit, tamdiu excommunicentur ipsius autores, donec eadem fraternitas velut impietatis colligatio penitus dissolvatur. *In eodem*:

XXXII. *De congrua sustentatione presbyteris assignanda.*

De patronis ecclesiarum parochialium, sive sint monachi, vel alii religiosi, vel canonici regulares, volumus & præcipimus firmiter & districte, ut per diœcesanum loci compellantur presbyteris earumdem servitio deputatis, tantam & tam idoneam portionem assignare, ut ex ea valeant congrue sustentari, prout definitum est in concilio generali. *In eodem* :

XXXIII. *De novis domibus religiosis & hospitalibus, ne fiant.*

De novis domibus religiosis, ne fiant statuimus, & firmiter inhibemus ne ibidem oratorium construatur, vel fratres aliquod signum religionis accipiant, sine diœcesani licentia & consensu : sed priores sive administratores illorum locorum eisdem diœcesanis præsententur, qui curam ab ipsis recipiant quam debent. Et si qui contra hoc facere præsumpserint, sciant se ultioni canonicæ subjacere. *In eodem* :

XXXIV. *De rebus ecclesiæ non alienandis.*

Nullus possessiones ecclesiæ vel reditus alienare præsumat, sine diœcesani licentia speciali. Aliter facta alienatio non valeat, & alienatores puniantur secundum canonicas sanctiones. *In eodem* :

XXXV. *Vt capellani qui parochiam habent communem, ad divisionem cogantur.*

Quoniam accidit interdum unius rei dominis, vel quasi dominis, aut habentibus jus commune in ea re, eam potius pro diviso quam pro indiviso habere expedit:

certis

ANNO CHRISTI 1238.

certis experimentis edocti, præsenti decreto statuimus, ut si plures capellani parochianos communes habeant, ad divisionem cogantur, adjudicatione & condemnatione pro qualitate rei facta per episcopum competenti. *In eodem:*

XXXVI. *Vt nemo alienæ diœcesis recipiatur ad celebrandum Divina.*

Pro certo didicimus, quosdam in sacris ordinibus constitutos, culpis propriis exigentibus, a prælatis suis excommunicationis & suspensionis vinculo innodatos, cum litteris suæ ordinationis ad peregrinas, ubi sunt incogniti, nationes migrare. Novimus & alios quosdam mentientes se promotos, cum non sint: cum falsis quoque litteris ab indiscretis ecclesiarum prælatis admittuntur, & sic celebrant, aut usurpant & inquinant sacramenta. Quorum utrumque quantum sit animarum saluti contrarium, & adversum ecclesiasticæ honestati, nemo sanæ mentis ignorat. Quapropter decrevimus, ut nemo posthac alienæ diœcesis ad celebrandum Divina in sacris ordinibus recipiatur, nisi sui ordinatoris vel successoris ejus litteras omni suspicione carentes ostendat, suscepti ordinis mentionem expressam, & causam peregrinationis idoneam continentes. Alioquin tam recipiens, quam receptus, superioris arbitrio puniatur. *In eodem:*

XXXVII. *De ordinibus.*

Irrefragabili constitutione sancimus, ut neque ordinator, nec is qui vice fungitur præsentantis, neque alius quispiam, juramentum recipiat vel pactum ab ordinando, quod nihil eo nomine ab aliquo exigat ordinatus: cum per tale commercium fraus fiat canoni, & vitium sapiat simoniæ. *In eodem:*

XXXVIII. *De collatione beneficiorum ad superiorem devoluta.*

De beneficiis vacantibus, quorum collatio ad nos est devoluta de jure, præcipimus ne per alios alicui conferantur.

Actum apud Campinacum die Lunæ post octavam Paschæ, anno Domini MCCXXXVIII. præsidente domino G. Burd. archiepiscopo.

ANNO CHRISTI 1239.

** CONCILIVM TVRONENSE

A IVHELLO ARCHIEPISCOPO ET SVFFRAGANEIS celebratum anno Domini MCCXXXIX.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *Quod in qualibet parochia sint tres, qui de scandalis requisiti, dicant veritatem.*

Totis visceribus corrigere cupientes ea quæ correctione indigent in provincia Turonensi, sacri hujus approbatione concilii duximus statuendum: ut in qualibet parochia per episcopum vel archiepiscopum eligantur tres clerici, vel si clerici inveniri non possint, tres laïci fide digni, qui jurent quod de his quæ sciverint, unde scandalum sit subortum in parochia, vel in vicinis, contra fidem, vel alias de criminibus ecclesiasticis requisiti, dicent episcopo vel archidiacono veritatem.

II. *De pœna clericorum de crimine convictorum.*

In correctionibus consuetis, tam de modo puniendi clericos, maxime beneficiatos, quam etiam in sacris ordinibus constitutos: statuimus, ut si de criminibus confessi fuerint, vel convicti, ad arbitrium episcopi corrigantur: & si secundo convicti fuerint, per subtractionem beneficii ecclesiastici puniantur.

III. *De vestibus sacerdotum.*

Item, sacri hujus approbatione concilii prohibemus, ne sacerdotes in publico procedant nisi in cappis clausis, vel mantellis. Clausa etiam habeant supertunicalia. Quod si secus fecerint, in quinque solidis puniantur, fabricæ majoris ecclesiæ applicandis.

IV. *Vt sacramenta gratis exhibeantur: sed post, peti possit consuetum.*

Item innovamus, ut sacramenta ecclesiastica gratis exhibeantur: inhibentes, ne pro eis antequam fiant, aliquid petatur, seu etiam exigatur. Quibus gratis exhibitis, poterit peti quod de pia consuetudine exigi consuevit: subditos ad hoc per prælatos censura ecclesiastica compellendo. Quod si quis contra fecerit, eo jure quo habiturus erat ea vice, privetur, & nihilo minus in quinque solidis convertendis in fabrica ecclesiæ puniatur.

ANNO CHRISTI 1239.

V. *Vt presbyteri autoritate propria non excommunicent.*

Item interdicimus universis presbyteris ecclesiarum parochialium, ut pro jure suo, vel ecclesiæ suæ in spiritali, parochianos suos autoritate propria excommunicare præsumant. Quod si fecerint, sententiam decernimus esse nullam.

VI. *Vt curati ipsi, autoritate propria non excommunicent.*

Item quod rectores seu curati parochialium ecclesiarum, parochianos suos autoritate propria excommunicare non possunt pro jure suo.

VII. *Vt beneficiatus nihil filio spurio vel concubinæ testamento leget.*

Præsentis autoritate concilii prohibemus, ne quis beneficiatus clericus, vel in sacris ordinibus constitutus, aliquid præsumat filio spurio, seu propriæ etiam concubinæ, in ultima voluntate legare. Quod si fecerit, non valeat, sed ecclesiæ applicetur.

VIII. *Ne archidiaconi & inferiores prælati officiales extra civitatem habeant.*

Innovamus statutum editum apud Castrum Gonterii, & districtius inhibemus, ne ipsi archidiaconi, archipresbyteri, vel alii jurisdictionem habentes ecclesiasticam, extra civitatem habeant officiales seu allocatos: sed extra civitatem in propriis personis officium suum fideliter expleant. Et si aliquis processus per eosdem habitus fuerit, in hoc quod fieri prohibemus, decrevimus non tenere.

IX. *De sententia excommunicationis mature ferenda.*

Item prohibemus ne prælati ecclesiarum excommunicationis sententias præcipitare præsumant, sed cum maturitate & legitimis monitionibus, & competentibus intervallis: nisi negotium celeritatem desideret, & nisi periculum sit in mora. Et tunc hoc ordine procedatur, ut primo delinquentes excommunicentur, postea crescente contumacia, cum pulsatione campanarum & aliis solemnitatibus sententia aggravetur: & nisi excommunicati ad gremium ecclesiæ redierint, euntes ad mercata, & coquentes ad furna, molentes ad molendina excommunicentur: postmodum participantes in cibo & potu, anathematis sententiæ supponantur.

X. *Ne participantes cum excommunicatis in generali excommunicentur.*

Interdicimus tamen universis judicibus, ne in generali excommunicare præsumant participantes cum excommunicatis, propter periculum animarum. Quod si tales sententiæ latæ fuerint, decernimus non tenere: statuentes, ut ad compulsionem excommunicatorum, si interfuerit, invocetur auxilium brachii sæcularis.

XI. *Ne regularibus detur pecunia pro necessariis.*

Item autoritate præsentis concilii statuimus, ne monachis, vel aliis religiosis detur aliqua pecuniæ summa pro victu seu vestitu, & aliis necessariis: sed juxta facultatem monasterii provideatur competenter eisdem.

XII. *Ne clerici vel monachi habeant pedisequas.*

Statuimus, ne clerici vel monachi pedisequas in domibus, seu prioratibus habere præsumant, contra canonicas sanctiones. Quod si contra præsumptum fuerit, debitæ subjaceant ultioni.

XIII. *Ne monachi in ecclesiis parochialibus deserviant.*

Cæterum & illud duximus prohibendum, ne monachi in ecclesiis parochialibus deserviant: nisi ab episcopo in casibus permissis curam receperint animarum. Quod si tales inventi fuerint, autoritate hujus concilii per episcopos præcipimus amoveri.

Actum Turonis, anno Dom. MCCXXXIX.

*** CONCILIVM APVD S. QVINTINVM AB HENR. DE BRENNA REM. ARCHIEPISC. & suffraganeis celebratum anno Dom. MCCXXXIX.

ANNO CHRISTI 1239.

CVm notorium sit apud nos venerabilem virum Thomam de Bellomanso præpositũ ecclesiæ Remensis, per nobiles viros Nicolaum de Rummiliaco, Colardum filium ejus, & Hugonem de Grisondelle, captum violenter & carceri mancipatum fuisse: quem adhuc, Dei timore postposito, publice detinere præsumunt, in opprobrium & verecundiam totius ordinis clericalis. Ordinavit præsens concilium, quod prædicti nobiles, autoritate præsentis concilii, legitime moneantur, quod dictum præpositum prorsus a carcere liberent, & hujus captionem & detentionem dicto præposito, & ecclesiis quarum est canonicus, quibus ex hujus captione est illata injuria, competẽter emendent. Quod si moniti legitime, prædicta non fecerint: denuncientur autoritate domini Papæ excommunicationis sententiæ subjacere. Et nihilo minus pro injuriis dicto præposito & ecclesiis quarum est canonicus ex dicta captione illatis, excõmunicationis sententiæ, autoritate præsentis concilii supponantur. Si vero dictam excommunicationis sententiam per quindecim dies sustinuerint, terræ quas habent in Remensi provincia, ecclesiastico supponantur interdicto: quod tamdiu præcipimus observari, donec dictum præpositum reddiderint, & prædictos excessus emendaverint competenter. Quod si non sic ad deliberationem dicti præpositi, & satisfactionem debitam venire curaverint: statuimus quod elapsis quindecim diebus a tempore quo dictum interdictum proferri contigerit, filii

ANNO CHRISTI 1239.

filii dictorum nobilium in ecclesiis quarum dictus A præpositus est canonicus, ad dignitatem vel beneficium aliquod nullo tempore assumantur, nec aliquatenus admittantur, nec in aliis ecclesiis totius provinciæ, sive sint cathedrales, sive non, usque ad xx. annos, nisi cum eorum filiis, causa cognita de vacanti beneficio non vacaturo, fuerit per superiorem vel provinciale beneficium dispensatum. Cæterum si nec sic ad emendationem debitam, & unitatem ecclesiæ dicti nobiles redire curaverint: statuimus quod ad eorum pertinaciam reprimendam invocetur auxilium dominorum sæcularium, a quibus temporalia tenent nobiles memorati. Qui si moniti, eos redire ad unitatem ecclesiæ cogere postposuerint, nec infra terminum ipsis præfigendum nobilibus, ab illis, quibus super executione prædictorum & eorum quæ ad hæc pertinent, B committimus vices nostras, facere prout ad eos pertinet, curaverint: volumus & ordinamus quod ex tunc in dictos dominos excommunicationis sententia proferatur autoritate concilii, & post, elapsis xv. diebus, eorum terræ supponantur ecclesiastico interdicto, donec dictus præpositus fuerit liberatus, & de dictis injuriis competenter fuerit satisfactum. Et ad eorum malitiam compescendam, ex tunc ex parte concilii summo & supremo sæculari domino supplicetur, quod in his tale consilium & auxilium adhibeat, quod ipsius interveniente potentia, dictus præpositus liberetur, & jus suum ecclesia Dei super præmissis libere consequatur. Super his autem omnibus executioni mandandis, venerabilibus fratribus Suessionensi & Laudunensi episcopis, vel eorum alteri, si ambo C interesse non possint, committimus vices nostras, excepta dispensatione super beneficiis filiorum prædictorum nobilium, quam nobis duximus reservandam. Actum in concilio provinciali apud S. Quintinum, consentientibus nobis episcopis & approbantibus, quorum sigilla præsentibus sunt apposita. Interveniente etiam consensu procuratorum capitulorum ecclesiarum cathedralium provinciæ nostræ, anno Dom. MCCXXXIX. die Lunæ circa festum B. Andreæ apostoli.

ACTUM IN EODEM CONCILIO.

QUia in tantum quorumdam laïcorum nefaria D processit audacia, quod ipsi, sicut pro certo didicimus, timore Dei postposito, clericos & maxime canonicos cathedralium ecclesiarum violenter capiunt, & captos detinere præsumunt, quod in opprobrium & contumeliam Dei, cujus sunt ministri, redundat, & totius ordinis clericalis: nos tantis malis occurrere, prout possumus, in posterum cupientes: statuimus, ut si quis canonicum ecclesiæ cathedralis Remensis provinciæ ceperit, vel violenter detinuerit, vel autoritatem, auxilium, seu consilium, prædictis impenderit, & moniti per ordinarium suum, eundem non liberaverint, & dicto canonico & ecclesiæ, cui ex dicta captione & detentione est irrogata injuria, non emendaverint competenter, ex tunc ab ordinario loci sine dilatione E qualibet, pro tanta offensa excommunicati autoritate canonis domini Papæ nuncientur publice: & propter injurias, quas commiserint in ecclesiam cathedralem, & dominum canonicum captum, quas emendare recusant, autoritate concilii excommunicationis sententiæ supponantur. Quod si sententiam excommunicationis hujusmodi per xv. dies indurato corde sustinere præsumpserint, ex tunc autoritate præsentis concilii, tota terra, quam in provincia Remensi obtinebunt, supponatur interdicto ecclesiastico: quod tamdiu præcipimus observari, donec canonicũ reddiderint, & ecclesiæ prædictæ excessum competenter curaverint emendare. Quod si nec sic ad deliberationem canonici & emendationem debitam curaverint prona mente venire: statuimus, ne elapsis xv. diebus a tempore interdicti in terram eorum prolati, filii malefactorum hujusmodi, in ecclesia cujus clericus captus canonicus erat, ullo tempore aliquod beneficium vel dignitatem aliquam assequatur: in aliis vero ecclesiis provinciæ sive cathedralibus, sive non, nullum beneficium vel dignitatem seu administrationem obtineant usque ad xx. annos ab illo tempore computandos, nisi cum ipsis filiis per sanctum provinciale concilium vel superiorem in vacanti beneficio obtinendo non vacationis fuerit, causa cognita, dispensatum. Verum si nec sic eorum malitia emolliri possit, quia ferro sunt abjicienda vulnera quæ fomentorum non sentiunt disciplinam: statuimus ut ad eorum pertinaciam reprimendam invocetur auxilium domini sæcularis, vel dominorum sæcularium, a quo temporalia tenent, vel a quibus; & nisi, moniti legitime, dictum malefactorem coegerint, prout ad ipsos pertinet, ad redeundum ad sanctæ matris ecclesiæ unitatem: ex tunc autoritate præsentis concilii in dictos dominos sæculares excommunicationis sententia proferatur; & si eam sustinuerint per dies xv. terræ eorum quas habent in Remensi provincia, interdicto ecclesiastico supponantur, donec dictus canonicus fuerit liberatus, & de excessibus prædictis fuerit competenter ecclesiæ & canonico satisfactum. Si autem, quod absit, canonici liberatio, & emenda ecclesiæ debita, sic haberi non possit: requiratur dominus sæcularis summus & supremus ex parte concilii, quod tale consilium apponat super præmissis, quod exinde debeat a Deo, cujus ministri sunt, nec non a clero & hominibus, merito commendari. Actum in provinciali concilio apud S. Quintinum, consentientibus omnibus episcopis & approbantibus, quorum sigilla præsentibus sunt appensa: interveniente etiam consensu omnium procuratorum capitulorum ecclesiarum cathedralium provinciæ nostræ, anno Domini MCCXXXIX. die Lunæ ante festum beati Andreæ apostoli.

ACTUM IN EODEM CONCILIO.

SAlva in omnibus ordinatione quam fecimus de canonicis ecclesiarum cathedralium Remensis provinciæ, si eos ab aliquibus capi vel in carcere detineri contigerit violenter, cæteris membris ecclesiæ pio compatientes affectu, statuimus ut si quis ausu temerario canonicum ecclesiæ non cathedralis ceperit, vel in carcere præsumpserit detinere, quam cito res hujusmodi ad ordinarium perlata fuerit, ordinarius loci captores & detentores moneat diligenter, necnon illos quorum autoritate & consilio vel auxilio prædicta perpetrata sunt, quod canonicum sic captũ liberent, & injuriam tandem canonico & ecclesiæ, cujus est canonicus, competenter emendent. Quod si emendare, & canonicum reddere noluerint, monitione præmissa, denunciet & denunciari faciat, publicæ excommunicationis sententiæ autoritate canonis domini Papæ subjacere, & ipsos malefactores nihilo minus, pro tanta offensa, autoritate concilii præsentis, sententiæ excommunicationis supponat. Quam si per xv. dies sustinuerint, ex tunc terræ eorum, si quas habent in provincia, supponantur ecclesiastico interdicto. Et nihilo minus statim a tempore captionis cessetur a Divinis in illa parochia, in qua eum contigerit detineri. Statuimus etiam, quod si hujusmodi sententias excommunicationis & interdicti per quadraginta dies sustinuerint malefactores prædicti, ex tunc eorum filii, in ecclesia in qua clericus captus erat canonicus, nullo tempore ad dignitatem vel beneficium

ANNO CHRISTI 1239.

cium aliquod admittatur, vel aliquatenus promoveatur: ut sic patres se puniri videntes in filiis, ab hujusmodi insolentiis compescantur, quas in ecclesias & viros ecclesiasticos committere non formidant. Ad liberationem autem aliorum clericorum, si eos capi contigerit, sic episcopum loci, in cujus diœcesi hoc attentari contigerit, habere volumus, quod honor ecclesiasticus in omnibus observetur. Actum in provinciali concilio apud S. Quintinum, consentientibus nobis episcopis & approbantibus, quorum sigilla præsentibus sunt appensa: interveniente etiam consensu omnium procuratorum capitulorum cathedralium ecclesiarum provinciæ nostræ, ann. Dom. MCCXXXIX. die Lunæ ante festum beati Andreæ apostoli.

ANNO CHRISTI 1240.

** CONCILIVM MELDENSE,

PRÆSIDE IACOBO PRÆNESTINO EPISCOPO cardinale, apost. sed. legato, ann. MCCXL.

Gvillelmus Nangiatensis, S. Dionysii monachus, in gestis S. Ludovici. His quoque temporibus, *inquit*, inter Romanam ecclesiam & Fridericum imperatorem magna dissentio fuit orta. Nam idem imperator, curiæ Romanæ in quantum poterat existebat in omnibus contrarius: & eidem a retroactis temporibus persecutiones multimodas, & injuste, quas scribi longum esset, acrius solito inferebat. Propter quod beatæ memoriæ papa Gregorius IX. destinavit in Franciam quendam album monachum, nomine Iacobum, Prænestinum episcopum, apostolicæ sedis legatum: ut in dictum Fridericum imp. quem ipse papa excommunicaverat, excommunicationis sententiam per totam Franciam promulgaret. Promulgata vero sententia, videns cardinalis imperatorem in sua malitia induratum, & adeo obstinatum, quod excommunicatione vilipensa, nullo modo a suo nefando proposito vellet resilire: quosdam archiepiscopos, episcopos, & abbates, super tam arduo negotio concilium habiturus, & aliqua per ipsos & cum ipsis tractaturus, apud civitatem Meldensium convocavit. Et tunc cunctis præsentibus, præcepit quibusdam ex ipsis in virtute obedientiæ ex parte domini Papæ, quatenus cunctis negotiis postpositis, personaliter cum ipso iter arripientes, nullatenus omitterent ire Romam. Ipse vero ibidem spopondit & affirmavit, quod apud Viennam urbem, de navibus, nautis, & cæteris quæ ad navigium pertinerent, ut liberius securiusque per mare, quam per terram, eo quod Romanus imp. omnes passus per terram occupaverat, quos & diligentissime custodiri faciebat, ut rei exitus declaravit, eisdem commode provideret. *Narrat deinde, ut capti fuerint a spurio Imperatoris filio, ii qui se in iter dederant.*

G. C. Concil. hoc anno MCCXL tribuimus: quia episcopi illi Romã ire jussi, vocabantur ad concilium generale, quod Gregorii IX. litteris anno MCCXL. datis indictum fuerat in diem Dominicæ Resurrectionis, anni insequentis.

ANNO CHRISTI 1240.

** CONCILIVM SILVANECTENSE

EPISCOPORVM REMENSIS PROVINCIÆ,

Præside Iacobo Prænestino episc. cardinale, sed. apost. legato, anno Dom. MCCXL.

Iacobus Meyerus annal. Flandr. lib. VIII. *ad ann. MCCXL.* Indictus, *inquit*, Silvanectæ conventus episcoporum provinciæ Remensis, ubi Iacobus episcopus Prænestinus, Romani pont. legatus, petiit obtinuitque vigesimam omnium redituum ecclesiarum, ad auxilium pontificis.

ANNO CHRISTI 1240.

SYNODVS VVIGORNIENSIS.

Constitutiones Vualteri de Cantilupo Vuigorniensis episcopi, in synodo sua, in cathedrali ecclesia promulgatæ, in crastino S. Iacobi apostoli, anno Dom. MCCXL. & pontificatus sui III.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De ornamentis suarum ecclesiarum.*
2. *De apparatu ecclesiarum dedicandarum: & qui stare debeant in cancellis.*
3. *De consecratione cœmeterii.*
4. *Ne placita sæcularia & ludi inhonesti in cœmeterio fiant.*
5. *De baptismo, & quibus verbis laici, si necessitas compellat, baptizent.*
6. *De confirmatione.*
7. *Conservatio hostiarum ecclesiarum.*
8. *Pulsatio campanellæ, quando corpus Domini erigitur.*
9. *Ut devote occurrant, cum Eucharistia deportatur.*
10. *Ut aliquod lumen sit, ubi fuerit Eucharistia.*
11. *De libris & vestimentis.*
12. *De sacerdotibus ministrantibus in choro.*
13. *De matrimonio.*
14. 15. *De transgressoribus matrimonii.*
16. *Ut omnes confiteantur, saltem semel in anno, antequam communicentur.*
17. *De confessionibus clericorum.*
18. *De quibus sacerdotes doceant subditos.*
19. *De unctione extrema.*
20. *Quod sacerdotes, & cæteri ministri altaris, ab omnibus spurcitiis sint alieni.*
21. *De indumentis clericorum & tonsuris.*
22. *De invidia clericorum.*
23. *De humilitate clericorum.*
24. *Quod sacerdotes nullo modo sint pigri ad visitandos infirmos.*
25. *Archidiaconi & decani nihil exigant a rectoribus in visitationibus.*
26. *Ne quis sacerdos bis in die celebret, nisi necessitas exigit.*
27. *De emptione bladi crescentis in terra.*
28. *Quod sacerdotes pro sepultura nihil accipiant.*
29. *Quod pauperes non compellantur ad offerendum cum communicant.*
30. *Clerici nullam reddant laïcis computationem.*
31. *Quod ecclesiæ non tradantur ad firmam sine licentia episcopi.*
32. *Quod religiosi & clerici sectentur hospitalitatem pro viribus.*
33. *De gula, & quod clerici non intersint scotallis.*
34. *De clericis beneficiatis qui uxorati sunt.*
35. *De iis qui reliquerint ecclesias & solum earum ædificiis destitutum.*
36. *Quod nullus clericus frequentet ecclesias monialium.*
37. *De beneficiatis qui illitterati sunt.*
38. *Ne clerici intersint ludis inhonestis.*
39. *Sacerdotes magnatum non audiant confessiones eorum vel familiæ suæ sine licentia episcopi.*
40. *De iis qui falsum testimonium perhibent in caussis matrimonialibus vel in exheredatione alicujus.*
41. *Vicariæ religiosorum sufficientes sint vicariis.*
42. *Quod clerici beneficiati, non sint advocati, nisi in caussis propriis, vel dominorum suorum.*

ANNO CHRISTI 1240.

43. *Nulla detur clerico vel laïco de garbis decimarum.* A
44. *De decimis agnorum, lanæ, & caseorum.*
45. *Quod decimatio lanæ agnorum & vellerum fiat præsente rectore, vel ejus ministro.*
46. *De decimis fœni.*
47. *De detentoribus decimarum.*
48. *Quod religiosi ostendant titulum quo possident decimas, infra terminum statutum.*
49. *De executione testamenti.*
50. *De testamento pauperis.*
51. *Quod rector ecclesiæ si testatus decesserit, post annunciationem B. Mariæ percipiat decimas & alios fructus; si autem intestatus, omnia bona sua sint in dispositione episcopi.* B
52. *De terris defunctorum incultis.*
53. *De sacerdotibus alienæ ordinationis.*
54. *De festis celebrandis.*
55. *De vigiliis circa corpora defunctorum.*
56. *Quod mulieres Christianæ nullomodo nutriant pueros Judæorum.*
57. *Quod Christiani non recipiant res Judæorum in ecclesiis custodiendas.*
58. *Quod Christianus non committat Judæo pecuniam, causa mutuandi ad usuram.*
59. *De cereo Paschali.*

PRÆFATIO.

Secundum exhortationem Psalmistæ, per angelos congregandi sunt sancti, qui Christi testamentum ordinant super sacrificia, secundum quod legitur in psalmo: *Congregate illi sanctos, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Per hos autem angelos, pontifices designantur, de quibus Malachias: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirent ex ore eius. Angelus enim Domini exercituum est.* Sancti autem isti, ministri sunt ecclesiæ sacramentorum, qui ad litteram, testamentum Domini ordinant super sacrificia: quos, ut conversationem habentes in cælis, sanctos esse decet, hoc est, juxta quod nomen sancti vel hagios sonat, a terrenis actibus separatos. Ab hac congregatione fortassis ortum habuit collectio synodalis: hoc autem intendens, ut credimus, ut quod figurat collectio corporum, multitudinis credentium sit unitas animorum, eidem ritus, & religio sacramentorum. Iuxta quod legitur in Actibus apostolorum, & in Esdra: *Congregatus est populus, quasi vir unus, in Ierusalem.* Vt autem testamentum prædictum per ministros idoneos decentius ordinetur: patrum & prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, circa mores ministrorum, & suorum executionem officiorum, circa sacramenta præfata & alia quæ cleri decere credimus honestatem: quæ subscripta sunt, duximus statuenda.

Psal. 49.

Malach. 2.

1. Esdr. 3.

CAPITULA.

I. *De ornamentis suarum ecclesiarum.*

Quoniam igitur non in omni loco sacramenta prædicta tractantur, sed in loco, quem Dominus ad hoc elegit, in ecclesia videlicet materiali: ut ostendamus nos diligere decorem domus Domini, cum ipso Salvatore nostro, qui vendentes & ementes ejecit de templo, præcipimus, ut ecclesiæ materiales ab omnibus sparcitiis emundatæ, in coopertura decenti, & omni integritate servatæ, secundum facultates suas, decentibus fulgeant ornamentis: videlicet, ut in ornatu altaris, in qualibet ecclesia sint tres albæ, cum amictibus, & stolis, & manipulis, duo superpellicia, & duæ rochetæ, duæ casulæ, duo paria corporalium, quatuor linteamina benedicta, duæ pallæ altaris, duo calices argentei in majoribus ecclesiis; & tertius stanneus non benedictus, deportandus ad infirmos; duæ pixides, una argentea, vel eburnea, vel de opere lemovitico, in qua hostiæ conserventur; alia decens & honesta, in qua oblatæ reponantur; duæ phialæ, una vinaria, alia aquaria; unum par candelabrorum, unum thuribulum, unum chrismatorium decens & honestum; duæ cruces, una processionalis, alia ad officium mortuorum; unum vexillum, unum velum quadragesimale, unum sacrarium immobile, una laterna, & duo tintinnabula; feretrum competens ad sepulturam mortuorum, pro cujus usu nihil exigatur; unum vas ad aquam benedictam. In majoribus autem ecclesiis opulentis, secundum arbitrium archidiaconi, vel officialis nostri, nisi hæc forte rectores ecclesiarum adimpleverint, hæc omnia volumus ampliari. Libros autem, missale, breviarium, antiphonarium, graduale, troperium, manuale, psalterium, ordinale, in qualibet ecclesia propria volumus contineri. C

II. *De apparatu ecclesiarum dedicandarum: & qui stare debeant in cancellis.*

Provideantque rectores ecclesiarum, & prælati, & majores, quod paratæ sint ecclesiæ suæ ad dedicandum, non consecratæ, cum super hoc fuerint requisiti. Annus autem & dedicationis dies ecclesiarum, quæ consecratæ fuerint, & altarium, & a quo consecratæ fuerint, superscribantur altaribus evidenter. Nec laici stent in cancellis, dum celebrantur Divina: salva tamen reverentia patronorum, & sublimium personarum. D

III. *De consecratione cœmeterii.*

Cœmeteria quoque, quæ corpora continent salvandorum, quorum multa jam purgata stolam suæ glorificationis expectant, inhonestum credimus brutorum animalium sordibus deturpari: propter quod præcipimus, quod honeste claudantur sepe vel muro, canonice compellendis ad hoc faciendum iis, ad quos eorum clausio noscitur pertinere. E

IV. *Ne placita sæcularia, & ludi inhonesti in cœmeterio fiant.*

Rectoribus ecclesiarum etiam & sacerdotibus inhibemus, ne ipsi in dictis ecclesiarum atriis animalia pascant, vel etiam intrare permittant: quod si præsumpserint, graviter se noverint esse puniendos.

Ad servandam quoque tam cœmeterii, quam ecclesiæ reverentiam: prohibemus, ne in cœmeteriis, vel aliis locis sacratis, vel etiam aliqui diebus Dominicis, mercata teneantur, vel sanguinis causæ tractentur, nec ludi fiant inhonesti, maxime in sanctorum vigiliis, & festis ecclesiarum: quod potius in dedecus sanctis

ANNO CHRISTI 1240.

sanctis cedere novimus, quam honorem; præsumptoribus, & sacerdotibus qui hæc sustinuerint fieri, canonice coërcendis. Nec in cœmeteriis ædificia, nisi forsan hoc tempus hostilitatis exegerit, ulla fiant: & si facta fuerint, diruantur.

V. *De baptismo, & quibus verbis laici, si necessitas compellat, baptizent.*

Quoniam autem a baptismo salus nostra cepit initium, de quo prophetavit Zacharias, dicens: *Erit fons patens domui David in ablutionem peccatoris, & menstruatæ*: hoc est, peccati actualis, & peccati originalis, quod per menstruam designatur: quod siquidem, sicut & menstrua, contingit invitis. Ab illo sumentes exordium, præcipimus, quod in qualibet ecclesia baptismali, sit fons lapideus decentis amplitudinis, & profunditatis: decenter etiam coopertus, in quo parvuli baptizentur. Quia, secundum quod legitur in concilio domini O[a]. legati sedis apostolicæ, quidam diabolica fraude decepti, vana pericula formidantes, sabbato sancto ante Resurrectionem Domini, & sabbato ante Pentecosten, diebus videlicet ad baptizandum ab ecclesia solemniter deputatis, suos iis diebus non permittunt parvulos baptizari: præcipimus sacerdotibus, quibus cura parochialis incumbit, quod subditos suos ab hoc errore, crebra prædicatione studeant revocare: doceantque subditos suos formam verborum, qua baptizare debeant parvulos suos, si forte necessitas emerserit baptizandi, ut baptizent, scilicet his verbis, in lingua qua noverint baptizare: ut videlicet nomen exprimant baptizandi, quod dicat baptizans: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. De infantibus etiam expositis, & aliis, de quibus dubitatur, an baptizati fuerint, vel non: hæc sacerdotes observent, & alii, si forte necessitas emerserit, quod eos baptizent sub his verbis: Ego te non intendo rebaptizare, sed si baptizatus non es, ego baptizo te in nomine Patris, &c. & trina semper fiat[b] emersio baptizandi. Item panni chrismales in usus sæculares nullatenus convertantur. Moneanturque patrini, circa pueros instruendos in fide, sponsionis suæ servare promissum. Masculum, ad minus duo masculi & una mulier suscipiant; feminam, duæ mulieres, & masculus unus: nec de facili vel passim plures admittantur, propter pericula, quæ per hoc contingere consueverunt. Pueri autem in necessitate baptizati, si forte convaluerint, ad ecclesiam deferantur, ut quæ defuerant, suppleantur: ea scilicet quæ baptismalem immersionem consequi dinoscuntur.

Zachar. 13.

[a] Othonis, qui concil. Londin. habuit ann. 1237. Vide cap. 3.

[b] immersio

VI. *De confirmatione.*

Quia vero baptizato, quasi neophyto, hoc est novo Christi militi, multiplex conflictus insurgit adversus principem tenebrarum, de quo legitur in Iob: quod *non est potestas super terram, quæ ei valeat comparari*: necessarium est ei sacramentum confirmationis, quod ad robur fidelibus Ecclesia censuit tribuendum. Vnde præcipimus, quod sacerdotes parochiales, subditos suos studiose moneant & frequenter, quod parvulos suos faciant confirmari: sciantque patres & matres eorum, se post annum a nativitate pueri computandum, ab ingressu ecclesiæ suspendendos, si infra annum, dum tamen episcopi copiam habuerint, vel transitus episcopi per loca, in quibus habitant, fuerit manifestus, si non præsentaverint confirmandos. Provideantque matres parvulorum, quod confirmandi cum mittuntur ad episcopum, habeant ligamina novæ telæ; qui confirmati fuerint, post triduum portentur ad ecclesiam, in fonte baptismatis abluendi, & ligamina comburantur. Nec vir aut femina filium suum, aut filiam suam: nec vir feminam, nec femina marem coram episcopo teneat ad confirmandum; super quibus, propter crebras episcoporum occupationes, per sacerdotes suos subditi doceantur. Moneanturque fideles, ne parvulos suos faciant pluries confirmari: quia sicut nec baptismus, nec confirmatio debet aliquatenus iterari. Et si presbyteri, singulis diebus Dominicis, super his, quæ circa baptismum, & confirmationem præmisimus, parochianos suos non informaverint diligenter: noverint se graviter puniendos.

Iob 41.

VII. *Conservatio hostiarum ecclesiarum.*

Quia vero pugili non sufficit robur ad bellum, nisi & viaticum habeat, quo sustentetur: illud dulce viaticum & pignus nostræ redemptionis, & pretiosum corpus suum & sanguinem, ad nostram sustentationem, Christus reliquit in terris. Hoc est igitur sacramentum, omnem superexcellens venerationem, quod tantum debemus, pro nostræ parvitatis modulo, totis viribus venerari. Circa species, quæ exiguntur ad hoc sacramentum, quod piæ recordationis VV. prædecessor noster statuit in prima constitutione, approbantes, & verba canonis distincte proferenda, de hostiis consecratis non ultra septem dies conservandis; ne forte per vasis vitium, vel diuturnam conservationem, humiditatem contrahant, aut mucorem, propter quod abominabiles gustui, vel aspectui turpes appareant; firmiter præcipimus, quod ipse super hoc provide statuit observari: præcipientes nihilo minus, quod, secundum statuta concilii generalis, Eucharistia simul cum oleo, & chrismate, sub competenti clausura servetur: ne, quod absit, contingat in ipsis per sacrilegos nomen Domini blasphemari. Quod si neglectum fuerit, ad archidiaconi vel visitantis arbitrium, rectoris vel vicarii residentis negligentia puniatur.

VIII. *Pulsatio campanellæ, quando corpus Domini erigitur.*

Cum autem, in celebratione Missæ, corpus Domini per manus sacerdotum in altum erigitur, campanella pulsetur: ut per hoc devotio torpentium excitetur, ac aliorum caritas fortius inflammetur. Quod autem a religiosis illis, quoad elevationem, ut videri possit ab astantibus, observari præcipimus, qui non servaverunt, ut dicitur, hactenus hoc statutum.

IX. *Vt devote occurrant, cum Eucharistia deportatur.*

Cum autem ad infirmum Eucharistia deportatur, ita decenter se habeant portatores, superpelliciis saltem induti, cum campellana, lumine præcedente, nisi vel aëris intemperies obstet, vel loci remotio: ut per hoc devotio fidelium augeatur, qui Salvatorem suum tenentur in via, luto non obstante, flexis genibus adorare, ad quod sunt per sacerdotes suos attentius commonendi. Si autem loci remotio, vel aëris intemperies obstiterit, sacerdoti præcipimus, ut circa collum suum, in theca honesta, pixidem deferat, in qua reponitur Eucharistia, nec sine comite incedat, per quem facilius evitet pericula, si emergant; nec etiam eundo ad infirmum, vel redeundo, ad domum aliquam, vel negotium divertat, nisi supradicto redemptionis pignore, per ipsum prius in loco debito reposito reverenter. Quod si secus egerit, pro irreverentia puniatur.

X. *Vt aliquod lumen sit, ubi fuerit Eucharistia.*

In ecclesiis autem, saltem quarum amplæ sunt facultates, continue lampas ardeat, die videlicet & nocte, coram redemptionis nostræ pignore supradicto. Non solum autem verba canonis distincte proferri volumus: sed & psalmos, & hymnos, & cætera omnia,

quæ

ANNO CHRISTI 1240.

quæ hujusmodi sunt, & subsequentia, & præambula sacramenti. Sunt enim quidam, quod dolentes referimus, qui continua syncopa, secundum quod legitur in concilio generali, proferunt Matutinas: quos, quia maledictus est qui facit opus Dei negligenter, ad hoc volumus coërceri. Ne forte quod princeps oblatum sibi recusaret, pro hostia videlicet integra, & viva, mortuam vel mutilatam Principi principum offeramus. Et quia quidam in psallendo versus, anticipant voces, labia permiscentes: præcipimus, ut socius psallens socio psallenti intendat, & expectet, quousque idem versum finierit, quem incepit.

XI. *De libris & vestimentis.*

Omnes autem ecclesiæ, libros habeant emendatos: quia per eorum falsitatem multa leguntur & canuntur a pluribus indecenter. Rectores etiam ecclesiarum & sacerdotes, & alii ministri ecclesiæ, in Divinis officiis, tam in Vesperis, quam in Matutinis, aut aliis horis, superpelliciis utantur, aut palliis honestis, aut clausis saltem indumentis desuper.

XII. *De sacerdotibus ministrantibus in choro.*

Et quia, sicut accepimus, quidam capellani, ad annualia, vel ad officium beatæ Virginis assumpti, interdum Matutinis præpositis, aut seorsum a choro, vel ab ecclesia, per se dictis, Missas celebrant immature, per campos, vel per villas postmodum discurrentes: præcipimus, ut omnes capellani, qui in una parochia commorantur, simul intersint, & conveniant Matutinis & Vesperis, & aliis horis canonicis, in ecclesiis celebrandis, & Missis; & maxime de die, nisi causa rationabili fuerint impediti: nec aliquis celebret, quousque Prima fuerit canonice completa. Quod si secus agere præsumpserint, usque ad satisfactionem condignam se noverint esse suspendendos. Statuimus etiam, quod in feriis & festis trium lectionum, & in festis IX. lectionum post secundas vesperas, nisi in crastino festum IX. lectionum subsequatur, *Placebo, & Dirige*, dicantur pro fidelium animabus, cum IX. psalmis, & IIJ. lectionibus: nisi in Paschali tempore, in quo cum tribus psalmis & tribus lectionibus dici solent. Cordi nobis esset, quod omnes monachi haberent in Divinis obsequiis unum usum; & unum, licet alium, canonici regulares; & unum, licet alium, clerici sæculares: tanta enim diversitas, regulares etiam ejusdem professionis, in diversis peritos reddit, & imperitos.

XIII. *De matrimonio.*

Quia vero filiis Adæ post lapsum mundatis unda baptismatis, & per episcopum Spiritu sancto in confirmatione roboratis, & salutari viatico sustentatis, lethalis cōcupiscentiæ lex inhæsit, sine qua non fit carnalis commixtio: propter hæc humana generativa quidem tota corrupta, concessum fuit matrimonium in remedium, quod institutum fuit prius ad officium. Hoc autem sacramentum, quia figurat sacramentum quod est inter Christum & ecclesiam, est equidem & veneratione dignum, & a fidelibus omni scriptione celebrandum præhabita: præsertim, cum ex errore contrahentium, & eorum, qui ipsis assistunt, lites inextricabiles oriantur: propter quod, juxta statuta concilii statuimus, ut nullum matrimonium fiat, nisi præcedenti in ecclesia trina denunciatione solemni. Noverintque sacerdotes, qui hoc statutum violare præsumpserint, se per triennium ab officio suspendendos. Hæc autem intelligimus, non solum de matrimoniis solemniter celebratis: sed etiam de iis, quæ aliter fiant, dum tamen contractum fuerit matrimonium per verba de præsenti.

XIV. *De transgressoribus matrimonii.*

Injungimus etiam sacerdotibus, quod districte inhibeant parochianis suis, ne etiam sponsalia contrahant, vel contrahentibus assistant, fide data per verba de futuro, nisi jejuna saliva, testibus dignis, adhibitis in præsentia sacerdotis: quod si secus egerint, mittantur ad episcopos puniendi. Nec extranea persona, de qua per denunciationem constare non potest an legitima sit, ad contrahendum matrimonium aliquatenus admittatur: nisi super hoc, per licentias prælati, sub cujus jurisdictione prius steterant, fidem faciat archidiacono loci, vel episcopo, vel officialibus eorundem. Doceanturque conjugati bona conjugii, necnon & quomodo debeant suos, in timore Domini, parvulos educare. Provideantque capellani insuper, quod secundo nubentibus benedictionem solemnem de cætero non impendant, si pœnas canonicas voluerint evitare. Prohibeanturque, singulis diebus Dominicis, per presbyteros, tam matres, quam nutrices, juxta se pueros teneros collocare præsumant, ne forte contingat, per eorum incuriam, pueros suffocari: sed in cunabulis firmiter jaceant fulciendis.

Sponsis etiam prohibemus, sub pœna excommunicationis, ne, antequam matrimonium celebretur, carnaliter misceantur. Quod si fecerint, si de contractu matrimonii contra prædictam formam, coram quibuscunque judicibus fuerit judicialiter tractatum, partem agentem, licet obtinuerit, pœnis subscriptis volumus subjacere: videlicet, quod quater in anno veniant ad ecclesiam cathedralem, tam coram atrio ecclesiæ, quam in vicis præcipuis civitatis, disciplinam publicam recepturi. In aliis diebus feriandis, quotidie in parochia propria, similem subeant disciplinam.

XV. *Super eodem.*

Sacerdotes etiam prædicent parochianis suis, quod, contra doctrinam Apostoli, non observent dies, & menses, & tempora, & annos, nec in actibus aliis, nec in matrimoniis celebrandis: ne timeamus cum Apostolo, hæc timente de Galatis, quod in ipsis sine causa vel inaniter laboremus. Ne autem aliter matrimonia, vel sponsalia contrahantur: præcipimus per sacerdotes subditis suis, singulis diebus Dominicis, firmiter inhiberi, intimantes eis, quod qui aliter facere præsumpserint, ad episcopum mittentur graviter puniendi. Sortiarii autem & sortiariæ, cum detecti fuerint, maxime autem, qui Iudæos consuluerint super vita, vel actibus forte discutiendum: ad episcopum destinentur, pro suæ discretionis arbitrio, puniendi. Superstitiosas etiam fontium adorationes, & populorum collectiones apud Cerne, & apud fontem Rollæ, juxta Gloverniam, & in aliis locis similibus, quoniam ex hoc animabus fidelium multa novimus pericula provenisse, per sacerdotes vicinos præcipimus prohiberi: &, per subtractionem panis benedicti, & aquæ benedictæ, coërceant eos, quos in hoc de cætero noverint deliquisse.

XVI. *Ut omnes confiteantur, saltem semel in anno, antequam communicentur.*

Quoniam autem, omnis ætas hominis ab adolescentia proclivis est in malum, accidit etiam, ut post hæc omnia deorsum vergens, humana fragilitas decidat in peccatum: propter hoc invenit, & concessit nobis miseratio Divina remedium, pœnitentiæ videlicet sacramentum, qua post lapsū resurgimus,

ANNO CHRISTI 1240.

mus, qua vetustas post baptismum deleta reversa repellitur, & novitas perdita restauratur. Hoc autem sacramentum, quanto majoris est miserationis beneficium, tanto magis est ab omnibus carius amplectendum. Præcipimus igitur, juxta nostrorum statuta majorum, ut semel ad minus per annum studeat quisque fidelis omnia peccata sua districta & dilucida confessione detegere: ne, quod absit, in examinationis extremæ judicio, coram angelis & archangelis Divinis publicentur. Moneantur tamen fideles, per annum pluries confiteri: ut videlicet saltem in tribus præcipuis solemnitatibus, Nativitatis Domini, Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes.

XVII. *De confessionibus clericorum.*

Volumus autem, ut ad audiendas clericorũ confessiones, certi deputentur in singulis decanatibus confessores, quos in præsenti synodo, per ipsos electos volumus nominari. Injunctiones pœnitentiarum, quæ ex cupiditatis radice procedunt, execrantes, ne fiant districtius inhibemus: ne videlicet sacerdos Missas, tricennalia, vel annualia per ipsum facienda, vel oblationes ab ipso recipiendas, præter certa tempora statuta, subditis suis injungant, ne potius pecuniam, quã animarum salutem quærere videantur. Et qui super hoc convicti fuerint, vel confessi, pro superioris arbitrio, puniantur. Quod si peccatum iterent: vel ab episcopatu penitus expellantur, vel secundum ejusdem superioris arbitrium, gravius puniantur. Nec aliquis sacerdos, qui parochiam regat, tricennale recipiat faciendum. Quod si receperit, duplum quod ejus recepit, operi Vvigorniæ ecclesiæ solvere compellatur. Quod si forte voluerit aliquis alii confiteri, quam proprio sacerdoti, petita ab eodem modeste licentia, non negetur. Dum tamen sacerdoti per assertionem alicujus sacerdotis discreti constiterit, quod ei conscientiæ suæ vulnera patefecit, alioquin pro non confesso teneatur.

XVIII. *De quibus sacerdotes doceant subditos suos, quæ sunt criminalia peccata, & ut sciant orationem Dominicam, & Symbolum.*

Sciantque sacerdotes quæ exiguntur ad veræ confessionis pœnitentiæ sacramentum. Et quia observatio decalogi necessaria est fidelibus ad salutem: exhortamur in Domino sacerdotes, & pastores animarum, ut sciant decalogum, id est, decem mandata legis Moïsæ, quæ populo suo sibi subjecto frequenter prædicent, & exponant. Sciant quoque quæ sunt septem criminalia, quæ populo prędicent fugienda. Sciant etiam saltem simpliciter VII. ecclesiastica sacramenta, quæ sunt. Habeat etiam saltem quilibet eorum simplicem intellectum, secundum quod continetur in Psalmo, qui dicitur, Quicumque vult, & tam in majori, quam in minori Symbolo: ut in his plebem sibi commissam noverint informare. Ut autem sciant sacerdotes, quorum aliqui sunt simplices, pro quibus delictis, superioribus sunt pœnitentiæ reservandæ; sciant autem parochianos suos instruere quomodo debeant confiteri, necnon & eorum conscientias perscrutari......... tictiones, & diversitates, quia non sanat oculum, quod sanat calcaneum: quemdam tractatum de confessione fecimus, quem sciri ab omnibus capellanis præcipimus, & etiam observari in confessionibus audiendis, quia longum esset, ipsum in præsenti synodo publicare.

XIX. *De unctione extrema.*

Quia vero, sicut Dominus in evangelio testatur, *non sanis, sed male habentibus opus est medico*; caroque quibuscumque fulta remediis, semper tamen ut mortis debitum vergit in occasum: concessum est exeuntibus corporalis alienationis remedium, & remissio peccatorum; quæ sola datur, si forte non expediat ægroto corporaliter relevari: sacramentum, videlicet unctionis extremæ, quod effectum duplicem, Iacobo testantę, consequitur in ægrotis. Propter quod, hoc sacramentum, cum aliis dignis, decet ministros ecclesiæ, cum cæteris fidelibus venerari: & ad hoc exequendum, sacerdotes promptos ad ægrotos procedere, horis quibuscumque fuerint accersiti. Sacerdos enim, qui se pigrum exhibet in visitandis infirmis, ex quo quandoque forsitan accidit, quod ægrotus absque confessione, & Dominici corporis & sanguinis perceptione decedit, expers etiam unctionis extremæ, perniciosum se, & non solum inutilem exhibet subditis: & tantam ejus incuriam, per nos noverit condigna pro viribus, animadversione plectandam. Sunt autem quidam, ut audivimus, qui post perceptionem hujusmodi sacramenti, sanitati pristinæ restituti, nefas reputant, vel uxores suas cognoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ratione, nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem, utpote doctrinæ sanæ contrarium, execramur, & eos excommunicationibus & monitionibus duximus corrigendos: quia ferro abscindenda sunt vulnera, quæ fomenta non capiunt ecclesiastica coërcitione; si necesse fuerit, per sacerdotes eorum, ab erroribus revocari. Quidam etiam abhorrent hoc percipere sacramentum, quod hoc sibi vix in ipso mortis articulo, sustinent exhiberi: propter quod forsan accidit, quod ejus expertes plurimi ab hac luce subtrahuntur. Contra hunc igitur errorem, cum aliis, eos per sacerdotes suos, & prædicatores alios, crebris exhortationibus præcipimus præmuniri. Matt. 9.

XX. *Quod sacerdotes, & cæteri ministri altaris, ab omnibus spurcitiis sint alieni.*

Quoniam autem etiam sacramenta legis antiquæ, quæ tamen sacramenta proprie non dicuntur, non per quoslibet, sed per Levitas, & Levitici generis homines tractabantur: multo magis sacramenta novæ legis, quæ non solum sicut illa figurant, sed faciunt quod figurant, non decebat per quoscunque tractari. Propter quod, necessarium fuit sacramentum Ordinis, ut ordinati scilicet, prædictum ordinent sacramentum: qui quidem Dominico gregi præpositi, sicut & ordine præcellunt, conversatione sancta debent cæteris præeminere. Cupientes igitur ministros sacramentorum nostri temporis, ab omnibus spurcitiis esse alienos, ejus exemplo, de quo legitur in Malachia, *quod sedebit conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Levi*: circa mores eorum, & officia, prohibenda duximus, & statuenda, quæ districtis capitulis inferius subscribuntur. Malach. 3.

XXI. *De indumentis clericorum & tonsuris.*

Ne igitur clerici de superbia sint notabiles: præcipimus, ut, juxta statuta conciliorum, pannis sericis, aut viridibus, aut rubeis non utantur, nec frænis, nec sellis, aut calcaribus, aut phaleris aliis aureis, aut deauratis; nec crines, nec comam nutriant, sed decenter & circulariter tondeantur, coronam habentes decentis amplitudinis, secundum quod exegerit ordo, quo fuerint insigniti. Capas etiam deferant clausas sacerdotes, & personatum habentes, ubique, & non amplius utantur herigaldis: cæteri vero curam animarum habentes, maxime in ecclesia, & coram prælatis suis, & in conventibus clericorum, & ubique in parochiis suis, secundum quod in

ANNO CHRISTI 1240.

concilio Londonearum noscitur constitutum. Quod si secus actum fuerit, tam ipsi, quam archidiaconi, qui desides fuerint in hac parte correctores, se noverint peculiariter ad pios usus, per episcopum puniendos: beneficiatis scilicet in decima parte proventuum redituum suorum, fabricæ Vvigorniæ ecclesiæ tribuenda, irrefragabiliter per episcopum puniendis. Clerici vero non beneficiati, qui reprehensibiles fuerint in tonsura, nec ad superiores ordines, nec ad beneficium admittantur, quousque per tantum tempus gesserint tonsuram competentem, quod videantur præteriti temporis scandalum redemisse.

XXII. *De invidia clericorum.*

Quum autem omnia ossa ecclesiæ debeant clerici esse, in quibus robur ejus esse debet, qui dum confringuntur, juxta Psalmistam, exprobrant inimici, ossium autem putredo sit invidia, quam ab ipsis cupimus relegari, ut aliorum bonis non invidere, sed potius studeant gratulantes congaudere.

XXIII. *De humilitate clericorum.*

Matt. 11. Vt exhibeant & ostendant se veros scholares & discipulos Iesu Christi, dicentis: *Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde*: sit in eis ornata tranquillitas animorum, ut in se ipsis compositi sint, etiam aliis mansueti, nec etiam a subditis decimas, nec alia,
Iacob. 1. quæ debentur eisdem, per iram, quæ *justitiam Dei non operatur*, aut turbulentiam, exigentes, aut errores eorum justo districtius corrigentes. Nec tamen prohibemus, quin illos, quos Dei timor a malo errore non revocat, ecclesiasticæ coërceat severitas disciplinæ. Nec arma portent clerici, cum hoc clericalem non deceat honestatem, nisi forsan arma defensionis, cum hoc necessitas exegerit evidenter. Invasores autem proprii juris, aut alieni, manu armata durissime, superioris arbitrio decrevimus puniendos. Per judicem enim, sua, vel sibi debita, sive jus, sive possessionem, justum est quemlibet adipisci. Vnde, quæ super hæc statuta sunt, firmiter volumus observari.

XXIV. *Quod sacerdotes nullo modo sint pigri ad visitandos infirmos.*

Quoniam autem, post primorum lapsum parentum, posteritas eorum, pro magna parte, decidit in furorem: cujus equidem furoris hæc sunt signa, quod os aliena loquitur, & quasi nihil de p....... ... quod pretiosa sua, propriam videlicet animam, vili venundat pretio, studioseque quærit, unde se perimat, densum contra se lutum turpiter congregando, vincivit & constrinxit vincula mandatorum cum Dei sapientia. Vt autem, juxta consilium sapientis, non acedientur in eis, quos quasi vigiles, oportet alios....... ... gladio præmunire: præcipimus, ut discurrentes, suscitent amicos suos, festinantes; hoc est, horis debitis, sibi subditos, pro quibus apud districtum judicem spoponderunt, solem in Divinis obsequiis ad benedictionem prævenientes. In visitandis infirmis impigri igitur sint, diebus & horis, quibuscumque fuerint evocati. Quod si torpendo, vel dormiendo neglexerint: gravi se per vigiles noverint ultione plectendos, ut acediæ vitium in eis penitus relegetur.

XXV. *Archidiaconi & decani nihil exigant a rectoribus in visitationibus*

Quoniam autem horrendum est ipsos idolatros esse, quos in fide decet & oportet alios informare: illud execrabile vitium, avaritiam videlicet quæ idolorum servitus nuncupatur, omnes in se clerici studeant extirpare, & exemplo majorum, minores studeant de-

A clinare. Quia igitur non filii patribus, sed patres filiis thesaurizant: præcipimus archidiaconis, quod a subditis suis nihil pecuniæ extorquere præsumant, per injuriam; & in visitationibus faciendis, statuta conciliorum Lateranensis, Oxoniæ, Londonearum, vigilanter observent, in suis videlicet officiis exercendis: & statutum evectionum numerum non excedant: nihil etiam exigant, vel recipiant pro chrismate, vel oleo tribuendo. Litigantibus coram ipsis liceat a lite per concordiam impune recedere, dum tamen lis sit talis, in qua compositio, vel transactio sit permissa: nec subditos suos excommunicent, nisi trina, & canonica monitione præmissa. Decani etiam pro missionibus clericorum, in possessionem ecclesiarum, in quibus fuerint per episcopum instituti, nihil omnino
B recipere, vel extorquere præsumant. Nec archidiaconi, nec eorum ministri, officiales videlicet, aut decani, vel etiam sacerdotes, in parochiis suis, pecuniam recipiant pro criminibus celandis, & omnino supprimendis, vel remissius puniendis. Quod si decani, vel sacerdotes fecerint: ab officiis amoti, gravius puniantur. Archidiaconi & rectores ecclesiarum, & vicarii perpetui, relinquantur episcopo puniendi. Apparitores etiam decanorum, si crimina celaverint, per officialem episcopi graviter puniantur. Volumus & quod apparitores, per officialem nostrum, & archidiaconum eligantur: quoniam apparitorem
C fidelem esse oportet, cujus testimonio creditur, sicut duobus testibus, in citationibus factis, judici nunciandis.

XXVI. *Ne quis sacerdos bis in die celebret, nisi necessitas hoc exigit.*

Præcipimus etiam sacerdotibus, sicut prædictum est, ne Missas a se faciendas, vel oblationes recipiendas injungant, nec in eadem Missa, plura cantent officia: quod sapit & sonat avaritiæ vitium manifeste. Nec etiam plures Missas unus sacerdos celebret eadem die, nisi vel die Natalis Domini, & die Paschæ, cum hoc, propter tenuitatem ecclesiæ, paucitas exegerit sacerdotum; vel cum corpus præsens
D fuerit tumulandum, vel ingens necessitas id postulat evidenter. Hoc autem intelligimus faciendum in ecclesiis, quarum non abundaverint facultates. In aliis enim, quæ opulentæ fuerint, & parochias habentes diffusas, plures præcipimus constitui sacerdotes & clericos, utpote diaconos & subdiaconos, secundum ecclesiæ facultates: &, super hoc per archidiaconos & officiales nostros, nisi hoc forte rectores ecclesiarum celerius exequantur, volumus & præcipimus ecclesiis provideri. Accidit enim ex hoc, quod merito reprobamus, quod diaconi scilicet quandoque confessiones audiunt, & alia tractant sacramenta, quæ solis sacerdotibus sunt commissa: quod ne de cætero
E fiat, districtius inhibemus. Sacerdotes etiam, & clerici ministrantes in ecclesia, non exiliter, ut hactenus, sed sufficienter per illos quorum interest, de bonis ecclesiæ sustententur, moderāda per episcopum, vel ejus officialem sustentatione, si necesse fuerit, habita ratione facultatum ecclesiarum & idoneitatis ministrantiū in eisdem. In ecclesiis autem, quæ vicinæ sunt scholis civitatis, vel castrorum, aquæ benedictæ deferendæ scholaribus tribuantur. Quoniam autem, juxta querelam prophetæ: *Dispersi sunt lapides sanctuarii, in capite omnium platearum*, clerici videlicet, per turpes Thren. 4.
quæstus & mercimonia, in capite omnium vitiorum: negotiationes omnimodas clericis inhibemus, quia secundū Apostolum, *nemo Deo militans, negotiis secularibus se debet implicare*. Quoniam autem turpius hoc 2 Tim. 4.
vitium committitur a religiosis, & non sine scandalo pluri-

ANNO CHRISTI 1240.

plurimorum: hoc ipsis districtius decrevimus inhibendum.

XXVII. *De emptione bladi crescentis in terra.*

Hinc autem consequens est, quod crimen fugiant usurarum: quod, ut audivimus, & dolentes referimus, sacerdotes etiam circa mutuum, & emptiones bladi crescentis in terra, ad totius cleri dedecus, suarumque præjudicium animarum, committere non verentur, vendentes tempus, quod Dominus voluit cunctis esse commune, vilius ementes, & carius vendentes, pro dilatione temporis non venalis. Quæ ne de cætero fiant, totis viribus prohibemus.

XXVIII. *Quod sacerdotes pro sepultura nihil accipiant.*

Sacerdotibus etiam districtius duximus inhibendum, ne pro benedictionibus nubentium, vel sepultura mortuorum, vel aliquibus omnino sacramentis, aliquid exigant a subditis, vel extorquere præsumant. Pias tamen fidelium consuetudines, quas sponte servare voluerint, nolumus impedire.

XXIX. *Quod pauperes non compellantur ad offerendum, cum communicant.*

Audivimus autem quidem, quod merito credimus reprobandum, quod quidam sacerdotes parochianos suos, cum communicant, offerre compellunt: propter quod simul communicant, & offerunt: per quod venalis videtur corporis & sanguinis Christi hostia preciosa. Quod quam execrabile sit, nullus ambigit sanæ mentis. Hoc igitur avaritiæ horrendum vitium interdicimus & execramur.

XXX. *Clerici nullam reddant laïcis computationem.*

Quum autem non deceat clericos laïcis, de propriis actibus reddere rationem: firmiter inhibemus, ne clerici bailivas accipiant, per quas ad reddenda ratiocinia laïcis obligentur, nec causam sanguinis tractent, nec tractandis intersint: nec de executione servorum, litteras scribere, vel dictare præsumant.

XXXI. *Quod ecclesiæ non tradantur ad firmam, sine licentia episcopi.*

Prohibemus etiam, ne ecclesiæ dentur ad firmam, sine nostra licentia speciali, nec ultra terminum in Londoniensi concilio constitutum, causis propter quas hoc fieri debeat, per nos approbandis, vel reprobandis, secundum quod viderimus expedire. Quoniam autem avarum est, in usus profanos convertere, quæ Divinis sunt obsequiis deputata: prohibemus, ne redditus vel fructus possessionum, ad ecclesiæ luminaria dati, in usus alios convertantur. Quoniam, ut audivimus, non solum clericos sæculares, sed religiosos & regulares, avaritiæ pestis invasit, ut tanquam negotiatores præcipui, negotiis se sæcularibus immisceant impudenter; utpote mercimoniis, & firmis maneriorum, vel aliarum possessionum ab abbate suo, vel priore, vel etiam ab aliis receptis: nos, tanquam horrendum in eis hoc vitium execrantes, & zelo religionis, & studio justitiæ persequentes, districtius inhibemus, ne talia de cætero, per religiosos aliquos, aliquatenus attententur.

XXXII. *Quod religiosi, & clerici sectentur hospitalitatem, pro viribus suis.*

Præcipimus etiam, ut omnes clerici, & maxime religiosi, sectentur hospitalitatem, per quam quidam placuerunt angelis hospitio receptis: & sint hospitales, pro suarum viribus facultatum; & hoc sine murmure, juxta doctrinam beati Petri; quia, teste scriptura, dulce verbum melius est quam datum. Illos autem hospitio potissime recipiant, quibus sive receptis, sive repulsis, nihil se speret, vel timeat, illum recipiens, vel repellens, ab homine, retributionis vel molestiæ recepturum.

XXXIII. *De gula, & quod nullus clericus intersit convocationibus, quæ vocantur scotalles.*

Quia vero per gulam, mors nostra sumpsit exordium, & tota est Adæ posteritas necessitati mortis addicta: maxime clericos decet a crapula & ebrietate totis viribus abstinere. Vnde prohibemus, ne compotationibus, quæ vocantur scotalles, vel aliis inhonestis, præsumant aliquatenus interesse, nec tabernas exerceant. Vt autem a talibus subditos arceant, & diligentiam adhibentes, prædictas scotalles & alias compotantium congregationes, ex parte Dei & nostra, firmiter inhibentes, sic se habeant, & subditos suos se habere doceant: ut qui fuerant per immoderantiam sauciati, medicinali parsimoniæ studio reformentur. Quod si transgressi fuerint, ab officio suspendantur.

XXXIV. *De clericis beneficiatis, qui uxorati sunt, & de inconvenientibus.*

Quia autem circa luxuriam, & continentiam clericorum, quos a se tantæ spurcitiæ vitium cupimus relegare, nihil novum duximus statuendum: sed volentes, pro viribus, super hoc conciliorum statuta servare: præcipimus archidiaconis & officialibus nostris, quod diligenter inquirant, an aliqui eorum fuerint uxorati, vel concubinas publice tenuerint in domibus suis, vel alibi, per mensem, post Londoniense concilium promulgatum: ut pœnam, in eodem concilio statutam, transgressoribus infligamus. Sciantque rectores ecclesiarum, & vicarii, se graviter puniendos, si scienter luxum ecclesiis suis faciant deservire. Vt autem clerici fornicatores tam in concubinariis, quam in se ipsis graviter puniantur: præcipimus, ut publicis clericorum concubinis, nec panis benedictus, nec aqua benedicta, nec pacis osculum concedatur. Sciantque sacerdotes, qui secus egerint, se graviter puniendos, vel ab officio suspendendos.

XXXV. *De his, qui reliquerint ecclesias, & solum illarum, ædificiis destitutum.*

Quia vero, turpiter per aliquos distrahitur patrimonium Iesu Christi, qui ecclesias suas & solum illarum ædificiis destituta relinquunt, & in feodo laïco domos ædificant, in quibus, collatis* ibi forte concubinis eorum, valeant liberius lascivire: prohibemus, ne in solo laïcali, domus aliquæ de bonis ecclesiæ constituantur, nec in talibus ædificiis, aut aliis laïcis, fructus ecclesiæ colligantur, nisi forte hoc exegerit necessitas manifesta: sed in solo ecclesiæ, juxta facultates ecclesiæ ipsius, rector illius ædificet competenter. Ad quod faciendum, si necesse fuerit, compellantur, nec alicujus ecclesiæ terra libere laïcis ad firmam aliquatenus concedatur: nec etiam fructus ecclesiæ aliquo modo vendantur, antequam colligantur. Quod si forte vivens non fuerit executus de bonis ejusdem defuncti: per commissarios ejus, vel archidiaconum, effectui mancipetur, dummodo longo tempore tenuerit beneficium ædificiis destitutum. Quod si forte diu talem non tenuerit ecclesiam, aliquid tamen de bonis ejus: ad hoc ratione prævia deputetur, habita ratione temporis, quo præfuit ecclesiæ memoratæ. Quia vero multa sunt, quæ clericali honestati conveniunt, quæ longum esset diffuse tractare: quæ subscripta sunt, prohibenda duximus, & per archidiaconos diligenter inquiri,

*f. collocatis

inquiri, qualiter se in his habeant subditi sui: pro quorum salute, statuenda duximus & prohibenda subsequentia, cum præmissis.

XXXVI. *Quod nullus clericus frequentet ecclesias monialium.*

Prohibemus igitur, ne aliqui clericorum, sine causa rationabili, ecclesias monialium frequentare præsumant: nec etiam aliquis clericus, vel laïcus, in domo sua concubinas teneat clericorum: & ubi sunt concubinarum receptacula, per archidiaconos volumus inquiri, ut receptatores gravius puniantur. Nec dictis concubinis, in testamentis clericorum, juxta concilium Oxoniense, aliquid relinquatur: quod si præsumptum fuerit, irritum habeatur. Nec etiam aliquis clericus, vel laïcus in domo sua teneat mulierem, vel consanguineam suam, vel aliam, de qua merito valeat sinistra suspicio suboriri.

XXXVII. *De beneficiatis, qui illitterati sunt.*

Quia vero non decet illitteratos, & inscios, officium sibi pastoris, contra salutem propriam, usurpare: denunciari nobis volumus per archidiaconos & officiales nostros, qui sunt rectores ecclesiarum, vel vicarii, qui magnam habent insufficientiam litterarum: & an aliquis rector ecclesiæ, vel vicarius non sit in ordine, quem commissa sibi cura requirit, cum firmiter eos prius præceperimus ordinari. Et quia præcepimus, quod rectores ecclesiarum ad ordinem, quem commissa sibi cura requirit, se facerent promoveri; & nonnulli, cum suarum, & subditorum suorum animarum periculo, fructus sine nostra licentia diu perceperunt, extra sacros: licet ad restitutionem omnium fructuū, sine nostra conscientia taliter perceptorum, tanquam invasores, ex debito teneantur: mitius tamen cum ipsis agere cupientes, qui jam per susceptionem ordinum, pro parte vitium hujusmodi redemerunt, partem fructuū suorum, per nostrum arbitrium, piis decrevimus usibus erogandam. Illis autem, qui contra constitutiones nostras, & sanctiones canonicas, ad sacros ordines hactenus ascendere contempserunt, administrationem fructuum existentium interdicimus, & perceptionem futurorum, quousque gratiam nostram invenerint, & saltem, ad sacros ordines se fecerint promoveri: si decreto nostro restiterint, teneri etiam volumus de præceptis. Et quæratur, an in omnibus ecclesiis, canon Missæ sit rite correctus.

XXXVIII. *Ne clerici intersint ludis inhonestis.*

Prohibemus etiam clericis, ne intersint ludis inhonestis, vel choreis, vel ludant ad aleas, vel taxillos; nec sustineant ludos fieri de rege & regina, nec arietes levari, nec palæstras publicas fieri, nec gildales inhonestas; & præcipue, mercatorum peregrinorum, quas omnino fieri prohibemus: per quæ, multa novimus pericula provenisse. Vicarii autem in ecclesiis suis omnino resideant, omni occasione cessante. Rectores etiam ecclesiarum, sine licentia episcopi, nullatenus se absentent: qui, si absentes fuerint, ad residendum compellantur, autoritate domini Papæ, & nostra. Si se absentaverint rectores sine licentia nostra, quartam partem fructuum eisdem decrevimus subtrahendum, & pauperibus parochianis, ac aliis piis usibus, per illos, quos deputaverimus ad hoc, erogandum. Et, ut tam rectores, quam vicarii residentes, testimonium habeant honestatis: volumus, quod rectores, capellanos parochiales de cætero secum teneant in hospitio, & in mensa, & ut ipsis peccandi per hoc, & malevolis subtrahatur occasio detrahendi.

Statuimus etiam, quod de cætero, per archidiaconos, vel decanos, propter delictum rectorum, vel vi-

A cariorum ecclesiæ, a Divinis officiis nullatenus suspendantur: dum tamen, per bona sua, vel personas coërceri poterunt competenter.

XXXIX. *Sacerdotes magnatum non audiant confessiones eorum vel familiæ suæ sine licentia episcopi.*

Prohibemus etiam, ne aliquis sacerdos, in capellis magnatum, quantumcumque sit, libere Divina celebrare præsumant, nisi nobis præsentatus, & admissus, nec ipse confessiones dictorum magnatum audiat, aut familiæ eorundem, sine nostra licentia speciali. Et, si qui fortassis exemptos se dicant a jurisdictione nostra, privilegium exemptionis suæ, quo serventur, nobis exhibeant incunctanter.

XL. *De iis qui falsum testimonium perhibent in causis matrimonialibus, vel in exheredatione alicujus.*

Statuimus etiam, ut qui, pecunia corrupti, falsum B deposuerint testimonium, & subornatores & compositores, præsertim in causis matrimonialibus, vel cum in exheredationem alicujus agitur, a perhibendo testimonio, tanquam infames, necnon & a cæteris actibus legitimis ecclesiasticis, repellantur.

XLI. *Vicariæ religiosorum sufficientes sint vicariis.*

Præcipimus etiam, quod viri religiosi vicarios præsentent ad ecclesias suas, quas habent in proprios usus, in quibus nondum sunt vicarii constituti: proventus vero vicariarum, qui minus sufficientes debent merito reputari, per ipsos quorum interest, infra duos menses irrefragabiliter augeantur. Quod si C forte neglexerint, defectum eorum per officialem nostrum, & archidiaconum loci, volumus in hac parte impleri, & religiosos, ad consensum, per eorundem beneficiorum subtractionem, decrevimus compellendos.

XLII. *Quod clerici beneficiati, non sint advocati, nisi in causis propriis, vel dominorum suorum.*

Præcipimus etiam clericis beneficiatis & sacerdotibus, ne sint advocati in causis, nisi forte pro se, vel pro ecclesiis suis, vel pro dominis suis, vel pro miserabilibus personis. Nec etiam ad postulandum aliquis admittatur, qui de domicilio, vel origine nostræ jurisD dictionis fuerit, nisi nostras litteras testimoniales exhibuerit, quod secundum constitutionem domini legati, præstiterit juramentum, quod in causis, quarum patronatus extiterit, patrocinium fidele præstabit, non ad differendum, vel auferendum alterius partis justitiam, sed ad causam clientuli sui, legibus utendo & rationibus, defendendam.

XLIII. *Nulla det clerico, vel laico, de garbis decimarum.*

Statuimus, ut nullæ garbæ de blado decimando, alicui pro servitio, vel aliquo modo alio dentur, anE tequam decimentur: vel si datæ fuerint, sub interminatione anathematis, præcipimus computari. Et de negotiatione vel artificio ecclesiæ illius parochiæ, in qua domicilium habet, decimas det, licet in alia parochia negotietur, vel artificio utatur: nisi mansionem diutinam in parochia fecerit aliena, tunc enim lucrum suum pro rato temporis decimabit.

XLIV. *De decimis agnorum, lanæ, & caseorum.*

Cum decimarum confusio provenientium de lana, agnis, & caseis, ecclesiarum rectoribus amodo contentionis occasionem generet: statuimus, quod in quacunque parochia per totum annum fuerit ovile ovium,

ANNO CHRISTI 1240.

ovium, licet oves parochiæ vicinæ limites transeant, A ad pascua quærenda, illi ecclesiæ, in cujus parochia cubaverint, decimæ tribuantur. Quod si continue cubant in una parochia, & continue pascant in alia: inter ecclesias decima dividatur. Idem & quod de ovibus, de vaccis duximus statuendum.

XLV. *Quod decimatio lanæ agnorum & vellerum fiat præsente rectore, vel ejus ministro.*

Ut autem in nostra diœcesi uniformis sit præstatio decimarum, agnorum, & vellerum, & ut laïcis subtrahatur occasio malignandi: statuimus, ut præsente rectore, vel ejus ministro, fiat decimatio prædictorum. Quod si laici ad hoc induci non possunt: ad hoc faciendum, per censuram ecclesiasticam compellantur.

XLVI. *De decimis fœni.*

Statuimus etiam, ut decimæ fœni integre reddantur, vel decima pars prati in loco competenti, & sine præjudicio ecclesiæ assignetur, nisi prius fuerit assignata, sive semel, sive bis prata falcentur. Quia, si forte dixerint aliqui se pratum, quod ecclesia tenet, dedisse pro decima, si hoc probare voluerint, audiantur. Quo probato, quod sufficerit, pro decima teneatur, nec amplius exigatur: si vero non sufficerit, per ipsum, qui tenetur, quod defuerit, suppleatur. Quod si forte non probaverit, pratum datum fuisse pro decima: quia pro dote datum fuisse præsumitur, decima per eos, qui decimare tenentur, integre persolvatur.

XLVII. *De detentoribus decimarum.*

Concedimus etiam rectoribus ecclesiarum, quod monitione præmissa, tribus diebus dominicis, per censuram ecclesiasticam, coërceant detentores decimarum prædictarum.

XLVIII. *Quod religiosi ostendant titulum quo possident decimas, infra terminum statutum.*

Præcipimus, quod viri religiosi, necnon & alii, qui contra jus commune decimas possident separatas, infra festum S. Michaelis, titulum nobis suæ possessionis ostendant, infra terminum a nobis jam quibusdam statutis, vel ab officio nostro statuendum, titulum suæ possessionis ostendant.

XLIX. *De executione testamenti.*

Quia vero testamentorum executio, per executores, seu commissarios, rarius quam deceret, debitum sortitur effectum, tum per fraudem executorum, tum per negligentiam eorundem: volentes super hoc de cætero providere, statuimus & præcipimus, ut testamenta, quorum executionem in se commissarii susceperint, celeriter exequantur. Et ut liberius & promptius fiat, volumus, ut per visum episcopi, vel ejus, quem ad hoc duxerit deputandum, dum in executione laborant, moderatas sumant sibi expensas de bonis defuncti, cujus multæ fuerint facultates; pauperibus vero gratis executionis officium gratanter impendant. Quod si fraudulenti reperti fuerint, aut negligentes: per episcopum, vel ejus officialem, de consilio proximorum defuncti, vel omnibus, vel illis, qui super hoc fuerint reprehensibiles, alius autem vel illi subrogentur.

Inhibemus etiam executoribus antedictis, ne de bonis defuncti recipiant aliquid, titulo emptionis, vel donationis, per se, vel per alios: nisi fortassis aliquid eis fuerit legatum a dicto defuncto, dum adhuc viveret, aut donatum.

L. *De testamento pauperis.*

Ubi autem testator tanta paupertate laborat, quod non possit ecclesia legatum percipere consuetum, quin uxor ejus, & liberi, si qui fuerint, relinquantur inopes, aut mendici: volumus & præcipimus, quod tantum, & non amplius, habeat ecclesia pro legato, quod deducto eo, quod domino debetur, & funeris expensis, & aliis debitis persolutis, duæ partes bonorum, quæ supererunt, antedictis uxori & liberis relinquantur. Si autem, sine liberis decesserit, uxori dictorum bonorum medietas relinquatur. Idem etiam statuimus, cum in paupertate consimili uxor præmoritur viro suo, circa virum & liberos observandum.

B LI. *Quod rector ecclesiæ si testatus decesserit, post annunciationem B. Mariæ percipiat decimas & alios fructus; si autem intestatus, omnia bona sua sint in dispositione episcopi.*

Quod autem piæ recordationis prædecessor noster, stat ut circa fructus a clericis in terra seminatos, ab ipsis percipiendos, quacunque hora anni decesserint, & circa decimas autumni sequentis percipiendas ab eis, si testati, post Annunciationem beatæ Virginis, debitum carnis persolvissent, ratum habentes: de his, qui sive ante, sive post dictum terminum, decesserint intestati, sic duximus ordinandum: ut de decimis, & omnibus bonis eorum, quæ tempore mortis C inventa fuerint, disponat episcopus, secundum quod viderit expedire, convertens ea in solutione debitorum defuncti, si quæ fuerint, & alios pios usus, secundum quod pie decreverit faciendum. Successor tamen defuncti, si ante tempus messium fuerit institutus, tam fructus terræ, quam decimarum, integre percipiat: nisi fortassis episcopus, si defunctus fuerit ære alieno gravatus, ad ejus exonerationem, vel ad alios pios usus, pro defuncto moderatum aliquid duxerit retinẽdum. Fœnum autem prati de dominio ecclesiæ successori defuncti statuimus tribuendum: decimæ vero fœni jure aliorum fructuum censeantur.

Item, si rector ecclesiæ, perceptis, vel percipiendis ab eo fructibus autumni, decesserit, qui pensionem D aliquam religiosis, vel aliis personis solvere teneatur: de bonis ejus dicta pensio persolvatur. Et si forte proventus ecclesiæ, quos ipse percipit, non sufficiant ad servitium ecclesiæ, & onera episcopalia, & archidiaconalia sustinenda: usque ad Annunciationem beatæ Virginis, per commissarios de bonis defuncti, quod defuerit, suppleatur.

LII. *De terris defunctorum incultis.*

Terræ autem ecclesiarum vacantium, incultæ non jaceant, sed per decanum loci excolantur, ab eo, qui fructus receperit, sumptibus refundendis: vel pro parte fructuum, tradantur aliis excolendæ. Decani, qui circa hoc negligentes fuerint, puniendi. Si autem E laicus, liber homo intestatus decesserit, dominus ejus, & ecclesia, cujus parochianus extiterat, habeant quod ex testamento, si fieret, eis fuerat tribuendum. Quod autem de bonis superfuerit, in solutionem debitorum defuncti, si quæ fuerint, & stipendia servientium, & alios pios usus, per visum domini defuncti, & ipsum, quem episcopus ad hoc deputaverit, erogetur.

LIII. *De sacerdotibus alienæ ordinationis.*

Præcipimus etiam, quod omnes sacerdotes ordinationis alienæ, & qui locum mutaverint, qui in diœcesi nostra, ad parochias custodiendas, vel ad celebranda divina fuerint admittendi, citra initium Septembris, singulis annis, archidiacono, vel officiali nostro, per ipsos, quorum interest, præsententur: ut per ipsos

præ-

ANNO CHRISTI 1240.

præsentati, eorum meritis approbentur, vel si justum fuerit, reprobentur. A

LIV. *De festis celebrandis.*

Quod autem prædecessor noster statuit de festis celebrandis, ne fiant in eis opera servilia, præcipimus ab omnibus uniformiter observari: nisi forte specialiter aliquid fiat pro veneratione sanctorum, in quorum honore, ecclesiæ, vel altaria consecrantur. Dictis autem solemnitatibus, beatorum Nicolai, & Edmundi archiepiscopi, duximus adjungenda. Festa autem sanctorum Dominici, & Francisci, in ecclesiis, cum novem Lectionibus volumus super hoc celebrari. Nolumus tamen per hoc opera laicorum fidelium impediri.

LV. *De vigiliis circa corpora defunctorum.*

Quod etiam idem statuit in choreis, & cantilenis, sæcularibus ludis, & aliis turpibus & fatuis declinandis, in vigiliis, quæ fiunt circa corpora mortuorum, B præcipimus inviolabiliter observari: nec ad dictas vigilias aliqui veniant, nisi causa devotionis, & qui ab hujusmodi . . . . . . voluerint abstinere.

LVI. *Quod mulieres Christianæ nullomodo nutriant pueros Iudæorum.*

Prohibemus etiam, sub interminatione anathematis, ne mulieres Christianæ pueros nutriant Iudæorum, nec habeant Iudæi famulos Christianos, in eorum hospitiis pernoctantes.

LVII. *Quod Christiani non recipiant res Iudæorum, in ecclesiis custodiendas.*

Prohibemus etiam, ne Christiani recipiant pecuniam Iudæorum, quasi res proprias, ut magis salvo custodiantur, in ecclesiis deponendas. C

LVIII. *Quod Christianus non committat Iudæo pecuniam, causa mutuandi ad usuram.*

Quia vero parum refert, an quis per se, vel per alium in crimen incidat usurarum: prohibemus, ne quis Christianus Iudæo pecuniam committat, ut eam Iudæus simulate, suo nomine proprio, mutuet ad usuram. In aliis autem, statuta conciliorum circa Iudæos volumus & præcipimus firmiter observari.

LIX. *De cereo Paschali.*

Quæ autem circa religiosos statuenda decrevimus, D proponimus in eorum capitulis publicare. Item, post festum S. Trinitatis, fiant minores cerei de cereo Paschali, qui cedant in usus altarium & pauperum.

Has igitur nostras constitutiones, in singulis & omnibus ecclesiis nostræ diœcesis, scribi volumus & servari: volumusque rectores ecclesiarum & sacerdotes, ad ipsas intelligendas, & effectui mancipandas, pro viribus insudare. Quod si forte neglexerint, sciant se graviter puniendos, cum super hoc, in synodo vel extra, fuerint requisiti, cum tantum temporis lapsum fuerit, E quo commode quod prædictum est, potuerint implevisse.

ANNO CHRISTI 1241.

VITA
CÆLESTINI PAPÆ IV.

Cælestinus quartus, Mediolanensis, e familia nobili Castilionum, ex cardinale Sabino, propter vitæ integritatem & raram eruditionem, Matthæo Paris. & abbate Stadensi, duobus hujus temporis scriptoribus attestantibus, ad pontificatum pervenit anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo primo, imperante Friderico secundo. Senectute & ægritudine confectus, cum octodecim diebus tantum officio pontificali præfuisset, ex hac vita migravit. Cardinalibus vero aliquot per Fridericum in captivitate detentis, sedes viginti fere mensibus vacavit. Nam in captivorum cardinalium absentia ad novi pontificis electionem procedere, nec tutum, nec conveniens videbatur. Parisiensis Cælestinum in schismate electum fuisse scribit, utpote qui juxta decretum Lateranensis concilii duas tertias suffragiorum & votorum non habuisset. Abbas Stadensis ait, duobus schismaticis sese abdicantibus, Cælestinum Gregorio legitime subrogatum, quatuordecim diebus tantum sedisse.

SEDES VACANS.

ANNO CHRISTI 1242.

[a] Laval in diœcesi Cœnomã.

[a] ** CONCILIUM
APUD VALLEM [a] GUIDONIS,

A Iuhello Turonensi archiepiscopo, & suffraganeis celebratum anno Dom. MCCXLII.

Ex duobus MSS. codicibus inter se collatis, altero Ægidii Menagii V. Cl. altero Collegii Paris. S. I.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De statu regularium.*
2. *Contra abbates per pensiones gravantes prioratus.*
3. *Mutationes priorum frequenter fieri non debent.*
4. *De quibus casibus non possunt cognoscere archidiaconi, archipresbyteri & decani.*
5. *De clericis subeuntibus judicium sæculare.*
6. *Qualiter fiant Divina officia tempore interdicti.*
7. *Ne religiosi habeant pecuniam pro vestibus.*
8. *De aggravatione censuræ.*
9. *De purgatione indicenda.*

CAPITULA.

I. *De statu regularium.*

Ad decus & honorem sanctæ matris ecclesiæ, salvis priorum conciliorum statutis, de fratrum nostrorum & episcoporum consilio, in concilio apud Vallem Guidonis habito provida deliberatione statuentes decernimus, ut viri religiosi in religioso & honesto habitu Domino famulantes, suorum ordinum statuta, secundum cujuslibet ordinis disciplinam, diligenter custodiant, ac ipsorum observationes regulares.

II. *Contra abbates per pensiones grauantes prioratus.*

Et quia ex quorundam fratrum nostrorum relatione veridica comperimus, quorundam prioratuum in suis diœcesibus dirupta

ANNO CHRISTI 1242.

rupta loca, nec ad refectionem eorum proprias suppetere facultates, propter pensiones prioratibus impositas ab antiquo vel de novo, quas singulis annis abbatibus suis solvere compelluntur: statuimus ut abbates vigilanti cura provideant, qualiter ruinis prioratuum domus deformatæ, priori onere deposito, vel prout melius vel expedientius cum diœcesani consilio fieri poterit, in melius reformentur. Quod si sufficienter moniti ab episcopo, negligentes exstiterint, animadversione puniantur.

III. *Mutationes Priorum frequenter fieri non debent.*

Quia vero ex frequenti mutatione Priorum non minima sequuntur incommoda: abbates ad ipsorum mutationem, vel translationem de facili non procedant, nisi necessitas vel utilitas hoc inducat. Odio vero vel cupiditate nullatenus inclinentur: singula officia, prout juris est, singulis committentes.

IV. *De quibus casibus non possunt cognoscere archidiaconi, archipresbyteri, & decani.*

Sane quia nonnulli quos ecclesiasticus ordo ad relevamen & subsidium episcoporum elegit, & sanctorum patrum canones decreverunt, ut quod per seipsos non possent, facilius cognoscentes per alios, explicarent, falcem suam in messem alienam mittentes, ad illicita manus suas & prohibita mittere non verentur: statuimus ut archidiaconi & alii, de causis matrimonialibus, simoniæ, vel aliis quæ degradationem vel amissionem beneficii, vel depositionem exigant, nisi de speciali mandato sui pontificis, nullatenus cognoscere, vel diffinire præsumant: nec officiales habere, excepto civitatis archidiacono, qui alias, officiales habere consuevit. Cui permittimus officiales in civitate solummodo, & non extra: antiquum statutum ab usu eorumdem minime custoditum super hoc renovantes.

V. *De clericis subeuntibus judicium sæculare.*

Verum quia quidam religiosi, necnon & clerici sæculares, privatis commodis inhiantes, in causis occultis ″ inhærentes, juri publico quantum in ipsis est derogando, relicto ecclesiastico judicio, ad sæcularia judicia prorumpere non verentur: ″ Milevitanum & Calchedonense sequentes concilium ″, hoc fieri de cætero prohibemus: maxime in civilibus, & criminalibus causis, prout in prædictis conciliis continetur: transgressores concilii, præter pœnas a canonibus impositas, compelli per censuram ecclesiasticam statuentes.

″ al. causis eccles. inh.

″ Milevit. II. can. 19. Calchedõ can. 9.

″ al. concilia,

VI. *Qualiter fiant Divina officia tempore interdicti.*

Quia vero peccatis nostris exigentibus, ecclesia Dei permissione Divina nostris temporibus molestias sustinet & pressuras: statuimus ut si propter offensas aliquorum, ecclesiæ cathedrales suppositæ fuerint interdicto per episcopos, vel capitula super hoc potestatem habentia, canonici seu alii qui in locis habitant interdictis, in eisdem locis conveniant ad horas canonicas submissa voce dicendas, clausis januis, exclusis excommunicatis & interdictis, & officiando etiam celebrent, nec in totum a Divinis officiis eorum organa suspendantur. Et sic militando Domino corde & ore prout possunt, deputata militibus stipendia reportabunt.

VII. *Ne religiosi habeant pecuniam pro vestibus.*

Quia vero radix omnium malorum est cupiditas: religiosis personis pecunia pro vestibus non tradatur, sed solum ″ procurator domus vestes emat competentes, ut ipsis occasio habendi proprium subtrahatur.

″ al. sed soli procuratorii domus, ut ipsis &c.

VIII. *De aggravatione censuræ.*

Si vero laïcus, vel princeps, fuerit, exigente justitia, excommunicationis vinculo innodatus, & per annum animo indurato in excommunicatione perseveret: loca ad quæ ipsum declinare contigerit, quamdiu moram fecerit ibi, supponantur ecclesiastico interdicto.

IX. *De purgatione indicenda.*

Et quia quidam offensas, & damna, & injurias per viles personas ecclesiis & ecclesiasticis personis inferre procurant: si per hoc directe convinci ″ nequeant, & super hoc suspecti præsumptione probabili habeantur: si indicta sibi purgatione defecerint, tanquam convicti canonice puniantur.

″ al. conveniri

Actum apud Vallem Guidonis anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo secundo.

CONCILIUM TARRACONENSE OB UUALDENSES HÆRETICOS CELEBRATUM anno Domini MCCXLII.

ANNO CHRISTI 1242.

Bzovius de hac synodo ista: Circa hæc tempora contra hæreticos Vualdenses in regnum Aragoniæ irrumpentes celebratum fuit concilium apud Tarraconem, in quo præscripta fuit formula illos inquirendi, puniendi, & recipiendi ad catholicam revertentes, salutaresque eis pœnitẽtias injungendi. Cui ut major autoritas conciliaretur, Raimundum Pennafortium, sedis apostolicæ pœnitentiarium, a magisterio generali totius ordinis Prædicatorum, quod abdicaverat, Barcinonem reversum, interesse episcopi volue-

ANNO CHRISTI 1242.

voluerunt. Ejus actorum concilii aliqua pars se annalibus inserit, ex qua disciplinæ ecclesiasticæ ratio in hæreticos servata, cognoscatur.

ACTA CONCILII TARRACONENSIS.

CUm nos Petrus, miseratione divina archiepiscopus Tarraconensis, inquisitionem, inceptam per bonæ memoriæ Berengarium Barcinonensem episcopum contra hæreticam pravitatem in civitate Barcinonensi, vellemus effectui mandare: inter jurisperitos qui nobiscum aderant dubitationes hinc inde variæ emerserunt. Quare ut circa factum hæresis & inquisitionis de cætero fiendæ in provincia Tarraconensi clarius procedatur: collationibus inde factis cum venerabili fratre Raimundo de Pennaforti pœnitentiario domini papæ, & aliis prudentibus, in processu B sententiarum hæreticorum, fautorum, suspectorum, relapsorum, & pœnitentiis eorum secundum discretionem nobis a domino datam, ita duximus procedendum.

In primis quæritur qui dicantur hæretici, qui suspecti, qui credentes, qui fautores, qui receptatores, qui defensores, & qui relapsi: cum ista genera hominum in canone explicentur. Et videtur quod,

Hæretici sunt, qui in suo errore perdurant, sicut sunt Inzabbatati, qui dicunt in aliquo casu non esse jurandum; & potestatibus ecclesiasticis vel sæcularibus non esse obediendum, & pœnam corporalem non esse infligendam in aliquo; & similia.

Credentes vero dictis hæresibus similiter hæretici sunt discendi.

C Suspectus de hæresi potest dici qui audit prædicationem vel lectionem Inzabbatatorum, vel qui flexit genua orando cum eis, vel qui dedit osculum eis: vel qui credit ipsos Inzabbatatos esse bonos homines, vel similia, quæ possunt probabiliter suspicionem inducere. Et potest dici suspectus simpliciter esse qui semel oravit, vel alterum fecit de prædictis cum eis. Si vero pluries audivisset prædicationem vel lectionem, vel orasset, vel aliquid aliud de prædictis fecisset cum eis, posset dici vehementer suspectus. Si autem prædicta omnia fecisset, maxime si pluries, posset vehementissime dici suspectus. Ista ideo dicimus, ut discretus judex purgationem possit gravare vel moderari, prout magis visum fuerit expedire.

D Celatores credimus eos qui viderunt Inzabbatatos in platea, vel in domo, vel in alio loco, & cognoverunt eos Inzabbatatos, & non revelaverunt eos, cum haberent aptitudinem revelandi eos ecclesiæ, vel justitiario, vel aliis qui possent eos capere.

Occultatores dicimus qui fecerunt pactum de non revelando hæreticos vel Inzabbatatos, vel aliâs procuraverunt quod non revelarentur.

Receptatores sunt qui scienter bis vel ultra receperunt hæreticos vel Inzabbatatos in domo sua, vel in alio loco suo. Receptaculum credimus esse domum vel hospitium, ubi hæretici vel Inzabbatati bis vel pluries convenerunt ad prædicationem vel lectionem: vel etiam ubi hæretici vel Inzabbatati pluies hospitantur.

E Defensores dicimus, qui scienter defendunt hæreticos vel Inzabbatatos verbo vel facto, vel quocumque ingenio in terris suis, vel alibi, quo minus ecclesia possit exercere suum officium ad extirpandam hæreticam pravitatem.

Fautores credimus omnes supradictos posse dici secundum magis & minus: & etiam qui alias quocumque modo eis dederint consilium, auxilium, vel favorem. Et omnes fautores credimus posse dici suspectos, ita quod debent se purgare, & abjurare hæresim, & omnem fautoriam: & debent sanctæ matri ecclesiæ reconciliari.

Relapsos dicimus illos qui post abjuratam hæresim vel renuntiatam, revertuntur in pristinam credentiam hæresis. Eodem modo dicimus relapsos in fautoriam illos qui post abjuratam hæresim vel fautoriam, benefaciunt hæreticis, vel celant eos. Et omnes prædictos dicimus excommunicatos majori anathemate: exceptis suspectis sine fautoria, si forte inveniantur.

Dubitatio etiam oritur apud quosdam, utrum relapsi in credentiam, & hæretici dogmatizantes, si postquam fuerint deprehensi voluerint pœnitere, relinqui debeant judicio sæculari? Et videtur nobis quod non: sed in quocumque casu tales ad intrusionem sunt condemnandi.

Item si multitudo hæreticorum seu credentium fuerit multa, & parati sunt hæresim abjurare, discretus judex secundum magis & minus juxta provisionem apostolicæ sedis pœnas canonicas poterit infligere talibus; & sic pœnam intrusionis vitare, vel etiam, si multitudo non est tanta circa credentes, discretus judex consideratis circumstantiis poterit moderari, prout viderit expedire: proviso tamen quod perfecti hæretici, vel dogmatizantes eorum errores, vel credentes relapsi in credentiam, post abjuratam hæresim vel renunciatam, in perpetuo carcere intrudantur, hæresi penitus abjurata, & absolutione habita excommunicationis, ut ibi salvent animas suas, & alios de cætero non corrumpant.

Item quæritur, utrum ille qui dedit osculum Inzabbatato vel hæretico quem credebat, vel sciebat esse Inzabbatatum; vel oravit cum eo, & celavit eum; vel audivit prædicationem vel lectionem ab eo, & credidit talem esse bonum hominem, sit judicandus credens ejus erroribus? Et dicimus quod non; sed talis condemnetur tamquam fautor vel occultator & benefactor, & vehementer suspectus, quod credit ejus erroribus: nisi adeo esset litteratus vel discretus, quod non posset ignorantiam prætendere. Quod arbitrio discreti judicis duximus relinquendum.

Item quæritur, quis ante inquisitionem inceptam fuit confessus sacerdoti suo de hæresi vel fautoria, & vocatur modo ab inquisitoribus? In casu isto credatur confessori suo: & si inventus fuerit bene confessus per confessionem sacerdotis, licet sacerdos male fecerit, quia ipsum non remisit ad episcopum; ille tamen confitens, per talem confessionem evitet pœnam temporalem, nisi inveniatur in falsa pœnitentia, vel relapsus post pœnitentiam, vel publice diffamatus. Si autem allegat manifestam pœnitentiam, vel reconciliationem: probet per duos testes. Si quos vero constat ante inchoatam inquisitionem de his fuisse confessos, debent publice abjurare hæresim, & aliam solemnitatem facere, nisi ita sit secretum factum, quod non habeat contra se famam vel testes: & tamen in utroque casu sunt ab omni pœna temporali immunes. Si vero aliqui vocati ab inquisitoribus dejerant tempore suæ depositionis; & postea ad instantiam inquisitorum, vel metu probationum discooperiunt veritatem; sed dicunt quod hæc tacuerunt propter verecundiam vel timorem: tales credimus perjuros, quia qui scienter falsum dicunt, vel verum tacent, perjuri sunt: & ideo pœnitentia canonica est eis gravior imponenda.

Formæ pœnitentiarum.

Hæretici perseverantes in errore relinquantur curiæ sæcularis judicio. Perfecti vero hæretici, si converti voluerint, & dogmatizantes, absolutione præhabita, & abjuratione facta, perpetuo carceri intrudantur.

Credentes autem hæreticorum erroribus solennem faciant pœnitentiam: hoc scilicet modo, quod in festo omnium Sanctorum proxime venturo, & in prima Dominica adventus, in die natalis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, S. Mariæ Februarii, S. Eulaliæ, S. Mariæ Martii, & per omnes dies Dominicos quadragesimæ, sint in processionibus ad sedem, seu ecclesiam cathedralem, & ibi discalciati in braccis & camisia, præterquam in die sanctæ Mariæ Februarii, & in ramis palmarum, ut reconcilientur in ecclesia parochiali, in processionibus publice disciplinati per episcopum vel sacerdotem ecclesiæ. Item in quarta feria in capite jejunii veniant simul ad sedem, & sint eodem modo, & secundum formam juris discalciati in braccis, & camisia, & expellantur ab ecclesia, & sint extra ecclesiam per totam quadragesimam: sic tamen ad fores ecclesiæ, quod ibi audiant officium. Et in die cœnæ Domini sint discalciati in braccis & camisia ante fores ecclesiæ, & tunc secundum canonica instituta publice reconcilientur ecclesiæ. Et hanc pœnitentiam de quarta feria, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & de die cœnæ, faciant quamdiu vixerint quolibet anno. Sed in diebus dominicis quadragesimæ, facta reconciliatione exeant ecclesiam, & stent ad fores usque in diem cœnæ, & portent duas cruces perpetuo ante pectus, quæ non sint ejusdem coloris cum vestibus: & portent ita, ut videri possint solenniter pœnitentes: ita tamen, quod non abstineant ab ingressu ecclesiæ in quadragesima ultra decem annos.

Pœnitentia illorum qui sunt relapsi in fautoriam similiter erit solennis, ut de credentibus proxime dictum est, in diebus omnibus supradictis: hoc excepto, quod cruces portare, & pœnitentiam de quarta feria cinerum, & sancto die Iovis, faciant simili modo per decennium.

Pœnitentia illorum qui non sunt relapsi in fautoriam, sed sunt fautores, & vehementissime suspecti, erit eodem modo solennis in festo omnium Sanctorum, natalis Domini, Epiphaniæ, sanctæ Mariæ Februarii, per omnes dies Dominicos quadragesimæ. Et aliam pœnitentiam de feria quarta quadragesimæ, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ, ut supra dictum est, faciant per septennium.

Pœnitentia illorum, qui sunt fautores & vehementer suspecti, erit solennis eodem modo in festo omnium Sanctorum, natalis Domini, S. Mariæ Februarii, & in ramis palmarum: & aliam pœnitentiam de quarta feria quadragesimæ, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ, ut supra dictum est, faciant per quinquennium.

Pœnitentia illorum qui sunt fautores & suspecti, erit solennis eodem modo in festo omnium Sanctorum, sanctæ Mariæ Februarii, & in ramis palmarum: & aliam pœnitentiam de feria quarta quadragesimæ, & de stando extra ecclesiam per totam quadragesimam, & de reconciliatione in die cœnæ faciant per triennium. Intelligitur tamen, quod mulieres vestitæ veniant, & disciplinentur.

Hanc autem pœnitentiam faciant omnes prædicti in festivitatibus & diebus prærordinatis, in civitate ista vel loco, & non alibi, usque ad festum paschæ; illi scilicet qui sunt cives. Forenses autem faciant eam in parochiis suis, & non alibi: præterquam in feria quarta in capite quadragesimæ, & in die cœnæ Domini, in quibus veniant omnes ad sedem, vel ad locum ecclesiæ suæ. In sequentibus vero temporibus quadragesimalibus, decennalem pœnitentiam, septennalem, quinquennalem, & triennalem, quam debent facere in quarta feria in introitu quadragesimæ, & in die cœnæ Domini, secundum diversitatem culparum, ut jam diffinitum est, faciant omnes tam cives quam forenses in sede civitatis suæ, & non alibi, nisi ex justa & rationabili causa, & de speciali licentia episcopi vel vicarii sui: & tunc in locis, ad quæ de licentia episcopi iverint, faciant coram episcopo illius loci, vel locum ejus tenente, eamdem pœnitentiam, portantes litteras episcopi vel vicarii sui, continentes pœnitentiam quam facere debent. Et reportet etiam ille qui pœnitentiam fecerit litteras episcopi illius loci ad N. talis diœcesis, de peracta pœnitentia testimonium continentes. Quod si forte casu fortuito, sine fraude tamen & dolo, in illis duobus diebus non possent ad cathedralem ecclesiam pervenire: cum redierint, in duabus aliis solennitatibus assignatis eis juxta arbitrium episcopi publice disciplinentur apud sedem N. secundum formam illorum duorum dierum.

Forma sententiæ contra hæreticum absolutum.

Si hæreticus pœniteat, & secreto absolvatur, ecclesiæ jure solennitatibus servatis, cum jam non sit hæreticus formabitur sic sententia: Pateat omnibus, „ quod per ea quæ in Inquisitione inventa, prodita, & „ acta sunt, liquido nobis constat quod talis fuit deprehensus in hæresi, & postmodum reversus ad ecclesiæ „ unitatem, agentes misericorditer cum eodem, ipsum „ ad perpetuum carcerem condemnamus secundum „ canonica instituta. „

Alia forma.

Si autem nondum sit absolutus, sic formabitur:
Pateat omnibus, *&c.* quod talis est deprehensus in „ hæresi, & vult reverti ad ecclesiæ unitatem, agentes „ misericorditer cum eodem, *&c.* „

Forma sententiæ contra hæreticum pertinacem.

Si vero non vult pœnitere, sed in errore perdurat, præsente judice sæculari sententia sic formetur:
Pateat omnibus, quod per ea quæ in Inquisitione „ inventa, probata, & acta sunt, liquido nobis con- „ stat quod talis est deprehensus in hæresi per eccle- „ siam condemnata, & ipsum tanquam hæreticum con- „ demnamus. „

Sententia contra fautores.

Contra fautores sententia sic formetur:
Pateat omnibus, quod per ea quæ inventa, proba- „ ta, & acta sunt in Inquisitione, liquido nobis constat „ quod talis est deprehensus in fautoria: & denuncia- „ mus ipsum excommunicatum & suspectum de hæ- „ resi: &, si per annum contempserit satisfacere, sub- „ jaceat pœnis concilii generalis: & si defecerit in pur- „ gatione, & in excommunicatione per annum steterit, „ ut hæreticus condemnetur. „

De forma purgationis.

Suspectus de hæresi purgabit se publice in hunc modum:
Ego N. juro per Deum omnipotentem, & per „ hæc sancta Dei evangelia quæ in manibus meis te- „ neo, coram vobis domino N archiepiscopo vel epi- „ scopo, & coram aliis vobis assistentibus, quod non „ sum „

ANNO CHRISTI 1242.

„ sum vel fuit Inzabbatatus VValdensis, vel Pauper de Lugduno, nec hæreticus in aliqua secta hæresis per ecclesiam damnata; nec credo, nec credidi eorum erroribus, nec credam aliquo tempore vitæ meæ: immo profiteor & protestor me credere, & semper in posterum crediturum fidem catholicam, quam sancta Romana ecclesia & apostolica publice tenet, docet, & prædicat, & vos domine archiepiscope vel episcope, & cæteri prælati ecclesiæ universalis tenent, prædicant publice, atque docent.

Qualiter compurgatores jurare debent.

Compurgatores jurabant per hunc modum:

„ Ego N. juro per Deum, & per hæc sancta quatuor Dei evangelia quæ manibus meis teneo, me firmiter credere, quod talis non fuit Inzabbatatus, Vvaldensis, nec Pauper de Lugduno, nec hæreticus, nec credens eorum erroribus: & credo firmiter eum in hoc verum jurasse.

Caveat tamen judex, quod ex quo certum numerum compurgatorum duxerit alicui injungendum, non est honestum quod postea mutet, ne sic Lateranense concilium illudatur.

VITA ET EPISTOLÆ

ANNO CHRISTI 1243.

INNOCENTII PAPÆ IV.

INNOCENTIUS IV. pristino nomine Sinibaldus appellatus, patria Genuensis, ex nobili Fliscorum Lavaniæ comitum familia, communi consensu cardinalium, per intercessionem Balduini Constantinopolitani imperatoris, & Ludovici Francorum regis, e carceribus Friderici liberatorum, Anagniæ post interregnum unius anni & octo fere mensium electus est successor Cælestini die vigesima quarta Iunii, anno Christi 1243. tempore Friderici secundi: cui ista electio non admodum grata fuit, eo quod generosi & honesti animi virum esse sciebat; adeoque timebat ne ex cardinale amico pontificem hostem experiretur. Volens tamen pontifex antiquam amicitiam cum Friderico confirmare, urbem Castellanam petebat: quo in itinere cum sibi insidias tendi per exploratores compertum haberet, Genuensium navibus impositus, felici navigio usus, in Franciam delatus est. Eodem deveniens, concilium anno 1245. habuit, quo Fridericum, qui citatus venire detrectabat, imperio & regno simul spoliavit, eique adhuc viventi, post Henricum Lantgravium Hassiæ & Thuringiæ, Vvilielmum comitem Hollandiæ in regno Germaniæ subrogari procuravit. Cumque hac de causa Fridericus excandescens, multa ædificia amicorum parentumque pontificis Parmæ existentia deiici & funditus erui curaret: profectus eo legatus apostolicus Fridericum post biennalem Parmensis urbis obsidionem devicit, omnesque ejus copias fudit. Et cum istiusmodi calamitatibus nihilo melior fieret, sed magis atque magis pessum iret: pontifex concilium dimisit, ac deinceps ad reintegrandam sanctam militiam, omnem cogitatum suum convertit. Populum ad sequenda Ludovici Franciæ regis vexilla, qui in Africam traiicere decreverat, modis quibus potuit omnibus adhortatus fuit. Postquam Edmundum Cantuariensem archiepiscopum in sanctorum numerum retulisset, in Italiam reversus, & Perusiam ingressus, Petrum martyrem inter sanctos habendum declaravit. Idem de Stanislao Cracoviensi episcopo judicium tulit. A nobilibus Neapolitanis advocatus, comparere statuit. Verum in ea expeditione mortem subiit, VI. Decembris, anno Domini MCCLIV. quando XI. annis, V. mensibus, & XII. diebus pontifex fuisset. Sepulturam vero non in sancto Laurentio, ut habet Platina, sed in ecclesia cathedrali sortitus est, ut adhuc hodie videre licet. Innocentius in concilio Lugduni habito plures cardinales creavit, primusque fuit qui cardinalitiam dignitatem rubeo pileo adauxit: ea intentione, ut admonerentur, teste Martino Polono, se semper paratos esse debere sanguinem pro Christiana religione profundere, præsertim eo tempore, quo Romana ecclesia a Friderico II. quondam imperatore vehementer oppugnabatur. Multa volumina in tanta rerum difficultate composuit. Inter cætera, commentaria in quintum librum decretalium composuit: authentica & apologetica edidit. Proinde viros litteratos amabat, & colebat. Cardinalem Hugonem instituti Dominicani unice dilexit, qui glossas & concordantias in biblia composuit, atque libros sacros in capitula distinxit. Hujus instinctu plurimi ac doctissimi homines ad scribendum sese applicuerunt. Inter eos Alexander de Ales, Bernardus Parmensis, & Compostellanus. Ejus etiam institutum fuit, ut nativitas beatæ Mariæ cum octava celebraretur. Primus rosam auream solenni ceremonia ac ritu benedixit, eamque canonicis sancti Iusti hospitibus suis Lugduni dono dedit. Circa finem pontificatus Innocentii anno Christi MCCL. defunctus est Fridericus II. Quo loco, quove mortis genere, scriptores variãt. Krantzius lib. VIII. Saxoniæ, aliique (quos refert Sanderus de visibili monarchia) scribunt in Apuliam profectum, ibidem morbo correptum esse: a quo dum convalesceret, a Manfredo filio, imposito ori pulvino oppressum esse. Gobelinus ætate sexta cap. LXIV. Et deinde, inquit, ad regnum Siciliæ se totum contulit, & ibi tandem morbo correptus, sine sacramentorum perceptione, &, ut dicebatur, sine pœnitentia defunctus est. Abbas Stadensis & Matthæus Paris. hujus temporis scriptores ambo, scribunt eum post insignem pœnitentiam peractam ab episcopo Panormitano absolutum, & in Sicilia tumulatum fuisse. Quidquid horum sit, sine dubio meruerat impiissimus pater talia pati a filio carnali, qui Romanam ecclesiam matrem suam, patremque suum spiritualem Romanum pontificem, tot modis per tot annos nefarie admodum persecutus fuerat. Post Fridericum imperio amotum, fuit interregnum viginti octo annorum, usque ad Rodulphum primum imperatorem.

EPISTOLA I.

INNOCENTII PAPÆ IV.

AD PRÆLATOS ANGLIÆ.

Auxilium pecuniæ ab Anglis expetit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei abbatibus eorumque conventibus, exemptis & non exemptis, in Cantuariensi diœcesi constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

ILlam de vestræ sinceritatis affectibus spem gerimus, & fiduciam obtinemus, ut quoties sedi apostolicæ matri vestræ necessitatis articulus imminet, ad vos, tamquam dilectos ejus filios & devotos, ac pro ipsius oneribus relevandis semper paratos & promptos, incunctanter cum omni fiducia recurrere valeamus. Cum igitur sedes ipsa apostolica prædicta, per ea quæ piæ memoriæ Gregorii papæ prædecessoris nostri autoritate in Anglia aliisque regnis populi Christiani, pro ejusdem sedis subsidio sunt collata & collecta, non adhuc a debitorum suorum, quæ

quæ pro catholicæ fidei, ecclesiasticæ libertatis, & patrimonii sui defensione, contraxerat, onere valeat relevari, ad vestræ devotionis effectum, necessitate cogente, fiducialiter recurrentes, universitatem vestram, de consilio fratrum nostrorum, rogamus, attentius monemus, per apostolica scripta præcipiendo mandantes, & mandando præcipientes, quatenus præscriptæ necessitatis & oneris instantia, qua Romana ecclesia, mater vestra spiritualis, graviter perurgetur, affligitur, & pene opprimitur, affectione pensantes, ut convenit, filiali, & compassionem super hoc habentes debitam erga ipsam, nobis & sibi, pro solutione debitorum illorum prædictorum, in ea subvenire curetis pecuniæ quantitate & summa, qualem & quantam dilectus filius noster magister Martinus, cameræ nostræ clericus, & lator præsentium, vobis ex parte nostra duxerit declarandam exprimendamque. Eamque ipsam pecuniam, per vos collatam, dicto magistro Martino, aut ipsius nunciis, infra terminum, quem idem vobis præfiget, assignetis; preces nostras taliter impleturi, quod nos devotionem vestram merito commendare possimus, & super hoc aliter procedere non cogamur. Datum Laterani septimo Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

II. Ad Henricum III. regem Angliæ.

Pro episcopo Vvintoniensi exule.

Innocentius episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio regi Angliæ salutem & apostolicam benedictionem.

POstquam Dei benignitas humilitatem nostram ad apostolicæ vocavit officium dignitatis, illam concepimus de tua serenitate fiduciam, quod in his quæ sunt ad honorem ecclesiæ, se promptam haberet & vigilem exhiberet. Provenit ex hoc, quod cum venerabilem fratrem nostrum, quondam Norvvicensem, Vvintoniensi ecclesiæ de fratrum nostrorum consilio concessimus in pastorem, preces tibi direximus speciales, ut eidem pro Divina & nostra reverentia te redderes affectu benevolum & effectu serenum, ac si quæ castra & maneria ipsius ecclesiæ, prompta benignitate ei faceres assignari. Tu vero, sicut mirantes audivimus & dolemus, nedum preces hujusmodi voluisti deducere ad effectum: immo, quod est gravius, in verba, nihil debitæ modestiæ vel reverentiæ filialis habentia prorupisti; asserens quod nulla postulatio in regno Angliæ per sedem apostolicam admitti possit vel debeat, te invito, & quod illam quam nos in spiritualibus, tu in temporalibus habeas potestatem: nec quis postulatus possit absque tuo consensu possessionem temporalium obtinere. Adjecisti præterea quod translationem ipsius episcopi reputares invalidam, tamquam a nobis per vitium subreptionis obtentam. Hæc siquidem, fili carissime, non Dei, non ecclesiæ, non tuæ resonant sublimitatis honorem, non sapiunt justitiam, non redolent æquitatem: præsertim cum teneat omnium credulitas pia fidelium, quod apostolicæ sedis autoritas liberam habeat in ecclesiis universis potestatem a Dei providentia: nec arbitrio principum ipsa stare cogitur, ut eorum, in electionum vel postulationum negotiis requirat assensum. In quibus tamen, Dominum habendo præ oculis, sic provide procedit & caute, quod per illam nullius possit honori detrahi, vel justitiæ derogari. Sicut etiam in translatione ipsius episcopi dignoscitur processisse, in quo promovit hominem scientia, moribus & honestate perspicuum, ac in spiritualibus & temporalibus circumspectum, olim tibi carum & amabilem, ac semper tuis beneplacitis secundum Dominum totis viribus intendere cupientem, per cujus industriam probatam in plurimis honoris & commodi proficere poteris incrementis. Sed tamen non suggerat astutia susurronum, a quibus parare dispendia virtuosis pro indifferenti ducitur, dummodo sua specialia commoda vel privata desideria consequantur. Tuam itaque celsitudinem affectione qua possumus exhortamur, & obsecramus in Domino Iesu Christo, quatenus ab impia suggestione talium, regiæ pietatis avertens auditum, ecclesiam Dei continuo prosequaris honore, & indultæ sibi desuper libertatis privilegium conservare studeas illibatum: & nunc & in posterum tui regni prælatos, ea quæ in spiritualibus seu temporalibus spectant ad ipsorum ecclesias, libere consequi & pacifice possidere permittas. Cæterum solerti considerans meditatione, quod in apostolici prosecutione officii Divini nominis deservimus honori, quæ de præfato episcopo cum solenni deliberatione fecimus, non ad animum revoces, non aliquo impedimento perturbes. Sed qui cordi nostro statuimus, ut te specialem inter alios terræ principes habeamus, in ipso impartiri procurans honorem, sibi castra & maneria cum fructibus inde perceptis a tempore translationis hujusmodi, omni postposita difficultate resignes, ac benevola benignitate concedas, quod solicitudinem ei creditam possit cum effectu prosequi, tua favente gratia speciali. Alias autem cum libertatem ecclesiasticam in diebus nostris velimus non minui, sed Deo propitio augeri cupiamus: nullatenus sustinere poterimus, quod nos in ipso episcopo tam præjudicialem injuriam patiamur.

Datum Laterani tertio Kalendas Martii, pontificatus nostri anno primo.

III. Ad fratres ordinis Prædicatorum.

Fratres Prædicatores a tramite disciplinæ S. Benedicti exorbitantes corriguntur, & in viam meliorem diriguntur.

Innocentius episcopus servus servorum Dei magistro & fratribus ordinis Prædicatorum salutem & apostolicam benedictionem.

NOn solum in favorem conversi, sed etiam monasterii, probationis tempus a sanctis patribus est indultum, ut ille asperitates illius, & istud mores illius valeat experiri. In regula quoque beati Benedicti præcipitur ut ad conversionem noviter venientibus non facilis tribuatur ingressus, sed, sicut docet Apostolus, an sit ex Deo spiritus comprobetur, & dura & aspera, per quæ itur ad Dominum, exponantur. Postea in eadem regula subjungitur, ut dicatur: Ecce lex sub qua militare desideras; si eam observare potes, ingredere; alioquin, liber venisti, liber discedas. Insuper felicis recordationis Gregorius papa prædecessor noster statuit, ut positi in probatione novitii ante susceptum religionis habitum, qui dari profitentibus consuevit, seu ante professionem emissam, ad statum pristinum redire possint libere infra annum. Et ad omnem ambiguitatem penitus amovendam, cum in quibusdam locis religiosis novitiorum habitus non distinguatur ab habitu professorum, professionis tempore benedicantur vestes quæ profitentibus conceduntur, ut novitiorum ac professorum habitus discernatur. Licet igitur zelum animarum habentes, eas lucrari Domino solicite cupiatis: quia tamen decet & expedit ut conscientiæ puritati non desit judicium

cium rationis, ne unde spiritualis profectus quæritur, inde salutis dispendium subsequatur, vobis de fratrum nostrorum consilio in virtute obedientiæ sub pœna excommunicationis, auctoritate præsentium, districtius inhibemus, ne ante annum probationis elapsum, qui est maxime in subsidium fragilitatis humanæ regulariter institutus, quemquam ad professionem vestri ordinis, seu renunciationem sæculi faciendam, recipere præsumatis; nec constitutum in probatione novitium aliquatenus impedire, quo minus infra eumdem annum probationis ad aliam religionem, quam maluerit, transeat, sicut de sua processerit libera voluntate, non obstante statuto contracto, si quod a nobis est editum, quod irritum decernimus & inane, vel aliquibus litteris a sede apostolica impetratis, seu etiam impetrandis, quæ de præmissis expressam non fecerint mentionem. Quod si forte contra hujusmodi inhibitionem quemcumque recipere præsumpseritis, decernimus eum qui taliter receptus fuerit, nullatenus vestro esse ordini alligatum, vosque a receptione quorumlibet ad professionem ejusdem ordinis fore ipso facto suspensos, & insuper pœnæ subiiciendos, quæ fratribus ipsius ordinis pro culpis infligi gravioribus consuevit. Nulli ergo, &c.

Datum apud civitatem Castellanam decimoquinto Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno primo.

IV. AD CONVENTUM ET PRIOREM ECCLESIÆ Christi Cantuariensis.

Dirimitur lis inter episcopum Lincolniensem & conventum Cantuariensem.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis conventui & priori ecclesiæ Christi Cantuariensis salutem & apostolicam benedictionem.

EXhibita nobis venerabilis fratris nostri episcopi Lincolniensis petitio continebat, quod cum, vobis contendentibus jurisdictionem metropolitani, quam ad vos Cantuariensi sede vacante in provinciam Cantuariensem, tam ex privilegio sedis apostolicæ, quo nunquam adhuc usi fuistis, quam de jure communi pertinere dicitis, in eum & suos subditos committendo eorum causas & appellationes ab eis interpositas exercere; ipse grave sibi ex hoc præjudicium generari conspiciens, ad sedem apostolicam, cujus interest quæstiones tam arduas metropolitana sede vacante dirimere, provocasset: vos in eum & in ejus subditos suspensionis & excommunicationis sententias occasione hujusmodi pro vestræ voluntatis arbitrio promulgastis. Quare nobis humiliter supplicavit, ut provideri sibi super hoc paterna solicitudine curaremus. Volentes igitur ex officio nostro sic eidem episcopo & suis subditis subvenire, quod jus alterius non lædamus, universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus infra octo dies post receptionem præsentium, absque vestro & partis alterius præjudicio, relaxetis prædictas sententias ad cautelam. Alioquin venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Eboracensi, & episcopo Dunelmensi, damus litteris nostris in mandatis, ut ipsi ex tunc sine præjudicio partium, tam super petitorio, quam etiam super possessorio, sententias relaxent easdem, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.

Datum Anagniæ decimo Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno primo.

V. AD PRÆLATOS ANGLIÆ.

De subsidio pecuniario regi de redditibus suis conferendo.

Innocentius episcopus, &c. archiepiscopis, episcopis, & dilectis filiis abbatibus, prioribus, archidiaconis, decanis, & aliis ecclesiarum prælatis, & clericis per regnum Angliæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

DEbet mater ecclesia hos qui regali præeminent dignitate, illa prærogativa prosequi, & ea muneris gratia prævenire, quod in ipsius devotione potestas semper ferveat, & ad ejus per consequens subjectorum obsequia pervigil habeatur. Cum igitur inter reges cæteros orbis terræ carissimum in Christo filium nostrum regem Angliæ illustrem singularis dilectionis brachiis amplectamur, qui veluti princeps catholicus & devotus Romanam ecclesiam matrem suam filiali subjectione & obsequio devotionis sic semper studuit venerari, quod nequaquam ab ipsius beneplacitis declinaret, quinimmo quæ ipsi grata novit & placita, solicitudine prompta peregit: non est mirum, immo condecens est & condignum, si ipsius precibus facilius annuamus, si honoris ipsius & status quæramus gloriam & augmentum, si ad quod affectus ipsius dirigatur, vestræ liberalitatis effectus consonet in idipsum. Sane cum idem rex, sicut ex parte ipsius fuit propositum coram nobis, pro quibusdam negotiis magnis & arduis quæ sibi imminebant, adeo subierit gravia, & subire adhuc ipsum oporteat onera expensarum, quod vestræ subventionis indigere subsidio dignoscatur: universitatem vestram rogamus, monemus & hortamur attente, per apostolica scripta mandantes, quatenus attendentes prudenter, quod vos decet & convenit, eo libentius ipsius regis supportare labores, & gravamina relevare, quo minus posset sine vestri status & honoris dispendio alicujus jacturæ vel incommoditatis onere prægravari, sibi de vestris redditibus honestum subsidium liberaliter conferatis: ut idem expensarum suarum, vestræ subventionis propitiante dextera, perferre levius onus possit, vosque proinde vobis ejusdem regis, cujus bonorum estis participes, honoris & gloriæ non expertes, favorem & gratiam, quibus procul dubio indigetis, valeatis futuris temporibus vendicare; & nos, qui haberi volumus ex hoc ad vestra & vestrarum ecclesiarum commoda promptiores, devotionis vestræ promptitudinem non immerito commendemus.

Datum Ianuæ quarto Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno secundo.

VI. AD ARCHIEPISC. ET CAPITVL. COLONIENSE.

De trium Magorum miraculis ac cultu.

Innocentius episcopus servus servorum Dei fratri archiepiscopo & dilectis filiis capitulo Coloniensi salutem & apostolicam benedictionem.

LIcet is, de cujus munere venit ut sibi a fidelibus suis digne ac laudabiliter serviatur, de abundantia pietatis suæ, quæ merita supplicum excedit & vota, bene servientibus multo majora retribuat, quam valeant promereri: nihilo minus tamen desiderantes reddere Domino populum acceptabilem, fideles Christi ad complacendum ei, quasi quibusdam illectivis muneribus, indulgentiis scilicet & remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinæ gratiæ aptiores.

Cupientes igitur ut ecclesia vestra, in qua trium sancto-

ſanctorum Magorum corpora coruſcantia multis miraculis ſub veneranda cuſtodia conſervantur, congruis honoribus frequentetur: omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui eccleſiam ipſam in feſtivitate ipſorum ſanctorum venerabiliter viſitaverint, annuatim de omnipotentis Dei miſericordia & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum ejus autoritate confiſi, quadraginta dies de injuncta ſibi pœnitentia annis ſingulis miſericorditer relaxamus.

Datum Lugduni ſexto Kalendas Aprilis, pontificatus noſtri anno quarto.

VII. AD RAIMVND. DE PENNAFORTI ORDINIS PRÆDICATORVM MAGISTRVM, & provincialem Hiſpaniæ.

De hæreſi extirpanda.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis Priori provinciali in Hiſpania, & fratri Raimundo de Pennaforti ordinis Prædicatorum, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INter alia deſiderabilia cordis noſtri ſpecialiter id optamus, & ad illud potiſſime dirigimus noſtræ intentionis affectum, per quod ſalus provenit animarum, & nomen Domini glorioſum plenius collaudatur. Quia igitur Deo non eſt acceptabile obſequium abſque fide, ad propagationem & corroborationem ipſius, & Chriſtianæ religionis augmentum, quanta poſſumus ſolicitudine vigilare debemus, & hoc per nos & alios inceſſanter verbo & opere procurare, ut diffundatur per orbem latius cultus Dei, & meſſe agri multiplicata Dominici, frumentum in cæleſtia horrea inferatur. In his autem, nobis fratres veſtri ordinis Dominus ſpecialiter voluit eſſe adjutores: qui ſpretis mundi diſſoluti blanditiis, ſub religionis arctæ rigore, in voluntate Chriſto ad placitum famulantes, de fidelium campo extirpare noxia, & in eo plantare ſalubria, nec non muniti ſpirituali pro defenſione fidei armatura, errorum laqueis irretitos eripere, ac in regione diſſimilitudinis converſantes ad unitatem matris eccleſiæ revocare diligentia indefeſſa procurant; proficientes ſibi per vitæ meritum, & aliis verbo pariter & exemplo. Vnde quia in inquiſitione facienda contra hæreticos eorumdem fratrum ſolertiam novimus plurimum opportunam, ipſis hujuſmodi negotium providimus ſpecialiter committendum. Ideoque devotionem veſtram monemus & hortamur in Domino Ieſu Chriſto, vobis per apoſtolica ſcripta mandantes: quatenus ad ipſius proſecutionem negotii ſolicite intendens, aliquos fratres ejuſdem ordinis de regno Aragoniæ, quos ad hoc idoneos fore noveritis, inquiſitores hæreticæ pravitatis in provincia Narbonenſi, per diſtrictum tantum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Iacobi Aragonum regis illuſtris, autoritate noſtra deputare curetis: injungentes eiſdem, ut in negotio ipſo ſecundum formam a bonæ memoriæ Gregorio papa prædeceſſore noſtro editam, & a nobis poſtmodum innovatam, juxta quam ſiquidem procedunt fratres dicti ordinis in ipſa Provincia, ſicut eidem negotio expedire viderint, tam contra hæreticos, & ad ipſos accedentes, & fautores, & receptatores, ac defenſores eorum, quam alios ipſi negotio adverſantes, neminem præter Deum in hac parte timendo, efficaciter procedere non omittant. Tu vero, Prior, de conſilio ſeniorum & diſcretorum fratrum præfati ordinis, ejuſdem regni inquiſitores hujuſmodi autoritate noſtra removeas transferaſque, alios ſubſtituas, vel ſuperſedere facias, cum ex cauſa rationabili id videris faciendum.

Datum Lugduni decimotertio Kalendas Novembris, pontificatus noſtri anno ſexto.

VIII. AD POTESTATES, RECTORES, CONSILIA, ET COMMVNITATES PER Lombardiam.

Conſtitutiones contra hæreticos a magiſtratibus ſæcularibus obſervandæ.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis poteſtatibus, ſive rectoribus, conſiliis, & communitatibus civitatum, aliorumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & marchiam Treviſinam conſtitutis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AD extirpanda de medio populi Chriſtiani hæreticæ pravitatis zizania, quæ abundantius ſolito ſuccreverunt, ſuperſeminante illa licentius his diebus hominis inimico, tanto ſtudioſius juxta commiſſam nobis ſolicitudinem inſudare proponimus, quanto pernicioſius negligeremus eadem in necem catholici ſeminis pervagari. Volentes autem ut adverſus hujuſmodi nequitiæ operarios conſurgant, ſtentque nobiſcum eccleſiæ filii, ac orthodoxæ fidei zelatores: conſtitutiones quaſdam ad extirpationem hæreticæ peſtis edidimus, a vobis ut fidelibus ejuſdem fidei defenſoribus exacta diligentia obſervandas, quæ ſeriatim inferius continentur. Quocirca univerſitati veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſinguli conſtitutiones eaſdem conſcribi in veſtris capitularibus facientes, nullis inde temporibus abolendas, ſecundum eas contra omnem hæreſim ſe adverſus ſanctam hanc eccleſiam extollentem ſine omiſſione aliqua procedatis: alioquin dilectis filiis Priori provinciali, & fratribus inquiſitoribus hæreticæ pravitatis, ordinis Prædicatorum in Lombardia, marchia Treviſina, & Romaniola, damus noſtris litteris in mandatis, ut ſingulos veſtrum ad id per excommunicationem in perſonas & interdictum in terram appellatione remota compellant.

Conſtitutiones autem ſunt hæ:

I.

Statuimus, ut poteſtas, ſeu rector, qui civitati præeſt, vel loco alii ad præſens, aut pro tempore præfuerit in futurum, in Lombardia, Romaniola, vel marchia Treviſina, juret præciſe & ſine tenore aliquo attendere inviolabiliter & ſervare, & facere ab omnibus obſervari, toto tempore ſui regiminis, tam in civitate vel loco ſui regiminis, quam in terris ſuæ ditioni ſubjectis, omnes & ſingulas tam infra ſcriptas, quam alias conſtitutiones & leges, tam canonicas quam civiles, editas contra hæreticam pravitatem, & ſuper his præciſe obſervandis recipiant a quibuſlibet ſibi in poteſtaria vel regimine ſuccedentibus juramenta: quæ qui præſtare noluerint, pro poteſtatibus vel rectoribus nullatenus habeantur, & quæ ut poteſtates vel rectores fecerint, nullam habeant penitus firmitatem, nec ullus teneatur aut debeat ſequi eos, etiamſi de ſequela præſtanda eis exhibuerit juramentum. Quod ſi poteſtas vel rector aliquis hæc omnia & ſingula ſervare noluerit, vel neglexerit, præter notam perjurii, & perpetuæ jacturam infamiæ, ducentarum marcarum pœnam incurrat, quæ irremiſſibiliter exigantur ab eo, & in utilitatem communis integra convertantur: & nihilominus ut perjurus & infamis, & tamquam hæreticorum fautor, de fide ſuſpectus, officio & honore ſui regiminis ſpolietur: nec ulterius poteſtas ſeu rector in aliquo habeatur, aut de cætero ad aliquam dignitatem vel officium

cium publicum nullatenus assumatur.

II.

Idem quoque Potestas, seu rector, cujuslibet civitatis vel loci in principio sui regiminis, in publica concione more solito congregata banno civitatis vel loci supponat tamquam pro maleficio omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, & teneatur bannum hujusmodi a suis prædecessoribus positum confirmare. Præcipue autem quod nullus hæreticus vel hæretica de cætero habitet, vel moretur, vel subsistat in civitate, seu aliquo loco jurisdictionis aut districtus ejusdem: & quicumq; ipsum vel ipsam invenerit, libere capiat, & capere possit impune, & omnes res ipsius vel ipsorum eis licenter auferre, quæ sint auferentium pleno jure; nisi auferentes hujusmodi sint in officio constituti.

III.

Idem quoque Potestas, seu rector, infra tertium diem post introitum regiminis sui, duodecim viros probos & catholicos, & duos notarios, & duos servitores, vel quotquot fuerint necessarii, instituere teneatur: quos diœcesanus, si præsens extiterit, & interesse voluerit, & duo fratres Prædicatores, & duo Minores, ad hoc a suis Prioribus, si conventus ibi fuerint eorumdem ordinum, deputati, duxerint eligendos.

IV.

Instituti autem hujusmodi & electi possint & debeant hæreticos & hæreticas capere, & eorum bona illis auferre, & facere auferri per alios, & procurare hæc tam in civitate quam in tota ejus jurisdictione atque districtu plenarie adimpleri, & eos ducere, & duci facere in potestatem diœcesani, vel vicariorum ejusdem.

V.

Teneatur autem Potestas seu rector quilibet, in expensis communis cui præest, facere duci eosdem hæreticos ita captos, quocumque diœcesanus, vel ejus vicarii, seu inquisitores vel inquisitor, in jurisdictione vel districtu diœcesani episcopi, seu civitatis vel loci, voluerit illos duci.

VI.

Officialibus vero prædictis plena fides de his omnibus habeatur, quæ ad eorum officium pertinere noscuntur, sine aliquo specialiter præstito juramento, probatione aliqua in contrarium non admissa, ubi duo vel tres vel plures præsentes fuerint ex eisdem.

VII.

Porro cum officiales hujusmodi eliguntur, jurent hæc omnia exequi fideliter & pro posse, ac super his semper meram dicere veritatem: quibus ab omnibus in his quæ ad officium eorum pertinent plenius pareatur.

VIII.

Et tam dicti duodecim quam servitores & notarii prætaxati, simul vel divisim plenariam præcipiendi sub pœna & banno quæ ad officium suum pertinent habeant potestatem.

IX.

Potestas autem, vel rector, teneatur habere firma & rata omnia præcepta, quæ occasione officii sui fecerit, & pœnas exigere non servantium.

X.

Quod si dictis officialibus aliquo tempore aliquod damnum contigerit in personis vel rebus, pro suis officiis exequendis, a communi civitatis vel loci, per restitutionem plenariam serventur indemnes.

XI.

Nec ipsi officiales vel eorum heredes possint aliquo tempore conveniri de his quæ fecerint, vel pertinent ad eorum officium, nisi secundum quod eidem A diœcesano & fratribus videbitur expedire.

XII.

Ipsorum autem officium duret tantummodo per sex menses: quibus completis, potestas teneatur totidem subrogare officiales secundum formam præscriptam; qui prædictum officium secundum formam eamdem in aliis sex mensibus sequentibus exequantur.

XIII.

Sane ipsis officialibus dentur de camera communis civitatis vel loci, quando exeunt civitatem vel locum pro hoc officio exequendo, unicuique pro qualibet die decem & octo imperiales in pecunia numerata, quas Potestas vel rector teneatur eis dare, vel dari facere, infra diem tertium, postquam ad eamdem redierint civitatem vel locum.

XIV.

Et insuper habeant tertiam partem bonorum hæreticorum quæ occupaverunt, & mulctarum ad quas fuerunt condemnati, secundum quod inferius continetur, & hoc salario sint contenti. B

XV.

Sed ad nullum aliud, quod istud officium impediat vel impedire possit ullo modo, officium, vel etiam exercitium, compellantur.

XVI.

Nullum etiam statutum conditum vel condendum, eorum officium ullo modo valeat impedire.

XVII.

Et si quis horum officialium propter ineptitudinem, vel inertiam, vel occupationem aliquam, vel excessum, diœcesano & fratribus supradictis visus fuerit amovendus: ipsum ad mandatum vel dictum eorum teneatur amovere Potestas aut rector, & alium secundum formam præscriptam substituere loco eius. C

XVIII.

Quod si quis eorum, contra fidem & sinceritatem officii sui, in favorem hæresis deprehensus fuerit excessisse: præter notam infamiæ perpetuæ, quam tamquam fautor hæreticorum incurrat, per potestatem vel rectorem ad diœcesani loci & dictorum fratrum arbitrium puniatur.

XIX.

Potestas præterea militem suum, vel alium assessorem, si diœcesanus vel ejus vicarius, aut inquisitores a sede apostolica deputati, seu dicti officiales petiverint, cum ipsis officialibus mittere teneatur, & cum ipsis eorum officium fideliter exercere. Quilibet D etiam si præsens in terra, vel requisitus fuerit, teneatur tam in civitate quam in jurisdictione vel in districtu quolibet, dare ipsis officialibus vel eorum sociis consilium & juvamen, quando voluerint hæreticum, vel hæreticam capere, vel spoliare aut inquirere: seu domum vel locum, aut aditum aliquem introire pro hæreticis capiendis, sub vigintiquinque librarum imperialium pœna vel banno. Universitas autem burgi, sub pœna & banno librarum centum, villa vero librarum quinquaginta imperialium pro qualibet vice solvenda in pecunia numerata.

XX. E

Quicumque autem hæreticum vel hæreticam captum vel captam auferre de manibus capientium vel capientis ausus fuerit, vel defendere ne capiatur, seu prohibere aliquem intrare domum aliquam vel turrim seu locum aliquem ne capiatur & inquiratur ibidem, juxta legem Paduæ promulgatam per Fridericum tunc imperatorem, publicatis bonis omnibus, in perpetuum relegetur; & domus illa, a qua prohibiti fuerint, sine spe reædificandi funditus destruatur: & bona quæ ibi reperta fuerint, fiant capientium, ac si hæretici fuissent ibidem inventi: & tunc propter hanc prohibitionem vel impeditionem specialem, burgus

componat

componat communi librarum ducentarum, & villa librarum centum, & vicinia tam burgi quam civitatis librarum quinquaginta imperialium, nisi infra tertium diem ipsos defensores vel defensorem hæreticorum potestati captos duxerint personaliter præsentandos.

XXI.

Teneatur insuper Potestas, seu rector quilibet, omnes hæreticos vel hæreticas, qui capti amodo fuerint, per viros catholicos ad hoc electos a diœcesano, si fuerit præsens, & fratribus supradictis, in aliquo speciali carcere tuto & securo, in quo ipsi soli detineantur, seorsum a latronibus & bannitis, donec de ipsis fuerit definitum, sub expensis communis civitatis vel loci sui facere custodiri.

XXII.

Si quandoque aliqui vel aliquæ non hæretici pro captis hæreticis, ipsis non contradicentibus, fuerint assignati, vel se forsitan assignaverint: prædicti suppositi, perpetuo carceri mancipentur, & hæretici nihilominus reddi & assignari cogantur: & qui hunc dolum fecerint, juxta legem prædictam, bonis omnibus publicatis, in perpetuum relegentur.

XXIII.

Teneatur insuper Potestas, vel rector quilibet, cum bono & securo comitatu omnes hæreticos & hæreticas, quocumque nomine censeantur, infra quindecim dies postquam fuerint capti, diœcesano vel ejus speciali vicario, seu hæreticorum inquisitoribus præsentare, pro examinatione de ipsis & eorum hæresi facienda.

XXIV.

Damnatos vero de hæresi per diœcesanum, vel ejus vicarium, seu per inquisitores prædictos, Potestas, vel rector, vel ejus nuncius specialis eos sibi relictos recipiat statim, vel infra quinque dies ad minus, circa eos constitutiones contra tales editas servaturus.

XXV.

Teneatur præterea Potestas, seu rector, omnes hæreticos quos captos habuerit cogere, citra membri diminutionem & mortis periculum, tanquam vere latrones & homicidas animarum, & fures sacramentorum Dei & fidei Christianæ, errores suos expresse fateri, & accusare alios hæreticos quos sciunt, & bona eorum, & credentes & receptatores, & defensores eorum, sicut coguntur fures & latrones bonorum temporalium accusare suos complices, & fateri maleficia quæ fecerunt.

XXVI.

Domus autem, in qua repertus fuerit aliquis hæreticus vel hæretica, sine ulla spe reædificandi funditus destruatur: nisi dominus domus eos ibidem procuraverit reperire. Et si dominus illius domus alias domos habuerit contiguas illi domui, omnes illæ domus similiter destruantur, & bona quæ fuerint inventa in domo illa, & in domibus illis adhærentibus, publicentur, & fiant auferentium, nisi auferentes fuerint in officio constituti Et insuper dominus domus illius, præter notam infamiæ perpetuæ, quam incurrat, componat communi civitatis vel loci quinquaginta libras imperiales in pecunia numerata: quam si non solverit, in perpetuo carcere detrudatur. Burgus autem ille in quo hæretici capti fuerint vel inventi, componat communi civitatis libras centum, & villa libras quinquaginta, & vicinia tam burgi quam civitatis libras quinquaginta imperiales in pecunia numerata.

XXVII.

Quicumque vero deprehensus fuerit dare alicui hæretico vel hæreticæ consilium, vel auxilium, seu favorem, præter aliam pœnam superius & inferius prætaxatam, extunc ipso jure in perpetuum sit factus in-
A famis, nec ad publica officia seu consilia, vel ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur: sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ei super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum, nullius penitus sint momenti. Credentes quoque erroribus hæreticorum, tamquam hæretici puniantur.

XXVIII.

Teneatur insuper Potestas, seu rector, nomina virorum omnium, qui de hæresi fuerint infamati vel banniti, in quatuor libellis unius tenoris facere anno-
B tari: quorum unum commune civitatis vel loci habeat, & alium diœcesanus, & tertium fratres Prædicatores, & quartum fratres Minores: & ipsorum nomina ter in anno & in concione publica solemniter faciat recitari.

XXIX.

Teneatur quoque Potestas, seu rector, filios & nepotes hæreticorum, & receptatorum, defensorum, & fautorum diligenter investigare, eosque ad aliquod officium publicum seu consilium nullatenus admittere in futurum.

XXX.

Teneatur præterea Potestas, seu rector, unum de assessoribus suis, quem elegerit diœcesanus, si fuerit
C præsens, & inquisitores prædicti ab apostolica sede dati, mittere cum eis quandocumque voluerint, in jurisdictione civitatis atque districtu: qui assessor, secundum quod prædictis inquisitoribus visum fuerit, ibi tres aut plures boni testimonii viros, vel totam viciniam, si eis videbitur, jurare compellat, quod si quos ibidem hæreticos sciverint, vel bona eorum, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentes, vel credentes, aut defensores, seu receptatores, vel fautores hæreticorum, eos dictis inquisitoribus studeant indicare. Ipse autem Potestas contra accusatos procedat secundum leges quondam Friderici tunc imperatoris Paduæ promulgatas.

XXXI.

D Teneatur insuper potestas, seu rector, in destructione domorum, & condemnationibus faciendis, & in rebus inventis vel occupatis consignatis & dividendis, de quibus superius dicitur, infra decem dies, postquam accusatio facta fuerit, hæc omnia exequi cum effectu, & condemnationes omnes in pecunia numerata infra tres menses exigere, & dividere illas sicut inferius continetur, & eos qui solvere non potuerint banno maleficii supponere, & donec solvant in carcere detinere. Alioquin pro his omnibus & singulis syndicetur, sicut inferius continetur: & insuper teneatur unum de assessoribus suis, quemcumque diœcesanus, vel ejus vicarius, & dicti inquisitores hære-
E ticorum voluerint, ad hæc peragenda fideliter assignare, & mutare pro tempore, si eis visum fuerit opportunum.

XXXII.

Omnes autem condemnationes vel pœnæ, quæ occasione hæresis factæ fuerint, neque per concionem, neque per consilium, neque ad vocem populi, ullo modo aut ingenio, aliquo tempore valeant relaxari.

XXXIII.

Teneatur autem Potestas, seu rector, omnia bona hæreticorum, quæ per dictos officiales fuerint occupata seu inventa, & condemnationes pro his exactas dividere

dividere tali modo: una pars deveniat in commune civitatis vel loci; secunda in favorem & expeditionem officii detur officialibus, qui tunc negotia ipsa peregerint; tertia ponatur in aliquo tuto loco, secundum quod dictis diœcesano & inquisitoribus videbitur, reservanda & expendenda per consilium eorumdem in favorem fidei, & ad hæreticos extirpandos: non obstante hujusmodi divisioni statuto aliquo condito vel condendo.

XXXIV.

Si quis autem de cætero aliquod istorum statutorum aut constitutionum attentaverit delere, diminuere, vel mutare, sine autoritate sedis apostolicæ speciali: Potestas seu rector, qui pro tempore fuerit in illa civitate vel loco, teneatur eum, tamquam defensorem hæreticorum publicum & fautorem, secundum formam præscriptam perpetuo publice infamare, atque punire in libris quinquaginta imperialium in pecunia numerata: quam si exigere non potuerit, eum maleficii banno supponat, de quo exire non valeat, nisi solverit duplam dictæ pecuniæ quantitatem.

XXXV.

Teneatur sane Potestas, seu rector, infra decem dies sui regiminis syndicare præcedentem proxime Potestatem vel rectorem, & ejus etiam assessores, per tres viros catholicos & fideles, electos ad hoc per diœcesanum, si fuerit præsens, & per fratres Prædicatores & Minores, de omnibus his quæ in statutis istis seu constitutionibus & legibus contra hæreticos & eorum complices editis continentur, & punire ipsos, si excesserint, in omnibus & singulis quæ omiserint, & cogere restituere de propria facultate: non obstante si per aliquam licentiam consilii vel alterius cujuslibet a syndicatione fuerint absoluti.

XXXVI.

Iurabunt autem prædicti tres viri bona fide syndicare præfatos de omnibus supradictis.

XXXVII.

Cæterum teneatur Potestas seu rector cujuslibet civitatis vel loci, delere seu abradere penitus de statutis vel capitularibus communis quodcumque statutum conditum vel condendum, quod inveniatur contradicere istis constitutionibus, seu statutis & legibus quomodolibet obviare, & in principio & medio sui regiminis hæc statuta, seu constitutiones & leges, in publica concione solenniter facere recitari, & etiam in aliis locis extra civitatem suam vel locum, sicut diœcesano, seu inquisitoribus & fratribus supradictis, visum fuerit expedire.

XXXVIII.

Porro hæc omnia statuta, seu constitutiones, & leges, & si quæ aliæ contra hæreticos & eorum complices tempore aliquo autoritate sedis apostolicæ conderentur, in quatuor voluminibus unius tenoris debeant contineri: quorum unum sit in statutario communis cujuslibet civitatis, secundum apud diœcesanum, tertium apud fratres Prædicatores, quartum apud fratres Minores, cum omni sinceritate serventur, ne possint per falsarios in aliquo violari.

Datum Perusii Idibus Maii, pontificatus nostri anno IX.

IX. SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS IN EZELINUM.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam memoriam rei gestæ.

TRuculentam unius hominis rabiem, inhumanam sævamque barbariem Ezelini videlicet de Romano, quem diræ malignitatis enormitas fecit insignem, & mundo non incognita factorum atrocium

A multitudo spectabilem, humana societas ad eligendum improba a male potentium tyrannide instituta, indigne forsitan pertulisse videtur: sed indignius procul dubio noscitur sustulisse. Hic siquidem sub humani vultus effigie bellualem animum retinens, Christiani sanguinis sitibundus, & viribus rigidus alienis, implacabile adversus communia humanitatis fœdera bellum gerit. Non enim solum ferali hominum excidio debacchatur in corpora, verumetiam super communem modum, mensuram, & numerum, exhausti cruoris profluvio non contentus, per catholicos fidei corruptores spiritualis vitæ operatur exitium in interitum animarum. Nimirum si in suis atrocitatibus propria contra infensos sibi exe-

B queretur odia, jam deferbuisset in eo incalescens animi feritas peractæ ultionis refrigerio mitigata in his quos habere videbatur exosos. Sed ejus effera crudelitas sic in omnes excandescit, ut nec fortunæ nec vitæ pepercerit etiam amicorum, nec sexum miseratus fuerit in quibuslibet vel ætatem, nec alicujus religionis vel ordinis veneratus honorem, necans parvulos innocentes, adultos nequiter perimens, diversis excogitatis in eis generibus tormentorum, &, quod pudorosum est cogitare vel loqui, horrido impiæ sectionis caltro, tam feminas, ut dicitur, eunuchizare quam mares, spem futuræ prolis occidens in superstitibus occisorum, ut ex intentione quodammodo fiat eorum etiam, quos adhuc de lumbis na-

C tura non protulit, homicida. Quis ergo dubitet cum in hominibus non tantum personas persequi, sed etiam naturam? Quis ambigat illum quasi non hominem humani generis fore publicum inimicum? Hunc ex genere, cum publice damnati hæretici filius fuerit, hæreticorumque cognatus, hunc etiam ex moribus, cum eum perfidum esse contraria religioni Christianæque fidei opera manifestent, nos eum publicæ opinionis concurrente assensu, unam de subdolis vulpeculis præsumpsimus esse, quæ vineam Domini sabaoth demoliri non cessant, testamentum æterni evangelii corrumpentes. Ad hunc autem nequissimæ intentionis effectum eo ingenii sui calle processit, quia in quos potuit, vala scele-

D ratissimæ infectionis arripiens, per corporalis necis formidinem, quæ plerumque cadit in fortes, residuos regionis suæ viros redegit in parvulos, ut eis animorum confidentia, libertatis privilegio, & veritatis oraculo destitutis, facile per magistros errorum sub prædicti Ezelini præsidio ad subvertendas fidelium mentes in marchiæ Tervisinæ partibus emergentes, in publicum perversa infectionis hæreticæ dogmata suggerantur. Execrans præterea commune omnibus gentibus & magnum in Christo & ecclesia matrimonii sacramentum, quod non humanæ voluntatis inventio statuit, sed Divinæ institutionis commendat autoritas, quod tempora-

E liter orientis ex homine Salvatoris nativitas honoravit, quodque cunctis fere animantibus suggerit in eis insitus ordo naturæ, damnabili & de typno abominationis hæreticæ procedente præsumptionis audacia separat contra legis evangelicæ interdictum legitimæ conjunctionis fœdere copulatos, adeo inter complices suos fœda connubia & adulterina conjugia conjungendo, ex quibus spuria vitulamina prodeunt, radices altas posteritatis prospere non datura. Nos itaque, quos licet immeritos summus fidelium pastor ad arcendos a redempto Christi sanguine grege ferales impetus salutem Christiani populi lædentes & vitam, nec non ad hujusmodi investigandas assiduis vigiliis capiendasque vulpeculas ecclesiæ suæ voluit præsidere, valido clamore Christiani sanguinis, quo idem Ezelinus terram operuit, nec minus

evangelicæ fidei, quam molitur evertere, periculo excitati, per religiosos viros discernere curavimus, & videre, an idem Ezelinus illud circa fidem catholicam naufragium pateretur, quod de ipso detestanda nuntiabant opera, & vulgata infamia prædicabat. Cum autem ipsi religiosi super his cum diligentia inquirentes, eumdemque de fide Christi non recte sentire, & haberi debere suspectum veris indiciis comperissent: tandem ipse ad sedem apostolicam nuncios destinavit, quibus bonæ memoriæ Sabinensem episcopum concessimus auditorem, coram quo ad jurandum in ipsius Ezelini anima se obtulere paratos, quod idem de Deo & catholica fide credebat secundum quod Romana tenet ecclesia & docet esse credendum. Sed quoniam a dicto episcopo vel a nobis hujusmodi purgatio admissa non extitit, cum in tanto crimine non per nuncios, sed per propriam personam præstanda esset purgatio: coram nobis sibi præfiximus B terminum, quo apostolico se conspectui præsentaret, facturus super his quod ordo exigeret rationis, oblata sibi de securitate personæ in veniendo & redeundo plenaria cautione. Vnde quia nec in eodem termino, nec post ipsum, venire vel mittere procuravit, ipsum, qui plurium erat alias excommunicationum laqueis irretitus, & quod de fide catholica male sentiret certa ratione suspectus, anathematis vinculo duximus innodandum; alium ei terminum assignantes, quo in nostra compareat præsentia, super præmissis mandatis ecclesiæ pariturus; denunciando publice, quod nisi usque ad terminum ipsum id faceret, extunc procederemus gravius contra eum juxta legitimas & canonicas sanctiones. Cum autem ve- C nire seu mittere, licet ultra terminum diutius expectatus, obstinatione damnabili despexisset, & non solum per annum, sed per biennium vilipensis ecclesiæ clavibus prædictum sustinuisset contemptibiliter anathema: nos, quia non debebamus ulterius canonicum contra eum differre judicium quem tam longum diffugium & tam dura pertinacia reum tanti criminis ostendebant, præsertim quia hujusmodi judicii tarditas periculosam forte aliquibus præbebat audaciam, & quos a malis festinata unius pœna compesceret, protelata forsitan ad illam laxaret: eumdem Ezelinum tamquam hæreticum reputantes, decrevimus ipsum, habito fratrum nostrorum consilio, promulgatis adversus hæreticos sanctionibus subjacere; nisi usque ad Kalendas Augusti tunc proxime secuturas coram D nobis comparere curaret, nostris & ecclesiæ pariturus præcise beneplacitis & mandatis. Quem siquidem terminum tunc sibi ex multa benignitate apostolicæ sedis præfiximus, cum eum salvari vellemus potius quam perire. Ipse vero contra Deum & contra homines collo rebellionis extento, & ad omnem fidei Christianæ inobedientiam spiritu obfirmato, tamquam prolapsus in desperationis abyssum, & humani pudoris, Divini judicii, ac salutaris consilii pertinax aspernator, imminentia sibi discrimina quæcumque contempsit: & perire potius eligens quam parere, nec in termino sibi ex multa ecclesiæ miserationis lenitate concesso, nec postmodum diutius expectatus E venire curavit. Nos autem illius periculo condolentes, adhuc voluimus ejus duritiam solita sedis apostolicæ benignitate mulcere, si forte ad suscipiendum salutis remedium aliqua in eo scintilla sanioris consilii remansisset: ipsumque non semel vel secundo, sed pluries immo multoties ad . . . . . . judicium edictis legitimis evocatum, duximus prolixis ad convincendum inexcusabilem ejus malitiam temporum spatiis expectandum. Porro idem, sicut aspidis surdissimæ filius, ad omnem monitoris vocem obturans auditum, jam per sex annos & amplius vocationis longanimi- A tate & expectationis nostræ patientia est abusus. Nos igitur ex his attendentes quod diuturnioris erga eumdem Ezelinum tolerantiæ pietas in communem multorum posset redundare perniciem, & ulterior expectatio nihil operaretur in eo nisi contumaciam & contemptum: ne tantum malum in medio Christiani populi diutius toleratum latius pervagetur, de prædictorum fratrum nostrorum consilio, præsente fidelium populo, qui in die cœnæ Domini ex diversis mundi partibus ad apostolorum limina confluxit, prædictum Ezelinum sicut manifestum hæreticum sententialiter judicamus, ipsum excommunicatum & anathematizatum cum damnatis hæreticis deputando, adscripta illis damnationis stipendia recepturum, nisi forsitan eum, usque ad festum ascensionis Dominicæ proximæ venturum, ad præsentiam nostram personaliter venire audiemus: quod de abundantissima apostolicæ sedis clementia duximus adjungendum.

Datum Laterani quinto Idus Aprilis, pontificatus nostri anno undecimo.

X. AD OTTONEM CARDINALEM TVSCVLANVM.

De controversia orta inter archiepiscopum Nicosiensem Latinum ex una parte, & episcopos Græcos regni Cypri ex altera.

Innocentius episcopus servus servorum Dei venerabili fratri episcopo Tusculano apostolicæ sedis legato salutem & apostolicam benedictionem.

SVb catholicæ professione fidei atque cultu consistere ac proficere universos, cæteris nostræ mentis desiderabilibus præferentes, illud tamquam acceptabilius pleniori desiderio cupimus, & ad hoc velut operativum salutis præcipuum intimis affectibus anxius aspiramus. Hæc, inquam, unio sive connexio cordi nostro inæstimabilis gaudii rorem infunderet, si varias gentium nationes ejusdem observantia fidei in unum acceptabilem Christo populum adunaret. Id utique anxiæ mentis nostræ ardorem affluentis lætitiæ refrigeraret irriguo, si omnes quos olim in unum catholicum gregem ovile collegit Domini, cum multi ab eo discesserint, in idem individuum collegium unius pastoris solidaret magisterium, & custodia communiret. O si orientalibus Oriens ex alto luceret, & sui luminis illustratione ipsos ad catholicam reduceret unitatem: ut cum reliquis orthodoxis in unius aulæ collecti gremio, de matris ecclesiæ ubere fluenta doctrinæ salutaris haurirent. Tūc ipsi ecclesiæ proveniret magnum & desiderabile salutare: tunc ejus uterus sobole geminata concresceret: tunc orientalibus oriretur supernæ illuminationis aurora: tunc eis clarescerer Lucifer veritatis: tunc per universam ecclesiam inundantis gaudii erumperet plenitudo: tunc exultatione nimia clarescerer totus orbis, quia valde bonum & jucundum existeret fratres simul in domo Domini habitare: tunc eadem ecclesia, multiplicata lætitia, novæ jucunditatis canticum personaret. Verum quia nonnulli Græcorum jamdudum ad devotionem sedis apostolicę redeuntes, ei reverenter obediunt & intendunt: licet & expedit ut mores ac ritus eorum, quantum cum Deo possumus, tolerantes, ipsos in Romanæ ecclesiæ obedientia præservemus: quamquam in iis quæ animarum periculum parerent, vel honestati ecclesiasticæ derogarēt, nec debeamus illis deferre aliquatenus, nec velimus.

Sane inter venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Nicosiensem, & ejus suffraganeos Latinos ex parte una, & episcopos Græcos regni Cypri ex

ex altera, de quibusdam certis articulis discordiam & A turbationem fore subortam, & eorumdem tenorem articulorum ac responsiones ipsorum Græcorum ad illos, nobis, ut melius possimus instrui super eis, plene ac provide per tuas litteras intimasti, solicite requirendo, ut providere super hoc apostolica diligentia curaremus. Nos autem litteris ipsis affectuose receptis, earum seriem, & ipsos articulos, ac responsiones easdem, & cætera quæ continebantur in illis, una cum fratribus nostris perlegimus & intelleximus diligenter, prudentiam tuam multipliciter in Domino commendantes, & meditantes ac deliberantes super his, prout rei qualitas exigebat. Circa hæc itaque sic deliberatio nostra resedit.

I.

Ut Græci ejusdem regni in unctionibus quæ circa baptisma fiunt, morem ecclesiæ Romanæ teneant & observent.

II.

Ritus vero seu consuetudo quam habere dicuntur B ungendi per totum baptizandorum corpora, si tolli sine scandalo vel removeri non potest, cum sive fiat, sive non, quantum ad baptismi efficaciam vel effectum, non multum referat, toleretur.

III.

Nec refert etiam utrum in frigida vel calida aqua baptizent, cum parem vim & effectum in utraque baptismum habere, asseverare dicantur.

IV.

Soli autem episcopi consignent chrismate in frontibus baptizatos: quia hujus unctio non debet nisi per episcopos exhiberi: quoniam soli apostoli, quorum vices gerunt episcopi, per manus impositionem, quam confirmatio vel frontis chrismatio repræsentat, Spi- C ritum sanctum tribuisse leguntur.

V.

Singuli quoque episcopi in suis ecclesiis, in die cœnæ Domini possunt secundum formam ecclesiæ chrisma conficere, ex balsamo quidem & oleo olivarum. Nam Spiritus sancti donum in chrismatis unctione confertur, & columba utique, quæ ipsum designat Spiritum, olivæ ramum ad arcam legitur retulisse. Sed si suum antiquum ritum in hoc Græci potius servare voluerint, videlicet quod patriarcha una cum archiepiscopis & episcopis ejus suffraganeis, & archiepiscopi cum suffraganeis suis, simul chrisma conficiant, in tali eorum consuetudine tolerentur. D

VI.

Nullis autem per sacerdotes vel confessores, pro satisfactione pœnitentiæ, unctio aliqua solummodo injungatur.

VII.

Iac. 5. Infirmis vero, juxta verbum Iacobi apostoli, unctio exhibeatur extrema.

VIII.

Porro in appositione aquæ, sive frigidæ, sive calidæ, vel tepidæ, in altaris sacrificio, suam si velint consuetudinem Græci sequantur; dummodo credant & asserant, quod servata canonis forma conficiatur pa- E riter de utraque.

IX.

Sed Eucharistiam in die cœnæ Domini consecratam usque ad annum, prætextu infirmorum, ut de illa videlicet ipsos communicent, non reservent: liceat tamen eis pro infirmis ipsis corpus Christi conficere, ac per quindecim dies, & non longiori temporis spatio, conservare: ne per diutinam ipsius reservationem, alteratis forsitan speciebus, reddatur minus habile ad sumendum: licet veritas & efficacia semper eadem omnino remaneat, nec ulla unquam diuturnitate seu volubilitate temporis evanescat.

X.

In celebratione vero solennium, & aliarum Missarum, & de hora celebrandi eas, dummodo in confectione vel consecratione formam verborum a Domino expressam & traditam observent, & celebrando non transgrediantur horam nonam, suam sequi consuetudinem permittantur.

XI.

Sacerdotes autem dicant horas canonicas more suo: sed Missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant.

XII.

Promovendi vero ad sacerdotium, & presbyteri qui præficiendi fuerint ecclesiarum regimini, examinentur antea diligenter, si præcipue de horis canonicis & Missarum officiis secundum distinctionem temporum exequendis sint sufficienter instructi; ut ad ad hæc non nisi digni & idonei admittantur.

XIII.

Cæterum unusquisque sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo calice sacrificet: habens corporale de lino candidum & nitidum, & altare mundis vestimentis opertum, vel decentibus paramentis.

XIV.

Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio omnino repellantur.

XV.

De jejunio vero diei sabbati quadragesimali tempore, quamquam honestius & salubrius Græci agerent, si sic toto illo tempore abstinerent, ut nec unico die institutum jejunium violarent, teneant & servent pro libito morem suum.

XVI.

Sacerdotes quoque conjugati, & alii quibus parochiarum cura vel ecclesiarum parochialium regimen per episcopos suos committitur, licite ac libere possint parochianorum suorum confessiones audire, ipsisque pœnitentiam injungere pro peccatis: quia cui licet vel conceditur quod est majus, competit nimirum, nec negari convenit, quod est minus.

XVII.

Liberum tamen sit ipsis episcopis viros alios idoneos coadjutores & cooperatores habere in audiendis confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris quæ ad salutem pertinent animarum, ipsisque in his per eorum diœceses, absque sacerdotum ipsorum præjudicio & gravamine, committere vices suas; cum propter occupationes multiplices, & occasiones varias possit contingere, quod nequeant per easdem diœceses officium suum exequi per seipsos.

XVIII.

De fornicatione autem, quam solutus cum soluta committit, quin sit mortale peccatum, non est aliquatenus ambigendum: cum tam fornicarios quam adulteros a regno Dei apostolus asserat alienos.

XIX.

Ad hæc volumus & expresse præcipimus quod episcopi Græci septem ordines secundum morem ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse vel prætermisisse dicantur. Illi tamen qui jam sunt taliter ordinati per eos, propter nimiam ipsorum multitudinem, in sic susceptis ordinibus tolerentur.

XX.

Quia vero secundum Apostolum mulier mortuo viro ab ipsius est lege soluta, ut nubendi cui vult in Domino liberam habeat facultatem, secundas, & tertias, ac ulteriores etiam nuptias Græci non reprehendant aliquatenus, nec contemnant, sed potius

illas approbent inter personas quæ alias licite adinvi- A cem matrimonio jungi possunt.

XXI.

Secundo tamen nubentes presbyteri non benedicant.

XXII.

Et quoniam apud eos consueverunt contrahi matrimonia inter personas contingentes se juxta eorum computationem octavo gradu, qui secundum computationem & distinctionem graduum, quam nos facimus apud nos, quartus habetur: ne id præsumatur deinceps firmiter prohibemus; districte præcipientes, ut, cum in ulterioribus gradibus licite matrimonia contrahantur, in prædicto quarto consanguinita- B tis vel affinitatis gradu copulari ulterius non præsumant; statutum in hoc generalis concilii observantes. Illos tamen qui jam in gradu hujusmodi contraxerunt, dispensative permittimus in sic contracto matrimonio remanere.

XXIII.

Matth. 12. Denique cum Veritas in evangelio asserat, quod si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo, neque in futuro dimittetur ei: per quod datur intelligi quasdam culpas in præsenti, quasdam vero in futuro sæculo relaxari; & Apostolus dicat

1. Cor. 3. quod *uniuscujusque opus quale sit ignis probabit: & cujus opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem:* & ipsi Græci C vere ac indubitanter credere ac affirmare dicantur, animas illorum, qui suscepta pœnitentia, ea non peracta, vel qui sine mortali peccato, cum venialibus tamen & minutis decedunt, purgari post mortem, & posse suffragiis ecclesiæ adjuvari: nos, quia locum purgationis hujusmodi dicunt non fuisse sibi ab eorum doctoribus certo & proprio nomine indicatum, illum quidem juxta traditiones & autoritates sanctorum patrum purgatorium nominantes, volumus quod de cætero apud illos isto nomine appelletur. Illo enim transitorio igne peccata utique, non tamen criminalia seu capitalia, quæ prius per pœnitentiam non fuere remissa, sed parva & minuta purgantur: quæ post mortem etiam gravant, si in vita non fuerint D relaxata.

XXIV.

Si quis autem absque pœnitentia in peccato mortali decedit, hic proculdubio æternæ gehennæ ardoribus perpetuo cruciatur.

XXV.

Animæ vero parvulorum, post baptismi lavacrum, & adultorum etiam in caritate decedentium, qui nec peccato, nec ad satisfactionem aliquam pro ipso tenentur, ad patriam protinus transvolant sempiternam.

XXVI.

Ordinationes demum & instituta regularia sanctorum patrum de vita & statu monachorum præcipimus ab abbatibus & monachis Græcis inviolabiliter E observari.

Fraternitatem itaque tuam hortamur attente, per apostolica tibi scripta mandantes, quatenus præmissa omnia episcopis Græcis præfati regni seriatim & diligenter exponi facias: districte ipsis injungens, ut ea solicite attendere, studiose tenere, ac efficaciter observare procurent, & a suis faciant subditis observari. Memoratis autem archiepiscopo Nicosiensi, & ejus suffraganeis Latinis, firmiter autoritate nostra præcipias, ut eosdem Græcos super præmissis contra hujusmodi provisionem & deliberationem nostram non inquietent aliquatenus, nec molestent. Contradictores eadem autoritate, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus, si præfatis archiepiscopo & suffraganeis, vel quibuscumque aliis, a sede apostolica sit indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas plenam & expressam, ac de verbo ad verbum non facientes de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Laterani II. Nonas Martii, pontificatus nostri anno undecimo.

XI. AD OMNES FIDELES.

Contra hæreticos.

Innocentius IV. servus servorum Dei universis Christi fidelibus.

Noverit universitas vestra, quod nos ad instar felicis recordationis Gregorii papæ prædecessoris nostri excommunicamus & anathematizamus universos hæreticos, Catharos, Patarenos, Pauperes de Lugduno, Passaginos, Iosepinos, Arnaldistas, Speronistas, & alios, quibuscumque nominibus censeantur, facies quidem habentes diversas, sed caudas adinvicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum. Damnati vero per ecclesiam sæculari judicio relinquantur animadversione debita puniendi; clericis prius a suis ordinibus degradatis.

Si qui autem de prædictis, postquam fuerint deprehensi, redire voluerint, ad agendam condignam pœnitentiam in perpetuo carcere detrudantur.

Credentes autem eorum erroribus, similiter hæreticos judicamus.

Item receptatores, defensores, & fautores hæreticorum, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere: firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, a sua super hoc non curaverit præsumptione cessare, ipso jure sit factus infamis, nec ad publica officia, seu consilia, nec ad eligendos aliquos ad hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus præterea ipsi super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur. Quod si forte judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti, sed cum autore damnato damnentur: & in similibus idem præcipimus observari. Si vero clericus fuerit, ab omni officio & beneficio deponatur. Si qui autem tales, postquam ab ecclesia fuerint denotati, evitare contempserint: excommunicationis sententia percellantur, alias animadversione debita puniendi. Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, anathematis gladio feriantur, & usque ad satisfactionem condignam ab omnibus evitentur: ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, extunc velut hæretici condemnentur. Item proclamationes aut appellationes hujusmodi personarum minime audiantur. Item judices, advocati & notarii, nulli eorum officium suum impendant: alioquin eodem officio perpetuo sint privati. Item clerici non exhibeant hujusmodi pestilentibus ecclesiastica sacramenta; nec eleemosynas aut oblationes eorum recipiant. Similiter Hospitalarii, aut Templarii, ac quilibet regulares. Alioquin suo priventur officio, ad quod nunquam restituantur absque indulto sedis apostolicæ speciali. Item quicumque tales præsumpserint ecclesiasticæ tradere sepulturæ, usque ad satisfactionem idoneam, excom-

excommunicationis sententiæ se noverint subjacere, nec absolutionis beneficium mereantur, nisi propriis manibus publice extumulent & projiciant hujusmodi corpora damnatorum, & locus ille perpetua careat sepultura. Item firmiter inhibemus, ne cuiquam personæ laïcæ liceat publice vel privatim de fide catholica disputare: qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur. Item si quis hæreticos sciverit, vel aliquos occulta conventicula celebrantes, seu a communi conversatione fidelium vita & moribus dissidentes, eos studeat indicare confessori suo, vel alii, per quem credat ad prælati sui & inquisitorum hæreticæ pravitatis notitiam pervenire: alioquin excommunicationis sententia percellatur. Hæretici autem & receptatores, defensores & fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum & inane. Nos enim prædictos & quoscumque viros ecclesiasticos, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum, dignitates, personatus, & quæcumque alia ecclesiastica beneficia, sunt adepti, exnunc privamus taliter acquisitis: volentes ut tales & habitis perpetuo careant, & ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur. Illorum autem filiorum emancipationem nullius momenti esse volumus, quorum parentes post emancipationem hujusmodi ad viam superstitionis hæreticæ a via declinasse constiterit veritatis.

Datum Anagniæ decimoseptimo Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno undecimo.

XII. AD FRATRES PRÆDICATORES.

De hæresi extirpanda.

Innocentius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis fratribus ordinis Prædicatorum inquisitoribus hæreticæ pravitatis præsentibus & futuris in Lombardia & marchia Ianuensi salutem & apostolicam benedictionem.

MAlitia hujus temporis in diversis mundi partibus, & maxime in provincia Lombardiæ, perversorum morum peperit corruptelam, ex quibus letifera pestis hæreticæ pravitatis abundantius solito noscitur pullulasse. Ad extirpationem igitur ejusdem pestis juxta officii nostri debitum ex animo intendentes, volumus adversus hujusmodi iniquitatis operarios, qui massam catholicæ puritatis fermento propriæ contagionis inficiunt, fideles, ut consurgant stentque nobiscum pro evangelicis, quas professi sunt, legibus defendendis, salubribus adhortationibus incitari.

Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, in remissionem vobis peccaminum injungentes, quatenus in locis ubi contra hæreticos vobis inquisitionis officium commissum est, curetis singuli opportuna instantia contra eosdem hæreticos eorumque fautores proponere populis publice verbum crucis: & eos qui tacti zelo fidei ad extirpandam pravitatem eamdem votum assumpserint, crucis charactere consignare.

Vt autem vobis de prædicatione hujusmodi, & fidelibus qui ejusdem crucis ob hoc votum assumpserint, copiosæ mercedis præmium afferatur, vobis & eisdem fidelibus illam indulgentiam illudque privilegium elargimur, quæ transeuntibus in terræ sanctæ subsidium in generali concilio conceduntur. Cum autem hujusmodi crucis verbum per vos proponi contigerit: relaxandi omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui ad audiendum verbum ipsum devote adfuerint, quadraginta vel viginti dies de iniunctis pœnitentiis, libera sit vobis & singulis vestrum de nostra concessione facultas. Quod si forte, quod non credimus, aliqua civitas, communitas, vel persona, cujuscumque conditionis vel gradus, huic tam salubri negotio se opponere, seu illud præsumpserit aliquatenus impedire, ut per vos, vel per alios autoritate nostra ad hoc deputatos, vel in posterum deputandos, libere procedi non valeat in eodem; immo si quicumque requisiti illud fovere neglexerint, & juxta officium & posse suum studiose juvare: contra eos, tamquam defensores & fautores hæreticorum, sublato appellationis obstaculo, vos vel vestrum singuli autoritate nostra intrepide procedatis. Contra quos, prout audacia ipsorum exegerit, reges & principes Christianos, nec non crucesignatos pro terræ sanctæ succursu, curabimus invocare: cum non minus expediat, immo magis, fidem in locis prope positis, quam procul distantibus defensare.

Porro ut non solum inquisitionis vobis super hæretica pravitate commissæ, sed & hujusmodi prædicationis crucis officium in manibus vestris congruis favoribus adjuvetur, absolvendi juxta formam ecclesiæ, omnes qui contra pravitatem hæreticam assumpserint signum crucis, ab interdicti, suspensionis, & excommunicationum sententiis canonicis, & præsertim ab illis quas pro incendiis, vel effractionibus ecclesiarum, seu injectione manuum violenta in personas ecclesiasticas, incurrerunt: & aliis quoque sententiis a nobis vel autoritate nostra generaliter promulgatis, nisi adeo gravis & enormis excessus fuerit personarum, quod ab his oporteat absolutionis beneficium per sedem apostolicam obtineri: nec non & ab illis sententiis, quas, adhærendo & favendo contra ecclesiam quondam Friderico, se tum pro imperatore gerenti, seu Conrado nato ejus, vel ipsorum fautoribus, incurrerunt: Ezelino de Romanis, Vberto marchione Pelavicino, marchionibus, comitibus, baronibus, capitaneis, potestatibus, rectoribusque civitatum atque locorum, similibusque personis, qui in ecclesias & personas ecclesiasticas sæva exercuisse noscuntur, aut eorum bona nequiter occupasse, dumtaxat exceptis: dummodo assumpto crucis signaculo, votum hujusmodi, qui absoluti fuerint, efficaciter prosequantur; & ipsi caveant quod de cætero contra ecclesiam nunquam erunt; & tam ab ipsis, quam ab aliis præmissis, plena de damnis & injuriis, propter quæ excommunicati noscuntur, satisfactio, vel satisfaciendi sufficiens securitas, impendatur. Nec non & dispensandi cum clericis super irregularitatibus, quas celebrando Divina ligati sententiis canonicis contraxerunt: commutandi quoque vota eorumdem crucesignatorum, voventium & votorum qualitate pensata: terræ sanctæ votis, aliisque perpetuis, quæ commutationis non admittunt remedium, dumtaxat exceptis. Concedendi quoque crucesignatis iisdem, quod tempore generalis interdicti possint interesse Divinis officiis, & ecclesiastica sacramenta recipere, in locis in quibus eadem ex indulto sedis apostolicæ celebrantur: dummodo, si in præmissis casibus, ecclesiasticis tenentur ligati sententiis, prius beneficium absolutionis assequantur: vobis & singulis vestrum autoritate præsentium concedimus facultatem.

Datum Anagniæ decimotertio Kalendas Iulii, pontificatus nostri anno undecimo.

"** XIII. AD LOMBARDIÆ, ROMANIOLÆ, ET MARCHIÆ TARVISINÆ RECTORES

Approbat leges a Friderico imp. contra hæreticos, eorumque fautores editas.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis

filiis potestatibus, consiliis, & communitatibus civitatum, aliorumque locorum Lombardiæ, marchiæ Tarvisinæ, ac Romaniolæ, salutem & apostolicam benedictionem.

CUm adversus hæreticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum imperator promulgaverit quasdam leges, per quas ne pervagetur, compesci poterit pestis illa: nos illas volentes ad robur fidei, ac salutem fidelium observari, universitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus eas, quorum tenores vobis mittimus insertos præsentibus, faciatis singuli in vestris capitularibus annotari, contra hæreticos sectæ cujuslibet secundum eas exacta diligentia processuri. Alioquin dilectis filiis Priori, provinciali & fratribus inquisitoribus hæreticæ pravitatis ordinis Prædicatorum in Lombardia, marchia Tarvisina, & Romaniola litteris nostris injungimus, ut vos ad id per excommunicationem in personas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant.

Sequuntur leges dom. Friderici imperatoris.

FRidericus Dei gratia Romanorum imperator, & semper augustus, Hierusalem & Siciliæ rex, dilectis principibus suis, venerabilibus archiepiscopis, aliisque prælatis ecclesiarum, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, potestatibus, scultetis, burgaviis, advocatis, judicibus, ministerialibus, officialibus, & omnibus per totum imperium constitutis, præsentes litteras inspecturis fidelibus suis, gratiam suam, & omne bonum.

Commissi nobis cælitus cura regiminis & imperialis, cui dante Domino præsidemus, fastigium dignitatis, materialem, quo divisim a sacerdotio fungimur, gladium adversus hostes fidei & in exterminium hæreticæ pravitatis exigunt exerendum: ut perfidiæ vipereos filios contra Deum & ecclesiam insultantes, tanquam materni uteri corrosores, in judicio & justitia persequamur, maleficos vivere non passuri, per quorum scientiam seducentem mundus inficitur, & in gregem fidelium per oves has morbidas gravior infligitur corruptela.

Statuimus itaque sancientes, ut hæretici, quocumque nomine censeantur, ubicumque per imperium damnati fuerint ab ecclesia, & sæculari judicio assignati, animadversione debita puniantur.

Si qui vero de prædictis, postquam fuerint deprehensi, territi metu mortis, redire voluerint ad fidei unitatem, juxta canonicas sanctiones ad agendum pœnitentiam in perpetuum carcerem detrudantur.

Præterea, quicumque hæretici reperti fuerint in civitatibus, oppidis, seu aliis locis imperii per inquisitores ab apostolica sede datos, & alios orthodoxæ fidei zelatores: hi qui jurisdictionem ibidem habuerint, ad inquisitorum & aliorum catholicorum virorum insinuationem eos capere teneantur: & eos captos arctius custodire, donec per censuram ecclesiasticam damnatos, damnabili morte perimant, qui fidei sacramenta & vitæ damnabant.

Simili quoque pœna plecti censemus omnes, quos ad fovendum hæreticorum errorem callidus hostis suscitat advocatos, vel parat illicitos defensores: maxime cum facinus quos inquinat, æquat: nisi monitione præmissa destiterint, & eorum vitæ duxerint consulendum.

Eos præterea qui convicti in uno loco de hæresi, ad alia loca se transferunt, ut cautius possint effundere viras hæreticæ pravitatis, debitam censemus subire vindictam: ut super hoc per viros ab eodem errore conversos ad fidem, nec non & per alios, qui eos de hæresi convicerunt, quod & in hoc casu concedimus licite faciendum, evidens testimonium habeatur.

Item mortis sententiæ ducimus addicendos, si quos hæreticorum ad judicium tractos, in extremæ vitæ periculo hæresim abjurantes, postmodum de falso juramento constiterit, & fide mentita convinci, ac eos contigerit ejusdem morbi spontaneam incurrere recidivam: ut sibi damnabilius iniquitas sit mentita, & pœnam debitam mendacium non evadat.

Omne insuper proclamationis & appellationis beneficium, ab hæreticis, receptatoribus, & fautoribus eorumdem, penitus amovemus: volentes ut de finibus imperii, in quibus semper debet existere fida fides, hæreticæ labis germina modis omnibus deleantur.

Cæterum quia quanto majora Divinæ nutu miserationis accepimus, & altiorem locum præ filiis hominum obtinemus, tanto devotiora debemus obsequia gratitudinis conferenti: si quando in nostri nominis contemptores nostri culminis excandescit autoritas, si reos læsæ majestatis, in personis eorum & liberorum suorum exheredatione damnamus, multo fortius, justiusque contra Dei blasphematores nominis, & catholicæ fidei detractores provocamur, eorumdem hæreticorum, receptatorum, fautorum, & advocatorum suorum, heredes & posteros, usque ad secundam progeniem, beneficiis cunctis temporalibus publicis officiis & honoribus, imperiali autoritate privantes, ut in paterni memoria criminis continuo mœrore tabescant: vere scientes, quod Deus zelotes est, peccata patrum in filios potenter ulciscens.

Nec quidem a misericordiæ finibus duximus excludendum, ut si qui paternæ hæresis non sequaces, latentem patrum perfidiam revelaverint: quacumque reatus illorum animadversione plectantur, prædictæ punitioni non subjaceant innocentiæ filiorum.

Ad hæc, notum fieri volumus, fratres Prædicatores de ordine Prædicatorum, pro fidei negotio in partibus imperii nostri contra hæreticos deputatos, cæteros quoque qui ad hæreticos judicandos accesserint, nisi aliqui eorum ab imperio fuerint proscripti, eundo, morando, & redeundo, sub nostri imperii speciali defensione receptos, & quos apud omnes, sub ope ac recommendatione fidelium imperii esse volumus inoffensos. Universitati vestræ mandantes, quatenus quocumque, & apud quemcumque vestrum pervenerint, benigne recipiatis eosdem; & personas ab incursu hæreticorum eis insidiantium conservantes indemnes, omne consilium, ducatum, & auxilium impendatis, pro tam acceptis coram Deo negotiis exequendis.

Hæreticos vero, quos & ostenderint ipsi vobis, in jurisdictione vestra singuli capientes, diligenti custodia detinendos, donec post ecclesiasticæ damnationis judicium, pœnam subeant, quam merentur. Scituri quod in executione ipsius negotii, gratum Deo, & laudabile nobis obsequium conferetis, si ad expellendam de partibus nostri imperii novam & insolitam hæreticæ pravitatis infamiam; opem, & operam, una cum eisdem fratribus, præstiteritis efficacem, & si quis foret exinde negligens & remissus, ac etiam inutilis, coram Domino & in conspectu nostro poterit merito culpabilis apparere.

Datum Paduæ 22. Februarii, XII. indictione.

Fridericus Dei gratia, &c.

INconsutilem tunicam Dei nostri dissuere conantur hæretici, & vocabuli vitio servientes, quod significationem divisionis enunciat, in ipsius indivisibilis fidei unitate nituntur inducere sectionem: & oves a Petri custodia, cui pascendæ a pastore bono sunt creditæ, segregare. Hi sunt lupi rapaces intrinsecus, eo usque mansue-

mansuetudinem prætendentes ovium, quousque ovile A possint subintrare Dominicum. Hi sunt angeli pessimi. Hi sunt filii pravitatum, a patre nequitiæ, & fraudis autore, ad animas simplices destinati. Hi colubri, qui columbas decipiunt. Hi serpentes, qui latenter videntur inserpere, & sub mellis dulcedine, virus evomere. Ut vitæ cibum ministrare se simulent, a cauda feriunt: & mortis poculum, velut quoddam durissimum venenum immiscent. Horum sectæ, veteribus, vel ne in publicum prodeant, non sunt notatæ nominibus, vel, quod est forte nefandius, non contentæ, ut vel ab Ario Ariani, vel a Nestore Nestoriani, aut a similibus similes nuncupentur: sed in exemplum martyrum, qui pro fide catholica martyria subierunt, Patarenos se nominant, velut expositos passioni. Hujusmodi miseri Patareni, a quibus abest sancta credulitas B divinitatis æternæ, sub uno contextu nequitiæ insimul tres offendunt; Deum videlicet, proximos, & seipsos. Deum, dum Dei fidem, & Filium non agnoscunt. Decipiunt proximos, dum ipsis sub spe spiritualis alimoniæ, hæreticæ pravitatis oblectamenta ministrant. Crudelius etiam sæviunt in se ipsos, dum post animarum dispendium, corpora denique severæ mortis illecebris, quam per agnitionem veram & veræ fidei possent evadere, vitæ prodigi, & necis improvidi sectatores, involvunt: &, quod est ipso dictu dirissimum, superstites etiam non terrentur exemplo.

Contra tales, sibi, Deo, & hominibus sic infestos, continere non possumus motus nostros, quin debitæ ultionis in eos gladium exeramus: tanto ipsos instantius persequentes, quanto in evidentiorem delusionem C fidei Christianæ, prope Romanam ecclesiam, quæ caput ecclesiarum omnium judicatur, superstitionis suæ scelera latius exercere noscuntur. Adeo quod ab Italiæ finibus præsertim a partibus Lombardiæ, in quibus pro certo perpendimus ipsorum nequitiam latius abundare, jamque usque ad regnum nostrum Siciliæ, suæ perfidiæ rivulos derivarunt. Quod acerbissimum reputantes, statuimus in primis, ut crimen hæreseos, & damnatæ sectæ cujuslibet, quocumque nomine censeantur sectatores, prout veteribus legibus est indictum, inter publica crimina numerentur. Immo crimine læsæ majestatis nostræ debet ab omnibus horribilius judicari, quod in Divinæ majestatis injuriam noscitur attentatum, quamvis iudicii potestate alterum alteri non excellat. Nam sicuti perduellionis D crimen personas admittit damnatorum, & bona, & damnat post obitum memoriam defunctorum: sic & in prædicto crimine, quo Patareni notantur, per omnia volumus observari.

Et ut ipsorum nequitia, qui, quia Dominum non sequuntur, in tenebris ambulant, detegatur: nemine etiam deferente, investigari volumus diligenter huiusmodi scelerum patratores; & per officiales nostros, sicut & alios malefactores inquiri. Ac inquisitione notatos, etsi levis superstitionis argumento tangantur, a viris ecclesiasticis, & prælatis examinari iubemus. Per quos si inuenti fuerint a fide catholica saltem in articulo deviare, ac per ipsos pastorali more commoniti, tenebrosi diaboli relictis insidiis, noluerint agnoscere Deum lucis, sed in erroris concepta in- E stantia perseverent: præsentis nostræ legis edicto damnatos mortem pati Patarenos aliosque hæreticos, quocumque nomine censeantur, decernimus, quam affectant: ut vivi in conspectu hominum comburantur, flammarum commissi iudicio. Nec dolemus, quod in hoc ipsorum satisfacimus voluntati, ex quo pœnam solummodo, nec fructum alium consequuntur erroris.

Apud nos pro talibus nemo intervenire præsumat: quod qui fecerit, in ipsum nostræ indignationis aculeos non immerito convertemus.

Datum Paduæ 22. Februarii, xii. Indict.

Imperator Fridericus semper augustus, &c.

Patarenorum receptatores, & complices, & quocumque modo fautores, qui ut a pœna alios possint eximere, de se velut improvidi non formidant, publicatis bonis omnibus relegandos in perpetuum esse censemus.

Et ipsorum filii ad honores aliquos nullatenus admittantur. Si tamen aliquis fautorum hujusmodi, detexerit aliquem Patarenum, de cujus perfidia manifeste probatur: in fidei præmium quam agnovit, famæ pristinæ de imperiali clementia restitutionis beneficium in integrum consequatur.

Incipiunt capitula constitutionis contra Patarenos editæ per eumdem Fridericum illustrem virum, Romanorum imperatorem semper augustum, Hierusalem, & Siciliæ regem.

Catharos, Patarenos, Speronistas, Leonistas, Arnaldistas, Circumcisos, Passaginos, Iosepinos, Garatenses, Albanenses, Franciscos, Bagnarolos, Commixtos, VValdenses, Roncarolos, Communellos, VVarinos, & Ortolenos, cum illis de Aquanigra, & omnes hæreticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus. Censentes ut bona talium confiscentur, nec ad eos ulterius revertantur: ita quod filii eorum ad successionem pervenire non possint, cum longe sit gravius æternam, quam temporalem offendere majestatem.

Qui autem inventi fuerint sola suspicione notabiles, nisi ad mandatum ecclesiæ, juxta considerationem suspicionis, qualitatemque personæ, propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint: tamquam infames & banniti ab omnibus habeantur, ita quod si per annum permanserint, ex tunc eos sicut hæreticos condemnamus.

Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates, & consules, seu rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei præstent publicum juramentum, quod de terris suæ ditioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos, bona fide pro viribus exterminare studebunt. Ita quod amodo quandocumque quis fuerit in perpetuam honestatem[a], vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum juramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus, neque pro consulibus, seu consimilibus habeantur: eorumque sententias ex tunc decernimus inutiles & inanes. Si vero dominus temporalis, requisitus & monitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab hæretica pravitate: post annum a tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, absque ulla contradictione possideant, & in fidei puritate conservent, salvo jure dominii temporalis: dummodo super hoc nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat. Eadem nihilominus lege servata, contra eos qui non habent dominos principales.

[a] f potestatem

Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum bannimus. Statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommunicatione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso jure sit factus infamis, & ad publica officia, seu consilia, vel ad aliquos eligendos hujusmodi, nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem, nec ad hereditatis successionem accedat. Nullus ei præterea super quocumque negotio, sed ipse aliis respondere cogatur.

tur. Quod si judex extiterit, ejus sententia nullam obtineat firmitatem, nec causæ aliquæ ad ejus audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, ejus patrocinium nullatenus admittatur. Si tabellio, ejus instrumenta confecta per manum ipsius nullius penitus sint momenti. Adjicimus insuper, quod hæreticus per hæreticum convinci possit, & quod domus Patarenorum, receptatorum, & defensorum, & fautorum, sive ubi docuerint, sive ubi aliis manus imposuerint, destruantur, nullo tempore restituendæ.

Datum Paduæ 22. Februarii, xij. Indict.

Rex Regum apostatantes a fide Catholica penitus execramur, insequimur ultionibus, bonis suis omnibus spoliamus. Et ut a professione vel vita naufragantes, legibus coarctamus. Successiones tollimus, ab eis omne jus legitimum abdicamus.

Datum Perusii, secundo Kal. Novemb. pontificatus nostri anno primo.

** XV. AD S. LUDOVICUM FRANCORUM REGEM.

Hortatur ut libros Talmudicos cremari jubeat.

IMpia Iudæorum perfidia, de quorum cordibus propter immensitatem suorum scelerum redemptor noster velamen non abstulit, sed in cæcitate, quæ contingit ex parte in Israël, adhuc manere permittit, prout convenit, non attendens, quod ex sola misericordia, pietas ipsos Christiana receptet, & cohabitationem illorum sustineat patienter, illa committit enormia, quæ stupori audientibus, & referentibus sunt horrori. Ipsi enim ingrati Domino Iesu Christo, qui conversionem eorum ex suæ longanimitatis affluentia patienter expectat, nullam prætendentes verecundiam culpæ suæ, nec reverentes honorem fidei Christianæ, omissis seu contemptis lege Mosaïca & Prophetis, quasdam traditiones suorum seniorum sequuntur. Super quibus eos in evangelio Dominus objurgat dicens: *Quare vos transgredimini mandatum Dei, & irritum fecistis propter traditiones vestras, hominum doctrinas & mandata docentes?* (Matth. 15.)

In hujusmodi namque traditionibus, (quæ Talmud Hebraice nuncupantur, & magnus liber est apud eos, excedens textum Bibliæ in immensum, in quo sunt blasphemiæ in Deum, & Christum ejus, ac beatam Virginem, manifestæ, intricabiles fabulæ, abusiones erroneæ, ac stultitiæ inauditæ) filios suos docent, ac nutriunt, & a legis & prophetarum doctrina reddunt ipsos penitus alienos. Verentes ne veritate, quæ in eisdem lege ac Prophetis est, intellecta, aperte de unigenito Dei Filio venturo in carne, testimonium perhibente, convertantur ad fidem, & ad redemptorem suum humiliter revertantur.

Et his non contenti, faciunt Christianas filiorum suorum nutrices in contumeliam fidei Christianæ, cum quibus turpia multa committunt. Propter quæ fidelibus est verendum, ne Divinam indignationem incurrant, dum eos perpetrare patientur indigne, quæ fidei nostræ confusionem inducunt.

Et licet dilectus filius cancellarius Parisiensis, & doctores regentes Parisiis in sacra pagina, de mandato felicis recordationis Gregorii Papæ prædecessoris nostri, tam prædictum abusionis librum, quam alios quosdam cum omnibus glossis suis perlectis in potestate, ac examinatos, ad confusionem perfidiæ Iudæorum, publice coram clero, & populo, incendio concremarint, prout in litteris eorum perspeximus contineri, quibus tu tamquam catholicus Rex & princeps Christianissimus impendisti super hoc auxilium congruum & favorem, pro quo regalem excellentiam dignis in Domino laudibus commendamus, ac prosequimur actionibus gratiarum: quia tamen nondum Iudæorum ipsorum abusio profana quievit, nec adhuc dedit eis vexatio intellectum, celsitudinem regiam rogamus & obsecramus in domino Iesu Christo, ut qui excessus hujusmodi detestabiles & enormes, commissos in contumeliam creatoris, & injuriam nominis Christiani, pie incœpisti, laudabiliter prosequendo, facias debita severitate percelli. Et tam prædictos abusionis libros, reprobatos per doctores eosdem, quam generaliter omnes cum glossis suis, qui per ipsos examinati & reprobati fuerint, mandes per totum Regnum tuum, ubicumque reperiri poterunt, igne cremari.

Firmiter inhibendo ne de cætero nutrices seu servientes habeant Christianos, ne filii liberæ filiis famulentur ancillæ. Sed tamquam servi reprobati a Domino, in cujus mortem nequiter conspirarunt, saltem per effectum operis, servos se recognoscant illorum, quos Christi mors & istos liberos, & illos constituit esse servos: ut proinde sinceritatis tuæ zelum possimus in Domino dignis laudibus commendare.

Datum Lateran. V. Idus Maii, anno primo.

** XV. AD BLANCAM FRANC. REGINAM S. LUDOVICI MATREM.

Super profectione filiorum suorum in subsidium terræ sanctæ.

SOlicita valde, carissima filia, de tuis absentibus filiis turbaris nimium, intrinsecus pericula extrinseca cogitans, quibus proximo devote ac intrepide suas exposuere personas. Anxia quidem nimis tua mens, propter tot & tantorum natorum absentiam, nequit utique vel ad horam quietam habere quietem, quin quocumque se vertat quibuscumque agendis considerationis instantia incumbat, semper se convertat ad ipsos, & tanquam de processu & statu eorum pendula, de illis propensius meditetur. Materna quippe solicitudine pervigil, tremens, amore tenero, sedula rememoratione suspirans, & avida expectatione languescens. Nam licet terræ marisque spatio interposito longe absis corpore, ipsis tamen proxime ades corde. Verum prudenter te attendere volumus, quod etsi eorumdem natorum discessus aliqua tibi materia turbationis existat: est & aliud quod causa consolationis non modica esse debet. Multo enim potes gaudio merito exultare quod ipsi recognoscentes humiliter magnifica Dei beneficia, quibus eos inter cæteros orbis principes specialiter exaltavit, & cupientes ei digne retribuere pro receptis, sic ad exequendum arduum ejus placitumque sibi negotium assurrexerunt magnanimiter & potenter, quod universos alios in hoc devotionis exercitio excellentes, principaliter in se pondus illius in vigore spiritus & robore corporis assumpserunt: propter quod omnium fidelium linguæ ipsorum laudem cum exultatione loquuntur, tuæ pariter bonitatis resonantes præconium, cum sic eos ab infantia in timore Domini erudieris, & amore, quod semper recta & salutaria diligentes, in ipsis fuerint beneplacitis continue delectati, quod terra sancta redemptoris rubricata sanguine, quæ inconsolabiliter hactenus sub jugi jugo gemuit paganorum, sperat jam te [a] ipsorum natorum confisa succursu ad lætitiam surgere de lamentis. Hos namque veluti singulares athletas fidei Christianæ ardenti desiderio diutius expectavit, & quasi per ipsos a longævæ servitutis oppressionibus potissime relevanda, præsentiam appetiit eorundem. Non turberis itaque nec hæsites de ipsis, Christianissima filia, firma quoque semper confidens, & fiducia certa sperans

[a] f. tuorum

rans quod idem redemptor qui suis dilectoribus præsto adest, eorum gressus prospere diriges, prædictis natis suo totaliter servitio inhærentibus adsit propitius, ipsorum iter salutare disponens, ab adversis eorum eos clementer conservando, cum adversus ipsius adversarios agant fideliter ejus causam: quodque te ac ipsos eorumque posteros, grandium tuorum, ac natorum, eorumque intuitu meritorum, & in præsenti multiplicabit propagine sanguinis, ac sublimibus magnificabit honoribus, & in futuro inæstimabilibus dilatabit præmiis, & electorum suorum consortio congregabit. Confortare igitur & animo fortis esto, jactas tuum penitus in Domino cogitatum, de præfatis natis plus timoris quam expediat non habendo; & pro ipsis, ut eos cum suis idem Dominus ducat incolumes, cum alacritate ac prosperitate reducat, eodem certe negotio quod illud, cooperante veritate, consummatione concludat optata, nec non & benedicto regno Franciæ ut ipsum in bono & tranquillo statu conservet, instes & insisti facias attentis & crebris supplicationibus apud eum. Nos enim circa hoc solicite vigilantes sibi pro iis devotarum orationum sacrificia incessanter offerimus, & ad ipsum fieri ab aliis diligenti studio procuramus. Cæterum quia de te mater ecclesia sicut de præcordiali filia & virtute præcipua gerit confidentiam pleniorem, cum in cunctis suis necessitatibus tuum sibi auxilium senserit favorabiliter affuisse: celsitudini tuæ ipsius ecclesiæ commendamus negotium, cum fiducia speciali, cujus promotionem plena voluntate novimus affectare. Ideoque serenitatem tuam rogamus, monemus & hortamur attente, quod illud pro Divina & B. Petri reverentia tuaque salute habens quamplurimum commendatum, ipsum consilio utili, opportuno favore, ac efficaci adjutorio persequaris: ita quod te semper eadem ecclesia sui honoris potiorem reperiat promotricem.

** XVI. AD S. LUDOVICUM FRANCORUM REGEM.

Consolatur, cum captus esset ultra mare cum suis.

GUstasti plurimum, carissime fili, de amaritudinis calice, quem Christiano populo in sinistra indignationis pavendum & mirandum dispositionis Divinæ mysterium propinavit, quem & nos tecum hausimus pleno haustu in dolore cordis, in angustia spiritus, in tribulatione mentis nimia, & in multo profluvio lacrymarum. Dolemus quidem, & utinam non inconsolabiliter, sed in infirmiorem hominem, tristissimum casum illum, qui crucis Christi vexilla ferentes humiliavit ante oculos hostium nominis Christiani. Sed anxiamur vehementius non audentes discutere consilii Divini majestatem, ex qua videlicet causa judicii ejus justitia, & dispositionis infallibilis rectitudo, permiserit in bello suo arcum fortium superari, perire arma bellica, & cedere alienigenis triumphū victoriæ Christianæ. Liceat, quæso, Domine Iesu, servorum tuorum servis, sciscitari paulisper quid tam aspere purgandum fuit in christo tuo, Christianissimo principum, tibi se suos & sua in tanto fervore fidei exponente? aut quid duxisti tam severe plectendum in devotissimo populorum populo, ducem suum tanta promptitudine in præceptorum tuorum laboribus subsequente? Ostēde, clemens pater, ostende ne fidelium tuorum devotio ruat in scandalo, tibique cedant severius judicandi. Si punire voluisti zelo animadversionis congruæ peccatores; aut probare justorum patientiam, gloriosius coronandam. Si enim decrevisti eos ideo tanto tribulationis igne purgandos, ut fierent parato ipsis inenarrabilis mercedis, quæ merita supplicum & vota præcellit, præmio digniores: tibi laus, tibi actio gratiarum, qui per hoc dignatus es prærogare laborantibus fructum quem eis spes productior edidisset. Si autem punire tam acriter, sed temporaliter, voluisti tuorum vel ingratitudinem, vel peccatum, misericorditer cum illis dispensans ne perpetuo damnarentur: quis dixerit tuū hoc quantumlibet durum in hominibus iniquum esse judicium, qui terrenum habent & sordidum fundamentum, in coinquinatione inevitabili domos luteas habitantes cum luna non sit munda in conspectu tuo, & in stellis repereris pravitatem. Intende, rex inclyte. Dei potentia Damietam Ægypti januam, quæ vix humanis laboribus obtineri multo tempore potuisset, miraculosa facilitate in manibus tuis dedit, in quo forte tibi, & iis quos tecum disposuit de hostium futura decipula eruendos, benigna miseratione providit, ut liberandis opportunum redemptionis præmium non deesset. Sed quis scit si quisquam congratulantium successibus, vel aliorum fidelium animus ex hoc in jactantiam erectus humanam, homini aliquatenus, & non totaliter nomini Domini gloriam arrogaret? Cessemus igitur a curiositate inquisitionis hujus quæ forsitan venia opus habet, & confiteamur in humilitate spirituum Domino Deo nostro, benedicentes nomen ipsius excellentissimæ potestatis, & cātemus ei in consolationis ubere, in gaudio spiritus, & dicamus quod omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti, qui vincis per incommutabilē tuæ justitiæ veritatem, cum a superbæ cæcitatis ignorantia de injustitia judicaris. Assume hinc quæsumus constantiam, fili, quin immo eam omni erga Deum pietate custodi, cum eam te habere credamus, sicut sublimem principem, & invictissimum regem decet, cui & a progenitoribus singularis & eximiæ claritatis, & ab institutione propria competit animus inclytus & erectus, quem serena celsius erigere nequeant, aut nubila inclinare, quot de tui pectoris firmitate subditi tui, & cæteri nihilo minus in quos commune Christianitatis cadit opprobrium, in animos suos ignei zeli possint haurire vigorem. Exigit siquidem in te regalis excellentia mentem quadam celestis habitus conformitate divinam, interritam periculis, inter adversa felicem, in tempestatibus placidam, omnia talia ut minora calcantem, & tanquā infirmiora ridētem. Talis itaq; mens existat extra jus ditionemq; fortunæ, secunda temperans, adversa comminuens, & altis ponenda contemnēs. Vulgus autem, cujus non est lucidum cum ratione discrimen, illum dumtaxat magnum & potentem existimat virum, qui plures in alios viros potest expendere facultates. Non, sed magnus est verius qui potest animo violētiores exterioris insultus impetus tolerare. Oportet itaque ut insuperabilis virtutis constantia vincas adversa, qui circumspectionis prudētia nosti prospera moderari: quia non magnum est in tranquillitate non concuti, ubi quivis constat intrepidus: sed illud magnificum est atque mirificum, ibi altius præeminere ubi cæteri deprimuntur, & ibi non dejici ubi alii consternantur: quia felicitas suffertur facili animo, calamitas vero forti. Sed vis scire, clarissime regum? quos irruens adversitas frangit, non credimus tuam latere prudentiam illos esse præcipue, qui felicitati suæ, ac si nulli alterationi subjaceant, innituntur. Quid autem natura eorum a periculo mutationis eripit? non terram quæ præ cæteris sensibilibus perstat immota, non cælum a conditione corporeæ corruptionis exemptum, non hanc visibiliū machinam, quæ quamvis Deo agente ducatur, non tamen semper hunc felicem sui cursus ordinem obtinebit, & ab illo eam aliquando dejiciet. Dies una ad exterminationem speciei, est in secreto præscientiæ Divinæ cōsilio assignata. Exulet igitur mœror omnis ab animo, & spera uberem de gravi tentatione proventum, cum quo quidē obveniet, quia quod acerbum fuit perpeti, adhuc

adhuc erit retulisse iocundum: cum naturale sit, quemlibet mali sui fine gaudere. Fortis nempe vir in ipsis difficultatibus, succrescente sibi animo constitutus, & in arduam spem melioris sortis secuturæ subjectus, sine consolatore homine sibi blanditur, & dicit: Forsan & hæc olim meminisse juvabit. Sustinenda est igitur animoso pectoris objectu quævis adversitas: quia sicut perniciosior est fugientibus hostis instantia, sic fugientes & adversos omne fortuitum incommodum magis premit. Porro si qua justi doloris est causa, illa forte videbitur in tam multo fidelium excidio attendenda, quorum ab impiis gloriosus fusus est sanguis in sacrificium DeoPatri super sanguinem unigeniti filii ejus, quem ei nō impar hostilium manuum impietas immolavit. Sed quis super illis dolendum acriter censeat, qui ratione fidei suadente in meliorem per modica dispendia emissi sunt vitam? Lucidius quidem quā inter hæc humanæ labilitatis incommoda. Itaque tranquillius inter Divina mansuri. Nam etsi visi sunt oculis insipiētium mori, illi autem pretiosæ in conspectu Domini mortis compendio sunt in pace, ubi non erit amplius neque luctus, neq; clamor, nec etiam ullus dolor, quoniam priora velut in profundum oblivionis obruta transierunt. Desiisse quidem nobis ad tempus, non periisse, dolendi sunt, quorum vita interrupta est quodammodo non perempta, & cito qui venturus est veniet ipsorum dies repositurus in lucem: propter quod æquanimiter ferendum est illos felicius redituros exisse. Non autem regali excellentiæ idcirco hæc duximus suggerenda, quia in tribulationibus per quas Dominus non ad reprobationis, sed ad probationis indicium, tuam voluit patientiam ad majus meritum experiri, credamus te regii animi magnificentiam non tenere: sed ut de præsenti exhortatione, qua penes te insistimus, valde necessariam nobis in amaritudine multa, quam ut deceret expurgare non possumus, consolationis alicujus dulcedinem capiamus: cum minor compatiētem ex animo affligat molestia, qui proprios dolores & gemitus communicat patienti. Rogamus denique serenitatem tuam Christianissime rex, attente deposcimus, & per Deum obsecramus, quatenus terram Ierosolymitanam, quæ nunc præsertim sub tui nominis umbra respirat, respicias oculo pietatis: providens sicut expedire cognoveris, ne res tam cara totiens empta pretio, alienari valeat a cultu Christi Domini Dei tui, & cum periculo fidelium in exterorum redigi potestatem. Nos enim in hoc cooperatores tui esse volumus juxta posse: & prout nobis tuæ beneplacitum voluntatis innuerit, parati sumus quidquid defensioni ejusdem terræ opportunum judicaveris pro viribus persequi diligenter. Demum majestatis Divinæ clementiam imploramus, ut te in die tribulationis exaudiens mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te, carissime nobis in Domino fili, ac singularis propugnator fidei Christianæ. Cæterum dilecte fili .... ad celsitudinem tuam duximus transmittendos, a quibus audire velis & attendere benignitatis tuæ clementia consuetum*, quæ per eos tibi proponenda providimus viva voce.

Datum Lugd. II. Id. August. anno VIII.

** XVII. AD ARCHIEPISCOPUM ROTOMAGENSEM.

Ut ipse & sui subditi orent pro rege Franciæ & suis captis per Saracenos.

Propinatum nuper ab Oriente diræ amaritudinis calicem cum lacrymis haurientes, in amara nimis & tristia prorumpere cogimur, & potissimum quem graviter sentimus intrinsecus insinuare dolorem: quia ubi mœstitudine tanta deprimimur, quo possumus sermonem lugubrem nō proferre? licet forte hujus paginæ cursum præcurrentis famæ celerior gressus præcesserit, & jam rumore præloquēte noveritis quid nostrarum lingua loquitur litterarum. Sæpe quidem illa orientalis regio absinthii poculo examaricavit ecclesiam, sæpe pavit ipsam esca fellis & duræ tribulationis punctura cōfodit: sed nunc ei amarissimam intulit potionem, nunc eam immensæ tristitię ferculo saturavit, & sui furoris gladio acerrime pupugit, quin immo ad ejus interiora usque pertinxit. Illato itaque adversitatis inopinatæ calici superfundimus ecclesiæ fletum, & potui tam acerbo uberem lacrymarum pluviam immiscemus. Liquet namque omnibus quod carissimus in Christo filius noster Franciæ rex illustris pro deliberatione terræ sanctæ, quam in contemptum Christi & fidelium ejus opprobrium occupatam detinent Agareni, crucis olim suscepit signaculum, & cum copiosa comitum, baronum, nobilium, & aliorum multitudine, tanquam ultionis injuriarum Domini anxius illuc ferventi desiderio transfretavit, sub cujus studioso ducatu sic prospere ipsius terræ negotium dirigere cœpit Altissimus, quod Rex ipse civitatem Damietam in interitu sicut fertur Ægypti tanquam seram difficilem fortemque clavim multo robore stabilitam, quam dudum populus Christianus non absque magna sui sanguinis effusione obtinuit, & tādem eventu sinistro perdidit, mox ut ad ipsam applicuit Divino adjutorio profligatis exinde fidei hostibus cōquisivit. De quo ingenti concepto gaudio in laudis supernæ canticum surrexit ecclesia, & universi Christicolæ hujus communis lætitiæ participio pariter exultarunt, quia dragma quæ longo fuerat tempore perdita, cælesti erat munere reinventa: & ovis quæ diu per desertum gentilitatis erraverat, ad gregem revocata Dominicū jam cum aliis pascuis salutaribus pascebatur. Sed proh dolor! cessavit nunc tantum gaudium & in mœrorem nimium est conversum: ipsaque met civitas, quæ grandis causam alacritatis attulerat, magni facta materia est lamenti. Nam cum postmodum idem Rex contra Soldanum Damasci & Babyloniæ suo exercitu comitante processerit, tandem claræ memoriæ R. comite Attrebatensi germano Regis ejusdem, & Magistro & fratribus dictum* militem templi Ierosolymitani, ac aliis quam multis commilitonibus, validum cum Sarracenis committentibus bellum, & post non modicum Sarracenorum ipsorum excidium in bello ipso, non absque salutaris triumpho martyrii, paucis evadentibus intentatis, præfatus Rex cum exercitui constanter insisteret, furorem irruentium sustinuit paganorum: qui sic illico terræ ac fluminis transitus arctaverunt, quod idem exercitus defectum victualium patiebatur extremum, propter cujus intolerabilem tolerantiam, & præ suorum multitudine infirmorum vehementer obstupuit, nec potuit non vereri, quoniam urgentibus undique incommodis premebatur. Cumq; mutuis congressibus fieret hinc inde ruina maxima pugnatorum, demū innumerabilitate hostiū prævalente, Christianæ militiæ agmina fere penitus corruere, dictusque Rex cum his qui secum supererant, hostilium populorum circumstantium vallo cinctus & coangustatus nimium, coactus est restituere ad ultimum Damietam, & eo postea ingresso navigium ad recessum, nonnullos de suis qui in civitate ipsa in lectis ægritudinis decūbebant, & aliis qui navali caruere præsidio, indifferenter manus inimica peremit, non adfuit illis defensionis brachium, nec pro eis locus refugii est inventus. Ah Domine Deus! ubi sunt inclyti athletæ tui? ubi robusti pugiles? ubi propugnatores electi, qui fide fulgentes, ferventes devotione, & experientia præcipui, ad tuum prælium contra tui blasphemos nominis salvificæ crucis armis insignibus se accinxerant præliandum. Ah

* f. dictis militibus.

Ah Deus ubi est populus tuus egregius, gens illustris, A & strenua multitudo, qui pro te relictis suis omnibus tam longa terrarum & marium spatia transierunt cōtra fidei æmulos Christianæ intrepide pugnaturi! Ah Domine quomodo viri belligeri sic potuere a talibus debellari! quomodo fortes tui tam graviter in prælio ceciderunt! Ecce inebriatus est justorum sanguine, ac saturatus eorum carnibus gladius impiorum, & turbam illam quam ejusdem regis ardens devotio ad tuum tam acceptabile obsequium accenderat, voravit mucro feritatis Sarracenicæ fere totam. Madent agri tuorum effuso pro te cruore fidelium, terra rutilantis eorum sanguinis aspersione coruscat. Iacent tuorum corpora martyrum inhumata, in escam cæli volatilibus & terræ bestiis derelicta. Heu quam funereus hic conflictus, qui tot & tantorum Christianorum vitam B debachante in eos infidelium mucrone finivit! heu quam dolenda strages in qua tantum tuorum occubuit collegium bellatorum. Sed nequaquam ambigimus quin his feliciter concluserint dies suos, quin tu Domine pro quo dormitionem acceperunt, in vitam eos transtuleris absque termino duraturam. Non mirum ergo si de tam adverso successu tota gemit ecclesia, cum vix ei casus contingere gravior potuisset, propter quod exacerbatum est nimium cor ipsius, & suas præ angustia spiritus assiduis fletibus rigat genas, quia non ei dolor similis sicut iste: plorat quippe multorum interitum filiorum, licet non existimandi sint illi mortui, sed ad vitam renati potius meliorem. Suspirat etiam de omissione tot sumptuum & laborum, qui sic steriles abiere, cum sit probrose perditum quod per ipsos C fuerat honorifice acquisitum. Dure insuper ingemiscit de illorum jactura ethnicorum, qui forsan de hujusmodi temporali jactura fidelium gloriantes insultant ipsis, improperant dicendo: Ubi est Deus eorum? ubi est ipsorum adjutor, de cujus auxilio confidebant. Lugent etiam omnes ecclesiæ filii, ac in plateis & viis publicis voces communiter dant mœroris, nullius facies iocunda cernitur, unusquisque in terram oculos præ pudore declinat, alter cum altero condolet, & conceptam mœstitiam mutua de tam flebili eventu relatione recensent: vixque de ore alicujus, verbum percipitur nisi triste, nec est aliquis qui alium consoletur. O fallax Oriens, quam serenus in principio illuxisti regi Francorum illustri, & claro exercitui Christiano! quam amicabilis eis in ingressu Ægypti, D & quam favorabilis adfuisti! Novissime autem quam torvum ostendisti te illis & turbidum, & quam inhumanum! ipsi quamquam contrarium te senserunt! Venerant enim ut te quasi desertum incultum excolerent, & salutaribus plantariis consitum, agro Dominico sociarent: sed illorum, væ tibi, consortium repulisti, visitationis tuæ tempora non agnoscens. O nimis infelix tenebrarum Ægypte, cur illum inclytum Deo carum virorum illustrium cœtum, per quem tibi ad effugandam ignorantiæ tuæ caliginem lumen claræ fidei effulsisset, a tua exclusisti cohabitatione, ac tam exprobrabiliter devitasti? quem profecto velut indicem viæ vitæ debueras libentius invitare, in hujus quidem propulsione repulisti. Heu tibi! sprevisti & distulisti Christum filium unicum summi E Patris. O dilecta Ierusalem regis superni civitas: quot ad te pro subventione tua misit huc usque mater ecclesia bellatores, quot hactenus crucis armavit signaculo, ut a diro te jugo eriperet servitutis, & quot in hoc obsequio captivati sunt, mutilitati, cæsi & aliis innumeris tribulationibus cruciati? Quot etiam in hujus persecutione servitii vitæ suæ spatium finierunt? O Ierusalem, Ierusalem, pro cujus liberatione occisi sunt innumeri ad te missi; quando speratam refundes jocunditatem ecclesiæ, cui tandiu acris tristitiæ materiam infudisti? O utinam suscipiat aliquando ecclesia ipsa de tua optata recuperatione lætitiam, pro qua infinitas amaritudines jam gustavit! Porro nec ex parte ipsius ecclesiæ, nec ex parte regia in præmisso negotio commissam fuisse credimus negligentiam vel defectū, cum & eadem ecclesia omnem quam potuit ad illius profectum diligentiam & solicitudinem adhibuerit, & grandia insuper impēdia ministrarit, & prædictus rex sic ex animo negotiū ipsum assumpserit, quod pro eo, suo pretioso, magnifico, & famoso regno relicto, ad partes illas cum fratribus suis, cæterisque ipsius regni magnatibus ardenti affectione processerit: quin immo propriis illud præferens commodis se ipsum & sua eidem totaliter deputavit. Unde aliqua forte peccata populi, Divinæ Majestatis oculos graviter offenderūt, propter quæ provocatus Dominus casum istum ad correctionem suorum, quos salvare desiderat, evenire permisit. Nō enim odit quos corripit, nec salutem illorum negligit quos flagellat: quin immo eum percutit, quem diligit: tunc ostendit, quia filio quem diligit assidue parat virgam, nec restringit in ira misericordiam, nec cū indignatur est immemor pietatis, si post illata verbera sentitur continuo propitius consolator. Quare sibi & in prosperis, & adversis gratiarum reddendæ sunt actiones, & benedicendum in omnibus nomen suum, ut in nullo eventu, nullo in tempore suorum lingua taceat laudem ejus: & sub ipsius potenti dextera humiliari debent magni communiter & pusilli, ut mereantur necessitatis tempore suæ clementiæ beneficio exaltari, quoniam hic est Dominus qui humiliat, & sublimat, qui mites benigne respicit, & de longe intuetur excelsos, qui vulnerat & medetur, & post tristitiam exultationem inducit. Quamobrem firmiter est sperādum, quod post hujusmodi percussionis dolorem consolationis opportunæ medelam misericorditer adhibebit. Verum quia pernecessariæ sunt in iis deprecationes fideliū, cum devotæ orationes & crebro aures Divinæ pietatis inclinent, & ipsarum interventione illius propitiatio facilius impetretur: providimus fore apud Deum in hujusmodi necessitatis articulis attentis & sedulis supplicationibus insistendum, quoniam multum valent assidua justorum precamina penes ipsum: & si forte sit fœtore peccatorum offensus, orationum odore non abnuit complacari, sed cito devotis lenitur precibus, ubi culparum est enormitate cōmotus. Ideoque universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur attente, mādantes quatenus hoc universale discrimen pia moderatione pensantes, erigatis toto affectu ad Dominum corda vestra, & in conspectu ejus orationes continuas effundatis, & faciatis per vestras civitates & diœceses a clero & populo generaliter supplicari, ut ecclesiam suam tanto consolari dispendio non retardet, & memorato Francorum regi Christianissimo utique principi, liberum iter præbeat & securum, ipsumque cum suis omnibus a quolibet nocumēto custodiat, & ad sui gloriam & totius Christianitatis honorem in incolumitate ac prosperitate præservet, sibique vires augeat, & corroboret contra paganicas nationes, & ad Ierosolymitanum negotium clementer prospiciat, eique celeriter subvenire dignetur terrā illam quam sua sanctificavit præsentia de infideliū manibus eruendo. Speramus etenim dictum negotium posse hujus precum subsidiis efficaciter adjuvari & non minus ipsum per hæc spiritualia quam per temporalia suffragia promoveri, quoniam orationes etsi non aperte, utilius tamen pugnant. Unde cum certabat legifer ille precibus, mox Israël in prælio superabat, & per illius occultum agonem manifestam ipse victoriam obtinebat. Ut autem hæc adjutoria frequentius & devotius præbeantur, præcipimus ut qualibet hebmada sermonē admonitionis & exhortationis Christi fide-

fidelibus proponatis per vos vel per alios in vestris ecclesiis & in aliis earumdem civitatum & diœcesum, & per ipsarum prælatos vel rectores proponi similiter faciatis, ut super his effectuose ac sine intermissione Dominum deprecentur, & nihilo minus ad præfatæ terræ succursum eo celerius & fortius se studeant properare, quo festinantiori & potiori consilio & auxilio illa modo noscitur indigere, nec pro hac adversitate a tam pii, necessarii, & salubris negotii prosecutione torpescant: quin immo ex hujusmodi casu tanquam firmi & stabiles animo, quos tribulationis tentatio non evertit, exurgant ad illius subsidium fortiores, quia nihil grave, nihilque adversum debet ipsos retrahere a tam digno & placito servitio Iesu Christi: mandatum nostrum taliter impleturi, quod præter grande præmium, quod exinde a Domino consequemini, nostram & apostolicæ sedis gratiam obtineatis plenius, & favorem.

" ** XVIII. AD S. LVD. FRANC. REGEM.

Quod nemini licet regnum Franc. excommunicationi & interdicto subjicere.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri regi Francorum salutem & apostolicam benedictionem.

Apostolicæ sedis benignitas sincera obsequentium vota fidelium, favore benevolo prosequi consuevit, & illustrium virorum personas, quas in sua devotione promptas invenit & ferventes, quibuslibet titulis decentius decorare. Vt igitur ex devotione, quam ad nos & Romanam ecclesiam habere dinosceris, favorem apostolicum tibi sentias accrevisse: tuis devotis supplicationibus inclinati, autoritate tibi præsentium indulgemus, ut nullus in terram tuam excommunicationis vel interdicti sententiam proferat, absque mandato sedis apostolicæ speciali. Nos enim decrevimus irritum & inane, si quid contra præmissæ indulgentiæ nostræ tenorem contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorũ ejus se noverit incursurum.

Datum Laterani XVIII. Kal. Ian. pontificatus nostri anno I.

" ** XIX. AD GALLIARVM PRÆLATOS.

Ne crvce-signatos in svis criminibvs defendant.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis decanis, archidiaconis, officialibus, & universis ecclesiarum prælatis per regnum Franciæ constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

Ex parte carissimi in Christo filii nostri regis Franciæ illustris, fuit propositum coram nobis, quod nonnulli Cruce-signati regni sui, cum deberent ab excessibus abstinere, propter libertatem ab eis indultam furta, homicidia, raptus mulierum, & alia perpetrant detestanda. Nolentes igitur, ut aliqui Cruce-signati occasione libertatis eis indultæ præsumant ad talia extendere manus suas: universitati vestræ per apostolica scripta mandamus, quatenus Cruce-signatos eosdem in hujusmodi criminibus minime defendatis.

Datum Lugduni VIII. Idus Novembris, pontificatus nostri anno IV.

Quatuor aliæ sunt ejusdem Innocentii epistolæ, infra, in concilio Lugdunensi.



CONCILIVM



ANNO CHRISTI 1245.

CONCILIVM LVGDVNENSE I. GENERALE
AB INNOCENTIO IV. CELEBRATVM.

ANNO CHRISTI 1245.

HISTORIA CONCILII.

QVONIAM singularis Friderici II. Romanorum imperatoris insolentia Innocentium quartum pontificem maximum præcipue ad convocandum Lugdunense concilium incitavit: res ipsa postulat, ut simultates, quas ipse Fridericus cum hoc pontifice & cum aliis gessit, & belli acerbissimi quod eisdem intulit initia & causas breviter explicemus. Hic igitur Fridericus, Henrici quinti filius, & Friderici I. nepos, maximis est a sede apostolica beneficiis affectus. Puer enim parentibus orbatus, in tutela fuerat Innocentii tertii: ejusdemque pontificis opera ad eius dignitatis gradum ascenderat, pulsoque Ottone quarto imperator fuerat designatus. Cui non modo parem gratiam non retulit, sed etiam ecclesiam Romanam multos annos divexavit; & arma, quæ voto obstrictus pro salute communi contra Saracenos capere debuit, magno Christianorum omnium detrimento ingrato animo atque impio contra ipsos pontifices cepit. Et quamquam principio tamdiu Innocentio tertio & reliquis pontificibus obsecutus est, quamdiu id suis rationibus conducere putavit: tamen ubi mortuo Innocentio insignia imperatoris ab Honorio tertio adeptus est, statim cum illo graves inimicitias suscepit. Cum enim & ecclesiarum jurisdictiones, & bona usurparet, & a clericis & ecclesiis tributa exigeret, ac sæpe ab Honorio pontifice, ut ab incepto desisteret, admonitus resipiscere nollet, ab eodem Honorio fidelium communione privatus est: quam sententiam Gregorius quoque nonus, qui in Honorii locum successerat, confirmavit. Et licet aliquando in gratiam cum Gregorio IX. pontifice maximo imperator rediisset, & ab eo monitus fuisset ut votum quo tenebatur persolveret, regnumque Hierosolymitanum, quod in summo discrimine, expugnata jam a Saracenis Hierosolyma, eo tempore versabatur, in pristinum statum restitueret: ipse adeo ab hac expeditione refugit, ut eam ob causam in omnium fere Christianorum, præsertim vero Gregorii pontificis offensionem incurrerit. Attulit præterea maximam molestiam eidem pontifici Fridericus. Cum enim ipsius regnum quibusdam pontificis urbibus & oppidis finitimum esset, multa quæ ad sedem apostolicam pertinebant ausus est occupare, & militum præsidio munire. Qua injuria commotus pontifex vim vi repellere coactus est, & ecclesiæ patrimonium, ne in potestatem Friderici veniret, armis tueri. Et quamvis longo tandem intervallo conscripto exercitu imperator in Syriam sit profectus; tamen, cum nullo commisso prælio, statim cum Ægypti rege, qui Syriam oppressam tenebat, pacem fecisset, & verbo tantum ex pacto Hierosolymam recepisset, non solum pontificis animum non placavit, verum etiam exulceravit vehementius. Itaque Fridericus apertas inimicitias cum Gregorio gessit, bellumque illi tam acerbum intulit, ut magnam Piceni & Latii partem in suam redegerit potestatem: Romaque obsessa, si quos interdum cives in obsidione caperet, crudeliter trucidaret. Cum autem Guelphorum & Gibellinorum factiones eodem tempore ad Italiæ perniciem erupissent; omnesque fere civitates in contrarias partes distraherentur, civesque ipsi, quasi furiis quibusdam agitati, alii alios in exilium pellerent, fortunisque spoliarent: Fridericus, cujus erat flammam nascentem opprimere, illam potius auxit, sibique Gibellinis adjunctis, Guelphos, qui pontificis defensionem susceperant, bello statim aggressus est. His igitur malis ut mederetur Gregorius, hominisque superbi furore atque amentia cæci, qui neque cum Christianis pacem firmam habere voluisset, aut omnino, aut aliqua certe ex parte nefarios conatus reprimeret: concilium generale convocavit, Romamque tum episcopos, tum alios patres venire jussit. At cum multi ex Gallia & Hispania dicto audientes Romam navigarent, Genuensiumque triremibus veherentur, in Friderici classem inciderunt, victisque Genuensibus capti sunt episcopi & cardinales, & ad ipsum imperatorem perducti. Gravem hunc episcoporum casum ita ægre tulit vir optimus Gregorius, ut præ animi dolore e vita paucis diebus excesserit, cum quatuordecim annos, menses quinque, summa æquitate & prudentia ecclesiam administrasset, maximosque labores ejus causa pertulisset. Successit Gregorio Cælestinus quartus, qui cum statim de vita migrasset, cardinales vix post viginti menses Innocentium quartum, virum doctrina & virtute præstantem pontificem maximum delegerunt. Hic pontifex statim cum Friderico de pace egit; hominesque gravissimos ad illum misit, qui æquissimas ei pacis conditiones proponerent & postularent, vt patres, qui in pugna navali capti fuerant, ut sæpe

Margin notes: Ioãnes Villanus lib. 5. hist. c. 18. Idem libro 5. cap. 36. — Vincentius Belvacensis lib. 30 c. 129. & Ioãnes Villanus lib. 6 c. 15. & sequentibus. Vincentius lib. 30. cap. 138. Matthæus Parisi. hist. in Henrico III. & Ioãnes Villanus loco citato. — Vincentius l. 30. c. ult. & l. 31. c. 1. Villanus l. 6. c. 24 & sequẽtibus, & alii.

ANNO CHRISTI 1245.

sæpe promiſerat, liberos dimitteret. His pontificis A cohortationibus cum Fridericus obtemperare nollet, nullaque amplius conciliandæ pacis reliqua ſpes eſſet: Innocentius ut hominis temeritatem reprimeret, atque aliis eccleſiæ commodis conſuleret, Gregorii conſilium ſecutus, ſynodum ſtatim coegit. Verumtamen quia difficile erat patres Romam venire propter bella & ſeditiones quæ longe lateque diffuſæ totam jam Italiam occuparant, ſe ipſe pontifex in Galliam contulit: Lugdunumque urbem clariſſimam habendo concilio delegit. Fridericus igitur ad dicendam cauſam evocatus non venit: miſit tamen legatos, in primiſque Thadæum quemdam eloquentem virum & eruditum, qui advocati officio fungeretur, dilueretque crimina, de quibus ipſe poſtulabatur. Hic Thadæus ita obiit munus ſuum, ut & Imperatorem acerrime defenderet, & accuſatoribus multa obiiceret, illorumque rationes & argumenta refutaret. Sed tandem in ultima actione, cauſa cognita, diligenterque perſpecta, Innocentius de ſententia ſynodi Imperatorem damnavit: eumque e piorum communione ejectum, imperii dignitate & Siciliæ regno privavit. B

Quæ ſequuntur, ex actis concilii excerpta ſunt.

Præter hanc Imperatoris cauſam, fuerunt item ab Innocentio alia negotia maximi momenti ad ſynodum relata. Cum enim omnes pontifices de Chriſtianis qui Syriam incolebant eſſent eo tempore ſoliciti, in iiſque tuendis & confirmandis, repellendiſque Saracenis, aſſiduam curam & diligentiam adhiberent, cumque tunc magnus eſſet neceſſario mittendus exercitus, ne regio illa in poteſtatem Saracenorum iterum perveniret: Innocentius, ne officio ſuo deeſſet, omnes ad hanc expeditionem cohortatus eſt. C

Præterea eodem tempore ardebat bello Græcia. Balduinum, qui primus ex Latinis Conſtantinopolitanus imperator fuit, quidam Græci principes iniquo animo in Græcia dominari patiebantur, qui non ſolum ab imperatore defecerant, verum etiam & ipſi Balduino, & aliis qui poſtea rerum potiti ſunt, bellum acerrimum ac diuturnum intulerant, & modo aperto Marte, modo inſidiis & dolo, ita eos vexabant, ut tandem imperator qui eo tempore Conſtantinopoli regnabat, de ſuo ſtatu ampliſſimo fere dejectus, vix nomen imperatoris & majeſtatem obtineret. Hoc igitur negotium ad eccleſiam magnopere pertinere Innocentius exiſtimabat. Cernebat enim animo, ſi Græci Latinos expellerent, periculum eſſe, ne tota ſtatim Græcia ad priſtinam conſuetudinem moremque relaberetur, & a Romana eccleſia diſſideret. D

Pariſ. in Henrico III.

Egreſſi item fuerant paulo ante Tartari, qui olim Scythæ Aſiatici nominabantur, extra regiones quas incolebant, & multas Aſiæ provincias depopulati, tandem Europæ bellum intulerant: magnæque illius parti incredibiles calamitates importarant: & in primis Pannoniæ inferiori, quæ nunc Hungaria dicitur, quam cæde & incendiis vaſtatam, in ſuam redegerant poteſtatem. Occurrebant itaque uno eodemque tempore res magnæ & vehementer arduæ, quæ ſine generali concilio vix pro dignitate poterant explicari. E Illud etiam accedebat, quod ſuperiores pontifices ad convocanda concilia commovit: mores enim hominum longe a majorum diſciplina deflexerant, quotidieque in vitia graviora dilabebantur. Quare optabat pontifex ut eccleſia priſtinum illum, qui hiſce moribus obſoleverat, dignitatis ſplendorem recuperaret. Hæc autem cura tantopere illum ſolicitabat, ut cum reliquæ cauſæ eſſent graviſſimæ, de hac tamen primo loco in concilio verba fecerit: & quamquam hæc omnia ſunt ad ſynodum delata, tamen præcipue in omnibus actionibus actum eſt de cauſa Friderici imperatoris, & ad exitum perducta.

Vincentius lib. 31. c. 2. & ſequentibus.

Fuit autem habitum hoc concilium in templo maximo Lugduni, anno a Chriſto nato milleſimo ducenteſimo quadrageſimo quinto, pontificatus Innocentii quarti anno ſecundo. Convenerunt multi cardinales, epiſcopi centum quadraginta, abbateſque complures. Acceſſerunt multi viri clariſſimi, & præter cæteros Conſtantinopolitanus imperator: qui prope pontificem conſedit. Interfuit patriarcha Conſtantinopolitanus & Antiochenus.

ANNO CHRISTI 1245.

Pariſ. ubi ſupra.

Abſolutum fuit hoc concilium brevi temporis ſpatio. Prima enim actio habita eſt quarto Kalendas Iulii, ſecunda octo poſt diebus, & paulo poſt tertia eademque poſtrema. In his actionibus præter negotium Friderici, in tertia actione de tuendo regno Hieroſolymitano eadem innovata ſunt quæ ab Innocentio tertio in generali concilio ſtatuta fuerant. Demum de mittendo imperatori Conſtantinopolitano ſubſidio, & de Tartarorum impetu, ferociaque comprimenda nonnulla conſtituta. Illud præterea ſancitum fuit, ut dies natalis beatæ Mariæ virginis, Deique matris, octo dierum ſpatio celebraretur. Alia item decreta edita ſunt, quæ majori ex parte in manuſcripto Innocentii regeſto continentur, & in hanc generalium conciliorum editionem conjiciuntur.

EPISTOLÆ

INNOCENTII PAPÆ IV.

ARCHIEPISCOPO SENONENSI.

DEI virtus & Dei ſapientia Dominus Ieſus Chriſtus, cujus ineffabili ſubjecta ſunt omnia majeſtati, a fundationis initio ſplendore virtutum ſuam illuſtravit eccleſiam: & ſic inſignem reddidit ſingularis privilegio poteſtatis, ut per ejus miniſterium, ſuum juſtitia conſequatur effectum, & ſedato guerrarum turbine, mundo poſſit tranquillitas provenire. Hujus enim præeminentiam dignitatis dum nos reverenter attendimus, qui regimini generalis eccleſiæ licet immeriti Divina providentia præſidemus, reddimur corde ſoliciti, quod tempeſtatis horror, qua ipſa turbatur eccleſia, & religio Chriſtiana concutitur, per noſtræ proviſionis auxilium cæleſti pietate propitia propulſetur. Hinc eſt quod nos, ut ipſa eccleſia per fidelium ſalubre conſilium & auxilium fructuoſum, ſtatus debiti poſſit habere decorem, & deplorando terræ ſanctæ diſcrimini, & afflicto Romano imperio, propere valeat ſubveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac perſecutores populi Chriſtiani, nec non pro negotio, quod inter eccleſiam & principem vertitur, reges terræ, prælatos eccleſiarum, ac alios mundi principes duximus advocandos. Rogamus itaque fraternitatem tuam, & hortamur attente, præcipiendo mandantes, quatenus ad præſentiam noſtram, omni prorſus "occaſione poſtpoſita, uſque ad proximum feſtum ſancti Ioannis Baptiſtæ perſonaliter venire procures; ut ipſa eccleſia ex tuæ viſitationis honore ſpirituale gaudium, & ex tua induſtria conſilium percipiat profuturum; ſciturus quod nos dictum principem in prædicatione noſtra citavimus, ut per ſe vel ſuos nuncios in concilio celebrando compareat reſponſurus, nobis & aliis qui aliquid contra ipſum proponendum duxerint, ſatisfactionem idoneam præſtiturus. De perſonarum autem & evectionum moderato numero illam, cum veneris, providentiam habeas, quod tuæ nimis onoroſus eccleſiæ non exiſtas. Cæterum volumus & mandamus, ut ſuffraganeis tuis, quod eodem termino pro his ad præſentiam noſtram accedant, eorum vero capitulis, quod mittant providos nuncios & fideles, qui vice ipſorum utile

" excuſatione

ANNO CHRISTI 1245.

utile nobis consilium largiantur, autoritate nostra praecipere non postponas.

Datum Lugduni tertio Nonas Ianuarii, anno secundo.

CAPITULO SENONENSI.

DEi virtus, *& cætera usque*, festum sancti Ioannis Baptistæ providos & fideles nuncios destinetis: ut ipsa ecclesia ex hujusmodi visitationis honore spirituale gaudium, ac ex illorum industria, *& cætera, ut in alia usque ad*, præstiturus.

Datum, *&c. ut in proxima.*

ILLUSTRI REGI FRANCIÆ.

DEi virtus, *& cætera usque ad*, advocandos. Rogamus itaque serenitatem tuam, & hortamur attente, quatenus ad præsentiam nostram, *& cætera usque ad*, proximum festum S. Ioannis Baptistæ mittas providos nuncios & fideles, *&c. usque ad*, præstiturus. Hujusmodi autem nostrum desiderium sic, fili benedictionis, adimpleas, ut nos in te gaudentes zelatorem honoris ecclesiæ reperisse, quæ secundum Deum in futurum tibi grata senserimus, paternis affectibus prosequamur.

Datum, *ut supra in proxima.*

EPISCOPO OSTIENSI.

PRo magnis & arduis negotiis, quæ incumbunt ecclesiæ, tuam & aliorum fratrum nostrorum absentium habere præsentiam, nos & fratres nostri jugiter affectamus: maxime cum multum honoris & commodi possit eidem ecclesiæ per industriæ vestræ consilium provenire. Cum itaque nos de ipsorum fratrum consilio concilium duxerimus advocandum: proximo festo beati Ioannis Baptistæ super hoc termino assignato, fraternitati tuæ præsentium autoritate mandamus, quatenus te ad iter nostram adeundi præsentiam præparare studeas, ut si forte ita cito, sicut in desiderio nostro vertitur, venire non possis, saltem ad nos, Deo duce, in termino pervenias memorato.

Datum Lugduni secundo Kalendas Februarii anno secundo.

In eodem modo S. tituli sanctæ Mariæ trans Tiberim presbytero cardinali.

In eodem modo R. sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali.

In eodem modo R. sancti Angeli diacono cardinali.

BREVIS NOTA EORUM

QUÆ IN PRIMO CONCILIO LUGDUNENSI generali gesta sunt.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

Anno ejusdem millesimo ducentesimo quadragesimoquinto.

CUm dominus Innocentius papa quartus ad partes Galliæ propter multa pericula quæ imminebant generali ecclesiæ se transtulisset, concilium advocavit apud Lugdunum: & in vigilia Petri apostoli concilio convocato in majori ecclesia, dominus papa, Missa celebrata, locum eminentiorem ascendit: imperator vero Constantinopolitanus sedit ad dexteram, & quidam alii principes laïci sederunt ad sinistram, & diaconus cardinalis vicecancellarius magister Martinus Neapolitanus cum notariis, auditore, & correctore, capellanis, subdiaconis, & qui- A busdam aliis: inferius vero sic prælati sederunt. Ex opposito tres patriarchæ ordinati fuerunt, videlicet Constantinopolitanus ad dexteram, Antiochenus, Aquileiensis tertio; de quo scandalum est exortum, ex eo quod, ut alii patriarchæ dicebant, sedere non debebat juxta eos, cum non esset de quatuor patriarchis, & destructa est sedes ejus. Et tandem, ut vitaretur scandalum, de voluntate domini papæ, ut creditur, est refecta. In navi vero ecclesiæ ad dexteram, & in eminentioribus locis sederunt episcopi cardinales, ex altera vero presbyteri cardinales, archiepiscopi, & episcopi post eos: in sedibus autem constitutis in navi ecclesiæ sederunt aliqui de episcopis, abbates, procuratores capitulorum, nuncii regum, & imperatoris B Friderici, & multi alii erant ibi. Tunc dominus papa incepit, Veni Creator Spiritus: & illo hymno communiter ab omnibus decantato, dixit: Dominus vobiscum: & responderunt omnes: Et cum spiritu tuo. Oremus. Ægidius cardinalis dixit: Flectamus genua. Octavianus respondit: Levate: & sic dixit dominus papa propriam orationem: qua dicta, Galeatius capellanus incœpit litanias. Quibus expletis dominus papa dixit: Oremus, cum oratione de Spiritu sancto, Deus qui corda fidelium: nec dixit Dominus vobiscum. Quibus peractis incepit prædicare de autoritate prophetiæ: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes*, &c. incipiens, quod multiplex erat dolor suus, quia quinque C dolores circumdederant eum. Primus erat de difformitate prælatorum & subditorum. Secundus erat de insolentia Saracenorum. Tertius de schismate Græcorum. Quartus de sævitia Tartarorum. Quintus de persecutione Friderici imperatoris. *Psal. 93.*

Rediens ad primum articulum de difformitate prælatorum & subditorum, quia non erant tales quales consueverant, & debebant esse, & de eorum excessibus multa dixit. Postea de insolentia Saracenorum, referens rumores de iis quæ tunc acciderant ultra mare, quando Ierusalem occupaverant, & everterant sepulcrum Domini, & cætera sacra loca de partibus illis, & Christianos interfecerant infinitos, & quæcumque ibi per eos fuerant perpetrata. Tertio de D schismate Græcorum, quomodo " Vacarius imperator Græcorum cum Græcis schismaticis occupaverant & destruxerant fere usque ad Constantinopolim, & de civitate timeri poterat, nisi a Christianis velocem succursum haberent. Quarto de sævitia Tartarorum, quomodo terram Christianorum intraverant, & Hungariam occupaverant, non parcentes, quin omnes interficerent, sexui vel ætati. Quinto de persecutione dicti imperatoris, quomodo persequebatur ecclesiam, & suum prædecessorem Gregorium fuerat persecutus: & in litteris, quas dictus imperator per mundum mittebat, referebat publice quod non persequebatur ecclesiam, sed personam: quod verum non fuerat, prout manifestissime apparebat, quia in E vacatione ecclesiæ eam persequi non cessavit. Immo tunc clerum & ecclesiam magis afflixit. Et postquam de afflictione plurima dixit, fecit legi quoddam privilegium aurea bulla munitum ab eodem imperatore, cum esset rex, Honorio prædecessori suo concessum: in quo inter alia potissimum habebatur, quomodo eidem juramentum fidelitatis præstiterat, tamquam vassallus suo domino; & quoddam aliud privilegium, in quo ipse fatebatur quod regnum Siciliæ & Apuliæ erat speciale patrimonium beati Petri, & illud ab ecclesia tenebat in feudum, & concedebat ac quitabat si aliquod jus habuisset in electionibus ecclesiarum regni prædicti, & faciebat easdem ecclesias liberas, francas, & immunes ab omni præstatione. Item fecit legi plura alia privilegia aurea bulla munita, ecclesiæ,

" Battacius

clesiæ, dum esset rex, & postea imperator, concessa, in quibus habebatur, quod ipse quitabat, donabat, & concedebat, & confirmabat totam terram a castro Radicofani, usque ad castrum Ceprani, marchiam Anconitanam, ducatum Spoleti, exarchatum Ravennæ, Pentapolim, comitatum Romandiolæ, & terram comitissæ Mathildis: & multa alia erant ibi. Quibus dictis judex Thadæus, unus de nunciis imperatoris, surrexit, & fere respondit ad singula quæ dixerat dominus papa, & mirabiliter videbatur imperatorem excusare: & asseruit multa quæ fecisse & procurasse dicebat ecclesiam contra eum, & ostendit ibi plurima ex contentis litterarum, & multis responsio ejus fuit grata. Sed dominus papa respondit ad singula bene, ac si prævidisset, se & ecclesiam excusando. Et sic illius diei sessio fuit terminata.

Secunda sessio fuit ad octo dies postea, & quoad sessionem & officia idem factum fuit quod & in prima. Quibus peractis, surrexit episcopus Calmensis, Cisterciensis ordinis de Apulia, qui exul erat, & mirabiliter descripsit vitā malam, & ignominiosam, & progressū dicti imperatoris a pueritia sua, & quæ erat sua intentio, quia ad hoc intendebat præcipue, ut prælati & clerus ad illam reverterentur paupertatem, in qua fuerant tempore ecclesiæ primitivæ: quod maxime patebat per litteras quas per mundum contra ecclesiam & clerum transmittebat. Postmodum surrexit archiepiscopus de Hispania, qui multum dominum papam animavit ad procedendum contra imperatorem, referendo plurima quæ contra ecclesiam fecerat, & quomodo tota sua fuit intentio ut deprimeret ecclesiam juxta posse, promittens quod ipse & alii prælati Hispaniæ, qui multum magnifice & generaliter plusquam aliqua alia natio ad concilium venerant, domino papæ assisterent in personis & in rebus, juxta suæ voluntatis beneplacitum. Hæc eadem promiserunt plures alii in synodo prælatorum. Tunc surrexit prædictus judex Thadæus, & multa gravia proposuit contra dictum episcopum Calmensem, quod non zelo justitiæ, sed ex malevolentia, ex eo quod ipsum & suos pro manifestis excessibus punierat, talia contra imperatorem proponere curavit, & sic in prædicta sessione nihil aliud factum fuit. Verumtamen dictus judex Thadæus supplicabat instanter ut prorogaretur tertia sessio, pro eo quod imperatorem expectabat, prout ipse per certos habebat nuncios, ac ipse ad eum plures alios, qui in civitate Taurinensi fuerant, miserat, quod iter arripuerat ad concilium veniendi. Et quia dictus papa hæc quamplurimum affectabat, ut posset inter eos pacis fœdera reformare, usque ad diem Lunæ, post octavam sessionis secundæ, quæ fuerat in die Mercurii, contra multorum prælatorum voluntatem prorogavit tertiam sessionem. Quod non fuit sine tædio multorum prælatorum, & aliorum Templariorum & Hospitalariorū, qui multos armatos ad custodiam domini papæ & concilii studuerant destinare, & propter pressuram hominum, & dubitationem quæ in ipsa civitate, quæ custodiebatur per armatos plurimos die ac nocte, fortiter assistebat. Et quia pro certo, domino papæ constitit quod ipse non veniebat, nec cum mandato solenniter facto aliquos principes destinabat, dicta die Lunæ constituit tertiam sessionem, & peractis officiis, ut in prima, post multa dicta hinc inde & audita, antequam ad festum accederetur nativitatis beatæ Mariæ virginis gloriosæ, ordinavit octavam, sacro concilio approbante. Deinde dominus papa quasdam constitutiones, quæ pro recuperatione terræ sanctæ, ac aliis, quæ pro subsidiis Romani imperii, & etiam alias quæ contra Tartaros factæ fuerant, fecit legi.

Item postmodum dominus papa dixit, quod omnia privilegia, quæ Romanæ ecclesiæ a principibus mundi tam ab imperatoribus quam a regibus concessa fuerant, eidem exemplari fecerit, & in eis apponi fecit omnium qui aderant prælatorum sigilla, & volebat quod vigorem haberent, sicut ipsa originalia quæ ibi lecta erant. Tunc surrexerunt nuncii regis Angliæ pro authenticatione quorumdam privilegiorum concessorum a rege Angliæ ipsi ecclesiæ, quæ asserebant facta præter consilium principum terræ, licet privilegiis illis contrarium diceretur adfuturum pontificem, & quibusdam constitutionibus quæ pro subsidio fiendo ecclesiæ factæ fuerunt. Tunc surrexit judex Thadæus, percipiens quod jam securis erat posita ad radicem pro multorum privilegiorum authenticatione: & si contra dictum imperatorem vellet procedere, appellaret ad futurum summum pontificem, & concilium generale. Ad quæ dominus papa respondit humiliter & benigne, quod illud erat concilium generale, quia tam principes sæculares quam clerici ad illud fuerant invitati: sed omnes qui in jurisdictione imperatoris fuerant, ad illud eos accedere non permisit, propter quod appellationem non admittebat eamdem. Et statim incepit recitare quantum eum dilexerat antequam esset in papam assumptus, & quantum sibi dimiserat postmodum, & etiam postquam fuerat concilium ordinatum, eum semper verbis mirabiliter honorando, ita quod vix credebatur ab aliquibus quod aliquam deberet ferri facere sententiam contra eum: & statim incepit omnia promere ore tenus, & ferre sententiam contra eum, privans ipsum omni honore & imperio, & aliis regnis suis: & postmodum sententia in scriptis in ipsa synodo lecta fuit. Qua lectā dominus papa surrexit, & incepit, Te Deum laudamus: quo hymno decantato, per omnes fuit concilium dissolutum.

SENTENTIA CONTRA FRIDERICVM IMPERATOREM AB INNOCENTIO PAPA IV. IN CONCILIO LATA.

Sacro præsente concilio, ad rei memoriam sempiternam.

AD apostolicæ dignitatis apicem, licet indigni, dignatione Divinæ majestatis assumpti, omnium Christianorum curam vigili sedulaque solertia gerere, ac intimæ considerationis oculo singulorum discernere merita, & providæ deliberationis statera librare debemus: ut quos justi vigor examinis dignos ostenderit, congruis attollamus favoribus, quos autem reos, pœnis debitis deprimamus; appendentes semper meritum & præmium æqua lance, retribuendo cuique, juxta qualitatem operis, pœnæ vel gratiæ quantitatem. Sane cum dira guerrarum commotio nonnullas professionis Christianæ provincias diutius afflixisset, nos toto cupientes affectu mentis tranquillitatem & pacem ecclesiæ sanctæ Dei ac generaliter cuncto populo Christiano restituere ac reducere, ad præcipuum principem sæcularem, hujus dissensionis & tribulationis autorem, a felicis recordationis Gregorio papa prædecessore nostro pro suis excessibus anathematis vinculo innodatum, speciales nuncios magnæ autoritatis viros, videlicet venerabilem fratrem nostrum P. Albanensem, tunc Rothomagensem archiepiscopum, & C. Sabinensem tunc, quondam Mutinensem, episcopos, ac dilectum filium nostrum Guillelmum basilicæ duodecim apostolorum presby-

ANNO CHRISTI 1245.

presbyterum cardinalem, tunc abbatem sancti Facundi, qui salutem zelabantur ipsius, duximus destinandos; facientes sibi proponi per ipsos, quod nos & fratres nostri, quantum in nobis erat, pacem per omnia secum habere, necnon cum omnibus hominibus, optabamus, parati sibi pacem & tranquillitatem dare, ac mundo etiam universo. Et quia prælatorum, clericorum, omniumque aliorum, quos detinebat captivos, & omnium tam clericorum quam laïcorum quos ceperat in galeis restitutio poterat esse pacis plurimum inductiva, eum, ut illos restitueret, cum hoc idem tam ipse, quam sui nuncii, antequam ad apostolatus vocati essemus officium, promisissent, rogari & peti ab ipso fecimus per eosdem, ac proponi insuper, quod iidem parati erant pro nobis audire, & tractare pacem, ac etiam audire satisfactionem quam facere vellet princeps de omnibus, pro quibus vinculo erat excommunicationis astrictus; & offerri præterea, quod si ecclesia eum in aliquo contra debitum læserat, (quod non credebat) parata erat corrigere, ac in statum debitum reformare. Et si diceret ipse quod in nullo contra justitiam læserat ecclesiam, vel quod nos eum contra justitiam læsissemus, parati eramus vocare reges, prælatos, & principes tam ecclesiasticos quam sæculares, ad aliquem tutum locum, ubi per se vel solennes nuncios convenirent; eratque parata ecclesia de consilio concilii sibi satisfacere, si eum læsisset in aliquo, ac revocare sententiam, si quam contra ipsum injuste tulisset, & cum omni mansuetudine ac misericordia, quantum cum Deo & honore suo fieri poterat, recipere de injuriis & offensis ipsi ecclesiæ suisque per eum irrogatis satisfactionem ab ipso. Volebat etiam ecclesia omnes amicos suos sibique adhærentes in pace ponere, plenaque securitate gaudere; ut nunquam hac occasione posset aliquod subire discrimen. Sed licet sic apud eum pro pace paternis monitis & precum insistere curaverimus lenitate: idem tamen Pharaonis imitatus duritiam, & obturans more aspidis aures suas, hujusmodi preces & monita elata obstinatione ac obstinata elatione despexit. Et licet processu temporis in die cœnæ Domini proxima nuper præterita, præcedente coram nobis & fratribus nostris cardinalibus præsentibus carissimo in Christo filio nostro Constantinopolitano imperatore illustri, cœtu quoque non modico prælatorum, senatoribus populi Romani, & maxima multitudine aliorum, qui eodem die propter solennitatem ipsius de diversis mundi partibus ad apostolicam sedem convenerant, quod staret nostris & ecclesiæ mandatis per nobilem virum comitem Tolosanum, ac magistros P. de Vinea, & T. de Suessa curiæ suæ judices, & nuncios, & procuratores suos, speciale super hoc ab ipso mandatum habentes, præstiterit juramentum: postmodum tamen quod juraverat non implevit; quinimmo ea intentione ipsum præstitisse juramentum probabiliter creditur, sicut ex factis sequentibus colligitur evidenter: ut eidem ecclesiæ ac nobis illuderet potius quam pareret: cum anno & amplius jam elapso, nec ad ipsius ecclesiæ gremium revocari potuerit, nec sibi de illatis ei damnis & injuriis curaverit satisfacere, licet super hoc extiterit requisitus. Propter quod non valentes absque gravi Christi offensa ejus iniquitates amplius tolerare, cogimur urgente nos conscientia iuste animadvertere in eumdem. Et ut ad præsens de cæteris ejus sceleribus taceamus, quatuor gravissima, quæ nulla possunt celari tergiversatione, commisit. Dejeravit enim multoties, pacem quondam inter ecclesiam & imperium refor-

A matam temere violando. Perpetravit etiam sacrilegium, capi faciens cardinales sanctæ Romanæ ecclesiæ, ac aliarum ecclesiarum prælatos & clericos religiosos & sæculares venientes ad concilium, quod idem prædecessor noster duxerat convocandum. De hæresi quoque non dubiis & levibus, sed evidentibus argumentis suspectus habetur: plura siquidem eum commisisse perjuria satis patet. Nam olim cum in Siciliæ partibus morabatur, priusquam esset ad imperii dignitatem electus, coram bonæ memoriæ [a] C. sancti Theodori diacono cardinali, apostolicæ sedis legato, felicis recordationis Innocentio papæ prædecessori nostro, & successoribus B ejus, ecclesiæque Romanæ, pro concessione regni Siciliæ ab eadem ecclesia sibi facta, fidelitatis præstitit juramentum: &, sicut dicitur, illud idem, postquam ad eamdem dignitatem electus extitit, & venit ad Urbem, coram eodem Innocentio, suisque fratribus cardinalibus, & aliis multis præsentibus, ligium [b] hominium in ejus faciens manibus innovavit. Deinde cum in Alemannia esset eidem I. & ipso defuncto bonæ memoriæ Honorio papæ prædecessori nostro, & ejus successoribus, ac ipsi ecclesiæ Romanæ, præsentibus imperii principibus atque nobilibus, juravit, honores, jura, & possessiones Romanæ ecclesiæ pro posse suo servare, ac protegere bona fide, & quod quæcumque ad manus suas C devenirent, sine difficultate restituere procuraret, nominatis & expresse dictis possessionibus in hujusmodi juramento: quod postmodum confirmavit, coronam imperii jam adeptus. Sed horum trium juramentorum temerarius extitit violator, non sine proditionis nota, & læsæ crimine majestatis. Nam contra præfatum prædecessorem G. & fratres suos comminatorias litteras eisdem fratribus destinare, ac dictum G. apud fratres ipsos, sicut apparet per litteras ab eo tunc directas eisdem, & etiam, prout fertur, per universum fere orbem terrarum multipliciter diffamare præsumpsit, ac venerabilem fratrem nostrum O. Portuensem, tunc sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconum cardinalem, & bonæ memoriæ I. Prænestinum, episcopos, apostolicæ sedis legatos, nobilia & magna Romanæ ecclesiæ D membra, personaliter capi fecit, & bonis omnibus spoliatos, ac per diversa loca non semel ignominiose deductos, carceribus mancipari. Privilegium insuper, quod beato Petro & successoribus ejus in ipso tradidit Dominus Iesus Christus, videlicet, *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis*, in quo utique autoritas & potestas ecclesiæ Romanæ consistit, pro viribus diminuere, vel ipsi ecclesiæ auferre satagit: scribens se præfati G. sententias non vereri, latam ab eo excommunicationem in ipsum, non solum, contemptis ecclesiæ clavibus, non servando, verum etiam per se ac offi- E ciales suos & illam & alias excommunicationis vel interdicti sententias, quas idem omnino contempsit, cogendo alios non servare. Possessiones quoque præfatæ Romanæ ecclesiæ, videlicet Marchiam, Ducatum, Beneventum, cujus muros & turres dirui fecit, ac alias, quas in Tusciæ & Lombardiæ partibus. Et quibusdam aliis obtinebat locis, paucis exceptis, occupare non metuens, eos adhuc detinet occupatas. Et tamquam ei non sufficeret, quod manifeste contra juramenta præmissa, præsumendo talia, veniebat per se vel suos officiales, earumdem possessionum homines dejerare compulit: ipsos a juramentis fidelitatis, quibus Romanæ tenebantur ecclesiæ, de facto, cum de jure non posset, absolvens, & faciens eosdem fidelitatem nihilo minus abjurare prædictam, si-

[a] G. [b] homagiū *Matt. 16.*

bique fidelitatis hujusmodi juramenta præstare. Pacis vero ipsum violatorem existere plane constat, quia cum olim tempore pacis inter ipsum & ecclesiam reformatæ jurasset coram bonæ memoriæ I. de Abbatisvilla episcopo Sabinensi, & magistro Th. tituli sanctæ Sabinæ presbytero cardinali, præsentibus multis prælatis, principibus, & baronibus, quod staret & pareret præcise absque ulla contradictione omnibus mandatis ecclesiæ, super iis pro quibus erat vinculo excommunicationis adstrictus, causis excommunicationis ejusdem expressis, per ordinem coram eo, tunc omnibus Teutonicis hominibus regni Siciliæ, ac quibuslibet aliis, qui ecclesiæ contra ipsum adhæserant omnem remittens offensam, & pœnam: & quod nullo tempore offenderet, vel offendi faceret ipsos, pro eo quod ecclesiæ astiterant, præstari in anima sua per comitem Acerrarum faciens juramentum, postmodum pacem & juramentum hujusmodi, nequaquam erubescens "irretiri perjuriis, non servavit. Nonnullos enim ex ipsis hominibus, tam nobiles, quam alios, postea capi & incarcerari fecit, & eis bonis suis omnibus spoliatis, uxores eorum & filios captivari, ac insuper terras ecclesiæ contra promissionem, quam eidem T. Sabinensi episcopo & Thomaso cardinali fecerat, irreverenter invasit, licet ipsi extunc in eum præsentem, si ullo modo prædictis articulis aut conditionibus contraveniret, excommunicationis sententiam promulgarant. Et cum iidem apostolica ei auctoritate mandassent, ut nec per se nec per alium impediret quin postulationes, electiones, & confirmationes ecclesiarum & monasteriorum in regno præfato libere de cætero fierent, secundum statutum concilii generalis, & quod nullas deinceps in eodem regno viris ecclesiasticis ac rebus eorum imponeret tallias, vel collectas, quodque nullus ibidem clericus, vel persona ecclesiastica de cætero in civili vel criminali causa conveniretur coram judice sæculari, nisi super feudis quæstio civiliter haberetur, ac Templariis, Hospitalariis, & aliis personis ecclesiasticis de damnis & injuriis irrogatis eisdem satisfaceret competenter, ipse mandatum hujusmodi adimplere contempsit. Liquet namque undecim aut plures archiepiscopales, & multas episcopales sedes, abbatias quoque, ac alias ecclesias, ad præsens vacare in regno prædicto, easque, procurante ipso, sicut aperte patet, fuisse diutius prælatorum regimine destitutas, in grave ipsarum præjudicium & periculum animarum. Et licet forte in aliquibus ejusdem regni ecclesiis electiones sint a capitulis celebratæ: quia tamen per illa ejusdem familiares clerici sunt electi, probabili potest argumento concludi, quod facultatem non habuerunt liberam eligendi. Ecclesiarum autem ipsius regni non solum facultates & bona fecit, prout voluit, occupari: sed etiam cruces, thuribula, calices, & alios sacros earum thesauros, & pannos sericos, velut cultus Divini contemptor, auferri, licet, ut dicitur, ipsis ecclesiis, exacto tamen prius pro eis certo pretio, in parte fuerint restituti. Clerici quippe collectis & talliis multipliciter affliguntur, non solum trahuntur ad judicium sæculare, sed, ut asseritur, coguntur subire duella, incarcerantur, occiduntur: & patibulis cruciantur, in confusionem & opprobrium ordinis clericalis: præfatis autem Templariis, Hospitalariis, & personis ecclesiasticis, non est de damnis illatis eisdem & injuriis satisfactum. Eum quoque certum est fore sacrilegii patratorem. Nam cum præfati Portuensis & Prænestinus episcopi, & complures ecclesiarum prælati, & clerici tam religiosi quam sæculares, ad apostolicam sedem pro celebrando concilio, quod prius ipse petiverat, convocati per mare venirent, viis terræ ipsis de mandato ejus omnino præclusis, idem destinato Ensio filio suo cum multitudine galearum, & per alios complures longe ante serie præparatos in partibus Tusciæ maritimis insidiis positis contra eos, ut gravius posset virus vomere præconceptum, ipsos ausu sacrilego capi fecit, quibusdam prælatorum ipsorum, & aliis in hujusmodi captione submersis, nonnullis etiam interemptis, & aliquibus hostili insecutione fugatis, reliquis autem bonis spoliatis omnibus, & de loco ad locum in regnū Siciliæ opprobriose deductis, ac ibidē diris carceribus mancipatis, quorum aliqui macerati squaloribus & inedia pressi, miserabiliter defecerunt.

Merito insuper contra eum de hæretica pravitate suspicio est exorta, cum postquam excommunicationis sententiam a præfatis I. episcopo Sabinensi, & T. cardinalibus prolatam incurrerit, & dictus G. papa ipsum anathematis vinculo innodavit, ac post ecclesiæ Romanæ cardinalium, prælatorum & clericorum, ac aliorum etiam diversis " temporibus ad sedem apostolicam venientium captionem claves ecclesiæ contempserit, & contemnat, " sibi faciens celebrari, vel potius, quantum in eo est, profanari Divina: & constanter asseruit, ut superius est narratum, se præfati G. papæ sententias excommunicationis non vereri. Præterea conjunctus amicitia detestabili Saracenis, nuncios & munera pluries destinaverit eisdem, & ab eis vicissim cum honorificentia & hilaritate receperit, ipsorumque ritus amplectitur, illos in quotidianis ejus obsequiis notabiliter secum tenens. Eorumdem etiam more uxoribus quas habuit de stirpe regia descendentibus, eunuchos Capuæ, quos, ut dicitur, serio castrari fecerat, non erubuit deputare custodes, &, quod execrabilius est, olim existens in partibus transmarinis, facta compositione quadam, immo collusione verius, cum Soldano, Machometi nomen in templo Domini diebus & noctibus publice proclamari permisit, & nuper nuncios Soldani Babyloniæ, postquam idem Soldanus terræ sanctæ ac Christianis habitatoribus ejus per se ac suos damna gravissima & inæstimabiles injurias irrogarat, facit per regnum Siciliæ cum laudibus ad ejusdem Soldani extollentiam, &, sicut fertur, honorifice suscipi, & magnifice procurari. Aliorum quoque infidelium perniciosis & horrendis obsequiis contra fideles abutens, & illis qui damnabiliter vilipendentes apostolicam sedem, ab unitate ecclesiæ discesserunt, procurans affinitate ac amicitia copulari, claræ memoriæ ducem Bavariæ, specialem ecclesiæ Romanæ devotum, fecit, sicut pro certo asseritur, Christiana religione despecta per assassinos occidi, & Battatio Dei & ecclesiæ inimico a communione fidelium per excommunicationis sententiam cum adjutoribus, consiliatoribus, & fautoribus suis, solenniter separato filiam suam tradidit in uxorem. Catholicorum vero principum actus & mores respuens, neglector salutis & famæ, pietatis operibus non intendit: quinimmo, ut de suis nefariis dissolutionibus sileamus, cum didicerit tantum opprimere, non curat oppressos misericorditer relevare, manu eius, ut decet principem Christianum, ad eleemosynas inextenta, cum destructioni ecclesiarum institerit, religiosas ac alias ecclesiasticas jugi attriverit afflictione & persecutione personas, nec ecclesias, nec monasteria, nec alia pia loca cernitur construxisse. Nonne igitur hæc non levia, sed efficacia sunt argumenta de suspicione hæresis contra eum, cum hæreticorum vocabulo illos jus civile contineri asserat, & latis adversus eos sententiis debere succumbere, qui vel levi argumento a iudicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare? Præter hæc, regnum Sicilie,

" irritare, irretire

" partibus

" ibi

ANNO CHRISTI 1245.

liæ, quod est speciale patrimonium beati Petri, & idem princeps ab apostolica sede tenebat in feudum, jam ad tantam in clericis & laïcis exinanitionem servitutemque redegit, quod eis pene penitus nihil habentibus, & omnibus exinde probis fere ejectis, illos qui remanserunt ibidem sub servili quasi conditione vivere, ac Romanam ecclesiam, cujus principaliter sunt homines & vassalli, offendere multipliciter & hostiliter impugnare compellit. Posset etiam merito reprehendi, quod squifatorum annuam pensionem, in qua pro eodem regno ipsi ecclesiæ Romanæ tenetur, per novem annos & amplius solvere prætermisit. Nos itaque super præmissis & compluribus aliis ejus nefandis excessibus, cum fratribus nostris & sacro concilio deliberatione præhabita diligenti, cum Iesu Christi vices licet immeriti teneamus in terris, nobisque in beati Petri apostoli persona sit dictum: *Quodcumque ligaveris super terram*, &c. memoratum principem, qui se imperio & regnis omnique honore ac dignitate reddidit tam indignum, quique propter suas iniquitates a Deo ne regnet vel imperet est abjectus, suis ligatum peccatis, & abjectum, omnique honore & dignitate privatum a Domino ostendimus, denunciamus, ac nihilo minus sententiando privamus; omnes, qui ei juramento fidelitatis tenentur adstricti, a juramento hujusmodi perpetuo absolventes: autoritate apostolica firmiter inhibendo, ne quisquam de cætero sibi tamquam imperatori vel regi pareat vel intendat, & decernendo quoslibet, qui deinceps ei velut imperatori aut regi consilium vel auxilium præstiterint seu favorem, ipso facto excommunicationis vinculo subjacere. Illi autem ad quos in eodem imperio imperatoris spectat electio, eligant libere successorem. De præfato vero Siciliæ regno providere curabimus, cum eorumdem fratrum nostrorum consilio, sicut viderimus expedire.

Datum Lugduni decimosexto Kalendas Augusti, anno tertio.

INSTITVTIONES FACTÆ IN CONCILIO GENERALI apud Lugdunum.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *De rescriptis.*

CVM in multis juris articulis infinitas reprobetur, " proinde duximus statuendum, ut per illam generalem clausulam, Quidam alii, quæ frequenter in nostris litteris inseritur, ultra tres vel quatuor in judicium non trahantur; quorum nomina in primo citatorio exprimat impetrator, ne fraudi locus forsitan relinquatur, si circa ea possit libere variare. *De rescript. in 6.* *" provide*

II. *De eodem.*

Præsenti decreto duximus statuendum, ne a sede apostolica, vel delegatis ipsius, causæ aliquibus committantur, nisi personis quæ vel dignitate sint præditæ, vel in ecclesiis cathedralibus, seu aliis collegiatis honorabilibus constitutæ, nec alibi quam in civitatibus, vel locis magnis & insignibus, ubi haberi valeat juris copia " peritorum, causæ hujusmodi agitentur. Iudicibus vero, qui contra hoc statutum ad alia loca alterutram partium citaverint vel utramque, non pareatur impune: nisi citatio de communi utriusque partis præcesserit volũtate. *" copia jurisperitorũ*

III. *De electione & electi potestate.*

In electionibus & postulationibus, ac scrutiniis, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditionalia, alternativa & incerta penitus reprobamus: statuentes ut, hujusmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris consensibus celebretur electio, voce illorum qui non pure consenserint ea vice in alios recidente. *De elect. in 6.*

IV. *De officio & potestate iudicis delegati.*

Statuimus ut conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis & violentiis defendere possint quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ judicialem indaginem exigunt, suam valeant extendere potestatem. *De off. & pot jud. deleg. in 6.*

V. *De iudiciis.*

Iuris esse ambiguum non videtur, judicem delegatum (qui a sede apostolica ad hoc mandatum non receperit speciale) jubere non posse alterutram partium coram se personaliter in judicio comparere: nisi causa fuerit criminalis, vel nisi pro veritate dicenda, vel juramento calumniæ faciendo, juris necessitas partes coram eo personaliter exegerit præsentari. *De jud. in 6.*

ANNO CHRISTI 1245.

ANNO CHRISTI 1245.

VI. *De litis contestatione.*

Exceptionis peremptoriæ, ſeu defenſionis cujuſlibet principalis cognitionem negotii continentis ante litem conteſtatam objectus, niſi de re judicata vel tranſacta ſeu finita excipiat litigator, litis conteſtationem non impediat, nec retardet, licet dicat objector non fuiſſe reſcriptum obtentum, ſi, quæ ſunt impetranti oppoſita, fuiſſent expoſita deleganti.

VII. *De dolo & contumacia.*

Actor qui venire ad terminum ad quem citari adverſarium fecerat, non curavit, venienti reo in expenſis propter hoc factis legitime condemnetur; ad citationem aliam, niſi ſufficienter caverit quod in termino fideliter compareat, minime admittendus.

VIII. *De reſcriptis.*

Diſpendia litium æquitatis compendio volentes qua poſſumus induſtria coarctare, ſtatutum felicis recordationis [a] Innocentii papæ III. ſuper hoc editum ampliantes, decrevimus ut ſi quis contra alium plures perſonales voluerit movere quæſtiones, non ad diverſos judices, ſed eoſdem, ſuper omnibus hujuſmodi quæſtionibus litteras ſtudeat impetrare. Qui vero contrarium fecerit, omni commodo careat litterarum, nec proceſſus valeat habitus, per eaſdem alias reo, ſi eum per ipſas fatigaverit, in expenſis legitimis condemnandus. Reus quoque, ſi eodem durante judicio actorem ſibi obnoxium dixerit reconventionis beneficio, vel conventionis, ſi litteras contra eum impetrare maluerit, de jure ſuo debet apud eoſdem judices experiri, niſi ut eos ſuſpectos poterat recuſare, ſimili pœna, ſi contra fecerit, puniendus.

[a] Gregorii papæ IX prædeceſſoris noſtri.

IX. *De eo qui mittitur in poſſeſſionem cauſa rei ſervandæ.*

Eum qui ſuper dignitate, perſonatu, vel beneficio eccleſiaſtico obtinendis, cum aliquo litigat poſſeſſore, ob partis adverſæ contumaciam cauſa rei ſervandæ: in ipſorum poſſeſſionem ſtatuimus non mittendum, ne per hoc ad ea ingreſſus patere valeat vitioſus; ſed liceat in hoc caſu contumacis abſentiam Divina replente præſentia, etiam lite non conteſtata, diligenter examinato negotio, ipſum fine debito terminare.

X. *De confeſſis.*

Statuimus ut poſitiones negativas quæ probari non poſſunt niſi per confeſſionem adverſarii, judices admittere poſſint; ſi

A æquitate ſuadente viderint expedire.

XI. *De appellationibus & recuſationibus.*

Legitima ſuſpicionis cauſa contra judicem aſſignata, & arbitris a partibus ſecundum formam juris electis, qui de ipſa cognoſcant, ſæpe contingit, quod ipſis in idem convenire nolentibus, nec tertium advocantibus, cum quo ambo, vel alter ipſorum, procedant ad deciſionem ipſius negotii, ut tenentur, judex proferat excommunicationis ſententiam contra eos, quam ipſi tum propter odium, tum propter favo-
B rem partium, diutius vilipendunt. Quare cauſa ipſa plus debito prorogata, non proceditur ad cognitionem negotii principalis. Volentes igitur morbo hujuſmodi neceſſariam adhibere medelam, ſtatuimus, ut ipſis arbitris per judicem terminus competens præfigatur; infra quem in idem conveniant, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo, vel alter ipſorum, ejuſdem ſuſpicionis negotium terminare procurent. Alioquin judex extunc in principali negotio procedere non omittat.

C

XII. *De ſententia excommunicationis.*

Statuimus, ut nullus judicum participantes cum excommunicatis ab eo in locutione, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante commonitionem canonicam, excommunicare majori excommunicatione præſumat: ſalvis conſtitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præſumunt participare damnato. Quod ſi ex locutione, & aliis, quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indureſcat:
D poterit judex poſt commonitionem canonicam hujuſmodi participantes conſimili damnare cenſura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat, & proferentes pœnam legitimam poterunt formidare.

XIII. *De uſuris.*

Cura nos paſtoralis ſolicitat & hortatur, ut lapſis conſulamus eccleſiis, & ne labantur in poſterum provideamus conſtitutione ſalubri. Cum igitur uſurarum vorago multas eccleſias pene deſtruxerit, & non-
E nulli prælati circa ſolutionem debitorum, præſertim a ſuis prædeceſſoribus contractorum, negligentes inveniantur admodum & remiſſi, ac ad contrahenda majora debita, & obligandas res eccleſiæ nimis proni, deſides etiam in cuſtodiendis rebus inventis, malentes in propriam laudem modicum novi facere, quam bona cuſtodire, dimiſſa recuperare, deperdita reſtaurare, ac reſarcire ruinas: nos, ne de cætero ſe de adminiſtratione tamẽ utili excuſare, ac in præ-

deceſſores

ANNO CHRISTI 1245.

decessores sive alios fundere valeant culpam suam, præsentis concilii approbatione sancimus, ut pontifices, abbates, decani, cæterique legitimam & communem administrationem gerentes, infra unum mensem, postquam administrationem adierint, intimato prius proxime superiori, ut per se vel per aliquam personam ecclesiasticam idoneam & fidelem intersit, præsentibusque capitulo vel conventu propter hoc specialiter evocatis, inventarium rerum administrationis susceptæ confici faciant, in quo mobilia & immobilia, libri, chartæ, instrumenta, privilegia, ornamenta, seu paramenta ecclesiastica, & cuncta quæ ad instructionem urbani fundi seu rustici pertinent, necnon debita ac credita, diligentissime conscribantur: ut in quo statu ecclesiam vel administrationem susceperint, & procedente tempore gubernarint, ac in morte vel cessione dimiserint, per superiorem, si necesse fuerit, & eos qui sunt ecclesiarum deputati servitiis, liquido cognoscatur. Archiepiscopi vero, qui præter Romanum pontificem superiorem non habent, aliquem ex suffraganeis, ut personaliter, vel per alium, ut est expressum superius, & abbates, ac alii prælati minores exempti, unum vicinum episcopum, qui nihil juris in exempta ecclesia sibi vindicet, ad id studeant evocare: dictumque inventarium tam substituti prælati, quam sui collegii, necnon & superioris suffraganei, seu vicini episcopi, ad hoc vocatorum, muniatur sigillis, in archiviis ecclesiæ cum cautela debita conservandum. Et nihilo minus inventarii ejusdem transcriptum tam idem institutus, quam prælatus ad hoc vocatus, penes se habeat simile sigillatum. Inventa quoque custodiantur fideliter, & de ipsis administratio digna geratur: & comperta debita, de mobilibus ecclesiæ, si fieri potest, cum celeritate solvantur. Si vero mobilia non sufficiant ad solutionem celerem faciendam, omnes proventus in solutionem convertantur debitorum, quæ usuraria fuerint, vel etiam onerosa, deductis de ipsis proventibus expensis dumtaxat necessariis, prælato collegioque rationabiliter computandis. Si autem debita non fuerint onerosa, vel usuraria, tertia pars eorumdem proventuum, vel major, cum illorum consilio quos ad conficiendum inventarium vocandos diximus, pro satisfactione hujusmodi deputentur. Porro ejusdem concilii autoritate firmiter inhibemus, ne prædicti personas suas, vel ecclesias sibi commissas, pro aliis obligent, nec pro se vel ipsis ecclesiis contrahant debita, quibus possit imminere gravamen. Si vero evidens urgeat necessitas, vel ecclesiarum rationabilis suadeat utilitas: prælati cum superiorum, archiepiscopi & abbates exempti cum prædictorum collegiorumque suorum consilio & consensu, debita non usuraria, si potest fieri, nunquam tamen in nundinis vel mercatibus publicis contrahant. Et cõtractuum litteris debitorum & creditorum nomina, & causæ quare contrahatur debitum, etiamsi in utilitatem ecclesiæ sit cõversum ": & ad id personas ecclesiasticas, vel ecclesias, nullatenus volumus obligari. Privilegia siquidem ecclesiarum, quæ securo loco fideliter custodiri mandamus, nequâquam pignori obligentur, nec etiam res aliæ, nisi forte pro necessariis & utilibus debitis cum prædicta solennitate contractis. Ut autem hæc salubris constitutio inviolabiliter observetur, & fructus appareat quem ex ipsa provenire speramus: ordinandum duximus, & irrefragabiliter statuendum, quod omnes abbates, & priores, nec non & decani, vel præpositi cathedralium seu aliarum ecclesiarum, semel saltem in anno in ipsorum collegiis districtam suæ administrationis faciant rationem: & coram superiore visitante conscripta & consignata hujusmodi ratio fideliter recitetur. Archiepiscopi vero, & episcopi, statum administrationis bonorum ad mensam propriam pertinentium, similiter singulis annis capitulis suis, & nihilo minus episcopi metropolitanis, & metropolitani legatis apostolicæ sedis, vel aliis, quibus fuerit ab eadem sede suarum ecclesiarum visitatio delegata; insinuare debita fidelitate procurent. Computationes vero conscriptæ, semper in thesauro ecclesiæ ad memoriam reserventur, ut in computatione annorum sequentium præteriti temporis & instantis diligens habeatur collatio, ex qua superior administrantis diligentiam vel negligentiam comprehendat: quam siquidem negligentiam, solum Deum habens præ oculis, hominis amore, odio, vel timore postpositis, tanta & tali animadversione castiget, quod nec a Deo, nec a suo superiori, vel sede apostolica, mereatur propter hoc recipere ultionem. Non solum autem a futuris prælatis, sed etiam a jam promotis præsentem constitutionem præcipimus observari.

" *Deest, inserantur, aut aliquid simile*

XIV. *De subsidio imperii Constantinopolitani.*

Arduis mens nostra occupata negotiis, curisque distracta diversis, inter cætera, circa quæ attentionis invigilat oculo, ad Constantinopolitani liberationem imperii suæ considerationis aciem specialiter dirigit; hanc ardenti desiderio concupiscit; erga eam jugi cogitatione versatur. Et licet apostolica sedes pro ipsa grandis diligentiæ studio & multiplicis subventionis remedio ferventer institerit, ac diu catholici non sine gravibus laboribus, & onerosis sumptibus, anxiisque

ANNO CHRISTI 1245.

anxiisque sudoribus, & deflenda sanguinis effusione, certaverint, nec tanti auxilii dextera imperium ipsum totaliter de inimicorum jugo potuerit, impedientibus peccatis, eripere, propter quod non immerito dolore turbamur: quia tamen ecclesiæ corpus ex membri causa cari, videlicet imperii præfati carentia, notam probrosæ deformitatis incurreret, & sustineret debilitatis dolendæ jacturam, possetque digne nostræ ac ipsius ecclesiæ desidiæ imputari, si fidelium destitueretur suffragio, & relinqueretur hostibus libere opprimendum, firma intentione proponimus, eidem imperio efficaci & celeri subsidio subvenire, ut, ecclesia ferventi ad illius exurgente succursum manumque porrigente munitam, imperium ipsum de adversariorum dominio erui valeat, & reduci, autore Domino, ad ejusdem corporis unitatem, sentiatque post contentem inimicorum malleum dexteram matris ecclesiæ consolantem, & post assertionis erroneæ cæcitatem, visum, catholicæ fidei professione, resumat. Ad liberationem autem ipsius eo magis ecclesiarum prælatos, aliosque viros ecclesiasticos vigiles & intentos existere, ac opem & operam convenit exhibere, quo amplius ejusdem fidei & ecclesiasticæ libertatis augmentum, quod per liberationem hujusmodi principaliter proveniret, procurare tenentur: maxime quia dum prædicto subvenitur imperio, consequenter subsidium impenditur terræ sanctæ. Sane ut festina fiat & utilis imperio præfato subventio, ex communi concilii approbatione statuimus, ut medietas omnium proventuum, tam dignitatum, & personatuum, quam præbendarum ecclesiasticarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum, personarum illarum, quæ in ipsis residentiam non faciunt personalem, per sex menses ad minus, sive unum habeant, sive plura, eis qui nostris, & fratrum nostrorum, ac suorum prælatorum immorantur obsequiis, aut sunt in peregrinatione, vel scholis, seu ecclesiarum suarum negotia de ipsorum mandato procurant, aut assumpserunt vel assument crucis signaculum in prædictæ terræ, vel personaliter in ejusdem imperii proficiscentur succursum, exceptis, & si aliqui eorumdem exceptorum, præter hujusmodi crucesignatos, & proficiscentes, de redditibus ecclesiasticis ultra valentiam centum marcarum argenti percipiunt; annuatim tertia pars residui, ipsius imperii subsidio colligenda, per eos qui hoc ab apostolica fuerint ordinati providentia, usque ad triennium integre deputentur. Non obstantibus quibuscumque consuetudinibus vel statutis ecclesiarum, seu quibuslibet indulgentiis ipsis ecclesiis vel personis ab apostolica sede concessis, juramento aut quacumque firmitate alia roboratis. Et si forte super hoc scienter fraudem commiserint, sententiam excommunicationis incurrant. Nos vero de obventionibus ecclesiæ Romanæ, deducta prius ex eis decima succursui terræ deputanda prædictæ, decimam prædicti pro subventione imperii plenarie tribuemus. Porro, cum idem juvatur imperium, auxilium præstatur potissime ipsi terræ, ac ad recuperationem ejus præcipue insistitur, dum ad ipsius liberationem imperii laboratur, de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli apostolorum autoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indignis, ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus eidem imperio succurrentibus illam suorum peccaminum veniam indulgemus, ipsosque illo privilegio eaque volumus immunitate gaudere, quæ prædictæ terræ subvenientibus conceduntur.

ANNO CHRISTI 1245.

XV. *Admonitio prælatorum ad populum sibi commissum.*

Perennis obtentu patriæ a longis retro temporibus pro redimenda terra, quam Dei Filius aspersione sui sanguinis consecravit, universitas filiorum ecclesiæ non solum expensas innumeras, sed inæstimabilem cruoris affluentiam noscitur effudisse: sicut ex eo mœsti corde colligimus, quod pridem contra fideles pugnantibus impiis accidit in partibus transmarinis. Verum cum propter hoc sit in sedis apostolicæ voto potissimum, ut de ipsius redemptione terræ, communis desiderii cito Deo propitio proveniat complementum: digne providimus, ut ad procurandum Dei favorem vos nostris litteris excitemus. Rogamus itaque universitatem vestram, & obsecramus in Domino Iesu Christo, mandantes quatenus singuli vestrum fideles populos vestræ curæ commissos in vestris prædicationibus, vel quando pœnitentiam ipsis injungitis, piis monitis inducatis, concessa super hoc, prout expedire videritis, indulgentia speciali, ut in testamentis, quæ pro tempore fecerint, aliquid in terræ sanctæ, vel imperii Romaniæ subsidium, pro suorum peccaminum remissione relinquant: attentius provisuri, ut quod ipsi ad Crucifixi reverentiam habendo respectum in pecunia pro hujusmodi subventione dederint, in certis locis sub sigillis vestris conservari fideliter, & illa, quæ in rebus aliis ad hoc legata fuerint, diligenter in scriptis redigi faciatis. Hoc autem pietatis opus, in quo sola causa Dei quæritur, & salus fidelium procuratur, sic vestra sinceritas promptis prosequatur affectibus, ut tantem securi de manu superni Iudicis cælestis gloriæ præmium expectetis.

XVI.

ANNO CHRISTI 1245.

XVI. *De Tartaris.*

Christianæ religionis cultum longius latiusque per orbem diffundi super omnia cupientes, inæstimabilis doloris telo transfodimur, si quando aliqui sic nostro in hac parte obviant desiderio, affectu contrario & effectu, quod ipsum cultum delere penitus de terræ superficie omni studio totaque potentia moliuntur. Sane Tartarorum gens impia, Christianum populum subjugare sibi, vel potius perimere, appetens, collectis jamdudum suarum viribus nationum, Poloniam, Rusciam, Hungariam, aliasque Christianorum regiones, ingressa, sic in eas depopulatrix insævit, ut gladio ejus nec ætati parcente nec sexui, sed in omnes indifferenter crudelitate horribili debacchante, inaudito ipsas exterminio devastarit, ac aliorum regna continuato progressu, illa sibi, eodem in vagina otiari gladio nesciente, incessabili persecutione substernit; ut subsequenter in robore fortiores exercitus Christianos invadens, suam plenius in ipso possit sævitiam exercere, sicque orbato, quod absit, fidelibus orbe, fides exorbitet, dum sublatos sibi gemuerit ipsius gentis feritate cultores. Ne igitur tam detestanda gentis ejusdem intentio proficere valeat, sed deficiat autore Deo potius, & contrario concludatur eventu: ab universis Christicolis attenta est consideratione pensandum, & procurandum studio diligenti, ut sic illius impediatur processus, quod nequeat ad ipsos vlterius quantumcumque potenti armato brachio pertransire. Ideoque, sacro suadente concilio, universitatem vestram monemus, rogamus, & hortamur, attente mandantes, quatenus viam & aditus, unde in terram nostram gens ipsa posset ingredi, solertissime perscrutantes, illos fossatis vel muris, seu aliis ædificiis, aut artificiis, prout expedire videritis, taliter præmunire curetis, quod ejusdem gentis ad vos ingressus patere de facili nequeat. Sed prius apostolicæ sedi suus denunciari possit adventus: ut, ea vobis fidelium destinante succursum, contra conatus & insultus gentis ipsius tuti esse, adjutore Domino, valeatis. Nos enim in tam necessariis & vtilibus expensis, quas ob id feceritis, contribuemus magnifice, ac ab omnibus Christianorum regionibus, cum per hoc occurratur communibus periculis, proportionaliter contribui faciemus, & nihilo minus super his aliis Christi fidelibus, per quorum partes habere posset aditum gens prædicta, litteras præsentibus similes destinamus.

XVII. *Super Cruciata.*

Afflicti corde pro deplorandis terræ sanctæ periculis, sed pro illis præcipue, quæ constitutis in ipsa fidelibus noscuntur noviter accidisse, ad liberandam ipsam, Deo propitio, de impiorum manibus, totis affectibus aspiramus, diffinientes, sacro approbante concilio, ut ita crucesignati se præparent, quod opportuno tempore universis insinuando fidelibus per prædicatores, & nostros nuncios speciales, omnes, qui disposuerint transfretare, in locis idoneis ad hoc conveniant: de quibus in ejusdem terræ subsidium cum Divina & apostolica benedictione procedant. Sacerdotes autem, & alii clerici qui fuerint in exercitu Christiano, tam subditi quam prælati, orationi & exhortationi diligenter insistant, docentes eos verbo pariter & exemplo, ut timorem & amorem Domini semper habeant ante oculos, ne quid dicant aut faciant, quod æterni Regis majestatem offendat. Et si quando in peccatum lapsi fuerint, per veram pœnitentiam mox resurgant, gerentes humilitatem cordis & corporis, & tam in victu quam in vestitu mediocritatem servantes, dissensiones & æmulationes omnino evitando, rancore ac livore a se penitus relegatis: ut sic spiritualibus & materialibus armis muniti, adversus hostes fidei securius prælientur, non de sua præsumentes potentia, sed de Divina virtute sperantes. Nobiles quidem & potentes exercitus ac omnes divitiis abundantes, piis prælatorum monitis inducantur, ut intuitu crucifixi, pro quo crucis signaculum assumpserunt, ab expensis inutilibus & superfluis, sed ab illis præcipue quæ fiunt in comessationibus & conviviis, abstinentes, eas commutent in personarum illarum subsidium, per quas Dei negotium valeat prosperari: & eis propter hoc, juxta prælatorum ipsorum providentiam, peccatorum suorum iudulgentia tribuatur. Prædictis autem clericis indulgemus, ut beneficia sua integre percipiant per triennium, ac si essent in ecclesiis residentes, &, si necesse fuerit, ea per idem tempus pignori valeant obligare. Ne igitur hoc sanctum propositum impediri vel retardari contingat, universis ecclesiarum prælatis districte præcipimus, ut singuli per loca sua illos, qui signum crucis deposuerunt, resumere, ac tam ipsos quam alios crucesignatos, & quos adhuc signari contigerit, ad reddendum Domino vota sua diligenter moneant, inducant, &, si necesse fuerit, per excommunicationis in personas, & interdicti sententias in terras ipsorum, omni tergiversatione cessante, compellant. Adhuc, ne quid in negotio Domini nostri Iesu Christi de contingentibus omittatur, volumus & mandamus, ut patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, & alii qui curam obtinent animarum, studiose proponant com-

missis

ANNO CHRISTI 1245.

missis sibi verbum crucis, obsecrantes per Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum, solum, verum, æternum Deum, reges, duces, principes, marchiones, comites & barones, aliosque magnates, nec non communia civitatum, villarum & oppidorum, ut qui personaliter non accesserint in subsidium terræ sanctæ, competentem conferant numerum bellatorum, cum expensis ad triennium necessariis, secundum proprias facultates, in remissionem suorum peccaminum, prout in generalibus litteris, quas pridem per orbem terræ misimus, est expressum, & ad majorem cautelam inferius etiam exprimetur.

Hujus remissionis volumus esse participes non solum eos qui ad hoc naves proprias exhibebunt; sed illos etiam, qui propter hoc opus naves studuerint fabricare. Renuentibus autem, si qui forte tam ingrati fuerint Domino Deo nostro, ex parte apostolica firmiter protestentur, ut se sciant super hoc nobis in novissimo districti examinis die coram tremendo judice responsuros: prius tamen considerantes, qua scientia quave securitate comparere poterunt coram unigenito Dei Filio Iesu Christo, cui omnia dedit Pater in manus, si ei pro peccatoribus crucifixo servire renuerint in hoc negotio quasi proprie sibi proprio, cujus munere vivunt, cujus beneficio sustentantur, quin etiam cujus sanguine sunt redempti. Cæterum ex communi concilii approbatione statuimus, ut omnes omnino clerici, tam subditi quam prælati, vigesimam ecclesiarum proventuum usque ad triennium conferant in subsidium terræ sanctæ per manus eorum, qui ad hoc apostolicâ fuerint providentia ordinati, quibusdam dumtaxat religiosis exceptis, ab hac præstatione merito eximendis, illisque similiter qui assumpto vel assumendo crucis signaculo sunt personaliter profecturi. Nos & fratres nostri sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales plenarie decimam persolvemus, sciantque se omnes ad hoc fideliter observandum per excommunicationis sententiam obligatos: ita quod illi, qui super hoc fraudem scienter commiserint, sententiam excommunicationis incurrant.

Sane quia justo judicio, cælestis imperatoris obsequiis inhærentes, speciali decet prærogativa gaudere, crucesignati a collectis vel talliis aliisque gravaminibus sint immunes, quorum personas & bona post crucem assumptam sub beati Petri & nostra protectione suscipimus: statuentes ut sub archiepiscoporum, episcoporum, ac omnium prælatorum ecclesiæ Dei defensione consistant: propriis nihilo minus protectoribus ad hoc specialiter deputandis, ita ut, donec de ipsorum reditu vel obitu certissime cognoscatur, integra maneant & quieta: & si quisquam contra præsumpserit, per cẽsuras ecclesiasticas compescatur.

Si qui vero proficiscentium illuc ad præstandas usuras juramento tenentur adstricti, creditores eorum ut remittant eis præstitum juramentum, & ab usurarum exactione desistant, eadem præcipimus districtione compelli. Quod si quisquam creditorum eos ad solutionem coëgerit usurarum, eum ad restitutionem earum simili cogi animadversione mandamus.

Iudæos vero ad remittendas usuras per sæcularem compelli præcipimus potestatem, & donec illas remiserint, ab universis Christi fidelibus per excommunicationis sententiam eis omnino communio denegetur. Iis qui Iudæis nequeunt solvere debita in præsenti, sic principes sæculares utili dilatione provideant, quod post iter arreptum, quousque de ipsorum reditu vel obitu cognoscatur, usurarum incommoda non incurrant, compulsis Iudæis proventus pignorum, quos ipsi interim perceperint, in sortem, expẽsis deductis necessariis, computare: cum hujusmodi beneficium non multum videatur habere dispendii, quod solutionem sic prorogat, quod debitum non absorbet. Porro ecclesiarum prælati, qui in exhibenda justitia crucesignatis & eorum familiis negligentes extiterint, sciant se graviter puniendos.

Cæterum quia cursarii & piratæ nimis impediunt subsidium terræ sanctæ, capiendo & spoliando transeuntes ad illam, & redeuntes ab ipsa: nos, eos & principales adjutores & fautores eorum excommunicationis vinculo innodamus; sub interminatione anathematis inhibentes, ne quis scienter cum eis communicet in aliquo venditionis vel emptionis contractu, & injungentes rectoribus civitatum, & locorum suorum, ut eos ab hac iniquitate revocent & compescant. Alioquin, quia nolle perturbare perversos, nihil est aliud quam fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ qui manifesto facinori desinit obviare, in personas & terras eorum per ecclesiarum prælatos severitatem ecclesiasticam volumus & præcipimus exerceri. Excommunicamus præterea & anathematizamus illos falsos & impios Christianos, qui contra ipsum Christum & populum Christianum arma, ferrum, & lignamina deferunt galearum: eos etiam qui galeas eis vendunt, vel naves, quique in piraticis Saracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis, aut quibuslibet aliis, aliquod eis impendunt auxilium vel consilium, in dispendium terræ sanctæ, ipsosque rerum suarum privatione mulctari, & capientium fore censemus servos. Præcipientes, ut per omnes urbes maritimas omnibus diebus dominicis & festivis

hujusmodi

ANNO CHRISTI 1245.

hujusmodi sententia publice innovetur, A & talibus gremium non aperiatur ecclesiæ, nisi totum quod de commercio tam damnato perceperint, & tantumdem de suo, in subsidium prædictæ terræ transmiserint, ut æquo judicio in quo peccaverint, puniantur. Quod si forte non fuerint solvendo, sic alias reatus talium castigetur, quod in pœna ipsorum aliis interdicatur audacia similia præsumendi.

Prohibemus insuper omnibus Christianis, & sub anathemate interdicimus, ne in terras Saracenorum, qui partes orientales inhabitant, usque ad quadriennium B transmittant vel transvehant naves suas, ut per has volentibus transfretare in subsidium terræ sanctæ major navigii copia præparetur, & Saracenis prædictis subtrahatur auxilium quod eis consuevit ex hoc non modicum provenire. Licet autem torneamenta sint in diversis conciliis sub certa pœna generaliter interdicta, quia tamen hoc tempore Crucis negocium per ea plurimum impeditur, nos ea sub pœna excommunicationis firmiter inhibemus usque ad triennium exerceri. Quia vero C ad hoc negocium exequendum est permaxime necessarium ut principes & populi Christiani adinvicem pacem observent, sancta & universali synodo suadente, statuimus ut per quadriennium in toto orbe Christiano pax generaliter observetur, ita quod per ecclesiarum prælatos discordantes reducantur ad plenam pacem, aut firmam treugam inviolabiliter observandam: & qui acquiescere forte contempserint, per excommunicationem in personas, & interdictum in terras, arctissime compellantur, nisi tanta fuerit injuriarum D malitia, quod ipsi non gaudere debeant tali pace. Quod si forte censuram ecclesiasticam vilipenderint, poterunt non immerito formidare, ne per autoritatem ecclesiæ contra eos, tamquam perturbatores negocii crucifixi, sæcularis potentia inducatur. Nos ergo de omnipotentis Dei misericordia & beatorum apostolorum Petri & Pauli autoritate confisi, ex illa quam nobis, licet indignis, Deus ligandi atque solvendi contulit potestate, omnibus, qui laborem istum in propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, E de quibus fuerint corde contriti & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Eis autem, qui non in propriis personis illuc accesserint, sed in suis dumtaxat expensis juxta facultatem & qualitatem suam viros idoneos destinaverint, & illis similiter, qui licet in alienis expensis, in propriis tamen personis accesserint, plenam suorum concedimus veniam peccatorum.

Hujusmodi quoque remissionis concedimus esse participes, juxta quantitatem subsidii, & devotionis affectum, omnes qui ad subventionem ipsius terræ de bonis suis congrue ministrabunt, aut circa prædicta consilium & auxilium impenderint opportunum. Omnibus etiam pie proficiscentibus in hoc opere sancta & universalis synodus orationum & beneficiorum suorum suffragium impartitur, ut eis digne proficiat ad salutem. Amen.

ACTA CONCILII
LUGDUNENSIS PRIMI.

Ex Matthæi Parisii Histor. Anglic. ad ann. MCCXLV.

Altius igitur solis orbita cursum suum peragente, videlicet circa æstatis medium, congregati sunt Lugdum ex totius fere Christianitatis latitudine prælati venerabiles, vel eorum idonei, imperatoris quoque, & multorum principum, aliorumque, procuratores, secundum papalis mandati tenorem concilium celebraturi. Absentes autem quamplurimi prælatorum per eos quos promiserunt procuratores sese ex legitimis causis sufficienter excusarunt: sicut quidam ex Anglorum regno, ut supra latius dictum est. Inter quos abbas sancti Albani, corpore gravis, & jam ad senilem declinans ætatem, magistro Martino, qui tunc temporis in Anglia prospere commorabatur, testimonium veritati super hoc perhibente, se rationaliter per quemdam monachum suum, Ioannem videlicet de Bulum, & quemdam clericum suum magistrum Rogerum de Holdene, suam excusavit absentiam, & sic indemnis & quietus remansit, domino papa per ipsos civiliter salutato. Verumtamen de regno Hungariæ, quæ pro multa sui parte per Tartaros est vastata, nulli venerunt. De Alemannia bello imperiali perturbata, pauci prælati ad concilium minime convenire potuerunt. De terra vero sancta, quæ multo patuit discrimini, nullus penitus potuit illuc advenire, sed nec advocari. Occasionaliter tamen illuc advenit de terra sancta episcopus Berytensis, totius Syriæ nuncius generalis, & syndicus omnium Christianorum terræ sanctæ, mandatum bajulans lugubre de exterminio, permittente Deo, in terra sancta perpetrato.

Dum autem dominus papa multos jam prælatos, licet tamen non omnes, vidisset congregatos, die Lunæ proxima post festum nativitatis sancti Ioannis Baptistæ, intravit dominus papa cum fratribus cardinalibus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis prælatis, ad concilium convocatis, simul & procuratoribus absentium tam principum quam prælatorum, in refectorium religiosorum sancti Iusti apud Lugdunum. Fuerunt itaque ibidem, absque cardinalibus, duo patriarchæ, scilicet Constantinopolitanus, qui & Antiochenus, & patriarcha Aquileiæ, qui & Venetiæ, imperator quoque Constantinopolitanus, comes etiam Tolosanus, & procuratores Angliæ, comes Bigod, cum sociis suis nobilibus, archiepiscopi vero & episcopi centum & quadraginta. Quando synodus inchoata.

Proposuitque patriarcha Constantinopolitanus statum & necessitates ecclesiæ suæ, asserens quod olim habuit sub se suffraganeos plusquam triginta, quorum vix jam tres remanserunt. Subjungens insuper, quod 1. propositio.

ANNO CHRISTI 1245.

Græci, & quidam alii inimici ecclesiæ Romanæ, totum jam imperium Romaniæ fere usque ad portas civitatis Constantinopolis violenter occuparunt, qui in nullo Romanæ ecclesiæ obedientes, ipsamque detestantes, hostiliter eidem adversantur. Unde dolor & confusio omnium Christianorum imminet, cum ipsa sua ecclesia primo fuisset privilegiata, & merito plus cæteris honoranda: primo enim constat beatum Petrum Antiochiæ, quæ civitas Græcorum imperio vel regno subjecta est, ab antiquo sedisse, & inde Simonem magum & alios hæreticos confusos aufugasse. Ad quod papa tacuit.

2. propositio.

Consequenter propositus fuit sermo fidelis, & omni acceptione dignus, de canonizatione scilicet beati Edmundi Cantuariensis archiepiscopi, quem Dominus evidentissimis miraculorum signis illustravit. Cujus rei assertioni cum constanter testimonium octo archiepiscopi & circiter viginti episcopi perhibuissent, & instanter ut in ipso concilio veneranter ad majorem solennitatem canonizaretur postularent, ait dominus papa, non suo, sed aliorum spiritu invidorum aversus, dicens: Urgent nos dilationem non capientia ecclesiæ nimis ardua negotia, quare hoc merito ad præsens tempus suspendere debeat expectatum. Sed, vita comite, in posterum neglectui non commendabitur: & quia Deus & mundus sanctitati & virtutibus ejus perhibent testimonium, in Domino gaudemus, & gratias ipsi referimus uberiores.

Thadæus Frider. II. procurator.

Adfuit etiam præsens ibidem Thadæus de Suessa, domini imperatoris Friderici procurator, vir prudens, & eloquentiæ singularis, miles, & legum doctor, & sacri palatii judex imperialis, pro domino suo imperatore tam constanter quam diligenter responsurus. Pro cujus pace, & pristinæ amicitiæ reformatione, obtulit pro domino suo imperatore confidenter, ad unitatem Romanæ ecclesiæ totum Romaniæ, id est Græciæ, imperium revocare: & quod sese Tartaris, & Chorosminis, & Saracenis, & aliis ecclesiæ hostibus & contemptoribus, Christo fideliter militando, potenter opponet, & quod statum terræ sanctæ, discrimini magno & manifesto periculo jam patentem, suis sumptibus propriis personaliter, pro posse suo, reformabit, & ablata Romanæ ecclesiæ restituendo, de injuriis satisfacere.

Acta primæ sessionis quæ?

Ad quæ omnia respondit dominus papa, dicens exclamando: O quam multa & quam magna sunt promissa, nunquam vel nusquam tamen adimpleta vel adimplenda. Sed & hæc, ut constat, sunt promissa, ut securis jam ad radicem posita, illuso concilio & soluto, per dilationem avertatur. Pacem nuper in anima sua juratam secundum formam præstiti sacramenti teneat, & acquiesco. Porro,

Quo teneam nodo mutantem Protea vultus?

Et si concederem sibi postulata, & resilire vellet, nec aliud spero, quis nunc pro eo cavens fidejuberet, ut cogeret resilientem? Et cum duos reges, videlicet Francorum & Anglorum, Thadæus ad hoc spopondisset fidejussores, respondit dominus papa: Nolumus. Quia si pacta commutasset, vel penitus infirmasset, (nec aliud credimus, propter frequentiam) aliquo tempore in posterum oporteret nos animadvertere in eosdem: & tunc haberet ecclesia tres, quibus non sunt in sæculari potentia majores, immo nec pares, inimicos. Et cum procuratio Thadæi ad hoc non sufficeret, neque temporis satis habuerit ut hæc consummarentur competenter, siluit contristatus.

Episcopus autem Berytensis, nomine Gualerannus, qui jam sex mensibus per maris & uno per terrarum discrimina labores itinerum, ut prædictum est, continuaverat, ut casum terræ sanctæ nuntiaret, auxilium & consilium impetrando, legi fecit litteras, quas magnates qui residui erant in terra sancta, omnibus Christianis occidentalibus miserant consignatas, per os fratris Arnulphi de ordine Prædicatorum, in publico: quæ litteræ præscribuntur in præcedentibus. Quorum tenor lugubris omnes audientes ad lacrymarum, nec immerito, movit effusionem.

Sessio 2. acta.

Feria vero quarta sequente intravit dominus papa ecclesiam sancti Ioannis, indutus pontificalibus, cum omnibus aliis supradictis, veste nuptiali, prout singulis pertinuit, adornatis. Et facta invocatione Spiritus sancti, cum litania sequente, & aliis rite peractis, prædicavit dominus papa, præponens & singultibus interpositis proponens hoc thema: *O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.* Et satis eleganter sermonem continuans, cōparavit quinque dolores suos maximos quinque vulneribus & plagis Crucifixi. Unum, de inhumanis & feraliter Christianitatem vastantibus Tartaris. Alium, pro schismate Romaniæ, id est Græcæ ecclesiæ, quæ nostris temporibus & paucis evolutis annis a gremio matris suæ, velut novercæ, insolenter & insolerter decisa est & aversa. Alium, pro serpigine novarum hæresum, scilicet Patarenorum, Bulgarorum, Iovinianorū, & aliorum schismatum, sectarum, & errorum, quę jam multas civitates Christianitatis, præcipue tamen Lombardiæ, subrependo maculavit. Alium, de terra sancta: in qua Chorosmini detestabiles domos Templi & Hospitalis, civitatem quoque Ierusalem, & alias multas Christianorum civitates, cum magno Christiani sanguinis profluvio usque ad internecionem, solo tenus diruendo destruxerunt. Alium vero, de principe, id est imperatore. Qui cum esse teneretur summus sæcularium œconomus, & protector ecclesiæ, hostis factus familiaris, ecclesiæ Christi efficax & validus factus est inimicus, & ministrorum ejus adversarius jam manifestus. Et prosecutus dominus papa materiam hanc quantum videbatur expedire, cunctos audientes dolore compassionis salubriter sauciavit. Exitus enim aquarum deduxerunt oculi ejus, & singultus sermonem proruperunt. In fine autem prædicationis suæ proposuit enormitates imperatoris Friderici, scilicet hæresim, sacrilegium, & inter alia mala, quod civitatem quamdam in Christianitate construxerat novam, fortem & magnam, quam Saracenis populaverat, ipsorum utens, sed potius abutens, ritibus & superstitionibus, spreto Christianorum consilio & religione: familiaritatemque specialem contraxerat, ut asserebat, cum Soldano Babyloniæ, & quibusdam aliis Saracenorum primatibus: distractusque & obscœnis illectus illecebris, concubitu mulicularum, vel potius meretricularum Saracenicarum, indifferenter & impudenter polluebatur. Imponebatque ei multiplex perjurium: & quod spreto veritatis tenore, nunquam pacta, nusquam promissa conservabat. Super quibus, ut magis hæc audientes certificaret, signorum imperialium de auro appensione communitas ostendit epistolas multas & multiplices, quibus evidenter arguit & redarguit ipsum imperatorem super perjurio.

Quibus etiam verbis alacriter se opposuit Thadæus, se tunc erigens imperterritus in publico, ostendens econtra litteras papales bullatas, quæ videbantur jam dictis obviare. Verumtamen diligenter inspecto utrarumque tenore, quem longum esset in hoc scripto dilucidare, & plenius demonstrare, non sibi adinvicem contradictorie adversabantur, cum papales epistolæ conditionales fuissent, imperatoriæ vero absolutæ: & apparuit læsio fidei manifeste ex parte imperatoris, qui cum omnia absolute promiserat, nec inde aliquid secundum promissa compleverat. Ad quod Thadæus diligenter & multipliciter, secundum saltem apparentes rationes, nitebatur respondere, dominū suum imperatorem excusando, litteras alias ex adverso papales osten-

Thren. 1.

ANNO CHRISTI 1245.

ostendens, & asserens quod in eis continebatur non fuisse observatum: unde dominum suum imperatorē suis promissis parere nō debuisse. Ad hoc autem quod de hæresi dominus imperator accusabatur, respondit, respiciens omnes ibidem congregatos, quasi omnes alloquens: Domini mei, super isto articulo, qui est gravissimus, non possit quis certificari, nisi esset dominus meus imperator præsens, ut ex oris sui assertione elici possit quod in cordis sui latet secretario. Sed quod non sit hereticus, probabile potest haberi argumentū. Non enim in imperio, vel regnis suis, aliquem usurarium habitare permittit. In hoc curiam Romanam redarguens, quam constat hoc vitio maxime laborantem.

Ad hoc autem, quod objectum fuerat, quod imperator specialem habet familiaritatem, & suspectam nimis, cum Soldano Babyloniæ, & quibusdam aliis Saracenis, quos terram suam permittit inhabitare: respondit Thadæus, hoc ultro factum & prudenter esse; ad rebellionem scilicet quorumdam & insolentiam reprimendam sibi jure subditorum, & seditionem expurgandam. Vtitur enim ipsis in expeditionibus, quorum non æstimat casum alicui Christiano deplorandum, & sic parcit Christiano sanguini, ne frustra effundatur. Muliercularum itaque Saracenorum non utitur concubitu: & quis hoc posset probare? sed joculatione, & quibusdam artificiis muliebribus, quas jam, quia suspectas, amovit irredituras.

Hæc autem cum Thadæus dicta consummasset, supplicavit humiliter sibi concedi modicam saltem dilationem inducialem, ut domino suo imperatori nūciare posset, & tam affectuose quam efficaciter consulendo persuadere, ut personaliter ad concilium, quod eum expectavit, venire properaret, aut ulteriorem concederet eidem potestatem. Ad quod dominus papa respondit: Absit hoc. Timeo laqueos quos vix evasi. Si enim veniret, statim recederem. Non adhuc opto sanguinem, nec me sentio aptum aut paratum martyrio vel custodiæ carcerali.

Sequenti vero die, ad instantiam procuratorum regum Francorum & Anglorum, maxime vero Anglorum, qui periculo & dedecori ejus plus aliis, propter affinitatem inter ipsum imperatorem & regem Anglorum, & fœdus amicitiæ contractum, tanti principis condoluerunt, concessæ sunt ipsi Thadæo induciæ fere duarum hebdomadarum, non sine multorum gravamine Lugduni expectantium. Hæc cum ipsi imperatori per ordinem omnia nunciarentur, in molestia magna dixisse perhibetur: Video luce clarius, quod ad confusionem meam toto conamine aspirat papa. Stimulat enim eum libido & pruritus ulciscendi in me, eo quod parentes ejus Ianuenses piraticos, antiquos & publicos imperii inimicos, simul cum prælatis, quorum duces erant & tutores, in mari capi fecerim & incarcerari. Quia nec ob aliud constat eum concilium convocasse, nec sacrum decet imperium maxime adversanti judicio sisti synodali.

Hæc cum ad notitiam domini papæ & totius universitatis pervenerunt, quod scilicet, sic dicens noluit juri pariturus accedere, recesserunt a favore ejus multi qui hactenus certatim cum eo steterunt, Anglis pro eo maxime redargutis. Constanter igitur & acerrime in pleno & jam plenissimo concilio imperator Fridericus, quasi toti ecclesiæ contumax & rebellis, a quatuor mundi partes inhabitantibus accusatur. Ex quibus cū unus assurgens archiepiscopus ipsum instantius accusaret, objiciēs ei nimis enorme crimē, læsæ scilicet majestatis in dicta prælatorum captione, & aliis gravibus criminibus, respondit jam fere solus stās Thadæus pro domino suo imperatore, ipsum respiciens accusantem: Non tibi fides adhibenda est, sed nec verbis tuis silentium accommodandum: filius enim es proditoris, judicialiter in curia domini mei convicti & suspensi, cujus tu sequens vestigia, niteris patrissare. Siluit igitur ille accusator, amplius mutire nec ausus nec permissus. Eodemque modo quorumdam aliorum accusationes tam prudenter quam audacter contradicendo cassavit magister Thadæus.

Verumtamen cum a multis in mari submersorum & incarceratorum consanguineis & amicis, resumpto adhuc sermone & spiritu redivivo, eo fortius & confidentius quo jam favorem ejus declinare viderent, ipse imperator de captione sæpedicta accusaretur, respondit Thadæus: Vere doluit super hoc dominus meus, & hoc præter intentionem suam & occasionaliter cōtigit. Sed non potuit ipsos prælatos ab inimicis suis in illo repentino & vehementi assultu & navali prælio, ut bene sciri potuit, sequestrare, quin indifferenter cum hostibus involuerentur. Et si præsens dominus meus imperator ibidem extitisset, utique diligenter liberationi eorum insudasset. Ad hoc dominus papa replicavit: Post eorū captionem, quare insontes, aliis retentis, liberos abire non permisit, licet injuria multiformiter afflictos? Ad quod Thadæus: Recolendum est quod alterata forma convocationis & adventus prælatorum ad concilium sub Gregorio papa celebrandum convocandorū, mutabatur in deterius, & merito cor domini mei imperatoris etiam immutatū exasperabatur. Quia idem papa cum vocandos tantum vocare debuisset, publicos imperii convocavit inimicos: laicos nempe armata manu communitos, utpote comitem de Provincia, & alios, ut patet in epistola regi Anglorum scripta, quam superius recitavimus. Quos constabat non esse propter eorū sapientiam vocatos, vel ad pacem componendā, sed seditionem potius commovendam. Vnde tam in Angliam quā alias missis epistolis regiones, amicabiliter prælatis singulis supplicavit dominus meus imperator, ne ad tam subdolum convenirent conciliū, præcognoscens eos, si venirent cum hostibus suis & imperii invadendos: denegavitq; eis per suam securum transitum ditionem: sicq; misericorditer & civiliter ipsos de imminenti periculo premunivit. Vnde nō immerito tradidit eos Dominus in manus ejus quem superbe cōtempserunt Adhuc tamen cū iratus fuit, misericordiæ recordatus, voluit ipsos prælatos & alios imbelles in pace dimittere, suorum emollitus consiliis flexibilis: cum ecce Prænestinus & quidam alii procaces, minas minus accumulantes, dominū meum in facie, etiam vinculati, nō desistebant excommunicare, immemores illius salubris cōsilii: *Humiliamini sub potenti manu.* 1. Petr 5. Sicque imbelles de rebellibus, immo imbecilles, sic facti sunt de amicis inimici merito incarcerandi. Ad quod papa: Præsūpsisse debuit dominus tuus imperator, quod tam bonorū, & tanta congregatio virorum, nisi de sua causa diffideret, eum potius absolvisset, si absolvendus fuisset, quam ligasset. Sed ex hoc manifeste patet, quod sua ipsū conscientia remordebat, & peccatum, quo reus extitit, sauciarat. Ad quod Thadæus: Quomodo confidere posset dominus meus, ut conjunctos hostibus haberet propitios in cōcilio, ubi præsidere habuit domini mei inimicus capitalis, scilicet papa Gregorius, cū recalcitrantes videret eos & comminantes etiam cōpeditos? Ad quod papa: Et si unus objurgans gratiam demeruisset, quare alios innocuos communi involuit calamitate? Multiplici merito nihil aliud quam sua ignominiosa imminet depositio. Quod cum intellexissent Angli, reclamaverunt pro prole sua, ne filius patris iniquitatem portaret, nec rivus sāguinis ab origine cōtaminaretur.

In tertia vero sessione Thadæus nimis timens & dolens de domini sui periculo, maxime pro eo quod filia ducis Austriæ, vel ipsi imperatori copulata, vel in proximo copulanda matrimonio, amplexus ejus abhorrens evitabat, eo quod excommunicationi subjacenti depo-

ANNO CHRISTI 1245.

depoſitionis periculum imminebat, apparuit in concilio pro domino ſuo reſponſurus & appellaturus. Et cum cœpiſſet eum multiformiter excuſare, nec audiretur, appellavit pro eo ad concilium proxime futurum generalius. Nec enim nunc omnes prælati, vel eorum, vel principum procuratores, apparent hic impræſentiarum. Cui papa: Satis eſt concilium generale multorum, qui domini tui humilitatem inutiliter non ſine gravamine expectarunt, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, & aliorum de diverſis mundi partibus nobilium, vel eorum procuratorum. Et qui abſunt, laqueis domini tui impediuntur irretiti. Vnde propter hoc indignum eſt ut ſententia depoſitionis in ipſum deferenda retardetur, ne ex malitia ſua commodum videatur reportare, cum non debeat alicui fraus patrocinari.

Querela Anglorum.

Aſſidentibus autem ibidem Anglicanæ univerſitatis procuratoribus prænominatis, magiſter VVilhelmus de Povveric eorum procurator aſſurgens, gravamina regni Angliæ ex parte univerſitatis Angliæ proponens ſatis eleganter, conqueſtus eſt graviter quod tempore belli per curiam Romanam extortum eſt tributum injurioſe, in quod nunquam patres nobiliũ regni vel ipſi cõſenſerunt, nec conſentiunt, neq; in futurũ conſentient. Vnde ſibi expetunt exhiberi juſtitiam cum remedio. Ad quod papa nec oculos elevans, nec vocem, verbum non reſpondit. Et poſt paululum ſilentii, dictus VVilhelmus propoſuit de multiformi redditNum extorſione in Anglia per curiam Romanam factam, hanc oſtendens epiſtolam:

Reverendo in Chriſto patri Innocentio Dei gratia ſummo pontifici magnates & univerſitas regni Angliæ recommendationem, cum pedum oſculo beatorum.

Epiſtola Anglorũ

MAtrem noſtram Romanam eccleſiam totis viſceribus diligimus & amamus, ut debemus, & ipſius honoris incrementum & augmentum affectione quanta poſſumus affectamus: ad quam habere refugium nos oportet temporibus opportunis, ut dolor aggravans filialis materno ſolatio mitigetur. Quod quidem ſolatium mater filio eo tenetur mitius & facilius impertiri, quo ipſum maternæ dulcedinis alimento gratum reperit & devotum. Eſſe quidem non poteſt immemor mater illa illius gratitudinis, quam ei a longe retroactis temporibus regnum Anglicanum impendit, concedendo eidem, ad exaltationem ſuam, & conſervationem majorem, ſubſidium decens, & non modice fructuoſum, ut per hoc inter eccleſiam ipſam & regnum prædictum, fœdus dilectionis firmius iniretur: quod quidem ſubſidium proceſſu temporis beati Petri denarius extiterit nuncupatum. Ipſa vero eccleſia hujuſmodi ſubſidio non contenta, aliis temporibus, tam per legatos quam per alios nuncios multiplicatos, ſubſidia petebat diverſa in regno prædicto, quæ ei a filiis ſuis tamquam devotis, & matrem ſuam ſinceræ dilectionis brachiis amplexantibus, fuerant conceſſa liberaliter & libenter. Paternitatem etiam veſtram non credimus ignorare, quod prædeceſſores noſtri, ſicut viri catholici, creatorem ſuum diligentes pariter & timentes, animarum ſuarum & prædeceſſorum ſuorum, necnon & ſucceſſorum, ſaluti inſiſtere cupientes, monaſteria fundaverunt, & bonis ſuis, tam terris dominicis quam eccleſiarum patronatibus, ditaverant, ut viri religioſi in monaſteriis illis primam religionem laudabiliter exercentes, & cum ſumma devotione Altiſſimo famulantes, pace & plena tranquillitate poſſent gratulari, prout religioni dignoſcitur convenire, de dictis dominicis neceſſaria capientes. Et ut clerici ſui, patronatuum ſuorum eccleſias obtinentes, pro eis labores ſubirent exteriores, & eos defenderent, inhærentes religioni ſecundæ, ab incurſibus aliorum. Quapropter non ſine magna moleſtia noſtra, & gravamine intolerabili nobis valde, præfati religioſi poſſent patronatibus ſuis, aut eccleſiarum collationibus, aliquatenus defraudari. Sed ecce per vos & prædeceſſores veſtros, nullam conſiderationem habentes, quod præter ſubſidia ſupradicta, jam ditantur in Anglia Italici, quorum eſt jam numerus infinitus, eccleſiis ad ipſorum religioſorum ſpectantibus patronatus, qui rectores eccleſiarum dicuntur, præfatos religioſos, quos deberent defendere, relinquentes penitus indefenſos, nullam curam animarum gerentes, ſed lupos rapaciſſimos gregem diſpergere & oves rapere permittentes. Vnde vere dicere poſſunt, quod non ſunt boni paſtores, quoniam oves ſuas non cognoſcunt, nec paſtorum notitiam oves habent: hoſpitalitati eleemoſynarumque largitioni, ſicut ſtatutum eſt in eccleſia, non inſiſtunt, ſed fructus tantum percipiunt, extra regnum aſportantes, regnum non mediocriter depauperando, & redditus occupãdo. Quibus reditibus fratres, nepotes, conſanguinei noſtri, & cæteri bene meriti de regno Angliæ prædicto, beneficiari tenerentur, qui poſſent & vellent dicta caritatis opera, & etiam plura alia miſericorditer & pie exercere, & eccleſiis ipſis perſonaliter deſervire, ut qui altari deſerviunt, vivant etiam de altari, ſecundum dictum Pauli. Ipſi vero nunc neceſſitate compulſi laici & exules ſunt effecti. Vt autẽ vobis veritas plenius innoteſcat, Italici percipientes in Anglia ſexaginta millia marcarum, & eo amplius, annuatim, aliis perceptionibus diverſis exceptis, plus emolumenti meri redditus de regno reportant, quam ipſe rex, qui eſt tutor eccleſiæ, & regni gubernacula moderatur. Porro poſt creationem veſtram firmiter ſperabamus, & adhuc ſperamus, eam de vobis fiduciam reportantes, quod veſtræ paternitatis miſericordia mediante, gaudebimus eleemoſynas noſtras prædictas tempore veſtro fore ſtatui debito & priſtino reformandas. Sed tacere non poſſumus gravamen noſtrum, quo non ſolum gravamur, ſed etiam opprimimur ultra modum: videlicet, quod magiſter Martinus præfatum regnum ſine domini regis licentia, cum majori poteſtate quam unquam vidimus habere legatum a domino rege poſtulatum, nuper ingreſſus, licet non utens legationis inſigniis, multiplicato tamen legationis officio, novas quotidie proferens poteſtates inauditas, excedens excedit: quædam beneficia jam vacantia triginta marcas vel amplius annuatim valentia perſonis Italicis conferendo: quibus decedentibus, & patronis ignorantibus, alii ſupponuntur, & ſic patroni ſuis collationibus defraudantur. Adhuc etiam idem magiſter Martinus beneficia conſimilia, cum ea vacare contigerit, perſonis nititur aſſignare. Quorumdam beneficiorum collationem ſedi apoſtolicæ reſervando, & a viris religioſis penſiones immoderatas inſuper extorquendo: contradictores & reſiſtentes excommunicationis & interdicti ſententiis paſſim, non abſque magno diſcrimine & animarum periculo, ſupponendo. Cum igitur præfatus magiſter Martinus, non ſine totius regni perturbatione non modica, jurisdictionem exercens memoratam, quam a conſcientia veſtra credere non poſſumus emanaſſe, eo quod in multis majori fungeretur officio, quam unquam fungi legatum aliquem viderimus, privilegio domini regis admodum derogando, per quod ei a ſede apoſtolica ſpecialiter indulgetur, ne quis in Anglia legationis fungatur officio, niſi a domino rege ſpecialiter poſtulatus, ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicamus quantum poſſumus humiliter & devote, quatenus, cum pius pater ad relevationem oppreſ-

CHRISTI ANNO 1245.

" oppressionis filiorum manum misericordiæ teneatur A
" extendere, ab oppressionibus & gravaminibus memoratis nos velit vestræ paternitatis benignitas tempestivo ac efficaci remedio cito relevare. Quantumcumque namque dominus noster rex, qui est princeps catholicus, & jugi vigilatione obsequiis Divinis intendit, corporis sui consumptionem non considerans, in obsequio Iesu Christi sedem velit apostolicam revereri, & ecclesiæ Romanæ, sicut filius ejus carissimus, commodi & honoris desideret incrementum & augmentum; jure tamen regio dignitateque regia plenius conservatis: nos tamen qui in negotiis suis portamus pondus dierum & æstus, & quibus una cum ipso domino rege intendere conservationi regni diligenter incumbit, dictas oppressiones Deo & hominibus detestabiles, & gravamina nobis intolerabilia, non possumus æquanimiter tolerare, nec per Dei gratiam amplius tolerabimus, vestræ pietatis remedio mediante, quod festinum & tempestivum habere credimus & speramus. Placeat igitur paternitati vestræ hanc supplicationem nostram taliter exaudire, quod a magnatibus & universitate regni Angliæ, tamquam a filiis in Christo carissimis, speciales gratias debeatis merito reportare.

Anglorum causa differtur.

Cum autem per prædictos nuncios in medio concilio legerentur, & in propatulo manifesto, facto optimo silentio, proponerentur, dominus papa non respondit: quia, ut asseruit, tam arduam negotium morosa indiguit deliberatione. Suspendit igitur ad tempus responsionem, licet vrgenter instarent nuncii tam solennes & magnifici; indistanter tamen se responsa daturum pollicendo. Addebant quoque iidem nuncii prioribus querimoniam gravem & seriam, videlicet de violenta oppressione, intolerabili gravamine, & impudenti exactione, quæ per hanc invisam adjectionem, papalibus litteris frequenter insertam, *Non obstante*, &c. exercetur.

Fridericus secundus imperio deponitur.

Altiori igitur insistens negotio dominus papa, licet in contrarium eleganter magister Thadæus procurator imperialis allegasset, in imperatorem Fridericum sine aliqua palpatione, vel dissimulatione, vel dilationis indulto, talem sententiam excommunicationis in pleno concilio, non sine omnium audientium & circumstantiũ stupore & horrore, terribiliter fulguravit.

Innocentius episcopus servus servorum Dei, &c. sacro præsente concilio, ad rei memoriam sempiternam.

AD apostolicæ dignitatis apicem, licet indigni, *&c. ut supra pagina* 640.

Hæc igitur in medio concilio prolata, cunctis audientibus, ad instar coruscantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incusserunt. Magistri igitur Thadæus de Suessa, & V Valterus de Ocra, & alii procuratores imperatoris, & qui cũ ipsis erant, emisso ejulatu flebili, hic femur, hic pectus in indiciũ doloris percutiẽtes, vix a profluvio lacrymarum sese cõtinuerunt. Et ait magister Thadæus memoratus: Dies ista, dies iræ, calamitatis & miseriæ. Dominus igitur papa & prælati assistentes concilio, candelis accensis, in dictum imperatorem Fridericum, qui jamjam imperator non est nominandus, terribiliter, recedentibus & confusis ejus procuratoribus, fulgurarunt.

Procuratores imperatoris recedunt confusi.

Statuta de reparatione terræ sanctæ, & negotio crucis.

De reparatione autem terræ sanctæ, & negotio crucis, dominus papa solicitus, hæc duxit in concilio statuenda hoc modo:

Afflicti corde pro deplorandis terræ sanctæ periculis, *&c. ut supra pagina* 653.

Ecclesiastica censura judices damnabiliter abutuntur, cum de matris ecclesiæ gremio ex alterius culpa indiscrete per eam attentent evellere innocentes: ex qua illicite notatus non læditur, sed errante clavi converti dicitur in damnantem. Volentes igitur insolentiæ, vel potius insolertiæ talium obviare, constitutionem præsenti decreto sancimus, ut judicum nullus excommunicato, *&c. ut supra pagina* 648. *c.* 12.

Eum qui super dignitate, personatu, vel aliquo alio beneficio ecclesiastico obtinendis, *&c. ut supra p.* 647.

Exceptionis peremptoriæ, seu defensionis cujuslibet principalis, *&c. ut supra pagina* 647.

Expediendis atque absolvendis causarum negotiis obscuritas est invisa & contemptibilis: personarum vero claritas, & locorum celebritas, plurimum opportuna, & commendabilis valde. Proinde præsenti decreto duximus providendum, & arctissime statuendum, ne a sede apostolica, vel delegatis ipsius, causæ aliquibus committantur, *&c ut supra pag* 646. *c.* 2.

Actor qui venire ad terminum, ad quem adversarium suum citari fecerat, contempserit, vel non curaverit, venienti reo in expensis propter hoc factis legitime condemnetur; ad citationem aliam minime admittendus, nisi sufficienter caverit quod in termino debeat fideliter comparere. *ut sup. p* 647.

Dispendia litium æquitatis compendio volentes qua possumus industria coarctare ac minuere, statutum, *&c. ut supra pagina* 647.

Iuris esse ambiguum non videtur, *&c. ut supra pagina* 646.

Statuimus atque ordinamus ut positiones negativas, *&c. ut supra pagina* 647.

De electione.

Cum actus legitimi dies & conditiones abhorreant sanctione legali, inter legitimos actus electio pontificum celeberrimus habeatur, cum per eam inter eligentes & electum spiritualis quædam matrimonii fœdera copulentur, atque reconcilientur in electionibus, seu postulationibus, vel scrutiniis, ex quibus ius oritur eligendi: vota conditionalia, alternativa & incerta reprobamus & prohibemus; statuentes ut, hujusmodi votis pro non adjectis habitis, ex puris consensibus surgat electio.

De officio delegati in 6. ut supra pag 646.

In multis juris articulis numerositas & infinitas reprobatur. Et ideo provide duximus statuendum, ut per generalem clausulam, Quidam alii, quæ frequenter in litteris nostris inseritur, ultra tres vel quatuor diætas in judicio non trahantur. Statuentes, ut si conservatores, quos plerisque concedimus, a manifestis injuriis & violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia quæ judicialem indaginem & examinationem exigunt, suam possint extendere potestatem.

Cap. i. de electione & electi potestate in 6.

Statuimus, ut si aliquis electiones, postulationes, vel provisiones factas impugnat, in formam objiciens aliquid, vel personam, & propter hoc ad nos appellari contingat, tam is qui opponit, quam qui defendit, & generaliter omnes quorum interest, & quos causa contingit, per se, vel per procuratores ad causas instructos, ad sedem apostolicam a die objectionis iter arripiant in-

Tt iij fra

ANNO CHRISTI 1245.

fra mensem. Sed si pars aliqua non venerit A post viginti dies post adventum alterius expectata, in electionis negotio, non obstante cujusquam absentia, sicut de jure fuerit, procedetur. Hæc autem in dignitatibus, personatibus, & canonicis, observari volumus, & mandamus.

Pœna deficientiū in probatione in eodem 6.

Adjicimus, ut qui non plene probaverit quod in forma proponit, ad expensas, quas propter hoc pars altera fecisse docuerit, cōdemnetur. Qui vero in probatione defecerit ejus quod in personam objicit, a beneficiis ecclesiasticis triennio noverit se suspensum. Atque si infra illud tempus propria se temeritate ingesserit, illis ipso jure perpetuo sit privatus, nullam super hoc de miseB ricordia spem aut fiduciam habiturus: nisi manifestissimis constiterit documentis, quod ipsum a calumniæ vitio causa probabilis & sufficiens excuset.

De officiis legati in 6.

Officii nostri debitum remediis invigilat subjectorum. Quia dum eorum excutimus onera, dum scandala removemus, nos in ipsorum quiete quiescimus, & fovemur in pace. Proinde præsenti decreto statuimus, ut ecclesiæ Romanæ legati, quantumcumque plenam legationem obtineant, sive a nobis missi fuerint, sive suarum eccleC siarum prætextu legationis sibi vindicent dignitatem, ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem; nisi hoc specialiter duxerimus indulgendum. Quod tamen in fratribus nostris legatione fungentibus nolumus observari: quia sicut honoris prærogativa lætantur, sic eos autoritate fungi volumus ampliori.

De restitutione spoliatorū in 6.

Frequens & assidua nos querela circumstrepit, quod spoliationis exceptio nonnunquam in judiciis calumniose proposita, causas ecclesiasticas impedit & perturbat. D Dum enim exceptioni insistitur, appellationes interponi contingit. Et sic intermittitur, & plerumque perimitur causæ cognitio principalis. Et præterea nos, qui voluntarios labores appetimus, ut quietem aliis præparemus, finem litibus cupientes imponi, & calumniæ materiam amputari, statuimus, ut in civilibus negotiis propter spoliationis objectionem, quæ ab alio quam ab actore facta proponitur, judex in principali procedere non postponat. Sed si in civilibus ab actore, in criminalibus autem se spoliatum reus asserat a quocumque: infra quindecim dierum spatium post diem in quo proponitur, quod asseruit comprobabit. Alioquin in expensis, quas actor interim ob hoc fecerit, judiciali taxatione præhabita condemnetur: alias etiam, si equum judici visum sit, puniendus. Illum autem spoliatum intelligi volumus in hoc casu, cum criminaliter accusatur, qui tota substantia sua, vel majori parte ipsius, per violentiam se destitutum affirmat. Et secundum hoc loqui canones sano credendum est intellectu: quia nec nudi contendere, nec in errore inermes opponere nos debemus. habet enim spoliatus privilegium, ut non possit exui jam nudatus. Solet autem inter scholasticos dubitari, si spoliatus a tertia, de spoliatione contra suum accusatorem excipiat, an ei tempus a judice debeat indulgeri, infra quod restitutionem imploret; ne forte sic velit existere, ut omnem accusatorem eludat; quod satis æquitati consonum æstimamus. Et si infra tempus indultum restitutionem non petierit, & causam, cum potuerit, non perducat ad finem: non obstante spoliationis exceptione, deinceps poterit accusari. Ad hæc statuimus, ut rerum privatarum exspoliatio agenti super ecclesiasticis, vel e contrario nullatenus opponatur.

De accusationibus. De excep. in 6. decr.

Pia consideratione statuit mater ecclesia, quod majoris excommunicationis exceptio in quacumque parte judiciorum opposita, lites differat & repellat agentes: ut ex hoc magis censura ecclesiastica timeatur, excommunicationis periculum evitetur, contumaciæ vitium reprimatur: & excommunicati dum a communibus actibus excluduntur, rubore suffusi & confusi, ad humilitatis gratiam & reconciliationis effectum facilius inclinentur. Sed hominum succrescente malitia, quod provisum est ad remedium, tendit ad noxas. Dum enim in causis ecclesiasticis hæc frequentius exceptio per malitiam apponatur, contingit differri negotia, & partes fatigari laboribus & expensis. Proinde quia morbus iste quasi communis irrepserit, dignum duximus communem adhibere medelam. Si quis igitur excommunicationem opponat, speciem ipsius & nomen excommunicatoris exprimat; sciturus eam rem a se deferri in publicam notionem, quam infra octo dierum spatium, die in quo proponitur minime computato, probare valeat apertissimis documentis. Quod si non probaverit, judex in causa procedere non omittat, reum in expensis, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, præhabita taxatione condemnans. Si vero postmodum instantia durante judicii, & probandi copia succedente, de eadem excommunicatione vel alia excipiatur iterum, & probetur, actor in sequentibus excludatur, donec meruerit gratiam absolutionis obtinere: his quæ præcesserunt nihilo minus in suo robore duraturis: proviso ut ultra duas vices non proponatur hæc exceptio, præterquam si excommunicatio nova emerserit, vel evidens & prompta probatio supervenerit de antiqua. Sed si post rem judicatam sit,

ANNO CHRISTI 1245.

talis exceptio proponatur, excusationem A impediet: sed sententia, quæ præcessit, non minus robur debitum obtinebit: eo tamen salvo, ut si actor excommunicatus sit publice, & hoc judex noverit quandocumque, etsi hoc reus non excipiat, judex actorem ex suo officio repellere non postponat.

De sententia & re judicata, in 6.

Cum æterni tribunal Judicis illum reum non habeat quem injuste judex cõdemnat testante propheta, & dicente: *Nec damnabit eum cum judicabitur illi*; caveant ecclesiastici judices, & prudenter attendant, ut in causarum processionibus nihil vindicet odiũ, B nihil favor usurpet; timor exulet, præmium & expectatio præmii justitiam non evertat. Sed stateram gerant in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus quæ in causis agenda fuerint, præsertim in concipiendis sententiis & ferendis, præ oculis habeant solum Deum. Illius imitantes exemplum, qui querelas populi tabernaculum ingressus ad Dominum referebat, ut secundum ejus imperium judicaret. Si quis autem judex ecclesiasticus ordinarius, C seu etiam delegatus, famæ prodigus, & proprii persecutor honoris, contra conscientiam & contra justitiam, in gravamen partis alterius, in judicio quidquam fecerit per gratiam vel per sordes, ab executione officii per annum noverit se suspensum, ad æstimationem litis parti quam læserit nihilo minus condemnandus. Sciturus quod si suspensione durante damnabiliter ingesserit se Divinis, irregularitatis laqueo involuetur, secundum canonicas sanctiones; a quo non nisi per sedem apostolicam poterit D liberari. Salvis aliis constitutionibus, quæ judicibus male judicantibus pœnas congerunt & infligunt. Dignum est etenim ut qui in tot præsumpserit offendere, pœna multiplici castigetur.

De appellationibus, in 6.

Cordi nobis est lites minuere, & a laboribus relevare subjectos. Sancimus igitur, ut si quis in judicio, vel extra, super interlocutoria, vel gravamine, ad nos duxerit appellandum, causam appellationis in scriptis assignare deproperet, petat apostillos, quos ei præcipimus exhiberi. In quibus ap- E pellationis causam judex exprimat. Et cum appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsitan ex superioris reverentia sit delatum, post hoc appellatori secundum locorum distantiam, & negotii qualitatem, tempore prosecutionis indulto, si appellans voluerit, & principales petierint, per se & per procuratores instructus, cum mandato ad agendum, rationibus & munimentis ad causam spectantibus, accedant ad sedem apostolicam sic parati, ut, si nobis visum fuerit expedire, finito appellationis articulo, vel partium voluntate omissa, procedant in negotio principali quantum poterit, & de jure debebit; his quæ in appellationibus a diffinitivis sententiis interpositis antiquitas statuit, non mutatis. Quod si appellator quæ præmissa sunt non observet, reputabitur non appellans, & ad prioris judicis redibit examen, in expensis legitimis condemnandus. Si autem appellatus contempserit hoc statutum, in eum, tamquam contumacem, tam in expensis, quam in causa, quantum a jure permittitur procedetur. Justum est equidem ut in eum jura insurgant, qui jus, judicem & partem eludit*.

* al. illudit.

De sententia excommunicationis, cap. 1. in 6.

Cum excommunicatio sit medicinalis, non mortalis, disciplinans, non eradicans, dum tamen in quem lata fuerit non contemnat: caute provideat judex ecclesiasticus, ut in ea ferenda ostendat se prosequi quod corrigentis est & medentis. Quisquis ergo excommunicat, in scriptis proferat, & causam expresse conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Exemplum vero scripturæ hujusmodi teneatur excommunicato tradendum infra mensem post diem sententiæ, si fuerit requisitus: super qua requisitione fieri volumus publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici sigillo authentico consignatas. Si quis autem judicum hujusmodi constitutionis temerarius violator existat, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ & Divinis noverit se suspensum. Superior vero, ad quem recurritur, sententiam ipsam sine difficultate relaxans, latorem excommunicationis ad expensas omnes & interesse condemnet, & alias puniat animadversione condigna; ut pœna docente, discant judices, quam grave sit excommunicationum sententias sine maturitate debita in aliquem fulminare. Et hæc eadem etiam in suspensionis & interdicti sententia volumus observari. Caveant autem prælati, & judices universi, ne prædictam suspensionis pœnam incurrant. Quoniam si contigerit eos sic suspensos Divina officia exequi, sicut prius, irregularitatem non effugient, juxta canonicas sanctiones: super qua non nisi per summum pontificẽ poterit dispensari.

De sententia excommunicationis, cap. 2. in 6.

Solet autem a nonnullis in dubium revocari, an cum aliquis per superiorem absolui postulat ad cautelam, dum in se latam excommunicationis sententiam asserit esse nullam, sine contradictionis obstaculo munus debeat ei absolutionis impendi. Et ante absolutionem hujusmodi, qui se offert in judicio probaturum se post appellationem legitimam in excommunicatione notatum, vel intolerabilem errorem in sententia fuisse patenter expressum, sit in ceteris, excepto probationis illius articulo, evitandus. In prima igitur dubitatione sic statuimus

ANNO CHRISTI 1245.

statuimus observandum, ut petenti absolutio non negetur, quamvis in hoc excommunicator, vel adversarius, se opponat. In quo casu tres tantummodo octo dierum indulgebuntur dilationes, sic dicenti, ut si probaverit quod opponit, nec relaxetur sententia, nisi prius sufficiens præstetur emenda, vel competens cautio de juri parendo, si offensa dubia proponatur. In secunda vero quæstione statuimus, ut si is qui ad probandum admittitur, pendente probationis articulo, etiam cæteris, quæ ut actor in judiciis, acceptaverit, interim evitetur. Extra judicium vero, in officiis, postulationibus, & electionibus, & aliis legitimis actibus, nihilo minus admittatur.

CAPITVLA

LVGDVNENSIS CONCILII

a Binio non edita, collecta ex sexto decretalium.

I. *De potestate archiepiscopi, & ejus officialis, in suffraganeos.*

De offic. ordin. in 6.

ROmana ecclesia: *Et infra.* Prohibemus quoque, ne Remensis archiepiscopus diœcef. suffraganeorum suorum foraneos officiales constituat. Quia cum metropolitanis, ne suorum suffraganeorum ingrediantur diœceses, ut in eis autoritate propria judicent, disponant, aliquidve aliud agant, canonica prohibeant instituta: nequaquam hoc possunt in illis per alios exercere. Nec pro eo, quod causas per appellationem delatas ad ipsos, possunt in suffraganeorum suorum diœcef. delegare: similiter licet eis tales officiales instituere in eisdem, qui eorum vice, cum appellatur ad ipsos, citationes, vel inhibitiones faciant, seu compescant in hac parte rebelles. Quia in causis per appellationem devolutis ad ipsos, jam jurisdictionem obtinere noscuntur: propter quod licite possunt super illis committere vices suas. Non sic autem in aliis in quibus nondum extitit appellatum: & idcirco non debent aliquos constituere pro citationibus in futuris causis appellationum, & inhibitionibus faciendis: nisi aliud Remensis ecclesia, circa talium officialium institutionem de consuetudine obtineat speciali. A quibus etiam si de consuetudine hujusmodi possint in Remensi provincia constitui: inhibitionis tamen ne procedatur in causis prius, quam ad Remensem curiam appelletur, fieri penitus inhibemus.

Officiales autem Remensis archiepiscopi, quamdiu in sua provincia vel circa illam extiterit, in suffraganeos interdicti, suspensionis, vel excommunicationis proferre sententias non attentent. Et hoc idem ab officialibus aliorum metropolitanorum, circa ipsorum suffraganeos, quibus ob reverentiam pontificalis officii deferri volumus in hac parte, præcipimus observari.

II. *Ut advocatus ne accipiatur in testem.*

De testibus in 6.

ROmana ecclesia. *Et infra:* In appellationis causa, is qui appellantis procurator vel advocatus in priori judicio fuerat, non recipiatur in testem. Neque indistincte ipsi appellanti, præsumptione faciente pro eo, deferatur etiam juramentum: sed tunc cum inspectis personarum & ipsius causæ circumstantiis, id fuerit faciendum.

III. *Ut qui facit aliquem interfici, sit excommunicatus & depositus.*

De homicid. in 6.

PRo humani redemptione generis, de summis cælorum ad ima mundi descendens, & mortem tandem subiens temporalem Dei Filius Iesus Christus, ne gregem sui precio sanguinis gloriosi redemptum, ascensurus post resurrectionem ad Patrem absque pastore desereret, ipsius curam beato Petro apostolo, ut suæ stabilitate fidei, cæteros in Christiana religione firmaret, eorumque mentes ad salutis opera suæ accenderet devotionis ardore, commisit. Vnde nos ejusdem apostoli effecti, disponente Domino, licet immeriti, successores, & ipsius redemptoris locum in terris quamquam indigne tenentes: circa gregis ejusdem custodiam solicitis excitati vigiliis, & animarum saluti jugis attentione cogitationis intendere summovendo noxia, & agendo profutura debemus: ut excusso a nobis negligentiæ somno, nostrique cordis oculis diligentia sedula vigilantibus, animas Deo lucrifacere, sua nobis cooperante gratia, valeamus.

Quin igitur illi qui sic horrenda inhumanitate, detestandaque sævitia mortem sitiunt aliorum, ut ipsos faciant per assassinos occidi, non solum corporum, sed mortem procurent etiam animarum, nisi eos exuberans gratia Divina prævenerit, ut sint armis spiritualibus præmuniti, ac omnis potestas tribuatur a Domino ad justitiam rectamque judicium exercendum, nos tanto periculo volentes occurrere animarum, & tam nefarias præsumptiones ecclesiasticæ animadversionis mucrone ferire, ut metus pœnæ, meta ejusmodi præsumptionis existat, præsertim cum nonnulli magnates taliter perimi formidantes, coacti fuerint securitatem ab eorumdem assassinorũ domino impetrare, sicq; ab eo non absque Christianæ dignitatis opprobrio redimere quodammodo vitam suam: Sacri approbatione concilii statuimus, ut quicumque princeps, prælatus, seu quævis alia ecclesiastica sæcularisve persona, quempiam Christianorum per prædictos assassinos interfici fecerit, vel etiam mandaverit, quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur, aut eos receptaverit, vel defenderit, seu occultaverit, excommunicationis & depositionis a dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio incurrat sententias ipso facto: & illa libere aliis, per illos ad quos eorum collatio pertinet, conferantur. Sit etiam cum suis bonis mundanis omnibus, tamquam Christianæ religionis æmulus, a toto Christiano populo perpetuo diffidatus: & postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia excommunicationis, vel depositionis, seu diffidationis, adversus eum sententia requiratur.

IV. *Ut exempti ac privilegiati non respondeant, nisi sub certo judice, excepto si res acta in loco non exempto.*

De privileg. in 6.

Volentes libertatem, quam nonnullis apostolica sedes privilegio exemptionis indulsit, sic integram observari, ut & illam alii non infringant, & ipsi ejus limites non excedant: declaratione irrefragabili definimus, quod quantumcumque sic exempti gaudeant libertate, nihilo minus tamen ratione delicti, sive contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram locorum ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem prout jus exigit exercere. Numquid ergo carent omnino in his commodo libertatis? non utique: quia nec coram ordinariis ipsis, dummodo sit in loco exempto commissum delictum, vel contractus initus, aut res litigiosa, nec ubi domicilium habent, si alibi delinquant vel contrahant, aut res ipsa consistat, conveniri possunt aliquatenus

ANNO CHRISTI 1245.

quatenus super istis: nec domiciliorum prætextu, locorum diœcesani (si ubi deliquerunt, vel contraxerunt, aut res ipsa consistit, illi conveniantur) remittendi eos illuc, vel ipsis ut illic respondeant, injungendi habeant aliquam potestatem: salvis nihilo minus casibus aliis, in quibus eos episcoporum jurisdictioni suo esse canonica præcipiunt instituta. Et id ipsum decernimus circa illos, quibus, ut nonnisi sub uno certo judice teneantur de se conquerentibus respondere, apostolico privilegio est concessum.

In eos autem, quibus ne interdici, suspendi, vel excommunicari a quoquam valeant, a sede apostolica est indultum, sicut sunt religiosi quamplures, in quorum privilegiis continetur, ne quisquam episcopus, vel archiepiscopus monasteriorum suorum monachos pro ulla causa vel loco interdicere, suspendere vel excommunicare præsumat: iidem ordinarii jurisdictionem suam quantum ad ista, ubicumque illi fuerint, penitus exercere non possint: nisi forsan ipsi monachi ad monasteriorum suorum prioratus ordinariis eisdem subjectos (ut vel gerant eorum regimen, vel in eis tamquam proprii locorum ipsorum monachi resideant) fuerint destinati. Tunc enim, etsi libere possint ad eadem monasteria revocari, ac tam illorum, quam ipsorum prioratuum monachi reputentur (cum non sit inconveniens aliquem utrobique locum habere monachicum) unum alteri subesse monasterio, vel ab ipso noscitur dependere: ratione tamen eorumdem prioratuum, dicti ordinarii sua jurisdictione in ipsis, etiam quoad præmissa, quandiu morantur in illis, licite uti possunt.

De pœnit. in 6.

V. *De potestate archiepiscopi.*

Romana ecclesia. *Et infra*: Quæstoribus autem fabricæ Remensis ecclesiæ, Remensis archiepiscopus sive ejus officiales, citandi suffraganeorum ipsius ecclesiæ subditos (quos iidem quæstores sibi resistere, aut nolle parere dixerint) ut super hoc compareant coram ipsis, nequaquam tribuant potestatem. Super benigna vero ipsorum receptione, ac subventione ipsi fabricæ facienda: possunt eosdem suffraganeos & alios Christi fideles Remensis provinciæ caritative monere. In concedendis quoque indulgentiis non excedat Remensis archiepiscopus statutum concilii generalis.

De sentent. excomm. in 6.

VI. *Excommunicatio lata in communicantes excommunicatis absque monitione prævia non tenet.*

Statuimus, ut nullus judicum, participantes cum excommunicatis ab eo in locutione & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicam excommunicare majori excommunicatione præsumat: salvis constitutionibus contra illos legitime promulgatis, qui in crimine præsumunt participare damnato. Quod si ex locutione, & aliis quibus participans labitur in minorem, excommunicatus fortius indurescat: poterit judex post monitionem canonicam hujusmodi participantes consimili damnare censura. Aliter autem in participantes excommunicatio prolata non teneat: & proferentes, pœnam legitimam poterunt formidare.

Eod. in 6.

VII. *Ut episcopi interdictum & suspensionem non incurrant, nisi in sententia sint expressi.*

Quia periculosum est episcopis, & eorum superioribus, propter executionem pontificalis officij, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu, interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto: nos deliberatione provida duximus statuendum, ut episcopi & alii superiores prælati, nullius constitutionis occasione, sententiæ, sive mandati, prædictam incurrant sententiam ullatenus ipso jure: nisi in ipsis de episcopis expressa mentio habeatur.

Eod. in 6.

VIII. *De potestate prælatorum in ferenda excommunicatione.*

Romana ecclesia. *Et infra.* Cæterum interdicti, vel excommunicationis sententias latas ab officialibus archidiaconorum, seu quibuslibet aliis jurisdictionem habentibus, suffraganeorum Remensis ecclesiæ subditis, Remensis archiepiscopus, & ejus officiales (omissis ipsis excommunicatoribus) non relaxent: salva contraria super hoc consuetudine, si quam habent. Porro excommunicationum sententiæ a Remensi archiepiscopo suisq; officialibus generaliter promulgatæ, subjectos ejusdē jurisdictioni archiepiscopi tantū ligāt. Sed nec in specie, nec in genere, pro culpis & offensis præteritis vel præsentibus, excommunicationum sententias absque competenti monitione præmissa promulgent: & si contra præsumpserint, injustas noverint esse illas. Caveant etiam, ne tales sententias excommunicationis, sive specialiter, sive generaliter, in aliquos, pro futuris culpis, videlicet si tale quid fecerint, vel etiam pro jam commissis, sub hac forma, si de illis intra tale tempus minime satisfecerint, proferre præsumant: nisi mora in exhibenda satisfactione, vel culpa, seu offensa præcesserit, quibus merito ad injungendam satisfactionem hujusmodi, & taliter prohibenda similia inducantur: aut alia rationabilis (quam in ipsis sententiis exprimant) causa subsit. In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus: volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, cum nonnunquam contingeret innoxios hujusmodi sententia irretiri: sed in illos dumtaxat de collegio vel universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulgentur.

Eod. in 6.

IX. *Quod decano licet tueri se spirituali gladio adversus potentiam bailivi temporalem.*

Dilecto filio decano Aurelianensi. *Et infra*: Præterea cum omnes leges, omniaque jura vim vi repellere, cunctisque sese defensare permittant: licuit utique ipsi decano, si prædictus bailivus eum bonis suis mundanis injuriose spoliare, vel ea violenter occupare præsumpserit, ut superius est expressum, contra illius violentiam injuriamque se tueri. Et quoniam adversus ejus nimiam potentiam sufficiens temporalis defensio sibi forte non aderat: potuit se etiam spiritaliter, gladio videlicet utendo ecclesiastico, defensare, ac recurrere propter hoc ad arma spiritalia, quæ sunt ecclesiæ propria, & pro suo munimine illis uti: præsertim cum dictus bailivus, post latas in eum ab eodem decano, ex aliis causis, excommunicationis sententias (sicut idem decanus asseruit) ipsum, tamquam exinde provocatus, sententiis ipsis contemptis, bonis spoliasset eisdem: & propter hoc postmodum ipse decanus sententiam tulerit interdicti, tanquam spiritali se mucrone defendens contra illius injuriam & violentiam sibi ab eodem, occasione prædictarum sententiarum, & in ipsarum contemptum, illatam. Et quidem cum liceat cuilibet, suo vicino vel proximo pro repellenda ipsius injuria suum impartiri auxilium, immo, si potest & negligit, videatur injuriantem fovere, ac esse particeps ejus culpæ: licuit profecto ipsi decano, proprio sibimet subvenire subsidio, & suammet temporalem injuriam sua propria spiritali defensione tueri: sicque utrumque quodammodo gladium, & temporalem, & ecclesiasticum, alterum videlicet altero adjuvare: maxime quia hi duo gladii consueverunt, exigente necessitate, sibi adinvicem suffragari, & in juvamen alterius subventione mutua frequentius exerceri.

NOTÆ SEVERINI BINII.

Anno Christi 1245

G. C. *In notas suas incluserat Binius ea quæ jam edidimus ex Matthæo Parisio: quæ nos proprio nomine acta inscripsimus. Cæteris quæ in Binii notis ex Stadensi & Trithemio sequuntur, notarum nomen relinquimus.*

Eadem acta concise & breviter recitantur apud abbatem Stadensem in chronico his verbis: *Anno Domini 1245. papa in Burgundiam Lugdunum, quæ prima sedes est Galliarum, veniens, post festum Ioannis Baptistæ ibidem concilium celebravit, & quintam partem ab ecclesiis redituum requisivit. Imperator pro se nuntios misit, inter quos erat quidam Thadæus doctor legum, qui pro eo elegantissime allegavit, ita ut plurimorum sibi audientiam conquireret & favorem. Nihilo minus autem Papa Imperatorem in die Iacobi feria tertia, quæ tertia dies erat concilii, excommunicavit. Papa per totam terram Teutoniæ lugubrem litteram principibus ecclesiasticis destinavit, conquerens flebiliter quod a gente quadam Saracena, quam Choresminorum populum appellant, sepulcrum Domini esset enormiter violatum, &c.* Et paulo infra, cum alia quædam de Saracenis & prodigiosis orbium cælestium aspectibus recensuisset, subjungit: *Papa in jam dicto concilio, scilicet die Iacobi, contra Imperatorem excommunicationis sententiam renovavit, & eum ab imperiali culmine autoritate propria deposuit, & hanc depositionem per totam ecclesiam promulgavit: præcipiens sub interminatione excommunicationis, ut nullus eum imperatorem de cætero nominaret. Quæ sententia per mundum volante, quidam principum cum multis aliis reclamabant, dicentes, ad papam non pertinere imperatorem vel instituere vel destituere; sed electum a principibus coronare. Interea Papa solicitari fecit principes, quos ad imperium regendum credidit idoneos, ut aliquis eorum onus imperii sumeret & laborem, promittens ei, quicumque imperium assumeret, consilium & auxilium pariter & favorem. Tandem Henricus Lantgravius, cognomento Raspe, multis evictus precibus, imperium accepit.*

B

Trithemius in chronico Hirsaugiensi: *Fridericus imperator secundus*, ait, *in concilio Lugdunensi a papa Innocentio citatus, & non comparens, a Cæsarea majestate deponitur, & omni dignitate privatur: vacavitque deinceps, ut quidam volunt, Romanum imperium per annos viginti octo, usque ad Rodulphum de Habsburg; quamvis tres interea successive per principes fuerint electi, plures autem in dissensione, principibus non concordantibus. Et primo quidem post depositionem Friderici, Papa mandavit principibus, ut imperatorem, quem vellent, eligerent: quorum aliqui Fridericum sequentes, mandatum papæ non curaverunt; cæteri in unum convenientes, Henricum provincialem comitem Hassiæ in regem contra Fridericum eligentes, partes ejus quantum potuerunt defendebant. Electus autem Henricus, bellum cum Conrado habuit filio Imperatoris in campis juxta Francofordiam, & victor evadens Conradum superavit.*

C

Annis igitur quinque nomen gerens regium, nihil memoria dignum patravit, sed obiit imperii coronam minime consecutus. Quamdiu enim vixit imperator Fridericus, per annos ferme sex prævalere contra eum nec papa nec aliquis principum potuit: sed non advertens sententiam papæ, quam injustam & frivolam dicebat, se imperatorem gessit, magnamque principum, nobilium & civitatum adhærentiam habuit usque ad mortem. Intravit post depositionem sui in Italiam, & tantis malis papam subjectosque illi populos afflixit, ut pontificem vivere tæderet, voluissetque se nunquam depositionem illius cogitavisse. Maxima enim partialitas populorum in Italia subsecuta est, quæ usque in præsentem ferme diem per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis, duravit. Enimvero qui Romani pontificis sequebantur partes, quorum votis inditum nomen erat Guelforum, fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio omnique virtute persequi & delere penitus satagebant. Nec minore studio Guelfos Gibellini persequebantur. Hæc Trithemius.

D

G. C. Quod ait Albertus Stadensis, pontificem in hoc concilio, *quintam partem ab ecclesiis redituum requisivisse*: fallitur. Nam vigesimam tantum petitam esse, idque in triennium, supra legisti c. 17. institutionum hic factarum. Quintam autem exactam a Polonis adversus Fridericum Imp. mox videbimus, ad ann. MCCXLVIII.

E

G. C. VRATISLAVIENSE concilium ad ann. MCCXLV. commemorat Staravolscius. Sed male illud collocat, cum sit anni MCCXLVIII. ut infra ad illum annum leges.

*** CONCILIUM LANCICIENSE
CONTRA CONRADUM DUCEM MAZOVIÆ, bonorum ecclesiasticorum invasorem.

Anno Christi 1246.

Matthias Michoviensis, *histor. Polonicæ, lib. III. cap.* XLI. In Prandotham, *inquit*, episcopum Cracoviensem, quia Boleslao Pudico *Poloniæ regi* adhærebat, Conradus dux Mazoviæ suos armigeros misit, & curias episcopales tres expilatas, cum villis ipsarum incendit, & prædam in Mazoviam intulit. Propter quod Prandotha episcopus Cracoviensis, eum autoritate propria anathematizavit. Cujus processus Fulco archiepiscopus Gnesnensis in synodo Lanciciensi confirmavit, & in singulis ecclesiis denunciari mandavit.

A

Anno Christi 1246.

G. C. Hæc Michoviensis ad annum MCCXLIV. quæ cum eadem Cromerus lib. VIII referat paulo ante ann. MCCXLVII. annum, quo Staravolscius Polonus hoc concilium in epitome sua consignavit, mutare nolui.

CONCILIUM BITERRENSE PROVINCIALE
XIII. Kal. Maii, ann. Dom. M. CC. XLVI. celebratum.

Ex Sirmondi MS. nunc primum editum.

Statuta concilii Biterrensis provincialis, per Dominum G". archiep. Narbon.

" Guillelmum.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut sint laici qui diligenter hæreticos perquirant.*
2. *Ut nemo hæreticum in terra sua morari permittat.*
3. *Quando confiscanda bona eorum, qui accusantur.*
4. *Ut hæreticorum bona quæ tenebant ab ecclesiis, ad ecclesias revertantur.*
5. *Ut quæstores nihil prædicent, nisi quod in papæ & episcopi sui litteris continetur.*
6. *Ut pœnitentibus, quibus ob hæresis crimen crux est imposita, irrisio non fiat.*
7. *Ut parochiales sacerdotes articulos fidei simpliciter doceant diebus Dominicis.*
8. *Ut hæretici, & eorum fautores, singulis Dominicis excommunicentur.*
9. *Ut potestates sæculares adjuvent ecclesiam contra hæreticos.*
10. *De iis qui consilium vel patrocinium præstant hæreticis & fautoribus.*
11. *De notariis qui conficiunt iisdem instrumenta.*
12. *De medicis eorumdem.*
13. *Ut hæretici, vel suspecti, a bajuliis amoveantur.*
14. *Ut excommunicentur qui tales in bajulos constituunt.*
15. *Ut ecclesiarum rectores hoc populo sæpe exponant.*
16. *Ut juramentum pacis renovetur.*
17. *Ut nullus a possessione pellatur sine ordine judiciario.*
18. *Ut excommunicentur qui ecclesiasticam libertatem impediunt.*
19. *De vita & honestate clericorum.*
20. *Ut monachi, clerici regulares, & presbyteri, in foro sæculari advocare non præsumant.*
21. *Ut qui curam animarum habere debent, ad sacerdotium promoveantur.*
22. *Ut canonici sæculares sint in sacris ordinibus.*
23. *Ut regularium habitus non sit reprehensibilis.*
24. *Ut iidem proprium non habeant.*
25. *Ut monachi commatres sibi non faciant.*
26. *Ut presbyteris idonea portio assignetur in ecclesiis.*
27. *Ut regulares in ecclesiis sint saltem duo vel tres.*
28. *Ut clerici, occasione patrimonii, non tallientur.*
29. *Ut nova pedagia non imponantur.*
30. *De Divino officio in ruralibus ecclesiis.*
31. *Ut ecclesiis de libris, calicibus, & aliis, provideatur.*
32. *Ut sæculares potestates manus non extendant in laicum pro illata clerico injuria excommunicatum.*
33. *Quinam excommunicandi, Dominicis & festis.*
34. *De simonia.*
35. *Ut animarum cura personis idoneis committatur.*
36. *De sententia excommunicationis.*
37. *De Iudæorum usuris comprimendis.*
38. *Varia de Iudæis.*

39. Ut

ANNO CHRISTI 1246.

39. *Vt a Christianis iidem signo discernantur.*
40. *Vt publice non operentur diebus festis.*
41. *Vt a die cœnæ usque ad Pascha domo non prodeant: & ut illa septimana non vexentur a Christianis.*
42. *Vt quotannis sex denarios persolvant ecclesiæ.*
43. *Vt iis Christiani causa medicina non utantur.*
44. *De testamentis.*
45. *Vt perjuri puniantur.*
46. *De fidelium confessionibus audiendis.*

PRÆFATIO.

Rectitudo conditionis humanæ, hostis antiqui calliditate distorta & miserabiliter sauciata, ad statum justitiæ non poterat reparari: nisi verus Samaritanus vinum & oleum sauciati vulneribus infudisset. Quia vero frequenter patitur recidivum, adhiberi debuit medicina, quæ foret utilis ad salutem juxta qualitatem morbi, nunc fomenta, nunc acriora remedia salubriter apponendo. Propter quod sacrosancta Romana ecclesia diversos canones edidit, nos quandoque magisterio edocens, quandoque pro moderamine puniens transgressores. Cæterum quia fides catholica & pax secura, totius Christianæ religionis fundamentum existunt: ad horum observantiam sedes apostolica per se suosque legatos diversis temporibus contra hæreticos ac violatores pacis varia edidit instrumenta. Quibus prout expedit cum debita veneratione susceptis: Nos G. Dei gratia Narbonensis archiepiscopus, assensu venerabilium fratrum suffraganeorum nostrorum, & capituli nostri, ac toto concilio approbante, aliquid ad pensum sanctæ institutionis adjicere cupientes ad firmitatem fidei orthodoxæ pacisque securitatem habendam, pro salute maxime animarum & pro ecclesiastica libertate ac bono statu terræ, conscripta inferius autore Domino promulgamus.

CAPITULA.

I. *Vt sint laici qui diligenter hæreticos perquirant.*

Fidei Catholicæ cultum ampliare volentes, ad hæreticam rabiem de Narbonensi provincia penitus exstirpandam, de consilio suffraganeorum ecclesiæ Narbonensis, & totius approbatione concilii statuimus, ut episcopi per suam diœcesim in locis suspectis, bonæ opinionis viros laicos, duos vel tres cum rectore ecclesiæ, vel eo qui ejus curam gerit, instituant, & juramenti religione adstringant, quod diligentem curam & solicitudinem adhibeant circa hæreticos, credentes, receptatores, fautores, defensores eorumdem, perquirendos: ut si quos tales repererint, episcopo loci vel dominis locorum sive bailivis vel officialibus eorundem, studeant cum omni festinantia intimare. Cautela tamen adhibita circa hæreticos ne fugere valeant, si eos non potuerint detinere.

Conc. Avenion c. 2. Later. IV. c. 3.

II. *Vt qui hæreticum in terra sua morari permiserit, excommunicetur.*

Statuimus etiam ut quicumque in terra sua scienter hæreticum morari permiserit propter pecuniam vel aliam quamcumque causam, quod ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, præter alias pœnas contra tales editas in concilio Tolosano [a]. Si quis autem de hoc convictus fuerit vel confessus, tamdiu excommunicatus nominatim & publice nuncietur, donec de tanto excessu sanctæ matri ecclesiæ ad cognitionem diœcesani satisfecerit competenter.

[a] an. 1229.

III. *Quando confiscanda bona eorum, qui super hæresis crimine impetuntur.*

Bona eorum qui super crimine hæresis impetuntur, nullatenus confiscentur, donec per sententiam fuerint condemnati, nisi scienter eisdem criminosis in eodem crimine adhæsissent, postquam eos infectos hujusmodi crimine cognoverint. Idem quoque dicimus observandum circa eos qui deponunt vel commendant aliquid, aut contrahunt alias cum talibus bona fide qui Catholici publice reputantur: quod contrahentes hujusmodi nihil amittant, licet illi cum quibus contrahunt, hæretici sint occulte: nisi scientes eos esse tales, contraxissent cum ipsis, fraude super [a] penitus excludenda.

[a] f. super hoc

IV. *Vt hæreticorum bona quæ tenebant ab ecclesiis, ad ecclesias revertantur.*

Quia vero plures de hæresi condemnantur, qui ab ecclesiis, monasteriis, seu viris ecclesiasticis, possessiones, census, aut alia bona tenebant mobilia vel immobilia: statuimus quod bona hujusmodi ad ecclesias sive monasteria vel personas ecclesiasticas, a quibus dicta bona quoquo modo tenentur, libere revertantur, conditione cujusquam in aliquo non obstante. Qui vero statutum hujusmodi violare præsumpserit, nisi monitus legitime, a sua præsumptione destiterit, ex tunc excommunicetur. Idem de bonis fayditorum præcipimus observari.

V. *Vt quæstores nihil prædicent, nisi quod in papæ & episcopi sui lit. eris continetur.*

Ad quorundam insolentiam reformandam, ne profectus fidei retardetur, præcipimus quod quæstores non permittantur in ecclesiis aliud populo prædicare, quam in indulgentiis domini papæ, & sui diœcesani litteris continetur, nec cartelli vel cellulæ [a] recipiantur ab eisdem, nec ad hoc de cætero aliquis admittatur, nisi frater fuerit, vel alia persona idonea majoris sui testimoniales litteras secum portans. Cum certum sit per venales ac conductores quæstores, tum ex prava ipsorum vita, tum ex prædicatione erronea, multa scandalosa provenisse, dam-

[a] f. cedulæ, sic enim scribebant pro, schedulæ

ANNO CHRISTI 1246.

natis in inferno liberationem pro modica pecunia promittentes.

VI. *Ut pœnitentibus, quibus ob hæresis crimen crux est imposita, irrisio non fiat.*

Cum peccatores sint ad pœnitentiam invitandi juxta Dominicam vocem, gaudere oportet si pœnitentiam impositam libenter suscipiunt & supportant. Quocirca statuimus, & in virtute sancti Spiritus inhibemus, ne pœnitentibus, quibus cruces pro crimine hæresis imponuntur, irrisio ulla fiat, nec a locis propriis seu communibus commerciis excludantur, ne retardetur conversio peccatorum, & ne conversi propter scandalum abjecta pœnitentia relabantur. Et si moniti desistere noluerint, per censuram ecclesiasticam compellantur.

VII. *Ut parochiales sacerdotes articulos fidei simpliciter doceant diebus Dominicis.*

Præcipimus etiam quod sacerdotes parochiales studeant exponere populo diebus Dominicis articulos fidei simpliciter ac distincte, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quisquam possit, & hoc in synodis præcipiatur eisdem. Pueri quoque a septimo & supra, ad ecclesiam a parentibus adducantur diebus Dominicis & festivis, & in fide catholica instruantur, & doceant eos salutationes B. Mariæ, *Pater noster*, & *Credo in Deum*.

VIII. *Ut hæretici, & eorum fautores singulis Dominicis excommunicentur.*

Adjicientes ut hæretici, vel eorum credentes, fautores & receptatores & defensores eorum, singulis diebus Dominicis excommunicentur. Et si quis prædictorum credentium, fautorum, receptatorum, & defensorum, personaliter monitus & excommunicatus nominatim, infra quadraginta dies resipiscere noluerit, sed in eorum defensione perstiterit, vel inquisitionem impediverit eorumdem: tamquam hæreticus puniatur, cum perseverantia & defensio erroris hominem in talibus faciat hæreticum judicari.

IX. *Ut potestates sæculares adjuvent ecclesiam contra hæreticos.*

Moneantur etiam comites, barones, rectores & consules civitatum, & aliorum locorum, ac aliæ potestates sæculares quibuscumque fungantur officiis, quod ad commonitionem diœcesanorum promittant juramento corporaliter præstito, quod fideliter & efficaciter contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt ecclesiam bona fide juxta officium & posse suum, & quod de terris suæ jurisdictioni subjectis universos hæreticos ab ecclesia denotatos pro viribus exterminare curabunt: & ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur.

X. *De iis qui consilium vel patrocinium præstant hæreticis & fautoribus.*

Item & omnes alii qui consilium, patrocinium, vel favorem occulte vel aperte hæreticis, receptatoribus, & eorum credentibus præstabunt.

XI. *De notariis qui conficiunt iisdem instrumenta.*

Idem præcipimus de notariis sive scriptoribus qui in vita vel in morte scienter conficiunt instrumenta hæreticis vel fautoribus eorumdem.

XII. *De medicis eorumdem.*

Idem de medicis eorumdem præcipimus observari.

XIII. *Ut hæretici, vel de hæresi suspecti, a bajuliis amoveantur.*

Qui vero quondam hæretici vestiti vel notati fuerint, aut merito suspecti sunt, a bajuliis & officiis publicis, si qua habent, præcipimus amoveri ex toto, nec de cætero ad hujusmodi assumantur. Narbone an. 1228. c. 16.

XIV. *Ut excommunicentur qui tales in bajuliis constituunt.*

Si vero aliqui sint qui in suis bajuliis hujusmodi personas constituunt, nisi legitime moniti eos amoverint, excommunicentur.

XV. *Ut ecclesiarum rectores hoc populo sæpe exponant.*

Sint etiam soliciti ecclesiarum rectores, vel eorum locum tenentes, quod pœnas contra prædictos editas sæpius publicent populo & exponant.

XVI. *Ut juramentum pacis renovetur.*

Cum tempore pacis fides liberius valeat prædicari, & inquisitio contra hæreticos fieri, & sacramenta ecclesiastica ministrari: tranquillitati pacis congaudentes, statuimus quod juramentum pacis in castris, villis, ac civitatibus, renovetur secundum statuta concilii Tolosani[a], juxta formam hactenus observatam. Præterea libertatem ecclesiasticam cum Dei reverentia juxta statuta canonica amplectentes, præcipimus, quod episcopi, abbates, & alii viri ecclesiastici

[a] an. 1229.

ANNO CHRISTI 1246.

stici cum suis hominibus pacem sequantur contra turbatores pacis, cum a vobis fuerint requisiti, salvo jure episcoporum in subditis eorumdem.

XVII. *Vt nullus a sua possessione expellatur sine ordine judiciario.*

Item ut statuta pacis melius observentur, præcipimus ut nullus a sua possessione expellatur ordine judiciario prætermisso, & si expulsus fuerit, plenarie restituatur.

XVIII. *Vt excommunicentur qui ecclesiasticam libertatem impediunt.*

Item legitima monitione præmissa excommunicentur statuarii", scriptores, consules & rectores locorum ubi statuta sunt edita contra ecclesiasticam libertatem: necnon & illi qui secundum ea præsumpserint judicare, vel in publicam formam redigere judicata: & illi similiter qui interdicunt clericis ac viris religiosis introitum castrorum ac villarum suarum, aquas, molendina, furnos, & alia quæ consueverunt eis & aliis omnibus esse communia. Et illi qui vineis, bladis, arboribus, talam faciunt, & aliis bonis quæ ad ecclesiam pertinent, destruunt & confundunt.

[margin: f. statutarii,]

XIX. *De vita & honestate clericorum.*

Circa rubricam istam legantur constitutiones de vita & honestate clericorum editæ in concilio generali, quæ sic incipiunt, *Vt clericorum mores*, &c. *A crapula*, &c. *Clerici*, &c. Volumus etiam & præcipimus, ut nulli rectores ecclesiarum, vel clerici in sacris ordinibus constituti, mulieres secum teneant, de quibus sinistra suspicio possit haberi.

[margin: Lateran. IV. c. 14. 15. 16.]

XX. *Vt monachi, clerici regulares, & presbyteri, in foro sæculari advocare non præsumant.*

Adjicimus insuper ut monachi vel canonici regulares, vel etiam sacerdotes, nisi pro ecclesiis suis & miserabilibus personis, in foro sæculari & in sæcularibus negotiis advocare nullatenus præsumant. Quod si forte pars adversa tales repellere neglexerit, vel noluerit, a judice repellantur omnino.

[margin: Narbon. an. 1228. c. 11.]

XXI. *Vt qui curam animarum habere debent, ad sacerdotium promoveantur.*

Præterea quod in multis canonibus & frequenter ordinatum est & statutum, ut archipresbyteri, præpositi, abbates, & alii qui curam habent animarum, debeant ad sacerdotium promoveri, mandamus & præcipimus, ut tales, & illi qui ecclesias parochiales habent, ad sacerdotii gradum promoveantur, & ibi serviant ut tenentur. Ad quod per subtractionem beneficiorum, si necesse fuerit, compellantur.

[margin: Ibid. c. 18.]

XXII. *Vt canonici sæculares sint in sacris ordinibus.*

Inhibemus ne aliqui sæculares canonici stallum in choro, vel vocem habeant in capitulo, nisi fuerint in sacris ordinibus constituti: nisi ex causa cum eis ab episcopo fuerit dispensatum.

XXIII. *Vt regularium habitus non sit reprehensibilis.*

Regularibus autem tam monachis quam canonicis prohibemus, ne sit eorum habitus notabilis vel reprehensibilis, nec affectent vestibus placere, sed moribus. Cappis etiam & palliis, caligis de aliqua bruneta clara vel nigra, vel stamine forti, vel cameloto, vel aliquo alio colorato panno, non utantur: nec accipiant a suo majore aliquam pro vestibus pecuniæ quantitatem, quia ex hoc datur eis materia proprium retinendi; sed omnes de eodem vestiario vestiantur.

XXIV. *Vt iidem proprium non habeant.*

Quod autem proprium non habeant, sub attestatione Divini judicii, & in virtute obedientiæ penitus inhibemus.

XXV. *Vt monachi commatres sibi non faciant.*

Prohibemus etiam ne monachi commatres sibi faciant.

XXVI. *Vt presbyteris idonea portio assignetur in ecclesiis.*

Item cum in concilio Lateranensi & aliis consequenter sit per Romanum pontificem constitutum, quod presbyteris in ecclesiis monachorum vel aliarum personarum ad suam & suorum sustentationem portio sufficiens adsignetur: ne a domino papa possimus merito reprehendi, vobis abbatibus, prioribus, & aliis regularibus & sæcularibus, qui habetis vel tenetis ecclesias hujusmodi, præcipimus ut in vestris ecclesiis, episcopis personas præsentetis idoneas, quibus per episcopos animarum cura commissa, usque ad festum Pentecostes proxime venturum secundum facultates ecclesiarum, arbitrio bonorum virorum portionem idoneam adsignetis. Videlicet qua tam ipsi quam sui valeant sustentari honeste, & alia facere quæ continentur in pluribus constitutionibus, quæ jamdudum super hoc a sede apostolica emanarunt. Et super hoc legatur decretalis de suppl. negl. *Sicut nobis.*

[margin: Later. IV. c. 32. Narbon. an. 1228. c. 9.]

XXVII. *Vt in ecclesiis regulares non pauciores quam duo vel tres morentur.*

Illud præterea duximus exprimendum, ut in ecclesiis vestris non pauciores faciant moram, quam duo vel tres monachi, vel canonici regulares, sicut alia vice per dominum Petrum Beneventanum, tunc Apostolicę sedis legatum, fuit in provinciali concilio constitutum & postmodum observatum.

Cōc Mōsp.l.an.214. c.30. Narbon. 1228.c.10.

XXVIII. *Vt clerici, occasione patrimonij, non tallientur.*

Ibid.c.12. Item statuimus ut clerici occasione patrimonii sui vel personæ nullatenus tallientur, & tam domini locorum, quam consules & alii laici, ab hujusmodi talliis & exactionibus per censuram ecclesiasticam, si necesse fuerit, compescantur. Idem de ecclesiis & hominibus ecclesiarum præcipimus observari.

XXIX. *Vt nova pedagia non imponantur.*

Ibid.c.15. Excommunicamus etiam omnes illos qui scienter imposuerint nova pedagia, sive imponunt vel augent antiqua.

XXX. *De Divino officio in ruralibus ecclesiis frequentando.*

De ruralibus ecclesiis hoc mandamus inviolabiliter observari, ut in eis Divinum officium frequentetur, ne fraudentur animæ defunctorum, & omni occasione postposita reparentur.

XXXI. *Vt ecclesiis, de libris, calicibus, & aliis provideatur.*

Item præcipimus de libris & aliis ecclesiæ ornamentis necessariis providere. Generaliter autem præcipimus omnibus ecclesiis de calicibus argenteis, libris, & ornamentis necessariis provideri.

XXXII. *Vt sæculares potestates manus non extendant in laicum pro illata clerico injuria excommunicatum.*

Item inhibemus & sub attestatione Divini judicii præcipimus principibus, baronibus, baillivis & consulibus, ne si contingat aliquem laicum pro injuria dicto vel facto illata clerico, vel aliqua alia quæstione ecclesiastica, excommunicari per ordinarium vel judicem delegatum, vel alias pro tali causa, ut ad res vel bona ejusdem seu parentum suorum occasione prædicta manus suas extendere non præsumant, aut interdicere ei furnum, molendinum, aut aliquod aliud commercium commune. Quod si fecerint, nisi legitime moniti cessaverint, excommunicentur.

XXXIII. *Quinam sint excommunicandi singulis Dominicis & festis.*

De publicis usurariis, incestuosis, concubinariis, adulteris, sortilegis, divinis, & raptoribus, est in præsenti concilio constitutum, ut singulis diebus Dominicis & festivis publice in ecclesia excommunicentur. Similiter & illi qui testamenta defunctorum publicare & complere post competentem admonitionem noluerunt, excommunicationi subdantur. Item illi qui scienter instrumenta vel chartas retinent postquam eis plene fuerit satisfactum.

Conc. Narbon. an. 1227. c. 6, 8.

XXXIV. *De simonia.*

Ad abolendam etiam simoniæ corruptelā, quæ in eis partibus inolevit, super eo videlicet quod episcopi clericos ad sacros ordines promovendos nolunt aliquatenus promovere, nisi prius præstito juramento vel alia cautione, quod ratione tituli patrimonialis, vel alterius minus idonei, ipsos vel eorum non impetant successores, districtius inhibemus ne talia præsumant de cætero attentare. Quod si fecerint, a celebratione ordinis noverint se suspensos, quia sanctius est, maxime in ordine sacerdotii, paucos quam multos malos habere ministros, sicut est in Lateranensi concilio constitutum.

Conc Biterr. ann. 1233 c. 8.

XXXV. *Vt animarum cura personis idoneis committatur.*

Quia circa majora periculum vertitur, præcipimus quod animarum cura personis idoneis committatur. Talibus enim sunt ecclesiæ parochiales & dignitates maxime concedendæ, qui verbo possunt proficere pariter & exemplo. Cum autem ecclesias & ecclesiasticas dignitates vacare contigerit, fructus extantes, & qui medio tempore colligentur, futuro successori fideliter reserventur, deductis ministrorum & sibi servientium expensis, qui ecclesiam interim decantabunt, donec de rectore ecclesiæ sit provisum.

XXXVI. *De sententia excommunicationis.*

De sententia excommunicationis legantur; *Sacro approbante concilio, &c. Cum medicinalis, & soli, Quia periculosum.* Felicis recordationis Lodoicus rex Francorum, attendens quanta pertinacia laici provinciæ Narbonensis, & quarumdam partium adjacentium, in præjudicium animarum suarum, sententiam excommunicationis contemnerent: contra hujusmodi pertinaciam olim

Cōc. Narb. an. 1227. c. 1.

ANNO CHRISTI 1246.

olim apud Apamiam constituit de consilio domini Romani S. Angeli diaconi cardinalis, apostolicæ sedis legati, omnium etiam prælatorum & baronum de Francia, qui præsentes fuerant pro ecclesiastica libertate, constituit, ut quicumque post legitimam admonitionem se excommunicari permiserit, in novem libris & uno denario Turonensi puniatur. Si vero per annum contumaciter in sententia excommunicationis permanserit, bona ejus omnia cadant in commissum. Quam constitutionem nos G. archiepiscopus Narbonensis de concilio fratrum & suffraganeorum nostrorum, & approbatione totius provincialis concilii mandamus & statuimus atque præcipimus de cætero in provincia Narbonensi ab omnibus inviolabiliter observari, sicut a prælatis Franciæ observatur. Ita videlicet, quod si forte excommunicatus in prædicta summa puniri nequiverit, minori, vel alias secundum providentiam sui episcopi, puniatur. Si autem universitas culpa sua fuerit interdicta; pœna puniatur eadem. Si vero pro culpa domini, ipse dominus pœna simili puniatur.

XXXVII. *De Judæorum usuris comprimendis.*

Ibid. c. 2. Quia Iudæi usurariis exactionibus plurimum opprimunt Christianos, cum a Domino generaliter prohibeantur usuræ: provinciali concilio duximus providendum, ne Iudæi a Christianis aliquatenus immodicas usuras accipiant. Quod si fecerint, eas ab ecclesia restituere compellantur. Videlicet per excommunicationem in Christianos, qui cum eis in commercio vel aliis participationem habebunt.

XXXVIII. *Varia de Iudæis.*

Ibid. c. 2. Nec in domibus suis habeant Christiana mancipia vel nutrices, nec carnes venales teneant publice diebus quibus abstinent Christiani, nec in bajuliis, vel aliquibus officiis, Christianis permittantur præesse. Carnes etiam quas ipsi faciunt, privatim tantum in domibus suis vendant, & non in Christianorum macellis.

XXXIX. *Ut a Christianis iidem signo discernantur.*

Ibid. c. 3. Ad hoc ut Iudæi a Christianis discerni possint, statuimus & districte præcipimus, ut in medio pectoris deferant signum rotæ, cujus circulus sit latitudinis unius digiti, altitudo vero unius dimidii palmi de canna.

XL. *Ut publice non operentur diebus festis.*

Ibid. c. 3. Nihilominus inhibemus eisdem, diebus Dominicis & festivis publice operari, ne Christianos scandalizent, vel scandalizentur ab eis.

XLI. *Ut a die cœnæ usque ad Pascha domo non prodeant, & ut illa septimana non vexentur a Christianis.*

Volumus & mandamus, ut in septimana sancta a die cœnæ mane usque ad diem resurrectionis Domini, nullatenus nisi causa necessitatis exeant domos suas: & prælati tunc faciant eos a Christianorum vexationibus custodiri, maxime in septimana prædicta. Ibid. c. 3. *Ad hoc capitulum pertinere videntur extrema voces præcedentis.*

XLII. *Ut quotannis sex denarios persolvant ecclesiæ.*

Statuimus insuper, ut Iudæi singulis annis in festo Dominicæ resurrectionis sex denarios Melgoriensis monetæ, pro singulis familiis, pro oblationibus, ecclesiæ parochiali persolvant. Ibid. c. 4.

XLIII. *Ut iis Christiani causa medicinæ non utantur.*

Præterea excommunicentur Christiani, qui in infirmitate positi, causa medicinæ se committunt curæ Iudæorum.

XLIV. *De testamentis.*

Quia ultima voluntas defuncti debet inviolabiliter observari: volumus & præcipimus, ut testamentum, vel ultima voluntas cujusque, in præsentia semper catholicorum virorum & parochialis sacerdotis, vel alterius ecclesiasticæ personæ locum ipsius tenentis, condatur. Præsertim ut idem sacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de ipso testatore laudabile testimonium perhibere, ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio possit haberi: & maxime ut ea quæ in piis causis reliquerit, fidelius & citius sine fraude solvantur. Quod si testator vocare, ut diximus, sacerdotem aut viros catholicos contempserit: careat ecclesiastica sepultura, donec de hujusmodi mandati contemptu ecclesiæ satisfactum fuerit competenter. Notariis vero, qui absque solennitate superius expressa notare, vel scribere præsumpserint testamenta vel ultimas voluntates, ecclesiæ introïtus interdicatur usque ad satisfactionem condignam. Narbon. an. 1227. c. 5.

XLV. *Ut periuri puniantur.*

Cum religio juramenti, peccatis exigentibus, fere ab omnibus in istis partibus contemnatur: contra hujusmodi contemptores aliquid securitatis pro salute animarum duxit præsens concilium statuendum. Videlicet ut quicumque in transgressione ista jura- Ibid. c. 6.

ANNO CHRISTI 1246.

juramenti de cætero manifeste deprehensus fuerit, in ecclesia publice pronuncietur esse perjurus. Quod si admonitus, satisfacere noluerit, excommunicetur accensis candelis & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis & festivis, & denuncietur intestabilis & infamis: & nec ad testimonium, nec ad alios actus legitimos admittatur.

XLVI. *Ut confessionum diligens ratio habeatur.*

Ibid. c 7.

Statuit etiam præsens concilium, quod nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribantur a propriis capellanis, qui confessiones audierunt eorumdem, ut laudabile testimonium de confessionibus eorum valeant perhibere. Illis vero, qui confiteri proprio sacerdoti contempserint, saltem semel in anno, a quatuordecim annis supra, vivis introitus ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam; mortuis vero interdicatur ecclesiastica sepultura. Qui autem confessiones eorum audierint, in loco patenti audiant, non in occulto. Qui vero proprio sacerdoti semel in anno confessi non fuerint, vel alii de ejusdem capellani licentia speciali, ad sacramenta ecclesiastica minime admittantur. Et hoc præcipimus, diebus Dominicis & præcipuis festivitatibus, per rectores ecclesiarum in ecclesiis publice nunciari.

CONSILIUM CONCILII PROVINcialis archiepiscopi Narbonensis & suffraganeorum suorum, qualiter sit in inquisitione procedendum contra hæreticos, habitum Biterris.

Corr. G scilicet Guillelmus de Broa, qui tunc erat archiep. Narbon.

B[a] *DEI GRATIA NARBONENSIS archiepiscopus dilectis in Christo inquisitoribus contra hæreticos, in Arelatensi, Aquensi, Ebredunensi, & Viennensi provinciis, autoritate Apostolica constitutis, fratribus ordinis Prædicatorum, salutem in Domino.*

[a] Petri

Litteras reverendissimi patris P[a] Dei gratia episcopi Albanensis recepimus sub hac forma.

„ Venerabili in Christo patri & amico carissimo Dei „ gratia archiepiscopo Narbonensi. P. ejusdem miseratione Albanensis episcopus, salutem in Domino. „ Etsi olim in partibus Provinciæ domini papæ vicem gerentes, vobis scripsimus, ut mandaretis inquisitoribus hæreticorum, quod cum vestro & diœcesanorum (quos ipsi expedire viderent) consilio, in inquisitione hæreticæ pravitatis procederent, juxta „ consuetam formam eis super his traditam in pœnitentiis injungendis: negotii tamen qualitate pensata, „ volumus, & autoritate domini papæ vobis mandamus, „ quatenus prædictis inquisitoribus injungatis, ut in hæresis negotio cum vestro, diœcesanorum, seu aliorum „ prælatorum consilio quos expedire viderint, juxta formam in talibus consuetam, & litteras apostolicas eis „ missas, procedere non omittant. De expensis vero eidem negotio opportunis, juxta concilium apud Montempessulanum per reverendissimum patrem Avenionensem episcopum, tum Apostolicæ sedis legatum, proinde celebratum, faciatis eisdem inquisitoribus providere. Datum Lugduni nonis Martii.

Hujus igitur autoritate mandati vobis injungimus quatenus in præfato inquisitionis negotio vobis commisso procedere secundum tenorem mandati ejusdem sine moræ dispendio procuretis.

Ad hæc nos episcopus memoratus: R[1] Tolosanus: C[2] Carcassonensis: B[3] Helenensis: G[4] Lodovensis: P[5] Agathensis: Biterrensis: R[6] Nemausensis: Uticensis: Dei gratia episcopi, abbates, cæterique prælati provinciæ Narbonensis apud Biterras in provinciali concilio congregati, quorum sigilla præsentibus sunt appensa, vestris devotis precibus annuentes libenter, quibus a nobis petistis humiliter, nostris consiliis in toto memorato negotio dirigi & muniri, vestrasque dubitationes prout possumus amputantes, simulque devotionem vestram adjuvare volentes, sicut nobis ab ipsa sede Apostolica mandatum est: ut qui nostra portatis onera, consilium a nobis & auxilium in ipso nostro negotio caritate mutua reportetis.

1. Raymundus. 2. Clarus. 3. Berengarius. 4. Guillelmus. 5. Petrus. 6. Raimundus.

CAP. I.

Consulimus, ut infra terminos inquisitionis limitatæ vobis, ad locum de quo expedire videritis, juxta mandatum Apostolicum declinetis, ut inquisitionem de illo, vel de locis aliis faciatis: cum tutum non sit vos ad loca singula declinare: atque ibi convocatis clero & populo, & proposito verbo Dei, mandatum vobis factum, & adventus vestri causam, lectis litteris, quarum autoritate procedere habetis, sicut oportere noveritis, exponatis. Ac deinde mandetis, ut omnes qui se vel alios sciverint in crimine labis hæreticæ deliquisse, compareant coram vobis veritatem dicturi.

CAP. II.

Assignato eis termino competenti, quod tempus gratiæ vocare soletis, quibus tamen alias hujusmodi gratia non est facta: infra quem terminū venientes pœnitentes, & dicentes plenam de se & de aliis veritatem, habeant impunitatem mortis, immurationis, exilii, & confiscationis bonorum.

CAP. III.

Ut cum de locis aliis fuerit inquisitio facienda, hujusmodi generalem faciatis citationem, ac tempus gratiæ assignetis: clericis & laïcis in loco illo, de quo fiet citatio, convocatis, per aliquam personam ecclesiasticam, cui hoc per vestras patentes litteras committatis: qui in testimonium recepti mandati sigillum suum litteris eisdem appendat, & nihilo minus rescribat per suas patentes similiter litteras cum suo sigillo pendenti, qualiter, & coram quibus, & quando, mandatum impleverit sibi factum.

CAP. IV.

Ab illis qui sic citati coram vobis infra tempus comparuerint assignatum, recipiatis juramenta de mera & plena super facto labis hæreticæ, tam de se quam de aliis vivis & mortuis, dicenda, quam noverint, veritate. Ac postmodum per vos, vel per scriptores, diligenter interrogantes eosdem de singulis, de quibus requirendi videbuntur, faciatis confessiones ac depositiones ipsorum fideliter scribi, & in actis inquisitionis deponi, aut per publicam, si potestis habere, personam, aut per aliam idoneam, & juratum, cui & alius vir idoneus juratus similiter adjungatur: ut sic scriptura hujusmodi vel per manum publicam, vel per

ANNO CHRISTI 1246

per duos, ut tetigimus, viros idoneos in actis reposita & A conscripta, ac ei qui confitetur, & deponit coram inquisitore & notario, vel dictis duobus viris idoneis recitata, robur obtineat firmitatis. Iuramenta vero supradicta publice ac præsentibus omnibus, qui ad confitendum conveniunt, recipere procuretis: ut ex forma juramenti secundum quam exigitur, quilibet tam de se, quam de aliis teneatur dicere veritatem. Intelligant singuli, quod fit contra ipsos inquisitio, & de quibus: atque ita capitula, de quibus inquiritur, singulis quasi exposita videantur. Propter quod nec sit necesse, ut testes qui semel deposuerint in tam generali ac notoria inquisitione, producantur iterum, si etiam post hujusmodi depositionem contra quemcumque de quo quid noverint, dixerint, fieri cœperit inquisitio specialiter: nisi de aliquibus circumstantiis, de quibus requisiti non fuerant, viderentur fortitan requirendi: B præsertim cum sicut tangemus inferius, testium nomina nullatenus sint in hac causa favorabili, tanquam privilegiato negotio publicanda.

CAP. V.

Talibus infra tempus gratiæ sponte ac plene confitentibus, & ad ecclesiasticam se redire dicentibus unitatem, beneficium juxta formam ecclesiæ absolutionis impendatis, facientes videlicet ipsos abjurare omnem hæresim extollentem se adversus sanctam & Romanam ecclesiam & fidem orthodoxam, quibuscumque nominibus censeatur: & jurare quod fidem Catholicam, quam eadem sacrosancta Romana tenet ecclesia & prędicat, servabunt pariter ac defendent: & C hæreticos cujuscumque sectæ, vestitos pariter & condemnatos, credentes, receptatores, defensores, & fautores eorum persequentur pro viribus: investigando, accusando & capiendo, vel saltem eos inquisitoribus seu aliis fidelibus, qui eos opportunius capere velint & valeant, bona fide manifestando: & quod super his, qui inventi sunt, vel fuerint in eodem crimine deliquisse, stabunt mandatis inquisitorum, & ecclesiæ, ac pœnitentiam quæ sibi fuerit quandocumque per ipsos injuncta, recipient & implebunt: pro ea recipienda & implenda, bona sua omnia inquisitioni & ecclesiæ solemniter obligantes.

CAP. VI.

Illos, qui cum sint culpabiles, contemnunt comparere infra tempus gratiæ, aut malitiose supprimunt veritatem, citetis suo tempore nominatim. D

CAP. VII.

Eisque si veritatem contra se inventam confiteri noluerint, exponatis capitula, super quibus inventi sunt culpabiles, & dicta similiter testium publicetis.

CAP. VIII.

Ac datis dilationibus competentibus, & defendendi facultate concessa, benigne admittatis exceptiones & replicationes legitimas eorundem.

CAP. IX.

Et si quidem in sua defensione defecerint, nisi culpam probatam gratis confiteri voluerint, assignato ad E sententiam termino peremptorio competenti, damnetis eosdem; non enim sunt ad misericordiam admittendi, dum in sua negatione persistunt, quantumcumque voluntati ecclesiæ se supponant.

CAP. X.

Illud autem caveatis secundum providam sedis Apostolicæ voluntatem, ne testium nomina signo, vel verbo aliquo publicentur. Sed si instat contra quem inquisitio fit, dicens forte se habere inimicos, vel in se aliquos conspirasse: inimicorum ab eo, seu conspiratorum nomina, & inimicitiarum seu conspirationis causa, & veritas exigantur, ut sic & testibus consulatur, & ipsis etiam convincendis.

ANNO CHRISTI 1246.

CAP. XI.

Ad nullius vero condemnationem procedatis sine confessione propria, vel probationibus dilucidis & apertis: satius enim est relinquere facinus impunitum, quam innocentem damnare.

CAP. XII.

Quamvis in hujusmodi crimine omnes criminosi & infames ac participes criminis ad accusationem & testimonium admittantur.

CAP. XIII.

Illis tantum exceptionibus fidem testium evacuantibus in totum, quæ non ex zelo justitiæ, sed de malignitatis fomite procedere videantur: ut sunt conspirationes & inimicitiæ capitales: Alia vero crimina, & si debilitent, non repellunt: maxime ubi testes de crimine fuerint emendati.

CAP. XIV.

Eos qui se contumaciter absentant, faciatis citari solemniter in parochiali, seu cathedrali ecclesia eorundem: & in locis in quibus domicilium vel habent, vel habere solebant; & ita contra eos legitimis edictis propositis, præcedenti expectatione matura, diligenti etiam discussione habita super actis: ac prælatorum, de quibus expedire videritis consilio sigillato ad talium condemnationem: eorum absentiam, Dei & evangeliorum supplente præsentia, pro culparum exigentia procedatis.

CAP. XV.

A quibus postmodum redire atque obedire volentibus, & generaliter ab omnibus, qui prius contumaces, seu inobedientes fuerunt, vel de quorum fuga merito timere possetis, cautiones recipiatis fidejussorias: vel faciatis detineri eosdem ubi magis videbitis expedire.

CAP. XVI.

Perfectos hæreticos seu vestitos coram discretis aliquibus & fidelibus examinetis secreto, ipsos ad conversionem prout poteritis inducentes, & converti volentibus vos exhibeatis favorabiles, & benignos, cum per tales multum fuerit illuminatum negotium & promotum. Ac ipsorum pœnitentias pro qualitate conversionis & meriti mitigetis, vel quantum vobis visum fuerit, deferatis.

CAP. XVII.

Converti nolentes, ubi commode poteritis, damnare tardetis, ipsos frequenter tam per vos, quam per alios ad conversionem monentes: Ac tandem in sua malitia pertinaces, faciatis errores suos, ad eorum detestationem publice confiteri: Et sic eos damnatos præsentibus sæcularibus potestatibus, eorumve baillivis secundum mandatum Apostolicum relinquentes.

CAP. XVIII.

Ad hæreticorum seu credentium condemnationem, qui non fuerunt reconciliati canonice ante mortem, citatis eorum heredibus, sive aliis, qui de jure citandi fuerint, & concessa eisdem opportuna copia defendendi, similiter procedatis.

A

CAP. XIX.

Ab eorum heredibus, qui confessi & reconciliati, non accepta pœnitentia decesserunt, satisfactionem congruam exigatis; ne tantum ac tale crimen, quod etiam publice in judicio confessi sunt, remaneat in aliquibus impunitum. Et idem faciatis de illis qui decesserunt accepta pœnitentia, nec impleta: Si esse in mora cœperint, vel pro illa implenda obligaverint, ut supra tetigimus, bona sua, vel injunctus fuerit transitus transmarinus.

CAP. XX.

B Damnatos hæreticos relapsos, contumaces, & fugitivos redire volentes, similiter etiam deprehensos, qui videlicet post tempus gratiæ, non nisi nominatim citati venire curarūt, aut veritatem suppresserunt scienter & contra proprium juramentum: ex apostolico mandato in perpetuo carcere detrudatis; nec injungatis alicui pœnitentiam carceris temporalis, sed hujusmodi perpetui carceris pœnam seu pœnitentiam, ex domini Papæ indulgentia super hoc vobis concessa, mitigare vel commutare poteritis de prælatorum, quorum jurisdictioni subsunt, consilio, postquam fuerint in carcere aliquandiu detenti vestris humiliter parendo mandatis, & signa pœnitentiæ apparuerint in eisdem, quæ vos ad misericordiam moveant, simulque noveritis expedire.

CAP. XXI.

Receptis prius ab illis bonis satisdationibus, quod injunctas sibi pro posse faciant pœnitentias, & juramentis de persequenda hæresi, & fide catholica defendendā, sicut in reconciliandis superius est expressum: lata etiam in ipsos sententia, quod si levi argumento comperiri poterit, eos de cætero deviare a fide, pœna, sine misericordia, debita puniantur.

CAP. XXII.

Hac semper vobis potestate retenta, ut si videritis negotio fidei expedire, sine nova etiam causa, possitis ad carcerem reducere supradictos. In damnatis etiam fugitivis, relapsis & contumacibus adhibeatur ante immurationem ipsorum de juramentis & satisfactionibus cautela superius memorata.

CAP. XXIII.

Curetis tamen ut talibus immurandis, fiant juxta sedis Apostolicæ ordinationem, separatæ & occultæ camerulæ, sicut fieri poterit in singulis civitatibus diœcesum corruptarum, ut alterutrum vel se, vel alios pervertere nequeant; & eos enormis rigor carceris non extinguat, quod ab illis, qui bona illorum tenuerint, fieri, & in necessariis provideri faciatis eisdem, secundum statuta concilii Tolosani.

CAP. XXIV.

Hæc autem perpetui carceris pœna seu pœnitentia nulli ab initio de præfatis culpabilibus remittatur, aut in aliam commutetur: nisi vel hæreticos redderet, vel propter ejus absentiam evidens mortis periculum ejus liberis vel parentibus immineret: vel propter aliam causam, quæ multum justa & rationabilis videretur.

CAP. XXV.

Sit autem liber accessus uxori ad virum immuratum, & e converso, ne cohabitatio denegetur eisdem, sive ambo immurati fuerint, sive alter.

CAP. XXVI.

Cæteris qui propter vel promissam gratiam, vel propter qualitatē delicti, vel propter aliam rationabilem causam, immurandi non fuerint, hujusmodi pœnitentias injungatis: videlicet ut fidem, & ecclesiam, quam taliter offenderunt, defendant ad tempus, pro vestro arbitrio designatum, per se, vel per alios magis idoneos ultra mare, vel citra, contra Saracenos, vel hæreticos, & fautores eorum, aut aliter fidei & ecclesiæ rebellantes. In detestationem etiam erroris veteris, portent in superiore veste duas cruces coloris crocei, longitudinis duorum palmorum & dimidii, latitudinisque duorum, & in se trium digitorum habentes latitudinem, unam anterius in pectore, & aliam posterius inter scapulas. Vestes, in quibus cruces portaverint, crocei coloris non habentes, superiori veste intellecta, supra quam in domo, vel extra, alia non portetur. Et si fuerint vestiti hæretici, vel damnati, portent crucem tertiam competentis quantitatis, seu coloris ejusdem in caputio vel in velo. Et si forte dejeraverint, aut induxerint alios ad dejerandum, portent in superiori parte duarum crucum (quas portare habent in pectore, & inter scapulas,) brachium transversale palmi unius vel circa. Qui autem transfretare debebunt, portent cruces prædictas donec applicuerint ultra mare: & eas ulterius non teneantur portare, donec in littore transmarino navem ad redeundum intrantes resumant easdem circa mare, & in mari, & in insulis eas exinde perpetuo portent. Intersint diebus Dominicis & festivis Missæ ac Vesperis, & Sermoni, si fiat in villa, in qua fuerint: ac cæteris similiter diebus, vel Missas audiant, vel saltem ante prandium ad ecclesiam veniant ad orandum: nisi impedimentum habuerint, sine fraude. Et in Missa cujuslibet diei Dominicæ ac festivæ, inter epistolam & evangelium, veste superiori & velo sive capucio depositis, nisi & in velo seu capucio portent cruces, sacerdoti Missam præsenti populo celebranti, cum virgis in manu publice se præsentent: ibique data illis disciplina, exponat sacerdos, quod propter culpam labis hæreticæ pœnitentiam illam agunt. Sequantur etiam processiones, quæ fiunt in villis, in quibus fuerint quandocumque: ita videlicet, ut superiori veste deposita, & capitibus velo seu capucio denudatis, nisi & in eis cruces portaverint, a processionis initio portent alte in manu dextra inter clerum & populum, virgas longas: & in statione ultima, præsentent se illi, qui processioni præfuerit, ut exponat populo, quod talem pœnitentiam faciunt propter illa quæ in crimine commiserunt hæreticæ pravitatis.

C

D

CAP. XXVII.

Peregrinationes similiter, ac pœnas seu pœnitentias pecuniarias pro carceribus construendis, & ministrandis necessariis expensis, immurandis pauperibus, ac personis negotio inquisitionis necessariis injungatis culpabilibus memoratis: & ne usuras exerceant, ac restituant jam acceptas.

E

CAP. XXVIII.

Et ne bailivias seu administrationes teneant: nec sint in consiliis, vel familiis potentum: neque utantur vel medici vel notarii officio: nec ad alia officia publica, vel ad actus accedant legitimos: nec portent aurifrisia, vel similia ornamenta, vel vittas croceas, nec sericum, vel corrigias auro vel argento membratas, vel sotulares incisos, seu pictos: & ubi expediens visum fuerit, ejiciantur de villa in qua conversati fuerant, in alia certa villa seu provincia moraturi ad tempus.

XXIX.

CAP. XXIX.

Hæc autem de pœnitentiis arbitrariis ita perstrinximus, non ut vos omnes, vel æqualiter omnibus imponatis: sed ut eas secundum discretionem vobis traditam a Domino, negotii utilitate, qualitate personarum, culparum quantitate, aliisque pensatis circumstantiis, ita caute ac provide dispensetis: ut sive plectendo sive ignoscendo, vita culpabilium corrigatur: aut saltem apparere valeat, quis in tenebris ambulet, quis in luce, quis vere sit pœnitens, quis ficte conversus. Hujusmodi autem pœnitentias injungatis publice: nisi ubi esset peccatum occultum, quod neque esset revelatum per alium, nec revelari speraretur. Facientes eos culpas suas convocatis clero & populo publice confiteri: & abjurare ac jurare, sicut in reconciliandis superius est expressum. Ita quod singuli mandent inde fieri publica instrumenta continentia culpas, abjurationes, promissiones, & pœnitentias eorumdem. Et singulis dentur testimoniales vestræ litteræ hæc eadem continentes. Vobis semper potestate retenta, ut possitis ex causa rationabili, pœnitentiis injunctis addere, vel detrahere, vel ipsas etiam commutare. Et hac potestate consulimus vos usuros, quotiescumque saluti animarum & utilitati negotii videritis expedire. Quibus autem fuerint peregrinationes injunctæ, teneantur dictas testimoniales litteras ostendere in singulis peregrinationibus, ei qui præfuerit ecclesiæ quam visitaverint: & ejusdem litteras de peregrinatione illa peracta, vobis reportare. Qui vero transfretaverint, cum fuerint ultra mare, ut citius poterunt, præsentent se cum vestris litteris, venerabilibus patribus, vel patriarchis Hierosolymitano, vel Aconensi, aut cuicumque episcopo, vel eorum cujuslibet locum tenenti: & reportent vobis cum redierint de sua peregrinatione laudabiliter ibi completa, litteras cujuslibet episcopi transmarini.

CAP. XXX.

Ne autem per tales religionis corrumpatur simplicitas, nullum de præfatis culpabilibus, sine apertis conversionis signis, & nisi omne scandalum atque periculum abesse noveritis, religionem quamcumque ingredi permittatis: & si secus actum fuerit, revocetis.

CAP. XXXI.

Ut autem adjuvante Domino, hæresis melius extirpetur & citius, fidesque plantetur in terra: statuta & jura per sedem Apostolicam, ejusque legatos, ac principes, super his edita, faciatis plenissime observari. Præterea universos tam mares, quam fœminas, masculos a XIIII. fœminas a XII. anno & supra, faciatis abjurare omnem hæresim: & jurare quod fidem servent & defendant catholicam, & hæreticos persequantur, prout supra in juramento, quod reconciliandi habent facere, plenius de his & latius continetur: conscriptis singulorum nominibus, tam in actis inquisitionis, quam in parochiis eorumdem. Et qui præsentes infra tempus assignatum, vel absentes infra XV. dies post suum reditum, tale juramentum non præstiterint, ut suspecti de hæresi habeantur. Hanc autem universalem abjurationem fieri procuretis quam citius, vel per vos ipsos, vel per vestros notarios seu scriptores, vel per alios ecclesiasticos viros, quibus hoc duxeritis committendum.

CAP. XXXII.

Adjecto in juramento comitum, baronum, rectorum & consulum, ac bailivorum civitatum, ac aliorum locorum, quod fideliter & efficaciter, cum ab

A eis fuerit requisitum, ecclesiam contra hæreticos, & eorum complices adjuvabunt juxta officium & posse suum: & de terris suæ jurisdictioni subjectis bona fide pro viribus exterminare studebunt universos hæreticos ab ecclesia denotatos.

CAP. XXXIII.

Post hujusmodi autem abjurationem, quicumque lapsi fuerint, & qui non servaverint, vel fecerint injunctas sibi pœnitentias, pœna relapsis debita puniantur.

CAP. XXXIV.

In singulis etiam parochiis, tam in civitatibus, quam
B extra, sacerdos unus, vel duo, vel tres bonæ opinionis laici, vel plures si opus fuerit, juramenti vinculo astringantur, amovendi vel mutandi, quando vobis visum fuerit: qui diligenter, fideliter, & frequenter, investigent hæreticos in villis & extra domos singulorum, & cameras subterraneas, cabannas, & clausella, & alia latibula perquirendo: quæ omnia obturari, vel destrui faciatis. Præfatis etiam sacerdoti, & laïcis sic juratis, committatis curam observationis pœnitentiarum, quæ singulis de sua parochia injungentur: ita ut ipsi penes se habentes singulorum parochianorum pœnitentias, & circa earum observationem solicite vigilantes, contemptores, si qui fuerint, vobis denuntient sine mora, in eos tanquam in relapsos, ut di-
C ctum est proxime, processuris.

CAP. XXXV.

Domos etiam in quibus inventi sunt, vel fuerint hæretici vivi, vel mortui, vestiti seu damnati, scientibus & consentientibus dominis domorum existentibus legitimæ ætatis, dirui faciatis, & bona omnium ibidem tunc habitantium confiscari: nisi suam innocentiam & justam ignorantiam probare poterunt manifeste. Bona quoque hæreticorum & credentium, quos damnaveritis, vel pro hæreticis, vel ad murum, faciatis similiter confiscari: & marchas solvi capientibus hæreticos, ab his, qui secundum statuta solvere tenebuntur.

D

CAP. XXXVI.

De bailivis negligentibus, vel suspectis, & aliis culpabilibus non ponendis in administrationibus, vel officiis publicis, vel consiliis seu familiis potentum, & de libris theologicis non tenendis etiam a laïcis in Latino, & neque ab ipsis, neque a clericis in vulgari, & de pœnis contra prædictos; nec non & contra sacerdotes qui circa hujusmodi, ad quæ ex officio, vel ex commissione tenentur, negligentes extiterint; & de confessione peccatorum, & communione ter in anno facienda, de Missis
E etiam & sermonibus audiendis ex integro diebus Dominicis & festivis, & de omnibus aliis, quæ ad hæresim extirpandam, fidemque plantandam pertinent, teneri faciatis ad plenum, quicquid justum noveritis & statutum: & expresse de filiis hæreticorum, receptatorum, & defensorum, usque ad secundam generationem, ad nullum beneficium ecclesiasticum vel officium admittendis.

CAP. XXXVII.

Inter alia, quæ ad vestrum laboriosum latissimumque spectant officium, hoc summopere providere curetis, ut juris ordinem (nisi in quantum privilegiatum est hoc negotium, & nos supra expressimus, & consulimus) servare studeatis: & omnia

ANNO CHRISTI 1246.

A quæ feceritis, videlicet citationes, gratias sive indulgentias, interrogationes, confessiones, depositiones, abjurationes, & obligationes, sententias & pœnitentias, & cætera omnia quæ occurrerint taliter in actis inquisitionis, vel per manum publicam, vel per duos viros idoneos, ut prædiximus, & juratos designatis locis, & temporibus, & personis, competenti conscribi ordine faciatis. Quod si super processu vestro fuerit in aliquo suborta contentio, per hæc possit veritas declarari. Datum apud Biterras XIII. Calend. Maii, anno Domini MCCXLVI.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

** CONCILIUM SCHENINGENSE ADVERSUS PRESBYTERORUM CONIUGIA,

a Guillelmo cardinale Sabinensi, Innocentii IV. legato celebratum anno circ. MCCXLVIII. B

Ioannes Magnus archiepiscopus Upsalensis libro Gothicæ historiæ XIX. *cap.* XV. *hoc præsertim concilio insigne fuisse memorat regnū Henrici Sueonum regis: qui viginti octo, quibus regnavit, annis,* multa, *inquit,* sui optimi regiminis testimonia ad posteros trāsmisit: inter quæ non infimum locum habent quæ in Scheningensi concilio acta fuere per Guillelmum cardinalem & episcopum Sabinensem, summi pontificis Gregorii IX. legatum, pro restituendis moribus fidei Christianæ, tam ipso Rege ac proceribus præsentibus & approbantibus, quam Iarlero archiepiscopo Upsalensi cum omnibus coepiscopis suis, ad omnia ejusdem concilii decreta consentientibus. Quæ si hactenus æque diligenter observata fuissent, quemadmodum pie & ad publicam concordiam instituta fuerunt, non solum Christianam remp. felicem haberemus, sed regnum ex omni parte beatum ad nostros successores transmitteremus. C

Prima intentio & cura cardinalis Sabinensis in hoc concilio erat, revocare Suecos & Gothos a schismate Græcorum, in quod presbyteri & sacerdotes ductis publice uxoribus consensisse videbantur: effecitque cooperantibus rege Erico & Birgero duce, ut abjuratis coniugibus & concubinis cœlibatum amplecterentur. Transgressores vero huius statuti, omnibus proventibus, & dignitatibus, ac privilegiis & libertatibus clericali ordini annexis, privavit, gravibusque pœnis & censuris ac iudicio sæculari subjecit.

G. COSS.

D Gregorii IX. legatum fuisse Guillelmum cardinalem, cum huic præfuit concilio, falso Ioannes Magnus asserit. Ad Boreales populos prædicandi evangelii causa missus fuit ab Honorio III primum, tum à Gregorio IX. sed nondum cardinalis. Qua dignitate auctus est ab Innocentio IV. ab eoque in Septentrionem tertium legatus est. Autores, Ciacconius & alii. Missum autem ab Innocentio IV. in Norvegiam, & Sueciam, jam cardinalem, eoque consilio in Angliam anno MCCXLVII. venisse, ut inde versus Septentrionem solveret, testatur Matthæus Westmonasteriensis, qui præcipue fuisse legatum ait, *ut regem Norvegiæ Haconem in regem inungeret.* In Norvegiam ergo primum anno MCCXLVII. profectus, deinde in Sueciam, ubi Scheningense concilium coëgit, anno, ut probabile est, consequenti. Certum est, non potuisse ante annum MCCXLVII. quo profectus est; neque post MCCL. quo Henricus rex, qui concilio interfuit, obiit.

E Errorem suum emendavit Ioannes Magnus in Metropoli, quod opus postea conscripsit. *Concilium,* inquit, *Guillelmi cardinalis Sabinensis in Scheningia, vetustissimo Ostrogothorum oppido, sub Innocentio IV celebratum est, deinde per papam Alexandrum IV. Anagniæ anno ejus quinto, atque alios pontifices summos perpetuo confirmatum*

Odoricus Raynaldus vocat Scherungense, litterarum affinitate inter exscribendum deceptus: collocatque anno MCCXXXV cum Gregorii IX. tempore putet habitum: & ad Danos legatum ait, ibique huic præfuisse synodo, perinde quasi Scheningia Daniæ urbs esset, non Sueciæ: & Olaum Magnum autorem citat, cum Ioannem debuisset.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

** CONCILIUM VALENTINUM IN GALLIA

Pro fide, pace, ac libertate ecclesiæ, a Petro Albanensi episcopo, & Hugone S. Sabinæ presbytero, cardinalibus, cum episcopis IV. provinciarum, sabbato post festum S. Andreæ, ann Dom. MCCXLVIII. Innocentio IV. pontifice celebratum.

Ex Sirmondi apographo recens editum.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut conciliorum statuta inviolabiliter observentur.*
2. *Ut pax juretur de triennio in triennium: & Friderico Imp. auxilium non detur.*
3. *Ut qui sunt in sacris ordinibus, & qui sunt beneficiati, officium publicum in sæculari curia non recipiant.*
4. *Ut clerici beneficiati recipiant ordines sacros, cum necessitas exigit, & episcopus jubet.*
5. *De Iudæis, ut signum portent.*
6. *Ut perjuri puniantur.*
7. *Et præsertim qui jurarunt pro fide, pace, & libertate ecclesiæ.*
8. *Ut perjuri, publice denuncientur.*
9. *De non exequentibus sententiam inquisitorum.*
10. *De episcopis nolentibus denunciare vel servare sententiam diœcesani vel inquisitoris.*
11. *Ut ab inquisitoribus non admittantur in processibus advocati.*
12. *De sacrilegis & sortiariis.*
13. *De deponentibus crucem sibi impositam propter hæresim: de aufugientibus e carcere: de contemptoribus excommunicationum.*
14. *Ut excommunicati, ad officia publica non eligantur.*
15. *De iis qui banna faciunt contra excommunicatores vel denunciatores.*
16. *Ut prælati excommunicatos sibi a diœcesano denunciatos denuncient, & vitent.*
17. *De iis qui excommunicati publice, se officiis ecclesiasticis ingerunt.*
18. *De iis qui communicant frequenter cum excommunicatis.*
19. *Ut serventur statuta de clericorum interfectoribus, &c.*
20. *Ut conjurationes & confratriæ non fiant.*
21. *Ut excommunicentur qui pacem, requisiti, non jurant.*
22. *Excommunicatio Friderici imp. & fautorum ejus.*
23. *De iis qui Friderico auxilium dederint, vel advocaverint.*

PRÆFATIO.

Universis Christi fidelibus ad quos præsens pagina pervenerit, miseratione divina P[a] Albanensis episcopus, & H[b] tituli S. Sabinæ presbyter cardinalis, æternam in Domino salutem. Noveritis quod cum dominus Papa archiepiscopos, episcopos, & alios prælatos quamplures Narbonensis, Viennensis, Arelatensis, Aquensis, provinciarum, ac etiam quosdam episcopos & prælatos quarumdam circumvicinarum diœcesium ad concilium celebrandum apud Montilium Valentinæ diœcesis, pro fide, pace, & libertate ecclesiæ, convocasset, & nos pro eodem cum prælatis ad partes illas duxerit destinandos, qui ad dictum locum vocati venerant apud Valentiam de mandato nostro ad celebrandum dictum concilium, ex causa necessaria congregatis, de prædictis tractavimus cum eisdem. Quoniam igitur multorum conciliorum statuta salubria,

[a] Petrus.
[b] Hugo.

salubria, non sunt, sicut debuit & decuit, hactenus observata, ex quo in contemptum & in oblivionem quasi totaliter devenerunt: ideo necessarium fore providimus, prædictorum conciliorum statuta renovare, & quasdam pœnas ad ipsorum observantiam, ac quædam alia statuere, quibus vita delinquentibus arceatur.

A

CAPITULA.

I. *Ut conciliorum statuta inviolabiliter observentur.*

AUtoritate igitur præsentis concilii ordinamus & statuimus, quod antiqua concilia per legatos apostolicæ sedis edita, ac etiam præsentis concilii statuta, inviolabiliter observentur, & a prælatis omnibus habeantur.

II. *Ut pax juretur de triennio in triennium: & Friderico imp. auxilium non detur.*

Item statuimus quod statuta pacis omnino serventur, & juretur pax de triennio in triennium, & renovetur, prout in statutis conciliorum continetur: & addatur nunc in sacramento, quod Friderico schismatico, qui est autor discordiarum & turbator pacis, non dabunt auxilium, vel favorem, nec ipsum ad provincias istas forsitan venientem, vel nuncium suum, suam potestatem exercentes vel exercere volentes, recipient, nec obedient eis, cum ipsi nihil intendant aliud, nisi ut unitatem ecclesiæ dividant, & catholicorum pacem perturbent.

III. *Ut qui sunt in sacris ordinibus, & qui sunt beneficiati, officium publicum in sæculari curia non recipiant.*

Item statuimus, ut nulli clerici in sacris ordinibus constituti, seu canonici cathedralium ecclesiarum, seu beneficiati, judicatum, consulatum, assisoriam, vel alia officia publica in curia sæculari, electi a populo vel a sæculari persona, recipiant; & si receperint, nisi infra mensem postquam publicata fuerint in suis diœcesibus hæc statuta, dimiserint, ab officio & beneficio suspendantur. Et si per annum in contumacia perstiterint, vel cum simile officium receperint, iterum suis beneficiis per episcopos suos sine spe restitutionis priventur.

IV. *Ut clerici beneficiati recipiant ordines sacros, cum necessitas exigit, & episcopus iubet.*

Item de canonicis ecclesiarum sæcularium & regularium, & aliis beneficiatis clericis renuentibus ordines subdiaconatus, diaconatus recipere, vel ordinem sacerdotii, quando necessitas hoc requirit, & a suis episcopis requiruntur, constitutiones & concilia super hoc edita mandamus inviolabiliter observari.

V. *De Iudæis, ut signum portent.*

Item de Iudæis etiam concilia & constitutiones serventur: & si domini sæculares admoniti non compellunt eos signum portare, prælati procedant contra ipsos Iudæos, interdicendo commercia Christianorum cum eis, & alias puniendo, sicut in concilio & constitutionibus continetur.

VI. *Ut perjuri puniantur.*

Item de puniendis perjuris, qui aperte pejerant, & juramenti religionem contemnunt, statuta conciliorum & constitutionum jura observari præcipimus: statuentes quod cum salutaria statuta super iis edita propter prælatorum negligentiam contemnantur, unde a perjuriorum frequentia non cessatur, prælati de cætero prædicta statuta inviolabiliter observent, & in synodis suis ea publicantes, præcipiant subditis inviolabiliter observari.

B

VII. *Et præsertim qui jurarunt pro fide, pace, & libertate ecclesiæ.*

Præsertim de illis perjuris, qui juraverunt pro pace, pro fide, pro defensione ecclesiæ, seu etiam libertate. Et si universitas aliqua in hoc culpabilis sit reperta, supponatur ecclesiastico interdicto, & personæ culpabiles pœnis subjaceant editis in conciliis memoratis.

C

VIII. *Ut periuri, publice denuncientur.*

Statuta vero conciliorum super his edita per episcopos in synodis, ut supradictum est, & in ecclesiis seu aliis solennibus locis, publicentur frequenter, & perjuros hujusmodi prælati vicinis episcopis & archiepiscopis, suis etiam subditis denuncient, qui ad dimicationem [a] sibi factam, in ecclesiis suis denunciare tenentur eosdem Dominicis diebus & festivis.

D

[a] Corr denuntiationem

IX. *De non exequentibus sententiam inquisitorum.*

Item de non exequentibus sententiam inquisitorum, statuimus, quod moneantur per inquisitores vel loci diœcesanum: & si moniti, infra terminum competentem eis præfixum non paruerint, censura ecclesiastica compellantur. Et si nec sic se emendaverint, tam diœcesanus, quam inquisitores, contra eos clero ad hoc congregato & populo sententialiter procedant, quasi contra defensores & fautores hæreticorum. Et sententia, postquam lata fuerit contra eos, per ipsum qui eam tulit, vel per inquisitores qui eam tulerunt, vicinis episcopis publicetur, ut eam denuncient & observent.

E

ANNO CHRISTI 1248.

X. *De episcopis nolentibus denunciare vel servare sententiam diœcesani vel inquisitoris.*

Si quis vero episcoporum eam denunciare vel observare noluerit, donec faciat quod sit denunciatum, ut sit ei ecclesiæ ingressus interdictus.

XI. *Ut ab inquisitoribus non admittantur in processibus advocati.*

Item ne inquisitionis negotium per advocatorum strepitum retardetur, providendo statuimus, quod ab inquisitoribus non admittantur in processibus advocati. Circa vero advocatos hæreticorum, fautores, & defensores, constitutionem de hæreticis præcipimus observari.

XII. *De sacrilegis & sortiariis.*

Item de sacrilegis & sortiariis, quocumque nomine censeantur, & specialiter de his qui magistri sunt vel doctores in opere tam damnoso, statuimus quod si inventi fuerint, reddantur suo episcopo: &, si moniti non resipuerint, inmurentur, vel ad arbitrium episcopi puniantur.

XIII. *De deponentibus crucem sibi impositam propter hæresim: de aufugientibus e carcere: de contemptoribus excommunicationum.*

Item de illis qui propria temeritate crucem deponunt sibi impositam propter hæreticorum pravitatem, statuimus, quod sine spe misericordiæ crucem resumere compellantur. Ita quod inquisitores vel illi qui præsunt negotio, eis ultra non possint facere gratiam super crucem. Et si moniti crucem resumere noluerint, tamquam hæretici judicentur. Idem de illis statuimus, qui de carceribus aufugiunt, nec moniti revertuntur. Item de contemptoribus excommunicationum, quantum ad eos qui sunt in regno Franciæ, observetur illa constitutio, *Cupientes*, & concilium Apamiarum. Quantum ad alios qui non sunt in regno, statuimus quod si perstiterint per sex menses in excommunicatione contumaciter, & moniti noluerint resipiscere, denuncientur infames & excommunicati in locis ubi morantur, & in locis vicinis: a qua infamia non nisi per sedem apostolicam absolvantur.

XIV. *Ut excommunicati, ad officia publica non eligantur.*

Item excommunicati, in consules, potestates, rectores, assessores, bailivos, vel ad alia officia publica nullatenus eligantur: & qui tales scienter elegerint, excommunicentur, & nulla sententia lata per ipsos, sive eorum autoritate, valeat, seu processus habiti per eosdem, siue autoritate ipsorum.

XV. *De iis qui banna faciunt contra excommunicatores vel denunciatores.*

Quia vero intelleximus quod excommunicati quidam statuta quædam faciunt, præcepta seu banna contra excommunicatores vel denunciatores excommunicationum latarum, quod est quasi hæreticum, & a disciplina ecclesiastica alienum, dum directe fiat hoc in contemptum clavium & elusionem ipsarum, quas ipsi nituntur infringere malitia obstinata, licet excommunicati intelligantur per constitutionem domini Honorii. Quia tamen constitutionem illam contemnunt, statuimus, quod quicumque statutum, præceptum, bannum, interdictum, furni, molendini, ignis, aquæ, seu aliorum commerciorum, seu mãdatum, fecerint contra excommunicatores vel denunciatores, apertum, tacitum vel occultum, denuncientur etiam propter hoc excommunicati. Et si moniti, infra decem dies non revocaverint, denuncientur excommunicati per totam provinciam, & etiam in vicinis provinciis, si videbitur expedire: & cessetur a Divinis in omnibus locis, ad quæ venerint taliter excommunicati, quamdiu moram fecerint in eisdem: nec absolvantur, donec satisfecerint competenter de damnis & injuriis illatis propter hoc ecclesiæ & personis ecclesiasticis.

XVI. *Ut prælati excommunicatos, sibi a diœcesano denunciatos, denuncient, & vitent.*

Præcipimus autem quod prælati omnes cum a diœcesano, qui excommunicationem tulit, ipsis fuerit denunciatum, prædictos denuncient, & illos vitent: & hoc medicinale statutum inviolabiliter observent. Quod si non fecerint, ingressum ecclesiæ per mensem unum sibi noverint interdictum.

XVII. *De iis qui excommunicati publice, se officiis ecclesiasticis ingerunt.*

Item excommunicati publice se officiis ecclesiasticis pertinaciter ingerentes, nec volentes inde recedere ad sacerdotis seu prælati mandatum, propter hoc excommunicentur, & a suo prælato excommunicati publice nuncientur, & non nisi per sedem apostolicam ab hac excommunicationis sententia absolvantur.

XVIII. *De iis qui communicant frequenter cum excommunicatis.*

Item illi qui frequenter & quasi ex consuetudine scienter excommunicatis communicant

ANNO CHRISTI CIRCITER 1248.

municant in officiis vel mensa, tamquam communicantes in crimine, per superiores ab ingressu ecclesiæ arceantur. Et si forte prælatus fuerit, per superiorem suum juxta morem canonum puniatur.

XIX. *Vt seruentur statuta de clericorum interfectoribus*, &c.

Item de clericorum interfectoribus, bonorum ecclesiasticorum raptoribus, ecclesiasticæ libertatis violatoribus, & initis contra statuta conciliorum societatibus, ac reformandis clericorum sæcularium vel religiosorum honestatibus, statuta conciliorum super his edita, & sacrorum canonum instituta præcipimus inviolabiliter observari.

XX. *Vt coniurationes & confratriæ non fiant.*

Quia vero colligationes, societates, confratriæ seu conjurationes, quocumque nomine censeantur, improbatæ sunt a canonibus & constitutionibus conciliorum factorum per legatos Apostolicæ sedis in partibus & provinciis istis, & omnino interdictæ & cassatæ, & excommunicatio lata in factores: ideo de approbatione & consilio prælatorum omnium, prædictas conjurationes, obligationes, societates, confratrias civitatum, castrorum, baronum, civium, & aliorum existentium in civitatibus, castris, villis, contra statuta canonum & conciliorum factas relaxantes, dissolvimus & cassamus: decernentes sacramenta præstita ad prædicta observanda, illicita, a quibus eos qui hujusmodi sacramenta præstiterunt, & pro juramento præstito illicito a confessoribus suis pœnitentiam recipiant salutarem. Et nisi infra duos menses post publicationem istorum statutorum se adinvicem absolverint, denuncientur autores, factores, tractatores, & defensores, & fidejussores, pro his observandis, excommunicati. Et frequenter hæc dissolutio & excommunicatio per prælatos in suis diœcesibus, & in suis synodis, diebus solennibus & festivis publicentur, & faciant per subjectos sibi prælatos vel presbyteros publicari.

XXI. *Vt excommunicentur qui pacem, requisiti, non iurant.*

Item præcipimus excommunicari, & excommunicatos denunciari per prædictos prælatos, omnes illos qui noluerint pacem jurare, cum fuerint requisiti, secundum statuta pacis, & conciliorum edita per Apostolicæ sedis legatos.

XXII. *Excommunicatio Friderici imp. & fautorum eius.*

Item in præsenti concilio tulimus excommunicationem contra Fridericum, quondam imperatorem, hoc modo: Autoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli & domini papæ, qua fungimur, & concilii congregati, denunciamus Fridericum quondam imperatorem, fautores, adjutores, & consiliatores suos, excommunicatos. Et anathematizamus & excommunicamus omnes illos, qui dictum Fridericum vocaverunt ad partes istas, vel vocaverint ad aliquem habentem potestatem suo nomine, & omnes illos qui dictum Fridericum vocaverint, & omnes illos qui ipsum receperint, vel aliquem nuncium suum, & oras quæ ipsum recipiunt, supponimus interdicto. Et nisi ad mandatum ecclesiæ venerint illi qui vocaverint, eum vel nuncios suos, ad potestatem exercendam in partibus istis, infra triginta dies: ipsos & alios qui vocaverunt eum, vel nuncios suos ad potestatem exercendam in partibus istis, denunciamus infames, quod nec ad potestariam, nec ad consulatum, nec ad rectoriam, judicatum, tabellionatum, nec ad testimonium, nec ad alios actus legitimos admittantur: & si de facto admissi fuerint, sententia per eos lata, & quidquid per eos factum fuerit, nullam habeat firmitatem.

XXIII. *De iis qui Friderico auxilium dederint, vel aduocauerint.*

Item denunciamus excommunicatos clericos, prælatos qui eidem Friderico dederint auxilium vel favorem. Et si tales ipsum vocaverint, denunciamus eos privandos suis beneficiis, & prælatos a dignitatibus suis deponendos, nec ab istis sententiis aliquis absolvi possit, nisi per dominum papam, vel alium de suo speciali mandato.

Datum Valentiæ mense Decembri, die Sabbati post festum B. Andreæ, anno Domini M CC XLVIII. pontificatus Domini Innocentii papæ IV. anno VI. præsentibus & consentientibus venerabilibus patribus Narbonensi, Viennensi, Arelatensi, & Aquensi, archiepiscopis: & episcopis Biterrensi, Agathensi, Vticensi, Nemausensi, Lodovensi, Agennensi, Vivariensi, Massiliensi, Forojuliensi, Cavalliensi, Carpentoratensi, Avinionensi, Vasionensi, Diensi, & Tricastrensi.

ANNO CHRISTI 1248.

** CONCILIVM VRATISLAVIENSE,

Quo pars quinta redditiuum ecclesiasticorum pont. max. concessa ad triennium, anno Dom. M CC XLVIII.

ANNO Domini M CC XLVIII. (*inquit Matthias Michoviensis.*) Iacobus Leodiensis archidiaconus, Innocentii papæ IV. ex concilio Lugdunensi legatus in Poloniam venit, & synodum apud Vratislaviam egit. Ad quam Fulco Gneznensis archiepiscopus, Prandotha Cracoviensis, Boguphalus Posnaniensis, Thomas Vratislaviensis, Michaël Vladislaviensis, Andreas Plocen. Nankerus Lubucensis, l. 3. c. 56.

ANNO CHRISTI 1248.

sis, Henricus Culmensis, episcopi venerunt, & nomine Apostolicæ sedis, expositis pluribus angustiis ejusdem sedis, medietatem fructuum per tres annos continuos pro revelamine poposcit. Pontifices vero ecclesiæ Polonicæ, quintam partem fructuum suorum beneficiorum, & sui cleri obtulerunt. Et summo pontifici, per Gothfridum pœnitentiarum cito transmiserunt.

Et quia vetus observantia in regno Poloniæ ab initio fidei susceptæ, in illam diem tenta custodiebatur, ut jejunium quadragesimale, a Dominica septuagesimæ in diem Paschæ continuaretur, cum frequenti prævaricatione, & gravi discordia inter clerum & laicos: Ideo inter præfatum Iacobum Leodiensem archidiaconum legatum Papæ, ac pontifices ecclesiæ Polonorum, hujusmodi consuetudine a Romana ecclesia, & aliis regnis Catholicæ religionis discrepante, ventilata, autoritate apostolica, & consensu præsentium pontificum, prædictus Iacobus legatus, tam ecclesiasticis, quam sæcularibus personis esum carnium, ad diem cinerum exclusive concessit, ab eoque tempore Dominica septuagesimæ a Polonis vetus carnisprivium nominari cœpit, & ita hactenus nominatur.

G. C. Concilii hoc anno Vratislaviæ habiti, autorem alium affert Raynaldus, nempe Longinum, cujus historia Polonica MS. usus est. Quæ ex Michoviensi protuli, ampliora sunt, quam quæ hic ex Longino suo. Hæc habet peculiaria, tertiam tantum partem redituum postulatam fuisse, cum mediam affirmet Michoviensis: postulatam autem ad resistendum Friderico: ad ineundam a pontifice gratiam, pecuniam omnem tribus annis colligendam, certo & constituto die in unum fuisse redactam, Goffridum per quem missa est, pœnitentiarium apostolicum fuisse: actas a pontifice episcopis & clero Poloniæ gratias.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1250.

CONSTITVTIONES provinciales Eboracenses, per dominum VValterum Gray, quondam archiepiscopum Eboracensem.

Ex codice MS Bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

DEcretum Domini VValtery Gray, quondam archiepiscopi Eboracensis, Angliæ primatis, & Apostolicæ sedis legati, editum apud Eboracum, tempore visitationis suæ, tam ad honorem Dei, & ecclesiæ Eboracensis, ac omnium ecclesiarum per totam provinciam existentium, quam doctrinam, præsentem informationem, & memoriam omnium futurorum.

Cum plerumque inter rectores ecclesiarum, seu vicarios, in provincia Eboracensi constitutos, eorundemque parochianos, super variis ornamentis, rebusque ecclesiasticis, altercatio non modica sit exorta: ideo quanta, quæ, & qualia ad rectorem, seu vicarios ecclesiarum, per totam provinciam Eboracensem constitutos, sustentationem & reparationem pertineant, quæ autem ad parochianos eorum de rebus, ac ornamentis ecclesiasticis reparandis pertinere noscuntur, per subscripta, scilicet, Clericis omnibus elucescat. Et ideo ordinamus & statuimus, ut parochiani nostri omnes & singuli existant, sic docti in singulis subsequentibus, ut sciant & intelligant, atque observent totaliter universi: videlicet quod calix, missale, vestimentum ipsius ecclesiæ principale: videlicet casula, alba munda, amictus, stola, manipulus, zona, cum tribus tuellis, corporalia, & alia vestimenta pro diacono honesta, juxta facultates parochianorum & ecclesiæ, cum cappa serica principali, pro principalibus festis: & cum duabus aliis, pro choris regendis, in festis supradictis: crux processionalis, & alia crux minor pro mortuis: & feretrum pro mortuis: vas ad aquam benedictam: osculatorium, candelabrum ad cereum Paschale: thuribulum, lucerna cum tintinnabulo: velum quadragesimale: duo candelabra pro ceroferariis: De libris, legenda, antiphonare, graduale, psalterium, troparium, ordinale missale, manuale: frontale, ad magnum altare, tria superpellicia: pyxis pro corpore Christi honesta: vexilla pro rogationibus, campanæ magnæ cum chordis suis: fons lacer cum serura: chrismatorium, imagines in ecclesia, imago principalis in cancello, de quo sancto dedicatur ecclesia. Reparatio librorum & vestimentorum, quotiens contigerit emendari, cum omnibus supradictis. Luminare in ecclesia: Reparatio navis ecclesiæ, & constructio ejusdem, cum campanili, interius & exterius: scilicet fenestris vitreis, cum clausura cœmeteriorum, cum aliis navis ecclesiæ, & singulis aliis, quæ ad ipsos pertinere noscuntur.

Ad rectores vero, vel vicarios, juxta varias ordinationes, omnia alia pertinebunt: scilicet cancellus principalis, cum ejusdem reparatione, tam parietibus, quam tecturis, & fenestris vitreis eidem pertinentibus, cum descis & scammis, & aliis ornamentis honestis: ut cum Propheta cantare valeant: *Domine, dilexi decorem domus tuæ, &c.* cum manso rectoriæ, & ejus reparatione hinc inde: & alia, quæ non sunt scripta in libro hoc, noverint se rectores, vel vicarios a locorum ordinariis compelli posse, secundum constitutionem, & alias in hac parte probatas, &c.

ANNO CHRISTI CIRCITER 1250.

De decimis fœni, agnorum, lacticinii, molendinorum, pasturæ, piscariorum, apum, & lucri negotiationis.

QVoniam, propter diversas consuetudines in petendo decimam, propter diversas causas, inter rectores ecclesiarum & parochianos suos rixæ, & contentiones, scandala & odia permaxima oriuntur, volumus, quod in cunctis ecclesiis parochialibus, per archiepiscopatum vel archidiaconatum constitutis, uniformis sit petitio decimarum, & proventuum ecclesiasticorum, nisi parochiani competentem, pro talibus decimis, velint facere redemptionem.

Volumus etiam, quod decimæ de fœnis, ubicumque crescant, sive in magnis pratis, sive in parvis, sive in chevicis exigantur: & prout expedit, ecclesiæ persolvantur.

De nutrimentis animalium, volumus, si de agnis, quod pro sex & infra sex obolos dentur, pro septem septimus agnus, & supra semper detur pro decima: ita tamen, quod rector ecclesiæ, qui septimum agnum receperit, tres obolos det: denarium parochiano, qui nonum det obolum, vel expectet rector ecclesiæ usque ad alterum annum, donec possit decimum agnum habere, si maluerit: & qui ita expectabit, semper exigat secundum meliorem agnum, vel tertium ad minus de agnis secundi anni, & hoc propter expectationem primi anni: Et ita intelligendum est de decima lanæ.

Sed si oves alibi in hieme, alibi in æstate nutriuntur, dimidia datura est: similiter, si quis in medio tempore emit, vel vendiderit oves, & certum sit de qua parochia oves illæ venerunt, dividenda est decima, sicut de re, quæ adquiritur ex militia. Si autem incertum fuerit, habeat illa ecclesia, infra cujus limites, tempore tonsionis oves inveniuntur.

De lacte, volumus quod decimæ solvantur, dum durat: videlicet de caseo in tempore suo, & de lacte in autumno & in hieme, nisi parochiani competentem velint, pro decimis talibus, facere redemptionem, & hoc

ANNO CHRISTI 1250.

& hoc ad commodum ecclesiæ.

De provenientibus molendinorum, volumus, quod decimæ exigantur & solvantur, usque ad valorem proventuum faciant redemptionem.

De pasturis autem, & piscariis, tam communibus, quam non communibus, statuimus, quod decimæ fideliter persolvantur, & per numerum animalium & dierum, si expediat ecclesiæ.

De piscationibus autem & apibus, sicut de omnibus aliis bonis juste adquisitis, quæ renovantur per annum, statuimus, quod decimæ exigantur, & hoc debito modo. Statuimus autem, quod decimæ de artificibus, & mercatoribus, & lucro negotiationis, sive de arentaria, fabris, textricibus, & omnibus aliis stipendiariis; videlicet det decimas de stipendiis suis, nisi ipsi stipendiarii aliquod certum ad opus, vel ad lumen in ecclesia velint dare: & hoc, si rectori placuerit.

In petitione autem principalis legati volumus, quod consuetudo provinciæ cum possessione ecclesiæ observetur: ita tamen, quod rector ecclesiæ, si fuerit vicarius, seu capellanus annuus, Dominum habeat præ oculis.

Sed quoniam multi inveniuntur decimas dare nolentes: statuimus, quod parochiani admoneantur semel, secundo, & tertio, ut decimas Deo & ecclesiæ solvant; quod si non emendaverint, primo ab ingressu ecclesiæ suspendantur, & sic demum, ad solutionem, per censuram ecclesiasticam si necesse fuerit, compellantur. Sed cum dictæ suspensionis relaxationem & absolutionem petierint, ordinariis locorum mittantur absolvendi, & debito modo puniendi. Rectores ergo ecclesiarum, seu vicarii, capellani annui, qui prædictas decimas modo præscripto, seu propter formidinem hominum, seu favorem, Dei timore postposito, cum effectu non petierint, pœna suspensionis involventur, donec dimidiam marcam, propter inobedientiam, archidiacono loci persolverint.

ANNO CHRISTI 1252.

** CONCILIUM EBORACENSE.

De ornamentis ecclesiæ, ab eodem VValtero Gray, incerto anno celebratum.

Ex MS codice bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

Decretum domini VValteri Gray archiepiscopi Eboracensis, Angliæ primatis, & Apostolicæ sedis legati, editum apud Eboracum tempore visitationis suæ, tam ad honorem Dei & ecclesiæ Eboracensis, ac omnium ecclesiarum per totam nostram provinciam existentium, quam doctrinam præsentium, informationem & memoriam omnium futurorum.

Cum plerumque inter rectores ecclesiarum seu vicarios, in provincia Eboracensi constitutos, eorumdemque parochianos, super variis ornamentis rebusque ecclesiasticis, altercatio non modica sit exorta: & ideo, quanta, quæ, & qualia, ad rectores seu vicarios ecclesiarum, per totam provinciam Eboracensem constitutos, sustentationem & reparationem pertineant; quæ autem ad parochianos eorundem, de rebus ac ornamentis ecclesiarum reparandis pertinere noscuntur, per subscripta, sole clarius omnibus elucescat. Et ideo ordinamus & statuimus, ut parochiani nostri omnes & singuli existant sic docti in singulis subsequentibus, ut sciant & intelligant atque observent totaliter universi; videlicet quod calix, missale, vestimentum ipsius ecclesiæ principale: videlicet casula, alba munda, amictus, stola, manipulus, zona, cum tribus touvellis, corporalia & alia vestimenta, pro diacono & subdiacono honesta, juxta facultates parochianorum & ecclesiæ, cum cappa serica principali pro principalibus festis, & cum duabus aliis pro choris regendis in festis supradictis: crux processionalis, & altera crux minor pro mortuis: & feretrum pro mortuis: vas ad aquam benedictam, osculatorium, candelabrum ad cereum Paschale, thuribulum, lucerna, cum tintinnabulo, velum quadragesimale: duo candelabra pro ceroferariis. De libris, legenda, antiphonale, graduale, psalterium, troparium, ordinale, missale, manuale: frontale ad magnum altare, tria superpellicia, pyxis pro corpore Christi honesta: vexillum pro Rogationibus, campanæ magnæ cum chordis suis: fons sacer, cum serura: chrismatorium, imagines in ecclesia: imago principalis in cancella, de quo dedicatur ecclesia: reparatio librorum & vestimentorum quoties contigerint emendari, cum omnibus supradictis lin . . . . in ecclesia: reparatio navis ecclesiæ & constitutio ejusdem, cum campanili interius & exterius, scilicet fenestris vitreis, cum clausura cœmeteriorum, cum aliis navis ecclesiæ, & singulis aliis, ad ipsos parochianos pertinere noscuntur.

Ad rectores vero vel vicarios, juxta varias ordinationes, omnia alia pertinebunt: scilicet cancellus principalis, cum ejusdem reparatione, tam parietibus quam tecturis & fenestris vitreis eidem pertinentibus, cum descis & scamnis, ac aliis ornamentis honestis, ut cum propheta cantare valeant: *Domine dilexi decorem domus tuæ, &c.* cum manso rectoriæ, & ejus reparatione hinc inde, & alia quæ non sunt scripta in libro hoc, noverint se rectores vel vicarios a locorum ordinariis compelli posse, secundum hanc constitutionem, ac alias in hac parte probatus, &c.

ANNO CHRISTI 1252.

** CONCILIUM SENONENSE,

Cujus autoritate admonitus est Theobaldus Navarræ rex & Campaniæ comes, ut bonis ecclesiasticis cederet, anno Domini M CC LII.

Hujus synodi nihil extat præter monitionem ipsam, cujus exemplum ex regio tabulario petitum subjicio.

Monitio concilii Theobaldo regi Navarræ & Campaniæ comiti.

Gilo Dei gratia Senonensis archiepiscopus, M. [1] Carnotensis. R [2] Parisiensis. G [3] Aurelianensis. G [4] Autissiodorensis. P [5] Meldensis, & N [6] Trecensis, eadem gratia episcopi, Christianissimo in Christo illustri viro Th. [7] Dei gratia regi Navarræ, Campaniæ & Briæ comiti palatino, salutem, & sinceram in Domino caritatem.

1. Matthæus. 2. Reginaldus. 3. Guillelmus. 4. Guido. 5. Petrus. 6. Nicolaus. 7. Theobaldo.

Cum alias ex parte concilii provincialis Senonensis, per litteras nostras monitorias vos requisierimus & rogaverimus, ut ea quæ de bonis ecclesiasticis a quadraginta annis citra acquisitis saisiri feceratis, desaisiri faceretis: & preces & monitio prædictæ nondum fuerint a vobis effectum aliquem consecutæ; sed magis ac magis de die in diem adhuc incessanter in potestate Campaniæ saisiantur, necnon & alia multa gravamina ecclesiis & personis ecclesiasticis earumque hominibus inferantur contra immunitatem ecclesiæ, & ecclesiasticam libertatem, prout vobis Magister Ioannes de Vernolio nuncius noster ad hoc specialiter destinatus plenius explicabit: serenitatem vestram tenore præsentium & per prædictum nuncium autoritate prædicti concilii rogandam duximus & monendam, ut saisita desaisiri faciatis, quousque de jure vestro constiterit

ANNO CHRISTI 1252.

evidenter, & a prædictis gravaminibus desistatis, & vestros ministeriales desistere faciatis. Licet enim honori & personæ vestræ in quantum possemus deferre velimus: omittere tamen non possumus, nec debemus, quin oppressioni ecclesiarum, prout juris est, succurramus. Sciatis pro certo quod jus vestrum absorbere non volumus, sed potius ipsarum ecclesiarum indemnitatibus, quantum cum Deo possumus, subvenire.

Datum Parisius die Veneris post festum S. Martini hyemalis, anno Domini MCCLII. *cum* VII. *sigillis*.

ANNO CHRISTI 1253.

*** CONCILIVM APVD SALMVRVM, A PETRO ″ DE LAMBALLE TVRONENSI ARCH. & suffraganeis celebratum, anno Domini MCCLIII.

″ *al.* aIuhello, *sed male, Iam enim Remensis archiepiscopus ex Turonensi factus erat.*

Ex duobus MSS. collegii Parisiensis S. I: quorum alterum dedit V. Cl. Ægid. Menagius.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *De celebratione Divinorum officiorum.*

NOs sanctorum canonum & prædecessorum nostrorum volentes servare statuta, & ea quæ visitando provinciam Turonensem, correctione novimus indigere, corrigere cupientes: vocatis venerabilibus fratribus, Turonensis provinciæ episcopis, ac aliarum ecclesiarum prælatis apud Salmurum, de dictorum fratrum consilio duximus statuendum, ut in locis collegiatis, & maxime in cathedralibus, dicantur horæ canonicæ horis debitis, cum omni devotione, solenniter, & devote: nec prius psalmi versiculum una pars chori incipiat, quam ex altera præcedens psalmi versiculus finiatur.

II. *De custodia sacramentorum.*

Verum cum a sanctis patribus sit statutum, ut corpus Christi sub honesta & fida custodia reponatur; & in aliquibus partibus Turonensis provinciæ illud minus decenter invenerimus custoditum: statuimus ut archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, ad quorum officium dignoscitur pertinere, cum omni cura & solicitudine illud faciant, & procurent sanctuarium, fontes, oleum, & sanctum chrisma, clavibus adhibitis custodiri, & per loca populosa, & maxime civitates, venerabiliter deferri.

III. *Qualiter, & per quos, corporalia, &c. sunt abluenda.*

Præcipimus etiam, ut prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, faciant & procurent per sacerdotem aut diaconum superpellicio indutũ corporalia sæpe ablui, & in vase mundo ad hoc specialiter deputato, omnes ablutiones, si fieri potest, vel saltem primam, in piscina reponi; & ut altaris linteamina, indumenta sacerdotalia, ab aliqua honesta matrona vel virgine, sine appositione aliorum pannorum, quotiens opus fuerit, abluantur; & munda, & integra serventur, cum in pluribus parochialibus ecclesiis provinciæ Turonensis immunda & dirupta a nobis & a nostris sociis sint reperta.

IV. *De scribendo in quaternis res & bona ecclesiarum per archidiaconum.*

Statuimus autem quod concilium apud Vallem Guidonis a felicis recordationis Gaufrido ″ prædecessore nostro provida fuit deliberatione statutum, de libris, vasis, vestimentis, & aliis ornamentis, & redditibus ecclesiarum, in quaternis archidiaconorum ″ scribendis, ab archidiaconis inviolabiliter observentur. Quod si circa prædicta omnia & singula prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales

″ *Gaufridus ille electus est Turon. archiepisc. an.* 1207. *obiit an.* 1208.

″ *al.* archivorum

ANNO CHRISTI 1253.

ANNO CHRISTI 1253.

rurales, prout ad eos spectare dignoscitur, negligentes fuerint aut remissi, & de hoc constare poterit: a diœcesano loci, ab officio suspendantur. Nec prius relaxetur sententia, nisi solutis decem solidis pro qualibet ecclesia, in qua eorum negligentia aut incuria in præmissis poterit reperiri, per diœcesanum loci in usus fabricæ matricis ecclesiæ convertendis.

V. *De archidiaconis, archipresbyteris, & decanis ruralibus, ad ordines promouendis.*

B Item cum sacris constitutionibus caveatur, ut archidiaconi fiant diaconi; & archipresbyteri, presbyteri: autoritate præsentis concilii sancimus, ut prædicti archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, ad prædictos ordines infra annum suscipiendos, prout eorum requirit officium, a suis diœcesanis per subtractionem beneficiorum monitione canonica compellantur: & talibus conferantur, qui infra annum a tempore suscepti beneficii velint, sciant, & valeant, in ordinibus quos requirit eorum dignitas deservire.

VI. *Ne lites in ecclesiis vel earum porticibus agitentur.*

C Inhibemus districtius, ne causæ de cætero coram quibuscumque judicibus ordinariis, aut delegatis eorum, in ecclesiis aliquibus, & præcipue in cathedralibus, aut earum porticibus, agitentur: cum propter litigantium clamores frequenter Divinum impediatur officium, & ob eorum rixas & discordias quandoque sanguinis effusio, homicidia, & alia mala, in ipsis ecclesiis ante earum faciem perpetrentur.

D VII. *Vt archidiaconi & alii præsentibus episcopis sua placita non teneant.*

Prohibemus, ne quis archidiaconus, archipresbyter, aut alii minores prælati jurisdictionem ecclesiasticam habentes, causas audiant, seu placita teneant, præsentibus episcopis suis: sed longe ab ipsis faciant super his, quod viderint expedire.

VIII. *Vt archidiaconi & alii extra ciuitatem officiales non habeant, & de quibus causis non cognoscant.*

E Cum olim a prædecessoribus nostris, in Castri Gonterii[1] & Vallis Guidonis[2] conciliis, sit statutum ne archidiaconi, archipresbyteri, seu decani rurales, & alii minores jurisdictionem ecclesiasticam habentes, extra civitatem officiales seu allocatos habeant, sed extra civitatem in propriis personis suum diligenter expleant officium; & ne dicti archidiaconi, archipresbyteri, &

1. an. 1231. can. 12. 2. an. 1242. can 4. Et concil. Turon. an. 1239. c. 8.

A decani rurales, de causis matrimonialibus, simoniæ, & aliis quæ degradationem vel amissionem beneficii, seu depositionem exigunt, cognoscerent, nisi de sui pontificis mandato speciali; alias processus habitus coram ipsis nullius esset momenti; & hæc invenerimus in Turonensi provincia minime custodita: autoritate præsentis concilii omnibus & singulis fratribus & coëpiscopis nostris injungimus, ut omnia prædicta sine diminutione faciant a subditis inviolabiliter observari, præfatum per se statutum, vel per alios, in ecclesiis parochialibus suæ diœcesis publicantes.

IX. *De procurationibus.*

Non sine radice cupiditatis procedit quod nonnulli prælati provinciæ Turonensis, in prioratibus & ecclesiis, procurationem, aut aliquid nomine procurationis, recipiunt in pecunia numerata; & nihilo minus subditos ad eos in eisdem locis procurandos compellunt, sic ab eis procurationem duplicem exigendo. Quod fieri districtius prohibemus. Cum ratione visitationis debeatur procuratio: inhibemus districte præcipientes, ut nullus procurationem recipiat, nisi a locis dumtaxat visitatis.

X. *De numero canonicorum statuendo, & sectionibus præbendarum non faciendis.*

Innovamus statutum in concilio Castri Gonterii[a] editum de certo canonicorum numero in ecclesiis statuendo, in quibus certus numerus minime erat statutus: & ne ecclesiarum aut præbendarum fierent sectiones, sed cum omni integritate conferrentur, & ne aliquis ad vacaturam instituer etur præbendam: præcipientes illud statutum inviolabiliter in omnibus suis articulis observari. Et quoniam decretum est in eodem, id quod contra fieret non tenere; & quidam de facto, cum de jure non possent, sectiones ecclesiarum fecerint, & etiam præbendarum: quatenus contra prædicta statuta est factum, irritum revocamus.

a. an. 1231. can. 6.

XI. *Ne illegitimi ad canonicatum cathedral. recipiantur.*

Statuimus ne aliquis in canonicum ecclesiæ cathedralis recipiatur, nisi sit de legitimo matrimonio procreatus.

XII. *De subsidio.*

Statuimus ne prælatus aliquis a subditis subsidium exigat, nisi necessitas ex causa manifesta & rationabili hoc exposcat: & tunc cum caritate recipiat moderatum.

ANNO CHRISTI 1253.

XIII. *De pensionibus non imponendis.*

Licet filii a parentibus nutriri debeant: aliquando tamen contrarium in aliqua parte provinciæ Turonensis invenitur, cum a prælatis quibusdam rectores ecclesiarum adeo novarum impositione pensionum graventur, quod vix de residuo bonorum earumdem remaneat unde valeant sustentari: quod multum longe a paterna pietate videtur. Verum cum pensiones in Lateranensi concilio reprobentur, nos paupertati prædictorum rectorum compatientes, & prædicti concilii adhærentes * statuto, pensiones de novo impositas in dictis ecclesiis sine justa & rationabili causa, de fratrum nostrorum consilio duximus revocandas: injungentes locorum diœcesanis, ut prædictos rectores non permittant a talibus pensionariis molestari. Licet etiam de solvendis prædictis pensionibus juramento sint astricti: præcipimus, ut prædicti pensionarii per diœcesanos ad remissionem præstiti juramenti faciendam per censuras ecclesiasticas compellantur.

* al. addentes

XIV. *Ut regulares cogantur observare sibi præscripta in litteris pontificum.*

Cum super statu religiosorum ipsis per summum pontificem ad plenum sit provisum, præcipimus omnibus abbatibus, prioribus, præpositis, ac bailivis, universos ac singulos articulos, prout in litteris summi pontificis continentur, ab abbatibus, prioribus, præpositis, bailivis, monachis claustralibus ac conversis, inviolabiliter observari: injungentes in virtute obedientiæ singulis locorum diœcesanis, ut si prædicti abbates, priores, præpositi, bailivi, aut monachi claustrales, circa observantiam prædictorum negligentes extiterint, aut remissi, pœnas in eisdem litteris comprehensas eisdem infligere non postponant.

XV. *Ut eædem litteræ habeantur in singulis abbatiis materna lingua expositæ.*

Præcipimus etiam in virtute obedientiæ, ut singuli abbates in singulis suis abbatiis litterarum transcriptum habeant prædictarum, & earum tenorem lingua materna exponant, & exponi faciant diligenter.

XVI. *Ut monachi possessionem non habeant.*

Statutum editum apud Castrum Gonterii *, ne monachi, nisi sint in administratione constituti, habeant aliquo colore possessionem, vel aliquam proprietatem, etiam de licentia abbatum, cum licentia abbatis eis in hoc non valeat suffragari; & quia abbates, si contra prohibitionem istam fecerint, per superiorem gravissime puniantur: præsenti concilio duximus innovandum.

* an. 1231. c. 26.

XVII. *Ne religiosi sæcularia placita audiant.*

Item inhibemus ne religiosi, baronum, militum, aut aliarum sæcularium potestatum causas aut placita audire, aut de his intromittere se præsumant.

XVIII. *Ne sæcularibus dentur loca religiosa.*

Statuimus ne abbates religiosa loca, etiamsi solitaria fuerint, ad tempus, aut quoad vixerint, laïcis concedant: sed talibus conferant, quod prædicta loca debito servitio * non fraudentur.

* officio

XIX. *Ut suppleatur antiquus numerus monachorum.*

Provideant episcopi solicite, prout invenimus a piæ memoriæ Gaufrido prædecessore nostro statutum, & male ab abbatibus custoditum, quod in prioratibus, monachis aut clericis concessis, suppleatur antiquus numerus monachorum: ad quem supplendum & reponendum, abbates per diœcesanum loci censura ecclesiastica, si necesse fuerit, compellantur: nisi aliquid rationabile proposuerint & probaverint, per quod ab hoc, merito debeant excusari.

XX. *Ut abbates novas pensiones prioratibus non imponant.*

Abbates antiquis pensionibus prioratibus impositis sint contenti, nec novas in eisdem attentent imponere, seu antiquas etiam augmentare. Et si quæ de novo ab eis vel prædecessoribus suis sint impositæ, præcipimus ut ad eas revocandas, & remittendas, per proprium episcopum compellantur.

XXI. *Ne prioratus vacantes, bonis suis denudentur.*

Item statuimus ne abbates, cum contingit priores suos cedere, aut decedere, prioratus bonis suis audeant denudare, sed saltem tantum de prædictis bonis, futuris prioribus dimittant, quod ipsi fratres & familia, usque ad futuram collectam, de eisdem competenter sustentari valeant, & domus prioratuum refici, & in statu debito conservari.

XXII. *Ne quis depositum faciat extra suam ecclesiam aut monasterium.*

Prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis abbas, prior, vel alia religiosa persona, depositum faciant extra suam ecclesiam, monasterium, aut prioratum.

XXIII.

ANNO CHRISTI 1253.

A

XXIII. *Ut ecclesiastici mercimonialia non exerceant.*

Item prohibemus districte, ne prælati, sacerdotes, vel alii clerici beneficiati, mercimonialia, vel alios turpes contractus ineant, vel exerceant per se, vel per alios, nec partiantur in talibus, vel societatem" de talibus contrahant, cum frequenter sub colore tali usuræ gravissimæ committantur.

" vel scienter de t.

XXIV. *Ut iudices ecclesiastici potestatem citandi, sine litteris pluribus indistincte non committant.*

Item quia nonnulli judices ecclesiastici cupiditate ducti, discurrendo per suas diœceses, seu archidiaconatus, vel archipresbyteratus, seu etiam decanatus, singulis presbyteris sibi subjectis, vel pluribus eorum, potestatem citandi quos voluerint committunt, cum per hoc tot videantur habere judices vel allocatos, quot sunt pro tempore citatores: ne hoc de cætero fiat, statuimus & prohibemus.

XXV. *De perturbatoribus iurisdictionis ecclesiasticæ.*

Inhibemus etiam sub pœna excommunicationis, isto sacro approbante concilio, ne quis jurisdictionem impediat ecclesiasticam, & ne minis aut terroribus, seu per captionem rerum aut corporum, litigantes super rebus ad forum ecclesiasticum spectantibus, revocet a foro prædicto, cum per viam istam rigor ecclesiasticus, & jurisdictio nequiter enervetur: præcipientes singulis diœcesanis, ut prædictum statutum per ecclesias parochiales faciant publicari, & illos qui contra fecerint, monitione præmissa, excommunicatos publice nunciari.

XXVI. *Ut non impediatur executio sententiarum.*

Item cum nonnulli volentes arctare & diminuere jurisdictionem ecclesiæ, sententias latas a judicibus ecclesiasticis executioni demandare recusent, & penitus renuant"; sive etiam prædictas executiones, per alios qui non sunt de jurisdictione judicum, impediri faciant & procurent & affectent: cum nihil prosit litigantibus, si feratur pro ipsis sententia, si non demandetur executioni: prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis de cætero talia attentare præsumat, præcipientes, ipsos qui contra fecerint, legitima monitione præmissa publice denunciari excommunicatos.

" al. remittant

XXVII. *De clandestinis matrimoniis.*

ANNO CHRISTI 1253.

Item cum per matrimonia clandestina, a sanctis patribus non sine causa prohibita, frequenter conjungantur non conjungendi, & præter detrimentum animarum quod incurrunt sic convicti, rixæ, contentiones, & guerræ inter consanguineos & alios oriantur, & quandoque committantur homicidia: prohibemus firmiter, ne fiant hujusmodi clandestina matrimonia: statuentes isto sacro concilio consentiente, ut personæ ecclesiasticæ, presbyteri, & alii clerici, qui talibus matrimoniis intersint, vel suis ecclesiis seu capellaniis talia fieri permittant, officiis & beneficiis per triennium ipso facto sint suspensi: necnon personæ taliter contrahentes, ad arbitrium suorum episcoporum pecuniaria pœna puniantur.

B

XXVIII. *De commendis ecclesiarum.*

Item nonnulli episcopi, & alii prælati, propriis lucris & commodis suorum inhiantes, ecclesias parochiales, quæ proprios possunt habere sacerdotes, clericis & aliis personis ecclesiasticis, habentibus alias ecclesias parochiales, vel competenter beneficiatis, ut possint eos pluribus onerare beneficiis, commendant unam, vel duas ecclesias parochiales, in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum: ut sic habeant commendatas, quas secundum canones habere non possunt intitulatas: quod fieri de cætero prohibemus: statuentes, ut qui taliter ecclesias commendatas recepit, vel de cætero receperit, careat ecclesia sic commendata; & conferens, potestate conferendi illam ecclesiam illa vice sit privatus.

C

D

XXIX. *Ut episcopus ecclesias parochiales non applicet mensæ suæ: & ne in earum collatione novas pensiones sibi retineat.*

Item cum cultus Divinus ampliari debeat, non arctari: nonnulli episcopi ecclesias parochiales in redditibus abundantes, quæ plures possent habere servitores, diminuto vel arctato numero servitorum, prædictas ecclesias appropriant mensæ suæ, licet sufficiens sit, vel debeat sufficiens reputari, sic temporale spirituali præferendo. Quod fieri de cætero prohibemus, nisi cum consilio metropolitani, & assensu capituli proprii. Quod si aliter factum fuerit, illud ex tunc denunciamus irritum & inane. Et ne in ipsa collatione parochialium ecclesiarum novas sibi retineant pensiones, vel antiquas, quas in ecclesiis prædictis percipiunt, augmentare præsumant. Quod a quibusdam minus caritative factum esse

E

ANNO CHRISTI 1253.

dicitur, firmiter prohibemus: illud quod A contra factum fuerit, irritum decernentes.

XXX. *Ne clericus leget aliquid filio spurio, vel concubinæ.*

Item innovamus concilium Turonense, quod est tale: Præsentis autoritate concilii prohibemus, ne quis beneficiatus clericus, vel in sacris ordinibus constitutus, aliquid legare præsumat filio spurio, seu propriæ concubinæ, in ultima voluntate. Quod si fecerit, non valeat: sed ecclesiæ appli- B cetur.

XXXI. *De præbendis sacerdotalibus.*

Statuimus, ut omnes habentes sacerdotales præbendas in cathedralibus, vel collegialibus ecclesiis, ibidem in ordine sacerdotali deserviant, aut per diœcesanum illis priventur, & aliis conferantur, qui velint & possint in eodem ordine deservire.

XXXII. *Vt statuta provincialia prædecessorum suorum observentur.* C

Districte præcipimus sub pœna excommunicationis, omnia statuta provincialia prædecessorum nostrorum ab omnibus inviolabiliter observari.

Actum in pleno concilio apud Salmurum, in abbatia beati Florentii, die Martis, post festum beati Andreæ apostoli, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio.

G.C. Concilium hoc Ioannes Maanus v. cl. ad calcem Metropolitanæ suæ Turonensis, tribuit anno MCCXLIII. Ego vero anno MCCLIII. ex duorum MSS. fide, & aliorum quæ vidit L. Bochellus, quem in hoc quoque autorem sequor. D

ANNO CHRISTI 1253.

*** CONCILIVM APVD CASTRVM GONTERII.

A Petro de Lamballe, archiepisc. & suffraganeis celebratum anno Domini M CC LIII.

CANON VNICVS.

De abusoribus litterarum apostolicarum.

QVoniam quamplures non observantes constitutionem Gregorii IX. papæ, quæ in novis decretalibus in titulo de rescriptis ultima inscribitur, & incipit, E *Quia nonnulli*, multos contra ipsius constitutionis tenorem vexare præsumunt: nos autoritate provincialis [a] concilii excommunicamus omnes illos, qui a Pascha proxime venturo in antea, talia præsumpserint attentare. Si vero vexatus contra tenorem constitutionis ejusdem, [b] vexatorem suum in causam duxerit vel traxerit contra ipsius constitutionis tenorem, ipsum hujusmodi excommunicationis sententia volumus non ligari. Et ne per ignorantiam in hac parte se possit aliquis excusare: præcipimus hæc omnia supradicta in parochialibus ecclesiis denunciari publice singulis diebus Dominicis ac festivis.

[a] al. præsentis concilii

[b] al. in partem vexatorem, sed non in totum duxerit, vel tr.

Actum apud Castrum Gonterii in concilio provinciali, anno gratiæ millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio.

ANNO CHRISTI 1254.

VITA ET EPISTOLÆ ALEXANDRI PAPÆ IV.

ALexander quartus, cui, teste abbate Stadensi, Rainaldi, vel, ut habet Onuphrius, Rolandi nomen fuerat, patria Anagninus, nobili comitum Signiæ familia natus, Innocentii tertii & Gregorii noni, a quo cardinalis creatus est, propinquus, ex episcopo Ostiensi & Veliterno, decimoquinto die post obitum Innocentii, evectus est in thronum apostolicum & cathedram Petri, 25. Decembris, ipso die nativitatis Christi, anno salutis humanæ 1254. regnante Vvilielmo Hollandiæ comite, quem coronæ imperialis accipiendæ gratia Romam abiturientem Frisones anno septimo regni occiderunt. Manfredum, qui sibi titulum regni Neapolitani usurpaverat, anathematizavit. Ad Venetos Philippum Fontanesium Ravennatem archiepiscopum misit, qui contra Ezelinum tyrannum prædicaret. Post aliquot tandem obtentas victorias eo mortuo, tum demum res Syriæ Alexandro cordi esse cœperunt: quas tamen ad exitum deducere non potuit, propter dissensionem inter Venetos & Genuenses exortam, unde gravissimum bellum secutum est. Alexander igitur tanto malo occurrere ac mederi ex paterna commiseratione desiderans, ubi sanctam Claram ordinis sancti Francisci inter divos retulisset, omnem operam ad componendam pacem inter eos adhibuit. Verum tam gravibus implicatus curis, obiit VIII. Kalendas Iunii, anno Domini 1260. cum sedisset annos sex, menses 5. dies 13. Henricus Stero in annalibus suis ait, eum Viterbii VIII. Kalendas Iunii anno 1261. defunctum esse. Corpus ejus ad ecclesiam sancti Laurentii delatum est. Erga pauperes adeo propensus fuit, ut libros aliquos contra eos descriptos improbaverit. Epistolas decretales scripsit. Viros doctos maximo favore prosecutus semper magnifecit: inter cæteros Henricum a se cardinalem Ostiensem factum. Egregia aliquot ædificia extruxit: &, ut multa paucis dicam, suavem post obitum sui memoriam reliquit. Sedes morte ejus tribus mensibus & quatuor diebus vacavit.

EPISTOLA I.

ALEXANDRI PAPÆ IV.

AD SCHOLASTICVM ARGENTINENSEM.

De novalium decimis.

Alexander episcopus servus servorum Dei dilecto filio Scholastico Argentinensis ecclesiæ salutem & apostolicam benedictionem.

EXhibita nobis dilectorum filiorum prælatorum ac religiosorum, & cleri Coloniensis, civitatis, & diœcesis petitio continebat, quod cum aliquas terras incultas earumdem civitatis & diœcesis contingit redigi ad culturam, nobiles viri comes de Monte, & VValeramus frater comes Iuliacensis, ac quidam alii dictarum civitatis & diœcesis, asserentes ad se decimas novalium hujusmodi pertinere, illas pro suæ voluntatis libito occupant, & contra justitiam detinent occupatas. Cum itaque dominus in signum universalis

lis dominii sibi decimas reservarit, discretioni tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus, si tibi constiterit ita esse, prædictos nobiles & alios, quod hujusmodi decimas novalium eisdem ecclesiis exhibeant, & illas ab eis permittant pacifice possideri, monitione præmissa, per excommunicationis in personas, & in terras eorum interdicti sententias, appellatione remota, prævia ratione compellas: non obstante, si aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod excommunicari non possint, & terra ipsorum supponi ecclesiastico interdicto, per litteras apostolicas, quæ de indulto hujusmodi plenam & expressam non fecerint mentionem, & constitutione de duabus diætis edita in concilio generali: ita quod ultra tertiam vel quartam aliquis extra suam diœcesim autoritate præsentium ad judicium non trahatur. Data Anagniæ xv. Kalendas Septembris, pontificatus nostri anno primo.

II. AD HENRICUM CHYMENSEM EPISCOPUM.

Philippus Saltzburgensis electus, jam per decem annos nolens ordinem presbyterii ac episcopalem suscipere consecrationem, ab Alexandro papa deponitur, & Ulricus Secovvensis episcopus ei subrogatur.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Chymensi episcopo salutem & apostolicam benedictionem.

In contemptum veniens Philippus, quondam Saltzburgensis ecclesiæ electus, nimis videtur a se timorem Domini & hominum reverentiam abjecisse, dum adhuc munitiones & castra, & quædam alia bona ipsius ecclesiæ, sua detinet potestate: quasi non suffecerit dictam tenuisse ecclesiam, in suam & multorum perniciem, tanto tempore viduatam. Errata igitur dicti Philippi corrigi misericorditer cupientes, fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum ex parte nostra moneas attentius, & inducas, ut prædicta omnia venerabili fratri nostro Saltzburgensi archiepiscopo, vel alii eius nomine, sine qualibet difficultate resignet. Alioquin, cum ferro abscindenda sint vulnera quæ fomentorum non sentiunt medicinam, tam eum quam alios, qui eadem ejus nomine detinent, ad id per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Contra quos, si necesse fuerit, omnium suffraganeorum, ministerialium, & vassallorum ejusdem ecclesiæ auxilium invoces, ut super his tibi & ipsi archiepiscopo fuerint requisiti; suffraganeos ipsos ad hæc autoritate nostra, ministeriales vero & vassallos eosdem per privationem feudorum quæ tenent ab ipsa ecclesia, monitione præmissa, ratione prævia coarctando. Datum Viterbii II. Nonas Decembris, pontificatus nostri anno III.

III. AD ARCHIEP. SALTZBURGENSEM ET SUFFRAGANEOS.

Eos hortatur ad officium episcopale exequendum, & abusus reformandos.

Alexander episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus ar. chiepiscopo Saltzburgensi, ejusque suffraganeis, nec non & dilectis filiis abbatibus, alisque ecclesiarum prælatis ordinariam in subditos obtinentibus potestatem per Saltzburgensem provinciam constitutis, tam exemptis quam non exemptis, salutem & apostolicam benedictionem.

Si vere, quod dicitur, pastores ovium Christi sumus, non impavide ferre possumus terribiliter intonantia nostris sensibus contra pastoralis curæ negligentiam sacrarum oracula scripturarum, quæ determinata dominici gregis in præsidentium desidiam retorquentes, minaciter inclamant pereuntium sanguinem de præpositorum manibus exigendum. Quis nostrum non contremiscat & paveat, dicente ad pastores gregis sui Domino per prophetam: *Dispersistis gregem meum; ejecistis, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos vestrorum malitiam studiorum.* (Ierem. 23.) Pavet utique ad hos increpationis interminationisque Divinæ sermones idem ipse propheta, dum dicit: *A facie Domini, & a facie sanctorum verborum ejus conturbatum est cor meum: in medio mei contremuerunt omnia ossa mea.* (Ierem. 23.) O formidolosa speculatorum, quos populo dispensatio Divina præposuit, & periculosa conditio, si perfunctorie res agatur, si eo modo in solicitudine commissa non militent, quo summus præcipit imperator, si sibi & universo gregi, cui eos Deus custodes & episcopos constituit, non attendant. His præcipue horrendum erit illud humanorum operum finale judicium, omnibus in commune tremendum: in quo etsi unusquisque de proprii corporis actionibus districto sit subjiciendus examini, ut recipiat prout gessit: nobis tamen, quibus papalis cura commissa est, non sufficiet propria innocentia sine cumulo justitiæ subditorum: quando negligentis ministri pigritiam per "consequens austerus injunctæ servitutis exactor, delicta plebis impinget reatui prælatorum. (" f. persequens) Si enim qui de unico talento sibi credito satis fenoris non reportabit augmentum, tamquam inutilis servus & piger justæ damnationis periculum sustinebit: quam durum putatis judicium fiet illi, qui commissum sibi pluralem numerum viventium talentorum non solum integrum neglexerit reddere creditori, verum etiam in illa districtione probabitur damnum domino suo in bonis, quæ ab ipso multiplicanda susceperat, intulisse. Propterea, fratres & filii, qui fasces pontificalis officii & ecclesiastici ministerij subeundo, defixistis pro animabus creditis apud extraneum manus vestras: festinate quæsumus liberari ab illo qui supremus est actor & judex, nullum nobis de allegationis nitore præsidium relicturus. Discurrite, nec cessetis, ne fiant animæ vestræ pro illis, quos in custodiam sub tanto vadimonio suscepistis. Excitet vos summi pastoris amor, qui nos pascendis rationalibus ovibus dedicavit. Exterreat corda vestra & corporis somnum depellat ab oculis metus periculi, eis procul dubio, qui supra greges suos vigiles non observant excubias, imminentis. Sed ecce letalis incuriæ sopor, pastoralis vitæ vigilantiam, quod gementes dicimus, oppressisse videtur in plurimis, prout testatur nimia de plerisque regionibus clamans Christiani populi corruptela: quæ cum deberet ex sacerdotalis antidoti curari medelis, invalescit, proh dolor, ex malorum contagione, quod procedit a clero, ita ut alicubi verum sit quod & prophetica querela testatur: *Factus est*, inquiens, *sicut populus, sic sacerdos.* (Isai. 24) Malitia namque dierum labentium, quæ cum tempore corrupit & mores, dante quam plurimis ex impunitate audacem semper & in deteriora proclivem infrenis licentiæ libertatem, nonnulli clerici præcipiti lubricæ voluptatis arbitrio laxas committentes habenas, post carnis suæ concupiscentiam abierunt, & relegata pene penitus a conversatione vitæ suæ clericalis munditie & honestate, tenent etiam in conspectu populi concu-

cubinas, cum quibus impudicæ frontis irreverentiam induentes, fœdas manus & fœtidas, quas sordidis libidinosæ coinquinationis fœtibus immiserunt, non erubescunt, in suum periculum & ruinam populi, sacris ministeriis immiscere, a quibus ob publici concubinatus insaniam, quæ nulla tergiversatione sceleris, vel secundum scita canonum, tam quoad se, quam ad alios, sunt suspensi: & ne quis talium Missam audire præsumat, arctius in eorum contemptum canonicæ autoritatis constitutio interdicit. Per tales maxime nomen Domini blasphematur in terris: per tales derogatur sacramentis fidei orthodoxæ, cum vasa Domini pollutis eorum manibus profanantur. Per tales ergo perdit religionem catholicam devotio reverentiæ Christianæ: per tales decipitur populus in Divinis, & ecclesiastica substantia dissipatur: hinc detrahitur verbo Dei, dum immundis labiis talium nunciatur: hinc hæretici mussitant & insultant: hinc tyranni sæviunt: hinc perfidi persequuntur: hinc grassantur audacius in Christi patrimonio sacrilegi exactores: a quibus, proh pudor, ob hujusmodi carnes putridas, quas disciplinalis mucro non resecat, sicut decet, sincerum catholicæ matris corpus in ostentum ducitur & contemptum. Profecto patres qui hujusmodi filios sub dissimulationis conniventia fovent impune, etiamsi cum Heli sacerdote sunt boni, forsitan in seipsos merito pro consimilis negligentiæ malo, repentina patris interitus ruina dejiceret de sella retrorsum. Ecclesiæ quoque principes, qui zelo Phinees ardenter non feruntur in tales, sine causa videntur portare gladium potestatis, quem ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, desuper acceperunt. Nos igitur cupientes tantum malum de medio ecclesiæ, tantumque scandalum ab oculis fidelium removere, universitatem vestram rogamus, monemus, & hortamur, autoritate nostra vobis per apostolica scripta in virtute injungentes, ac vos singulos sub obtestatione tam judicii singularis, quo quisque citatur ad Dominum de corpore mortis hujus, quam judicii generalis, in quo universi stabimus ante tribunal æterni judicis, obsecrantes quatenus in vobismetipsis curetis ostendere, quam pie ad Dominum, quam sancte ad seipsos, quam juste ad proximos oporteat cæteros in Dei ecclesia conversari. Totius namque familiæ status & ordo vacillat, si quod requiritur in membris, in eorum capite non habetur: & in ejus ore adversus peccantes necesse est redargutionis objurgatio conticescat, qui admittere cognoscitur arguenda. Qua enim fronte fieri quis poterit morbi curator, dum languore consimili detinetur; aut sectator virtutum, dum sectator ostenditur vitiorum? Ad inquirendos autem ac puniendos subditorum vestrorum excessus, & maxime incontinentiæ fœditates in clericis, præsertim concubinariis manifestis, qui odorem fœtere faciunt domus Dei, tanto ferventius assurgatis, quanto damnabilius præteriretis eorum contagia incorrecta. Verum, vt adversus concubinarios hujusmodi officii nostri debitum tam autoritate nostra quam vestra liberius exequi valeatis: nos prædecessorum nostrorum attendentes vestigia, & plenius exprimentes, super hoc processus vestros per appellationis objectum volumus aliquatenus impediri. Si vero hujusmodi concubinarij, quorum culpas contigerit canonica districtione feriri, super appellatione aut absolutione vel restitutione sua litteras apostolicas reportarint: illas, nisi forsitan in eis appellationis aut excommunicationis seu amotionis suæ hujusmodi causam expresserint manifeste, decernimus nullius esse momenti, sed, eis vel processibus per eas habitis nequaquam obstantibus, censura vestræ animadversionis in tales inviolabilem obtineat firmitatem. Preces autem, monita, mandata, & præcepta nostra super his, taliter implere curetis, quod conversationis honestas in clero, & devotionis antiquæ sinceritas in populo, per solicitudinis vestræ diligentiam reformentur. Cumque princeps pastorum advenerit ab unoquoque nostrum fructum injuncti negotii quæsiturus, coram ipso appareatis intrepidi, & dignam sibi possitis villicationis vestræ reddere rationem. Volumus autem atque præcipimus, vt tu, frater archiepiscope, suffraganeis tuis & aliis prælatis tuæ provinciæ has litteras sine moræ dispendio facias præsentari, ut super præmissis præceptum nostrum exacta diligentia exequantur.

Datum Idibus Februarii, pontificatus nostri anno quinto.

** CONCILIVM ALBIENSE,

ANNO CHRISTI 1254.

Factum a domino Zoen, Avenionensi episcopo, A. S. L. ann. Dom. M. CC. XLIV.

Ex duobus exemplaribus, altero edito a D. Luca Dacherio, tom II. Spicilegii, altero Sirmondi nostri manu descripto.

TITVLI CAPITVLORVM.

30. Vt

ANNO CHRISTI 1254.

30. Vt diebus Dominicis eant ad ecclesiam. A
31. Vt excommunicati vitentur, nec fiant judices.
32. De pœna eorum qui participant hæreticis in mensa.
33. De episcopis excommunicationum contemptoribus.
34. Varia de excommunicatis.
35. Vt excommunicatio, suspensio, interdictum, cum maturitate ferantur.
36. Ne pro absolutione excommunicationis, &c. quidquam extorqueatur.
37. Vt testamentum coram presbytero & viris catholicis condatur.
38. De notariis qui testamenta sine illa solennitate scribunt.
39. Vt omnes presbyteri legata pia penes se in scriptis habeant. B
40. Vt legata pia legantur publice in ecclesia.
41. Vt nullus sacerdos fœminam suspectam teneat infra septa ecclesiæ.
42. Vt calices habeantur argentei.
43. Vt reficiantur ecclesiæ rurales, & omnia iis necessaria.
44. Ne sæculares qui sunt in sacris ordinibus, & regulares ulli, advocati sint, nisi in certis casibus.
45. Ne qui sunt in sacris ordinibus, vel beneficiati, officium in curia sæculari recipiant.
46. Vt regulares in frenis, & aliis hujusmodi, auro aut argento non utantur.
47. Vt clerici in vestibus botones ex auro & argento non ferant. C
48. Vt clerici alea non ludant: & ut tonsuram habeant, & qualem.
49. Vt clerici commatres sibi non faciant.
50. Vt aves venatorias non ferant, & cum avibus, ac canibus non venentur.
51. Vt non bordient cum scuto & lancea: & frenis auratis non utantur.
52. Vt regularibus, pro vestibus aut pitantia, pecunia summa non detur.
53. De vestibus regularium.
54. Vt in prioratibus sint ad minus tres monachi.
55. Vt canonici regulares sint saltem duo in prioratibus. D
56. De collatione beneficiorum.
57. De visitatione episcoporum.
58. De numero evectionum in visitatione.
59. Vt in visitatione non quærant epulas superfluas.
60. Ne tallias exigant, & una tantum die in una ecclesia morentur ad expensas presbyteri.
61. De perjuris.
62. De usurariis.
63. De usuris quas Iudæi exigunt a Christianis.
64. Vt Iudæi cappas rotundas non ferant.
65. Vt rotam deferant ante pectus. E
66. Ne carnes suas in macellis Christianorum vendant: & ne illorum cibis ac potibus utantur Christiani.
67. Ne Christiani contra Iudæos in testimonium admittantur.
68. Ne diebus festis publice operentur.
69. Vt Christiani Iudæis non utantur, medicinæ causa.
70. Vt domini Iudæorum eos prædicta servare cogant.
71. Ne nova pedagia quisquam imponat vel recipiat.

PRÆFATIO.

Multis episcopis & prælatis Narbonensis, Bituricensis, & Burdegalensis provinciarum ad concilium celebrandum apud Albiam congregatis, de consilio & approbatione ipsorum, quædam pro exterminanda hæretica pravitate ac roboranda fide catholica, quædam pro cleri honestate, duximus ordinanda.

CAPITVLA.

I. *Vt constituantur qui diligenter inquirant hæreticos.*

Inhærentes igitur, super negotio fidei, concilio præcipue Tolosano, quibusdam pro causa & tempore demptis, additis, & mutatis: statuimus, ut archiepiscopi & episcopi in singulis parochiis, tam in civitatibus, quam extra, unum sacerdotem, & hominem unum loci laïcum bonæ famæ, sine mora constituant, qui diligenter, fideliter, & frequenter inquirant hæreticos in parochiis supradictis, domos singulas & cavernas subterraneas aliqua suspicatione notabiles perscrutando, & apprehensa seu adjuncta ipsis ecclesiis ædificia, seu quæcumque alia latibula, quæ omnia destrui præcipimus, perquirendo: & si quos repererint hæreticos, credentes, fautores, defensores, seu receptatores eorum, ne fugere possint cautela adhibita diligenti, archiepiscopo vel episcopo, & dominis locorum, seu famulis eorum, vel bailivis eorumdem, cum omni festinantia studeant intimare, ut animadversione debita puniantur. Sacerdotes autem & laïci suprascripti jurent in manu archiepiscopi & episcopi, & loci domini, vel ejus bajuli, quod omnia supradicta exequentur fideliter, postpositis amore, odio, & timore.

II. *Vt qui hæreticum ceperit, marcam argenti accipiat.*

Et quoniam qui ad opus eligitur, extraneus non debet fieri a mercede: præcipimus, ut pro quolibet hæretico, quem sacerdos & laïcus memorati, aut quilibet alius, captum reddiderint, unam marcam argenti, vel saltem viginti solidos Turonenses, loci dominus in cujus jurisdictione captus fuerit hæreticus, capientibus infra octo dies de bonis ipsius hæretici solvere teneatur.

III. *Vt si de bonis hæretici marca solui non potest, eam soluant loci dominus & communitas.*

Si vero de ipsius hæretici bonis pecu-

ANNO CHRISTI 1254.

nia non poterit supradicta persolvi, dominus loci & ipsius loci communitas, in quorum territorio captus fuerit, solvant eam infra terminum supra scriptum, ut sit ad capiendos ipsos hæreticos efficaciter quilibet magis promptus. Ad solvendam autem dictam pecuniam, prout superius continetur, dominus & loci communitas a loci diœcesano vel ab inquisitoribus per censuram ecclesiasticam compellantur. Super quo taliter se habeant, quod videantur fidei zelatores. Et hæc omnia abbates & priores exempti in locis suis, quæ non sunt ordinario jure diœcesano subjecta, similiter facere teneantur.

IV. *Vt domini terrarum hæreticos solicite inquirant.*

Soliciti etiam sint domini terrarum & bajuli eorumdem circa inquisitionem hæreticorum in civitatibus, villis, castris, domibus, latibulis, & nemoribus faciendam: & circa hujusmodi appensa, adjuncta, seu subterranea latibula, destruenda.

V. *Vt amittat terram suam, quisquis in ea permiserit hæreticos commorari.*

[a] an. 1229. c. 4. & 5. Statuimus etiam, Tolosanum[a] concilium innovando, ut quicumque in terra sua de cætero permittat scienter hæreticos commorari, sive propter pecuniam, seu propter aliam quamcumque causam, & inde confessus fuerit vel convictus, amittat perpetuo totam terram suam, & ad faciendum inde quod debebit, sit in manu domini corpus ejus. Si autem de scientia convictus non fuerit, & approbata fuerit negligentia dissoluta, vel si frequenter in terra sua inveniantur hæretici, aut super hoc fuerit diffamatus, ut defensor & fautor hæreticorum ab omnibus censeatur.

VI. *Vt domus, in qua inventus fuerit hæreticus, diruatur.*

Ibid. c. 6. Illam autem domum in qua fuerit inventus hæreticus, diruendam decernimus, & locus ipse sive fundus confiscetur.

VII. *Vt puniantur baiuli, qui contra hæreticos non sunt soliciti.*

Ibid. c. 7. Bajulus etiam qui residet in loco contra quem præsumitur vehementer, nisi contra hæreticos valde solicitus & diligens fuerit & intentus, amittat omnia bona sua: & deinceps nec ibi nec alibi ullum obtineat officium, seu aliquam bajuliam.

A VIII. *Vt quilibet in terra alterius possit hæreticos inquirere ac capere.*

Ne autem innocentes pro nocentibus puniantur, aut quibuslibet propter aliquorum calumniam hæretica pravitas impingatur: statuimus, ut quilibet in terra alterius possit libere hæreticos inquirere ac capere, & locorum bailivi, etiamsi præsentes fuerint domini, teneantur inquirentibus & capientibus bona fide præstare consilium, & auxilium, & favorem. Ibid. c. 9.

B IX. *Vt conversi de hæresi non remaneant in eodem loco, si suspectus sit.*

Si vero aliqui hæretici vestiti, hæresi sponte dimissa reversi fuerint ad catholicam unitatem, suum recognoscentes errorem: non remaneant in loco, in quo fuerant antea conversati, si locus ille suspectus de hæresi habeatur, sed collocentur in alio loco catholico, qui nulla sit hæresis suspicione notatus. Ibid. c. 10.

C X. *Vt hæreticis ac eorum fautoribus conversis officia publica non committantur, nec admittantur ad actus legitimos.*

Hæreticis autem, quandocumque ad fidem catholicam fuerint conversi, credentibus, fautoribus, defensoribus seu receptatoribus eorundem, nulla de cætero prorsus officia publica ab aliquibus committantur, nec ad aliquos actus legitimos admittantur, nisi per dominum Papam, vel ejus legatum prius fuerint in integrum restituti. Ibid. c. 10.

XI. *Vt omnes ab annis pubertatis abiurent hæresim.*

D Vniversi tam mares quam fœminæ, mares a decimoquarto anno supra, mulieres a duodecimo, abjurent omnem hæresim extollentem se adversus sanctam & catholicam & Romanam ecclesiam & fidem orthodoxam, quibuscumque nominibus censeantur. Ibid. c. 12.

XII. *Vt iuramentum præstent de Romanæ ecclesiæ fide tenenda.*

Iurent etiam quod fidem catholicã, quam Romana ecclesia tenet & prædicat, tenebũt plenius & servabunt, & credentes, fautores, defensores & receptatores hæreticorum, & ipsos hæreticos, intimabunt & manifestabunt diœcesanis vel inquisitoribus hæreticæ pravitatis. Ita ut archiepiscopi & episcopi, quando suam parochiam visitant, juramentum recipiant supradictum, vel cui hoc duxerint committendum, qui fidei articulos, & articulos etiã in ipso juramẽto contentos, eis qui jurare debent prius explicent & exponant. Nomina autem omnium virorum ac mulierum in qualibet parochia Ibid. c. 12.

E

conscribi

ANNO CHRISTI 1254.

conscribi faciant diligenter, & omnes coram ipso episcopo, archiepiscopo, seu coram illo cui hoc duxerint committendum, prædictum præstent liberaliter juramentum. Et si aliquis absens fuerit, & post reditum, infra quindecim dies juramentum non præstiterit memoratum, quod ex inspectione nominum poterit apparere, suspectus de hæresi habeatur.

XIII. *Ut hoc singulis bienniis renouetur.*

Hujusmodi autem juramentum singulis bienniis renovetur.

XIV. *Ut medicus non practicet in terris de hæresi suspectis, nisi ab episcopo approbatus.*

Porro Tolosano [a] concilio (quo cavetur, quicumque fuerit de hæresis infamia vel suspicione notatus, officio medici de cætero non utatur) addentes: statuimus, ut nullus medicus præsumat de cætero practicare in terris hæresis suspicione notatis, nisi prius de fide sua præcipue, vita & moribus, fuerit a loci episcopo approbatus.

[a] an. 1229. c. 15.

XV. *Ut nemo baiuliam hæreticis & eorum fautoribus committat: nec suspectos in consortio suo retineat.*

Inhibemus etiam ne prælati, barones & milites, seu quicumque domini terrarum, hæreticis, credentibus, fautoribus, defensoribus seu receptatoribus eorumdem, bajulias seu administrationes terrarum suarum committant. Sed nec eos nec aliquos de hæresi diffamatos, vel quos crediderint de hoc esse suspectos, in sua familia, in suo consilio, aut cōsortio habere vel retinere præsumāt.

XVI. *Quinam habendi pro diffamatis.*

Illos autem debent pro diffamatis habere, contra quos publica fama clamat, vel de quorum diffamatione apud bonos & graves coram loci episcopo legitime constiterit.

XVII. *Ut parochi & episcopi articulos fidei populo explicent.*

Præcipimus quoque quod sacerdotes parochiales per se vel alios sæpius studeant exponere populo, diebus Dominicis & festivis, articulos fidei simpliciter ac distincte, ne velamen ignorantiæ deinceps prætendere quisquam possit. Et ad hoc idem in sua diœcesi frequentius & diligentius faciendum quilibet episcopus sit intentus: & cū per se non poterit, per alias honestas personas & discretas plane ac explicite fidē catholicam & ipsius articulos faciat prędicari.

XVIII. *Ut pueri instruantur in fide.*

Quia comperimus quod propter ignorantiam articulorum fidei plurimi erraverunt: pueri quoque a septennio & supra, ad ecclesiam a parentibus adducantur diebus Dominicis & festivis, ut in fide catholica instruantur, *Credo in Deum*, & *Pater noster*, & salutationem B. Virginis addiscant.

XIX. *Ut diebus Dominicis excommunicentur hæretici.*

Præcipimus autem quod hæretici ac eorum credentes, fautores, defensores, & receptatores eorum, singulis diebus Dominicis publice excommunicentur in ecclesiis, pulsatis campanis & extinctis candelis: ac in omnibus ecclesiis, singulis diebus, in crepusculo omnes campanæ simul pulsentur in detestationem criminis memorati.

XX. *Ut sæculares potestates iurent se auxilium daturos ecclesiæ contra hæreticos.*

Moneantur etiam comites, barones, & rectores, & consules, jurati, judices, & bailivi civitatum & aliorum locorum, ac potestates aliæ sæculares, quibuscumque fungantur officiis, quod promittant corporaliter præstito juramento, quod fideliter & efficaciter contra hæreticos & eorum complices adjuvabunt ecclesiam bona fide juxta officium & posse suum: & quod de terris suæ jurisdictioni subditis universos hæreticos ab ecclesia denotatos, credentes, fautores, receptatores, & defensores eorum, pro viribus exterminare curabunt. Et hoc juramentum de triennio in triennium renovetur. Bajuli vero, consules, judices & rectores, quotiens de novo fuerint instituti, præstent hujusmodi juramētum, ad quod, si necesse fuerit, per diœcesanum, per censuram ecclesiasticam compellantur omnes superius memorati.

XXI. *Ut duplicentur scripta Inquisitionis, & tuto loco seruentur.*

Interim periculosis casibus occurrentes, statuimus ut singuli inquisitores omnia scripta Inquisitionis transcribi faciant, & translata de consensu legati a sede apostolica, si in ora [b] fuerit, per diœcesanum imponantur & serventur in aliquo loco tuto. De scriptis autem quæ super his fient, de cætero annis singulis ab omnibus Inquisitionibus [c] idem fiat: ut scilicet duplicentur, scriptis, ut dictum est, tuto loco servandis.

[b] al. in terra

[c] inquisitoribus

XXII. *Ut inquisitorum sententiæ executioni mandentur.*

Et quoniam circa executionem sententiarum ipsorum inquisitorum reperiuntur aliqui negligentes: adhærentes in his concilio [d] Valentino, statuimus quod moneantur comites & barones, consules, vicarii, judi-

[d] an. 1248. c. 9.

ANNO CHRISTI 1254.

judices & bailivi civitatum, & aliorum locorum ac potestates aliæ sæculares, per inquisitores, vel loci diœcesanum, ut ipsorum sententias cum omni diligentia exequantur. Et si parere non curaverint infra præfixum eis terminum competentem, ad id ab ipso diœcesano per censuram ecclesiasticam compellantur. Et si nec se emendaverint, tam diœcesanus, quam inquisitores, contra eos, clero ad hoc congregato & populo, tanquam contra defensores & fautores hæreticorum sententialiter procedere non postponant. Et sententia postquam lata fuerit contra eos, per ipsum qui eam tulit, vicinis episcopis publicetur, ut eam denuncient & observari faciant, & observent.

XXIII. *Vt aduocati non admittantur in inquisitionis negotio.*

Ne autem Inquisitionis negotium per quorumcumque advocatorum strepitum retardetur: providendo statuit dictum concilium Valentinum[a], quod observari volumus & mandamus, ut ab inquisitoribus seu prælatis non admittantur aliqui in ipsius Inquisitionis negotio advocati. Circa advocatos vero hæreticorum, constitutiones contra hæreticos promulgatas volumus & præcipimus observari.

[a] c. xi.

XXIV. *De muris faciendis: & immurandis.*

De muris autem ipsis & immurandis celeriter faciendis statuendo mandamus, ut illi faciant ipsos muros, qui bona occupant eorundem, & fiant ubi diœcesanus episcopus noverit construendos. In quibus muris arctis sic sint clausi, quod exire inde non valeant ullo modo: quibus immuratis & immurandis provideatur in necessariis secundum dispositionem prælati ab illis qui bona ipsorum tenuerunt. Si vero non habeant ulla bona, dominus & loci communitas ubi inventi fuerint, providere eis in necessariis non postponant: & ad hoc, si opus fuerit, a diœcesano per censuram ecclesiasticam compellantur.

XXV. *De iis qui in hæresi mortui sunt.*

Statuimus insuper & mandamus, ut si per Inquisitionẽ reperiatur, aliquos defunctos fuisse hæreticos tempore mortis suæ, exhumentur, & eorum cadaver sive ossa publice comburantur, defensione legitima eorum heredibus renovata. Pro iis autem quibus cruces, si viverent, essent imponendæ: ipsorum heredes, diœcesani aut Inquisitorum arbitrio satisfacere compellantur.

XXVI. *Vt domini temporales cogantur ad confiscanda bona, & exhumanda cadauera.*

Volumus insuper & mandamus, ut temporales domini, ad occupandum & confiscandum bona immuratorum, & illorum qui relinquũtur curiæ sæculari, exhumandorum quoque, a diœcesano & ab inquisitoribus per censuram ecclesiasticam compellantur ex eo .... quibusdam de bonis ipsis aliquando gratia facta fuit remanendi in ipsis nemoribus aut non fugiendi eosdem, incentivum eis præstitum fuerit, ut accepimus.

XXVIII. *De iis qui intrant solitarii ad hæreticos.*

Denique cum plures intrent solitarii ad hæreticos adhortandos[a], ut per testes nequeat hoc probari: concilii approbatione statuimus, ut si quis hæretica pravitate suspectus, domum intraverit in qua hæreticum esse sciat, absque alia probatione adhortasse hæreticum vehementissime præsumatur.

[a] adhortandos nimirum ut sint pertinaces.

XXVIII. *De iis qui citati, se absentant.*

Porro qui citati legitime super crimine hæresis, cum essent de hæretica pravitate suspecti, contumaciter se absentant, nec volunt coram diœcesano vel inquisitoribus eos citantibus comparere; & sic latam in eos ab eisdem diœcesano vel inquisitoribus excommunicationis sententiam per annum vel amplius vilipendunt: hæretici condemnentur, etiamsi nihil probatum fuerit contra eos.

XXIX. *Quando ad confessionem & eucharistiam accedendum.*

Omnes autem utriusque sexus postquam ad annos discretionis pervenerint, confessionem peccatorum faciant in anno proprio sacerdoti, similiter alii de voluntate illius, injunctam sibi pro viribus pœnitentiam humiliter impleturi. Ter quoque in anno, in natali Domini, Pascha, & Pentecoste, suscipiant eucharistiæ cum omni reverentia sacramentum. Ita quod confessio communionem præcedat: nisi si, ob aliquam causam rationabilem, ad tempus ab ejus receptione abstinuerint de consilio proprii sacerdotis.

XXX. *Vt diebus Dominicis eant ad ecclesiam.*

Item statuimus ut parochiani, dominus & domina cujuslibet domus, diebus Dominicis teneantur ad ecclesiam venire, audituri ibidem ex integro prædicationem & Divinum officium, nec recessuri, nisi donec Missa compleatur. Quod si alter illorum

ANNO CHRISTI 1254.

rum absens fuerit extra villam, infirmitate vel alia causa rationabili impeditus, vel alter saltem venire teneatur. Quod si non fecerint, dummodo sint in villa præsentes, nulla infirmitate vel alia causa rationabili detenti, saltem duodecim denarios usualis monetæ solvere quilibet teneatur: quorum medietas sit domini villæ, & alia medietas ecclesiæ applicetur.

XXXI. *Ut excommunicati vitentur, nec fiant judices.*

Et quoniam contemnere claves ecclesiæ, hæretica pravitas est: tam canones quam alia concilia innovantes, districtim præcipimus, ut excommunicati ab omnibus vitentur juxta canonicas sanctiones: firmiter statuentes, ut nullus comes vel baro, seu aliqua sæcularis potestas, multo minus nullus clericus vel prælatus, aliquem excommunicatum faciat suum judicem, consiliarium, sive bailivum. Alioquin quicumque scienter contra hoc fecerit, minori excommunicatione ipso facto eum esse decernimus irretitum.

XXXII. *De pœna eorum, qui excommunicatis participant in mensa.*

Adjicimus, quod si quis clericus, vel prælatus, alicui excommunicato scienter in mensa participare præsumpserit, per unum mensem sit ei ecclesię ingressus interdictus. Laïcus vero simili modo excommunicato in mensa participans, per unum mensem ad Divina officia nullatenus admittatur. A quo interdicto clericus vel laïcus, non nisi per episcopum; episcopus autem, si simile commiserit, non nisi per superiorem suum absolutionis beneficium valeat obtinere.

XXXIII. *De episcopis excommunicationum contemptoribus.*

Item circa episcopos excommunicationum temerarios contemptores, quantum ad eos qui sunt in regno Franciæ, statutum Narbonensis[a] concilii; quantum vero ad illos qui sunt extra regnum Franciæ, Valentinum[b] concilium observetur.

[a] an. 1227. c. 1.
[b] an. 1248. c. 6. & 16.

XXXIV. *Varia, de excommunicatis.*

De excommunicatis autem in consules, potestates, rectores, assessores, bajulos, vel ad alia publica officia nullatenus assumendis; & illis qui tales scienter elegerint; nec non illis, qui contra excommunicatores, vel denunciatores excommunicationum, statuta banna faciunt, seu præcepta; ac de excommunicatis publice, qui se officiis ecclesiasticis ingerere pertinaciter non verentur, nec inde volunt recedere, a sacerdote moniti vel prælatis; & de interfectoribus clericorum: supradictum concilium Valentinum[a] servari volumus & mandamus.

[a] c. 14. 15. 17. 19.

XXXV. *Ut excommunicatio, suspensio, interdictum, cum maturitate ferantur.*

Et quoniam excommunicationis, interdicti, nec non suspensionis, sententiæ maturitate debita sunt ferendæ: constitutiones bonæ memoriæ domini papæ Innocentii IV. *Cum medicinalis*, &c. *quoniam periculosum*, &c. *solet a nonnullis*, &c. in earum prolationibus observentur.

XXXVI. *Ne pro absolutione excommunicationis quidquam extorqueatur.*

Districte nihilo minus inhibemus, ne episcopus, vel prælatus, vel alius ad quem sententiarum spectat absolutio prædictarum, cum talibus sententiis jam satisfecerint, vel parati sunt satisfacere juxta ecclesiæ arbitrium de offensis, pro solo actu absolvendi, quodcumque extorquere præsumat.

XXXVII. *Ut testamentum coram presbytero & catholicis viris condatur.*

Præterea inhærentes Tolosano[a] concilio, volumus & præcipimus, ut testamentum, vel ultima voluntas cujusque, in præsentia semper catholicorum virorum, & parochialis sacerdotis, vel alterius personæ ecclesiasticæ de voluntate ipsius parochialis presbyteri locum ejus tenentis, condatur: præsertim ut idem sacerdos, vel locum ejus tenens, valeat de isto testatore laudabile testimonium perhibere, & ne de ipso aliqua infidelitatis suspicio habeatur, & maxime ut ea quæ in pias causas reliquerit, sine fraude fidelius & citius persolvantur. Quod si testator vocare, ut diximus, sacerdotem parochialem, & viros ecclesiasticos contempserit: careat ecclesiastica sepultura, donec de ejusmodi mandati contemptu, qui eo tempore præsumitur nisi eos vocaverit, cum effectu, ecclesiæ satisfactum fuerit competenter.

[a] an. 1229. c. 16.

XXXVIII. *De notariis qui testamenta sine illa solennitate scribunt.*

Notarius vero, qui absque solennitate superius expressa, notare vel scribere præsumpserit testamenta, vel ultimas voluntates, quousque ad cognitionem diœcesani satisfecerit, ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum.

A

XXXIX. *Vt omnes presbyteri legata pia penes se in scriptis habeant.*

Verum quia parochiales presbyteri circa solutiones eorum quæ ad pias causas a decedentibus relinquuntur, negligentes existunt, præcipue ex quo in his quæ ad eos proveniunt, eisdem fuerit satisfactum: statuimus, ut omnia legata ad pias causas ab ipsis testatoribus derelicta, omnes parochiales sacerdotes in scriptis penes se deinceps curent plenius retinere, ut sciant quid, quantum, a quo & a quibus legatum fuerit seu relictum, circa quorum absolutionem eos solicitos esse præcipimus & intentos: statuentes, ut post obitum testatoris infra quindecim dies, heres, ab ipso parochiali presbytero requisitus, ipsius testamenti seu ultimæ voluntatis eidem sacerdoti dare transcriptum seu translatum, quo ad legatum piis causis & piis usibus deputatum, expensis legatariorum teneatur: ad quod ab eodem presbytero per censuram ecclesiasticam valeat compelli ipse heres.

B

XL. *Vt legata pia legantur publice in ecclesia.*

Insuper statuimus ut legantur in ecclesia publice, tum maxime die Dominica vel festiva, legitima & legata omnia supra dicta, ut quid cui legatum fuerit vel relictum, minime ignoretur.

XLI. *Vt nullus sacerdos feminam suspectam teneat infra septa ecclesiæ.*

Item præcipimus, ut nullus sacerdos, vel clericus regularis, aut sæcularis, aliquam feminam teneat intra septa ecclesiæ, de qua mala suspicio valeat exoriri.

XLII. *Vt calices habeantur argentei.*

Calices quoque argenteos volumus haberi in omnibus ecclesiis, quarum redditus & proventus annuatim attingunt summam quindecim librarum Turonensium, expensis duntaxat, quæ fuerint colligendo & reponendo, deductis.

XLIII. *Vt reficiantur ecclesiæ rurales, & omnia iis necessaria.*

Statuimus etiam ut episcopi & archiepiscopi, & alii ecclesiarum prælati, rectores, vel alii qui ad hoc de consuetudine tenentur, compellant per censuras ecclesiasticas ad reficiendum ecclesias rurales, & alias domos, & alias officinas eisdem ecclesiis necessarias & servitoribus earumdem, prout ipsis qui tenentur, propriæ suppetierint facultates.

XLIV. *Ne sæculares qui sunt in sacris ordinibus, & regulares ulli, advocati sint: nisi in certis casibus.*

Item volumus & præcipimus, ne aliqui clerici sæculares in sacris ordinibus constituti, & qui de beneficiis ecclesiasticis sustentantur, coram sæculari judice, nisi in casibus a jure concessis; nec etiam aliqui regulares coram quocumque judice, sine sui majoris licentia speciali, officium advocati assumant indebite.

XLV. *Ne qui sunt in sacris ordinibus, vel beneficiati, officium in curia sæculari recipiant.*

Statuimus quoque, Valentinum" concilium innovando, ut nulli clerici in sacris ordinibus constituti, seu canonici cathedralium ecclesiarum, seu alias beneficiati, judicatum, consulatum, assessoriam, vel alia officia publica in curia sæculari, electi a populo, vel a sæculari persona, recipiant; & si receperint, nisi infra mensem, postquam publicata fuerint in suis diœcesibus hæc statuta, dimiserint, ab officio & beneficio suspendantur: & si per annum in contumacia perstiterint, suis beneficiis per suos episcopos sine spe restitutionis priventur.

" an. 1248. c. 3.

C

XLVI. *Vt regulares in frenis, & aliis huiusmodi, auro aut argento non utantur.*

Ad hæc statuimus, ut nullus regularis in frenis, pectoralibus, calcaribus, & sellis, suis usibus deputatis, auro vel argento utatur; sed sint sellæ regularium albæ, vel nigræ, vel rasæ.

D

XLVII. *Vt clerici botones ex auro vel argento in vestibus non ferant.*

Denique statutis canonicis quæ olim sunt prodita pro honestate clericorum ac vita, illud duximus adnectendum, ut aliquis clericus botones vel firmallos aureos, vel argenteos, deauratos vel deargentatos, deferre in aliquibus vestibus non præsumat.

E

XLVIII. *Vt clerici alea non ludant, & ut tonsuram habeant, & qualem.*

Statuimus insuper, antiquos canones innovando, ne clerici in sacris ordinibus constituti, & qui beneficiis ecclesiasticis sustentantur, ad aleas & taxillos ludant: coronam & tonsuram habeant congruentem. Quod sic intelligi volumus & servari, ut omnes prælati & regulares personæ supra aures in gyrum, ita quod aures omnino pateant, sint attonsi: alii vero, in rotundum, ad minus usque ad medium aurium tondeantur.

XLIX.

ANNO CHRISTI 1254.

XLIX. *Ut clerici commatres sibi non faciant.*

Commatres quoque sibi facere, pueros de sacro fonte elevando, aut aliquos in confirmatione tenendo, omnibus clericis tam sæcularibus quam regularibus inhibemus.

L. *Ut aves venatorias non ferant, & cum avibus ac canibus non venentur.*

Aves venatorias præterea quisquam clericus in sacris ordinibus constitutus, vel alius qui de beneficio ecclesiastico sustentatur, in publico manu propria deferre non præsumat: & cum avibus & canibus non venetur, avem venatoriam manu propria deferendo, nec pro domnerando cum eis frequentet hospitia mulierum.

LI. *Ut non biordent cum scuto & lancea: & frenis deauratis non utantur.*

Trepidare quoque, quod vulgariter biordare [a] dicitur, cum scuto & lancea, aliquis clericus publice non attentet: quia ex his multa dissolutionis, lasciviæ & scandali materia generatur. Frenis autem, calcaribus, seu pectoralibus, deauratis nullo modo utantur.

[a] *Cor.* bordiare, *hoc est ludicra prælia hastis exercere.*

LII. *Ut regularibus, pro vestibus aut pitantia, pecuniæ summa non detur.*

Item nulli regulari pro vestibus seu pro pitantia, a suo majore pecuniæ summa detur: ad hoc enim datur ei materia proprium retinendi: sed omnes in vestiario induantur.

LIII. *De vestibus regularium.*

Prohibemus quoque districtius, ut nulli regulares cum balandranis, seu garmasiis vel aliis vestibus laïcorum, equitent vel incedant: sed cappas rotundas publice deferant, vel suum habitum regularem. Et quia plurimi regulares, regularem deferre habitum erubescunt: Montispessulani, & Avenionensi conciliis inhærentes, statuimus, ut omnes monachi nigri, & canonici regulares, vestes deferant albas vel nigras, ut qui ex antiqua ecclesiæ suæ consuetudine albas hactenus portaverint, hujus constitutionis prætextu nigras, vel e contra, deferre propterea non præsumant; cum in unaquaque ecclesia velimus unum habitum secundum statum antiquum & laudabilem observari: districte præcipientes, ut regulares aliqui clara vel nigra bruneta, vel panno alio sumptuoso, scridato quoque aut serico non utantur. Ut autem prædicta serventur ab omnibus clericis, tam regularibus quam sæcularibus: ipsius concilii approbatione in-

A concusse statuimus, ut qui contra prædicta venerit, vel aliqua prædictorum, sit ipso facto ineligibilis ad beneficium ecclesiasticum, & multo magis ad ecclesiasticam dignitatem, ad quod vel quam, post ejusmodi excessum, primo eum eligi contigerit, vel vocari: nisi cum eo fuerit per sedem apostolicam dispensatum.

LIV. *Ut in prioratibus sint ad minus tres monachi.*

Statuimus etiam, ut si talis fuerit prioratus monachorum, in quo tres monachi B valent commorari, tres ad minus ponantur ibidem, & unus ex eis prior fiat, qui curam habeat animarum [a], vel aliorum. Si vero tot fratribus non sufficiat prioratus, cum pauciores vix possint regulariter vivere, duę vel tres ecclesiæ, juxta arbitrium diœcesani, & abbatis, seu præpositi, vel prioris, cui, vel quibus ecclesiæ illæ subsunt, conjungantur in unum, & illi priori, qui instituetur in una ipsarum, respondeant: qui prior, in illis ecclesiis, in quibus tres non fuerint, ministret per presbyterum sæcularem. Adji- C cientes, ut si ille ad quem spectat prioratuum ordinatio prædictorum, per annum negligens in his fuerit vel remissus. ipsorum prioratuum ordinatio devolvatur ad superiorem proximum.

[a] *forte voces ista* vel aliorum, *additæ sunt ab aliquo conjectore.*

LV. *Ut canonici regulares, sint saltem duo in prioratibus.*

De prioratibus vero canonicorum regularium, cum regulæ inserviant laxiori, si pluribus non sufficiat prioratus duo saltem D canonici in prioratu ponantur. Quod si nec duobus facultates sufficiant prioratus, fiat sicut de prioratibus monachorum. Hoc enim in iis præsertim agimus, ut monachus, vel canonicus regularis, absque sociis vel socio sui ordinis non moretur.

LVI. *De collatione beneficiorum.*

Sane cum in collatione bonorum ecclesiasticorum haberi debeat principaliter ante oculos solus Deus: districte præcipimus E & mandamus, ut omnia ecclesiastica bona personis idoneis, & statuto a canonibus tempore conferantur, nullo præcepto, vel promisso [a], remotis omni conditione & pacto, absque omni diminutione, nova pensione in eisdem ad opus conferentis vel alterius non injecta, prout canonicæ statuunt sanctiones: circa quæ fraudem quamlibet evitari prorsus volumus, & districte mandamus: firmiter inhibentes, ne redditus ecclesiarum vacantium præsumat quisquam, præterquam ipsius ecclesiæ quæ vacat, usibus applicare, aut easdem bonis suis ali-

[a] *al.* præmisso,

quibus

ANNO CHRISTI 1254.

quibus spoliare. Si autem aliquis scienter contra fecerit, ipsorum beneficiorum, aliter quam supra dictum est collatorum, in pœnam ipsius conferentis, & ejus qui recipit, sic collata, ad superiorum collationem ea vice, tanquam vacantia," per statutum hujusmodi devolvantur.

" al. vacantium,

LVII. *De visitatione episcoporum.*

Verum quia in procurationibus exigendis, quæ ratione visitationis debentur, quidam prælati excedere asseruntur, subditos inhumaniter aggravantes, quos paterna B tenentur gubernare providentia: statuimus, ac districte præcipiendo mandamus, ut omnes prælati cum ecclesias sibi subditas visitabunt, prius proposito verbo Dei, tam clero, quam populo, ac explicatis præsertim articulis fidei coram eis, quærant de vita & conversatione ministrantium in eisdem: ornamenta tam altarium, quam sacerdotum, præcipue corporalia, vasa, & calices, si sint munda diligentius intuentes, cum in plerisque ecclesiis interdum talia consueverint reperiri, quæ sint horrori potius quam honori. C Intendant etiam ad emendationem congruam ministrorum, per salubria monita, nunc levia, nunc aspera, juxta datam sibi a Domino providentiam & doctrinam. Notoria vero crimina, quæ examinatione non indigent, cum super his notari possit merito ordinariorum negligentia, corrigant sine mora. Statuentes, ut prædictas procurationes nullus recipiat, nisi cum per se, vel per alium providum & honestum, ipsas ecclesias visitaverit. Nullam tamen pecuniam ipse, vel alius pro eodem, exigat vel recipiat ullo modo, nisi una ecclesia sine alterius auxilio visitatori commode possit providere: D attentius provisurus, ut aliquis de familia sua, occasione alicujus officii, vel consuetudinis, seu quolibet alio modo, præter victualia moderata quidquam exigere, vel etiam recipere, non attentet. Caveant insuper & attendant, ut ipse, vel quisquam suorum, aliquod munus, quantumcumque sit, & qualitercumque offeratur, recipere non præsumant: ut non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærere videantur.

LVIII. *De numero evectionum in visitatione.* E

Prohibemus & mandamus, ut cum prædictas ecclesias visitabunt, non excedant evectionum numerum in Lateranensi concilio constitutum: attendentes quod de prædicto ibidem evectionum numero continetur, secundum tolerantiam esse dictum in illis locis, in quibus ampliores sunt redditus ecclesiasticæ facultatis; in pauperio- A ribus autem locis, tantam volumus & præcipimus teneri mensuram, ut excessu majorum minores merito non doleant se gravari: nec sub tali indulgentia, illi qui hactenus paucioribus equis uti solebant, indultam potestatem plurium sibi credant.

Lateran. III. c. 14.

LIX. *Ut in visitatione non quærant epulas superfluas.*

Volumus insuper & mandamus, ut in visitationibus supradictis non quærant epulas superfluas, sed cum gratiarum actione recipiant quod honeste ac competenter illis fuerit ministratum.

LX. *Ne tallias exigant, & una tantum die in una ecclesia morentur ad expensas capellani vel rectoris.*

Circa vero exactiones & tallias a subditis exigendas, supradictum Lateranense c. 4. concilium ab omnibus volumus & præcipimus observari: adjicientes, ut in una eademque ecclesia, nisi una die, absq; legitima causa & necessaria, non morentur, ad expensas capellani ecclesiæ vel rectoris. Quod si fuerit contra præsumptum, contra faciens Dei maledictionem incurrat, a qua nunquam, nisi duplum restituat, liberetur.

LXI. *De periuris.*

Ad hæc, quia plus solito contemnitur religio juramenti, contra perjuros quoslibet manifeste statutum " Avenionensis concilii an. 1209. ubique volumus observari: adjicientes, ut c. 13. occulti transgressores liciti juramenti, ab omnibus parochialibus presbyteris ad episcopum transmittantur, qui injungat eis de hoc pœnitentiam salutarem.

LXII. *De usurariis.*

Licet autem ad extirpandum vitium usurariorum pagina utriusque testamenti conveniat, statutum Avenionensis concilii super his editum innovamus: statuentes, ut Ibid. c. 3. servetur ab omnibus, prout in ipso plenius continetur.

LXIII. *De usuris, quas Iudæi exigunt a Christianis.*

Adjicientes ut Christianos ad solvendum Iudæis, vel aliquibus aliis, usuras aliquas non compellat ullus judex ecclesiasticus vel etiam sæcularis. Statuimus insuper, si sit dubium, an sit aliquid de usuris illis debitis, quæ interdum a Christianis postulant sibi solvi, iidem Iudæi veritatem prius dicere juramento super legem Mosaïcam astringantur, rationibus aliis convenientibus, quæ ad probandas usuras inductæ fuerunt, non

ANNO CHRISTI 1254.

non rejectis, etiam hoc de mutuis cum ipsis Iudæis usque modo contractis, observandum. Statuimus & mandamus, in his, aut quæ deinceps mutuaverint Iudæi Christianis, Christianorum ipsorum stetur simplici juramento, an quicquam usurarium sit in eis; & in eo quod usurarium esse dixerint, sic jurati absolvantur. A

LXIV. *Vt Iudæi capas rotundas non ferant.*

Et quoniam ex capis rotundis, quas Iudæi portant communiter, honor vehementer confunditur clericorum, qui capis rotundis ex more utuntur: præsentis approbatione concilii duximus statuendum, ut Iudæi aliqui deferre capas rotundas de cætero non præsumant; sed capas portent de cætero & deinceps manicatas, ita quod manicæ longæ sint adeo sicut capæ, nec in eisdem manicis plicatura sit aliqua atque ruga. B

LXV. *Vt rotam deferant ante pectus.*

Portent insuper rotam amplam continuo & publice ante pectus, cujus circulus sit latitudinis unius digiti, ac unius palmi dimidii altitudo. C

LXVI. *Ne carnes suas in macellis Christianorum vendant: & ne illorum cibis ac potibus utantur Christiani.*

Carnes quoque, quas ipsi privatim faciunt in domibus suis, in macellis Christianorum vendere non attentent: & quia in contemptum nostrum Iudæi aliquibus cibis nostris & potibus non utuntur, firmiter inhibemus, ne aliqui Christiani audeant uti suis.

LXVII. *Ne Christiani contra Iudæos in testimonium admittantur.* D

Abusum quarumdam partium abolentes, districtius præcipimus & mandamus, ne Christiani contra Iudæos in testimonium in omnibus contractibus, & in omnibus curiis admittantur.

LXVIII. *Ne Iudæi diebus festis publice operentur.*

Ne autem Christianos scandalizent, vel scandalizentur ab eisdem, diebus Dominicis & festivis operari publice non præsumant. E

LXIX. *Vt Christiani Iudæis non utantur medicinæ causa.*

Excommunicentur præterea Christiani qui causa medicinæ curæ se commiserint Iudæorum.

LXX. *Vt domini Iudæorum eos prædicta servare cogant.* ANNO CHRISTI 1254.

Adjicientes, ut Iudæorum domini prædictorũ, per censuram ecclesiasticam compellantur, ut Iudæos suos portare faciant continue & publice rotam & habitum supradictum: ipsos quoque Iudæos, per excommunicationem in Christianos, qui in commercio, vel aliis, participationem habebunt aliquam cum eisdem.

LXXII. *Ne nova pedagia quisquam imponat vel recipiat.*

Nova autem pedagia, quocumque nomine censeantur, scienter quisquam imponere, vel etiam recipere non attentet. Quod si quis fecerit, excommunicationis sententiam per sedem Apostolicam, in iis singulis promulgatam, incurrat. Quod nisi monitus ab iis destiterit, per diœcesanum præcipimus solenniter publicari.

OBSERVATIO
EX LVCÆ DACHERII PRÆFATIONE,
In secundum Spicilegii tomum.

Albiense concilium fuisse celebratum anno MCCLIV. constat ex MS. ecclesiæ Arelatensis, acta concilii referente. Initium ab eruditissimo Francisco Suarez exceptum fratres Sammarthani archiepiscoporum Avenionensium seriei interseruere in Zoen XLVII. archiepiscopo: *Concilium Albiense factum a domino Zoen, &c. Congregatum apud Albiam, MCCLIV. iussu Ludovici Francorum regis.*

** CONCILIVM PARISIENSE, PROVINCIÆ SENONENSIS.

ANNO CHRISTI 1255.

Anno Dom. MCCLV.

L*Evissimam facit hujus concilii mentionem Carolus Sausseyus, annalium ecclesiæ Aurelianensis lib. XI. his verbis*: Anno MCCLV. interfuit Guillelmus de Bussis, Aurelianensis episcopus concilio provinciali Parisiis habito, præsidente Henrico Senonensi archiepiscopo, super negotio interfectionis bonæ memoriæ E. quondam cantoris Carnotensis, cum episcopis Renaudo Parisiensi, Guidone Autissiodorensi, Nicolao Trecensi, & Alelmo electo Meldensi. *Hæc tantum Sausseyus, quæ petita profitetur ex actis ecclesiæ Trecensis.*

** CONCILIVM BVRDEGALENSE, A GERARDO DE MALEMORT, BVRDEGALENSI archiepiscopo, pro disciplina ecclesiastica celebratum Id. April. anno Domini MCCLV.

ANNO CHRISTI 1255.

Ex codice constitutionum Santonensium Pictavi edito, anno MDXLI.

TITVLI CAPITVLORVM.

CONSTITVTIO DOMINI G. BVRD. ARCHIEPISC.

I. *De clericis beneficiatis.*

PRæcipitur omnibus clericis habentibus ecclesias, ut continuam faciant residentiam in eisdem, & ad singula tempora ordinum se offerant ordinandos: alioquin nulla alia monitione præmissa suis beneficiis noverint se privatos.

II. *De quæstoribus.*

Item inhibemus sacerdotibus, ne quæstorem permittant in suis ecclesiis, nisi de mandato nostro sive apostolico, prædicare: sed ipsi exponant subditis suis id solummodo quod in apostolicis & nostris litteris viderint contineri. Caveant insuper, ne cartellos a quæstoribus recipiant, nisi primitus diligenter inspectos, quod in iis nec major indulgentia, nec ampliora beneficia exprimantur, quam in litteris supradictis.

III. *De presbyteris alterius diœcesis.*

Itemque inhibemus ne presbyteri, nisi de diœcesi fuerint, ad serviendum in ecclesiis admittantur: nisi de licentia nostra speciali. Quod si secus fuerit attentatum, sciant se, qui eos acceperint, animadversione debita puniendos.

IV. *De exequendis citationibus.*

Item præcipimus, ut cum litteræ citatoriæ elapsa majore parte termini assignati primo fuerint præsentatæ, ille cui litteræ diriguntur, mandatum nullatenus exequatur: ne per fraudem occultantis, facultas adeundi judicem aut mittendi procuratorem adversario subtrahatur. Si vero oblatæ fuerint in tempore competenti, sed qui citandus est, commode nequeat inveniri: tunc eo invento intra terminum, mandatum nihilominus exequatur.

V. *De communicatione puerorum.*

Inhibetur presbyteris, ne hostias consecratas pueris dent ullo modo pro communione in die Paschæ: sed panem benedictum communem. Idem de aliis prohibitis communicare, præcipimus observari.

VI. *Ut redditus ecclesiarum scribantur in Missalibus.*

Præcipitur sacerdotibus, ut omnes redditus ecclesiæ scribant in missalibus suis, & de rebus ecclesiæ vel presbyterii nihil alienetur nisi per episcopum.

VII. *Quando non licet super reliquias iurare.*

Reliquiæ non tradantur laïcis ad jurandum: nisi certis temporibus. Decrevit enim sancta synodus, ut a Septuagesima usque ad octavas Paschæ, ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & in jejuniis quatuor temporum, & Litaniis majoribus, & in Dominicis diebus Rogationum, nisi de concordia & pacificatione, nullus super Dei evangelia jurare præsumat. Et in his diebus non debent sacerdotes reliquias præstare ad jurandum.

VIII. *De querelis capellanorum.*

Nullus sacerdos vel alia persona ecclesiastica, de personalibus injuriis, vel de eleemosynis ecclesiæ factis audeat litigare, nisi de consensu episcopi, coram judice sæculari.

IX. *De reliquiis.*

In concilio statutum est quod amodo reliquiæ extra capsam nullatenus extrahantur, nec exponantur venales. Inventas autem nemo de novo venerari publice præsumat: nisi prius autoritate Romani pontificis fuerint approbatæ.

X. *De clericis ne intersint vindictæ sanguinis.*

Nullus clericus sententiam sanguinis dictet, aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, intersit: nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.

XI.

XI. *De absolutione excommunicatorum a capitulo facienda.*

Cum quidam simplices capellani parochianos suos excommunicatos, in mortis articulo laborantes, cum juramento quod eorum heredes stent juri, indifferenter absolvant, licet plerique parochiani sint pro manifesta offensa, vel pro re judicata, excommunicationis sententia innodati: firmiter inhibemus, ne aliqua ecclesiastica persona excommunicatum aliquem pro manifesta offensa, vel pro re judicata, præsumat absolvere: nisi ab ipso infirmo, vel alio nomine ipsius, adversario ejusdem infirmi fuerit prius satisfactum: dum tamen infirmus non possit per inopiam probabiliter excusari. Si vero ab aliquo, non servata hujus forma, infirmus excommunicatus fuerit absolutus, absolvens adversario defuncti in solidum teneatur.

XII. *Ne in claustris religiosorum litigetur.*

Cum religiosarum personarum & monasteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipsi religiosi in contemplatione manentes Divinæ possint liberius servire majestati: canonum statuta sequentes, districte præcipimus & mandamus prælatis & omnibus clericis & laïcis universis, ne infra basilicas, vel claustra religiosorum conventuum regularium litigare præsumant, vel audire aliquatenus litigantes. Quod si facere præsumpserint, postquam istud præceptum eis fuerit publicatum: nos, transgressores dicti præcepti sub districti ponimus sententia interdicti.

XIII. *De decimis & primitiis.*

Præcipimus laïcis universis, qui decimas & primitias detinent contra salutem propriam animarum, quod eas dimittant ecclesiis quarum existunt. Quod si facere noluerint, eos præcipimus latæ a bonæ memoriæ Guillelmo prædecessore nostro sententiæ subjacere: videlicet quod ad matrimonium vel eucharistiæ communionem aut sepulturam canonicam, vel ad purificationem post partum ipsum, vel uxores eorum aut filii & filiæ in eorum potestate constituti vel existentes nullatenus admittantur.

XIV. *De assensatoribus decimarum.*

Assensatores autem decimarum a laïcis, si laïci fuerint, simili sententia se noverint irretiri: nisi eorum dominio adeo sint subjecti, quod eorum non audeant imperio contraïre. Si vero clerici sint iidem assensatores, excommunicationis vinculo se noverint innodatos. Quas quidem sententias ab universis ecclesiarum prælatis, sub pœna excommunicationis præcipimus observari.

XV. *Item de decimis.*

Nulla detur laïcis detentoribus decimarum vel eas repetentibus audientia in foro ecclesiastico super decimas, nisi eas autoritate ecclesiæ possideant.

XVI. *Item de decimis.*

Decrevimus quod aliqui laïcorum vendere vel emere, vel obligare decimas, quas ecclesiis canones decernunt, quarum existunt, aliquatenus non præsumant. Quod si facere præsumpserint, illos censuimus excommunicationis sententiæ subjacere.

XVII. *Item de primitiis.*

Item statuimus, ne prælati vel clerici in alienis parochiis, vel provinciis, decimas præsumant aliquatenus emere, vel titulo pignoris recipere, nisi de voluntate episcopi vel assensu, &c.

XVIII. *Item de decimis.*

Item inhibemus laïcis decimariis universis, ne de sanctuariis ecclesiarum decimas exigant, vel recipiant ullo modo: & si facere præsumpserint, ipsos excommunicationis sententiæ decrevimus suspendendos.

XIX. *Item de decimis.*

Item districtius inhibemus, ne aliqua ecclesia conventualis, vel alia persona sæcularis, decimas ab aliquo recipiat emptionis, vel venditionis, obligationis, seu donationis titulo, seu alio aliquo modo: nisi eas dumtaxat quæ ad ecclesiam suam spectant, videlicet extra metas ecclesiæ suæ contentas.

XX. *Item de primitiis.*

De primitiis vero statuimus, ut laïci per censuram ecclesiasticam compellantur ad tricesimam, vel quadragesimam partem, usque ad quinquagesimam nomine primitiæ persolvendam.

XXI. *Item de decimis veteribus.*

Licet per statuta canonica, decimæ ad parochiales ecclesias pertinere noscantur: quædam tamen ecclesiæ ex præscriptione, aliæ ex consuetudine, veteres decimas possideant in parochiis alienis: nonnulli ecclesiastici nullo jure suffulti, sed avaritia & pertinacia sola ducti, decimas in animarum periculo detinere præsumunt. Sed his tam clerici quam laïci non contenti, ad novalia quæ specialiter parochialibus ecclesiis jura reservant, extendunt illicite manus suas, & eædẽ ecclesiæ omnino jure suo, quoad novaliũ decimas, defraudãtur. Volentes igitur præsumptioni clericorum & laïcorũ, prout possu-

ANNO CHRISTI 1255.

possumus, obviare, & ecclesiarum indemnitatibus providere: omnibus omnino prohibemus, ne quisquam de cætero, clericus aut laïcus, occasione veteris decimæ novalia recipiat: sed ea parochialibus ecclesiis in quibus novalia excreverunt, libere possidenda permittat, usibus ministrorum ecclesiæ profutura. Si vero quisquam temerarius hujus nostræ constitutionis contemptor, novalia de cætero receperit, in parochiarum præjudicium & gravamen: ipsum excommunicationis vinculo innodamus.

XXII. *Item de decimis noualium.*

Monemus etiam omnes illos qui a triginta annis vel citra, hujus "novalia cœperunt, ut infra duos menses sine difficultate restituant ecclesiis, ad quas pertinere dignoscũtur, de cætero libere possidenda. Ne vero quisquam per negligentiam ab hujus "sententiis se valeat excusare, præcipimus hanc constitutionem per presbyteros frequenter in suis ecclesiis prædicari.

" *Corr.* hujusmodi

" hujusmodi

XXIII. *De pœna decimariorum.*

Quia parum est jura & constitutiones condere, nisi sint per quos jura & constitutiones serventur, & illa constitutio contra decimarios per bonæ memoriæ dominum Guillielmum prædecessorem nostrum, videlicet quod decimarii & uxores eorum, & filii, & filiæ in eorum potestate existentes, in his articulis ab ecclesia evitentur, scilicet matrimonio, purificatione post partum, eucharistia & ecclesiastica sepultura: illo articulo remoto quod decimariorum filii ad ordines admittantur, cum semper sit cultus Divini nominis ampliãdus: statuimus, ut quicumque presbyter, diaconus, subdiaconus, vel alius clericus regularis aut sæcularis, prædicta sacramenta, vel aliqua de præmissis, prædictis personis, vel alicui, ministrare præsumpserit, seu procuraverit ministrari, ex tunc ipso facto ecclesiastico subjaceat interdicto: alias tam nobis quam ecclesiæ, vel ecclesiis, in cujus vel quarum parochiis hujus" decimariorum decimæ subsistunt, secundum arbitrium puniantur. Dignum est enim, ut quos timor Dei a malo non revocat, temporalis saltem severitas coërceat disciplinæ.

" hujusmodi

XXIV. *De pœna decimariorum.*

Verum volentes animarum vitare periculum, statuimus ut uxoribus decimariorum, ad quos decimæ non pertinent ullo jure, si ultimo mortis articulo sacramenta, vel sacramentalia cum humilitate poposcerint sibi dari: sed juramento corporali firmaverint, quod maritos decimarios pro posse suo inducant ad decimas parochiali, vel parochialibus ecclesiis dimittendas, vel aliter componendum, prædicta eis, excepta ecclesiastica sepultura, minime denegentur: sed postquam convaluerint, quamdiu in sanitate permanserint, ad prædicta nullatenus admittantur.

XXV. *De iuribus capellanorum.*

Statutum est ab initio, & nos volumus observari, ut parochiani per capellanos suos compellantur, ubi contradictio erit, procurationes annuas exhibere: & insuper monemus mestivas "& oblationes in præcipuis solennitatibus, & alia jura parochialia capellanis suis solvere: & si gratis noluerint, ecclesiastica sepultura præcipimus coerceri.

" *forte* festivas

XXVI. *Ne pro sacramentorum administratione aliquid exigatur.*

Volumus & præcipimus, ne aliquis sacerdos quicquam exigat pro administratione aliqua sacramenti, quousque ex toto fuerit ministratum. Et tunc, secundum consuetudinem ecclesiæ, honeste poterit quod justum est expetere, & a suis invenerit prædecessoribus ordinatum. Inhibemus fortiter & districte, ne pro beneficiis conferendis, vel ecclesiasticis sacramentis, aut justitia exigenda", aliqua pecunia exigatur, vel recipiatur. Si vero alia, de consuetudine laudabili & antiqua, debentur, postea a subditis exigantur.

" *Corr.* exhibenda

XXVII. *De excommunicatis inuito sacerdote ecclesiam intrantibus.*

De laïcis excommunicatis qui invito sacerdote intrant ecclesiam, & Divinum perturbant officium: statuimus, quod talium bona per sæcularem dominum confiscentur: qui si noluerint obedire, excommunicationis sententia innodentur.

XXVIII. *De pœna excommunicatorum.*

Si quis per quadraginta dies in excommunicatione subjacuerit, pœnitentia novem librarum mulctetur, vel alia competenti.

XXIX. *De statutis confrateriarum.*

Quia confrateriarum usus ad pias causas inventus, propter quorumdam malitiam laïcorum trahitur in abusum, dum statuta illicita statuunt, quibus enervare intendunt ecclesiasticam libertatem, & antiquorum bonas & pias consuetudines abolere circa eam laïcos suos quædam illicita & machinationes quæ obviant pietati: idcirco præsenti constitutiõne prohibemus, ne confratres alicujus confraternitatis comitem vel comites eligant, vel creent de cætero,

Corruptus locus, uti & quædam in capitulo sequenti

ANNO CHRISTI 1255.

ro, abſque expreſſo conſenſu & voluntate A ſui capellani.

XXX. *Item de ſtatutis confrateriarum.*

Item, prohibemus ne aliquis, vel aliqui, comites & confratres alicujus confrateriæ, aliqua edant vel ſtatuant ſtatuta, niſi quæ ad fabricam vel luminaria eccleſiæ, vel librorum ſeu aliorum ornamentorum, ſeu veſtimentorum, ſeu eccleſiæ factionem, ſeu refectionem, pertinere noſcantur, vel ad ſepulturas vel vigilias, ſeu ad aliud officium defunctorum, vel ad publicarum via- B rum, ſeu privatarum, ſeu cœnobii exemptioni, vel reparationi pontium, vel cuſtodiam parentum ægrorum, vel inimicorum animalium ſeu pecudum, vel ad arcendam ab agris inundationem fluminum vel aquarum, vel ad lupos, vel ad alias peſtilentias nocivas profugandas, vel ad eleemoſynas colligendas, & relicta ſeu data a vivis ſeu defunctis, quæ cum conſilio capellani loci, in uſus aliquos relicta fuerint, ſive data, ſeu in alios pios uſus, ſi a relinquentibus, vel dantibus non fuerit diffinitum, expendi volumus & mandamus. Si pia vero alia ſtatu- C ta fecerint, non obſervent: immo de capitularibus ſuis abradi faciant intra menſem, alia ulterius non facturi, ſine aliqua ſpeciali permiſſione prælati, ne in obſervatione præmiſſorum dolum faciant ſiue fraudem.

Verum volentes per comites & confratres cauſam cavi, & carregia ulterius fieri prohibemus, niſi ipſa carregia pertinuerint ad præmiſſa, quæ eis ſuperius expreſſa vel conceſſa ſunt, niſi ad communem utilitatem aliqua fecerint de conſilio capellani. D Sane quia juſtum eſt, ut quos timor Dei non revocat a malo, pœnitentia coerceat a peccato: volumus ut tranſgreſſores hujus conſtitutionis, niſi reatum ſuum purgaverint infra menſem poſt publicationem ipſius factam, duobus diebus Dominicis, vel feſtivis, excommunicationis notam incurrant. Cujus conſtitutionis volumus quod ſinguli capellani habeant tranſcriptum, & eam publicent in eccleſiis ſuis, ſicut ſuperius eſt expreſſum.

E Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo quinto, Id. April.

NOTA G. COSS.

CAnones hujus concilii XXXI. numerat Gregorius de Rives in ſuo conciliorum breviario: forte quia ultimum diviſit in duos, ut in ſumma edidit Lud. Bail. Nos Santonenſem codicem accurate ſequimur.

Editas autem eſſe in provinciali ſynodo has conſtitutiones, ex eo conſtare videtur, quod inter conſtitutiones Santonenſis eccleſiæ relatæ ſint. Si enim eſſent a diœceſana tantum ſynodo, ad eccleſiam Santonenſem minime pertinerent.

EIVSDEM OBSERVATIO.
De concilio Copriniacenſi.

ANNO CHRISTI 1255.

COPRINIACENSE concilium anno MCCLV. Id. April celebratum notatur in Synopſi. Quo argumento, non video. Nam Copriniacenſium ſynodorum nulla uſquam, opinor, mentio, niſi in codice conſtitutionum Santonenſis eccleſiæ; in quo habet una inſcriptum annum MCCLX. altera nullam ibi notam habet temporis ſed aliunde ſcimus, habitam eſſe anno MCCLXII. ut ad eam docebimus. Vna ibidem ſupereſt, Copriniaci per G. archiepiſcopum Burdegalenſem habita: at ſine anno & die: proxime autem ſequitur Geraldi conſtitutiones modo deſcriptas, conſignatas anno MCCLV. & die Id April. & hinc forte erroris occaſio. Quanquam ſecus omnino argumentari oportuiſſet. Nam eodem die ſynodum habere duobus in locis Geraldus non potuit

B De Copriniaco, pauca. Oppidum eſt Burdegalenſis diœceſeos, vulgo *Cognac* dictum. Concilium enim anni MCCLXII. quod in codice Santonenſi inſcribitur, apud Copriniacum: in MS. noſtro codice, & in Laurentii Bochelli Decretis Gallicanis nuncupatur, *apud Cognac*. Campinacum alio nomine vocatur. Nam concilium anni MCCXXXVIII. cujus titulus eſt, *apud Cognac*, tum in MS noſtro, tum in Bochelli Decretis: in fine ſubſcriptum habet: *Actum apud Campinacum.* Gemina eſt hæc loci unius appellatio, niſi ſi forte altera ex librariorum vitio nata ſit. uti eodem in codice Santonenſi conſtitutiones aliæ inſcribuntur, *apud Reſiecos*: cum ſcribendum fuiſſet, *apud Roſſiacum*. Copriniacenſes porro conſtitutiones, quas ſubjicio, conjectura eſt non unius eſſe concilii, ſed ex pluribus collectas. Pars magna petita eſt ex concilio an. MCCXXXVIII. apud Campinacum. Qua ex parte recte Copriniacenſes dicantur, ſi quidem Copriniacum idem eſt atque Campinacum.

C In illa porro collectione Santonenſi unde illas deprompſimus, nullus ſervatus ordo nec rerum nec temporum: ſed ſtatuta quæ illam ſpectabant eccleſiam, promiſcue collecta. Nam poſt multa conſtitutionum capitula, quarum nec locus nec tempus indicatur, occurrunt conſtitutiones Roſſiacenſes anni MCCLVIII. tum Copriniacenſes anni MCCLXII. quibus ſubjectum capitulum *de abuſoribus*, quaſi ad eaſdem attineret, cum ſit concilii apud Campinacum, anno MCCXXXVIII. cujus prima capitula tria complectitur. Hinc conſtitutiones ann. MCLXX. & MCCLXXXII. tum anni MCCLXIII. deinde anni MCCXL. Atque ita deinceps ordine perturbato.

Has autem, cum earum annus ignoretur, hic, ut ſunt in illo codice, collocandas duxi.

"** CONSTITVTIONES
EDITÆ IN CONCILIO DE COPRINIACO
Per G." archiepiſcopum.

ANNO CHRISTI ....

"Geraldum archiepiſc. Burdegal.

D I. *De alienis parochiis.*

Statuimus & præcipimus, & ſub pœna excommunicationis, cui inobedientes ſupponimus, ne in eccleſiis ſuis, diebus Dominicis & feſtivis, parochianos recipiant alienos, qui proprias dimittunt eccleſias: præſertim illis diebus, quibus debent ſuas eccleſias viſitare.

Idem dicimus & ſtatuimus de illis, qui propriis dimiſſis eccleſiis, prædictis diebus E ad eos accedant, cum ipſis diebus præcipue, à proprio capellano, vel cujus"[a], ſit ſui prætoris"[b] vultus agnoſcendus.

[a] *for.* vel ejus vicario.
[b] *Corr.* pecoris

II. *Ne aliquis recipiat alienum parochianum ad ſepulturam.*

Statuimus quod aliquis non recipiat, &c. *Eſt cap.* 3. *Concilij Burdegal. ann.* MCCLXIII.

III. *De iniectoribus manuum in clericos.*

Ad reprimendam illius temerariæ præſumptionis audaciam, *&c. In concilio apud Campinacum anni* MCCXXXVIII. C. 19.

IV. *De excommunicatis 'a canone.*

De illis qui pro violenta manuum injectione in canonem latæ ſententiæ incidunt, vel alias ex ſententia alicujus canonis, vel judicis, excommunicati vel interdicti fuerint, aut ſuſpenſi, licet poſtmodum compoſitum fuerit inter partes: diſtricte præcipimus & mandamus, ut donec beneficium abſolutionis obtineant, eiſdem ſententiis adſtricti arctius teneantur.

V. *Ne religioſi habeant proprium.*

Abbatibus diſtrictius inhibemus, *&c. In concilio apud Campinacum, ann.* MCCXXXVIII. *c.* 20.

VI. *Ne religioſi habeant proprium.*

Volumus & mandamus, *&c. Ibid. c.* 21.

VII. *De religioſis.*

Fratribus etiam diſtrictius inhibemus, *&c. Ibid. c.* 22.

VIII. *Ne religioſi exeant clauſtrum.*

Item ne aliqua in judicio repetant, *&c. Ibid. c.* 23. 24. 25. 26. 27.

IX. *De eſu carnium quoad religioſos.*

De eſu carnium, *&c. Ibid. c.* 28. 29.

X. *De ſolatiis religioſorum, & ſtatutis confrateriarum.*

Præterea præcipimus ne monachi, *&c. Ibid. c.* 30. 31.

XI. *De patronis eccleſiarum parochialium.*

De patronis eccleſiarum, *&c. Ibid. c.* 32.

XII. *De nouis domibus religioſorum.*

De novis religioſorum, *&c. Ibid. c.* 33.

XIII. *De rebus eccleſiæ non alienandis.*

Nullus poſſeſſiones eccleſiæ, *&c. Ibid. c.* 34.

XIV. *De parochianis communibus ad duas eccleſias.*

Quoniam accidit interdum, *&c. Ibid. c.* 35.

XV. *De presbyteris excommunicatis aut ſuſpenſis.*

Pro certo didicimus, *&c. Ibid. c.* 36.

XVI. *De iuramento ab ordinandis præſtando.*

Irrefragabili conſtitutione, *&c. Ibid. c.* 37.

XVII. *De collatione beneficiorum.*

De beneficiis vacantibus, *&c. Ibid. c.* 38.

A XVIII. *De concubinis ſacerdotum.*

Sacerdotes qui poſt legitimam admonitionem, in domo propria, vel aliena, ſuſpectam detinēt mulierculam, vnde ſcandalum oriatur, abſque dubio ſententiam excommunicationis incurrunt: quæ in tales a legato eſt promulgata: ſive ſit hoc occultum, ſive apertum, & ſi de hoc tibi conſtiterit, vel per evidentiam facti, vel per confeſſionem ipſius, vel aliam probationem legitimam, pro excommunicato debes illum habere: & ſi non ſatisfecerit competenter, B & ſuper hoc infamatus exſtiterit, aut tibi merito fuerit incredibilis, & ſuſpectus, poteris ei purgationem canonicam indicere, in qua ſi defecerit, debes eum canonice condemnare Si vero fuerit tibi hoc in judicio pœnitentialis confeſſus, & voluerit ſatisfacere: poteris eum abſolvere, juxta quod dicitur tibi ab ipſo legato eſſe conceſſum.

Cum ſacerdote vero, qui poſtquam hujus exceptionem incurrit præſumpſerit celebrare Divina, ſi hoc fuerit occultum, impoſita ei pœnitentia competenti, cum eo de C noſtra licentia poteris diſpenſare. Quod ſi fuerit manifeſtum, noſtro judicio reſervetur.

XIX. *De tempore jejuniorum.*

Sacerdotes præcipiant omnibus adultam ætatem habentibus inſtituta jejunia obſervare, ut quadrageſimæ, quatuor temporum, in eſca quadrageſimali, exceptis jejuniis quæ ſunt in ſeptimana Pentecoſtes, quibus poſſunt comedi ova & caſei, ratione dignitatis feſti. In ſeptimana Aſcenſionis Domini non debent carnes comedi niſi D in die.

In feſto beati Marci non debent carnes comedi, niſi fuerit in Dominica, alias in hebdomada paſchæ vigiliarum ſcilicet, nativitatis Domini, Aſſumptionis beatæ Mariæ, beati Ioannis Baptiſtæ, apoſtolorum Petri & Pauli, Matthæi, Simonis & Iudæ, Andreæ, Laurentii martyris, omnium Sanctorum, in Litania majori, ſcilicet beati Marci evangeliſtæ, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes. Si qua autem ipſarum evenerit in Dominica, indicendum eſt jejunium in die ſabbati præcedenti.

E

XX. *De cibo primæ Dominicæ quadrageſimæ.*

Prohibeant ſacerdotes, ſub pœna excommunicationis, maxime in tempore quadrageſimæ, ne aliquis in prima Dominica quadrageſimæ carnes manducare præſumat: nec aliquod aliud, niſi eſcam quæ licite in quadrageſima ſumi debet.

ANNO CHRISTI ......

XXI. *De tempore feriato per annum.*

Pronunciatum est laïcis, ut sciant omnia tēpora per annum ferienda [a]. Videlicet omnis Dominica a vespera in vesperam ferienda est. Item nativitas Domini, sancti Stephani, sancti Ioannis evangelistæ, Innocentium, sancti Thomæ martyris, Circumcisio, Epiphania, Purificatio, Annunciatio, Assumptio, Nativitas, Conceptio beatæ Mariæ, Parasceve, cum omni reverentia & honore. Sanctum Pascha cum duobus diebus sequentibus, Ascensio Domini, Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, Inventio sanctæ Crucis, Nativitas sancti Ioannis Baptistæ, Decollatio ejusdem: duodecim Apostolorum, & maxime Petri & Pauli, Andreę, Iacobi, Thomæ, Matthæi, Simonis & Iudæ, Philippi & Iacobi, Barnabæ, Mathiæ; Lucæ & Marci evangelistarum: sancti Eutropii, Georgii, conversio sancti Pauli, Cathedra sancti Petri, Ioannis ante portam Latinam, Ioannis & Pauli, Martialis, Transfiguratio Domini, Inventio sancti Stephani, Laurentii, Vincentii, Bartholomæi apostoli, Michaëlis, Dedicatio cujuslibet oratorii, omnium Sanctorum, Ægidii, Exaltatio sanctæ Crucis, Hilarii, Martini, Nicolai, Catharinæ, Mariæ Magdalenes, & aliæ festivitates, quas singuli presbyteri in suis parochiis celebrare consueverunt cum populo, quæ in vicis circummorantibus tantum indictæ sunt non generaliter omnibus. Reliquas vero festivitates per annum non sunt cogendi ad feriendum: sed monendi ut juxta antiquum morem eas observent.

[a] Ita scriptum ter in hoc capitulo, pro serianda.

XXII. *De præfationibus.*

Invenimus decem præfationes in sacro Dialogo tantum recipiendas, unam in Pascha: Te quidem omni tempore. Secundam in Ascensione Domini: Qui post resurrectionem. Tertiam in Pentecostes: Qui ascendens. Quartam de Trinitate: Qui cum unigenito. Quintam de beata Maria: Et te in veneratione. Sextam de sancta Cruce: Qui salutem. Septimam de Apostolis: Te Domine suppliciter. Octavam in Nativitate Domini: Quia per incarnati. Nonam in Epiphania: Quia cum unigenitus. Decimam in Quadragesima: Qui corporali jejunio vitia.

XXIII. *Ne laici stent in choro.*

Item inhibemus sub pœna excommunicationis omnibus laïcis, ne morentur in choro inter clericos, dum ibidem Divinum officium celebratur.

A

XXIV. *De mulieribus prægnantibus.*

Statutum est siquidem, quod mulieres prægnantes, quam cito erunt vicinæ partui, veniant ad ecclesiam confiteri peccata sua, & recipiant pœnitentiam, & corpus Domini, pro maximis periculis evitandis: & si qua in hoc negligens extiterit, ad arbitrium sui prælati disciplinæ subdatur.

XXV. *De fornicatoribus.*

Præcipitur capellanis quod denuncient omnes focarios, & fornicatores publicos, excommunicatos: & non absolvantur quo usque purgati fuerint penitus a delicto: quibus absolutis injungatur eis pœnitentia salutaris.

B

XXVI. *De frequentantibus fora diebus solennibus.*

Item denuncientur excommunicati omnes illi, qui diebus Dominicis & solennitatibus beatæ Mariæ, & aliis solennitatibus, frequentant mercata, & nundinas. Et illi qui dimittendo suas ecclesias, se absentant alibi per tres dies Dominicos. Nec non illi qui diebus Dominicis carruant cum bobus suis: nisi illos causa sufficiens, & probabilis reddiderit excusatos.

C

XXVII. *De defraudantibus ecclesias.*

Item districte præcipitur omnibus capellanis, quod in generali denuncient excōmunicatos omnes illos, qui contra libertatem ecclesiæ existūt, vel faciunt conspirationes seu statuta, vel procurāt fieri: & omnes illos, qui suam matrem ecclesiam diminuunt, ejus redditus & alia jura parochialia retinendo, & decrescere procurant, consulunt, nituntur. Nec non illos, qui laudabiles consuetudines sanctæ matris ecclesiæ in opprobrium & contemptum Dei, & totius curiæ cælestis infringunt, & destruunt; oblationes, legata, luminaria & alia bona quæ ex pia consideratione fieri, dari, aut offerri consueverunt ad honorem Dei, & salutem animarum, deviant, falsa suggestione reprimunt, & differunt, consilio, auxilio, facto suo, vel favore, & causa suæ avaritiæ, retinent.

D

XXVIII. *Ne ecclesiæ bona saziantur.*

Inhibemus, & etiam monemus, ac in generali moneri præcipimus universos barones, milites, communitates, & personas alias sæculares, ne ecclesias, prioratus, domos, possessiones, in quorum possessione pacifica sunt, vel ecclesiæ justi prælati, abbates, rectores, priores, & alii ecclesiarum administratores, sazìant, vel occupent, aut occupare

ANNO CHRISTI ....

ANNO CHRISTI 1255

cupare faciant, vel fazire. Illos autem qui A contra hujus[a] inhibitionem, post monitionem in generali factam, facere præsumpserint, vel venire, excommunicationi subjacere decrevimus ipso facto.

[a] Corr. hujusmodi

XXIX. *De fontibus.*

Baptismus fontium non debet fieri nisi in Pascha & Pentecoste: nisi pro necessitate infantium baptizandorum.

XXX. *De precibus in ecclesia faciendis.*

B Volumus & præcipimus, quod pro negotio terræ sanctæ, & domino rege Franciæ, crucesignatis, quotidie in singulis ecclesiis fiant preces, sicut a domino legato quondam extitit ordinatum: & singulis septimanis, prout in septimana vacaverit, pro his & totius ecclesiæ statu una Missa de sancto Spiritu, vel de beata Maria virgine, celebretur. Si autem circa hæc aliquem invenerimus negligentem, ipse pœna decem solidorum per nos se noverit puniendum.

XXXI. *De cubitu puerorum.*

C Prohibeant sacerdotes mulieribus, ne collocent pueros parvulos in lectis suis, sub pœna excommunicationis. Et si super hæc pueri parvuli decesserint, propter negligentiam matris suæ, patris, vel alterius, ad episcopum, vel ad suum[b] confessorem debent mitti: quia potestatem absolvendi eas a talibus non habent simplices capellani.

[b] h. Confessorem episcopi, nempe pœnitentiarium.

XXXII. *De citationibus subdelegati & transcripto rescripti.*

D Quotidianis viam fraudibus obstruentes, provida deliberatione duximus statuendum, ne ii, quibus datur in mandatis a delegato sedis Apostolicæ, vel aliis, ut reum in judicium evocent, ipsum non præsumant citare, donec authenticum ipsum, cujus autoritate fit in jus vocatio, inspiciatur, & describatur ab eo, cui fuerat ut citaret injunctum: ita scilicet ut transcriptum retineatur, scribendum sumptibus illius qui scripto authentico est usurus, citato, si necesse fuerit, exhibendum.

XXXIII. *De vita & honestate clericorum.*

E A crapula igitur, & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant: bene sibi vinum temperent: nec ad bibendum quempiam excitent: cum ebrietas, & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi commonitus a superiore satisfecerit competenter, ab officio, & beneficio privetur.

ANNO CHRISTI 1255.

XXXIV. *Quæstiones faciendæ pœnitentibus de luxuria.*

Quæratur circa peccatum luxuriæ, utrum pœnitens ad prægnantes mulieres accesserit, seu viduas, vel alias: & quæratur numerus illarum, cum quibus peccavit. Et si nesciat numerum, saltem æstimatione dicat quod credit. Quæratur etiam quanto tempore in peccato permanserit, in quo loco, sacro, vel non sacro.

XXXV. *De esu carnium a monachis.*

De esu carnium monachis præcipimus, &c. *Est iam supra cap. 9. Sed hîc pars tantum illius noni repetitur, quæ respondet Campinacensi 28.*

XXXVI. *De reverentia Dominicæ diei.*

Cum Dominica dies omni debeat reverentia celebrari, constitutioni quondam editæ de celebrandis diebus Dominicis & festivis addendum duximus, ut singuli capellani generaliter suos parochianos in suis moneant ecclesiis diligenter, quod a macellis publicis abstineant diebus prædictis, & aliis solennitatibus & festis: nec ad mercatum eant, aut nundinas, in iisdem venditurі aliquid, aut empturi. Qui vero contra hæc facere præsumpserint, excommunicationis sententiæ subjaceant ipso facto. Et ne propter capellanorum negligentiam, tales per ignorantiam se valeant excusare: monitionem hujus, sub magni pœna gagii, frequenter præcipimus iterari.

XXXVII. *De contractibus clericorum.*

Prohibemus clericis, ne ex uno eodemque contractu mutui, emptionis bladi, vel vini, ad secundum deveniatur compactum vel tertium, & sic deinceps: ne emant illicite alias, vel ut revendant. Quod si fecerint, eos condigna animadversione puniemus.

XXXVIII. *Ne conjugatus exerceat iurisdictionem ecclesiasticam.*

Prohibemus ne de cætero aliquis clericus conjugatus jurisdictionem ecclesiasticam exercere præsumat.

XXXIX. *Ne sepeliantur in ecclesiis corpora defunctorum, nisi, &c.*

Item prohibemus, ne corpora defunctorum in ecclesiis sepeliantur, nisi sit fundator vel patronus, vel capellanus ecclesiæ, nisi de licentia episcopi. Item prohibemus sub pœna excommunicationis, ne aliquis sacerdos sæcularis, vel religiosus, aliquos admittat ad sponsalia, vel ad matrimonium contrahendum,

ANNO CHRISTI 1255.

hendum, sine licentia capellani alterius contrahentium speciali.

** CONCILIVM BITERRENSE PROVINCIALE.

De præbendo ab episcopis auxilio ad castrum hæreticorum oppugnandum. VIII. Id. Maii, anno MCCLV. celebratum.

IN nomine Domini. Anno nativitatis Christi MCCLV. VIII. Idus Maii, Ludoyco rege regnante. Noverint universi, quod cum Petrus de Antolio senescallus Carcassonensis & Biterrensis, ex parte domini Regis obsedisset castrum de Querbus, ipse senescallus suis litteris apertis scripsit rogando domino archiepiscopo Narbonensi & ejus suffraganeis, ut domino Regi & sibi pro eo in obsidione dicti castri suum præberent subsidiũ & succursum: quarum litterarũ tenor talis fuit. Venerabilibus in Christo patribus G. Dei gratia archiepiscopo Narbonẽsi & suffraganeis ejus, P. de Antolio miles, senescallus Carcassonensis & Biterrensis, salutem & sinceram dilectionem cum honore. In arduis negotiis quæ dominus rex Franciæ illustris contra hostes pacis & fidei in iis habuit partibus, vos & prædecessores vestri tam laudabiliter laborastis, quod ad laudem Dei, & domini regis cedit ad commodum & honorem. Et cum de mandato ejusdem domini regis quoddam receptaculum hæreticorum obsederimus, homicidarum, & latronum, scilicet castrum de Querbus de feudo domini regis, paternitatem vestram ex parte domini regis & nostra, sicut carius possumus, deprecamur, quatenus ad obsidendum & capiendum dictum castrum viriliter nobis affectu solito succurratis. Non enim intendimus nec volumus ecclesiæ de jure suo aliquod præjudicium fieri in futurum per submonitionem quam vobis nuper fecimus & mandatum.

Datum Carcassonæ die Mercurii ante festum Ascensionis Domini, anno Domini MCCLV.

Et dictarum litterarum tenore inspecto, dominus Guillelmus Dei gratia Narbonensis archiepiscopus præsidens apud Biterrim in concilio ab eo convocato, præsentibus & assistentibus sibi venerabilibus patribus R. Biterrensi, R. Tolosanensi, G. Lodovensi, R. Nemausensi, P. Agathensi, & B. Vticensi, episcopis, & procuratoribus dominorum G. Carcassonensis, & P. Magalonensis, episcoporum; sancti Poncii, Anianensis, Villemagnensis, Caunensis, Montis Olivi, sancti Afrodisii & sancti Iacobi Biterrensis, Iucellensis, sancti Hilarii, de Quadraginta, sancti Aniani abbatibus, & procuratoribus Electensis, sancti Guillermi de Desertis, & sancti Polycarpi, abbatum; & pluribus archidiaconis, præcentoribus, & aliis personis ecclesiasticis, unanimiter deliberato consilio, habita inter se deliberatione diligenti, convenerunt & reperierunt quod non tenebantur ex debito ire vel sequi in exercitum dominum regem vel ejus senescallum, nec eis tenebantur facere hostem vel cavalcatam: præsertim cum hactenus retro temporibus prælati hujus terræ vel homines eorum, quandocumque exiverunt vel iverunt in exercitum, illud fecerint mandato legatorum ecclesiæ Romanæ, vel domini archiepiscopi Narbonensis, & nunquam mandato solius senescalli. Et ideo non ex debito, nec ex mandato vel rogatu dicti senescalli, sed potius ex gratia & honore domini regis, & quia dicitur & fama est dictum castrum fuisse receptaculum hæreticorum, furum, & latronum, unde etiam negotium pacis & ecclesiæ esse videbatur, concorditer convenerũt, quod ipsi prælati & eorum homines, moderate, secundum quod eis honestum esse videbitur, in obsessione & expugnatione dicti castri domino regi præbeant auxilium & succursum. Salvo tamen jure libertatis & immunitatis suæ, & ecclesiarum suarũ, & sine omni suo & ecclesiæ præjudicio in futurum.

Acta sunt hæc apud Biterrim, in porticu capellæ episcopalis, in præsentia & testimonio magistri Bernardi archidiaconi Ruthinensis, & domini Stephani præcentoris ecclesiæ sancti Iusti Narbonensis, domini Bertrandi de Grava capellani domini episcopi Vticensis, Hugonis de Aquilerio præcentoris Vticensis, domini Poncii de Brona canonici Narbonensis, domini Petri Vesiani sacristæ sancti Afrodisii, Guillermi de Seran, & Raimundi de Crosis clerici domini archiepiscopi Narbonensis, Gr. Cathalani clerici domini episcopi Biterrensis, & mei magistri Michaëlis publici Biterris notarii, qui mandatus a dicto domino archiepiscopo Narbonensi, pro se & suis suffraganeis & procuratoribus supradictis hæc scripsi, & redegi in publicum instrumentum, & huic publico instrumento signum apposui meum.

** Statuta sancti Ludovici Francorum regis, pro reformatione morum, in Galliam Narbonensem ejus jussu delata a Guidone Fulcodii, & relecta in concilio Biterrensi anno MCCLV.

Ex editione St. Baluzii v. cl.

HÆc sunt stabilimenta facta per dominum regem Franciæ, quæ dominus Guido Fulcodii attulit sigillata sigillo dicti domini regis, & fuerunt recitata & lecta aggregato generali concilio prælatorum & baronum & militum terræ apud Biterrim anno MCCLV.

Ludovicus Dei gratia Francorum Rex, universis præsentem paginam inspecturis salutem. Ex debito regiæ potestatis pacem & quietem subjectorum nostrorum, in quorum quiete quiescimus, præcordialiter affectantes, ac adversus injuriosos & improbos, qui tranquillitati eorum invident & quieti, zelum indignationis habentes, ad hujusmodi propalandas injurias, & statum regni reformandum in melius, ad præsens aliqua duximus ordinanda, quæ inferius continentur.

I.

Quæstus quidem illicitos, quantum possibile fuerit, in ballivis & aliis curialibus nostris reprimere cupientes, senescallos, ballivos, præpositos, vicecomites, & villarum majores, & alios officiales nostros juramento subscripto duximus astringendos: cujus si ipsi senescalli, ballivi, & alii officiales nostri fuerint transgressores, pœnas debitas in bona ipsorum, vel, si res exigat, in personas, nostræ voluntatis vel deputatorum a nobis arbitrio reservamus. Si vero majores, ballivos, vel officiales, dejerare contigerit in hac parte: a senescallis sub bonarum testimonio personarum & cum ipsarum consilio puniantur.

II.

Iurabunt igitur omnes & singuli supradicti, quod quandiu commissam sibi tenebunt senescalliam, vel balliviam, præposituram, vel aliud quodcunque officium supradictum, tam minoribus quam mediocribus,

ANNO CHRISTI 1255.

bus, tam majoribus quam advenis, tam indigenis quam subjectis, sine nationum & personarum acceptione jus reddent; servantes tamen in locis suis sua jura, usus, & consuetudines approbatas.

III.

Iurabunt insuper bona fide jura nostra requirere & servare, & aliorum jura scienter non auferre, nec diminuere, nec etiam impedire.

IV.

Iurabunt etiam donum seu munus quodlibet a quacumque persona per se vel per alium non recipere in pecunia, auro, vel argento, aut rebus aliis quibuscumque mobilibus vel immobilibus vel se moventibus, seu beneficiis personalibus sive perpetuis, præter esculenta & poculenta, quorum valor in una hebdomada summam decem solidorum Parisiensium non excedat. Et quod dicta bona seu beneficia dari uxoribus suis, liberis, fratribus, sororibus, nepotibus, neptibus, vel consanguineis, aut consimilibus, seu domesticis, minime procurabunt. Immo bona fide diligentiam adhibebunt ne uxores suæ vel aliæ personæ proximo nominatæ dona vel munera recipiant. Quod si fecerint, ex quo hoc sciverint, eos ad restituendum bona fide compellant, sub debito juramento.

V.

Iurabunt etiam quod ab illis de sua senescallia vel ballivia, nec ab illis qui causā habent coram ipsis, vel scient in proximo habituros, mutuum non recipient per se, vel per alium, ultra summam viginti librarum, quas reddent a die contracti mutui, infra duos menses, licet etiam creditores velint solutionis terminum prorogare.

VI.

Addetur etiam juramento eorum, quod nihil dabunt vel mittent alicui de consilio nostro, vel uxoribus eorundem, liberis, aut domesticis, vel illis qui compotum eorum recipient, vel illis quos ad visitandam terram vel facta eorum exquirenda mittemus. Quod etiam in venditionibus balliviarum vel redditωum aut aliarum rerum nostrarum partem non habebunt, nec etiam in monetis. Quod bajulos infideles, seu injuriosos, vel exactores, vel de usuris suspectos, vel turpem vitam aperte ducentes, in suo non sustinebunt errore, immo eorum excessus corrigent bona fide.

VII.

Iurabunt etiam præpositi nostri, vicecomites, majores villarum, forestarii, & alii sub eis in officiis constituti judices, & locorum vicarii singulorum, quod nec superioribus suis, nec uxoribus eorum, liberis, propinquis, sive domesticis quicquam dabunt. Et in fine juramenti concludent se universa & singula supradicta servare bona fide, nisi illud quod duxerimus relaxandum, nec quicquam per se vel per alium in fraudem facere prædictorum.

VIII.

Vicarios autem quos senescalli vel ballivi per se quandoque substituent, nolumus ab ipsis institui, nisi prius sub forma prædicta præstiterint juramenta.

IX.

Vt vero hæc juramenta firmius teneantur & observentur, volumus quod in publica assisia fiant coram clericis & laïcis ab omnibus & singulis supradictis, etiamsi antea facta fuerint coram nobis: ut non solum metu divinæ indignationis & nostræ, sed etiam confusionis & erubescentiæ apud homines, perjurium manifestum incurrere vereantur.

X.

Volumus autem & præcipimus, quod senescalli nostri, & alii quicumque sub ipsis tenentes officium, necnon & omnes qui in dictis balliviis vel senescalliis vadia nostra recipiunt, abstineant ab omni verbo quod vergat in contumeliam & contemptum Dei, aut matris suæ, vel sanctorum ipsius.

XI.

Inhibemus vero districte senescallis & ballivis nostris, possessiones aliquas per se vel per alium emere, administratione sua durante, in senescallia vel ballivia sua, vel fraudulenter in alia, sine nostra licentia precedente. Quod si fecerint, emptionem irritam esse, & possessiones sic emptas fisco nostro, si nobis placuerit, volumus applicari.

XII.

Prohibentes insuper senescallis & ballivis nostris, ne, quandiu senescalli vel ballivi fuerint, sibi vel suis liberis, fratribus aut sororibus, nepotibus, neptibus, consanguineis, vel quibuscumque de sua familia, matrimonia copulent cum personis suæ senescalliæ aut balliviæ suæ, sine nostro speciali consensu, nec prædictos in regione ponant, aut beneficia ecclesiastica, vel possessiones eis acquirant.

XIII.

Gista etiam vel procurationes in domibus religiosorum, vel circa, ad expensas eorum

rum non recipiant sine nostra licentia speciali.

A

XIV.

Prohibitionem vero istam quam facimus de matrimoniis non copulandis, & possessionibus non acquirendis, non extendimus ad præpositos, majores, & alios officiales minores, qui majorias, præposituras, & alia officia tenebunt in locis mansionum suarum, dum tamen hæc faciant sine nostra vel alterius læsione.

XV.

B

Senescalli autem nostri & inferiores bailivi caveant sibi a multitudine bedellorum; & quanto paucioribus poterunt, sint contenti, ad curiarum exequenda præcepta, & illos nominent in assisia publica, aliter vero pro bedellis minime habeantur. Vbi autem bedelli vel servientes ad remota loca mittentur, eis sine superiorum litteris non credatur. Et si aliter inventi fuerint facientes executiones vel mandata, nuncietur senescallo, qui eos puniat competenter.

XVI.

C

Ne vero senescalli nostri vel inferiores bailivi contra justitiam subditos nostros gravent: inhibemus eisdem, ne pro quocunque debito, præter nostrum, capiant vel captum detineant aliquem subditorum nostrorum.

XVII.

Emendas autem pro maleficiis seu debitis, a bailivis nostris levari non volumus, nisi in foro aut judiciario publice de bonorum consilio fuerint judicatæ vel æstimatæ, quamvis antea fuerint gagiatæ. Si tamen

D

ille cui crimen imponitur, curia sibi offerente, judicium illud non velit expectare, & pecuniam certam offerat pro emenda, & tale sit crimen de quo emenda pecuniaria recipi consuevit: liceat curiæ eam recipere, si sibi competens videatur. Alioquin emendam judicari faciat vel æstimari secundum quod superius est expressum, licet reus se velit omnino subjacere curiæ voluntati. Caveant tamen senescalli, judices, & bailivi, ne minis vel terroribus seu machinationibus callidis, clam vel palam, aliquem ad emendam offerendam inducant, vel sine causa rationabili accusent.

XVIII.

Eos sane qui bailivias nostras tenuerint, aliis easdem revendere prohibemus. Sed si plures emptores fuerint, unus tantum jurisdictionem exerceat, & immunitate gaudeat in cavalcatis, talliis, seu collectis, & aliis oneribus publicis, qua alii consueverunt gaudere. Vendi autem eas filiis, fratribus, nepotibus, aut consanguineis, seu domesticis bailivorum, prohibemus eisdem. Emptores autem ipsarum præpositurarum vel aliarum bailiviarum, debita propria; scilicet quæ debentur eisdem, ex præposituris vel bailiviis aliis, aut eorum sociis, autoritate propria non coerceant: sed per manum senescalli aut superioris judicis eas repetant, sicut si præposituram vel bailiviam non tenerent.

XIX.

Porro volentes viam malitiis præcludere, quantum possumus: firmiter inhibemus, ne senescalli, bailivi, vel alii officiales prædicti, in causis & negotiis quibuscunque subditos nostros locorum mutatione fatigent sine causa rationabili: sed singulos in locis illis audiant, ubi consueverunt audiri: ne gravati laboribus & expensis, cogantur cedere juri suo.

XX.

Quia vero nemo sine causa vel culpa privandus est jure suo: bailivis nostris & aliis officialibus prædictis inhibemus, ne dessaisiant aliquem sine causæ cognitione, vel nostro speciali mandato. Subditos etiam nostros novis exactionibus, consuetudinibus, vel oneribus non affligant, cavalcatas extorquendæ pecuniæ causa non mandent, sed ex causa tantummodo necessaria. Et tunc volentes personalem facere cavalcatam, ad eam redimendam data pecunia non compellant.

XXI.

Defensum autem bladi vel vini, aut mercium aliarum non extrahendarum de terra, sine causa urgente non faciant; & tunc cum bono & maturo consilio, nec suspecto; & factum cum consilio non dissolvant; & eo durante nunquam faciant gratiam specialem.

XXII.

Omnes autem bailivos nostros, majores & minores, finito officio suo remanere volumus, vel saltem procuratorem sufficientem dimittere in ipsa bailivia per quadraginta dies, ut de se conquerentibus coram illis respondeant, quibus hoc committetur.

XXIII.

Cæterum ordinationem factam de Iudæis observari districte præcipimus, quæ talis est. Iudæi cessent ab usuris & blasphemiis

miis, sortilegiis. Et [a] Talemit quam alii libri, in quibus inveniuntur blasphemiæ, comburantur. Et Iudæi qui hoc servare noluerint, expellantur, & transgressores legitime puniantur. Et vivant omnes Iudæi ex laboribus manuum suarum, vel de negotiationibus sine terminis & usuris.

[a] *for.* tam Talmud, quam al.

A

XXIV.

Præterea prohibemus districtius quod nullus omnino ad taxillos ludat, sive aleis, sive scacis. Scholas etiam deciorum prohibemus & prohiberi volumus omnino, & tenentes eas districtius puniantur. Fabrica autem deciorum prohibeatur ubique.

B

XXV.

Nullus præterea recipiatur ad moram in tabernis faciendam, nisi sit transiens vel viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem.

XXVI.

Expellantur autem publicæ meretrices tam de campis quam de villis; & factis monitionibus sive prohibitionibus, bona earum per locorum judices capiantur, vel autoritate a quolibet occupentur, etiam usque ad tunicam vel pecium. Si quis vero publicæ meretrici scienter domum locaverit, quantum valet pensio domus uno anno, bailivo loci vel judici solvere teneatur.

C

XXVII.

Præterea statutum [a] a nobis de consilio baronum nostrorum apud Melledunum editum observari præcipimus firmiter & teneri. Videlicet quod nullum debitum haberi faciant barones, bailivi, vel aliæ quæcunque personæ Iudæis, nec aliquis in toto regno nostro Iudæum retineat alterius dominii, nec impediat quo minus Iudæum suum possit capere tanquam proprium servum, quantumcunque sub alterius dominio fecerit ipse moram.

[a] *Extat tom. V. Duchesnis.*

D

XXVIII.

De Christianis vero, sicut in eodem statuto continetur, prohibemus districte quod nullas usuras haberi faciant barones, bailivi nostri, vel aliæ quæcunque personæ Iudæis. Vsuras autem intelligimus quicquid est ultra sortem.

E

XXIX.

Istud autem statutum factum apud Meledunũ volumus quod bailivi nostri observent & faciant observari, tam in terra nostra, quam in terra baronum vel aliorum, si defuerint, postquam sufficienter fuerint requisiti.

XXX.

Inhibemus autem ne aliquis in terra nostra capiat aliquem equum contra voluntatem illius cujus equus erit, nisi sit pro proprio negotio nostro. Et tunc per bailivos, senescallos nostros, aut eos qui loco eorum erunt, de equis conductitiis capiatur. Et si equi conductitii sufficere nequeant pro nostro servitio faciendo: senescalli, bailivi, vel alii qui loco ipsorum erunt, non capiant equos mercatorum, transeuntium, vel pauperum, sed divitum tantum, si sufficere possint ad nostrum servitium proprium faciendum.

XXXI.

Inhibemus etiam ne pro servitio nostro vel alio capiantur equi personarum ecclesiasticarum, nisi de nostro speciali mandato. Nec capiant senescalli, aut ei qui loco ipsorum erunt, equos plusquam nobis fuerit opus. Illos etiam quos ceperint, pro pecunia non relaxent. Hæc autem quæ de equis capiendis diximus, volumus observari quãdiu nobis placuerit. Salvis servitiis nobis debitis, & juribus nostris, ac etiam alienis.

XXXII.

Omnia ergo & singula supradicta quæ ad præsens pro subditorum quiete duximus ordinanda, retenta nobis plenitudine potestatis regiæ declarandi, mutandi, vel etiam corrigendi, addendi, vel minuendi, a bailivis nostris & subditis districte volumus observari.

Datum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto, mense Decembri.

Sanctas illas Ludovici leges, *ait Baluzius*, diu viguisse constat, ac nominatim illam quæ prohibet ne senescalli emant aliquas possessiones in sua senescallia, quandiu eorum administratio durabit: adeo ut cum Gaucelinus de Vairolis senescallus Cadurcensis nonnullas post hæc tempora possessiones emisset in sua senescallia, necessum illi fuerit anno MCCCLXI. litteras a Karolo V. Francorum Rege impetrare, quibus derogaretur huic statuto.

** CONSTITVTIONES VVALTERI DE KIRKHAM EPISCOPI DVNELMENSIS, anno Dom. MCCLV. vel circiter, editæ.

Ex codice MS. ecclesiæ Dunelmensis edidit collector Anglicanus.

PROLOGVS.

CVm sit ars artium regimen animarum: nulli, sicut credimus, vertitur quin pastores, super jura & custodia gregis Dominici, vigilantes esse debeant; solicite intendentes, quod oves sine luporum morsibus defendantur, & pabula sibi competentia ministrentur. Et nos, ex officii nostri honore & onere tenea-

ANNO CHRISTI CIRCITER 1255.

tenemur gregem nostrum contra surgentes ex adverso, juxta scientiam nobis datam a Domino defensare, imbres evangelicæ doctrinæ, pro alimentis spiritualibus adhibentes; quibus mediantibus vita & salus subditorum valeat reparari. Nostrorum itaque prædecessorum vestigiis inhærentes, quasdam constitutiones ad salutem subditorum & reparationem multorum in hac sancta synodo vobis duximus publicandas, statutis bonæ memoriæ[a] Richardi quondam episcopi Dunelmensis, quatenus observata fuerunt, & admissa, in suo robore duraturis.

[a] De statutis Ricardi Dunelmensis, vide supra annotatiunculã nostram ad constitutiones Sarum, ad ann. 1217.

Hic incipiunt constitutiones VValteri episcopi Dunelmensis.

CUm igitur decalogi observatione salus animarum consistat, monemus, exhortamur, & præcipimus in Domino, firmiter injungentes, ut unusquisque pastor animarum, ac quilibet sacerdos parochialis, sciat decalogum, hoc est decem mandata legis Mosaïcæ, quæ populo sibi credito frequenter ac diligenter exponat.

Insuper sciat quæ sunt septem criminalia; quæ non solum verbo, sed exemplo sanctæ conversationis similiter populo sibi subjecto prædicet sæpius fugienda.

Sciat quoque saltem similiter septem ecclesiastica sacramenta, & eorum effectus, quæ diligenter exponat populo quotiens fuerit opus.

Hi etiam qui sunt sacerdotes, maxime sciant quæ exiguntur ad veræ confessionis formam; sacramentum, formamque baptizandi diligenter attendant; atque solemnibus diebus & Dominicis doceant fideles laïcos ipsam in communi idiomate & vulgari, ut cum necessitas ingruerit, sciant laïci qualiter baptizandi sint parvuli, in domibus eorum, non expectato ecclesiæ sacerdote.

Habeat quoq; unusquisq; eorum simplicem intellectum fidei, sicut in symbolo, tam majori quam minori, quod est in Psalmo, *Quicumque vult*, & etiam *Credo in Deum*, expressius continentur: necnon in oratione Dominica quæ dicitur *Pater noster*, ac salutatione beatæ Mariæ: & qualiter se debeant crucis charactere insignire: ne cum laici super hoc requisiti fuerint, se conficte valeant excusare, occasione negligentiæ sacerdotum.

Super quibus omnibus & singulis, saltem in Quadragesima fideles laici in foro pœnitentiæ requirãtur. In singulis autem decanatibus aliqui discreti pœnitentiarii eligantur, qui Deum habentes præ oculis, in illo decanatu confessiones audiant sacerdotum.

Ante omnia diligenter attendant sacerdotes, ac omnes alii in sacris ordinibus constituti, si in sacri ordinis susceptione, ante vel post susceptum ordinem, irregulariter contraxerint, nisi cum eis dispensatum fuerit ab eo qui dispensare poterit: quod ab executione sui officii noverint in nostra diœcesi se suspensos, quod hujus synodalis statuti autoritate duximus publicandum. Et qui sunt casus, in quibus propter injuriam irregularitatis, secundum canones sunt suspensi, diligenter inquirãt a juris peritis; inspicientes diligenter, secundum capitulum constitutionum venerabilis patris Richardi quondam episcopi Dunelmensis.

Districte quoque præcipimus archidiaconis, & injungimus, quod in capitulis suis generalibus, ac quotiens opus fuerit, sane & simplicibus verbis, catholicæ fidei expositionem in generali concilio promulgatam declarent: & quod ecclesiasticis officiis, ac aliis honestis & bonis studiis se exerceant: Divinum officium debite, distincte, ac reverenter, horis statutis, & locis ad hoc deputatis, sine negligentia exequantur, nec celebrent de aceto aut vino corrupto.

Eucharistia autem, quæ est sacramentum Dominici corporis, in loco mundo & signato, & sub fida custodia honorifice collocetur, devote, sub sera & fideliter conservetur.

Doceat vero sacerdos plebem suam, ut cum in celebratione Missarum sublevetur hostia salutaris, se reverenter inclinet. Idem faciat cum ipsam hostiam portet presbyter ad infirmos.

Vestimenta altaris, & alia ornamenta ejusdem & ministrorum, decentia, ac vasa munda habeant; & se honeste habeant, & indumentis & habitu exteriori secundum statuta concilii, ne reprehensibiles videantur.

Statuimus & præcipimus, quod cum ferri debeat corpus Christi ad infirmos, hoc faciat reverenter & in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat, & referat, manifeste ante pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ, & cum tintinnabulo; ut ex hoc apud omnes fides augeatur & devotio, sicut in generali concilio continetur.

Caveant insuper sacerdotes, cum omni diligentia, ut in ecclesiis suis sint chrisma, oleum sanctum, & infirmorum, & sub fideli custodia, seris adhibitis, conserventur, ne possit ad illa, & etiam ad Eucharistiam, modo simili custoditam, temeraria manus extendi, ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. Et si per injuriam, ad quem spectat custodia aliquid nefandum inde contigerit, tres mensibus ab officiis suspendatur.

Idem de fontibus præcipimus observari.

Caveant etiam, ne sancta Eucharistia per vasis vitium aut diutinam conservationem contrahat humiditatem, aut humorem, unde reddatur aut gustui abominabilis, aut turpis aspectu: & inspiciat super hoc constitutionem venerabilis Richardi patris quondam episcopi Dunelmensis.

Sacerdotes autem prompti & paratissimi sint, non solum diebus, sed etiam noctibus, ut ægrotantes, cum requiruntur, visitent: ne per eorum negligentiam, moriatur infirmus sine confessione, & Dominici corporis communione, vel extrema unctione.

Et ut hæc liberiùs faciant, jubemus, adjurantes per viventem in sæcula, omnes sacerdotes, & omnes ecclesiarum ministros, maxime in sacris ordinibus constitutos, ut non sint ebriosi, aut gulosi, aut excercentes tabernas, ne morte æterna moriantur, juxta regis comminationem ad Aaron a Domino in Levitico promulgatam, quo dicitur: *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibas tu, & filii, ne moriamini.* Levit. 10.

Adjicimus etiam, ne viri ecclesiastici negotiationes excerceant, nec aliquid vendant ad usuram: sed juxta evangelicam doctrinam mutuum dent, nihil inde sperantes. Et quia fide dignorum relatione ad aures nostras pervenit, quod usuraria venditio in nostra diœcesi tam in clero quam in populo quasi communis morbus irrepsit: sub pœna canonica usurariis debita, & sub . . . . . . Divini judicis prohibemus, & interdicimus, ut nullius occasione dilationis de solutione facienda quicquam carius[a] vendant, neque dent aut recipiant ecclesias, aut vicarias, aut ecclesiastica ædificia ad firmam, nisi in casibus a jure aut conciliis sanctorum patrum concessis, & interventu licentiæ nostræ specialis.

[a] In Anglicana editione, carnis, quod certissimum mendum.

Statuimus etiam, & jubemus, ne quis beneficiatus decimas suas, ante tempus quo de ipsis poterit condere testamentum, vendat: nec etiam tunc laicis, nec aliquo tempore antequam separentur a solo, juxta canonicas sanctiones.

Interdicimus etiam insuper, ne quis viris religiosis quibuscunque solvat indebitas pensiones, aut minus canonice impositas: debitas vero & canonicas solvi jubemus. De quarum vero impositione canonica ratione

ANNO CHRISTI 1255.

ratione prævia dubitatur, ipsas sequestrari decernimus, & in æde sacra deponi, donec de ipsarum impositione canonica plenius cognoscatur.

Ad hæc præcipimus, ut qui in aliqua ecclesia adeptus fuerit personatum, in subdiaconatum ordinetur.

Qui vero ad vicariam, secundum legitima instituta promoveatur ad ordinem sacerdotii, & personaliter resideat in eadem, si canonicam voluerit effugere ultionem. Ut autem in ecclesiis, religiosorum propriis usibus deputatis, secundum statuta Lateranensis concilii, vicarii ordinentur: præcipimus,& injungimus, ut vicarios in suis ecclesiis, in quibus nondum sunt vicarii constituti, nobis personas idoneas repræsentent, qui in ipsis in ordine quod cura requirit, velint & valeant residere. Alioquin taxatis, juxta ecclesiarum facultates, vicariis ad disponendum de..... B quatenus jura permiserint, disponente Domino, procedemus.

Statuimus desuper, ut diligenter inquirant archidiaconi in suis visitationibus, quæ ecclesiæ sunt dedicatæ, & quæ non, & quæ dos in ecclesiæ dedicatione sit assignata. Insuper quæ altaria fuerunt consecrata; & si consecrata, sint crucis charactere sigillata: firmiter injungentes, ne colores super ea violentur aliquid, aut usus profanos alios quoslibet deputentur. *Locus corruptus.*

Panni etiam chrismales in usus sæculares nullatenus convertantur, cum sacro fonte renati munditiam significent, qua ablutus est parvulus a peccatis: in cujus candore vita æterna, & futura resurrectio figuratur.

Nec uni parvulo propter necessitatem aut paupe- C riem pannus aliquis deputetur per avaritiam, aut incuriam sacerdotis.

Exhortantes etiam præcipimus, ut beneficiati, & infra sacros ordines constituti, vitium luxuriæ, omnem voluptatem, carnis immunditiam fugiant, servantes continentiæ puritatem. Nullusque eorum uxorem ducat: & si, antequam sacros ordines suscepit, uxorem duxerit, seu postea, si beneficium habeat, ipso privetur, & ab executione sui officii suspendatur, nisi in casu a jure concesso.

Solenniter renovantes sacrorum canonum constitutiones, quibus cavetur, quod sacerdotes & rectores, cum filiabus spiritualibus luxuriantes, beneficiis priventur, & executione sui officii suspendantur.

Districtius autem inhibemus, ne personæ ecclesia- D rum, aut vicarii seu sacerdotes, aut etiam clerici, maxime in sacris ordinibus constituti, publice fornicarias suas habeant, nec in domibus suis, vel aliis locis suspectis, de quibus sinistra suspicio oriatur. Quod si facere præsumpserint, canonicæ subjaceant ultioni, prout ordinarii eorum melius viderint expedire. Presbyteri vero, & alii ecclesiastici, qui hujus macula respersi fuerint, a Divinis suspendantur officiis, donec per ordinarios locorum ad emendam venerint competentem. Hanc autem districtionem non tantum de sacerdotibus parochiam habentibus, sed etiam de quibuscumque capellanis præcipimus observari, cum omnes pari voto continentiæ sint astricti. Concubinæ prædictorum presbyterorum, seu clericorum, si quæ deprehendantur, vel publice convincantur, nisi monitæ resipuerint, nominatim excommunicentur usque ad condignam venerint emendam. Si quæ autem, excommunicationis sententia contempta, in peccato tam fœtidissimo perseveraverint animo indurato: in vita etiā communione careant fidelium; & si decesserint, denegetur eis ecclesiastica sepultura. Nec quisquam excommunicatas scienter & prudenter concubinas clericorum, nisi forte transitum facientes, hospitio suscipiat: & tunc cautius provideatur, ne cum suis fornicatoribus hospitentur.

Quod si rectores dictarum ecclesiarum in quibus A ministrant præfati capellani, decanis, officialibus, aut archidiaconis non denunciaverint, antequam per inquisitionem suam, vel famam, ad eorum notitiam pervenerint, sed ausu temerario prædictas personas retinuerint, aut sustinuerint, quacunque occasione in eorum obsequiis: pœnam expressam in constitutione bonæ memoriæ Richardi quondam Dunelm. episcopi se noverint incursuros. Et cum non solum a malo, sed ab omni specie mali fuerit abstinendum: firmiter etiam inhibemus, ne clerici cujuslibet ordinis, monialium monasteria, sine rationabili causa frequentent.

De...... autem parochianorum suorum, tam sacerdotes quam rectores diligenter inquirant: & quæ sine denunciatione evangelica corrigere non poterunt, decanis, locorum officialibus, vel archidiaconis, sine mora referant corrigenda. Et ad hoc fideliter faciendum, sacerdotes qui in ecclesiis sunt præfecti, sacramento arctius astringantur, quod nec propter amorem, nec favorem, nec aliquid aliud, id omittant. Ad singula etiam capitula decanorum suorum, vel archidiaconorum suorum, vel officialium suorum, rectores, vicarij, vel eorum capellani, compareant: qui ibidem prædictos excessus ostendant, & alias quæ in capitulis tractabuntur intersint.

Statuimus etiam & volumus, quod si aliqua ecclesia, ab antiquis temporibus divisa, & aliis temporibus habuerit duos capellanos, duos diaconos & subdiaconos; & postea quacumque occasione, eadem ecclesia fuerit consolidata, vel redintegrata, quod cultus Divinus, prætextu consolidationis præmissæ diminutionem minime patiatur, sed rector * numero capellanos, capellos, & alios ecclesiæ ministros, quot ecclesia prius divisa necesse habuit sustinere. *Corr. tot numero*

De capellis vero sic disponimus ordinandis: quod in eisdem, de novo constructis, non celebretur sine autoritate episcopi speciali. Quod si eo inconsulto constructæ fuerint, aut in ipsis ausu temerario celebratum: per archidiaconum in suis visitationibus hoc comperto, cantaria sine moræ dispendio suspendatur, quousque super hoc per episcopum gratiam meruerint specialem, sine juris præjudicio alieni. Hoc idem decrevimus in capellis ab antiquo constitutis, quæ non sunt episcopali munimine roboratæ: prohibentes, ne aliquid de novo, sine nostra licentia construatur, quam in casibus a jure concessis. Volumus etiam & ordinamus, quod cum capellæ plures sitæ sint in parochiis, propter parochiarum amplitudinem, diligenter & arctius inquirant de prædictis: & sacramento simili astringantur, quod excessus subditorum, sine aliqua fraude vel scrupulo demonstrabunt; & in capellis compareant, quotiens opus fuerit autoritate.

Injungimus etiam, quod sacerdotes in ecclesiis aut capellis qualitercumque celebrantes, quod ad minus bis in anno in generalibus capitulis, coram archidiaconis suis aut eorum officialibus compareant, E quod * ab ipsis promovenda fuerint auditari. ** for. quæ ab ipsis præmonenda*

Hujus etiam synodalis congregationis constitutione sancimus, ut sacerdotes qualitercumque celebrantes, harigolis aut capis manicatis in locis publicis non utantur; sed, juxta tenorem concilij, in decenti habitu incedant in publico, ut tenentur.

Statuimus etiam, ut ordinati non a suis episcopis, vel alias minus idonei, vel de quorum ordinibus ignoratur, in nostra diœcesi, sine legitimis documentis nullatenus admittantur; & de quorum prius constiterit ordinatione canonica, & conversatione, & cæteris conditionibus personarum. Quare volumus & præcipimus, ut rectores, & vicarij ecclesiarum, presbyteros

ANNO CHRISTI 1255.

presbyteros suos, suis ecclesiis qui postponere voluerint, locorum archidiaconibus, vel eorum officialibus repræsentent: ut per eos diligenter examinati, si idonei inventi fuerint ad deserviendum ecclesias, admittantur; ut eis dispendia necessaria ministrentur juxta constitutiones prædecessorum nostrorum alias promulgatas.

Rectores etiam ecclesiarum & vicarij, quorum interest, attente provideant, ut quantum ad eos pertinet, fabricis ecclesiarum suarum, necnon & ædificiis ecclesiæ mansionum, in his quæ reparatione indigent, sine difficultate aut mora aliqua reparentur: librorum & ornamentorum defectibus, ac quorumcunque aliorum & eadem forma reparatis.

Firmiter etiam inhibemus, ne beneficiati, vel ad ordines sacros promoti, ballivis intendant sæcularibus, unde & pro quibus obligantur reddere rationes.

Item ne quis rector aut vicarius, inter stipendia sacerdotibus assignata, denarios missales, triennalia, aut annalia ex pacto suo deputet sacerdoti: sed sicut prædictum est, ipsis honesta sustentatio assignetur, ne compellātur sacerdotes lucris turpibus inhiare, aut inter sæculares in suscepti ordinis ignominiam mēdicare.

Præcipimus etiam, & interdicimus, sub pœna anathematis, ne quis die paschæ, aut quovis altero quo communicandum est, eadem hora offerat & communicet, sed diversis: & ne cuiquam Dominicis diebus propter debitum pecuniarum, communio, aut aliqua alia sacramenta, vel ipsa sepultura per importunam creditoris instantiam denegentur, nisi forte juxta juris exigentiam, pro hoc fuerit prius excommunicationis sententia innodatus. Et per hanc constitutionem nostram, contra laudabilem & approbatam diœcesis consuetudinem nostram" & legitimam, nolumus ecclesiarum rectoribus, vel aliis ecclesiarum prælatis derogare.

" for. justā & legit.

Adjicimus etiam & hortamur, præcipientes, ut mimis, joculatoribus, taxillorum ludis aut aleis, non intendant, aut ludentibus assideant, vanitatibus ex frequentia intendentes, secundum canonum sanctiones.

Monemus insuper, præcipientes, ne clerici arma portent, præsertim aggressionis, nisi forsan arma, ... ingruente, & causa rationabili compellente: ita ut ex hac occasionem delinquendi, vel audaciam non assumant.

Ad hoc autem interdicimus, ne sacerdotes a laicis pecuniam extorqueant pro pœnitentia injungenda, seu quibuslibet sacramentis a sacerdotibus laicis dispensandis.

Nec pœnitentias injungant furibus, latronibus, raptoribus, prædonibus, incendiariis, alios exheredantibus, & his similibus, nisi prius facta restitutione, dum tamen taliter delinquentibus ad id faciendum suppetant facultates: cum non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum: dum tamen ipsi, contra quos commissum fuerit, superstites sint, aut eorum heredes: alioquin rapta, per malitiam adquisita, in usus pauperum per ordinarium deputentur: nihilominus pro commisso contra Deum, injuncta pœnitentia salutari.

Et ne quisquam sacerdos, cœca cupiditate ductus injungat pœnitenti in foro pœnitentiæ annalia aut triennalia, aut consimilia, ut emolumentum consequi valeat in salutis suæ dispendium, & gravamen. Et quia solis sacerdotibus est potestas ligandi & solvendi commissa, prohibemus, ne diaconi confessiones audiant, aut admittant, pœnitentias injungant, quævis sacramenta dispensent, quæ solis sacerdotibus ministrantur, nisi necessitas urgeat, aut compellat, ut in casu mortis per absentiam sacerdotis.

A De residentia vero rectorum cum luce clarius jura loquantur, hoc volumus observari, quod in canonicis constitutionibus & conciliis alias est statutum.

ANNO CHRISTI 1255.

Ad augendum vero Divini cultus obsequium ordinamus & disponimus, ut in singulis ecclesiis, quarum facultates ad hoc sufficiunt, sint diaconi & subdiaconi, sicut decet, Deum ministrantes. In aliis vero ecclesiis, saltem unus clericus idoneus & honestus, qui in tonsura decenti, & congruo habitu, deserviat sacerdoti, ne ecclesiæ debitis officiis defraudentur: ita quod idem clericus nullatenus uxoratus existat, nec deserviat in altari.

Interdicimus & firmiter injungendo ne in sacris B locis habeantur mercata, aut diebus Dominicis mercimonia exponantur: cum Dominus de templo ementes & vendentes ejecerit. Injungentes sub pœna canonica, ut cœmeteria in circuitu decenter claudantur, & ut ornamenta & vasa ecclesiæ sub honesta custodia conserventur.

Insuper interdicimus levationes arietum super rotas, & ludos, in quibus decertatur ad bravium exequendum.

Insuper & scotallorum potationes, & ludos in locis sacris quoscumque, arctius prohibemus, prout in patrum & prædecessorum constitutionibus est constitutum.

Moneantur insuper matres parvulorum solemniter die festo, ne parvulos in lectis suis juxta se collocent, C suffocatione sæpius contingente.

Clandestina quoque matrimonia, * hæc sæpius in ecclesiis publicentur: & ne quisquam præsumat his contractibus interesse, si pœnam secundum canonem debitam, nec non ad nostrum arbitrium alias infligendam, voluerit evitare. Id eoque singulis Dominicis, ne quis fidem det de matrimonio contrahendo, nisi publice in præsentia sacerdotis, & propter hoc testibus convocatis. Quod si qui inventi fuerint transgressores, canonice puniantur, & omnes illi qui hujusmodi tractatibus clandestinis interesse præsumunt, sint acerba pœna canonica feriendi. Quod quidem jubemus per nostros archidiaconos diligenter & executionem "debite demandari.

" Corr. executioni

Provideant autem rectores, vicarii, & sacerdotes, D ne passim laici sedeant & stent in cancello, dum Divina officia celebrentur: nisi forsan patroni, aut alia venerabilis persona ad hoc ob reverentiam omittatur.

Præterea quædam statuta a nostris prædecessoribus, & a domino archiepiscopo promulgata, alia renovantes, cum servata non fuerint, nobis duximus publicanda: sed hæc sub interminatione anathematis prohibemus, ne monachi, seu quilibet religiosi, negotientur lucri causa, maxime cum hoc sit viris ecclesiasticis interdictum.

Item ne vir vel mulier ad bigamiam trānsiens, a presbytero benedicatur: quia, cum alia vice sint benedicti, benedictio eorum non debet iterari.

Item prohibemus, ne abbates aut alij viri religiosi, E passim ante tempus probationis a canone definitum, aliquem ad professionem admittant: & si contra factum fuerit, animadversione debita corrigantur, cum in subsidium humanæ fragilitatis probationis spatium sit regulariter institutum.

Præcipimus etiam ut, si per negligentiam aliquid de sanguine Christi stillaverit super terram, lambatur lingua, tabula radatur super quam stillaverit: si non fuerit tabula, non conculcetur locus, sed radatur & igne consumatur, & cinis intra altare condatur, sacerdos quinque diebus pœniteat. Si autem super altare stillaverit calix, sorbeat stillam minister, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, etiam aliquod

ANNO CHRISTI 1255.

aliquod stillæ pervenerit, quatuor diebus pœniteat. Si usque ad quartum, viginti diebus pœniteat: & lintea-A mina quæ tetigerit stilla, per ministros idoneos tribus vicibus abluantur, calice superposito ", & aqua ablutionis juxta altare cum reverentia recondatur, prout in capitulo Pij papæ expressius continetur.

" Corr. supposito,

Prudenter vero caveant rectores, vicarij, & sacerdotes parochiales, ne aliquis extraneus ad trahendum numerum in eorum parochiis admittatur, nisi prius ipsis de ejus humilitate legitimis constiterit documentis.

Item cum ecclesiastici pluries periclitentur per insufficientem examinationem & indiscretam quorumdam: volumus & disposuimus, quod in singulis decanatibus sex vel quatuor discretiores, per locorum archidiaconos eligantur, qui examinent testes in singulis B causis producendos, & dicta eorum in scriptis redacta, & sub sigillis eorum inclusa, officialibus & decanis, qui parata " erant in capitulis, pro loco & tempore porrigātur. Quod si aliqui prædictorum in capitulis aliquando præsentes non fuerint, alij de ipsis qui præsentes fuerint, in locum eorum, sine difficultate aliqua subrogentur. Et quia ecclesia Anglicana oppressionibus suarum libertatum in pluribus articulis multipliciter deformatur, quos dissilere non possumus, sine interventu salutis æternæ: in illos qui hæc attentare præsumpserint, excommunicationis sententiam promulgamus.

" for. præsentes erūt.

Item excommunicationis sententia innodamus omnes illos, qui pacem regni perturbare, aut libertates ecclesiasticas infringere, seu malitiose ecclesias suo jure C privare præsumpserint, aut invadere, aut ad bona ecclesiastica malitiose manus extenderint contra ecclesiasticas libertates.

Item omnes illos qui in ecclesias vel in ecclesiastica beneficia per violentiam, vel malitiose, & ipsa per potentiam laicalem, vel quamvis aliam violentiam, per militiam contra mandatum nostrum detinent occupata: & præcipue omnes illos, qui libertates ecclesiæ Dunelmensis infringunt vel perturbant.

Item simili censura percellimus omnes incendiarios, ecclesiarum fractores, veneficos & veneficas, ac utentes magicis incantationibus, denunciamus excommunicationis sententia innodatos.

Præterea omnes illos, qui falsum perhibent testimo- D nium, vel procurant perhiberi malitiose; seu exceptiones opponunt, quo minus causa matrimonialis debitum sortiatur.

Item illos quoque omnes, qui tales producunt vel subornant, per quorum dicta aliquis fraudulenter exhereditatur, vel per malitiam & injuste.

Excommunicamus insuper omnes illos, qui gratia lucri, odij, vel favoris, false & malitiose alicui crimen imponunt, ut infamato apud bonos & graves purgatio indicatur, vel alio modo gravetur.

Similiter etiam prohibemus, ne quis advocatus nostræ civitatis vel diœceseos ad præstandum patrocinium in causis, & in consistoriis, de cætero admitta- E tur, nisi præstiterit sacramentum, quod causam quam sciverit injustam esse, vel probabiliter habita seu varia cognitione esse talem præsumpserit, & præcipue in causa matrimoniali, tractandam non recipiat.

Istis autem sententias, quater in anno, scilicet in majoribus festis anni, publice & solemniter volumus publicari: injungentes in virtute obedientiæ archidiaconis, officialibus, & decanis, ut promulgationem prædictarum sententiarum diligenter & fideliter exequantur.

Injungimus etiam archidiaconis nostris, ut cum omni diligentia in suis visitationibus & capitulis, suprascriptas constitutiones omnes & singulas faciant inviolabiliter observari: negligentes, desides, aut rebelles ipsarum observatione, animadversione condigna, per censuram ecclesiasticam compescendo. Quod si archidiaconi & eorum officiales vel decani, in executione præfatorum negligentes extiterint, vel remisi, detenti cupiditatis vitio vel favore: in eorum defectu, subditorum desidiam, aut eorum negligentiam, prout jura permiserint, p niemas. Volumus etiam, quod archidiaconi has constitutiones nostras in suis capitulis faciant evidenter exponi, in singulis ecclesiis ipsarum copiam facientes.

" ** SYNODVS NORVVICENSIS.

ANNO CHRISTI 1255.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

Constitutio domini VValteri de Suthfeld Norvvicensis episcopi, de libera dispositione primorum fructuum per curatos testantes.

VValterus Dei gratia episcopus Norvvicensis, dilectis in Christo filiis universis, abbatibus, prioribus, archidiaconis, officialibus, decanis, ecclesiarum rectoribus, vicariis, & omnibus Christi fidelibus per diœcesim nostram constitutis, salutem, gratiam & benedictionem. Ad officium pastorale licet indigne assumpti, & loco eminenti immerito constituti, summo & pio desiderio affectantes, nunc bene operando, nunc mala extirpando, dignos Domino fructus ex nostro impendere officio: sane recolimus, dum adhuc in minori officio essemus constituti, vulgariter esse dictum & obtentum: quod quilibet rector, sive vicarius nostræ diœcesis, qui vivus diem Paschæ expectaret, de omnibus fructibus, nomine ecclesiæ seu vicariæ suæ, usque ad synodum sancti Michaelis proximo sequentem percipiendis, libere, ut vellet, suum conderet testamentum. Sed contra hanc consuetudinem a fundatione ecclesiæ Norvvicensis, prout novimus & nobis constat, obtentam, a quibusdam voluntarie extitit introductum & servatum, quod fructus & bona ecclesiarum vacantium a die Paschæ, usque ad synodum Paschæ, non in usus decedentium & condentium legitime testamenta cederent, ut præmisimus, sed voluntati & dispositioni loci diœcesani relinquerentur omnino: propter quod, status decedentium graviter lædebatur, & testantium frequenter non processit voluntas. Vt igitur status ecclesiæ & singulorum reparetur, & ad consuetudinem & libertatem debitam singula revocentur: nos VValterus de Suthfeld episcopus Norvvicensis, in synodo S. Michaelis Norvvicensis præsidentes, de consensu capituli diœcesani, & præsentis synodi autoritate, omnibus existentibus in sancta synodo in hoc consentientibus, definimus, statuimus, præcipimus, & concedimus, ut, juxta antiquam consuetudinem, quam renovamus, redintegramus, approbamus, & confirmamus, omnes rectores, & vicarii viventes die Paschæ, & ex tunc quicunque morientes usque ad synodum sancti Michaelis, de fructibus & obventionibus beneficiorum suorum, libere secundum Deum sua condant testamenta. Salvis nobis & successoribus nostris fructibus ecclesiarum ante diem Paschæ vacantium, & in quibus rector die Paschæ non reperitur institutus. Et caveat sibi episcopus, qui præest, & qui pro tempore fuerit, ne causa lucri inhonesti, canonice præsentatos, absque causa rationali, usque post diem Paschæ, voluntarie differat admittere. Omnes autem illos, qui hanc nostram constitutionem, concessionem, & libertatem infringere, immutare, vel perturbare præsumpserint, sententiam excommunicationis, nostra & præsentis sacrosanctæ synodi autoritate, incurrant. In cujus rei testimo-

ANNO CHRISTI 1255.

testimonium præsentibus sigillum nostrum, & sigillum capituli nostri sunt appensa. Acta die synodi die Lunæ proximo post festum S. Michaelis, in ecclesia S. Trinitatis Norwvicensis, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto, & consecrationis nostræ undecimo.

** DECLARATIO DICTÆ CONSTITUTIONIS PER DOMINUM VV. BATEMAN episcopum Norvvicensem super quadam consultatione sibi facta per vicarium de Myldenhale.

TUa devotio postulavit a nobis, an ad te qui in vicariam de Myldenhale, per nos eras noviter institutus, an ad executores prædecessoris tui, qui post synodum Paschæ proximam præteritam diem suum clausit extremum, fructus & obventiones dictæ vicariæ post inductionis tuæ tempus provenientes debeant pertinere. Tibique taliter respondemus, quod oblationes, mortuaria, ac cætera omnia quæ ad altare perveniunt, de consuetudine, vel de jure, ad te qui ad faciendum continuam residentiam & serviendum altari juramenti vinculo es astrictus, debent integraliter pertinere: decimæ vero garbarum, & talia extrinseca jura, quæ expositione ad vicariam pertinere noscuntur, ad defunctum & executores ejusdem, si de prædictis decimis, & juribus, seu obventionibus, specifice in testamento disposuerit, pertinebunt. Si autem testamentum fecerit, & in testamento suo nil a dictis decimis seu obventionibus specifice vel expresse disposuerit; licet alia legata pecuniaria generalia vel specialia fecerit: tunc ad te, & non ad defunctum, vel ad suos executores, prædicta omnia & singula pertinebunt.

ANNO CHRISTI 1256.

** CONSTITUTIONES ÆGIDII DE BRIDPORT, EPISCOPI SARUM, EDITÆ Anno Dom. MCCLVI.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus

HÆ sunt consuetudines usitatæ in episcopatu Sarum. Imprimis de decimis omnium rerum, quæ renovantur per annum: scilicet de decima bladi & fœni, quam percipient personæ vel vicarii, tempore messis, & fœnationis; de omnimodis fructibus hortorum & virgultorum, & omnibus seminatis, in campis, hortis, & virgultis, quorum decimationem prædictæ personæ vel vicarii percipient temporibus suis.

Et si forte aliqua terra inculta, quæ aliquando fuerit culta, vertenda fuerit in pasturam, prædictæ personæ vel vicarii percipient decimum denarium venditionis.

Eodem modo de prato ad pasturam vendito, percipient decimum denarium venditionis.

Percipient etiam decimam de pullis, equis; de vitulis & agnis, porcellis, aucis quorum totius anni ...... colligi hebdomada proxima ante Pascham: percipient de decima pulli I. denarium de decima vituli, obolum.

Et percipient decimam plenariam casei, & butyri: decimam lini & lanæ.

Et si forte........ vaccas vel oves aliquis habuerit, quod non possit facere caseum: dabit pro vaccis alicubi I. denarium: alicubi denarium & obolum prout usitatum fuerit in diversis parochiis. Et pro IV. ovibus I. denarium.

Et si forte aliquis non habuerit nisi septem agnos, dabit septimum ad decimam.

Similiter & decimum vellus ovium: & septimum, si plura non habuerit.

Et si forte aliquis habuerit in custodia sua oves alienas, licet fuerint plurium hominum: nobis plenarie & integre dabit decimam agnorum.

Aut si fuissent sui proprii, similiter decimam vellerum omnium.

Et ubi pulli, equi, & vituli, aucæ, porcelli, & agni fuerint exorti, ibi debent decimari.

Et si forte extraneæ vaccæ, vel oves, pascantur in parochiis alicujus, & cubant in alia parochia de nocte, ubi proprium domicilium: persona, in cujus parochia pascantur, & persona in cujus parochia mulctæ fuerint, decimam habebunt butyri & lanæ, si in parochia in qua pascebantur fuerint hiematæ.

Et si forte alicujus oves, post festum sancti Martini occisæ vel mortuæ fuerint, de mortua dabit decimam pellem, sicut & lanam.

Nec aliquis parochianus præsumat post festum sancti Martini, vendere oves suas, vel aliquo modo alienare extra parochiam, nisi prius satisfaciat personæ de decima lanæ.

Et si forte oves alienæ tonsæ fuerint in parochia alicujus personæ: idem percipiet decimam lanæ, nisi aliquid aliud rationabiliter impediat. Percipiet etiam persona vel vicarius de artificio fabrorum, carpentariorum, sutorum, textorum, textricum, pellitariorum, pistorum, & de omnimodis artificiis; & de lucro negociatorum; & de melle, & de molendino ad ventum, & aquaticis; & de columbariis, de pomagio, & omnibus aliis de quibus ecclesia consueverit percipere.

Parochiani cujuscunque parochiæ debent offerre, ex debito, quater in anno; scilicet in die natalis Domini, in die Paschæ, in die solemnitatis ecclesiæ & in dedicatione ecclesiæ. Et quod singuli, desponsatus & desponsata, omnes terram tenentes offerant obolū.

Cæteri omnes, tam masculi, quam fœminæ, dent prædictis diebus, nisi illos excusat inopia. In Quadragesima omnes debent accedere ad confessionem, & debent offerre quicquam voluerint, nisi illos excuset inopia.

Similiter in die...... omnes parochiani veniant ad crucem adorandum, & offerant ibi pro velle suo.

Nec aliquis præsumat in die Paschæ accedere ad corpus Christi, nisi prius confessus fuerit, & crucem adoraverit.

Mulieres desponsatæ, & mulieres post parientes, debent accedere ad ecclesiam, cum candelis accensis; &..... mulieres sequentes debent offerre chrismalia infantum; nec chrismalia debent alienari, nec in aliquos usus mitti debent, nisi in usus ecclesiæ.

Item persona, seu vicarius, in obitu cujuscumque terram tenentis, de tenemento defuncti percipiet melius averium post dominum: & si forte non fuerint ibi plura averia, executores defuncti tenentur satisfacere personæ vel vicario de bonis, quæ fuerunt defuncti, prout facultates suppetunt, antequam alibi aliqua executio de testamento fiat defuncti.

Similiter de testamento mulieris desponsatæ, & omnium parochianorum, tam masculorum, quam fœminarum, eadem fiat executio testamenti.

Et capellanus ministrans ecclesiæ "..... executorem, ut diligenter provideat & disponat, quod pars bonorum quæ defuncto contingit, rationabiliter distribuatur. "f. admoneat

Tricennalia & Missæ non fiant alibi celebrandæ, quam in ecclesia, cujus fuerint parochiani, nisi de assensu dicti capellani.

Persona debet providere quod cancellum suum sit honestum, & bene coopertum: similiter & altare: sacramentum chrismatorium sit sub sera: corporalia sint de panno lineo delicato. Provideat etiam de phialis honestis ad vinum & ad aquam: de thuribulo, de candelabris, & lanterno, & tintinnabulo deferendo ante sacerdotem in visitatione infirmorum, legitime præcedente: & personæ vel vicarii debent invenire duos cereos processionales.

ANNO CHRISTI 1256.

Item parochiani debent providere quod ecclesia sit honesta, cooperta bene, & quod campanile sit bene coopertum, & securum contra omne periculum: & debent invenire campanas & chordas campanarum, crucifixum, cruces, & imagines; & calicem argenteum, missale, & casulam de serico; libros sufficientes, & omnimoda vestimenta ad altare spectantia.

Item capellanus ecclesiæ debet providere, quod mensalia, & cætera vestimenta ecclesiæ ad altare spectantia, sint munda & honesta. Et si forte contingat, quod calix........vel libri, vel vestimenta, furto vel aliquo alio infortunio subtrahantur: persona, vel vicarius, vel capellanus, vel aliquis per cujus negligentiam subtracta fuerint, restaurabit.

Provideant etiam de vexillo, de velo quadragesimali, de fonte, quod sit honestus, & sub sera: de campanellis ante funus deferendis, cum pervenietur ad sepeliendum.

Provideant etiam parochiani, quod cœmeterium eorum sit bene clausum, & bene mundatum ab urticis, & aliis herbis nocivis.

Parochiani tenentur invenire cereum Paschalem & alios cereos in cancello, & lumen sufficiens per totum annum, tam ad matutinas, quam ad vespertinas, & ad Missam: & debent invenire panem benedictum, cum candelis, qualibet Dominica per annum, in omni ecclesia de mundo Christiana.

Provideant etiam personæ & vicarii, quod habeant domos competentes & honestas, familiam honestam sine suspicatione aliqua. Et debent esse hospitales; & debent esse eleemosynarii, prout facultates eorum suppetunt; & sint residentes; nec alibi nimis........moram facientes, præterquam in propriis domiciliis, nisi de licentia domini episcopi vel archidiaconi. Nec ullus præsumat ire ad confessionem, vel ad communionem alibi, quam in parochia sua, nisi de licentia domini sui. Capellani, personæ, vel vicarii ecclesiarum, debent synodalia: scilicet XV. denarios. Quilibet capellanus solet dare archidiacono XII. denarios ad natale Domini.

Item archidiaconus, si voluerit, visitabit omnes capitales ecclesias, semel in anno, & ser......personæ vel vicarii decenter eum etiam procurabunt. Submon...... non decet aliquem in alicujus parochia, nisi habuerit capellanum, clericum consortem, quicum testimonium perhibeat de justa occasione. Personæ vel vicarii dabunt beneficium aquæ benedictæ clerico pauperi scholari, ita quod veniat omnibus solemnibus diebus ad ecclesiam serviendum, de qua habet dictum beneficium.

Item sponsalia non debent fieri in aliqua ecclesia, antequam fiat solemnius trina denunciatio: nec debet fieri in ecclesia excommunicatio, nisi præcedente prius trina admonitione.

Notandum, quod ter debet fieri in qualibet ecclesia generaliter excommunicatio per annum.

Personæ, vel vicarii, & parochiales capellani, debent parem obedientiam canonicam domino episcopo & archidiacono.

Duo debent esse inquisitores docti & discreti, & duo capellani confessores, quibus personæ, vel vicarii & capellani, debent confiteri in quadragesima, vel in alio tempore, si necesse fuerit: qui scient discernere inter lepram & lepram, &c.

Salva sanctorum reverentia duximus statuendum, quod exceptis solemnitatibus nativitatis Domini, cum quatuor diebus sequentibus, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes, cum tribus, singulisque solemnitatibus Dominicis exceptis, & Virginis gloriosæ, apostolorum, & evangelistarum festivitatibus, & sanctæ Crucis, S. Michaelis, S. Ioannis Baptistæ, S. Laurentii, & translationis S. Thomæ, festum S. Martini, & sanctæ Mariæ Magdalenæ, & S. Catharinæ; festum quoque de dedicatione in parochiis suis; necnon & sanctorum in quorum honore singulæ ecclesiæ construantur: nullius alterius festivitas ab agricultura & laboribus, sine quibus terræ coli non possint, parochianis suis indicetur per presbyteros ferianda.

ANNO CHRISTI 1257.

* ** CONCILIVM IN DANIA

Pro episcoporum securitate celebratum anno Domini MCCLVII.

Ex Alexandri IV. epist. 674. lib. III. excerptum est atque editum ab Odorico Raynaldo.

Cum ecclesia Daciana [a] adeo gravi persecutioni sit exposita tyrannorum, quod episcopis, qui se pro domo Dei murum objiciunt defensionis, etiam in præsentia domini regis in ipsorum personas non verentur minas injuriosas inferre, quæ satis probabiliter sunt timendæ, cum clerus sæcularis defensione videatur carere penitus potestatis, ac illorum superbia a metu regio libera & secura, in malum possit ascendere, quantum velit: sanxit præsentis concilii autoritate.

[a] *Dania hoc ævo Dacia vocabatur.*

I.

Vt quicumque episcoporum infra terminos regni Daciæ mala captione, de mandato domini regis, sive ejus conniventia, vel consensu, vel alicujus nobilis qui manet infra fines prædicti regni, captus fuerit, vel membrum amiserit, aut atrocem injuriam in persona sua passus fuerit, ipso facto, dummodo probabiliter præsumi possit hoc de voluntate domini Regis processisse, ac dubium non sit ipsum hoc faciliter corrigere posse, in toto regno Divina sint officia interdicta.

II.

Si vero aliquod prædictorum alicui episcoporum illorum [b] fuerit per aliquem potentem, qui manet extra regnum Daciæ, & ex conjecturis conjici aliquo modo, hoc ex regis, vel principum, sive nobilium regni Daciæ consilio provenisse: eo ipso ejusdem episcopi diœcesis a celebratione mysteriorum sileat Divinorum.

[b] *f.* illatum

III.

Et si rex admonitus per duos episcopos, vel quoscumque clericos suæ diœcesis, distulerit, vel non curaverit taliter læso infra mensem justitiam exhibere: regnum ipsum usque ad condignam satisfactionem habeatur a Divinis suspensum.

IV.

Prohibemus etiam sub excommunicationis pœna, ne aliquis presbyter, seu capellanus alicujus nobilis, durantibus prædictorum interdictorum sententiis, ipsis nobilibus præsentibus, aut aliquo alio, in curiis dictorum nobilium, vel alias publice, vel private, Divina celebrare præsumat: quod qui fecerit, sciat se excommunicationis sententiam incurrisse.

CONCI-

ANNO CHRISTI 1257.

"** CONCILIVM LANCICIENSE,

Contra Boleslaum Silesiæ ducem, qui episcopum Vvratislaviensem, & presbyteros duos, captos in carcerem conjecerat.

A Fulcone Gneznensi episcopo celebratum anno MCCLVII.

HVjus argumentum synodi enarrat *Martinus Cromerus, lib.* IX. *de origine & gestis Polonorum.* Boleslaus, *inquit,* Calvus, Silesiæ dux, cum dolore amissæ Glogoviæ percitus, tum bello superiore exhaustus, ut iram simul & cupiditatem suam expleret, facinus aggressus est impium & sacrilegum. In episcopum enim Vvratislaviensem Thomam, templum Gorcense dedicantem, & Bogusalum præpositum, & Heccardum canonicum, cum Theutonibus satellitibus suis manus injecit, captosque ad subuculã usque exspoliavit, & in arcem VVlai, atque inde Legniciam deportavit. Poscebat autem eos decem millia marcarum: quæ cũ non darent, conjecit eos in tetrum carcerem, constrictos pedibus. Qua re cognita Fulco archiep. Gneznensis, Leniciam synodum convocavit, ac de synodi sententia Boleslaum Calvum diris devovit: VVratislaviensi vero omni diœcesi sacris interdixit. Deinde cum nihilo magis dimitteret captos Boleslaus, pontificem max. Alexandrum quartum certiorem ea de re fecit: & quid porro fieri oporteret, rogavit. Rescripsit ille archiepiscopo, ut Poloniam omnem ad arma contra Boleslaum sumenda crucis prædicatione una cum cæteris episcopis concitaret. In eandem sententiam Magdeburgensi quoque archiepiscopo de concitandis Germanis scripsit. Sed interim Thomas pertæsus diri carceris, duobus millibus marcarum, & commutatione decimarum manipularium in pecuniarias per totam diœcesim suam, una cum præposito & canonico se redemit.

Eadem fere Matthias Michoviensis chronic. Polon. lib. III. cap. XLVIII.

ANNO CHRISTI 1258.

"** CONCILIVM MERTONENSE.

Ex veteri MS. edidit collector Anglicanus.

ANno Dom. MCCLVIII. fuit concilium Bonifacii archiepiscopi, & omnium suffraganeorum suorum apud Mertune, scilicet die Iovis in festo S. Barnabæ apostoli, ad quassandam decimam totius ecclesiæ Anglicanæ, per Alexandrum papam concessam.

ANNO CHRISTI 1258. "Ruffec.

"** CONCILIVM ROFFIACENSE.

Constitutiones provinciales apud Roffec " factæ anno Domini MCCLVIII. XII. Kal. Septembris, præsidente domino Giraldo Burdegalensi archiepiscopo.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De pœna illorum qui contra ecclesiastica faciunt statuta.*
2. *De pœna illorum qui violant ecclesiarum salvitates.*
3. *De religiosis qui impediunt sententias prælatorum.*
4. *De pœna laïcorum qui saziunt possessiones ecclesiarum.*
5. *Ne personæ ecclesiasticæ agant vel respondeant in foro sæculari.*
6. *Ne clerici sint advocati in foro sæculari.*
7. *Quæ forma sit in confectione testamentorum servanda.*
8. *De forma absolutionis infirmorum excommunicatorum.*
9. *De pœnis contra litigantes & judices abusores.*
10. *De non audiendis causis in locis religiosis.*

ANNO CHRISTI 1258.

CAPITVLA.

I. *De pœna illorum qui contra ecclesiastica faciunt statuta.*

CVm milites & tyranni, & fere omnes laïci, prout dicit canon, clericis oppido sint molesti, & peccatis exigentibus fere per omnes regiones, milites, " communitates, & barones, rustici & burgenses, constitutiones, immo vero destitutiones, edicta, conjurationes, confœderationes, conspirationes, colligationes, emprisias tacitas vel expressas, & alias machinationes varias & diversas, quoquo nomine censeantur, & promulgationes eorumdem facere præsumpserint, & præsumant, ne laïci in foro ecclesiastico litigent, nisi super certis articulis, & valde paucis, quos ipsi exprimũt, jurisdictionem ecclesiasticam confundendo & enormiter restringendo; inhibeant etiam ne ab uxoribus suis vel familiis" suis fiant oblationes, in illis casibus in quibus fideliũ pia devotio offerre consueverat, tam de longa consuetudine, quam de jure: nos omnes illas personas, quæ profana hujusmodi præsumunt vel præsument facere, vel jam facta servare, seu opera misericordiæ vel justitiæ, in quantum tangunt libertatem ecclesiasticam, occasione hujusmodi restringere, seu etiam coarctare, excommunicationis vinculo innodamus. Præcipientes ut tales in generali, & expresse illi de quibus constiterit, excommunicati denuncientur diebus Dominicis & festivis. Et si per tres menses in excommunicatione hujusmodi malitiose perstiterint: statuimus, ut in fine corpora ipsorum non tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, nisi plene satisfecerint de præmissis: & ne filii eorum vel nepotes, ad clericatum, & ad beneficium ecclesiasticum admittantur: neque ipsi rei aliquatenus absolvantur, quousque ecclesiæ de omnibus deperditis & damnis integre fuerit satisfactum: & diœcesanus prædictis reis talem pœnitentiam infligat, qua cæteri a talibus arceantur.

" al. mil. & bar. comites, rustici & burg.

" al. famulis

ANNO CHRISTI 1258.

II. *De pœna illorum qui violant ecclesiarum salvitates.*

Cum Dominus Iesus Christus verbo pariter & exemplo nos docuerit, quanta reverentia sacrosanctis ecclesiis debeatur, cum vasa non sineret transferri per templum, sicut in evangelio continetur, & vendentes & ementes boues, & oves, & colũbas, de templo ejecerit, nummulariorum mensas evertendo & pecuniam effundendo: non advertentes istud prædones, aliqui milites, & tyranni, frequenter infringunt ecclesias, & violant salvitates, rapiendo bona contenta ibidem, nonnumquam homines in ecclesis & salvitatibus capiendo, aliquoties verberando, & plerumque, quod pejus est, occidendo. Vnde statuimus & præcipimus, quod hujusmodi pestilentes homines, postquam de sacrilegio sic commisso constiterit (quos ex tunc in generali monemus & moneri præcipimus, & si moniti talia facere præsumpserint, ipso facto excommunicatos esse volumus) denuncientur excommunicati diebus Dominicis & festivis: & numquam ad absolutionis beneficium admittantur, quousque passis injuriam duplum emendaverint, & loco sacro satisfactionem fecerint, quam diœcesanus viderit expedire, & quousque ipsi diœcesano, in cujus contumeliam sacrilegium commissum fuerit, sit congrue satisfactum.

III. *De religiosis qui impediunt sententias prælatorum.*

Cum obedientiæ virtus in illis personis majorem debeat habere vigorem, quæ secundum vitam suæ professionis videntur sæculum abjecisse: peccatis exigentibus, inveniuntur aliqui monachi, & plerique alii religiosi, qui suos ordinarios contemnentes, eorum sententias vilipendunt, & suspensi, interdicti, vel excommunicati, Divina præsumunt officia profanare. Quare de communi consilio provide* statuimus, ut monachi & cæteri religiosi taliter excedentes, de diœcesibus, in quibus talia perpetrare præsumunt, expellantur in perpetuum, vel ad tempus; & abbates, vel priores eorum, ad ejiciendum eosdem, si necesse fuerit, a diœcesanis suis per censuram ecclesiasticam compellantur.

* al. providemus, & stat.

IV. *De pœna laicorum qui saziunt possessiones ecclesiarum.*

Inhibemus & monemus, ac in generali moneri præcipimus, universos barones, ballivos, milites, communitates, & personas alias sæculares, ne ecclesias, prioratus, domos, possessiones, & res alias in quarum possessione pacifica sunt vel erunt ecclesiæ, aut prælati, abbates, priores, rectores, & alii ecclesiarum administratores, saziant, & occupent, aut occupari faciant, vel saziri. Illos autem qui contra hujusmodi inhibitionem, & post monitiones in generali factas, facere præsumpserint vel venire, excommunicationi subjacere decernimus ipso facto.

V. *Ne personæ ecclesiasticæ agant vel respondeant in foro sæculari.*

Inhibemus, & monemus universas personas ecclesiasticas, ne agant vel respondeant, vel se applegient in foro sæculari, de his quę ad ecclesiasticum, non ad forum pertinent sæculare, nisi hoc fecerint de suorum licentia prælatorum, vel vices gerentium eorundem. Eos autem qui contra hujusmodi monitionem & inhibitionem facere vel venire præsumpserint, excommunicatos esse volumus ipso facto. Illos autem qui personas ecclesiasticas compulerint, vel compellere voluerint ad prædicta, eidem sententiæ decernimus subjacere.

VI. *Ne clerici sint advocati in foro sæculari.*

Inhibemus universis religiosis, & clericis beneficiatis Burdegalensis provinciæ, ut non sint advocati in foro sæculari, nisi pro se, vel pro ecclesia, vel personis miserabilibus, vel conjunctis. Eos autem qui contra hanc inhibitionem advocationis officium præsumpserint exercere, excommunicationis vinculo innodamus. Et eidem excommunicationi supponimus omnes religiosos, & clericos, qui assessores vel consiliarii fuerint contra ecclesiæ libertatem.

VII. *Quæ forma sit in confectione testamentotorum servanda.*

Cum ad episcoporum spectet officium, ut extremæ legitimæ voluntates fidelium effectui mancipentur: præcipimus & mandamus, ut tam clerici quam laïci, cum sua voluerint condere testamenta, vel ultimas voluntates, proprium advocent capellanum, & coram ipso, & idoneis testibus, sua legitime ordinent testamenta vel ultimas voluntates. Capellani vero ad suas ultimas voluntates, duos, vel unum, advocent vicinos capellanos, vel subcapellanos, si possint commode. Quod nisi fecerint, diœcesani arbitrio graviter puniantur, quousque per provinciale concilium certa pœna contra transgressores hujusmodi statuatur.

VIII. *De forma absolutionis infirmorum excommunicatorum.*

Cum quidam simplices capellani parochianos suos excõmunicatos in mortis articulo laborantes, cũ juramẽto quod heredes eorum

ANNO CHRISTI 1258.

eorum stent juri, indifferenter absolvant, A licet plerique de dictis personis sint pro re manifesta vel re judicata excommunicationis vinculo innodati: firmiter prohibemus, ne aliqua ecclesiastica persona aliquem excommunicatum pro re manifesta vel pro re judicata præsumat absolvere, nisi ab ipso infirmo, vel aliquo nomine ipsius, adversario ejusdem infirmi prius fuerit satisfactum, nisi per inopiam valeat probabiliter excusari. Si vero ab aliquo, non servata forma hujusmodi, infirmus excommunicatus fuerit absolutus: absolvens, adversario defuncti ad interesse in solidum teneatur. B

IX. *De pœnis contra litigantes & judices abusores.*

Quia propter favorem quem indiscreti judices & maligni student impendere apostolicarum abusoribus litterarum, varij & diversi reperiuntur modi prædictis litteris abutendi: de consilio & assensu suffraganeorũ nostrorum & approbatione concilij, omnes prælatos Burdegalensis provinciæ, necnon subditos regulares & sæculares, qui judices esse possunt, monemus & C moneri præcipimus, ut in causis sibi commissis a sede apostolica vel legatis ipsius, & etiam committendis, juris ordinem studeant fideliter observare: & nullos audiant qui contra adversarium suum non habent aliquid quæstionis. Nec etiam illos audiant, qui litteras apostolicas ad futuras trahunt controversias, quæ nondum fuerant tempore impetrationis exortæ. Nec audiant eos, qui aliquem super uno negotio, vel etiam malitiose super pluribus personalibus actionibus, quæ commodius possent sub uno judice terminari, per varias litteras coram diversis judicibus trahere non formi- D dant. Nec permittãt, quod reus actorem eodem tempore ad diversa loca, vel indeterminate ad villam quæ commune cum villis ejusdem provinciæ habet vocabulum, evocet per litteras eorumdem, vel etiam per litteras aliorum. Nec illos audiant, qui ad locum non insignem, in quo non possit jurisperitorum copia inveniri, adversarium postulant evocari. Nec illos, qui per generalem clausulam *& quidam alij*, plures quam quatuor evocari desiderant ab eisdem. Nec se, propter aliquorum favorem, die ad E procedendum partibus assignata, audeant absentare, seu etiam occultare. Et si conservatores fuerint, non se intromittant, nisi de manifestis & notoriis, sicut in novis decretalibus continetur. Si vero subditi aut prælati, autoritate concilij provincialis generaliter moniti, prædictis abusionibus, vel alicui earum, scienter præsumpserint consentire, seu alij abusioni in jure expressæ: nos ipsos ab officio & beneficio suspendimus, justitia mediante: cujusmodi suspensionem si per quadraginta dies sustinuerint, excommunicationis vinculo innodamus. Pœnas autem prædictas, quas pravis judicibus Burdegalensis provinciæ infligimus, litigantibus ejusdem provinciæ litteris apostolicis abutentibus, similiter duximus infligendas. A sententiis autem excommunicationis vel interdicti, in præmissis constitutionibus provincialibus promulgatis, poterit diœcesanus quilibet subditis suis absolutionis beneficium impertiri.

X. *De non audiendis causis in locis religiosis.*

Cum religiosarum personarum & monasteriorum quietem prælati debeant procurare, ut ipsi religiosi in contemplatione manentes, Divinæ possint liberius inservire majestati: canonica statuta sequentes, districte præcipimus & mandamus prælatis, & omnibus clericis & laicis universis, ne infra basilicas vel claustra regularium conventualium litigare præsumant, vel aliquatenus audire litigantes. Quod si facere præsumpserint, postquam istud præceptum eis fuerit publicatum: nos, transgressores dicti præcepti sub districta ponimus sententia interdicti.

Explicit concilium de Roffiac.

NOTA G. COSS.

Attribuitur a nonnullis hæc synodus anno MCCLVI. perperam, cum & in MS. nostro, & in Laur. Bochellj decretis, diserte expressus sit annus MCCLVIII. dies vero XII. Kal. Septembr. Inter constitutiones ecclesiæ Santonensis, hæ sunt editæ, inscriptæque, *apud Resiecos.*

ANNO CHRISTI 1258.

*** CONCILIVM MONSPELIENSE DE DISCIPLINA ECCLESIASTICA VIII. Idus Septembr. MCCLVIII. per Iacobum archiepiscopum Narbonensem cum suffraganeis celebratum.

Editum a D. Luca Dacherio, tomo II. Spicilegij: nunc collatum cum altero exemplari, quod manu sua Sirmondus noster descripserat.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Contra rerum & personarum ecclesiasticarum violatores.*
2. *De non tonsurando aut ordinando alterius diœcesano: & qui sint tonsurandi.*
3. *Vt qui clericaliter non vivunt, clericorum privilegio non gaudeant.*
4. *Vt qui excommunicat, vel denunciat excommunicatum, potestatis suæ litteras ostendat.*
5. *Vt Iudæi usuras non exigant, sed tantum sortem.*
6. *Vt episcopi non dent litteras suas quæstoribus, qui non ostenderint pontificias.*
7. *Vt hæc statuta observentur, & in aliis synodis publicentur.*
8. *Vt statutum contra invasores bonorum ecclesiasticorum omnibus Dominicis & festis publicetur.*

ANNO CHRISTI 1258.

Vndecim statuta pollicebatur Synopsis. Sed revera non plura sunt quam hæc octo. Ortus error ex numeris qui male adscripti erant in codice MS.

PRÆFATIO.

Legem statuit Dominus humani generis creaturæ, ut in ministerio vitæ rationabili edocta, labe ruditatis abjecta, fieret discretionis luciditate præclara. Tunc etenim ex lege resultat justitia, dum quisque sui debitum cujuscumque officij custodit. Quo fit ut sancti patres præceptis edocti justitiæ, ut sic dilucidentur obscura, inordinata in melius conformentur, & tollantur injuriæ, jusque suum servetur & largiatur cuilibet indefesse, diversa statuta provide ediderunt. Inde est, quod nos Iacobus miseratione Divina sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, majorum nostrorum præsenti concilio vestigiis inhærentes, ipsorum edocti magisterio, quædam pro moderamine, quædam vero pro transgressorum audacia reformanda, de consensu venerabilium fratrum nostrorum, præsenti concilio approbante, ad bonum statum nostræ provinciæ duximus statuenda, quæ inferius declarantur. Sane quia prædecessores nostri in provincialibus conciliis, ad ampliandum cultum orthodoxæ fidei tam super ecclesiarum libertatibus, quam vita & honestate clericorum, necnon & aliis diversis capitulis, diversa pro qualitate temporum edidere statuta: nos eadem per omnia approbantes, ad conservandam ecclesiasticæ libertatis justitiam, & perversorum reprimendam audaciam, ut quantum possumus viam malitiis claudamus, & in quiete vivere cupientes, quietem aliis præparemus: præsentis approbatione concilij provide duximus statuendum.

CAPITVLA.

I. *Contra rerum & personarum ecclesiasticarum violatores.*

Vt quicumque temere bona ecclesiastica invaserit seu occupaverit, aut res ecclesiarum seu monasteriorum rapuerit, personisve ecclesiasticis injurias intulerit, aut ecclesias seu loca religiosa, vel earumdem ecclesiarum libertates & jura impediverit usurpando: sciat se ipso facto, autoritate præsentis concilij, anathematis vinculo innodatum. Et quia peccata nocentium scire expedit & oportet, statuimus ut ad requisitionem illius episcopi, contra quem, aut contra cujus subditos, seu ecclesiasticas personas, ecclesias, sive monasteria, aut loca religiosa in sua diœcesi constituta, hæc attentata fuerint, cæteri episcopi reum hujusmodi, sive reos, tamdiu excommunicatos denuncient, & per suas civitates & diœceses faciant solenniter nunciari, donec emendam fecerint proinde competentem: ipso tamen episcopo ad denunciationem hujusmodi prius in sua civitate ac diœcesi procedente.

II. *De non tonsurando aut ordinando alterius diœcesano: & qui sint tonsurandi.*

Quia vero nonnulli instantia importuna, vel per obreptionem, forsitan absque sui

A ordinarij licentia, per alios episcopos tonsurantur: ut quod specialiter prohibetur, observetur: statuimus ut nullus episcopus de cætero, prætextu ratihabitionis, cujuslibet alterius diœcesanum aliquem, absque licentia sui episcopi, tonsurare audeat, nec ipsum multo fortius ad minores vel majores ordines promovere. In tonsurando vero, illos maxime qui cum postulant tonsurari, sunt in ætate viginti annorum & supra constituti, cautelam habeat ordinator, ut talem adscribat militiæ clericali, qui ex devotione, non per fraudem, adscribi cupiat ordini clericali, & qui non sit omnino expers scientiæ clericalis.

B

III. *Vt qui clericaliter non vivunt, clericorum privilegio non gaudeant.*

Demum obloquentium ora cum debita justitia claudere cupientes, jurisdictionem ecclesiasticam sic volumus observare illæsam, ut non simus aliis oneri: perpetuo statuto duximus ordinandum, quod clerici mercimonia publice exercentes, operatorium scilicet sive mensam, hypothecam, vel similia, pro vendendis mercibus tenentes, seu cum personis laicis talia exercentes, C vel scholares aut socij existentes, & qui tonsuram dimiserint, aut in habitu non vixerint clericali, vestes varias deferendo, vel alias clericos non decentes, & qui mechanicas artes exerceant, aut qui operas suas aliis locaverint vilia exercendo, quamdiu notabiles se reddiderint, vel in fraudem aliqua commiserint in præmissis, necnon & modo quolibet bigami, & qui, etiam sine culpa, propter homicidium vel aliter sunt inhabiles ad recipiendum ordinem clericalem, a talliis seu quotis ab ecclesia de cætero minime defendantur: ut qui ho- D nore clericali se indignos reddiderint, ejus beneficio nullatenus foveantur. Privilegio vero per canonem, *Si quis suadente*, concesso ordini clericali, per prædicta nos non intendimus in aliquo derogari.

VI. *Vt qui excommunicat, aut denunciat excommunicatum, potestatis suæ litteras ostendat.*

Porro animarum pericula vitare, quantum possumus, affectantes: statuimus, ut ad mandatum executoris a domino papa super negociis aliquibus constituti, vel ab eodem domino papa judicis delegati, aut subdelegatorum executorum, & judicis hujusmodi, nullus passim aliquem excommunicet, vel etiam interdicat, seu excommunicatum vel interdictum denunciet: nisi prius potestatis & commissionis suæ executor aut judex delegatus apostolicas litteras, & si subdelegatus fuerit eorumdem ipsas litteras

ANNO CHRISTI 1258.

litteras apostolicas, necnon & suæ subdelegationis litteras ostenderit, fidem faciens de mandato: cum tali etiam de jure, nisi prius de mandato constiterit, minime sit credendum.

V. *Ut Iudæi usuras non exigant, sed tantum sortem.*

Cæterum Iudæorum avaritiam exitiabilem, quantum cum justitia possumus, refrænantes *, statuimus, ut nullus de cætero Iudæum aliquem contra Christianum super exactione debitorum audiat, nec ei audaciam aliquam præbeat: nisi prius sacra lege Mosaica coram posita, Iudæus ipse qui justitiam postulat sibi exhiberi, per suum declaraverit advocatum, quid & quantum de ipso debito quod exigit, usura vel sors fuerit: ut ex tunc super sorte solummodo audiatur, usurarum petitione penitus submota: salva tamen nihilominus defensione qualibet Christiano, si velit & postulet se ad probandum admitti quod totum fuerit usura quod Iudæus exigit, vel in majori quam declaraverit quantitate.

* al. reformantes.

VI. *Ut episcopi non dent litteras suas quæstoribus, nisi viderint apostolicas.*

Verum quia quæstores plurimi passim * de locis aliis ad istam provinciam se committunt *: non abs re duximus statuendum, quod episcoporum aliquis, nisi prius nostras videat litteras ipsis concessas quæstoribus, super negotio pro quo quæstores hujusmodi destinantur, eisdem suas litteras non concedat.

* al. partim. * al. convertunt.

VII. *Ut hæc statuta observentur, & in aliis synodis publicentur.*

Præcipientes firmiter & mandantes, ut omnes in nostra provincia constituti, statuta ipsa cum devotione recipiant & observent, ac eadem faciant a suis subditis inviolabiliter observari: ipsa nihilominus in proxima synodo & aliis synodis publicantes.

VIII. *Ut statutum contra invasores bonorum ecclesiasticorum omnibus festis publicetur.*

Et ne prætextu ignorantiæ, quanquam non sit constitutio singulorum auribus inculcanda, quisquam se possit aut valeat ad excusandas excusationes in peccatis forsitan excusare: præcipimus & mandamus, ut constitutionem supradictam, provida deliberatione præsentis concilij editam contra bonorum ecclesiasticorum temerarios invasores, omnes episcopi diebus Dominicis & festivis, ab omnibus capellanis & ecclesiarum rectoribus in suis civitatibus & diœcesibus faciant publicari.

Datum apud Montempessulanum in provinciali concilio ibidem celebrato VIII. Idus Septembris, anno Domini MCCLVIII.

Ad concilij calcem, utroque in exemplari subjectum est hoc consilium.

** Consilium de clericis facinorosis per senescallum capiendis de ordinarij licentia.

Consilium est, quod ordinarius det licentiam senescallo Bellicadri, quod ipse per se, & alias quasvis certas personas ab eodē senescallo nominatas, & ab ordinario exceptatas *, possit & valeat autoritate ordinarij clericos capere pro raptu, homicidio, & incendio, fractionibus nocturnis domorum, depopulatione agrorum; in ipso tamen flagrante crimine deprehensos: ita tamen quod ad capiendum sceleratum *..... illius loci in quo facinus ipsum perpetrabitur, capellanum vel rectorem, aut officialem ordinarij, aut clericum aliquem, si alter eorum ibidem repertus fuerit, secum advocet. Sin autem, facinorosum taliter deprehensum, sine læsione ipse capiat, captumque, sine mora & absque læsione aliqua, ad curiam ordinarij ducere non postponat. Hujusmodi autem licentiam per suas patentes litteras ordinarius faciat, & usque ad suum beneplacitum voluntatis: de ipsius vero concessionis licentia, ut appareat quod senescallus ejusdem ordinarij autoritate procedat, idem ordinarius patentes litteras ab eodem habeat senescallo.

* for. acceptatas. * for. clericum.

** CONCILIUM SCOTICUM, præsente rege Alexandro, Perthi, id est, in oppido S. Ioannis habitum.

ANNO CHRISTI 1259.

Ex Hectoris Boethi historia Scot. lib. XIII.

Habitum deinde est concilium primatum ecclesiæ, præsente rege, Perthi: id oppidum nunc, ut antea significatum est, S. Ioannis dicitur. Eo concilio edita sunt statuta provincialia, approbante rege & regni primoribus: quæ & hoc tempore in ecclesia observata manent.

** CONCILIUM RAVENNENSE a Philippo archiepiscopo & suffraganeis celebratum anno Domini MCCLIX.

ANNO CHRISTI 1259.

Hieronymus Rubeus, *historia Ravennatis libro VI. ad annum MCCLIX.* Cum per id tempus, *inquit*, Tartarorum late insonaret nomen, Poloniaque & Pannonia ac finitimis vastatis regionibus, undique excurrerent: Philippus Fontana archiepiscopus Ravennas, Alexandro pontifice jubente, provinciale concilium Ravennæ habuit: quo cum sacrati viri in Dominicanos, Franciscanosque fratres invehentes, dicerent, de decimis illos ad populum non concionari, audire a confessionibus eos qui audiri ab ipsis deberent, sibique ad sepulturam commissos recipere, concionandique

ANNO CHRISTI 1259.

concionandique munus exequi, quod tamen ipsorum esset, iisque omnibus impediri, ne pecuniam adversus Tartaros, Christianorum subsidio, cogerent: Opizo San-Vitalius, Parmensis episcopus assurgens, religiosos illos viros accurate defendit, mirarique se magno opere dixit, de eo illos accusari, propter quod laudandi vehementer essent, & in quo multos nomine negligentiæ suspectos esse non ignorarent. Deum nostram inopiam miseratum, excitasse illos ordines hominibus affluentissimos, quibus ætas illa neque doctius aliud, neque religiosius quidquam videret: quique non colligendis modo decimis studerent, sed omni vitæ, illiusque commodorum cura posthabita, in eas regiones irrumperent, ut superarent agrestes illos homines, id autem est, ut adducerent ad Christum, & Christianis adjungerent. Hæc atque alia in hanc sententiam peroranti Opizoni, magnum aliquorum conflavere odium.

NOTÆ G. COSS.

Pertinere ad annum MCCLXI. hæc synodus videri poterit ei, qui paulo post leget observationem nostram de conciliis eo anno celebratis. Et vero facilis error, ut LIX. pro LXI. scriberetur. Ego tamen assensum sustineo. Nam anno ipso MCCLIX. eadem erat causa, cur metueret pontifex a Tartaris, juberetque ut ad eorum reprimendum furorem omnes in commune consulerent.

ANNO CHRISTI 1260.

*** CONCILIUM COLONIENSE a Conrado archiepiscopo celebratum, anno Domini MCCLX.

Ex editione Coloniensi anno 1554.

Capitula seu rubricæ statutorum ecclesiæ Coloniensis, a bonæ memoriæ D. Conrado archiepiscopo Coloniensi, in ejus concilio provinciali editorum.

1. *De manifesta cohabitatione clericorum & mulierum.*
2. *De manifesta clericorum negotiatione.*
3. *De insufficientia scientiæ, quæ est illitteratura, clericorum.*
4. *De tonsura clericorum.*
5. *De clericis simoniacis.*
6. *De clericis irregularibus.*
7. *De dormitoriis, de lectura tabulæ capitularis, de lunationibus, de memoriis defunctorum, de modo eundi in capitulum, & procedendi in eodem. De ordine ministrantium ad altare, & de canonicorum comedendi & dormiendi modo.*
8. *De campanariis & custodibus.*
9. *De decanis, scholasticis, cantoribus & canonicis.*
10. *De capellanis regularibus, episcopalibus & præpositorum, & qui non debeant esse ejusmodi capellani.*
11. *De pistrinis ecclesiarum.*
12. *De præpositis & eorum capitulis, qualiter erga se invicem habere debeant.*
13. *De electionibus capitulorum.*
14. *De immunitatibus & muris earum.*

PRÆFATIO.

In nomine Domini. Amen.

NOS Conradus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri imperij per Italiam archicancellarius: in agrum Domini curæ nostræ commissum, de mandato apostolico his diebus per ostium visitationis ingressi, plura in ipso, quam A utique credebamus, offendiculorum invenimus zizania diversorum. Si enim mala opera conversationis & scandala perversitatis in clero, recte zizania sunt censenda, incœpti super hoc propositum negotii prosequamur: inprimis quidem extirpando radicitus vitia, ut deinde virtutum germen laudabile, unde fructus salutis proveniat, inseramus. Cum igitur ista bonorum plantatio germinum, & extirpationes vitiorum, in agrum Domini absque correctionis remedio fieri non valeat: opportune secundum qualitates & modos excessuum, correctionis canonicæ modos providimus adhibendos. Sane cum ea quæ nobis genera diversorum offendiculorum visitantibus occurrunt, in aliquibus clericorum sint ista, & fere maxime in eorum compluribus usitata: B manifesta cum mulieribus cohabitatio, habitus clericali incongruus disciplinæ: in nonnullis quoque eorum, negotiatio detestanda; & insufficientia scientiæ, quæ est illitteratura, in multis, quos clericos solo nomine, non re, recta consideratione censemus: & præter hæc, aliqua alia in nonnullis eorum occurrunt, habentia notam labis ecclesiasticæ. De manifesta mulierum cohabitatione notatis, ita secundum canonicas præcipimus sanctiones.

ANNO CHRISTI 1260.

CAPITULA.

I. *De manifesta cohabitatione clericorum & mulierum.*

C Cum enim manifestos mulierum cohabitatores seu concubinarios censeamus, non solum eos, qui in suis domibus tenent concubinas, verum omnes generaliter, eos etiam qui mulieres focarias extra domos suas manentes, suis manifeste procurant sumptibus & sustentant: de his ita præcipimus, quod tales, inde in visitatione nostra notati, cessent de cætero a talis peccati commercio, & in pœnam commissi excessus, intrent carcerem canonicalis disci-D plinæ, illum servaturi secundum morem & consuetudinem disciplinæ hactenus observatæ. De his autem mulieribus ita præcipimus, quod si intra immunitatem, quod absit, fuerint compertæ manentes, vel prope immunitatem, decani ecclesiarum per excommunicationis sententiam ipsas ad recedendum compellant. Ipsique nihilominus decani eas ad suos plebanos destinent, recepturas ab eis, vel aliis boni consilij, quod E ad remedia animarum, viris, pœnitentiam salutarem.

Quia vero supradicti cohabitatores mulierum clerici, patrimonium Iesu Christi in usus malos, cum suis peccando focariis, expenderunt: eos proinde teneri ad satisfaciendum ecclesiæ, cujus bonis taliter in suis concupiscentiis & peccati illecebris sunt abusi, decernimus, & satisfactionis istius modum nobis reservamus secundum canonicas sanctiones.

Et quia iidem clerici, sicut de multis eorum comperimus, ita hujus peccati perniciosa

ciosa nimis assuefactione excæcati, in eo persistere, usque ad vitæ etiam suæ novissima, non verentur, in tantum quod in extremis agentes, si quid de bonis ecclesiasticis habuerint, ea pueris suis legant & deputant, non contenti quod inde in vita sua eos aluerant; & sic fraudant ecclesias Iesu Christi patrimonio, sequemetipsos culpæ magis illaqueant coram Deo: talem abusionem damnabilem detestando damnamus, & fieri de cætero districtissime prohibemus.

Item ut ipsi clerici, qui malam utique vitam in hujus cohabitationis crimine agunt, a mala saltem sibi fama coram hominibus & toto clero, de improperiosa nimis detractione præcaveant, ipsis sub districtione firmissima prohibemus, ut nuptiis filiorum suorum & filiarum personaliter non intersint. Et in his nuptiis, quantum omnino potest, vitetur pompa & solennitas nuptialis.

II. *De manifesta clericorum negotiatione.*

Cum negotiatio in clerico, & usura in laico, quasi esse unius generis censeantur: ita præcipimus, quod cessent de cætero a talis peccati malitia, & in pœnam commissi excessus, intrent canonicalis carcerem disciplinæ, secundum quod superius est expressum. Quia vero isti turpis avaritiæ sectatores, non Deo, sed mammonæ, lucrifacere elegerunt, & malis inhiando lucris, Christi similiter patrimonio & bonis ecclesiasticis sunt usi illicite & indigne: eos proinde teneri ad satisfaciendum ecclesiæ, in cujus non fideliter, sed potius fraudulenter, negotiati sunt bonis, decernimus, & satisfactionis istius modum secundum sanctionem canonicam nobis reservamus.

III. *De insufficientia scientiæ, quæ est illitteratura, clericorum.*

Item de clericis de insufficientia doctrinæ, quæ est illitteratura, notatis, sicut de omnibus scientiam eminentem non requirimus, sed qui sciant legere & cantare ad Divini officij ministerium competenter: ita præcipimus, quod qui per se non possunt facere in choro cantandi debitum & legendi, faciant per aliam personam idoneam, secundum quod decani sui discretio duxerit providendum.

IV. *De tonsura clericorum.*

Cæterum de clericis non deferentibus clericalem tonsuram, & vestes habentibus clericum non decentes (indecentia namque vestium, in colore, vel pompa nodorum, vel apertura vestium a latere, aut nimia brevitate, notatur) sic tam de his quam de illis districte præcipimus, ut tonsuram comæ, quæ clericalis sit, habeant, & suas coronas competentes, & eas radere non omittant: quod tamen invenimus aliquos omittere, quod maxime detestamur, dum tales & taliter se gerentes, privilegio quidem clericali gaudere contendant, & tamen signum illius privilegij aspernentur. Sub eadem districtione, vestium indecentium pompam & usum firmissime inhibemus.

V. *De clericis simoniacis.*

Item de clericis simoniacis ita præcipimus, quod ante omnia, ea dimittant beneficia, quæ adepta per simoniam extiterint, ne ea in damnationem suarum teneant animarum: & postmodum cum maturo consilio, qualiter ipsorum statui consulatur, ordinabimus secundum canonicas sanctiones.

VI. *De clericis irregularibus.*

De clericis autem irregularibus ita præcipimus, quod a sui officij executione se contineant, donec circa eos fuerit ordinatum secundum canonicas sanctiones, quid fuerit ordinandum.

VII. *De dormitoriis, de lectura tabulæ capitularis, de lunationibus, &c.*

Consequenter, quia in ipsa visitatione cōperimus, circa Divinū officium sive ministerium atque chori debitum, negligentias & omissiones debiti, factas hucusque fuisse & fieri, plusquam Dei honorem deceat, & saluti ipsorum expediat ministrorum: quæ quidem negligentiæ causantur exinde potissimum, quod sunt quædam ecclesiæ canonicorum carentes dormitoriis, quædam habentes dormitoria, sed eorum canonici dormire in his longo temporum spatio dissuerunt: item quod in quibusdam ecclesiis est compertum, raro vel numquam per anni totius spatium lectiones & cantum Divini officij in capitulari tabula annotari: item raro vel numquam in capitulo ipso legi lunationes mensium aut Kalendas, seu obitus fidelium, quorum commendationem aut memoriam agere unusquisque, de eleemosynarum vivens sustentatione, tenetur: super his omnibus, qualiter reformentur, & reformata, in robore suo permaneant & vigore, sicut primitus erant instituta: ita præcipimus, quod ecclesiæ canonicorum carentes dormitoriis, ea deinceps habeant, de communi ecclesiæ ære, seu pecunia, construenda: & canonici qui habentes dormitoria, dormire in his aliquamdiu dissueverant, in his dormiant, prout hoc consuetum fuit antiquitus: his dūtaxat exceptis, quos infirmitas seu debilitas, aut alia causa legitimæ necessitatis excusat: cum alias cassa & vana fuisset ipsorum dormitoriorū structura, si non in ipsis modo & more debito, maxime

ANNO CHRISTI 1260.

xime causa matutinalis officij, dormiretur. A Item præcipimus, quod quædam canonicorum collegia in consuetudinem adduxerint, nullis diebus cantare vigilias pro defunctis, nisi quando distributio denariorum in choro præsentibus exhibetur, & sic evanescat illorum memoria, qui etsi ad distributiones hujusmodi quicquam non dederint, vel legaverint ecclesiis, ad communem tamen administrationem corporis præbendalis, prædia & possessiones pie & munifice sūt largiti: super hoc ita statuimus, ut non solum illis feriis, quæ sunt distributionibus hujusmodi deputatæ, verum & aliis diebus B omnibus, præterquam in festivitatibus, secundum consuetudinem majoris ecclesiæ, vigiliæ cum officio pro defunctis in choro solenniter decantentur. Et post hujusmodi decantationem officij, decanus & fratres ingredientur domum capituli: ante omnem tractatum disciplinæ vel etiam præbendæ, aut cujuscumque alterius negotij, tabulæ capitularis lecturam (habentis distincte & in specie, quid unicuique sit cantandum vel legendum in choro) audiant diligenter, ac C insuper lunationes mensium ac Kalendæ & obitus legantur. Necnon aliqua lectio de regula & vita clericorum legatur. Et tunc immediate de disciplina fiat quod fuerit faciendum, ac talia consequenter post ipsam disciplinam tractentur negotia, quæ ad utilitatem seu necessitatem fuerint spectantia publicam seu privatam. Et si aliquando decanus non fuerit præsens, propter hoc non omittatur ullatenus, quin fratres domum capituli intrent, ad audiendum ipsius tabulæ capitularis lecturam, ut sciant quid unicuique in choro sit legendum, ut supra diximus, & cantandum deputatum. Quia cum D in majori ecclesia talis, & bona utique consuetudo, in hujusmodi observetur: idipsum in aliis volumus ecclesiis observari.

Item præcipimus, ut Divinum officium in choro numquam absque ordine ministrorū sacerdoti ministrare debentium, videlicet diaconi & subdiaconi, decantetur: & ipsi ministri in ipso sacræ Missæ officio non præsumant, absque indumentis suo ordini deputatis, aliquatenus ministrare, nec ante finem Missæ recedere. Quod tamen in quamdam E consuetudinem, immo malam abusionem, apud quasdam ecclesias fuisse comperimus introductum: sed deinceps hoc fieri, firmissime prohibemus. Eisdem etiam ministris injungimus, quod quotiescumque hebdomada eorum fuerit officio deserviendi Divino, horas in choro matutinales & alias servare studeant diligenter: ne ullum per eos omissionis debiti, quoad sacrum ministerium, esse valeat argumentum. Sacerdotes autem ipsi quotiescumque celebraturi sunt Missam, veste camisiali sub albis non careant, ne albam, quæ consecrata est vestis, ipsorum tunicæ valeant immediate contingere, nec ipsæ tunicæ apparere.

Item canonicis, ne frequenter extra immunitatem ecclesiarum suarum comedant, aut dormiant extra ipsam, firmissime prohibemus: nec ulla eis suffragetur occasio, si forte propriis domibus careant. Competentius namque in suis dormire dormitoriis, & comedere in claustris aut refectoriis suis possunt hi, qui domibus propriis vel certis hospitibus carent: quam hæc facere forinsecus apud loca suspecta, vel alias clericalis cōversationis non bene decentia honestatē.

VIII. *De campanariis & custodibus.*

Item ut campanarij ecclesiarum, quorum servitus sive onus circa altare versatur, numquam absque veste camisiali compareant, firmissime prohibemus: & ut hoc absque omni omissione servetur, ecclesiarum ipsarum thesaurarij seu custodes, & singuli in singulis suis parochiis plebani, provideant diligenter. Præfati etiam thesaurarij seu custodes, quorum interest ecclesiæ luminaria ministrare, ea ita fideliter administrent, & generaliter omnis ecclesiasticæ supellectilis seu thesauri custodiam, eorum fidei atque curæ commissam, ita conservent fideliter & solerter: quod inde non sint reprehensibiles, & quod pœnam canonicæ castigationis evitent.

IX. *De decanis, scholasticis, cantoribus, & canonicis.*

Consistente autē penes decanos ecclesiarū potestate, lege ac gubernatione canonicæ disciplinæ exercenda: ipsis propter hoc firmiter præcipiendo injungimus, tota eos ad id niti solertia, quod in ecclesiis disciplinalis observātia vigeat honestatis: & sicubi enervata extiterit, ipsam studeant reformare, commissam sibi excessuum correctionis potestatem, & regimē sui officij taliter exequendo, ut boni dispensatores in domo Domini super ejus familiam digna possint commendatione censeri. Et hoc quidem se facere arbitrentur, si ipsi disciplinati appareant in seipsis, & per bonum exemplum confortent & animent suos confratres.

Præfati autem decani, quicumque promotionis suæ tempore non fuerint in sacris ordinibus constituti, eos incunctanter recipiant, gradatim de ordine ad ordinem ascendendo.

Item præcipimus, quod intra tempus in jure expressum, ordinem sacerdotalem recipiant, si ordinem forte in nostra diœcesi a nobis vel aliquo alio episcopo contingat nostro nomine celebrari: nec aliquis decanus propria autoritate, vel potius voluntate, præsumat ordinis sacerdotalis receptionem protrahere

ANNO CHRISTI 1260.

protrahere vel differre, nisi specialiter hoc a nostra licentia valeat obtinere.

Item præcipimus, quod ipsi decani postquam ordinem sacerdotalem receperint, & generaliter omnes sacerdotes, necnon ecclesiarum plebani, tam urbani pariter quam rurales, surcotia clausa portent: quod sicut ab aliis sunt in statu honoris & reverentiæ differentes, ita deceat quod ab illorum habitu vel vestitu differentes appareant, & nullum in eis exemplo & usu vestium signum appareat levitatis.

Et sicut ecclesiarum decanis modo prædicto injungimus facere quæ ad ipsos pertinent facienda, in seipsis pariter & suorum regimine subditorum: ita scholasticis ecclesiarum, necnon choriepiscopis seu cantoribus, quorum officia onus suum tam circa disciplinam, quam chori debitum atque residentiam in ipsis ecclesiis faciendam, habere noscuntur, injungimus, ut in his omnibus studeant ita se habere, quod inde non sint reprehẽsibiles, sed potius cõmendandi.

Itẽ sicut decani in ecclesiis residere debere noscũtur, ita quoque scholastici & cantores: unde & hoc eos ita præcipimus observare.

Item nemo sit scholasticus in duabus ecclesiis, quarum præpositi & decani, priores Colonienses existunt: cum de necessitate deinde causetur inconveniens, ut illarum ecclesiarum ad minus altera, sui defectum debiti in membro ita necessario, cujus quidem non est levis recuperatio, patiatur.

Item & illam abusionem in aliqua ecclesiarum compertam, quod decanus sit liber a choro, quasi corruptelam & quasi pessimæ adinventionis ac fraudis modum vel speciem, detestamur: & detestando præcipimus, ne quis de cætero decanorum in sua præsumat ecclesia per abusionem hujusmodi a sui jugo oneris vacillare.

Item ne canonici ecclesiarum in solemnitatibus & stationibus sine chorali pellicio vel veste canonicali sub superpellicio incedãt in ecclesiis conventualibus & in choro.

Item præcipimus, ut si quando canonici per vicos civitatis aut plateas incedant, ita decenter in habitu vestimentorum incedant, sicut ab antiqua est consuetudine observatum.

X. *De capellanis regalibus, episcopalibus, & præpositorum, & qui non possint esse hujusmodi capellani.*

Cum in aliquibus ecclesiis capellani regales, episcopales, ac etiam capellani præpositorum existant: qualiter hi se habere debeant, cum nonnullos forte ipsorum hoc lateat, determinandum necessario hoc duximus in præsenti nostrorum serie statutorum. Capellani hujusmodi residentiam in suis ecclesiis tamquam alij fratres facient, nisi illo tantum tempore, quando agunt suorum negotia dominorum, atque etiam si negocia ecclesiæ hoc exposcant.

Et nobis in ecclesia majori, vel alia nostræ civitatis vel diœcesis ecclesia, si sunt ea vice præsentes, celebrantibus, ibi debent adesse in Divini celebratione officij, & adstare. Et debent hujusmodi capellani in sacris esse ordinibus constituti. Super hujusmodi capellanos episcopales, erit noster capellarius, quasi loco judicis & magistri.

Ad hæc præcipimus, quod nulli decani, nulli scholastici, nulli choriepiscopi vel cantores, nulli sacerdotes ecclesiarum, capellani episcopales ullatenus aut regales existãt.

XI. *De pistrinis ecclesiarum.*

Cum vero sint quædam ecclesiæ carentes pistrino communi, quod multum utique reprobamus: super hoc ita præcipimus, quod in omnibus ecclesiis collegiatis habeatur commune pistrinum, & panis ibi præbendalis distribuatur, potius quam unusquisque cum modio sive maldro annonam panis præbendalis recipiat ad vẽdendum. Ex hac namque venditione perit hospitalitas in ecclesiis, cum in ipsis pauci vel nulli reperiantur panem suum in domibus comedentes claustralibus, vel egenis inde eleemosynam tribuentes.

XI. *De præpositis & eorum capitulis, qualiter erga se invicem habere debeant.*

Consequenter de ecclesiarum præpositis videamus, qualiter ipsi erga capitula se habere debeant, & qualiter capitula erga ipsos vice versa. Cum enim ipsis præpositis ea potissime incumbat solertia, quod circa ecclesiæ exteriora vel ejus temporalia defendenda sint vigiles & cooperantes capitulis, ubicumque injuriam patiuntur, qualiter ab illis injuriis releventur, nostro, prout eis opus fuerit, auxilio accedente, & non solum ad hujusmodi temporalia promovenda exterius teneantur, immo ad omnia alia, tam intus quam extra, quæ sunt ad ecclesiæ utilitatem & pacem spectantia, necnon ad ipsius ecclesiæ jura, statuta honesta, & bonas consuetudines observandas teneantur ex proprio juramento: ipsis præcipimus, circa hæc omnia taliter se habere, quod inde irreprehensibiles censeantur.

Capitula etiam vice versa ita se erga ipsos habere præpositos studeant in omnibus, honorando ipsos in quibus sunt merito honorandi: quod in nullo, ipsorum præpositorum dignitati derogent sive juri. Et quia de aliquibus præpositis unum quidem in visitatione cõperimus reprehensibile, & non laudandum, quod ipsi fructibus suspensarũ in ecclesiis præbendarum, quorum sunt & esse de jure tenentur dispensatores, illi præsertim, qui dictos fructus nondum in capitu-

la

ANNO CHRISTI 1260.

la transtulerunt) abutuntur. Cum enim de ipsis fructibus, uno eis anno cedentibus, tecta ecclesiæ, quando foret necessitas, reparare deberent, ipsi ea non reparant: immo fructus ipsos canonicis inobedientibus, ideoque suspensis, restituunt seu remittunt. Ecce per hanc remissionem, injuriam fabricæ ecclesiæ faciunt, damnum seu emolumenti carentiam sibi ipsis, ac insuper occasionem negligentiæ & abessendi ab ecclesia, canonicis suis præstant. Hanc itaque abusionem, omni penitus ratione ac etiam colore carentem, ipsis de cætero præpositis inhibemus: volentes, ut vel ipsi retineant convertendos in utilitatem propriam illos fructus, si ecclesia eorum opus non habuerit reparatione tectorum; vel ecclesiæ ipsi ad ornamenta fructus hujusmodi largiantur, potius quam eos indignis, hoc est, inobedientibus restituant, & in sua inobedientia seu dissolutione taliter animent, ac sic ipsi præpositi dissolutionis ac inobedientiæ sint autores.

Item quod ipsi canonici qui suspensi fuerint pro sua inobedientia, numquam in facie fratrum intra immunitatem compareant manifeste, firmissime præcipimus & mandamus.

XIII. *De electionibus capitulorum.*

Item ne in præsentis nostræ visitationis proposito omittamus hoc, per quod maxime ecclesiarum collegiatarũ quieti prospicitur, illarum præsertim quæ plurium clericorũ receptionibus ad vacatura beneficia sunt gravatæ: cum constitutio domini Alexandri papæ super hoc ipso decreverit providere, nos illam constitutionem præcipimus inviolabiliter observari, ut cum juxta eandem constitutionẽ, quatuor ex receptis ante ipsam, provisum fuerit de præbendis, quæ post constitutionem prædictam vacaverunt vel vacabunt, ubi nondum quaternarius est completus, alij ultra ipsum numerũ existentes, habeantur pro cassatis, nec aliquo modo ex receptione tali, a præpositis, decanis & capitulis ecclesiarum, pro canonicis vel præbendariis admittantur. Et monemus illos qui receptioni hujusmodi innituntur, & de canonicatu & præbenda se ingesserint, quod deinceps omnino desistant. Præpositos autem, decanos & capitula nihilominus admonemus, ut tales pro canonicis vel præbendariis non admittant.

XIV. *De immunitatibus, & muris earum.*

Ut vero omnes ecclesiæ collegiatæ, immunitates suas muro circumdatas, & clausuras portarum bene munitas habeant, firmissime præcipimus & mandamus.

Hæc itaq; nostræ visitationis præcepta canonica & statuta, ita a nobis edita præcipimus inviolabiliter observari: & unũquodq; collegium ea in scripto ad suæ exemplar & regimen vitæ recipiat: & recepta, penes se in perpetua commendatione memoriæ teneat diligenter. Hæc itaque ad præsens statuimus, salvo nobis, quod alia, si qua adhuc occurrerint, opus habentia reformationis aut correctionis remedio, sive de canonicis, aut monachis, aut etiam plebanis existant, ea statuamus, ut inde, prout expediens fuerit, loco & tempore ordinemus. Pronunciatum & datum Coloniæ quarto Idus Martij, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo.

"**EIUSDEM D. CONRADI archiepiscopi, statuta de monachis, & eorum conversatione & vita in eodem concilio anno MCCLX. edita.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De celebratione Divini officii.*
2. *Quando & quomodo monachis communicandum sit.*
3. *Propria monachis habere non licere.*
4. *De incontinentia monachorum.*
5. *De habitu monachorum.*
6. *De monachis percussoribus.*
7. *De monachis simoniacis.*
8. *De cibis monachis interdictis.*
9. *Exitus qui monachis vetitus.*
10. *Abbates Divinorum celebrationi interesse deberet.*
11. *De proprietariis excommunicandis.*
12. *De monachis fugitivis & apostatis.*
13. *De receptione hospitum.*
14. *De dandis eleemosynis.*
15. *Monachis ubi & quomodo sumendus cibus.*
16. *Monachis ante Primam & post Completorium exire non licere.*
17. *Monachis cum venia exeuntibus quid curandum.*
18. *De carcere monasterii.*
19. *Mulierem intra septa monasterii masculini dormire non licere.*
20. *De monachorum capitulo quotannis celebrando Coloniæ.*
21. *De rasura monachorum.*
22. *De lectis monachorum.*
23. *Monacho absenti non deberi præbendam.*
24. *De jejuniis monachorum.*
25. *Officiariis monachorum qualis incumbat facienda ratio.*
26. *Monachos nuptiis interesse non debere, & quibus exequiis possint.*
27. *Quod non offerant ad altare.*
28. *In aliis mandatur regula observari.*

PRÆFATIO.

In nomine Domini, Amen.

Conradus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri Imperii per Italiam archicancellarius.

Saluti & bono statui omnium, cujuscumque professionis seu ordinis, sed nostrorum domesticorum maxime, debitores in Domino existentes: sicut in nostra visitatione negotium reformationis & correctionis de clericis

ANNO CHRISTI 1260.

clericis per statuta canonica expedivimus competenter, ita de monachis sattagenes, idipsum suo modo, quo competens fuerit, expediemus.

CAPITVLA.

I. *De celebratione Divini officii.*

IN primis igitur statuimus, quod omnium monasteriorum nigri habitus monachi Ordinis S. Benedicti, Divinum officium in cantando & legendo, secundum quod regula ejusdem S. Benedicti præcipit, exequantur: & maxime munditiis circa altaria & ornatum ecclesiasticum sint studentes.

II. *Quando & quomodo monachis communicandum sit.*

Statuimus item, ut ministri altaris, singulis Dominicis diebus & aliis festivitatibus, prout consuetudo loci seu monasterii habet, communicent corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, facta prius confessione abbati vel priori secundum regulam: ut si aliqua de causa duxerit aliquis abstinendum, causam abbati vel priori non differat intimare, ut cujus judicio abstineat, vel ad communicationem accedat.

III. *Propria monachis habere non licere.*

Item statuimus, quod monachi proprium non habeant, secundum quod regula eorum præcipit, nisi quod abbas dederit aut permiserit: & quod pariter victum & vestitum percipiant de communi per sui administrationem abbatis, ut nullus monachorum causetur de qualitate seu quantitate victus & vestitus, & vestibus, sed omnia ipsis administrentur, secundum quod monasteriorum suorum suppetunt facultates, & prout regula hoc exposcit.

IV. *De incontinentia monachorum.*

Statuimus eos graviori culpa, vel pœna puniendos secundum regulam, qui fuerint de incontinentia notati, quæ maxime in monachis est detestanda.

V. *De habitu monachorum.*

Item statuimus inhibendo, ne aliquis monachorum surcotiis, caligis coloratis, calceis nodatis, cingulis irregularibus, aut massubiis sericis utatur: sed quod ipsi monachi talibus indumentis, quæ ipsorum regula præcipit aut concedit, induantur.

Statuimus etiam, quod monachi officiarii, pro sui monasterii vel officii negotiis, aut alii de licentia abbatis, vel prioris abbate absente, exeuntes, talibus utantur vestibus & calceis pluvialibus, quæ ipsorum ordinis deceant honestatem, & in quibus monasticæ religionis seu conversationis abusio non possit deprehendi.

VI. *De monachis percussoribus.*

De monachis autem irregularibus ita præcipimus. Si monachus in monachum manum injecerit sui monasterii, & læsio non sit enormis, abbas ipsum absolvat secundum morem regulæ: alioqui si læsio fuerit enormis, abbas illum ad sedem Apostolicam destinet, vel ad illum qui absolvendi habuerit potestatem.

VII. *De monachis simoniacis.*

Præcipimus item de simoniacis, quod circa illos secundum constitutionem regulæ procedant abbates: super his vero, quæ ipsis non sunt concessa abbatibus, eorum monachi ad superiorem mittantur.

VIII. *De cibis monachis interdictis.*

Statuimus etiam, quod monachi aliis cibis non utantur, nisi eis quos ipsorum regula præcipit aut permittit.

IX. *Exitus quis monachis vetitus.*

Item præcipimus districtius, ne monachis detur frequens licentia exeundi: sed si sine licentia superiorum, districtum sive portas claustri aliquis eorum exire præsumpserit, pœnam inde sustineat regularem.

X. *Abbates Divinorum celebrationi interesse debere.*

Statuimus & quod abbates in conventu cum fratribus sedeant, & Divinis frequentius intersint lectionibus, maxime vigiliis, capitulo, collationi, & aliis Divinis officiis, cum eisdem: nisi causa necessaria, utili, vel honesta, fuerint præpediti.

XI. *De proprietariis excommunicandis.*

Item statuimus, quod abbates excommunicationis sententiam in proprietarios semel in anno, scilicet sabbato proximo ante Dominicam *Lætare*, solenniter in capitulo publicent: & si post aliquis inventus fuerit habere proprium, secundum regulam punietur.

XII. *De monachis fugitivis & apostatis.*

Statuimus etiam, quod monachi fugitivi & apostatæ, per suos abbates ad sua monasteria revocentur, salva ordinis disciplina, nisi toties inobedienter & ex talibus causis recesserint, quod secundum regulam non debeant in eorum monasterio tolerari.

ANNO CHRISTI 1260.

XIII. *De receptione hospitum.*

Statuimus item quod nullus monachorum hospites per se recipiat, nisi hospitarius monasterii, vel alter cui abbas eos commiserit recipiendos.

XIV. *De dandis eleemosynis.*

Item statuimus, quod debita eleemosyna & consueta, tam de refectorio, quam hospitali, fideliter pauperibus erogetur.

XV. *Monachis ubi & quomodo sumendus cibus.*

Statuimus etiam, quod omnes monachi in communi refectorio comedant, nisi infirmitas, vel alia aliqua causa legitimæ necessitatis, ipsos excuset: & tunc quæ superfuerint, in eleemosynam pauperibus tribuantur.

XVI. *Monachis ante Primam & post Completorium exire non licere.*

Statuimus item, quod monachis nullatenus detur licentia ante Primam exeundi, & similiter post Completorium, nisi ex causa valde rationabili & necessaria, ut pote si contingat ipsum extra monasterium suum in aliquo loco Divinum officium celebrare, vel in obitu parentum, fratrum vel sororum.

XVII. *Monachis cum venia exeuntibus quid curandum.*

Item si contingat monachum ante vesperas exire de licentia, ita maturet redire, quod in Divino officio illa hora esse possit.

XVIII. *De carcere monasterii.*

Statuimus etiam, quod quodlibet monasterium suum carcerem habeat, in quo delinquentes regulariter puniantur.

XIX. *Mulierem intra septa monasterii masculini dormire non licere.*

Statuimus item quod nulla mulier dormire debeat intra immunitatem: & si factum fuerit, ille qui est in culpa, graviter puniatur.

XX. *De monachorum capitulo quotannis celebrando Coloniæ.*

Item statuimus, quod omnes abbates nigri habitus Ordinis B. Benedicti nostræ diœcesis, singulis annis in Exaltatione sanctæ Crucis capitula Coloniæ teneant, vel apud sanctum Pantaleonem, vel apud sanctum Martinum: ut ibidem observantia regulæ cum discretione tractetur, & de statutis nostris, qualiter in quolibet monasterio observentur, & aliæ utilitates monasteriorum. Et quicumque ipsorum abbatum ad capitulum venire neglexerit, nec excusationem in capitulo legitimam ostenderit, secundum coercitionem regulæ puniatur. Et volumus quod abbates sancti Pantaleonis & sancti Martini Coloniensis, ista capitula singulis annis fieri procurent a nobis, ita quod nullus valeat excusari.

XXI. *De rasura monachorum.*

Item præcipimus quod monachi in rasura coronarum & tonsura capillorum, ita decenter & regulariter se habeant, quod super his non valeant reprehendi.

XXII. *De lectis monachorum.*

Statuimus item, quod monachi non dormiant in lectis plumeis, sed in culcitris, secundum quod regula mandat.

XXIII. *Monacho absenti non deberi præbendam.*

Item statuimus, ne aliquis monachus rediens, qui absens fuerat de licentia, vel sine licentia, aliquam præbendam tempore suæ absentiæ requirat: quia illa esset occasio proprium habendi.

XXIV. *De jejuniis monachorum.*

Statuimus item, quod monachi jejunia sua observent secundum quod regula præcipit.

XXV. *Officiariis monachorum qualis incumbat facienda ratio.*

Statuimus & quod monachi officiarii, ad minus semel in anno, in præsentia abbatis & seniorum, computationem vel legitimam rationem faciant. Et si quid ultra suorum officiorum administrationem superfuerit, de hoc nihil per ipsos monachos, sed per abbatem & superiores sui conventus, ad sui monasterii utilitatem ordinetur.

XXVI. *Monachos nuptiis interesse non debere, & quibus exequiis possint.*

Item statuimus, quod monachi nuptiis nullatenus intersint: nec exequiis, nisi parentum, fratrum vel sororum.

XXVII. *Quod non offerant ad altare.*

Item præcipimus & statuimus, quod nullatenus offerant ad altare.

XXVIII. *In aliis mandatur regula observari.*

Quæcumque autem de interiori pariter & exteriori clausura monasterii & immunitatis monasticæ, regula præcipit, quæ-

ANNO CHRISTI 1260.

cumque de silentio in horis & locis debitis, A & conventu servando, regula ipsa præcipit: necnon quæ de cantu Divini officii, professione quoque facienda, aliisque observantiis præcipiuntur in regula, ubicumque hæc hactenus sunt commissa" (f. omissa), revocari in statum debitum per abbates, & servari deinceps more & modo debito, statuimus & mandamus. Alioqui negligentiam hujusmodi cum pœna requiremus.

Hæc ad præsens statuimus, salvo nobis, quod si aliqua occurrerint in posterum opus habentia correctionis & reformationis remedio, ea loco & tempore statuemus, & prout expediens fuerit, ordinabimus. B

Datum & pronunciatum quarto Idus Martii, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo.

ANNO CHRISTI 1260.

" ** CONCILIVM PARISIENSE.

De propitiando Deo adversus Tartarorum & Saracenorum irruptiones anno MCCLX. celebratum.

Ex Guillelmo de Nangiaco in vita S. Ludovici.

ANno Domini MCCLX. Dominica in Passione congregavit rex Franciæ Ludovicus Parisius concilium episcoporum & principum regni sui, eo quod dominus Papa scripsisset ei, Tartaros in transmarinis partibus irruisse, Sarracenos vicisse, Armeniam, Antiochiam, Tripolim, & Damascum, Alapiam & terras alias subjugasse, & tam Acconi civitati, quam toti Christianitati periculum imminere. Vnde ordinatum fuit de orationibus multiplicandis, processionibus faciendis, & blasphemiis in Deum puniendis, peccatis & superfluitatibus cibariorum ac vestium reprimendis. Inhibita etiam fuerunt usque ad biennium torneamenta, & injunctum est, quod non luderetur aliis ludis, nisi quod homines se exercerent in arcubus & balistis. C

G. C. Vide annotatiunculam nostram ad concilium Ravennense, anni MCCLIX. D

ANNO CHRISTI CIRCITER 1260.

" ** STATVTA DOMINI GVIDONIS Dei gratia archiepiscopi Narbonensis.

Qui ex Aniciensi episcopo factus est Narbon. archiep ann. 1259. tum Sabin. episc cardin. anno 1262, ut constat ex epist. Vrbani IV. ad S. Ludovicum apud Raynaldum: ac demum Clemens IV. pont. max. ann. 1265.

I.

EXcommunicamus omnes illos qui sanctimonialem quamcunque corrupeDrint, & solicitudinem per se, vel per interpositam personam dederint. E

II.

Item omnes clericos civitatis vel diœcesis Narbonensis constitutos in sacris, vel curam animarum habentes, qui bajuliam personæ sæcularis tenuerint vel emerint, vel judicaturam ejus tenuerint, ab officio & beneficio suspendimus. Et si qui nunc alteram earum tenent, nisi eam reliquerint infra..... postquam in ecclesiis hæc sententia fuerit publicata, eadem suspensione teneantur astricti.

III.

ANNO CHRISTI 1260.

Item præcipimus quod universi sacerdotes, qui curam a nobis, vel locum nostrum in spiritualibus obtinentibus, nostrisve prædecessoribus, aut eorum vices in hac parte gerentibus, minime receperunt, sacramenta ecclesiastica parochianis hujus diœcesis non ministrent. Sed nec illi qui curam habent parochiæ alicujus, in aliena parochia, etiam si fuerint invitati, ea ministrare præsumant: nisi necessitas tam urgens in hoc ultimo casu emerserit, quod tolerabile videatur alterutrum alterius onera supportare. Quo casu, autoritate nostra ille qui fuerit invitatus, possit necessitati hujusmodi subvenire in parochia aliena. Hujus autem præcepti nostri quemlibet transgressorem, postquam per ecclesias fuerit publicatum, ab officio & beneficio suspendimus. Et si in suspensione per mensem perstiterit, extunc excommunicamus eundem.

IV.

Item præcipimus universis sacerdotibus parochialibus, quod per tres dies Dominicas successive, moneant parochianos suos, ut in diebus Dominicis & festivitatibus beatæ Virginis, & apostolorum, & sancti Ioannis Baptistæ, & aliis præcipuis solemnitatibus opera servilia, non exerceant; nec ligna, bladum, vel fœnum, vel paleas, aut alias res venales, exceptis his quæ esum illius diei pertinebunt, transferre, seu juxta vulgare quod dicitur carrejare, non præsumant. Et post dictas tres monitiones, omnes qui ex tunc contra fecerint, nominatim denuncientur interdicti. Nos enim eos interdicimus, qui spretis dictis monitionibus festivitates prædictas dictis modis violare præsumpserint. Et si eorum creverit contumacia, eosdem anathematizare proponimus, & invocare contra ipsos, si opus fuerit, brachium sæculare.

V.

Mercata etiam teneri in diebus Dominicis inhibemus, nisi in nundinas solemnes inciderint. Et qui trina monitione præmissa non cessaverint ab eisdem, simili per omnia coerceantur censura.

VI.

Si vero Iudæi illud præsumpserint, postquam hoc mandatum nostrum fuerit publicatum, denuncietur ballivo loci. Et nisi ter monitus eosdem Iudæos cessare compulerit, excommunicationis sententia, quam nunc ferimus in rebelles, denuncietur publice innodatus.

ANNO CHRISTI 1260.

** CONCILIVM COPRINIACENSE, Pro disciplina ecclesiastica, a Petro Burdegalensi archiepiscopo, cum suffraganeis celebratum anno Domini MCCLX.

TITVLI CAPITVLORVM.

Constitutiones D. P. Burdegalensis archiepiscopi, factæ apud Copriniacum, anno MCCLX.

I. *Vt in ecclesiis vel cœmeteriis vigiliæ non fiant.*

CVm ex vigiliis quæ fiunt in ecclesiis, frequenter multa turpia insequantur, & frequentissime vulnera inferantur, propter quæ eædem ecclesiæ reconciliatione, quæ per solos episcopos habet fieri, indigere noscuntur: statuimus & præcipimus firmiter, ne de cætero in ecclesiis prædictis, vel cœmeteriis, vigiliæ fiant. Cæterum luminaria & alia quæ ex pia devotione fidelium provenire consueverunt, fieri præcipimus & mandamus.

II. *De balleatione in festo Innocentium.*

Rursus cum in balleatione quæ in festo sanctorum Innocentium in quibusdam ecclesiis fieri inolevit, multæ rixæ, contentiones & turbationes, tam in Divinis officiis quam aliis consueverunt provenire, prædictas balleationes ulterius sub intimatione anathematis fieri prohibemus: necnon & episcopos in prædicto festo creari: cum hoc in ecclesia Dei ridiculum existat, & hoc dignitatis episcopalis ludibrio fiat. Divina tamen officia, prout melius & honestius fieri poterit, ut in aliis festivitatibus, celebrētur.

III. *De fructibus beneficiorum vacantium.*

Cum de jure fructus beneficiorum vacantium, existere debeant successorum, ipsos fructus ad opus successorum eorundem per mandatum nostrum volumus & statuimus custodiri, ita quod nullus alius quicquam percipiat de eisdem. Idem dicendum de bonis rectorum decedentium, quæ constiterit esse de bonis ecclesiæ, cui præfuerunt iidem rectores: nisi tamen dum viverent aliter disposuerint de eisdem.

IV. *De commendis ecclesiarum vacantium.*

Commendas quoque ecclesiarum vacantium, secundum quod ipsarum collationes, ad nos, & ad nullum alium volumus & dicimus pertinere: inhibentes ne de his se alius intromittat. Excommunicationis pœnam in præmissis tribus articulis contra facientibus infligentes.

V. *Ne mulieres alterius parochiæ accipiantur ad matrimonium.*

Mulieres de una parochia non admittantur ad matrimonium in altera parochia, nisi de expressa licentia capellani vel prioris. Idem dicentes de viris si ad parochiam mulieris accedant: nam an sint excommunicati vel alia inhabilitate affecti, melius norunt proprii capellani.

VI. *Vt presbyteri alieni non admittantur ad celebrandum.*

Huic capitulo deerat titulus; nos addidimus.

Presbyteri qui non sunt de hac civitate vel diœcesi, ad celebrandum Divina, ut presbyteri non admittantur in civitate vel diœcesi, cum ignoretur, an presbyteri existant, aut aliqua irregularitate innodati. Alioquin tam celebrantes, quam admittentes eosdem, excommunicationis sententiæ se noverint subjacere.

VII. *De bello gallorum.*

Quia ex duello gallorum quod in partibus istis, tam in scholis grammaticæ, quam in aliis fieri inolevit, nonnulla mala aliquotiens sunt exorta: sub interminatione anathematis prohibemus, ne amodo fiat duellum prædictum: cum hoc tam mali materia, quam temporis amissio existere dignoscatur.

VIII. *De vita & honestate clericorum.*

Presbyteri & cæteri dignitates, personatus administrationem habentes, dalmaticis non utantur, sed cappis clausis, & supertunicalia clausa portent: nisi in parte ista, probabilitas vel necessitas ipsos reddiderit excusatos.

IX. *Ne chrisma detur privilegiatis.*

Statuimus, & sub pœna anathematis prohibemus, ne archidiaconi, archipresbyteri, vel alii capellani, chrisma dent vel ministrent ecclesiis privilegiatorum: cum ipsi diœcesanis suis reddere & facere denegent jura sua. Nullus quoque presbyter parochia-

ANNO CHRISTI 1260.

chianis, vel hominibus illorum utriusque sexus sacramenta aliqua administret: nisi de nostra licentia speciali.

X. *De vicariis.*

Rectores ecclesiarum qui in scholis, vel alibi, de nostra licentia sunt absentes, bonos & sufficientes substitutos dimittant nobis primitus præsentatos. Quibus de bonis ipsorum beneficiorum sic congruam portionem assignent, quod illi de sibi assignato, præter illud quod dabunt eisdem, possint sufferre, tam in procurationibus quam in aliis, onera consueta. Idem dicimus de illis ad quos ecclesiæ pertinent pleno jure, & statuimus.

XI. *De iure patronatus.*

Cum in ista provincia sint quidam pauperes capellani, qui præsunt ecclesiis in quibus pertinet jus patronatus ad aliqua monasteria: statuimus ut iidem patroni pro victu suo, infra mensem, facta sibi monitione a suo diœcesano, de bonis suis, certam iisdem portionem assignent: quæ ad minus trecentos solidos valeat annuatim.

XII. *De prioratibus monachorum.*

Cum cultus Divini nominis minui non debeat, sed augeri: statuimus, quod in prioratibus, in quibus olim duo monachi morabantur, amodo ab aliis qui dictos prioratus tenent, continue teneantur, & ad alendum eosdem, illi qui fructus dictorum prioratuum percipiunt, censura debita compellantur.

XIII. *Ne rectores ecclesiarum alias ecclesias ad firmam recipiant.*

Cum unusquisque manere debeat in ea vocatione in qua vocatus existit: statuimus quod rectores ecclesiarum parochialium alias ecclesias ad firmam non præsumant recipere, vel tenere: hocque sub pœna proprii beneficii amissionis prohibemus: nisi hoc procederet de nostra licentia speciali.

XIV. *Ne onera de nouo ecclesiis imponantur.*

Cum[a] sicut secundum jura, novæ pensiones ecclesiis imponi non debent, sic non sunt olim impositæ augmentãdæ. Quare ipsas prohibemus augeri: & præcipimus solvere, tam eas, quã illas, quas illi imposuisse dicuntur, ad quos ecclesiæ eædem pertinent pleno jure: ut si olim licite impositæ, pensatis ecclesiarũ facultatibus extiterunt: nisi forte postea adeo ecclesiarum hujusmodi excreverint vel decreverint facultates, quod debuerint vel debeant merito minui vel augeri.

[a] Del. cum

XV. *De sepulturis extra parochialem ecclesiam.*

Prohibemus, ne aliquis capellanus alicui A portandi funus ad locum sepulturæ licentiam concedat: quousque, ut moris est, ad parochialem ecclesiam fuerit deportatum: ut melius sciatur ibi quam alibi, an defunctus interdictus vel excommunicatus existat. Qui ob culpam propriam interdicti vel excommunicati fuerint, & per annum in hujumodi sententia permanserint, prohibemus in terra, vel tumbis lapideis, etiam extra cœmeterium, sepeliri.

ANNO CHRISTI 1260.

XVI. *Item de sepulturis.*

Inhibemus insuper ne quisquam sæcularis, vel religiosus, funus sibi delatum suscipiat: nisi per capellanum proprium eidem fuerit præsentatus: cum conditiones personarum hujusmodi melius noverint proprii capellani. B

XVII. *De habitatione rectorum ecclesiarum.*

Nullus capellanus parochialem regens ecclesiam, cum alio commoretur: sed domos habeat locis congruis, ubi assidue commoretur & valeat inveniri: ut exinde per eum necessitatibus pœnitentium commodius occurratur. Præsertim cum de bonis ecclesiarum per constitutionem nostram C eisdem satis congrue sit provisum.

XVIII. XIX. *De decimis.*

Cum constitutiones olim a prædecessoribus nostris contra decimarios, promulgatæ in civitatibus & diœcesibus hujus provinciæ minime observentur, immo in dictis locis decimarii & alteræ personæ in dictis constitutionibus contentæ, propter hoc, quia proprii capellani ipsos decimarios esse ignorant, indistincte ad sacramenta & sacramentalia admittantur: præcipimus sub D pœna anathematis, quod capellani parochialium ecclesiarum omnes decimarios suæ parochiæ nobis, vel mandato nostro manifestent: ut nos in illos, ubicumq; sint, constitutiones prædictas, & sententias in ipsis contentas, faciamus expresse & inviolabiliter observari.

Item de decimis.

Pro certo comperimus constitutionem olim super decimis novalium promulgatam, tum propter incuriam & negligen- E tiam rectorum ecclesiarum, tum propter favorem, quem ipsi erga decimarios habere noscuntur, in multis locis provinciæ effectum aliquem hactenus minime habuisse. Vnde tam sub pœna anathematis, quam amissione beneficiorum, prædictis rectoribus injungimus, quod ipsi ex nunc sic exigere studeant & satagant decimas antedictas, quod eorum defectus, negotium prosequendo, perfectissime experiantur.

ANNO CHRISTI 1261.

G. C Provinciale hoc concilium esse, constat ex cap XII. & cap XX.

** CONCILIVM LAMBETHENSE

SIVE

Constitutiones provinciales, in concilio Lambethensi, per Bonifacium Cantuar. archiepiscopum editæ III. Idus Maii ann. Dom. MCCLXI.

Ex MS bibliothecæ Cotton. edidit collector Anglicanus.

VNiversis sanctæ matris ecclesiæ filiis per Cantuariensem provinciam constitutiis, B miseratione divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, eiusdemque suffraganei, ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum. Æternæ sanctio voluntatis, quæ rerum ordinem omnium, cunctarumque semina naturarum, in pondere, numero & mensura decrevit, ad exemplar cælestium procedere censuit regimen terrenorum, humanum genus, quod cæteris præstare voluit dignitatis excellentia creaturis, constringens a sensualitatis prurigine naturalibus regulis, & ab arbitrii lubricitate legalibus cohibens institutis: ut potentiores laxatam sibi passim non crederent in subjectos imperandi licentiam; & inferiores, quos, et si natura pares, causarum facit series inflexa prælatis dissimiles, superiorum non contemnerent disciplinam: & sicut terrenæ domicilium mansionis, pro cælestium luminum qualitate, lucis vices ac noctis continuis successionibus mutuatur, & cælestium subjicitur moderamini potestatum; sic ordo rectorum ipsius, spiritualis videlicet, & terrenus, sacerdotalis & regius, concessæ sibi prælationis habenas dirigeret, quod unius impetus processus alterius non turbaret; sed accederet unus alteri suffragator in mutuæ caritatis subsidium, quo sibi invicem ad humanæ noctis tenebras dissolvendas suscepti participarent luminis ornamentum.

Sane attendentes olim patres & prædecessores nostri Cantuarienses archiepiscopi, totius Angliæ primates, & suffraganei eorundem, & potissimum temporibus parum retro decursis, amicus Dei beatus Edmundus, prædecessor noster, cujus memoria in benedictione, & inter electos Dei sors ejus est computata. Nos, qui licet immeriti, in locum regiminis sibi immediate successimus, cum fratribus & coepiscopis nostris suffraganeis Cantuariensis ecclesiæ, nostris temporibus solicite ponderantes, quod gravamina & oppressiones, quibus in Anglia libertas ecclesiastica premitur & calcatur, illustri domino Regi nostro nequaquam accedunt ad commodum; sed potius, ad non modicum salutis suæ & nostræ simul periculum, & honoris tam personæ suæ, quam totius regni sui, notorium detrimentum: ipsum frequenter monuimus & supplicavimus ei, ac supplicari fecimus cum instantia sæpius reverenter; nec non apud principes, magnates & consiliarios, quorum moderamine disponuntur regni negotia, precibus & exhortationibus pulsavimus importuna opportunitate, & opportuna importunitate frequenter, quatenus intra memoriam revolventes, quot plagis Ægyptii fuerunt percussi, pro eo quod populum Domini filios Israel, typum gerentes ministrorum altaris, in luto cogebant servire & latere; subjicientes eos indebitæ servituti, contra præceptum Dei, & juris privilegium naturalis, quo quis tenetur alteri non facere, quod & nollet ab alio sustinere. Pensantesq; prudenter, quod Christus sponsam suam in tantum dilexit ecclesiam, cuius hodie, peccatis exigentibus, patres angariantur a filiis, & oves deſæviunt in pastores, quod vetustæ chirographum servitutis in protoplasti prævaricatione conscriptum, proprio cruore delevit, & sanguine martyrum, armis fidei dimicantium, adversus mundi principes, & sæculi potestates, rubricavit privilegium libertatis e cælo prius concessum ecclesiæ, & in terris postmodum a principibus huius mundi fidelibus innovatum.

Huic inquam privilegio, tam pio tamque nobili precio comparato, deferrent humiliter ob reverentiam Redemptoris, permittendo clerum Angliæ in solicitudine libertatis, laudis sacrificium Domino immolare: ne persecutores submergi contingat in fluctibus iræ cælestis, si, contemptis Divinis imperiis, ipsum cogant ad paleas servitutis Licet autem in precibus inculcandis diu laboraverimus sustinendo, & sustinuerimus laborando: adhuc tamen, instantia nostra sæpius iterata, ad exauditionis gratiam ingressum mereri non potuit, nec effectum sortiri diutius expectatum. Quia vero periculose negligitur, quod contra cæli principem usurpatur: contra gravamina prælibata, quæ absque Dei offensa ulterius connivere non possumus, nec debemus, ad arma iustitiæ, quod est verbum Dei, penetrabilius omni gladio ancipiti, cum fiducia recurrentes, certa remedia adversis conatibus opponenda providimus, quæ, sacro concilio approbante, nuper providæ deliberationis iudicio statuenda duximus sub hac forma.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. In messem Dominicam, in qua non reges & principes sæculi, sed regnorum victores & regum, per fidem, apostolos & successores eorum, Christus mittendos elegit, falcem terrenæ damnationis, caritate frigescente, cernentes effrænatius currere [a] quam cælestis regula patiatur, qua reddi iubentur Cæsari quæ sunt eius, & quæ sunt Dei Deo: dolore cordis concutimur, & amaritudine replemur horroris, timentes, quod dum occurrere malis negligimus, indignationis periculum incurramus. Cum igitur ecclesia Anglicana, non contemnenda portiuncula dictæ messis, non solum contra iura Divina & statuta canonica, sed etiam contra libertates a regibus, principibus, & aliis regni magnatibus concessas eidem, ausibus sacrilegis, novis irruptionibus, diris concessionibus, & oppressionibus nefariis, multipliciter sit attrita, & hoc non absque superni regis offensa, & perpetuo animarum regis nostri temporalis, & aliorum regni magnatum, ac nostrarum, & subditorum nostrorum periculo, sub dissimulationis conniventia ulterius pertransire non possimus: autoritate præsentis sacri concilii inhibemus, & inhibendo statuimus, ut si contingat ab hac die in antea, quod Deus avertat a sensibus fidelium sanctæ matris ecclesiæ filiorum, quenquam archiepiscopum, vel alium prælatum inferiorem, per litteras domini regis, vel alicujus alterius potestatis, ad sæculare judicium evocari, ut ibi respōdeat super his, quæ mere ad ipsius officium & forum ecclesiasticum pertinere noscuntur, prout temporibus retroactis usurpative contra Deum & iustitiam, ac libertatem ecclesiasticam, pluries est præsumptum: statuimus, inquam, & statuendo inhibemus, quod archiepiscopi, episcopi, & cæteri ecclesiarum prælati, maiores & minores, ad sæculare judicium, ibidem subituri iudicium, non veniant, sicut nec venire tenentur pro huiusmodi spiritualibus evocati: utpote si forte vocetur prælatus respōsurus in sæculari iudicio, pro eo quod clericos ad ecclesias vel capellas vacantes non admiserit, rectores instituerit vel non instituerit in eisdem; suos subditos excommunicavit, suspendit vel interdixit; excommunicatos, suspensos, vel interdictos denunciavit; aut pro eo quod ecclesias dedicavit, vel ordines celebravit; aut de causis mere spiritualibus cognovit, puta de decimis, oblationibus, limitibus parochiarum, & similibus, quæ non possunt ad sæculare forum aliquatenus pertinere; aut quia cognovit

[a] Corr dominationis,

ANNO CHRISTI 1261.

gnovit de peccatis & excessibus subditorum, sicut de perjurio, & fidei transgressione, sacrilegio, violatione, ac perturbatione ecclesiasticæ libertatis: cujus violatores & perturbatores, necnon & libertatum, per chartas domini regis ecclesiæ concessarum, contradictores, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto.

Item, si vocetur prælatus ad judicium sæculare, pro eo quod cognovit inter clericos suos, vel inter laicos conquerentes & clericos defendentes, in personalibus actionibus, super contractibus aut delictis, vel quasi; aut pro eo quod personas ecclesiasticas, ad mandatum domini regis, in judicio sæculari non exhibet; seu clericos in foro sæculari, pro negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, amerciatos non compulit ad amerciamenta exsolvenda, seu ipsa pro B eisdem non solvit, vel quia in ecclesiis & capellis annexis episcopatibus aut monasteriis vacantibus, per mortem aut cessionem prælatorum, aut alio iusto modo, iurisdictionem suam ecclesiasticam, canonicam & consuetam exercet; vel si qua his similia facit, vel non facit prælatus, pertinentia ad officium pastorale, & ad forum seu iurisdictionem ecclesiasticam evidentem: pro talibus, inquam, & his similibus, prælati ad judicium sæculare vocati, ut ibidem pro his judicium subeant, nullatenus venire præsumant, cum judicandi christos Domini, nulla sit laïcis attributa potestas, quos manet necessitas obsequendi. Ut tamen honori regio deferatur, majores prælati dominum regem adeant, vel sibi scribant, quod pro hujusmodi C mandatis regis, parere non possunt absque periculo sui ordinis, & subversione ecclesiasticæ libertatis. Et si forte dominus rex in suis inhibitionibus vel summonitionibus, non de decimis, sed de jure patronatus; non de fide mentita seu perjurio, sed de catallis; non de sacrilegio vel perturbatione ecclesiasticæ libertatis, sed de transgressione subditorum vel ballivorum suorum, quorum correctiones ad se tantum asserit pertinere, fecerit mentionem: tunc intiment ei prælati prædicti, quod non de patronatu, cujus cognitionem rex de facto exercet, neque de catallis, seu aliis ad forum ipsius pertinentibus, cognoscunt seu cognoscere intendunt, sed de decimis, peccatis, & aliis mere spiritualibus, ad officium & jurisdictionem eorum D pertinentibus, & ad animarum salutem; monendo & rogando eundem, quod ipsos non impediat in præmissis. Et nihilominus, episcopus, & cujus res agitur, dominum regem iterato moneat, ut animæ suæ saluti consulat, & ab hujusmodi mandatis omnino desistat. Et si non destiterit, tunc vicecomites & alii quicumque ballivi attachiantes & distringentes, per locorum diœcesanos, in forma juris, per suspensionis & excommunicationis sententias arceantur.

Idem fiat, si vicecomites aut ballivi ad attachiationes & districtiones processerint, pendentibus supradictis monitionibus, domino regi taliter faciendis.

Et si vicecomites aut ballivi in duritia sua perseveraverint, loca, in quibus commorantur, & terræ eorum, quas habent in provincia Cantuariensi, per locorum E diœcesanos, ad denunciationem diœcesani, in cujus episcopatu tales fuerint districtiones, interdicto ecclesiastico, autoritate præsentis concilii, supponantur. Et si taliter attachiantes, clerici fuerint & beneficiati, ab officio suspendantur. Et si in eorum malitia perseveraverint, ad desistendum & satisfaciendum per subtractionem proventuum suorum, quos obtinent, compellantur. Non beneficiati vero, in pœnam suæ malitiæ, per quinquennium, si ad beneficium ecclesiasticum in provincia Cantuariensi præsentati fuerint, minime admittantur.

Clerici vero qui brevia hujusmodi attachiationum seu districtionum dictaverint, scripserint, signaverint, A consilium aut auxilium ad hoc præstiterint faciendum, canonice puniantur. Et si de hoc fuerint certa ratione suspecti, ad aliquod beneficium ecclesiasticum obtinendum, donec super his canonice se purgaverint, præcipimus non admitti. Et si dominus rex, vel alia quælibet sæcularis potestas, super hoc competenter monitus, hujusmodi districtiones seu attachiationes non revocaverit: episcopus, qui districtus fuerit, terras, villas, dominicas, & castra, quæ dominus rex, vel alia sæcularis potestas taliter distringens in suo episcopatu obtinet, ecclesiastico supponat interdicto. Et si rex vel alia sæcularis potestas, contemptis pœnis hujusmodi, in sua duritia perseveret: tunc archiepiscopus, ad denunciationem episcopi conquerentis, convocatis duobus episcopis vel tribus, aut pluribus, quos duxerit evocandos, si in provincia præsens extiterit; alioquin, episcopus Londoniensis, tanquam decanus episcoporum, duobus episcopis vel pluribus sibi adjunctis, dominum regem adeant, & ipsum moneant diligenter; requirentes, quod a mandatis suis supersedeat supradictis.

Et si dominus rex, hortationibus & monitionibus obauditis, ad attachiationes vel districtiones per se vel per alios processerit: tunc cæteri coepiscopi, districtiones huiusmodi, quasi communem omnium causã, & privatissimam singulorum, & etiam communem injuriam ecclesiæ reputantes, civitates, terras, dominicas, burgos, castra, & villas ipsius regis vel alterius potestatis in suis episcopatibus consistentes, autoritate præsentis concilii, ecclesiastico supponant interdicto. Et si nondum, propter hoc, infra xx. dies postmodum attachiationes & districtiones rex, vel potestas attachians vel distringens, revocaverit, sed ob hoc manum contra ecclesiã aggravaverit & pectus cum Pharaone, durior inter flagella pœnarum: extunc archiepiscopus & episcopi suas diœceses ecclesiastico supponant interdicto. Idem fiat de terris, castris, burgis, & villis magnatum regalia habentium in provincia memorata.

Si vero episcoporum aliquis, circa executionem præmissarum pœnarum, in suis casibus negligens inventus fuerit, aut remissus: per suum metropolitanum graviter arguatur. Et si perseveraverit in negligentia, per eundem canonice puniatur: & nihilo minus sua diœcesis, omnium prælatorum & sua autoritate, voluntate, & consensu, in præsenti concilio interpositis & expressis, ecclesiastico subjaceat interdicto.

Item, statuimus, ut si forte ab hac die in antea, ab aliquo episcopo, vel judice ecclesiastico, vel prælato inferiore compulso, per districtiones vel sponte comparente coram domino rege, vel justitiariis suis, ut alleget privilegium fori in casu a jure non concesso, vel ut eos moneat, ut a prædictis desistant injuriis, acta processus sui exigi contingat, ut per ea appareat, utrum contra prohibitionem regiam in aliquo prædictorum casuum vel consimilium processerit: vel petatur ab eo super his juramentum excusationis vel purgationis, nullo modo exhibeat acta vel juret, cum instrumenta hujusmodi sive acta possint ab alterutra partium, si necesse fuerit, exhiberi. Et si clericus propter hoc fuerit arrestatus, diœcesanus taliter arrestati, vel aliter impetiti clerici, vel archiepiscopus, vel episcopus Londoniensis, tanquam decanus episcoporum, cum aliquibus episcopis sibi associatis, si episcopus sit ille qui fuerit in hoc casu, requirant eum, & puniant detentores; & si necesse fuerit, in hoc casu ad pœnas procedatur superius annotatas.

Item, si aliquo evincente jus patronatus contra alium in foro regio, scribat rex episcopo, vel alteri, ad quem institutio pertinet, quod præsentatum ab illo qui evicit admittat: si vacaverit beneficium, ne patrono fiat injuria, & aliter nihil canonicum obsistat, admittatur libere hujusmodi præsentatus: si vero non vacat

vacat beneficium, hoc domino regi, vel suis iustitiariis, studeat intimare prælatus, excusando se, quod, quia beneficium tale non vacat, non potest mandatum regium adimplere. Liceat autem patrono, si voluerit, possidentem iterum præsentare: ut sic evincentis jus patronatus imposterum declaretur.

De intrusis.

Ad hæc, quoniam ambitio pravissima, imitatrix virtutis, nihil ducit illicitum, quod sibi æstimat fructuosum; nec curat quibus studiis avare sitim reficiat voluntatis, dum quæstum reputans pietatem, abominandis & damnabilibus preciis commercium venatur honoris: sacro approbante concilio, districtius inhibemus clericis quibuscunque, cujuscunq; cōditionis existant aut ordinis, ne parochiales aut præbendales ecclesias, curam animarum habentes, sive alia beneficia ecclesiastica, dignitates, vel personatus, propria autoritate audeant occupare, vel in ipsis se faciant per laïcalē potentiā intrudi. Quod si quis nostræ hujusmodi inhibitionis salutiferæ temerarius trāsgressor extiterit, & absq; ecclesiastica autoritate, per laïcalem potentiā intrusus fuerit in ecclesia, vel præbenda, sive capella, aut ecclesiastico beneficio: servato juris ordine, excōmunicationis sententia percellatur, & excommunicatus per loci diœcesanum publice nuncietur, & ipso beneficio in perpetuum careat ipso facto. Et si post latam in se sentētiam excommunicationis, in intrusione hujusmodi & detentione sic occupati beneficii, pertinaci animo per duos menses perstiterit: per locorum diœcesanos, in quorum diœcesibus habet alia beneficia ecclesiastica, ad denunciationem illius episcopi, in cujus civitate vel diœcesi se intrusit, vel procuravit intrudi, cujusque monitionem & excommunicationem per dictum tempus contempserit, proventus illorum beneficiorum ei subtrahantur omnino, quousque satisfecerit competenter. Et si per annum idem intrusus in hujusmodi excommunicationis sententia perseveravit, extunc ad aliquod beneficium ecclesiasticum in provincia Cantuariensi minime admittatur. Si vero per clericum procuratorem fuerit intrusus, contra eundem clericum procuratorem modo simili procedatur, & pœnis subjaceat supradictis. Si vero procurator talis, laicus fuerit: in forma juris excommunicetur, & excommunicatus publice nuncietur. Dominus autem absens citetur, qui si comparens factum cujuscumque procuratoris ratificaverit in hac parte, pœnis subjaceat supradictis. Si vero per contumaciam se absentet, post spatium trium mensium expectatus, si sit in regno, majoris excommunicationis sententia innodetur, & pœnas nihilominus prætaxatas incurrat: maxime cum sacrilegio inobedientiam adjecerit & contemptum. Si vero fuerit extra regnum, contra ipsum vocatum post dilationes transmarinas modo simili procedatur: & ecclesia vel præbenda, in qua facta fuerit talis intrusio, supponatur ecclesiastico interdicto. Fautores vero & cooperatores hujusmodi intrusoris, si clerici fuerint, præfatas pœnas contra clericos editas perferant; & si laici fuerint, pœnis plectantur contra laïcos superius constitutis. Loca vero & terræ hujusmodi intrudentium & intrusorum, si infra unum mensem non satisfecerint, ecclesiastico supponantur interdicto.

Si vero hujusmodi intrusiones factæ fuerint ex regia potestate, moneatur dominus rex per loci diœcesanum, in quo facta fuerit intrusio, quod eas faciat infra tempus competens revocari: alioquin, terræ & loca, quæ dominus rex habet in illa diœcesi, in qua facta fuerit intrusio, supponantur ecclesiastico interdicto, secundum formā superius annotatam. Si vero per alium magnatem seu potestatem fiat talis intrusio: per interdicta & excommunicationis sententias, ut superius dictum est, arceatur. Et si per duos menses sententiam sustinuerit propter hoc in se latam, extunc terræ & loca, quæ obtinet in illa diœcesi, per loci diœcesanum supponantur ecclesiastico interdicto: nec relaxentur sententiæ prætaxatæ, donec de injuria: inobedientia, & contemptu, satisfecerit competenter.

De excommunicatis capiendis.

Præterea contingit interdum, quod excommunicati, de mandato prælatorum, secundum consuetudinem regni, capti & carceri mancipati, aliquando per regem, quandoque per vicecomites, aliosque ballivos, sine consensu prælatorum, ad quorum mandatum sic captorum deberet liberatio fieri, nulla satisfactione præstita, liberantur. Et plerumque etiam hujusmodi excommunicati non capiuntur, neque de ipsis capiendis litteræ regiæ conceduntur: nonnunquam etiam dicti rex & sui ballivi, cum hujusmodi excommunicatis & denunciatis publice communicant, claves ecclesiæ contemnendo, in subversionem ecclesiasticæ libertatis, & suarum periculum animarum. Huic igitur morbo congruam volentes adhibere medelam: statuimus, quod excommunicati sic capti, ac taliter exeuntes, ad majorem sui detestationem, publice & solemniter, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicentur, & denuncientur excommunicati, in locis, ubi ordinariis eorundem locorum videbitur expedire. Vicecomites autem & ballivi alii, qui eos liberaverint, non præstita satisfactione ecclesiæ, vel emenda, innodentur sententia simili, & tales publice nuncientur. Si tamen de mandato regio ad hoc processerint: mitius cum eis, arbitrio ordinariorum, agatur. Si autem contingat, quod littera consueta de excommunicato capiendo denegetur, cum ipsam requiri contingat, in casu quo dari debet, secundum regni consuetudinem approbatam: moneatur dominus rex per episcopum repræsentantem capiendum, quod eam concedat, & faciat pertransire. Quod si non fecerit, civitates, castra, burgi, & villæ, quæ habet in diœcesi sic scribentis episcopi, per ipsum supponantur ecclesiastico interdicto, donec petitæ taliter litteræ concedantur, & executionem debitam sortiantur. Contra communicantes quoque & participantes cum excommunicatis, procedant secundum censuram ecclesiasticæ disciplinæ.

De clericis captis, & per ecclesiam requirendis.

Contingit etiam aliquando, quod clerici, sine delectu personarum, quanquam in facto deprehensi non fuerint, vel convicti, tanquam facinorosi vel suspecti de crimine seu delicto, injuria personali, capiuntur per potentiam laïcalem, & in carcere detinentur, nec redduntur suis ordinariis eos requirentibus, secundum canones libere judicandi. Et si clerici, quibus crimina imponuntur, coram iudicibus sæcularibus vocati, non comparuerint, forbaniuntur a regno. Quia vero in hoc libertas ecclesiastica confunditur, cum clericus a laïco iudicatur: statuimus, quod si clerici sic capti noti fuerint & honesti, ipsorum detentores, & ad requestum ordinariorum eos reddere recusantes, per locorum ordinarios excommunicati publice nuncientur. Loca etiam, in quibus fuerint detenti, & terræ capientium, & eos detinentium, supponantur ecclesiastico interdicto: donec reddantur eorum corpora, & super hujusmodi excessu satisfecerint competenter. Illi autem, qui eis falsa crimina taliter imposuerint, seu malitiose confinxerint conventa vel fraudes, propter quæ capti fuerint & injuste detenti, excommunicati similiter publice nuncientur, cum vinculum excommunica-

ANNO CHRISTI 1261.

nicationis incurrant, autoritate Oxoniensis concilii, ipso facto. Clerici vero vagi & ignoti, capti ex causis aliquibus & detenti, si in possessione inventi fuerint clericatus, per locorum ordinarios requirantur a domino rege, vel ab alio qui habet potestatem reddendi eosdem, ut ipsos restituat per ecclesiam libere judicandos. Et si denegentur, procedatur contra denegantes & detentores, per pœnas superius annotatas.

De clericis amerciatis per judicem sæcularem.

Et si clerici ecclesiæ redditi, pro transgressione aliqua personali amerciati fuerint a judice sæculari, prælati, ad hujusmodi amerciamenta solvenda, prædictos clericos non compellant, cum a non suis judicibus fuerint condemnati. Et si propter hoc prælatos distringi vel attachiari contingat: contra hujusmodi attachiationes vel districtiones, utantur remediis antedictis. Idem fiat quotiescumque amerciati fuerint viri ecclesiastici per judicem sæcularem, pro his, quæ ad forum ecclesiasticum mere pertinere noscuntur.

De clericis diffamatis de foresta.

Item statuimus, ut si aliquis clericus, de transgressione forestæ seu parci alicujus, diffamatus fuerit, & convictus legitime, coram suo ordinario, vel confessus: idem per suum diœcesanum, si bona habeat, pro qualitate transgressionis, graviter redimatur, & illi, cui noxia vel injuria est illata, hujusmodi redemptio assignetur. Si autem bona non habeat, suus episcopus ipsum, prout culpa poposcerit, graviter puniat in persona, ne, propter impunitatis fiduciam, pateat præsumptoribus licentia delinquendi.

Quod restituantur bona clericorum se purgantium.

Ad hæc, si clerici se canonice purgaverint super sibi impositis & objectis, ac laica potestas nihilominus bona occupet, vel occupata detineat eorumdem: occupantes & detinentes bona, purgato hujusmodi, ad restituenda ea per censuram ecclesiasticam compellantur.

De clericis captis, & abrasis, seu suspensis.

Quod si aliqui clerici capti fuerint, tonsuram, & habitum clericalem habentes, & tempore medio malitiose abrasi fuerint, vel suspensi, vel alio modo puniti: abradentes, vel suspendentes, vel alio modo punientes eosdem, & ad hoc, consilium, favorem, & auxilium impendentes, pœnis subjaceant supradictis. Forbanientes quoque hujusmodi clericos, pœnis consimilibus percellantur.

De falsis delatoribus & suggestoribus domino regi.

Item, cum sæpius domino regi & suis justitiariis falso suggeratur, quod prælati & judices ecclesiastici de jure patronatus, catallis, & aliis ad forum regium pertinentibus cognoscant, in domini regis præjudicium, cum iidem prælati & judices super decimis, peccatis, ac super excessibus suorum subditorum, vel suæ jurisdictionis officium, prout ad eos pertinet, interponant: moneantur hujusmodi suggestores & delatores iniqui, ut a tali suggestione & delatione desistant. Quod si prælatos, judices ecclesiasticos, sic delatos & accusatos principi vel alteri potestati, propter delationem & incussionem hujusmodi, damnificari contigerit seu vexari: tales suggestores & delatores Deo odibiles, & quantum in ipsis est, fratrum necatores, excōmunicati publice nuncientur, tanquā violatores & impugnatores Christianæ unitatis, & ecclesiasticæ pacis ac etiam libertatis: donec de expensis, damnis & injuriis, tam judicibus, quam parti- A bus quas læserint, satisfactionem exhibuerint competentem.

ANNO CHRISTI 1261.

De juramento veritatis præstando a laicis coram ordinariis, cum de excessibus subditorum inquiritur.

Evenit etiam interdum, quod, cum prælati ecclesiastici, ex officii sui debito, de morum disciplina, peccatis, & excessibus subditorum inquirunt, dominus rex, cæterique magnates, & aliæ potestates sæculares, & milites, officia impediunt eorumdem, personis laicis inhibendo, ne, ad mandatum patrum & prælatorum suorum spiritualium, quibus vulnera tenentur detegere, ut medicinæ consilium valeant reportare, de veritate dicenda subeant juramentum: nec permittunt aliquotiens dictos prælatos, subditis B suis, in causis seu negociis ecclesiasticis, pro excessibus sive culpis eorum, corporalem pœnam vel pecuniariam imponere, secundum canonicas sanctiones, pro culparum & pœnarum delinquentium qualitate. Quia vero tam iure poli, quam iure fori, hominibus idcirco metus pœnæ, & præmium virtutis proponitur, ut appetitus noxius refrænetur, & ad culpam facile proruerent homines, si pœna non reprimeret transgressores, cum infelici felicitate peccantium, pœnalis nonnunquam nutriatur impunitas, & mala voluntas, velut hostis interior roboretur: statuimus, quod laici ad præstandum huiusmodi iuramentum, & ad exsolvendam quamlibet pœnam, tam corporales, quam pecuniarias, canonice per prælatos suos eis inflictas, præcise per excommunicationis sententiam com- C pellantur. Impedientes vero ne iuramenta prædicta præstentur, aut pœnæ huiusmodi exsolvantur, per interdicti & excommunicationis sententias arceantur. Et si propter hoc ad districtiones prælatorum processum extiterit: contra distringentes, per pœnas dictatas superius, procedatur.

Quod Iudæus delinquens in rebus ecclesiasticis, respondeat coram iudice ecclesiastico.

Et quia modo consimili ecclesiastica censura confunditur, & prælatorum officium impeditur, cum Iudæus delinquens in rebus ecclesiasticis & personis, super his vel super aliis, quæ ad forum ecclesiasticum pertinent, mero iure coram ecclesiastico iudice convenitur, & per regem, seu per vicecomites, aut D ballivos, super præmissis non permittitur coram ecclesiastico iudice stare iuri, sed potius declinare compellitur ad forum eius: statuimus, ut huiusmodi Iudæi per interdictum commercii, contractuum & conventionis fidelium, ad respondendum in his casibus coram ecclesiastico iudice compellantur: & quod inhibentes & impedientes in hoc casu iurisdictionem ecclesiasticam, & hac de causa, iudices vel alios distringentes & molestantes, per excommunicationis & interdicti sententias arceantur.

De his qui ad ecclesiam confugiunt.

Item, cum ad immunitatem ecclesiæ confugientibus aliquando vix in alimentis valeat subveniri, pro- E pter arctam custodiam, quæ frequenter apponitur circa ipsos, ac aliquando confugientes huiusmodi ab ecclesiis vel cœmeteriis, aut viis publicis, post terræ abjurationem violenter sæpius extrahantur, ac sic extracti in præiudicium immunitatis ecclesiæ crudeliter occidantur: statuimus, quod qui talibus confugis, quos quidem ecclesia tenetur tueri, alimenta impedierint ministrari, secundum arbitrium ordinariorum, per censuram ecclesiasticam castigentur. Illos vero, qui huiusmodi confugas ab ecclesia, vel cœmeterio, vel ab alio quocumque loco ecclesiasticam immunitatem habente, post abiurationem patriæ, aut a via publica extrahentes

ANNO CHRISTI 1261.

extrahentes, vel extractos taliter ausu sacrilego occidentes, tunc sub ecclesiastica protectione consistant, omnibus pœnis sacrilegii decrevimus puniendos, una reliquum minime consumente. In ecclesia autem vel cœmeterio, nulla omnino deputetur custodia, contra fugientes ad ecclesiam, per potentiam laicalem. Quod si secus præsumptum fuerit, tam custodes, quam qui eos apposuerint, in forma juris per excommunicationis sententiam arceantur. Illos autem tantummodo tueatur ecclesia, quos canones præcipiunt esse tuendos.

De invadentibus res ecclesiasticas, & earum libertates infringentibus.

Item, ut invadentibus bona ecclesiastica, & infringentibus ecclesiasticas libertates, ac violatoribus & perturbatoribus earumdem, debitis remediis obvietur: præsenti statuto præcipimus, quod hujusmodi malefactores sacrilegi, & excommunicationis vinculo irretiti, per locorum ordinarios nuncientur; & si in sua malitia & pertinacia per unum mensem post hujusmodi denunciationem pertinaciter perseveraverint, extunc terræ ipsorum, & loca in quibus commorantur, supponantur ecclesiastico interdicto, nec ante utraque relaxetur sententia, quam de damnis & injuriis satisfactum fuerit competenter. Illos autem, qui Divino non deferentes honori, ecclesias possessionibus, juribus, aut libertatibus suis spoliare præsumpserint, in forma juris censemus anathemate feriendos, pœnis aliis editis contra sacrilegos, usque ad restitutionem & satisfactionem condignam percelli. Et si iidem sacrilegi faciant aut procurent judices seu prælatos propter hoc attachiari vel distringi: tam ipsi, quam distringentes, pœnis in attachiatores & districtores superius editis percellantur.

De custodia cathedralium ecclesiarum & conventualium.

Accidit etiam aliquando, quod, domino rege vel alio magnate, ecclesiarum* vel conventualium, de regni consuetudine, custodiam exercente, cum secundum chartam libertatum, ab eodem domino rege & suis prædecessoribus ecclesiæ concessarum, tantummodo rationabiles exitus capere debeat, & rationabiles consuetudines, ac rationabilia servitia talis custos, & hoc sine destructione, dissipatione, & vasto, rerum & hominum: ballivi tamen, regis vel magnatis tutelam sive custodiam exercentes, præter tallagia immoderata, quæ imponunt hominibus & tenentibus ecclesiarum vacantium minus juste, bona mobilia & immobilia plerumque hominum & tenentium prædictorum sic vacantis ecclesiæ, in tali custodia, seu cruciatu potius, constitutæ, consumunt prodigaliter, & dirimunt violenter: parcos, nemora, & vivaria destruentes, & domos, habitationes, & grangias, cæteraque ædificia, quæ sustineri deberent in bono statu, ex neligentia vel malitia quandoque dissipari & ruere permittentes, bona dilapidant, pauperes ac alios male tractant, non solum ad ea, quæ ratione custodiæ obtinere consueverant, manus extendunt: sed etiam ad bona superstitum, & ad ea, de quibus conventus ecclesiarum ipsarum sustentari deberet; & ad ea etiam, quæ ratione baroniæ, ad dominum regem, vel magnates alios, vel ad eorum administrationem seu dispositionem, cum sint spiritualia vel annexa spiritualibus, pertinere non possunt, utpote ad decimas, oblationes altaris, episcopatibus seu monasteriis appropriatas, & ad similia, quæ profanis usibus applicari non debent. Ut igitur tali morbo salubris medicinæ remedio succurratur, quia

* f. cathedraliũ vel conv.

A talis custodiæ ratio, quæ in favorem ecclesiæ dinoscitur introducta, non debeat in ejus læsionem retorqueri: præsenti statuto præcipimus, quod statim cum eschaetores vel ballivi domini regis, vel aliorum magnatum, hujusmodi custodias ingressi fuerint, prælati, qui jurisdictioni præsunt, publice & solenniter interdicant dictis eschaetoribus seu ballivis regis, & aliis quibuscumque, & sub pœna excommunicationis districte inhibeant, ne talia attentare præsumant. Quod si contra fecerint, denuncient eos in sententiam excommunicationis latam in violatores & perturbatores ecclesiasticæ libertatis incidisse, donec de damnis & injuriis satisfecerint competenter: quam sententiam si post denunciationem hujusmodi contempserint, contra eos procedatur per interdicta & alias pœnas superius recensitas. Et nisi dominus rex, super his competenter monitus, restituerit seu restitui fecerit sic ablata, & damna resarciverit vel resarciri fecerit per suos illata, & alii magnates similiter: procedatur contra eos, sicut in aliis casibus regem & magnates tangentibus, superius est statutum.

ANNO CHRISTI 1261.

De bonis laicorum ab intestato decedentium.

Cæterum, contingit interdum, quod laicis * Divino decedentibus intestatis, domini feudorum non permittunt debita defunctorum solvi de bonis mobilibus eorumdem, nec in usus liberorum suorum aut parentum, vel aliter pro dispositione ordinariorum, bona prædicta pie distribui sustinent pro defunctis. Unde statuimus, quod hujusmodi domini & eorum ballivi diligentius moneantur, ut a talibus impedimentis omnino desistant. Quod si monitis parere contempserint, & bona hujusmodi intestatorum non permiserint pie distribui in usus misericordiæ, pro dispositione ordinariorum, saltem pro ea portione, quæ defunctum contingit, secundum consuetudinem patriæ; eorum præsumptio per excommunicationis sententiam compescatur. Modo simili procedatur contra eos etiam qui ascriptitiorum & aliorum servilis conditionis hominum testamenta & ultimas voluntates impediunt, & deinceps præsumpserint impedire, contra consuetudines ecclesiæ Anglicanæ hactenus approbatas.

De testamentis & eorum executoribus.

Inhibemus etiam hoc salubri statuto, ne cuiquam executori permittatur administrare de bonis testatoris, nisi prius de omnibus bonis ipsius defuncti fiat fidele inventarium, quod loci ordinario ostendatur. Et postquam coram ordinario, iuxta morem, probatum fuerit testamentum, non permittatur aliquibus executio seu administratio in bonis defunctorum, nisi talibus qui debitam administrationis suæ possint reddere, si necesse fuerit, rationem, cum super hoc, per locorum ordinarios, canonice fuerint requisiti.

Item, statuimus præsentis autoritate concilii, ne aliqui religiosi, cujuscumque professionis existant, sint executores testamentorum, nisi de licentia ordinariorum & voluntate procedat.

Item, testamentis coram ordinariis locorum probatis & approbatis, eorundem probatio seu approbatio testamentorum a laicis nullatenus exigatur: nec impediant laici, nec impedire procurent, quo minus ultimæ voluntates defunctorum procedant, in his præsertim, quæ legari possint de consuetudine vel de iure. Si qui vero contra hoc statutum ausu temerario venire præsumpserint, sciant se, autoritate præsentis sacri concilii, esse excommunicationis sententia involutos: & in eos tanquam ecclesiasticarum libertatum violatores & perturbatores censuræ gladium exercendum.

De

ANNO CHRISTI 1261.

De testamento coniungatæ sive solutæ.

Item statuimus, ne quis, alicuius solutæ mulieris sive coniugatæ, alienæ vel propriæ, impediat vel perturbet, seu impediri aut perturbari faciat, seu procuret iustam & consuetam testamenti liberam factionem: quod si fecerit, sciat se excommunicationis innodatum sententia ipso facto.

Item statuimus, quod de portione, quæ defunctum contingit, ecclesia jus percipiat consuetum, deductis tamen prius de communi his quæ debentur, & quod domino debetur, ac expensis funerariis.

Item statuimus, quod nullus executorum aliquid retineat de bonis defuncti, cuius testamentum exequitur, emptionis titulo, vel aliquo modo alio: nisi fuerit sibi a testatore inter vivos donatum, vel in testamento seu ultima voluntate relictum. B

De sacramentis confessionis & pœnitentiæ.

Præterea, cum sacramentum confessionis & pœnitentiæ, secunda post naufragium tabula, vel ultimus humanæ navigationis propositus[a], ac finale refugium, sit unicuique peccatori pernecessarium ad salutem: sub pœna excommunicationis districtius præcipimus, ne aliquis impedire præsumat, quod huiusmodi sacramentum pœnitentiæ unicuique petenti libere impendatur, & spatium liberum confitendi: quod propter incarceratos potissime suadetur, quibus huiusmodi sacramentum sæpius inhumaniter denegatur, ne dicamus infideliter; & si interdum confitendi eis spatium datur, hoc eis ita breve & inopportune conceditur, quod potius miseris cedat in desolationem ac desperationis periculum, quam in consolationem gaudii spiritualis. C

[a] Corr. portus,

De apparitoribus sive bedellis.

Item, contra gravamina & excessus, quæ per bedellos, sive apparitores archidiaconorum & decanorum, subditis inferri didicimus, remedium adhibere volentes: statuimus, ut cum profitendis [b] executionibus, aut pro aliis necessitatibus, ad hospitia rectorum, vicariorum, seu capellanorum, vel aliorum sacerdotum vel clericorum, aut religiosorum eos declinare contigerit, nihil omnino ratione procurationis vel alterius servitii exigant ab eisdem, sed cum gratiarum actione recipientes ea, quæ eis ab hospitibus apponentur, & illis contenti existant. Neque per nuncios aut subbedellos, sed per se ipsos executiones faciant præceptorum. Sententias autem excommunicationis, interdicti, seu suspensionis, per se non ferant, neque per alios latas denuncient sine specialibus litteris dominorum suorum. Et si secus præsumptum fuerit, sententiæ sic latæ, ipso facto non teneant, neque serventur, cum in veritate non ligent. Et bedelli, qui contra hoc statutum fecerint, & onerosi seu iniuriosi subditis dominorum inventi fuerint, graviter puniantur, & gravatis duplum restituere teneantur vel compellantur. D

[b] Corr. proficiendis, ut loqui solebant.

De tonsura clericorum & corona.

Item statuimus, quod episcopi in suis synodis & aliis convocationibus, & singuli archidiaconi & decani in suis capitulis, & rectores, vicarii, sive capellani ecclesiarum parochialium, in suis ecclesiis, ter in anno publice denuncient omnibus, qui privilegio clericali gaudere voluerint, quod tonsuram decentem & coronam rasi capitis deferant competentem; maxime coram ordinariis suis, & in ecclesiis, & in congregationibus clericorum. Nec erubescant ipsius portare stigmata, qui pro eis spineam non dedignatus est portare coronam; factus patri usque ad mortem obediens, ut eos suæ resurrectionis tribueret esse participes, & heredi- E

A tatis precio sui sanguinis adquisitæ consortes. Comminaturi eis, quod qui contra denunciationem istam secus præsumpserint attentare, quod sui signum salvatoris erubuerint frontibus suis imprimere, frustra salvatoris debebunt auxilium implorare, cum privilegium dignitatis mereatur amittere, qui concessa sibi abuti detegitur dignitate.

ANNO CHRISTI 1261.

De carceribus in qualibet diœcesi habendis.

Item speciali præcepto statuimus, quod quilibet episcopus in suo episcopatu habeat unum vel duos carceres, prout competentius & securius poterit providere, pro clericis flagitiosis deprehensis in crimine, vel convictis, iuxta censuram canonicam detinendis.

Item statuimus, quod si clericus aliquis adeo malitiosus & incorrigibilis fuerit, & ad flagitia committenda fuerit consuetus, quod si esset laicus, secundum leges sæculi, ultimum deberet pati supplicium, talis clericus carceri perpetuo addicatur. In his autem, quæ non ex voluntate & proposito, sed casu fortuito, vel iracundia, aut forte insania, talia commiserit, antiqua decrevimus iura servari.

Hæc autem statuta nostra prædicta, tam ad præsentia negotia extendi volumus, quam etiam ad futura, optantes omnibus sanctæ ecclesiæ libertates & iura servantibus, post labentis commoda sæculi, desideranda gaudia duraturi.

Acta sunt hæc in concilio apud Lambethe celebrato, & recitata in ultima actione dicti concilii, die Veneris III. Id. Maii. B. littera Dom. currente. Anno Domini MCCLXI. anno pontificatus domini Alexandri papæ quarti septimo. In cuius rei testimonium, &c.

** G. C. ADDITIO
ad concilium Lambethense.

MAtthæus VVestmonasteriensis ad hunc annum: Post Pascha, *inquit*, Bartholomæus archiepiscopus Cantuariensis, autoritate fretus apostolica, concilium celebravit provinciale apud Lambetham, iuxta Londinum, consilio præsulum provinciæ suæ, super executione præfati mandati apostolici contra Tartaros, qui iam orbem terræ maxima ex parte graviter oppresserant, prout superius plenius demonstratur. Ad quod quidem Divinæ indignationis flagellum Deo duce eruendum, sanxerunt sancti Patres concilio huic assistentes, ad processiones & ieiunia, & alia huiuscemodi pietatis opera recurrendum: per quæ, si in spiritu humilitatis & in animo contrito Domino offerrentur, Divina cessante iracundia, propter peccata populi ad vindictam succensa, fideles populos fore confiderent misericorditer liberandos.

G. C. VValterus de Reygate legatus in Angliam a pontifice missus, ut auxilio cōtra Tartaros aliisque rebus provideret: *veniens*, inquit VVestmonasteriensis, *fecit summoneri omnes Angliæ prælatos, ut in quindena Pascha coram ipso Londini conveniant, & mandatis auditis papalibus, de responsis salutaribus tractare non omittant.* Videri ergo posset interfuisse huic concilio, quando celebratum est illo ipso quod indixerat tempore. Sed cum nulla neque in actis concilii, neque apud VVestmonasteriensem, sit legati mentio: non dubito quin indictum ab ipso concilium dilatum sit ad XVII Kal. Iunias, quo die Londinensi concilio præfuit, ut mox intelliges.

** CONCILIA VBIQVE TERRARVM
ANNO MCCLXI. CELEBRATA.

ANNO CHRISTI 1261.

G. C. ALexander papa cum decrevisset, *ait VVestmonasteriensis ad annum MCCLXI.* concilium suum generale in quindena Paschæ celebrare: audito tandem viciniore incursu Tartarorum in terras Christianorum, prædictum tum distulit decre-

ANNO CHRISTI 1261.

decretum. Postea vero audiens prædictos Tartaros usque ad L I millia in Hungaria trucidatos, timensque residuos sibi cæterisque Christianis in brevi nocituros: summoneri fecit omnes prælatos transalpinos & vicinores, ut citra * festum apostolorum Petri & Pauli Romæ convenirent, provisuri qualiter prædictis inimicis resistant.

* f. circa

Interim autem, ait Stero, direxit litteras regibus & ducibus, archiepiscopis & universis principibus Christianis, hortando ipsos, ut contra rabiem Tartarorum consiliis & armis se præmunire deberent: *atque (ut habent Urbani IV. litteræ ad archiepiscopum Nidrosiensem, relatæ a Raynaldo ad annum MCCLXII. num. 29. & deinceps)* quæ & qualia subventionis auxilia particulariter ob hoc indici deberent cleris & populis Christianis.

B

Has deliberationes in conciliis haberi pontifex jusserat, ut docent Siffridus presbyter, & Matthæus Westmonasteriensis. Matthæi verba partim allata sunt ad Lambethense concilium, partim mox afferentur ad alia duo concilia Britannica: Siffridi vero testimonium ad Moguntinum ejusdem anni concilium.

ANNO CHRISTI 1261.

** CONCILIA DUO BRITANNICA, LONDIN. & BEVERLAC.

Adversus Tartarorum incursiones ann. MCCLXI.

Matthæus Westmonasteriensis, ad annum MCCLXI. Mense, *inquit,* Maii summonitis omnibus Angliæ prælatis, scilicet archiepiscopis, episcopis, & abbatibus, tam exemptis, quam non exemptis, prioribus, archidiaconis, & aliis ecclesiarum ordinariis, ut scilicet, auditis domini papæ mandatis,

C

Londinense. 16. Maij.

certis eidem satisfacerent in responsis: die Lunæ ante festum S. Dunstani convenerunt omnes australes Londini coram archiepiscopo Cantuariæ Bartholomæo, & prædicto fratre Guillelmo * nuncio domini papæ. Die vero Lunæ sequente, aquilonares apud Beverley coram archiepiscopo Eboracensi negocium idem exequente. Celebratoque hinc inde concilio super prædictis articulis, statuta tunc quædam nova providerunt hic & ibi super statum ecclesiæ Anglicanæ: quæ, una cum aliis quondam apud * Oxoniam provisis, statuerunt custodiri.

* Corr. Galthero, ut ex superioribus constat

Eboracense. 23. Maij.

* ann. 1221.

D

Super his autem & aliis, maxime ad resistendum Tartaris, communiter provisis, nuncios discretos & generales providerunt Romam dirigere, qui communi eorum bursa victuri, dominum papam possent super eorum responsis in concilio Romæ celebrando certificare. Hi, ut communiter dicitur, juraverunt coram prædictis episcopis, quod nihil contra ipsos procurabunt, aut patientur pertransire: sed contra religiosos, & maxime exemptos, studebunt contendere. Unde ipsi exempti, omnibus aliis certa responsa donantibus, ita tunc una voce responderunt: Vos pro vobis tantum, & contra nos, legatos mittitis ad curiam, & ad hoc nos cogitis vobis contribuere. Si nuncios velitis generales pro communi nostrum utilitate transmittere, vobiscum libenter contribuemus: sin autem, non consentimus. Quo audito episcopi suam exinde sumpserunt excusationem, rescribentes papæ, se propter divisionem exemptorum certam dare non posse responsionem. Ipsi igitur exempti timentes, nuncios post ipsos certius destinarunt speciales, qui contra prædictos procurarent, aut eorum contradicendo annullarent impetrationes. *Hactenus Westmonasteriensis.*

E

A

ANNO CHRISTI 1261.

** CONCILIUM MOGUNTINUM De resistendo Tartarorum incursionibus, anno Domini MCCLXI.

Cum celebrata sint, uti modo diximus, ubique hoc anno concilia: Moguntini nominatim extat mentio in Siffridi presbyteri epitome. Anno, *inquit,* MCCLXI. celebrata sunt concilia, in Moguntia ab archiepiscopo Wernero, & alias ab aliis archiepiscopis, jubente papa Alexandro, contra Tartaros & alia pericula: ut per verbum crucis & orationes fidelium, inimicis ecclesiæ resisteretur. *Hoc tantum Siffridus.*

ANNO CHRISTI 1261.

VITA URBANI PAPÆ IV.

Urbanus quartus, cui Iacobi Pantaleonis nomen fuerat, Trecis in Gallia oriundus, patriarcha Hierosolymitanus, Viterbii in Tuscia, ubi tunc propter tyrannidem Manfredi regis Siciliæ & potentiam Gibellinorum ecclesiam persequentium Romana curia erat, diuque permansit, absens electus est pontifex anno Redemptoris 1261. regnante Richardo Cornubiæ comite, & regis Angliæ fratre. Ut securior a malevolorum insidiis esset, Orvietum se recepit: cumque nulla ratione a Manfredi potentia & tyrannide sese defendere posset, in extrema rerum calamitate definivit, ut auxiliares copiæ, quæ ut in Asiam trajicerentur delectæ erant, e Gallus advocarentur: quæ, accepta a pontifice benedictione, omnem Manfredi exercitum ex Saracenis conflatum deleverunt. Eo tempore Romani debitam obedientiam pontifici nullam præstabant: verum magistratum suo genio & voluptati deservientem pro libito sibi deligebant. Quem sui contemptum Urbanus ex eo procedere videns, quod omnem suam autoritatem a Manfredi iniquitate & injuriis depressam & obscuratam viderent: concilio Orvieti habito conclusum est ut Carolus Andegaviæ comes, Franciæ regis frater, in Italiam cum titulo regni Neapolitani advocaretur. Et quamquam ad eam legationem perficiendam cardinalis missus esset: nihil tamen ejus rei, nisi subsequentis pontificis tempore, executionem suam sortitam est. Hoc unum post hominum memoriam celeberrimum ad posteros tansmisit, quod suo tempore augustissimi ac simul sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi celebritatem instituerit, idque ad hæresim contrariam verbo simul & facto impugnandam, quæ his temporibus venerabili sacramento debitum cultum indebite adimebat. Fueritne pontifex ad hanc festivitatem instituendam religiosæ cujusdam mulieris instructu ac revelatione, ut asserit Molanus, vel potius miraculosa sanguinis effluxione, quod scribit Tempesta, commotus, aliorum esto judicium. Porro tantæ celebritatis sanctissimi corporis Christi officium, quamquam iisdem temporibus cura Iulianæ editum esset, ac magnorum theologorum calculo approbatum: divus tamen Thomas ab Aquino ad id perfectius præstandum autoritate apostolica delectus fuit. In quo, ut in cæteris, suo munere adeo affabre functus est, ut Divina censura opus ab eo de ea re compositum approbari meruerit. Nam cum ante Crucifixum provolutus intentius oraret, vocem nemine comparente audivit: Bene scripsisti de me Thoma. Et in eo profecto ampliorem laudis cumulum jure sibi vendicare posset, quam ut hic anguste & jejune memoretur. Ut vero ad Urbanum redeamus, postquam urbem Orvietum præclaris ædificiis tam privatis quam publicis exornasset, Perusii ad vitæ periodum perductus obiit, sexto nonas Octobris, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto,

Anno Christi 1261.

quarto, cum pontificatum tribus annis & triginta A quatuor diebus administrasset. Sedes ejus morte quinque mensibus vacavit. Eodem tempore floruit Albertus, cognomento Magnus, insigni laude ob eximiam eruditionem merito dignissimus, quippe cujus magisterio divum Thomam doctorem angelicum ad multorum instructionem accepimus.

EPISTOLA I.
VRBANI PAPÆ IV.
AD EVAM RECLVSAM SANCTI MARTINI LEODIENSIS.
De festo corporis Christi.

Vrbanus episcopus dilectæ in Christo filiæ Evæ reclusæ sancti Martini Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem. B

Anno Christi 1261.

SCIMUS, o filia, quod magno desiderio desideravit anima tua, ut solenne festum sacratissimi corporis Domini nostri Iesu Christi institueretur in ecclesia Dei, a Christi fidelibus perpetuis temporibus celebrandum: & ideo tibi significamus ad gaudium, quod nos ad corroborationem catholicæ fidei digne duximus statuendum, ut de tam mirabili sacramento, præter quotidianam commemorationem, quam de ipso facit ecclesia, specialior & solennior memoria celebretur: ad hoc diem designantes certum, ut in eo turbæ fidelium propter hoc affectuose ad ecclesias concurrant, sitque dies ille universis Christicolis nova festivitate jucundus, & ampla jucunditate C festivus, prout in litteris apostolicis, quas per universum orbem dirigimus, plenius continetur. Et scias quod nos hujusmodi festum cum omnibus archiepiscopis, episcopis, cæterisque ecclesiarum prælatis tunc apud sedem apostolicam commorantibus, ad hoc ut videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum, duximus celebrandum. Magnificet igitur anima tua Dominum, & exultet spiritus tuus in Deo salutari tuo. Quia viderunt jam oculi tui salutare tuum, quod paravimus ante faciem omnium populorum. Lætare insuper, quia omnipotens Deus tribuit tibi desiderium cordis tui, & voluntate labiorum tuorum non fraudavit te cælestis D gratiæ plenitudo.

Et quia quaternum, in quo ipsius festi habetur officium, tibi sub bulla nostra per latorem præsentium destinamus, volumus, & per apostolica scripta tibi mandamus, quatenus quaternum ipsum cum devotione recipias, & ejus copiam personis illam petentibus exhibeas liberaliter & libenter: & instes devotis precibus apud illum qui memoriale tam salutiferum de seipso reliquit in terris, ut nobis ex alto tribuat gratiam, commissam nostro regimini ecclesiam suam regendi utiliter, ad laudem & gloriam sui nominis, & salubriter gubernandi.

Datum apud Vrbem veterem sexto Idus Septembris, pontificatus nostri anno quarto.

II. AD OMNES PRÆLATOS. E

De eodem.

Vrbanus episcopus servus servorum Dei venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, salutem & apostolicam benedictionem.

TRansiturus de hoc mundo ad patrem salvator noster dominus Iesus Christus, cum tempus

A suæ passionis instaret, sumpta cœna in memoriam mortis suæ, instituit summum & magnificum sui corporis & sanguinis sacramentum, corpus in cibum, & sanguinem in poculum tribuendo. Nam quotiens hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annuntiamus. In institutione quidem hujus sacramenti dixit ipse apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*: ut præcipuum & insigne memoriale sui amoris eximii, quo nos dilexit, esset nobis hoc præcelsum & venerabile sacramentum: memoriale, inquam, mirabile ac stupendum, delectabile, suave, tutissimum, ac super omnia preciosum, in quo innovata sunt signa, & mirabilia immutata; in quo habetur omne delectamentum, & omnis saporis suavitas, ipsaque dulcedo Domini degustatur; in quo utique vitæ suffragium consequimur & salutis. Hoc est memoriale dulcissimum, memoriale salvificum, in quo gratam redemptionis nostræ recensemus memoriã, in quo a malo retrahimur, & in bono confortamur, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementa, in quo profecto proficimus ipsius corporali præsentia Salvatoris. Alia namque, quorum memoriam agimus, spiritu menteque complectimur: sed non propter hoc realem eorum præsentiam obtinemus. In hac vero sacramentali Christi commemoratione Iesus Christus præsens, sub alia quidem forma, in propria vero substantia est nobiscum. Ascensurus enim in cælum dixit apostolis & eorum sequacibus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi*: benigna ipsos promissione confortans, quod remaneret & esset cum eis etiam præsentia corporali. O digna & nunquam intermittenda memoria, in qua mortem nostram recolimus mortuam, nostrumque interitum interiisse, ac lignum vivificum ligno crucis affixum fructum nobis attulisse salutis! Hæc est commemoratio gloriosa, quæ fidelium animos replet gaudio salutari, & cum infusione lætitiæ devotionis lacrymas subministrat: exultamus nimirum, nostram memorando liberationem; & recolendo passionem Dominicam, per quam liberati sumus, vix lacrymas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione adsunt nobis suavitatis gaudium simul & lacrymæ: quia & in ea congaudemus lacrymantes, & lacrymamur devote gaudentes, lætas habendo lacrymas, & lætitiam lacrymantem, nam & cor ingenti perfusum gaudio dulces per oculos stillat guttas. O Divini amoris immensitas, Divinæ pietatis superabundantia, Divinæ affluentia largitatis! Dedit enim nobis Dominus omnia, quæ subjecit sub pedibus nostris, & super universas terræ creaturas contulit nobis dominii principatum. Ex ministris etiam spirituum superiorum nobilitat & sublimat hominis dignitatem. Administratorii namque sunt omnes in ministerium, propter eos qui hereditatem salutis capiunt, destinati. Et cum tam copiosa fuerit erga nos ejus munificentia, volens adhuc ipse nobis suam exuberantem caritatem præcipua liberalitate monstrare: semetipsum nobis exhibuit, & transcendens omnem plenitudinem largitatis, omnem modum dilectionis excedens, attribuit se in cibum. O singularis & admiranda liberalitas, ubi donator venit in donum, & datum est idem penitus cum datore! Quam larga & prodiga largitas, cum tribuit quis seipsum. Dedit igitur nobis se in pabulum, ut quia per mortem homo corruerat, & per cibum ipse relevetur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferum, relevatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis, in isto pependit vitæ alimentum. Illius esus meruit læsionem, istius gustus intulit sanitatem. Gustus sauciavit, & gustus sanavit. Vide quia unde vulnus est ortũ, prodiit & medela: & unde mors subiit, exinde vita evenit. De illo siquidem

Anno Christi 1261.

1. Cor. 11.

Matth. 28.

ANNO CHRISTI 1261

dem gustu dicitur: *Quacumque die comederis, morte morieris.* De isto vero loquitur: *Si quis comederit ex hoc pane, vivet in æternum.* Hic est cibus qui plene reficit, vere nutrit, summeque impinguat, non corpus, sed cor; non carnem, sed escam; non ventrem, sed mentem. Homini ergo, qui spirituali alimonia indigebat, Salvator ipse misericors, de nobiliori & potentiori hujus mundi alimento, pro animæ refectione pia dispositione providit. Decens quoque liberalitas extitit, & conveniens operatio pietatis, & [a] verbum Dei æternum, quod rationabilis creaturæ cibus est & refectio, factum caro, se rationabili creaturæ carni & corpori, homo videlicet, in edulium largiretur. Panem enim angelorum manducavit homo: & ideo Salvator ait: *Caro mea vere est cibus.* Hic panis sumitur, sed vere non consumitur; manducatur, sed non transmutatur, quia in edentem minime transformatur: sed si digne recipitur, sibi recipiens conformatur. O excellentissimum sacramentum, o adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis, & sinceris mentibus retinendum! O memoriale nobilissimum intimis commendandum præcordiis, firmiter animo alligandum, diligenter reservandum in cordis utero & meditatione, ac celebritate sedula recensendum! Hujus memorialis continuam debemus celebrare memoriam, ut illius, cujus ipsum fore memoriale cognoscimus, semper memores existamus: quia cujus donum vel munus frequentius aspicitur, hujus memoria strictius retinetur. Licet igitur hoc memoriale sacramentum in quotidianis Missarum solenniis frequentetur, conveniens tamen arbitramur & dignum, ut de ipso semel saltem in anno, ad confundendam specialiter hæreticorum perfidiam & insaniam, memoria solemnior & celebrior habeatur. In die namque cœnæ Domini, quo die ipse Christus hoc instituit sacramentum, universalis ecclesia pro pœnitentium reconciliatione, sacri confectione chrismatis, adimpletione mandati circa lotionem pedum, & aliis, quamplurimum occupata, plene vacare non potest celebrationi hujus maximi sacramenti. Hoc enim circa sanctos, quos per anni circulum veneramur, ipsa observat ecclesia, ut quamvis in litaniis & Missis, ac aliis etiam, ipsorum memoriam sæpius renovemus: nihilo minus tamen ipsorum natalitia certis diebus per annum solennius recolat, festa propter hoc eisdem diebus specialia celebrando. Et quia in his festis circa solennitatis debitum, aliquid per negligentiam, aut rei familiaris occupationem, aut alias ex humana fragilitate omittitur: statuit ipsa mater ecclesia certum diem, in qua generaliter omnium sanctorum commemoratio fieret, ut in hac ipsorum celebratione communi, quidquid in propriis ipsorum festivitatibus omissum existeret, solveretur. Potissime igitur exequendum est erga hoc vivificum sacramentum corporis & sanguinis Iesu Christi, qui est sanctorum omnium gloria & corona, ut festivitate ac celebritate præfulgeat speciali: quatenus in eo, quod in aliis Missarum officiis circa solennitatem est forsitan prætermissum, devota diligentia suppleatur; & fideles, festivitate ipsa instante, intra se præterita memorantes, id quod in ipsis Missarum solenniis, sæcularibus forsan agendis impliciti, aut alias ex negligentia vel fragilitate humana, minus plene gesserunt, tunc attente in humilitate spiritus & animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim, dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam catholicis divinitus revelatum, festum hujusmodi generaliter in ecclesia celebrandum. Nos itaque ad corroborationem & exaltationem catholicæ fidei, digne ac rationabiliter duximus statuendum, ut de tanto sacramento, præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit ecclesia, solennior & specialior annuatim memoria celebretur, certum ad hoc designantes & describentes diem, videlicet feriam quintam proximam post octavam Pentecostes: ut in ipsa quinta feria devotæ turbæ fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant, & tam clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant. Tunc enim omnium corda & vota, ora & labia, hymnos persolvant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet caritas, devotio plaudat, jubilet chorus, puritas incundetur. Tunc singuli alacri animo, pronaque voluntate conveniant, sua studia laudabiliter exequendo, tanti festi solennitatem celebrantes. Et utinam ad Christi servitium sic ejus fideles ardor inflammet, ut per hæc & alia proficientibus ipsis meritorum cumulis, apud eum qui sese dedit pro eis in precium, tribuitque se ipsis in pabulum, tandem post hujus vitæ decursum eis se in præmium largiatur. Ideoque universitatem vestram monemus & hortamur in Domino, & per apostolica scripta in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, in remissionem peccatorum injungentes: quatenus tam excelsum & tam gloriosum festum, prædicta quinta feria, singulis annis, devote & solenniter celebretis, & faciatis studiose per universas ecclesias civitatum vestrarum & diœcesum celebrari, subditos vestros in Dominica dictam quintam feriam proxime præcedente, salutaribus monitis solicite per vos & per alios exhortantes, ut per veram & puram confessionem, eleemosynarum largitionem, attentas & sedulas orationes, & alia devotionis & pietatis opera taliter se studeant præparare, quod hujus preciosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac ejus virtute augmentum consequi gratiarum. Nos enim Christi fideles ad colendum tantum festum & celebrandum donis volentes spiritualibus animare, omnibus vere pœnitentibus & confessis, qui matutinali officio festi ejusdem in ecclesia, in qua idem celebrabitur, interfuerint, centum; qui vero Missæ, totidem; qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint, similiter centum; qui vero in secundis, totidem; illis vero qui primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, ac completorii officiis interfuerint, pro qualibet horarum ipsarum, quadraginta; illis autem qui per octavas illius festi matutinalibus, vespertinis, Missæ ac prædictarum horarum officiis interfuerint, centum dies, singulis octavarum suarum diebus, in omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum apostolorum ejus Petri & Pauli autoritate confisi, de injunctis sibi pœnitentiis relaxamus. Datum, &c.

Gen. 2. — Joan. 6. — [a] Corr. ut — [b] for. homini. — Ibid.

Ejusdem pontificis epistolæ quædam extant tomo V. histor. Franc. Duchesnij pag. 418 & sequ. tum pag. 864. & seq. Multæ etiam apud annalium ecclesiasticorum scriptores.

[a] ** CONCILIVM COPRINIACENSE.

ANNO CHRISTI 1262.

Ex codice Santonensium constitutionum, & ex MS. editum.

Constitutiones provinciales factæ in synodo apud Cognac, præsidente domino Petro Dei gratia Burdegalensi archiepiscopo, anno Domini MCCLXII. in primo anno promotionis suæ.

TITVLI

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *Vt loca in quibus res vel personæ ecclesiasticæ captæ detinentur, subiaceant interdicto.*

STatuimus, & sacri approbatione concilij definimus, quod loca, villæ, castra, civitates, sive parochiæ, in quibus res ecclesiæ aut personarum ecclesiasticarum, vel ipsæ personæ, capta, rapta, invasa, vel occupata detinebuntur, nisi, monitione præmissa, solvantur vel recredantur, ipso facto subjaceant interdicto: ipsis etiam capientibus, invadentibus, occupantibus, detinentibus, & id fieri procurantibus, excommunicationis sententiæ subjacentibus ipso facto. Et si forte alibi transferantur, ut aliquando comperimus esse factum: loco illo in quo facta est translatio, subjacente denuo interdicto, primum interdictum nihilo minus in suo robore perseveret. Et si ad plura loca translationem contingat fieri, idem duximus observandum.

II. *De illis qui impediunt iurisdictionem ecclesiasticam.*

Rursus illos qui impediunt quoquo modo, vel procuraverint impedire, ne causæ quæ ad forum ecclesiasticum de jure vel de consuetudine pertinere noscuntur, in foro ecclesiastico ventilentur, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

III. *De excommunicatis compellendis.*

Cum quos timor Dei a malo non revocat, pœna debeat cohibere temporalis: statuimus, quod barones & alij jurisdictionem temporalem habentes, ad compellendum excommunicatos per occupationem bonorum, quæ sub sua jurisdictione consistunt, vel alias, redire ad ecclesiæ unitatem, per censuram ecclesiasticam compellantur.

IV. *Vt detentores non absolvantur ab excommunicatione, nisi restituant.*

Prædicti vero delinquentes, a dictæ excommunicationis sententia nullatenus absolvantur: nisi rerum & personarum facta prius deliberatione & restitutione plenarie, & satisfaciant de expensis, damnis, interesse, & deperditis, tam ipsis passis in injuriam, quam etiam ecclesiis & eorum administratoribus, in quibus ob eorum delictum cessatum extiterit.

V. *Quomodo impediendi, qui publice celebrant Divina durante interdicto.*

Adjicimus: cum erit generale interdictum loci, & denunciatum per ordinarium, videtur posse occurri contra illos qui celebrant publice Divina non clausis januis, durante interdicto prædicto, hoc modo: ut inhibeatur in quolibet episcopatu generaliter, & specialiter ubi opus erit, quod parochiani & subditi non accedant ad ecclesias suas infra metas parochiæ loci interdicti, causa audiendi in eis Divina, durante prædicto interdicto. Et si secus egerint, excommunicentur, & excommunicati denuncientur.

VI. *De vicariis non constituendis.*

Cum olim in concilio provinciali fuerit ordinatum, vicarios per archidiaconatus, decanatus, archipresbyteratus, ab archidiaconis, decanis, vel archipresbyteris non constitui, nisi forte, ipsis justa causa absentibus, hoc fieret de suorum licentia, prælatorum; & nonnulli de prædictis prædictam constitutionem hactenus, prout intelleximus, neglexerint observare: ipsam ex nunc per interminationem excommunicationis, cui non parendo, tam constituentes, quam constitutos supponimus, inviolabiliter præcipimus observari. Adjicientes, ut & ipsi extra fines archidiaconatuum, decanatuum, & archipresbyteratuum, de causis aliquibus cognoscere non præsumant, contra facientibus pœnam infligentes eamdem.

VII. *Quomodo debent pronunciari constitutiones provinciales in synodo.*

Statuimus ut constitutiones provinciales annis singulis in synodis publicentur, & maxime illæ, per quas pœnæ transgressoribus infliguntur.

NOTA G. COSS.

In codice Santonensis ecclesiæ, dicuntur hæ constitutiones factæ apud Copriniacum: in MS. nostro, factæ apud *Cognac*. Cujus de appellatione loci vide observationem nostram de concilio Copriniacensi, pag. 746.

**CONSTITVTIONES D. PETRI Burdegalensis archiepiscopi anno Domini MCCLXIII.

G. C. Cum sint in codice constitutionum Santonensium: est cur provinciales videri possint. Verba tamen ipsa synodum sonant diœcesanam. ut c. 1. *litteras nostras absolutorias*, & c. 4. districtius, *diœcesis nostræ*.

ANNO CHRISTI 1262.

TITVLI CAPITVLORVM.

CAPITVLA.

I. *Ut excommunicati, pro absolutis non habeantur, donec litteras absolutorias episcopi receperint.*

STATVIMVS & præcipimus sub pœna excommunicationis, cui ipso facto non parentes supponimus: quod illi qui autoritate nostra excommunicati fuerint, super quorum absolutione litteras nostras non receperint capellani, non denuncientur absoluti, nec pro absolutis habeantur, quousque nostras litteras absolutorias receperint eorumdem.

II. *Quod qui per annum excommunicationem sustinuerit, hæreticus nuncietur.*

Statuimus quod si aliquis, cujuscumque sexus vel conditionis existat, per annum excommunicationem sustinuerit, ex tunc denuncietur hæreticus, & etiam habeatur.

III. *Ne sepeliatur alienus parochianus.*

Statuimus quod aliquis non recipiat alienum parochianum ad sepulturam, nisi de licentia sui capellani, vel aliorum ad quos sepultura ejus pertinet: tamen de jure suo primitus satisfacto. Alias præter pœnam excommunicationis, cui contra facientes supponimus, tam recipientes quam heredes recepti, prædictis capellanis & aliis quibus sepultura ejus pertinet, ad interesse eorum juramento declarandum noverint se teneri.

IV. *De Confirmatione.*

Constitutioni prædecessorum nostrorum, quæ est de adultis confirmandis, adduximus, ut cum jura nostræ diœcesis nos contigit visitare, sacerdos ad quem declinabimus, nostro recepto nuncio, subditos suos moneat, & inducat, quod pro Confirmationis sacramento recipiendo, cum necessitas existat, nostro conspectui se præsentent.

V. *De clandestinis matrimoniis.*

Constitutioni de clandestinis matrimoniis duximus hoc addendum, quod clandestina matrimonia contrahentes, necnon A illi qui talibus matrimoniis intererunt, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant: insuper presbyteri & clerici, qui talibus matrimoniis intererunt, ipso facto, præter pœnam excommunicationis prædictam, ab officio & beneficio sint suspensi.

Clandestina autem matrimonia intelligimus in hoc casu, dum aliqui matrimonium contrahunt in facie ecclesiæ, nisi in ecclesia parochiali viri, & tunc cum licentia capellani uxoris; vel in ecclesia uxoris, cum licentia capellani viri; vel nisi in ecclesia alia parochiali cum capellanorum licentia utriusque.

B Clandestinum matrimonium dicitur tribus modis: scilicet cum non habentur testes, ut extr. de clandestina desponſ. c. *Quod nobis.* Item cum non fit cum solemnitate: ut xxx.q.v. can. *Aliter.* Item quando fit non præmissa denunciatione; ut extr. de clandestina desponſ. c. *Cum inhib. con.*

VI. *De scribendis excommunicatis.*

Statuimus, quod quilibet capellanus papirum habeat in parochiali ecclesia, in qua scribantur nomina excommunicatorum: ita quod si quoquo modo mutari contingeret capitulum, appareant, & amitti non possint a denunciatione pro excommunicatis, prout a judice fuerit injunctum: alioquin adversario ad interesse, & ad jus judicis teneantur. C

VII. *De absolutione infirmi excommunicati.*

Statuimus, immo verius in jure declaratum est & statutum, quod excommunicatus, interdictus, vel suspensus a quocumque judice, si de facto absolvatur ab alio quam a D judice qui sententias tulerit, vel a proprio capellano in necessitatis articulo, pro absoluto minime habeatur. Sed si signa pœnitentiæ præcesserint in eodem: ejus absolutio requiratur post mortem a judice, a quo lata fuerat sententia dum vivebat.

*** CONCILIVM PARISIENSE

ANNO CHRISTI 1263.

In quo centesima bonorum ecclesiasticorum subsidio terræ sanctæ in quinquennium addicta anno Domini MCCLXIII.

E Edidit Cl. Menardus inter observationes ad Ionvillanum.

DECLARATIO CENTESIMÆ.

HÆc est tractatio & ordinatio Parisius in octava beati Martini hiemalis, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo tertio.

Primo quod archiepiscopus Tyrensis apostolicæ sedis legatus litteras, quas habet & legi fecit super centesima redditūum ecclesiasticorū pro subsidio terræ sanctæ, tradat domino regi, nec eis de cætero utatur dictus archiepiscopus, per se vel per alium, contra illos, qui ordinationi prælatorum quæ sequitur, fuerint obedientes, & ordinationi prædictæ adhærentes.

Si

ANNO CHRISTI 1263

Si vero aliqui nollent prælatis adhærere, vel stare ordinationi eorundem: contra illos, si vellet, dominus archiepiscopus utetur litteris supradictis. Talis est autem, super subventione prædictæ terræ sanctæ, spontanea, non coacta ordinatio prælatorum.

Concessum est a prælatis & suis subditis, pro se & sibi adhærentibus, ex ipsorum prælatorum mera gratia, non ex vi litteræ, super subventione terræ sanctæ a domino Papa impetrata; non aliqua coactione, sed sponte: quod ipsi prælati, & eorum subditi & sibi adhærentes, ob salutem animarum suarum, propter necessitatem terræ sanctæ, concedant terræ sanctæ subsidium, de centum libris & viginti solidis redditum suorum ecclesiasticorum viginti solidos, & secundum proportionem hujus summæ, secundum quod plus vel B minus habebunt aliqui in redditibus ecclesiasticis, solvant: & quod nullus compellatur per sæcularem potestatem ad præstandum hujusmodi subventionem, sive portionem ipsum contingentem: sed quilibet prælatus in sua diœcesi compellat subditos suos solvere per censuram ecclesiasticam. Et si aliquis rebellis esset, exemptus, vel non exemptus, qui nollet solvere ad mandatum & coactionem prælati sui: tum dominus Tyrensis archiepiscopus, per se, vel per alium, posset uti contra eum litteris suis. Si quis vero fuerit presbyter parochialis, capellanus, vel alius, cujus redditus est ita pauper & tenuis, quod non excedit summam duodecim librarum Parisiensium: nihil solvat, nisi voluerit. Et erit in æstimatione diœcesani loci, qui redditus, sive beneficium, sit duodecim librarum, vel mi- C nus, & tunc ex iis non solvatur: & si excedat, solvatur. Ita tamen quod si aliqua persona habeat plura beneficia, quorum quodlibet non valeat duodecim libras, sed omnia sua beneficia insimul computata valerent duodecim libras, integre de omnibus solvere teneatur. Et debet ista subventio durare per quinquennium, & quolibet anno solvi medietas in festo nativitatis beati Ioannis Baptistæ, & alia medietas infra nativitatem Domini proxime subsequentem. Nomine autem redditum intelliguntur valores terrarum, pratorum, vinearum, feodorum: secundum quod valores eorum per annum æstimantur in loco ubi sunt sitæ. De distributionibus autem quotidianis, quæ D in ecclesiis fieri consueverunt, canonici nihil solvant: dum tamen de communi bursa capitulorum, unde distributiones fieri consueverunt, subventio prædicta fuerit exsoluta.

ANNO CHRISTI 1264.

** PRÆCEPTVM HENRICI III. ANGLORVM REGIS,

Contra non residentiam prælatorum.

Ex bibliotheca Cotton. edidit collector Anglicanus.

Rex episcopo Herefordiæ salutem.

PAstores gregibus præponuntur, ut diei noctisque vigilias exercendo super eos qui pecoris vultum agnoscunt, oves famelicas in fertilitatis pascua intro- E ducant: errantes vero, per verbum salutis, & virgam correctionis, in unius ovilis conservare studeant indissolubilem unitatem. Sed sunt nonnulli, qui sanctam doctrinam damnabiliter contemnentes, ac sua ab aliis pecora distingui nescientes, lac & lanam tollunt, qualiter Dominicus grex alatur, non curantes; temporalia rapiant, & quis in parochia fame pereat, aut periclitetur in moribus, non attendunt: qui non pastores sed mercenarii dici promerentur. Hoc siquidem dum his diebus ad disponendum de regni nostri præsidiis, in partes Marchiæ nos transferremus, in ecclesia vestra Herefordensi dolenter referimus nos invenisse: quam adeo nos invenimus pastoris solatio destitutam, ut ne A dum episcopum, sed nec officialem habeat, vicarium aut decanum, qui quicquam spiritualiter exercere possit in eadem. Sed ecclesia ipsa, quæ olim deliciis affluere consuevit, & canonicis, qui ibidem nocturnis & diurnis officiis vacare, & opera caritatis exercere deberent, eam deserentibus & longe degentibus in remotis, stola jucunditatis exuta, recidit in terram, viduitatis suæ detrimenta deplorans: nec est, qui consoletur eam ex omnibus caris ejus. Sane dum hæc, vidimus & consideramus diligenter, pietatis aculeus viscera nostra commovit, & compassionis gladius intima cordis nostri acrius vulneravit: & tantam ecclesiæ matris nostræ injuriam ulterius dissimulare non possumus, nec pertransire incorrectam. Quapropter B vobis mandamus firmiter injungentes, quatenus ad ecclesiam vestram prædictam, occasionibus quibuscunque postpositis, cum ea qua poteritis celeritate, vos transferre curetis: commissum vobis in eadem cura pastorali officium personaliter executurum, &c. Alioquin scire vos volumus pro constanti, quod si istud facere non curaveritis, bona temporalia, & omnia quæ ad baroniam ipsius ecclesiæ pertinet, quæ pro spiritualibus in eadem exercendis, pia progenitorum nostrorum devotione, constat eidem fuisse collata, & quæ hactenus colligi & salva custodire præcepimus in commodum & utilitatem ipsius ecclesiæ committenda, cessante jam causa, in manu nostra totaliter capiemus: nec ulterius sustinebimus, quod temporalia C metat, qui spiritualia, ad quæ ex officii sui debito tenetur, irreverenter subtrahere non formidat; aut quod emolumenta percipiat, qui incumbentia ejusdem onera subire recusat. Teste rege apud Herefordiam primo die Iunii, anno regni sui XLVII.

ANNO CHRISTI 1264.

** CONCILIVM NANNETENSE.

Anno Domini MCCLXIV. die Martis post festum apostolorum Petri & Pauli concilium provinciale factum Nannetis a reverendo Patre Vincentio tunc archiepiscopo Turonensi.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Ne prælati vel patroni se obligent ad beneficium non vacans.*
2. *Ne numerus monachorum imminuatur.*
3. *Ne clerici sint venatores.*
4. *Ne vicariæ constituantur.*
5. *De procurationibus.*
6. *De residentiis faciendis, & beneficiorum pluralitate.*
7. *De pedagiis a clericis non exigendis.*
8. *De foro competenti.*
9. *De recredentia facienda de bonis clericorum per laicos captis.*

CAPITVLA.

I. *Ne prælati vel patroni se obligent ad beneficium non vacans.*

ORdinamus in primis, quod nullus prælatus ecclesiasticus, vel patronus, se per litteras obliget ad collationem seu præsentationem beneficii non vacantis: & si contra fecerit, decernimus ipsum ex obli- D

ANNO CHRISTI 1264.

gatione hujusmodi non teneri: & promittens, per superiorem pœna canonica puniatur.

II. *Ne numerus monachorum imminuatur.*

Item, cum cultus Divinus minui non debeat, sed augeri: statuimus ut in prioratibus non minuatur antiquus numerus monachorum; & si alicubi diminutus fuerit, restauretur: nisi prius coram episcopo loci causa sufficiens diminutionis hujusmodi proposita, ab ipso episcopo fuerit approbata.

III. *Ne clerici sint venatores.*

B Item, quia nullum venatorem invenimus sanctum, præcipimus ut prælati soliciti sint & intenti in puniendo clericos venatores, & præcipue presbyteros & religiosos, de quibus majus scandalum generatur.

IV. *Ne vicariæ constituantur.*

Item ordinamus insuper, quod nullæ de cætero vicariæ constituantur, nisi in casibus a jure permissis. Et si contra factum fuerit, id decernimus non tenere.

V. *De procurationibus.*

C Præterea ne longi temporis victum brevis hora consumat: statuimus ut prælatis, cum ipsos ad suos subditos causa visitationis declinare contigerit, duo tantum fercula præparentur: nisi fiat de licentia prælatorum. Alioquin quod ultra præparatum fuerit, pauperibus erogetur, & subditus: qui hoc fecerit, vel etiam in duobus ferculis fraudem adhibuerit, ad superioris arbitrium puniatur.

VI. *De residentiis faciendis, & beneficiorum pluralitate.*

D Item volumus & ordinamus, quod habentes beneficia curam animarum habentia, in ipsis beneficiis resideant, sicut jura præcipiunt, & ipsorum beneficiorum curæ requirunt: salva tamen in omnibus diœcesani episcopi potestate. Si vero quisquam capellaniam adeptus fuerit, quæ residentiam debeat personalem, aut aliud beneficium curam animarum habens annexam: ipso jure vacet primum, quod similiter personalem residentiam exigebat.

VII. *De pedagiis a clericis non exigendis.*

E Præterea cum juris sit provisione statutum, ne pro rebus ecclesiasticarum personarum pedagia exigantur: prohibemus ne pro rebus clericorum, aut quarumcunque ecclesiasticarum personarum, quas non mercimonii causa duci faciunt per terram, aut per aquam, quisquam pedagia exigat, vel coustumas, aut exactiones aliquas, A quocunque nomine censeantur. Si vero aliquis a locorum ordinariis, in generali, canonica monitione facta, ut a prædictis exactionibus desistatur, circa hoc aliquid attentare præsumpserit: ex tunc volumus ipsum excommunicationis sententiam incurrere ipso facto.

VIII. *De foro competenti.*

Prohibemus omnibus abbatibus, decanis, archidiaconis, & aliis ecclesiasticis personis, ne autoritate extraordinaria, ad loca minus insignia, ubi non potest juris peritorum copia haberi, coram se faciant, contra constitutionem fe. recor. Innoc. papæ IV. aliquem ad judicium evocari, aut litigare compellant, nisi hoc de partium processerit voluntate. Nec per generalem clausulam, *quidam alii*, plus quam quatuor evocentur. Alioquin qui contra hoc fecerit, ad superioris arbitrium canonice puniatur.

IX. *De recredentia facienda de bonis clericorum per laicos captis.*

Sane quia laïci clericis oppido sunt infesti: statuimus, ut si bona cujusquam ecclesiasticæ personæ per sæcularem potestatem, aut quemcunque laicum, occupata fuerint, aut detenta, ad reddendum vel recredendum, per locorum ordinarios, absque obligatione libelli, occupatores & detentores hujusmodi censura ecclesiastica compellantur: prius tamen ab ipsis conquerentibus judici ecclesiastico, vel ejus mandato, data idonea cautione de parendo juri coram eo, vel ubi debebit, & de reddendis præfatis occupatoribus hujusmodi rebus, si coram judice ecclesiastico probaverint quod jus habeant capiendi. Si vero illa occasione, quod in prædictis recredentiis libellus fuerit denegatus, appellari contigerit: non audiatur appellans.

** CONCILIUM PARISIENSE,
Adversus blasphemantes, præsente S. Ludovico Francorum rege, & Simone Card. sedis apostolicæ legato, anno MCCLXIV.

ANNO CHRISTI 1264.

Ex tabulis supremæ rationum curiæ Parisiensis, certum habemus hoc concilium. Hæc enim earum verba. Hoc anno MCCLXIV. celebratum est Parisius generale concilium a Simone tituli S. Cæciliæ cardinale, apostolicæ sedis legato, in crastino S. Bartholomæi. *Quid autem in eo gestum? Illud opinor, quod narrat Gaufredus de Belloloco ordinis Prædicatorum, cap* XXXIII. *vitæ S. Ludovici, cui a confessionibus fuit: quod cum certo anno non tribuat, nos cur huic potius assignemus, rationem reddemus in notis.* Plurimum, *inquit*, anxiabatur & compatiebatur cor ejus super pestem illam generalem, quæ ab antiquo noxia, occupaverat specialiter regnum suum: videlicet vitium jurationum turpium & blasphemiarum in Dominum, & in sanctos ipsius. Zelo igitur Divino permo-

ANNO CHRISTI 1264.

permotus, & solerter cogitans, qualiter hæc execrabilis noxa posset ad honorem Dei de regno suo radicitus extirpari: habito prius diligenti consilio cum domino Simone S. Cæciliæ presbytero cardinali, tunc apostolicæ sedis legato in Francia, autoritate ipsius legati & sua convocati sunt Parisius majores de regno, tam principes, quam prælati: ut super hoc damnabili vitio refrænando, vel potius destruendo, apponeretur consilium & remedium salutare. Igitur a domino legato facto super hac materia sermone solemni plurimum efficace, rex catholicus zelo sancto succensus, ore proprio fecit super hoc exhortationem devotam, & rationibus validis & apertis subnixam. Igitur de communi consilio & assensu edidit pius rex generale statutum, quod per totum regnum servari & promulgari voluit, in hæc verba. *Mutilus est hac parte Gaufredi codex: & statutum in eo desideratur.*

NOTA G. COSS.

Admonent qui Gaufredum ediderunt, edictum illud quod apud ipsum deest, in Ionvillani historia reperiri. Falso Nam statuta quorum meminit Gaufredus, non ante annum MCC LXIV sunt edita, ut mox docebimus At quæ legimus apud Ionvillanum, cum ea iem Gallice sint atque Latina illa quæ paulo ante concilio Biterrensi adjunximus (nisi quod paulo contractiora) anno MCCLIV Parisiis edita sunt, & Biterris in synodo ann. MCCLV. recitata & confirmata, ut paulo ante vidisti. Ex quo Nangium obiter emenda, qui anno MCCLVI. promulgata esse scripsit.

Alia in idem flagitium, S. Ludovici statuta edidit V. CL. Carolus Du Fresne, Cangii dominus, eruditissimis suis ad Ionvillanum observationibus intexta: sed non ea quæ in hoc Simonis legati concilio sancita sunt. Nam severiora multo erant hæc nostra: ferrumque candens intentabant, quo statim post edictum inusta esse labia civis Parisiensis, qui *inhoneste valde jurando blasphemaverat in Deum*, Gaufredus ibidem narrat. At edictum quod affert Cangius, atrociores illas pœnas sustulerat, obsequente haud dubie rege optimo Clementis IV. pont. max. consiliis, qui anno MCC LXVIII. cum hortaretur ut pestem illam de regno suo tolleret, tum autor erat, ut pœnas alias reperiret *citra membri mutilationem aut mortem*. Quod didicisse nos profitemur ex eo, quem modo laudavimus, Cangio.

Cum igitur Pont. Max. anno MCCLXVIII. de illa pœnarum acerbitate quereretur: ante annum illum celebrata fuit, relata a Gaufredo synodus, in qua decretæ sunt At non ante MCCLXIV. Quo anno Simonem cardinalem, qui concilio præfuit, legatum in Gallias venisse discimus ex Urbani IV. ad S. Ludovicum epistola, qua eum a se mitti significat, data IV. Non Maii, III pontificatus anno, qui annus est Christi MCC LXIV. Quam epistolam cum sine die annoque Duchesnius edidisset tomo V. eam iisdem adscriptis profert Raynaldus ad hunc annum num. 13. Ex quo convincuntur erroris, & chronicon Mauriniacense, quod legati hujus in Galliam adventum tribuit anno MCCLXII. & Spondanus, aliique, qui anno MCCLXIII.

Concilium autem anno MCCLXIV in tabulis curiæ rationum Parisiensis indicatum, illud ipsum esse, in quo edictum illud sancitum est, multa persuadent. Primum enim, haberi prius non potuit, ut jam dixi Deinde in eo notas quas Gaufredus designat, invenio, nempe frequentiam præsulum, & Simonis legati præsentiam. Denique nullum aliud reperimus ante annum MCCLXVIII. ante quem, ut ostendi, celebratum fuisse oportet.

ANNO CHRISTI 1264.

** CONCILIUM BONONIENSE IN GALLIA.

In quo Angli regi suo rebelles excommunicantur, Anno Dom. MCCLXIV.

Henricus III. Angliæ rex in leges quasdam a regni sui proceribus Oxoniæ anno MCCLIV. conditas jurare adactus, ab Urbano IV. Pont. Max. ann. MCCLXI. juramenti religione solutus, iis stare recusavit. Hinc turbæ in Anglia maximæ. Delectus arbiter S. Ludovicus IX. Franc. rex, anno MCCLXIII. Ambiani in magno episcoporum & optimatum conventu secundum regem Angliæ, antiquatis Oxoniensibus legibus, judicavit. Sed cum non acquievissent Angli proceres, malum recruduit. Ad extremum Urbanus papa

A (*inquit Parisii continuator*) turbationi regni Angliæ compatiens, legatum misit dominum *Guidonem* Sabinensem episcopum, cardinalem, qui Angliam intrare non valens, navigio Quinque portuum mare occupante, quosdam episcopos ex Anglia ad se, primo Ambianos, deinde Bononiam evocavit. Quibus sententiam excommunicationis & interdicti, autoritate papali, in civitatem Londoniensem & Quinque portus, omnesque pacem regis Angliæ turbantes, fulminatam, publicandam exequendamque commisit. *Hæc continuator Parisii qui hæc perperam ad annum MCC LXV. narrat. Nam antecedente contigisse hinc constat, quo Guido successit Urbano IV. qui anno MCC LXIV. obiit VI. non. Octobr. Sed hoc familiare est huic scriptori, ut res gestas anno uno differat. Eadem*
B *narrat Matthæus Westmonasteriensis.*

VITA ET EPISTOLÆ CLEMENTIS PAPÆ IV.

Clemens quartus, patria Narbonensis, e villa sancti Ægidii, antea Guido Falcodius appellatus, jurisprudentiæ laude clarissimus, mortua conjuge quam prius habuerat, Podiensis, & paulo post Narbonensis episcopus factus, ex cardinale omnium acclamatione designatus est pontifex ipsis Nonis Februarii, anno Christi MCCLXV. regnante Richardo Romanorum rege. Initio pontificatus, mendicantis habitu Perusium usque profectus est: quo cardinales subsecuti, eum cum debito honore Viterbium deduxerunt. Interea Carolus Andegavensis Italiam ingressus, Romæ per cardinales ad hoc deputatos, Neapo-
C leos & Siciliæ rex renuntiatus est: ea conditione adjecta, ut feudi titulo ecclesiæ Romanæ quadraginta millia ducatorum quotannis penderet. Carolo rege creato, post Manfredi obitum, quem ipse devicerat, Conradinus valida manu instructus, ut regnum recuperaret supervenit: de quo Pontifex cum per agros Viterbienses eum transeuntem videret, fertur dixisse, ipsum tamquam agnum ad macellum deduci; quemadmodum etiam juste evenit. Eduuigem Poloniæ reginam, post mortem miracula facientem, in numerum sanctorum retulit. Sanctum Bonaventuram unice dilexit. In pauperes liberalis, erga Deum religiosus, apud omnes modestus extitit: & ut paucis multa com-
D plectar, nullis non virtutibus ornatus erat. Bona ecclesiæ fidelissime, nullo personarum habito respectu, distribuit. Filiarum duarum alteri, quas ex legitimo matrimonio ante pontificatum susceperat, in monasterio collocatæ triginta tantum libras, alteri trecentas libras dotis nomine dedit. Clerico nepoti tres præbendas habenti, duas abstulit, dicens se Deo non carni & sanguini velle acquiescere. Post tres annos diesque viginti & unum occupatæ sedis apostolicæ, mortuus & sepultus est Viterbii in ecclesia beatæ Mariæ virginis ad Gradus, tertio Kalendas Decembris, anno MCCLXVIII. Cumque de novo pontifice eligendo
E diutius disceptaretur, annis duobus & novem mensibus sedes apostolica pastore vacavit.

EPISTOLA I.

CLEMENTIS PAPÆ IV. AD PETRUM GROSSUM DE SANCTO ÆGIDIO.

Agnatos suos in Italiam venire vetat, eosque ad humilitatem hortatur.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro Grosso de sancto Ægidio salutem, &c.

Multis de nostra promotione gaudentibus, nos soli sumus qui certius immensitatem oneris experimur;

perimur: & idcirco quod aliis gaudium, nobis metum subministrat & fletum. Sane ut scias qualiter his auditis debeas te habere, scire te volumus quod humilior solito debes esse. Neque enim quod nos vehementer humiliat, debet nostros extollere: maxime cum honor hujus sæculi momentaneus sit, & sicut ros transeat matutinus: nec ad nos te, nec fratrem tuum, vel ex aliis nostris aliquem venire volumus, sine nostro speciali mandato. Quia spe sua frustratos, si secus venire præsumerent, oporteret redire confusos. Sed nec in tuæ sororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem: nec enim nos haberes propitios, nec in aliquo adjutores. Si tamen eam filio militis simplicius desponsaveris, in tercentum libris Turonensibus tibi proponimus subvenire. Et si altiora quæsiveris, nec a nobis denarium speres unum: & hoc ipsum secretissimum esse volumus, & tibi & matri solummodo notum esse. Illud etiam scias, quod nullum nullamque de sanguine nostro sub nostri sublimatione obtentu inflare volumus: sed tam Mobiliam quam Cæciliam illos viros habere volumus, quos haberent, si essemus in simplici clericatu. Sibyllam visita, & dic ei quod locum non mutet, sed remaneat apud Susam, & omnem maturitatem, & habitus honestatem observet, & preces nobis pro aliquo non præsumat assumere. Nam & ei, pro quo fierent, essent inutiles: & ipsi qui rogaverit, damnosæ. Et si forte per aliquos ex hac causa munera offerantur: ea respuat, si vult nostram gratiam retinere. Saluta matrem & fratres: non scribimus tibi, nec familiaribus nostris sub bulla, sed sub piscatoris sigillo, quo Romani pontifices in suis secretis utuntur.

Datum Perusii in festo sanctarum Perpetuæ & Felicitatis.

II. AD VVELODIZLAUM ELECTUM SALTZBURGENSEM EPISCOPUM.

Ipsum confirmat in archiepiscopum Saltzburgensem.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio VVelodizlao electo Saltzburgensi salutem & apostolicam benedictionem.

Romana ecclesia, cui Divina inscrutabilis altitudo dispositione incommutabili præcipuum contulit super cæteras magistratum, pium ad cunctas alias in hujus orbis latitudine constitutas ecclesias materna provisione habens respectum, laudabili studuit hactenus observantia custodire, ut de illis potissimam curam gerens, eis, opportunitatis tempore occurrente, congrua subventionis non differret consilia tam libenter quam liberaliter exhibere. Nos etiam, qui licet insufficientibus meritis in sublimi culminis apostolici specula sumus, disponente Domino, constituti: prædecessorum nostrorum Romanorum pontificum in hoc vestigiis inhærendo, prædictas ecclesias, tam proximas, quam longe positas, paternæ considerationis oculis intuentes, injunctum erga ipsas solicitudinis nostræ ministerium circumstantiis universis, ac variis personarum, rerum, locorum & temporum emergentibus necessitatum articulis diligenter inspectis, quantum nobis ex alto permissum fuerit, ita vigilanter intendimus exercere, ut nihil prorsus in spiritualibus vel temporalibus desit ibi, quod per diligentiæ nostræ studium possit aut debeat procurari. Et quamvis ministerii hujusmodi debitum circa singulas ecclesias exolvere cupiamus: erga illas tamen, quæ viduitatis deplorant incommoda, ut videlicet ipsis de pastoribus juxta

A cor nostrum idoneis cæli providentia utiliter consulatur, curis continuis, eoque anxius attingimur insultibus, quod successivis* eo instantius propulsamur, quo ipsæ, dum vacant, periculis subjacentes majoribus, potiori noscuntur apostolico suffragio indigere. Sane venerabilis frater noster Vlricus, quondam Saltzburgensis archiepiscopus, rectæ considerationis meditatione advertens, quod ipse qui jam vergens in senium, multa proprii corporis debilitate gravari dicitur in commisso sibi plebis gubernaculo, variis de causis se fructuose gerere, sicut erat expediens, non valebat, ac proprium & subditorum periculum reformidans, zelo caritatis, quo erga ecclesiam suam vigebat, inductus, ne occasione suæ impotentiæ gregem suum inimicus insidiator invaderet, vel ecclesiæ Saltzburgensi utilitatibus dispensatoriis per invaletudinem forsitan deperi-
B ret, ipsius ecclesiæ regimine elegit sponte cedere; per litteras & nuncium specialiter supplici a nobis deposcens instantia, ut cessionem ipsius, quam sic offerebat spontaneus, de benignitate apostolica recipere dignaremur. Nos autem tam ipsius archiepiscopi quieti & commoditatibus providere, quam ejusdem ecclesiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, cessionem ipsius duximus admittendam. Per hujusmodi vero cessionem in manibus nostris factam, eadem Saltzburgensis ecclesia pastore vacante, ordinationem illius nobis specialiter reservantes, inhibuimus expresse capitulo Saltzburgensi, ne ad electionem seu postulationem aut nominationem aliquam procederent de archiepiscopo illa vice: ac decrevimus nihilominus irritum & inane, si quid contra inhibitionem
C hujusmodi contingeret attentari. Et demum de salubri provisione ipsius Saltzburgensis ecclesiæ solicite cogitantes, post exactæ deliberationis examen, decens ac necessarium nihilo minus & expediens fore vidimus, ut eadem ecclesia titulo nobilitatis insignis, quæ, currentium dierum faciente malitia, multis est discriminibus exposita, variis conquassata molestiis, graviterque in temporalibus diminuta, & enormiter in spiritualibus deformata, nobilis decore sponsi ac utilis ornaretur, cujus potentia & providentia circumspecta damna resarciantur, ipsius regantur directa, & indirecta in debitam rectitudinis semitam dirigantur, ecclesiastica defensetur libertas, cleri status reddatur tranquillior, & commodis salutis & gaudii plebs lætetur. Unde nos laudabiles actus tuos, quibus de virtute in virtutem proficiens in oculis hominum, a tuæ juventutis primitiis te gratum reddere studuisti, dele-
D ctabiliter in animo revolventes, ac de redolentis tuæ famæ suavitate, quæ publico prædicatur testimonio, quod claram serenissimorum tuorum nobilitatem natalium studiis ac operibus nobilitare satagis virtuosis, odorem acceptabilem sentientes, in te generosum ac benedictionis filium direximus oculos mentis nostræ. In quo te ipsi Saltzburgensi præficiendo ecclesiæ noster non indigne spiritus requievit, spem grandem ac fiduciam obtinentes, quod cum sis multorum principum consanguinitate & affinitate subnixus, littera sufficienti dotatus, gratus moribus, conversatione placidus, vitæ honestate conspicuus, aliisque virtutibus multipliciter insignitus in spiritualibus, nihilo minus providentiam ac in temporalibus discretionem
E obtinens, ecclesia eadem per tuam potentiam & circumspectionem fructuosam ab instantibus periculis efficaciter eruetur, a futuris præservabitur salubriter, & non solum in suis bonis juribus, immunitatibus, & libertatibus magnifice defensabitur, verum etiam optatæ felicitatis & prosperitatis augmentum spiritualiter & temporaliter ad pacem & bonum statum subditorum, sibi cleri & populi Divina favente clementia, consequetur. His itaque digna meditatione

pensatis

pensatis ecclesiæ prælibatæ, cujus in hac parte profe- A
ctum potissime attendimus, speciali volentes diligentia providere, de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ potestatis plenitudine in nomine Domini, non obstante defectu quem in ordinibus pateris, & ætate, te tunc præpositum VVisegradensis ecclesiæ, capellanum nostrum, prælibatæ Saltzburgensi ecclesiæ in archiepiscopum præfecimus & pastorem, curam & administrationem illius tam circa spiritalia quam temporalia tibi totaliter committentes. Quapropter discretionem tuam rogamus, monemus attentius, & hortamur per apostolica scripta, tibi in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandantes, quatenus tibi onus a Domino impositum reverenter suscipiens, ad commissam tibi ecclesiam cum plena nostræ gratia B
benedictionis accedas, & illius commissum tibi regimen sic prudenter & utiliter exequaris, quod ipsa tuo salubri ministerio gubernetur feliciter, ac prospere dirigatur, tuque velut pastor solicitus gregis Dominici tuæ custodiæ deputati, vigilem curam gerere comproberis, ex quibus clara tui fama nominis extendatur latius, & erga personam tuam benevolentia nostræ sinceritatis digne de bono in melius augeatur.

Datum Perusii quarto Idus Novembris, pontificatus nostri anno primo.

III. AD PETRUM ELECTUM PATAVIENSEM EPISCOPUM.

Ipsum confirmat in episcopum.

Clemens episcopus servus servorum Dei dilecto filio Petro electo Pataviensi salutem & apostolicam benedictionem. C

IN supremæ speculationis vertice, cui nos licet indignos apostolicæ dignitatis gradus prætulit, constituti, de variis immensisque negotiis jugiter emergentibus solicitudinis apostolicę studio dirigendis continua reddimur attentione soliciti: ne diligentiæ nostræ ministerium videatur deesse, ubi pastorale tenemur injunctum nobis officium exercere. Inter quæ de statu prospero ac salubri ecclesiarum omnium ubilibet positarum, curæ nostræ specialiter, superna disponente clementia, commissarum, assidue cogitamus: & profundis vigiliis excitamur, ut aliquid penitus non D
desit inibi, quod ad ipsarum utilitatem per nos valeat procurari. Specialiter autem ad illas, quas viduitatis incommoda deplorare conspicimus, nostrum animum convertentes, in hoc præcipue nostra sedulitas officiosa versatur, ut eædem de personis secundum cor nostrum idoneis celeriter ordinentur, ad quod eo instantius vigilamus, quod ad id ex susceptæ administrationis cura specialius obligamur. Et quo ecclesias ipsas per vacationem illarum diutinam majoribus spiritualiter & temporaliter exponi discriminibus intuemur. Sane Pataviensis ecclesia pastoris solatio destituta, dilecti filii capellani ejusdem ecclesiæ pro futuri electione pontificis, ut est moris, die ad eligendum præfixa convenientes in unum, Spiritus sancti invocata gratia, dilectum filium VVelodislaum, nunc E
Saltzburgensem electum, tunc capellanum nostrum, & ecclesiæ VVisegradensis præpositum, in eorum episcopum unanimiter & concorditer postularunt, & postulationem hujusmodi præsentantes, illam admitti cum instantia postularunt. Nos quidem postulatæ personæ, de cujus probitate multa laude digna relata nobis fuerant, nec non & de illius meritis certam volentes notitiam obtinere: eundem electum ad nostram duximus præsentiam evocandum, qui velut obedientiæ filius se nostro conspectui præsentavit. Licet autem postmodum inspecta electi ejusdem laudabilium copia meritorum, de quibus tam per communis famæ præconium & multorum fide dignorum laudabile testimonium, quam etiam per experientiam facti, nobis evidenter constitit, postulationem prædictam velut de persona sufficienti & idonea canonice celebratam deliberassemus admittere: interim tamen venerabili fratre nostro Ulrico quondam Saltzburgensi episcopo, pro eo quod ipse in commisso sibi plebis gubernaculo variis de causis se utiliter gerere, sicut erat expediens, non valebat, cessionem suam archiepiscopalis regiminis nobis per speciales litteras & nuncium offerente, illamque a nobis admitti cum instantia postulante: nos tam ipsius archiepiscopi quieti & commoditatibus providere, quam Saltzburgensis ecclesiæ occurrere periculis, opportuna diligentia intendentes, cessionem ipsius duximus admittendam. Recepta hujusmodi cessione, nos attendentes, quod nobilis ecclesia ipsa, quæ dierum faciente malitia multis periculis est exposita, virtuosi ac potentis indigebat cura rectoris: ipsum electum eidem Saltzburgensi ecclesiæ in archiepiscopum præfecimus & pastorem. Demum vero ne præfata Pataviensis ecclesia, quæ præpositi pastoris carebat solatio, prolixioris vacationis detrimenta sentiret: studiose vacavimus ad exquirendum virum talem, qui ad ipsius ecclesiæ regimen idoneus haberetur. Unde nos ad personam tuam, quam nostræ benevolentiæ plenitudinem assecutam odor famæ nobis reddit acceptam, cum sufficiens tibi litterarum scientia suffragetur, & habearis vir vitæ laudabilis & conversationis honestæ morum honestate decorus, discretionis maturitate conspicuus, clarus meritis, & alias in spiritualibus & temporalibus circumspectus, nostræ considerationis dirigentes intuitum, ac sperantes quod virtutibus desursum tibi traditis insignitus, ipsam Pataviensem ecclesiam feliciter, dante Domino, gubernabis, ipsaque utilis gubernationis munita præsidio salubriter præservabitur a noxiis, & optatis prosperitatis affluet incrementis: in nomine Domini, te tunc ecclesiæ Vratislavensis canonicū, ipsi Pataviensi ecclesiæ de fratrum nostrorum consilio & apostolicæ plenitudine potestatis præfecimus in episcopum & pastorem. Ideoque discretioni tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ firmiter præcipiendo mandamus, quatenus impositum tibi onus a Domino suscipiens, reverenter ad commissam tibi ecclesiam cum gratia nostræ benedictionis accedas; illius amplificandis honoribus & profectibus procurandis te sic reddendo solicitum, ut laudabilis famæ tuæ titulus apud remotos & proximos clareat per effectum; & in delectationem nobis veniat, te semper & condigna gratia prosequi, & tuis desideriis favorem benevolum impertiri.

Datum Perusii octavo Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno primo.

** CONCILIUM LONDINENSE,

In quo sedis Apostolicæ legatus regis Angl. adversarios excommunicavit ann. MCCLXV. ANNO CHRISTI 1265.

EOdem anno (MCCLXV.) *inquit Matthæus VVestmonasteriensis*, Clemens IV. papa destinavit in Angliam per consilium cardinalium Ottobonum S. Adriani cardinalem: qui cum rubeis in Angliam veniens indumentis, in ecclesia VVestmonasteriensi congregato concilio, fecit mandata apostolica publicari. Qui suæ legationis fungens officio, sententiam in regis adversarios fulminavit.

ANNO CHRISTI 1266.

** CONCILIVM COLONIENSE PROVINCIALE

Anno Domini MCCLXVI. celebratum.

CAPITVLA SEV RVBRICÆ

Statutorum ecclesiæ Coloniensis editorum ab Engilberto archiepiscopo Coloniensi, quæ facta sunt provincialia per D. Henricum archiepiscopum Coloniensem, ut infra in statutis* ejus invenies.

* ad ann. 1322.

PRÆFATIO.

In nomine Domini, Amen.

ENgilbertus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri Imperii per Italiam archicancellarius. Quamvis ad manutenendam ac defendendam immunitatem, & ad conservandum jus & libertatem ecclesiarum ipsarum & ecclesiasticarum personarum, & eorum qui in sortem Domini sunt vocati, plurima tam canonica quam legalia edita sint statuta, & diversæ etiam a diversis nostris prædecessoribus ac majoribus super hoc provisiones emanarint: tamen quia excrescente malitia quorundam zelum Dei non habentium, nova gravamina, exactiones & adinventiones pravas & detestabiles, contra ecclesiam Dei & ecclesiasticas personas machinantium, ipsa ecclesia per statuta & provisiones hujusmodi, a suis oppressionibus, quas patitur a diversis, nullatenus sublevatur: nos considerantes, quod contra diversas & innumerabiles tribulationes & injurias, quas a nonnullis (qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, & solo nomine se gloriantur Christianos) ecclesiis & ecclesiasticis personis frequenter & maxime modernis temporibus inferuntur, paucissimi, immo nulli etiam ecclesiæ devotorum se opponunt, licet ex debito omnes ad hoc sint obligati, & maxime locorum moderatores & judices sæculares, qui ex imperiali etiam constitutione, ad ulciscendum ecclesiarum & ecclesiæ ministrorum

ANNO CHRISTI 1266.

rum injurias in sacrilegos sunt adstricti, non expectato quod ab eis ultio injuriarum exposcatur, propter quod contingit malos in malo plus animari, & ecclesiam, cum non sit qui consoletur eam, sentire in rebus & personis multiplex detrimentum. Volentes itaque incursibus malorum, se erigentium ex adverso contra ecclesiam Dei, & ecclesiasticam libertatem, coercitione qua possumus, obviare, salvis & in suo robore duraturis constitutionibus & ordinationibus prædecessorum nostrorum, per quas ecclesiis & ecclesiasticis personis in suis libertatibus est prospectum, quas nos innovamus & approbamus, & præcipimus per nostram civitatem & diœcesim inviolabiliter observari: salvis etiam juribus prælatorum & ecclesiarum consuetudinibus licitis & honestis electionibus, tam in prælaturis quam aliis beneficiis, correctionibus & B ordinationibus, ac aliis libertatibus hucusque in ecclesiis habitis & servatis; quæ omnia & singula ipsis ecclesiis & ecclesiasticis personis confirmamus, & firma ac illibata volumus permanere: de communi consilio & assensu capituli nostri, & omnium prælatorum, & ecclesiarum, & cleri civitatis & diœcesis Coloniensis, & ad illorum solicitam instantiam, ut præsumptorum coerceatur audacia, & possint viri ecclesiastici tuti inter improbos Divinis obsequiis ferventius insudare.

CAPITULA.

I. *Contra eos, qui manus in clericos vel personas ecclesiasticas injiciunt temere violentas.* C

STatuimus, ut sacrilegi qui suadente diabolo, Dei timore postposito, manus injiciunt in clericum vel alias personas ecclesiasticas & religiosas, temere violentas, & ex hoc incidunt in excommunicationis sententiam canonis jam prolati, per frequentem denunciationem & communionis denegationem, reconciliationis gratiam quærere, & de offensa satisfacere compellantur: cum de injectione hujusmodi constiterit per facti evidentiam, vel publicam D famam, vel aliam fidem, coram loci ordinario faciendam per juramentum injuriam passi, si fuerit persona honesta & fide digna, vel per testes. In loco, in quo sacrilegi domicilium habuerint, & in quo sacrilegium committitur, si committens dominus loci fuerit, cessetur a Divinis: & ipsi sacrilegi per omnes ecclesias conventuales & parochiales ac capellas civitatis Coloniensis, (si injuria in civitate committatur) singulis diebus Dominicis & festivis excommunicati publice & nominatim, si eorum nomina sciri poterunt, alioqui in genere, nuncientur. E Si injuria extra civitatem committatur, similiter denuncientur per omnes ecclesias conventuales, parochiales, ac capellas decanatus illius vel etiam archidiaconatus, in quo hoc contingit. Ita tamen, quod nihilo minus ad denunciationem eorundem, pro ipso forefacto ubicumque commisso, & intra civitatem & extra, ultra procedatur per loci ordinarium, prout hoc visum fuerit expedire. Si vero dicti sacrilegi, per mensem

A hujusmodi denunciationem sustinuerint, minime satisfacientes, ex tunc singulis diebus Dominicis & festivis, campanis pulsatis & candelis extinctis, per ecclesias conventuales, parochiales, & capellas, ut proxime dictum est, denuncientur excommunicati, & ab omnibus arctius evitandi, donec læso, nobis, & ecclesiæ satisfecerint competenter & evidenter, & autoritate apostolica absolutionis beneficium consequantur.

Quod si per dimidium annum in excommunicatione perstiterint, hujusmodi denunciationibus vilipensis, si laïci nobiles fuerint hujusmodi sacrilegium committentes, terra eorum & districtus, si eos habuerint, ipso facto ecclesiastico suppositi sint interdicto: quod nullatenus relaxetur, nisi de commisso legitime fuerit satisfactum. Si autem fuerint alii quam nobiles, domini terræ in quorum districtibus manent, extunc moneantur per loci ordinarium, ut dictos sacrilegos compellant per bonorum, quæ in suis habent districtibus, subtractionem, vel quemcumque alium modum, ut ipsi sacrilegi satisfaciant, & absolutionis beneficium requirant. Et si ipsi domini in hoc negligentes fuerint, extunc per loci ordinarium excommunicentur: quod si sustinuerint animo indurato usque ad annum, extunc terra eorum ecclesiastico sit supposita interdicto. Salvis pœnis contra delinquentes hujusmodi, & participantes constitutis, ad quas procedatur nihilo minus, prout hoc visum fuerit expedire.

II. *Contra incendiarios & effractores ecclesiarum & monasteriorum, & bonorum ecclesiasticorum.*

Contra incendiarios autem & effractores ecclesiarum & monasteriorum, cum ipso facto sint excommunicati, eodem modo procedi statuimus & mandamus, adjicientes, ut si habuerint terram vel districtum illa post tres menses a tempore perpetrati criminis ecclesiastico supposita sint interdicto. Cum autem incendiarii aliarum rerum & bonorũ ecclesiarum & monasteriorum, sint tanquam sacrilegi excommunicandi: statuimus, ut tales moneantur nominatim (si eorum nomina sciri potuerint, alioqui in genere) per ordinarium loci, in quo committi contingit hujusmodi forefactum, ut intra septem dies a die monitionis satisfaciant: alioqui idem ordinarius extunc sine dilatione ipsos excommunicet, & excommunicatos denunciet, & faciat denunciari in locis ubi hoc visum fuerit expedire: ita quod nisi intra quindenam a tempore excommunicationis & denunciationis satisfecerint, extunc singulis diebus Dominicis & festivis, campanis pulsatis, & candelis extinctis, per omnes ecclesias con-

ANNO CHRISTI 1266.

ventuales, parochiales, & capellas civitatis, si in civitate contingit, seu decanatus, vel archidiaconatus illius loci, excommunicati publice nuncientur, sicut de incendiariis ecclesiarum est præmissum. Et si per sex menses in excommunicatione contumaciter perstiterint, si habent districtus, illi sint extunc interdicti: "aliorum autem districtus non "habentium, domini moneantur, & procedatur sicut superius de injectoribus manuum continetur.

"alii "habentes

III. *Contra violatores immunitatum & dotum ecclesiarum.*

Statuimus item de his qui violant ecclesiarum immunitates seu dotes, ut violatores hujusmodi, videlicet qui hominem de immunitate seu dote extraxerint, vel aliam rem abstulerint, vel modo alio eam præsumpserint violare, quos tanquam sacrilegos in his scriptis excommunicamus, simili modo quo diximus de incendiariis bonorum ecclesiarum, publice excommunicati denuncientur. Et si plures fuerint, vel judex sæcularis sit qui hujusmodi violentiam fecerit: locus in quo tales domicilium habuerint, sit ipso facto interdictus. Et in loco ubi immunitas læsa est, cessetur a Divinis.

IV. *Contra raptores & invasores bonorum ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum.*

Atque ad reprimendum importunam præsumptionem raptorum, prædonum, & invasorum bonorum ac rerum ecclesiarum, monasteriorum, & ecclesiasticarum personarum: statuimus, ut quilibet locus seu parochia nostræ civitatis vel diœcesis, ad quem vel ad quam ipsi raptores, prædones, & invasores pervenerint, seu præda, spolium vel rapina deducta fuerint, vel ubi prædæ ipsius emptor fuerit, ipso facto sit ecclesiastico suppositus interdicto: & quamdiu ibi fuerit, cessetur penitus a Divinis. Et si per triduum ibi steterint, licet extunc recesserint, vel ad alia loca se transtulerint, vel præda seu spolium "alias deductum fuerit: nihilominus parochia seu locus in quo triduo manserint, vel ubi præda consumpta fuerit, maneat per duos menses interdictus, nisi medio tempore fuerit satisfactum. Prædones autem, raptores, & invasores hujusmodi, & eorum receptatores ac adjutores, nec non & prædarum emptores, per ordinarium moneantur nominatim, si eorum nomina sciri poterunt, alioqui in genere, ut intra triduum post monitionem, ipsam prædam, spolium, vel rapinam, restituant, & condigne satisfaciant: alioqui tanquam sacrilegi sententiam excommunicationis, quam nunc ferimus in his scriptis, extunc incurrant ipso facto, & excommunicati per locorum ordinarios & eorum plebanos nuncientur. In qua excommunicatione, si satisfactione neglecta duraverint per quindenam, extunc per omnes ecclesias conventuales & parochiales decanatus illius, in quo rapina committitur, & ubi ipsi sacrilegi domicilium habent, vel etiam (si opus fuerit) civitatis & aliorum locorum, campanis pulsatis & candelis accensis, usque ad satisfactionem condignam nuncientur excommunicati singulis diebus Dominicis & festivis. Quod si per dimidium annum in excommunicatione contumaciter perstiterint, ex tunc subjaceant pœnis expressis superius contra eos qui manus in clericos injiciunt violentas: & secundum hoc, ut ibi diximus, procedatur.

"alio

V. *Contra detentores seu subtractores decimarum.*

Item cum sacrilegi censeantur, qui injuriose subtrahunt vel auferunt tributa egentium animarum, videlicet decimas ad hoc a Domino institutas, ut sint cibus in domo Dei, & eas ecclesiis, quibus debentur, non persolvunt, surreptores multorum bonorum, quæ ex justa solutione decimarum solent, Domino largiente, omnibus evenire, & incitatores sterilitatis, pestilentiæ, tempestatis, & aliorum malorum, quæ frequenter eveniunt ex subtractione earumdem: statuimus, ut hujusmodi sacrilegi, ac detentores & raptores decimarum tam novalium quam aliarum, (quos nos in his scriptis excommunicamus,) per omnes ecclesias parochiales nostræ civitatis & diœcesis, per totum circulum cujuslibet anni, quolibet mense, uno die Dominico vel festivo campanis pulsatis & "districte per rectores ecclesiarum nuncientur. Et nihilominus ad ulteriora procedatur per loci ordinarium, si visum fuerit expedire.

"distincte per provisores ecclesiarum

VI. *Contra nobiles, in expeditionibus damna personis ecclesiasticis in curtibus earum inferentes.*

Statuimus itē, quod quicumq; nobiles vel alii, ad prælia, vel ad alias expeditiones processuri, jacuerint in grangiis, curtibus seu possessionibus vel bonis ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum, vel monachorum cujuscumque ordinis, aut fecerint ibidem damna vel rapinas: nisi intra mensem post monitionem, a capitulo & prioribus Coloniensibus, qui præsentes fuerint, faciendam, de damnis, rapinis & injuriis irrogatis satisfaciant læsis & damnū passis, ipso facto sint excommunicati excōmunicatione quā in ipsos ferimus in his scriptis: & excommunicati publice usque ad satisfactionem condignam, ubi & quando expedire videbitur, nuncientur. Et ulterius crescente

crescente contumacia, contra eos procedatur, sicut contra bonorum ecclesiarum invasores superius est expressum.

VII. *Contra illos, qui se de bonis clericorum, sive in vita, sive in morte, intromittunt.*

Statuimus item, ut nullus laicus, cujuscumque dignitatis vel conditionis existat, de bonis clericorum, sive in vita, sive in morte, se intromittat: sed quilibet clericus de bonis suis, sicut in vita, ita & in morte, testamentum suum faciendi, & de rebus suis disponendi per se, vel per alios quibus hoc commiserit, liberam habeat facultatem. Et illos qui contra hoc statutum de bonis & rebus clericorum decedentium, ausu sacrilego se injecerint, nisi sint ipsorum clericorum manufideles, seu ultimarum executores voluntatum, exnunc sententia excommunicationis innodamus: & per locorum ordinarios præcipimus excommunicatos publice nunciari, donec ablata restituerint & alias satisfecerint competenter. In qua excommunicatione si per mensem perstiterint: extunc contra eos, tamquam invasores bonorum ecclesiarum, procedatur.

VIII. *Ut bona clericorum transeant sine telonio libera & absoluta.*

Statuimus etiam, ut bona ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum civitatis & diœcesis Coloniensis, sint & maneant in omni loco, tam in civitate quam extra, & transeant tam in terris, quam in aquis, absque telonio & qualibet exactione, & sine omni impedimento libera & penitus absoluta. Si qui vero contra hoc venire præsumpserint, contra ipsos tanquam contra invasores & raptores bonorum ecclesiarum, de quibus supra dictum est, procedatur.

IX. *Ne clerici vel religiosi trahantur ad iudicium sæculare.*

Item cum clerici vel religiosi coram judicio sæculari non debeant in causam trahi, suo, vel ecclesiæ, vel alicujus alterius nomine, nec a laïcis contra eos sententia dictari: hoc fieri sub interminatione excommunicationis, quam ferimus in his scriptis, firmiter prohibemus: statuentes, ut si laicus clericum vel religiosum ad forum traxerit sæculare, idem laïcus omnino cadat a causa; & nihilo minus per ordinarium ipsius excommunicatus denuncietur publice usque ad satisfactionem condignam.

Præterea judex sæcularis & scabini loci, in quo contingit hoc, per ordinarium ipsius loci moneantur, ut de tali se causa nullatenus intromittant: penitus desistendo & revocando intra triduum, si in aliquo, occasione hujusmodi, in præjudicium ipsius clerici vel religiosi est processum. Alioqui ipsi judices & scabini per eumdem ordinarium sine dilatione qualibet excommunicentur, & excommunicati publice usque ad satisfactionem condignam nuncientur. In qua excommunicatione si per quindenam perduraverint, locus ille sit extunc ecclesiastico suppositus interdicto: quod non relaxetur, nisi prius sufficienter sit satisfactum passo injuriam, ac nobis, & ecclesiæ. Et judicatum, si quod contra ipsum clericum & religiosum est factum, & si quid aliud subsecutum est, sit penitus revocatum.

X. *Contra clericos, qui personas ecclesiasticas ratione bonorum suorum vocant ad iudicium sæculare.*

Si vero clericus clericum in foro sæculari, suo vel ecclesiæ vel alterius cujuscumque nomine, in causam traxerit, causam amittat. Et si monitus ab ordinario, in continenti non destiterit, ac intra septem dies non satisfecerit in causam tracto, nobis, & ecclesiæ competenter: ab officio vel beneficio sit suspensus ipso facto, donec satisfecerit competenter. Et si suspensione hujusmodi durante, se ingesserit beneficio vel officio: ab eodẽ ordinario excõmunicetur, & excõmunicatus publice nũcietur. Et si in hujusmodi contumacia & excommunicatione per tres septimanas permanserit: extunc beneficio, si quod habet, cum cura, vel sine cura, ipso facto sit privatus, & ad idem beneficium nihilo minus inhabilis ad rehabendum existat: si vero beneficium aliquod non habuerit, sit inhabilis ad habendum. Contra judicem vero & scabinos, qui se de hujusmodi judicio vel causa intromiserint, procedatur sicut superius in proximo capitulo est expressum.

XI. *Contra eos qui clericos occasione quacumque ad forum sæculare traxerint.*

Item damnamus & sub interminatione anathematis prohibemus detestabile statutum, immo errorem, a quibusdam laicis contra libertatem ecclesiasticam introductum: videlicet ut si laicus causam habet contra clericum, vel ecclesiam conventualem seu monasterium, seu quamcumque aliam domum religiosam, idemque clericus, vel ecclesia, possessiones vel alia bona habet in districtu judicis sæcularis, laicus ipse vel judex compellit clericum vel ecclesiam coram sæculari judicio litigare, ratione possessionum vel bonorum eorumdem. Et ipse judex sæcularis diem assignat clerico vel ecclesiæ ad litigandum coram eo: ad quem si non venerit, sicut nec tenetur, vel veniens,

niens, coram eo noluerit litigare, bonis suis privat eumdem, plurimas alias abusiones in his & consimilibus committendo: statuimus, in hoc casu idem tam contra actorem, quam judicem & scabinos, observari, quod diximus de clerico clericum trahente ad judicium sæculare. Et judicibus ipsis & scabinis, hujusmodi factum non revocantibus, & alias non satisfacientibus competenter intra biduum post monitionem ab ordinario faciendam, locus ubi hoc contingit, ecclesiastico sit suppositus interdicto. Quo durante per quindenam, superior sive dominus illius judicis & scabinorum, moneatur per ordinarium, ut tale forefactum procuret revocari, & faciat intra septem dies post ipsam monitionem emendari. Alioqui contra ipsum superiorem sive dominum procedatur, prout in statuto contra injectores manuum in clericos, de nobilibus & dominis est expressum.

XII. *Ut similiter contra occupantes & arrestantes bona ecclesiarum procedatur.*

Et eodem modo statuimus contra occupantes seu sæculari judicio arrestantes bona ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum sive religiosarum, procedi, & idem observari.

XIII. *Ut judices ecclesiastici & prælati ecclesiarum, laicis contra clericos causam habentibus, justitiam faciant expeditam.*

Ne vero laici occasionem habeant de defectu justitiæ contra clericos querulandi, statuimus sub pœna excommunicationis firmiter præcipientes, ut prælati seu ordinarii clericorum & ecclesiarum, laicis contra ipsos clericos vel ecclesias causam habentibus faciant, cum requisiti fuerint, secundum consuetudinem capitulorum, si fuerint in ecclesia collegiata: & alias de clericis non existentibus de collegio, secundum jus scriptum vel consuetudinarium, justitiam expeditam.

XIV. *Contra impedientes & turbantes celebrationes sanctarum synodorum.*

Statuimus etiam, ut prælati & ordinarii judices nostræ civitatis & diœcesis, in terminis eorum jurisdictioni subjectis, synodum suam, qui ad hoc tenentur, observent per se vel per alios congruis temporibus ab ipsis prælatis, prout expedire viderint, præfigendis, & quæ corrigenda vel reformanda occurrunt, corrigant & reforment: & omnes in ecclesia illa & parochia, in qua synodus celebranda fuerit, quandocumque eis fuerit denunciata, ad ecclesiam & synodum veniant obedienter, & jura synodalia observent reverenter, nonobstante aliqua occasione vel consuetudine contraria; quam corruptelam reputamus, & penitus reprobamus. Soli tamen nobiles excipiantur, qui ad nostram synodum noscuntur specialiter pertinere. Si qui vero laicorum contra hoc venire præsumpserint, & in hoc, mandato ipsius prælati sive ordinarii non obediverint: sententiam excommunicationis, quam in his scriptis in ipsos ferimus, ipso facto vel omissione incurrant, & excommunicati singulis diebus Dominicis & festivis, per plebanos eorum & alios, prout hoc prælato ipsi expedire videbitur, usque ad satisfactionem condignam publice nuncientur. Si vero multitudo parochiæ fuerit in causa seu in culpa, locus ille in quo synodum vel jura synodalia impediri contingit, sit ipso facto, ecclesiastico suppositus interdicto, quod non relaxetur, nisi de hoc satisfactum fuerit competenter. Nobilibus vero, ne hujusmodi synodos vel jura synodalia impediant, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ firmiter prohibemus.

XV. *Ut prælati jurisdictione sua libere utantur in terminis eorum jurisdictioni subjectis.*

Sed ne delicta seu commissa subditorum maneant impunita, & ex hoc tribuatur audacia delinquendi: statuimus, ut prælati in terminis eorum jurisdictioni subjectis, sua jurisdictione libere utantur, tam in correctione, quam in judicio & animadversione ac aliis, quæ ad hoc videbuntur expedire: nec in his alter ab altero impediatur, sed juvetur. Et si aliquæ sententiæ a prælato in suum subditum propter ipsius excessus prolatæ fuerint, illæ sententiæ ab aliis prælatis inviolabiliter usque ad satisfactionem condignam observentur, & etiam executioni, si opus fuerit, demandentur.

XVI. *Ut judices ecclesiastici fraudem in judiciis suis non committant.*

Ut judices ecclesiastici in judiciis sive causis officium suum, solum Deum & justitiam præ oculis habentes, fideliter exequantur. Et si scienter per gratiam vel per sordes aliquam partium in causis contra justitiam læserint præter pœnas a jure statutas, quibus subjaceant, ipso facto incurrant sententiam excommunicationis, a nobis latam in his scriptis: & nihilo minus per superiorem contra eos, si opus fuerit, ad graviora procedatur.

XVII. *Ne judices ecclesiastici se de causis, ad forum sæculare spectantibus intromittant.*

Statuimus & hoc, ut de causis ad forum sæculare spectantibus, judices ecclesiastici se nullatenus intromittant: sed quam cito inter litigantes de hoc exceptum fuerit coram

ANNO CHRISTI 1266.

ram ipsis judicibus ecclesiasticis, & ostensam, sicut de jure fuerit faciendum, causam ad judicem sæcularem remittere non postponant.

XVIII. *Contra impedientes ecclesiasticorum judicum jurisdictionem & executionem sententiarum.*

Ne vero jurisdictionem judicum ecclesiasticorum, sive ordinarii fuerint, sive delegati, à sæcularibus judicibus vel personis impediri, & ex hoc, sicut a pluribus intentatur, dissolui contingat nervum ecclesiasticæ disciplinæ: statuimus, ut nullus sæcularium, sive nobilis fuerit, sive aliter qualiscumque, ecclesiasticorum judicum jurisdictionem in citationibus, monitionibus, denunciationibus, executionibus, ac aliis modis quibus jurisdictio ecclesiastica exercetur, per se vel per alium impediat aliquatenus vel retardet: & qui contra hoc ausu temerario venire præsumpserit, & monitus ab ordinario vel delegato, intra septem dies a tempore monitionis factæ non destiterit omnino, nec revocaverit, si quid in præjudicium præmissorum attentaverit, sententiam excommunicationis, quam in his scriptis ferimus in hujusmodi præsumptores, incurrat ipso facto. Quam excommunicationem si per quindecim sequentes dies contumaciter sustinuerit: ex tunc, si nobilis aut dominus est, terra ipsius & districtus, si quem habet, sit ipso facto ecclesiastico suppositus interdicto. Et nihilominus in loco, ubi faciens impedimentum prædictum vel procurans, domicilium habuerit, cessetur a Divinis, quousque impedimentum sit revocatum, & alias legitime satisfactum.

XIX. *Contra eos qui clericos non sine violenta manuum injectione capiunt & detinent.*

Quia vero in tantam vesaniam plerumque prorumpit quorumdam perversitas perversorum, ut ausu sacrilego clericos & ecclesiasticas personas non sine violenta manuum injectione damnabiliter capere, & captivos execrabiliter detinere non formident: statuimus, ut clericorum captivatores, quicumque fuerint aut cujuscumque dignitatis aut conditionis, cum omnibus consilium, auxilium, opem vel operam adhibentibus, per omnes ecclesias conventuales, parochiales, & capellas civitatis & diœcesis Coloniensis, cum ipso facto excommunicatione canonis sint ligati, excommunicati nominatim, si eorum nomina sciri poterunt, alioqui in genere, publice denuncientur, donec captivus sit liberatus, & de forefacto fuerit læso, nobis, & ecclesiæ satisfactum. Et si intra octo dies post hujusmodi denunciationem captivus non fuerit liberatus, extunc iidem captivatores cum adhibentibus consilium, auxilium, opem vel operam, ut prædictum est, nominatim, quorum nomina sciri potuerint, alioqui in genere, singulis diebus Dominicis & festivis, campanis pulsatis & candelis extinctis, per easdem ecclesias & capellas excommunicati solenniter & publice nuncientur. Idemque observetur, si captivo liberato, non fuerit læso, nobis, & ecclesiæ intra mensem satisfactum. Et nihilo minus evitentur, donec per autoritatem apostolicam absolvantur.

XX. *Processus forma contra eosdem.*

Statuimus etiam, quod in omni loco, videlicet civitate, oppido, castro seu munitione, vel villa, vel alio, quocumque nomine vocetur, ubi clericus captivus fuerit adductus, receptus, vel detentus, eodem die cum illuc deductus, receptus vel detentus fuerit, & quamdiu ibidem extiterit, cessetur penitus a Divinis: & sit ipse locus ipso facto, ecclesiastico suppositus interdicto. Et si per triduum ibidem manserit captivus, nec fuerit liberatus: locus ipse, quamvis postmodum captivus de eodem fuerit deductus, nihilo minus maneat interdictus, donec captivus liberetur, & modo præmisso fuerit satisfactum: ut sic tam nobiles quam magnates, ac etiam populares cum plebe, contra malefactores & sacrilegos hujusmodi ex Divinorum carentia provocati, consurgant ad liberationem illius, qui ausu sacrilego captivus detinetur, auxilium præstituri.

XXI. *Si propter captivitatem clerici, locus aliquis per mensem manserit interdictus.*

Item si propter captivitatem vel detentionem clerici captivi, locus ubi detinetur, vel ubi captivans habet domicilium, per mensem unum manserit interdictus, ita quod clericus liberatus non fuerit, nec alias satisfactum: extunc interdictum ipsum, ad totum decanatum, in quo locus ille consistit, extendatur, & sit ipse decanatus totus interdictus.

XXII. *Si decanatus per quindenam maneat interdictus.*

Et si hujusmodi interdicto durante per quindenam, clericus captivus non fuerit liberatus, extunc, si nobilis fuerit vel potens, vel alius quicumque habens terram, jurisdictionem vel districtum qui clericum captivavit vel detinet: terra & districtus ejus, ubicumque fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto,

ANNO CHRISTI 1266. interdicto. Et idem interdictum, eademque pœna observetur, si dominus aut nobilis, aut alius quicumque in cujus districtu vel iurisdictione captivans vel detinens clericum, quamvis ab alio captivatum, habuerit domicilium vel receptaculum, monitus ab ordinario loci, intra quindenam a die monitionis factæ ipsum clericum non procuraverit liberari.

XXIII. *Si captiuantes clericum, per duos menses excommunicati fuerint.*

Sed & postquam captivans clericum, vel detinens captivatum, per duos menses in excommunicatione perstiterit, clerico non liberato: omnis locus, ad quem captivans vel detinens pervenerit, vel qua transierit, ibidem comedendo vel bibendo, sit per continuum sequens triduum interdictus. Sic & per septem sequentes dies sit interdictus, ubi ipsum contigerit pernoctare.

XXIV. *Ne filij vel filiæ clericos captiuantium, & per annum excommunicatorum, ad ordines vel ad beneficia ecclesiastica admittantur.*

Porro si captivans clericum vel religiosum, vel detinens, ac sacrilegus, huiusmodi pœnis supradictis vilipensis, congrua satisfactione neglecta, per annum unum in excommunicatione huiusmodi perdurare animo præsumpserit indurato sive obstinato: statuimus, ut nulli de filiis & filiabus, fratribus & sororibus, seu filiis vel filiabus fratrum vel sororum usque ad tertium gradum inclusive in linea descendenti & collaterali, & illi etiam qui ad huiusmodi captivitatem opem vel operam impenderint, vel captivum clericum in suis domiciliis detinuerint, ad ordines seu beneficia, aut etiam prælaturas admittantur: cum ex delicto parentum, ipso facto reddantur inhabiles ad huiusmodi consequenda: sub pœna excommunicationis latæ sententiæ statuentes & mandantes examinatoribus clericorum, capitulis, patronis & archidiaconis ac prælatis, ut nullum ex talibus ad ordines admittant, capitula nullum ex eis ad præbendam eligant, patroni nullum ex eis præsentent, archidiaconi ac prælati tales non investiant ullo modo. Alioqui capitula, patroni, & archidiaconi ac prælati, ipso facto, ius suum amittant ea vice, & ad proximum superiorem devoluatur. Examinatores vero & archidiaconi aliquem ex talibus scienter ad ordines vel beneficia admittentes, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Item de filiabus, sororibus, & filiabus sororum & filiarum prædictarum, usque ad gradum prædictum, statuimus observandum, ut in claustris vel cœnobiis cujuscumque ordinis nullatenus admittantur. ANNO CHRISTI 1266.

Idem etiam, quoad exclusionem hujusmodi, in filiis, filiabus, nepotibus & neptibus eorum, qui ecclesias vel monasteria incenderint, si per annum in excommunicatione, neglecta satisfactione, perstiterint contumaciter, contra tales statuimus observandum.

XXV. *Vt feuda ecclesiastica ab his, qui per annum contumaciter excommunicationem sustinuerint, ad ecclesias revertantur.*

Feuda etiam, si qua prædicti sacrilegi ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis tenuerint, post lapsum anni, per quem excommunicationem sustinuerunt, ad ecclesias & personas ecclesiasticas libere revertantur: ita ut, si ipsi sacrilegi ultra se de hujusmodi feudis ingesserint, contra eos tamquam invasores bonorum ecclesiæ procedatur.

XXVI. *Mitigationes pro fratribus & sororibus ac aliis personis factæ, si se voluerint intra annum canonice expurgare.*

Volentes nihilo minus, ut fratres & sorores, filii & filiæ fratrum & sororum, & alii in linea collaterali gradus supradicti, qui sacrilegis & excommunicatis hujusmodi in suis maleficiis non assistunt, nec adstiterunt, & ad ipsa maleficia opem vel operam aut favorem non impenderunt, nec impendunt, sine culpa eorum aut sine causa non graventur ex maleficiis aliorum: statuimus, ut iidem fratres & sorores, filii & filiæ fratrum & sororum, & aliæ personæ lineæ collateralis, pœnis supradictis, quoad exclusionem ab ordinibus & beneficiis & prælaturis hujusmodi, non subjaceant, nec adstringantur eisdem, si intra eumdem annum coram nobis aut capitulo & prioribus Coloniensibus se canonice expurgaverint, quilibet quarta manu, quod prædictis sacrilegis in hujusmodi maleficiis consilio vel auxilio, ope vel opera non adstiterint, & juramento corporali firmaverint, quod eis ulterius non adstabunt.

XXVII. *Si clericum in alia diœcesi capi, vel in ista captum, ad aliam diœcesim deduci contingat.*

Statuimus item, ut si clericum Coloniensis civitatis aut diœcesis, in alia diœcesi capi contingat, vel in nostra civitate aut diœcesi captum, ad aliam diœcesim deduci vel transferri: quod per capitulum & priores Colonienses, & alia capitula, ad liberationem captivi, & ad procedendum contra sacrilegum illius diœcesis, qui in hoc culpabilis

ANNO CHRISTI 1266. pabilis fuerit, apud loci diœcesanum affectuose laboretur, prout visum fuerit expedire.

XXVIII. *Contra occisores & mutilatores clericorum.*

De occisoribus & mutilatoribus clericorum, & clericos in captivitate usque ad mortem detinentibus, seu alias enormiter lædentibus: statuimus, ut per omnes ecclesias conventuales, parochiales, & capellas civitatis & diœcesis Coloniensis, ipsi occisores & mutilatores, & omnes opem & operam seu consilium ad hoc adhibentes, singulis diebus Dominicis & festivis, campanis pulsatis & candelis extinctis, nominatim, quorum nomina sciuntur, alioqui in genere, excommunicati denuncientur, ab omnibus arctius evitandi, donec sufficienter satisfecerint, & a sede apostolica redierint absoluti.

Præterea locus omnis, ad quem venerint, sit interdictus, quamdiu ibi fuerint: & per sequens triduum, si ibi biberint vel comederint: & per septem sequentes dies, ubi eos pernoctare contigerit. Cæterum si nobiles fuerint, vel alii terram & jurisdictionem vel districtum habentes, & intra tres menses a tempore perpetrati sceleris, ad arbitrium nostrum aut capituli & priorum Coloniensium, non satisfecerint: terra eorum & districtus extunc sit, ipso facto, ecclesiastico suppositus interdicto: & feuda seu officia vel [a] possessiones, si quas habent ab ecclesiis & ecclesiasticis personis, amittant, & ad ecclesias, a quibus ea habuerint, revertantur: ita quod ipsorum sacrilegorum heredes ad feuda hujusmodi, vel ad aliqua alia ab ecclesiis vel ecclesiasticis personis descendentia, numquam in perpetuum admittantur. De quibus si ultra se ingesserint, contra eos procedatur tamquam contra bonorum ecclesiarum invasores, prout superius est expressum. Et hoc etiam in aliis personis, quæ non sunt nobiles, feuda habentibus, volumus observari.

[a] pensiones

Præterea si domini terræ, in quorum districtibus manent vel domicilium habent, vel ubi tam enorme scelus commissum exstiterit, tam nefarios, sacrilegos, & nefandos, in suis districtibus sustinuerint, & contra eos ad bonorum privationem & proscriptionem de terra, non processerint: contra ipsos dominos, tamquam contra consentientes malo hujusmodi, monitione præmissa procedatur.

XXIX. *Contra occisores clericorum, per annum in excommunicatione existentes.*

Si autem intra annum absolutionem a sede apostolica impetrare, & alias congrue satisfacere neglexerint: statuimus, ut extunc nullus filiorum aut nepotum eorumdem sacrilegorum, ad ordines vel ad beneficium ecclesiasticum vel dignitatem, usque ad quartum gradum, admittatur. Et idem fiat de filiabus & neptibus eorumdem. Et si qui eos vel eas admiserint, incurrant pœnas quæ superius de filiis & nepotibus clericos captivantium, sunt expressæ.

XXX. *Contra eos qui minas intulerint personis ecclesiasticis de corpore vel de rebus.*

Volentes item malo, antequam eveniat, quantum possumus, obviare: statuimus, ut si quis ecclesiasticæ personæ minas intulerit de corpore vel de rebus, & monitus a judice ordinario, ipsam personam ecclesiasticam non assecuraverit, a tempore monitionis intra septem dies, ab ipso ordinario extunc excommunicetur, & excommunicatus publice nuncietur, donec assecuret ipsam personam ecclesiasticam, & de ea coram suo judice accipiat rationem.

XXXI. *Contra eos clericos, qui sacrilegium in clericos committere non verentur.*

Cum vero magnum sit scandalum, & plerisque laicis, qui alioqui clericis sunt infesti, similia committendi existat quamplurimũ incentivum, quod clerici in clericos sacrilegium committere non verentur: statuimus, ut clericus vel canonicus injiciens manus violentas in clericum, vel ecclesiam suam vel aliam, aut ecclesiasticam personam spolians, vel violentiam in immunitate committens, vel bona eorum sæculari judicio occupans, vel ad aliquod horum, consilium seu auxilium vel operam dans, pro hujusmodi injectione, in cõtinenti per omnes ecclesias & capellas civitatis & diœcesis excommunicatus nuncietur. Et cum de aliis constiterit per evidentiam vel famam publicam, vel juramentum injuriam vel damnum passi, si fuerit persona fide digna, vel per fidem testium summarie faciendam: per ordinarium moneatur, ut intra septem dies a tempore monitionis factæ, de forefacto perpetrato satisfaciat competenter. Alioqui a nobis excommunicatus excommunicatione quam ferimus in his scriptis, extunc per omnes ecclesias, ut supradictum est, publice nuncietur.

Quod si intra quindecim dies non satisfecerit, extunc denũcietur, campanis pulsatis & cãdelis extinctis, singulis diebus Dominicis & festivis, excommunicatus. Quod si per annũ in hujusmodi excommunicatione perstiterit: extunc omnibus beneficiis ecclesiasticis, si qua habuerit, ipso facto sit privatus.

tus. Et illi ad quos spectat ipsorum beneficiorum collatio, ea conferant intra mensem. Alioqui per superiorem extunc conferantur. Et nihilo minus sit inhabilis ad aliqua alia consequenda.

XXXII. *Contra clericum, qui occasione alicujus quæstionis clericum captiuauerit.*

Si autem clericus clericum occasione alicujus quæstionis, quam habeat, captivaverit, vel ad capiendum ipsum, consilium, auxilium, vel operam adhibuerit: statuimus, ut causam amittat ipso facto, & excommunicatus publice, ut de aliis captivatoribus præmissum est, nuncietur. Et si intra B septem dies liberationem ipsius captivi non procuraverit, ac intra alios quindecim dies læso, nobis, & ecclesiæ non satisfecerit: extunc omnibus beneficiis ecclesiasticis, si quæ habet, sit ipso facto privatus, & inhabilis in perpetuum ad aliquod beneficium consequendum. Et si ille, ad quem collatio beneficiorum hujusmodi pertinuerit, intra mensem non de eis ordinaverit, ea aliis vel alii conferendo: collatio ac ordinatio eorumdem ad proximum superiorem sit C ipso facto devoluta. Si vero beneficium non habuerit, sit inhabilis in perpetuum ad obtinendum.

Præterea omnis locus, ad quem hujusmodi sacrilegus pervenerit, vel ubi biberit aut comederit, aut pernoctaverit, sit ipso facto interdictus eo modo, sicut de laicis captivatoribus clericorum est præmissum.

XXXIII. *Contra clericos qui mutilant vel occidunt clericum.*

Statuimus etiam, ut clericus occidens D vel mutilans clericum, vel eum usque ad mortem captivum detinens, sit ipso facto ab omnibus beneficiis ecclesiasticis habitis, & a spe habendorum penitus destitutus, & excommunicatus in omnibus ecclesiis, ut superius dictum est, nuncietur: locis ad quæ venerit, vel ubi biberit, comederit, aut pernoctaverit, ut superius dictum est, suppositis ipso facto ecclesiastico interdicto. Et nihilo minus ad alias pœnas, per nos aut capitulum & priores Colonienses, sicut E opus fuerit, procedatur.

XXXIV. *De litigantibus super una præbenda in aliqua ecclesia diœcesis Coloniensis.*

Cum vero plerumque contingat, quod vacante præbenda in aliqua ecclesia civitatis vel diœcesis Coloniensis, in qua duo vel plures autoritate sedis apostolicæ vel legatorum ejus, aut quavis alia autoritate, jus se asserunt habere, & per executores suos seu quoscumque alios se procurant A mitti in possessionem corporalem præbendæ ipsius, cujus occasione missionis, de hujusmodi præbenda contendentes, bona, res, & jura ipsius ecclesiæ tam intra immunitatem, quam extra, indifferenter rapiunt & invadunt, seu per sæculare judicium occupari vel arrestari procurant, sententias excommunicationis in" in certas personas (*tertias*) de capitulo, & suspensionis in capitulum, nihilo minus a suis executoribus fulminari facientes, propter quod in rebus & personis tam spiritualibus quam temporalibus, ecclesiæ non modicum detrimentum sustinent & jacturam: statuimus, ut cum in aliqua ecclesia casus hujusmodi emerserit, decanus & capitulum illius ecclesiæ autoritate hujusmodi constitutionis sibi faciant litteras authenticas & instrumenta, quibus sic contendentes uti voluerint pro jure suo, hinc inde a partibus exhiberi, & convocatis capitulo & prioribus Coloniensibus, qui præsentes fuerint, & haberi commode potuerint, per eos ad hoc vocatis juris peritis, qui visi fuerint expedire, per quos hujusmodi quæstio & discordia decidatur, & eorum discussioni seu sententiæ stetur, & inviolabiliter observetur. Et si capitulum & priores, propter difficultatem juris vel alias causas legitimas, quæstionem hujusmodi decidere non poterunt, nec decidunt: causam eamdem ad curiam domini papæ decidendam transmittant, præfigentes partibus terminum competentem, quo se conspectui papæ repræsentent, cum omnibus suis monumentis & documentis justitiam recepturæ. Causa vero & quæstione hujusmodi durante, medietas fructus præbendæ vacantis in usus cedat ecclesiæ: & reliqua pars alicui idoneæ personæ, quæ deserviat in ordine, quem defuncti præbenda requisierit, deputetur. Et si qua partium sententiam pro se in curia habuerit, & in causa evicerit: fructus ejusdem præbendæ de mandato domini papæ capitulo præsentato, cessante occasione qualibet, ministretur. Si qua vero partium, litterarum suarum copiam facere, & hoc statutum subire contumaciter renuerit, & de sua potentia vel malitia confisa, bona ecclesiæ invadere, ac rapere temere & irreverenter, Dei timore postposito, præsumpserit: contra ipsam partem, tamquam contra raptorem bonorum ecclesiæ, ut supradictum est, procedatur. Statuimus etiam, ut hæc non solum ad futura hujusmodi negotia, sed etiam ad præsentia & præterita, a tempore electionis nostræ extendantur.

ANNO CHRISTI 1266.

XXXV. *Ne aliquis clericus sacrilegis excommunicatis aut usurariis assistat vel eos defendat*

Cum salvis pœnis, statutis tam in jure canonico quam civili, & coercitione nostræ ordinariæ potestatis contra injuriatores ecclesiarum & personarum ecclesiasticarum, prædictis modis & aliis qui ad hoc videbuntur expedire, providerimus procedendum: statuimus, ut personis quibuscumque qui manus in clericos aut religiosos injiciunt, vel * alias spoliant & capiunt, aut in aliquo supradictorum modorum vel excessuum contra ecclesias vel ecclesiasticas personas excesserint, seu sententiis excommunicationis, suspensionis aut interdicti, aut aliis modis supradictis se involuerint, clerici sive in dignitate constituti, sive alii, vel etiam advocati, consilio vel auxilio in aperto vel in occulto non assistāt: & qui contra venerint verbo vel facto, sententiam excommunicationis, quam in eos ferimus in his scriptis, incurrant ipso facto, & excommunicati publice, qui de hoc convicti fuerint vel confessi, usque ad satisfactionem condignam nuncientur: & si publice pro hujusmodi personis præsumpserint in judicio postulare, earum injurias defendendo, & moniti ab eorum ordinariis, non destiterint, excommunicati publice, tamquam illi quorum excessus vel injurias nituntur defendere, nuncientur: & alias etiam contra eos, si opus fuerit, procedatur. Idem statuimus fieri de his, qui usurariis manifestis assistunt patrocinio, vel defendunt eosdem.

* eos

XXXVI. *Ne clerici capellani nobilium excommunicatorum, cum ipsis dominis suis ultra mensem permaneant.*

Statuimus item, ut clerici seu capellani dominorum suorum aut nobilium vel aliarum personarum, quæ fuerint propter aliquem prædictorum excessuum, sententia excommunicationis innodati, dominis suis in hujusmodi injuriis consilium vel auxilium, verbo vel facto non impendant: alioqui se noverint eadem excommunicatione involutos.

Præterea ipsos dominos suos modis quibus poterunt inducant, ut de eis pro quibus excommunicati existunt, satisfaciant, & ad reconciliationem sanctæ matris ecclesiæ revertantur: quod si intra mensem eosdem dominos suos ad hoc inducere nequiverint, extunc omnino recedant ab eisdem, nec eis communicent. Alioqui ipsos clericos seu capellanos, qui ultra id cum dominis suis permanserint, & eis commu-

A nicaverint, majori excommunicatione in his scriptis latæ sententiæ innodamus, & præcipimus eos per locorum ordinarios, excommunicatos publice nunciari. In qua excommunicatione si per duos menses contumaciter perduraverint, & a dominis suis non recesserint, extunc ipso facto omnibus beneficiis ecclesiasticis, cum cura vel sine cura, quæ habent, sint privati: & eadem beneficia per illos, ad quorum collationem pertinent, aliis personis idoneis intra mensem conferantur: alioqui extunc per superiorem proximum conferantur, & nihilo minus sint inhabiles ad alia beneficia obtinenda.

B

XXXVII. *Contra eos qui sententiam excommunicationis damnabiliter vilipendunt.*

Cumque nonnulli sententiam excommunicationis damnabiliter vilipendant: statuimus, ut quicumque excommunicatus & in parochia sua denunciatus, per annum in ipsa excommunicatione perstiterit, & de hoc fides facta fuerit per litteras excommunicatoris, quas sufficere volumus in hac parte, si fuerit ordinarius, & alias per aliam fidem sufficientem, si hujusmodi fuerit C nobilis vel alius habens terram vel districtum, illa terra vel districtus per ordinarium loci, super hoc requisitum ab excommunicatore vel actore, ecclesiastico sine difficultate supponatur interdicto. Et si fuerit alius quam nobilis, dominus temporalis seu judex, in cujus districtu excommunicatus manserit, seu domicilium habuerit, moneatur per ordinarium ipsius, ut compellat ipsum excommunicatum redire ad sanctæ matris ecclesiæ * unitatem. Alioqui idem dominus sive judex, per ipsum ordinarium excommunicationis sententia percellatur.

* unionem.

D

XXXVIII. *Contra computrescentes in excommunicatione ultra annum, quomodo procedendū.*

Ipsi autem excommunicati, cum per annum in excommunicatione perstiterint, in synodis accusentur, tamquam clavium ecclesiæ contemptores, & satisfacere compellantur: adhibito etiam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

E

XXXIX. *Ut prælati & quælibet ecclesiasticæ personæ, ad observationem statutorum istorum fideliter teneantur.*

Quia vero omnibus per statuta hujusmodi paterna solicitudine intendimus providere, ut videlicet quies procuretur ecclesiis & ecclesiasticis personis, & pacis turbatores pœnæ formidine cohibeantur a peccatis: præcipimus & mandamus sub

ANNO CHRISTI 1266.

sub pœna excommunicationis, ut statuta ipsa ab omnibus tam ecclesiasticis quam sæcularibus personis inviolabiliter observentur: statuentes, ut capitulum, prælati, archidiaconi, præpositi, decani capitulorum, & alia capitula, & singuli de capitulis, decani Christianitatum, rectores ecclesiarum & capellarum, necnon & vicarii, & omnes clerici civitatis & diœcesis Coloniensis, ad observationem sententiarum prædictarum, scilicet excommunicationis, suspensionis, & interdicti, & ad earum executionem, quandocumque & quotiescumque opus fuerit, & aliquod forefactorum prædictorum committi contigerit in civitate aut diœcesi Coloniensi, omni fraude & dolo penitus exclusis, fideliter teneantur. Si quis autem prælatus in his remissus fuerit, & ex parte ecclesiæ vel personæ injuriam vel damnum passæ, tertio requisitus, ad executionem præmissorum, prout in superioribus continetur, per se vel per alium procedere neglexerit: sententiam suspensionis a nobis latam in his scriptis, incurrat ipsa omissione: quam scilicet suspensionis sententiam, si per octo dies in negligentia perdurando sustinuerit, extunc incurrat excommunicationis sententiam, a nobis latam in his scriptis. Et nihilo minus contra eum ad ulteriora per nos, de consilio capituli & priorum Coloniensium, procedatur.

XL. *Contra clericos in executionibus sententiarum remissos, & sententias ipsas modo debito non servantes.*

Hebdomadarii item in ecclesiis conventualibus, plebani, rectores seu provisores parochialium ecclesiarum & capellarum civitatis & diœcesis Coloniensis, qui in suis ecclesiis seu capellis illos qui ex aliquibus causis, de quibus supra dictum est, in excōmunicationem inciderint vel " juris vel hominis, & fuerint, ut præmissum est, excommunicati nunciandi, denunciare omiserint, ipsa omissione se sciant excommunicationis sententiam, in his scriptis a nobis latam, incurrisse, & poterunt depositionis periculum formidare, si Divinis se ingesserint sic ligati: ita ut, nisi celeri satisfactione sibi prospexerint, monitione præmissa a suis ordinariis, priventur beneficiis quæ habent, & illa aliis personis idoneis, per eos ad quorum spectant collationes, conferantur.

" canonis

XLI. *Contra eos qui in loco interdicto celebraverint.*

Si quis autem sacerdos in loco, propter captivitatem clerici, vel propter spolium ecclesiæ vel ecclesiasticæ personæ, vel propter aliquam aliarum causarum prædictarum interdicto, celebraverit, & sic irregularis, in continenti non destiterit, aut intra quindecim dies non satisfecerit nobis & ecclesiæ, extunc incurrat ipso facto excommunicationis sententiam, quam in hujusmodi præsumptores ferimus in his scriptis. In qua excommunicatione si per quindecim dies contumaciter perduraverit, negligens satisfacere: extunc sit ipso facto omnibus beneficiis ecclesiasticis, quæ habet, destitutus. Et si illi ad quos beneficiorum hujusmodi collatio pertinuerit, ea aliis personis non contulerint intra mensem, eorum collatio ad proximum superiorem devolvatur. Si vero beneficium sacerdos non habuerit, hujusmodi sit post tempus prædictum inhabilis in perpetuum ad aliquod obtinendum.

XLII. *Ut percepto forefacto, statim cessetur a Divinis, ne quis per crassam ignorantiam possit excusari.*

Cæterum ne aliquis prælatus, archidiaconus, præpositus, " decanus capitulorum & christianitatum, aut rector ecclesiæ vel capellæ, per crassam ignorantiam ab observationibus sententiarum prædictarum se valeat excusare, cum difficile sit, singulari denunciatione singulorum auribus inculcari captivationem clerici vel spolium ecclesiæ vel ecclesiasticæ personæ, aut aliud quodcumque forefactum, propter quod loca aliqua contingit esse interdicta, sicut superius in pluribus locis est expressum: statuimus, ut prælati, archidiaconi, præpositi, decani & rectores, seu vicarii, quam cito captivitas clerici vel spolium, aut aliquod forefactum, de quibus est supradictum, ad eorum notitiam, vel fama deferente, vel alio quocumque modo pervenerit, statim cessent a Divinis, ubi hoc juxta præmissa fuerit faciendum, & ad observantiam & executionem dictarum sententiarum per se, vel per alios teneantur. Alioqui non obstante excusatione crassæ ignorantiæ, pœnis & sententiis subjaceat supradictis.

" decani

XLIII. *Ut hæc statuta ad personas ecclesiasticas cujuscumque ordinis extendantur.*

Statuimus item, ut ad monasteria & bona eorum, & ad monachos & alias religiosas personas cujuscumque ordinis civitatis & diœcesis Coloniensis, hujusmodi statuta extendantur. Et monachorum prælati & monachi, ac aliæ personæ religiosæ, cujuscumque ordinis existant, se voluerint occasione alicujus privilegii, ab executione seu observatione statutorum ipsorum tueri, vel excusare: prædictorum statutorum auxilio non juventur.

XLIV.

ANNO CHRISTI 1266.

XLIV. *Ut hæc statuta, ne aliquem latere possint, tam in capitulis, quam in aliis locis, sæpius publicentur.*

Statuimus item & mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, ut hæc eadem statuta per omnes ecclesias conventuales & parochiales & capellas civitatis & diœcesis Coloniensis, singulis annis, ne aliquem latere possint, sæpius publicentur, & in capitulis ruralibus perlegantur.

XLV. *Ut nomina sacrilegorum posita in registro, sæpius recitentur.*

Et nomina eorum, qui contra ecclesias seu personas ecclesiasticas aliquo modorum supradictorum excesserint vel deliquerint, statim, cum hoc factum fuerit, ponantur in registro, & sæpius recitentur in publico, ut sciri possit ex qualitate facti & ejus circumstantiis, nec non ex dilatione satisfactionis, qualiter sit contra excedentes & delinquentes hujusmodi procedendum, nec deleantur eorum nomina, nisi congrua satisfactione præcedente. Si quid vero dubii aut difficultatis super præmissis emerserit: hoc nobis, capitulo & prioribus Coloniensibus reservamus declarandum.

Nos vero capitulum, prælati, & alia capitula majoris & aliarum ecclesiarum civitatis & diœcesis Coloniensis, plenam in Domino fiduciam obtinentes, quod per statuta hujusmodi, ecclesiis & monasteriis, & personis tam ecclesiasticis quam religiosis, in spiritualibus & temporalibus provisum sit, & debeat provideri, ad observationem eorumdem statutorum, bona fide, omni fraude & dolo exclusis, firmiter obligamus, sigilla ecclesiarum nostrarum eisdem statutis in testimonium apponentes.

Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo sexto, sexto Idus Maii.

ANNO CHRISTI 1267.

** CONCIL. NORTHAMPTONIENSE,

In quo excommunicati qui contra regem Angliæ steterant, & decima bonorum ecclesiasticorum regi in septem annos concessa, ann. MCCLXVII.

MATTHÆI *Parisii continuator.* Ottobonus, *inquit*, legatus, vocato concilio apud Northamptonam, sententiam excommunicationis tulit in omnes episcopos & clericos, qui comiti Simoni contra regem præstiterant auxilium, vel favorem. Et nominatim Ioannem VVintoniensem, VValterum VVigorniensem, Henricum Londinensem, Stephanum Cicestrensem, episcopos. De quibus, VVigorniensis cito post obiit vilater "Nonis Februarii, cui Nicolaus de Ely, cancellarius regis, successit. Reliqui vero tres præfati episcopi, Romam profecti, domini Papæ gratiam expectabant. Eadem igitur sententia cæteros quosque regi adversantes publice innodavit. Ibi etiam concessionem de decima ecclesiæ Anglicanæ, solvenda regi per septem annos proxime sequentes, publicavit.

" f. videlicet

ANNO CHRISTI 1267.

** CONCILIUM VRATISLAVIENSE,

Pro terræ sanctæ subsidio a Simone card. sedis apost. legato, anno MCCLXVII. festo Purificationis B. Virg. celebratum.

ANno Domini MCCLXVII. *inquit Matthias Michoviensis, l. III. c. LVII.* Guido frater Cisterciensis ordinis, S. R. E. presbyter cardinalis S. Laurentii in Lucina, legatus de latere a Clemente papa IV. in Poloniam missus: primum in Cracoviam IV. Kal. Iul. pervenit, a Boleslao Pudico, & Paulo episcopo Cracoviensi processionatim veneratus & exceptus. Dehinc Vratislaviam divertens, in festo Purificationis Mariæ generalem synodum, in qua erant episcopi ecclesiæ Polonicæ, Ianussius archiepiscopus Posnaniensis, Paulus Cracoviensis, Thomas Vratislaviensis, Volimirus Vladislaviensis, Nicolaus Posnaniensis, Thomas Plocensis, VVillelmus Lubucensis, Henricus Culmensis, episcopi, tenuit. Pro subvemendo terræ sanctæ, anni jubilæi gratiam, & crucem contra Saracenos prædicavit. Constitutæque in majoribus ecclesiis capsæ fuerunt, pro pecunia a merentibus iubilæum colligenda.

ANNO CHRISTI 1267.

** CONCILIUM VIENNENSE,

Autoritate Guidonis legati sedis apostolicæ, causa reformandæ ecclesiæ, celebratum anno Domini MCCLXVII. tempore Clementis papæ IV.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De vita & honestate clericorum.*
2. *De modo visitandi.*
3. *De castitate clericorum.*
4. *De violentiis quæ inferuntur rebus ecclesiasticis.*
5. *De læsionibus ecclesiasticarum personarum.*
6. *De his qui habent plura beneficia.*
7. *De decimis contra laicos.*
8. *De usurariis.*
9. *De correctione & contumacia clericorum.*
10. *De rapina defunctorum clericorum.*
11. *De beneficiorum susceptione.*
12. *De personali residentia curatorum.*
13. *De visitatione nigrorum monachorum.*
14. *Ne abbates consecrent calices.*
15. *De habitu Judæorum.*
16. *De mancipiis Iudæorum.*
17. *De coitu Iudæi cum Christiana.*
18. *De conviviis eorundem.*
19. *De synagogis Iudæorum.*

CONSTITUTIONES CONCILII VIENNENSIS,

ANNO MCCLXVII.

FRater Guido tituli sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, concilium celebravit in Vienna VI. Idus Maii, cui interfuerunt Ioannes Pragensis, Petrus Pataviensis, Conradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Bruno Brixinensis, Amalricus Lavendinus, episcopi, & quamplures abbates, præpositi, archidiaconi, & decani, ubi subscriptæ constitutiones sunt editæ, & ab eodem concilio approbatæ.

ANNO CHRISTI 1267.

Frater Guido miseratione Divina tituli S. Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.

POstquam Deus formavit hominem ad imaginem & similitudinem suam, & in ætate virili, cum ipso etiam jus naturale produxit: juris enim naturalis origo & creaturæ rationalis simul cepit exordia, quod quidem ad dispendium omne mundi nascentis & temporis motum sufficeret, si non sibi mortem, quam Deus non fecit, rationalis creatura propriis manibus & pedibus quæsivisset. Hæc juris instituta primævi protinus justitia positiva subsequenter ab eodē regulariter autore procedens sub mortis interminatione morsum [a] primi noxialis prohibuit, contra prohibitionem concepta circa maledictionis sententiam prodiit ab autore, ut non tantum ultio ferretur in autores scelerum, verum etiam in progeniem damnatorum. Exhinc usu hominum exigente, & dominio rerum introducto, quod primævi regula nesciebat, ex humanis necessitatibus quædam sibi homines jura condiderunt. Traditæ sunt a Domino per Moysem justitiæ leges, cujus singulis pene syllabis Christus includitur. Deinde prophetæ subsequuntur, & reges, qui Christi præconia evidentiori sermone describunt: donec temporis plenitudine veniente, impleta veritate, figurisque cessantibus, Rex noster in æternum jura mansura disposuit. Datæ sunt enim claves perpetuæ Petro, a quo totius juris ecclesiastici pulcritudo manavit, quæ ad singulas provincias ob vindictam in nationibus & increpationes in populis faciendas, nunc per summorum pontificum, nunc per sedis apostolicæ legatos statuta tanquam per quosdam rivulos derivantur, ut, hominum quotidie crescente malitia & effrenata cupiditate, quæ nova litigia generare non cessant, sub districtione virium coarctati, discant honeste vivere, Altissimum non lædere, jus suum unicuique tribuere. Hinc est, quod cum sanctissimus pater noster Clemens papa quartus ad Saltzburgensem provinciam & civitatem, & diœcesim Pragensem, cum plenæ legationis officio nos duxerit transmittendos, officii nostri debitum libenter exequemur, evellendo, si quæ evellenda, plantando plantanda, recta gerendo & dirigendo salubriter indirecta.

[a] l. pomi

CAPITULA.

I. *De vita & honestate clericorum.*

VErum, quantum expedit ad profectum & robur fidei Christianæ, ut sacramenta ecclesiæ, in quibus tanquam in vasis medicinalibus populus devotus & humilis antidotum gratiæ recipere consuevit, in honore & reverentia ab omnibus habeantur: cum ea plerumque contingat effici vilia propter vilem & abominabilem ministrorum ecclesiæ conversationem, universis ecclesiasticis personis provinciæ Saltzburgensis & civitatis & diœcesis Pragensis præcipimus, ut in victu, gestu, & aliis operibus ac circumstantiis status sui, sic honeste se habeant, & decenter, ne propter ipsos nomen ecclesiasticum inter laïcos blasphemetur: eisdem districtius inhibentes, ne de patrimonio Crucifixi inimicos se faciant crucis Christi, sicut illi quorum Deus venter est, qui terrena sapiunt non Divina: in conviviis suis modestiam & mediocritatem observent, superfluitatem indebitam resecantes, ebrietatem omnium vitiorum fomitem & nutricem devitent.

II. *De modo visitandi.*

Prælati vero a gravaminibus abstineant subditorum, & maxime cum ecclesias visitant, moderentur expensas, exerceant evectionum nummum [b], prout in generali concilio fuit diffinitum.

[b] Corr. numerum,

III. *De castitate clericorum.*

Præsentis igitur concilii approbatione præcipimus, ut clerici continenter & caste vivere studeant, quatenus puro corde & mundo corpore Deo possint in officio ecclesiastico ministrare. Si qui vero de cætero deprehensi fuerint detinere publice concubinas, nisi infra mensem se ab eis & ab earum consortio separaverint: ita quod domibus ipsorum aut propriis aut aliis quibuscumque non cohabitent, nec ad illas accedant: extunc enim beneficio ecclesiastico sint privati, ut per eos, ad quos beneficiorum prædictorum spectat collatio, personis idoneis conferantur.

IV. *De violentiis quæ inferuntur rebus ecclesiasticis.*

Item cum in plerisque locis, quorundam laïcorum iniquitas invaluerit, quod in rebus ecclesiæ furtum reputetur sagacitas, rapina probitas, & violentia fortitudo: synodali judicio diffinimus, ut qui bona ecclesiarum scienter detinent occupata, nec infra instans festum beati Ioannis Baptistæ eadem restituerint, & de damnis ac injuriis satisfecerint competenter, extunc introitum ecclesiæ sibi noverint interdictum, nec ab episcopis, aut aliis ecclesiarum prælatis ad communionem Dominici corporis admittantur. Qui vero obstinata mente, dum vixerint, satisfacere non curaverint, nullus clericus sæcularis vel regularis, sepulturæ eorum interesse præsumat: adjicientes, ut singulis annis in synodo, illi qui clericos capiunt, verberant, vel occidunt, aut alias in ipsos manus injiciunt violentas, excommunicati denuncientur, & nominati de illis, de quibus constituit [c] manifeste.

[c] Corr. constiterit

V. *De læsionibus ecclesiasticarum personarum.*

Quicumque vero personam ecclesiasticam enormiter violaverit, mutilaverit, vel occiderit, aut captivaverit, non nisi per sedem apostolicam absolvatur: & illo facto, si quid tenebat ab ecclesia, illud perdat, & in utilitatem ecclesiæ convertatur. Adjicientes

cientes quod in illa diœcesi, in qua aliquem canonicum cathedralis ecclesiæ, vel in dignitate ecclesiastica constitutum, capi contigerit, vel captum detineri, usque ad liberationem ipsius & exhibitionem debitæ satisfactionis cessetur generaliter a Divinis: similiter & in illa parochia, in qua res violenter ablatas capi vel detineri contigerit, usque ad restaurationem congruam a Divinis cessetur.

VI. *De his qui habent plura beneficia.*

Item, cum detentores plurium personatuum, seu beneficiorum cum cura, sine dispensatione, sint sacrorum canonum transgressores, & ad fructus talium beneficiorum percipiendos furtum committere dignoscantur: præsenti decreto statuimus, ut omnes qui hujusmodi dignitatum, personatuum, seu beneficiorum cum cura, pluralitatem detinent, illi qui sunt de provincia Saltzburgensi, super hoc secum dispensatum fuisse coram venerabili patre Dei gratia electo Saltzburgensi infra instans festum beati Ioannis Baptistæ doceant manifeste. Alioquin extunc ultimo beneficio recepto sint contenti: & alia, quæ prius habuerunt, per illos ad quos dictorum beneficiorum collatio pertinet, personis idoneis conferantur. Si vero utrumque retinere contenderint: nos, ipsos & primis & ultimis decrevimus extunc manere privatos.

VII. *De decimis contra laicos.*

Item, cum levitis seu ecclesiasticis personis jure Divino decimæ debeantur: dolentes referimus, quod quorumdam laïcorum cupiditas jus hujuscemodi, quod sibi Deus in signum generalis dominii retinuit, nititur abolere, & pro sua voluntate de his quæ ad ipsos non pertinent, aliter ordinare, immo potius deordinare præsumunt, quasi a se Divini servitii jugum velint excutere, quod in baptismate sunt professi. Hujus igitur approbatione concilii districte præcipimus, ut juxta laudabilem consuetudinem patriæ, decimæ, tam antiquæ, quam etiam de novalibus, majores & minutæ plenarie persolvantur: nec liceat alicui laïco nobili vel ignobili, cujuscumque dignitatis vel principatus existat, sibi decimas, maxime de minutis & novalibus, usurpare: alioquin, si contra fecerit, ab ingressu ecclesiæ usque ad satisfactionem condignam se noverit esse suspensum.

VIII. *De usurariis.*

Item dolentes referimus, quod quidam salutis suæ immemores, & prodigi famæ suæ, tam clerici, quam laïci, per Saltzburgensem provinciam constituti, usuras & contractus usurarios exercere præsumunt: ad quorum cupiditatem refrenandam statuimus, ut ipsi supra hoc in sacro concilio præmoniti a talibus abstineant, alioquin nos, ipsos excommunicamus in scriptis..... in anno, videlicet in cœna Domini, assumptione beatæ Virginis, & in nativitate Domini, præcipimus per plebanos & majores suos in locis suis excommunicatos publice denunciari. Clerici vero beneficiati, qui per tempus trium mensium sententiam excommunicationis sustinere præsumpserint animo indurato, per suos diœcesanos suis beneficiis spolientur, & personis idoneis per illos, ad quos dictorum beneficiorum spectat collatio, conferantur: salvis aliis pœnis contra usurarios editis, secundum canonicas sanctiones.

IX. *De correctione & contumacia clericorum.*

Item ordinamus atque statuimus, ut clerici & ecclesiasticæ personæ, tam sæculares quam regulares, prælatorum suorum correctiones legitimas cum debita humilitate suscipiant: & si qui ex eis hac occasione contra suos correctores auxilium brachii sæcularis invocaverint, vel potentum preces armatas impetraverint, vel impetratis uti præsumpserint, a suis beneficiis deponantur. Ipsis quoque prælatis districtius inhibemus, ne prius minoris ætatis, videlicet octodecim annorum, dignitates, personatus, seu beneficia curam animarum habentia, conferre præsumant, vel ad ipsa recipere præsentatos, nisi cum eis super hoc a sede apostolica vel legatis ejusdem extiterit dispensatum. *Corr.* pueris

X. *De rapina defunctorum clericorum.*

Item ad aures nostras per clamosam insinuationem multorum devenit, quod patroni ecclesiarum tam clerici quam laïci, advocati & judices, & præcones, bona decedentium clericorum occupant, volentes sibi ab intestato succedere, pro suæ voluntatis arbitrio, non judicio rationis. Quare provide duximus statuendum, ut patroni ecclesiarum, & alii supradicti, a talibus de cætero abstineant: & nisi abstinere voluerint, quousque sic ablata restituant, excommunicationis vinculo innodentur.

XI. *De beneficiorum susceptione.*

Item districtius inhibemus, ne aliquis clericus ecclesiam parochialem a laïco patrono recipere beneficium audeat, nisi ab episcopo vel archidiacono fuerit institutus: alioquin ab officio & beneficio se noverit esse suspensum. Et laïcus, qui autoritate

ANNO CHRISTI 1267.

tate propria instituere præsumpserit, ipso facto a jure cadat patronatus. Adjicientes quod nullus patronus clericus vel laicus dotem ecclesiæ, in qua jus obtinet patronatus, alienare præsumat. Quod si contra fecerit, ipso facto cadat a jure patronatus, & res alienata ad jus & proprietatem ecclesiæ revertatur.

XII. *De personali residentia curatorum.*

Item ordinamus & statuimus, ut prælati & curam animarum habentes, in suis ecclesiis corporaliter resideant, & ad hoc a suis episcopis per subtractionem fructuum compellantur, nisi causa legitima se potuerint excusare.

XIII. *De visitatione nigrorum monachorum.*

Item, cum clamosa insinuatio nostrum percusserit auditum & animum, quod abbates & monachi ordinis sancti Benedicti in quampluribus locis ab observatione sanctæ regulæ temere recedentes, vitam nimis dissolutam ducere non verentur, in suarum animarum periculum, & scandalum plurimorum: volentes igitur, ut contra hujus corruptelam salubre remedium apponatur, universis episcopis Saltzburgensis provinciæ, ac episcopo Pragensi districte præcipimus, ut quilibet ipsorum intra dimidium annum, assumptis secum duobus abbatibus Cisterciensis ordinis, omnia claustra nigrorum monachorum suæ diœcesis videlicet corrigat & reformet, tam in capite quam in membris: illis tamen exceptis, qui Romanæ ecclesiæ nullo medio subesse noscuntur, quos per nos vel alios a nobis specialiter deputandos intendimus visitare.

XIV. *Ne abbates consecrent calices.*

Prohibemus etiam abbatibus, ne calices vel patenas, seu sacras vestes benedicere vel consecrare, aut alia episcopalia officia exercere præsumant, nisi super hoc a sede apostolica privilegium habuerint speciale.

XV. *De habitu Iudæorum.*

Item, cum in tantum insolentiæ Iudæorum excreverint, ut per eos in quampluribus Christianis jam dicatur infici puritas catholicæ sanctitatis, non tam nova cudentes, quam summi pontificis statuta vetera renovantes: districte præcipimus, ut Iudæi, qui discerni debent in habitu a Christianis, cornutum pileum, quem * quidam in istis partibus consueverunt deferre, & sua * temeritate deponere præsumpserunt, * resumantur, ut a Christianis evidenter discerni

*f. quidē
*f. temeritate
*f. resumant.

A valeant, sicut olim in generali concilio extitit diffinitum. Quicumque autem Iudæus sine tali signo deprehensus fuerit incedere, a domino terræ pœna pecuniaria puniatur. Adjicientes, ut Iudæi sacerdoti parochiali, infra cujus parochiæ terminos manserint, pro eo quod loca in quibus Christiani habitare deberent, occupant, juxta quantitatem damni quod ei ex hoc inferunt, ad arbitrium diœcesani loci, omnes proventus quos ex Christianis, si ibidem manerent, sacerdos perciperet, refundere compellantur. Decimas etiam prædiales B cum omni integritate persolvant.

XVI. *De mancipiis Iudæorum.*

Prohibemus insuper ne stubas & balnea seu tabernas Christianorum frequentent, seu intrare præsumant, nec servos, vel ancillas, aut nutrices, seu quæque Christiana mancipia die noctuve in domibus suis retinere præsumant, nec ad recipiendum telonium seu ad alia publica officia aliquatenus assumantur.

C XVII. *De coitu Iudæi cum Christiana.*

Si quis vero Iudæus cum aliqua Christiana fornicationis vitium deprehensus fuerit commisisse, quoadusque decem marcas argenti ad minus pro emendatione solverit, districto carceri mancipetur: & mulier Christiana, quæ tam damnatum coitum elegerit, per civitatem fustigata, de ipsa civitate sine spe redeundi penitus expellatur.

XVIII. *De conuiuiis eorundem.*

D Item omnibus Christianis istius provinciæ & civitatis & diœcesis Pragensis sub pœna excommunicationis districtius inhibemus, ne Iudæos vel Iudæas secum ad convivandum recipiant, vel cum eis bibere vel manducare audeant, aut etiam cum ipsis in suis nuptiis, vel neomeniis, vel ludis saltare vel tripudiare præsumant: nec Christiani carnes venales, seu alia cibaria a Iudæis emant, ne forte Iudæi per hoc Christianos, quos hostes reputant, fraudulenta E machinatione venenent.

XIX. *De synagogis Iudæorum.*

Adjicientes, ut si de cætero quocumque prætextu Iudæi a Christianis graves seu immoderatas usuras extorserint, Christianorum eis * participationem subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Vnde Christiani, si opus fuerit, per censuram ecclesiasticam compellantur ab eorum commerciis abstinere. Principibus autem injungimus, ut propter

*f. participatio omnis

ANNO CHRISTI 1267.

ANNO CHRISTI 1267.

propter hoc non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine Iudæos studeant cohibere. Si vero sacramentum altaris ante domos eorum deferri contigerit: ipsi Iudæi, audito sonitu prævio, intra domos suas se recipiant, & fenestras ac ostia sua claudant. hoc etiam in quolibet die parasceves per prælatos ecclesiæ facere compellantur. Ne præsumant de fide catholica cum simplicibus disputare, nec filios & uxores Iudæorum ad fidem Christianam venientium invitos audeant detinere. Nec Christianos ad Iudaïsmum B alliciant, aut aliquo ausu temerario circumcidant: nec Christianos infirmos visitent, vel circa ipsos exerceant opera medicinæ. Synagogam novam non erigant: & si quas erexerint, eas removeant aut deponant. Vetustam, si opus fuerit, reficiant, non ampliorem, preciosiorem, seu etiam altiorem. Carnes in Quadragesima, quando Christiani a carnibus abstinent & jejunant, aperte vel publice non deportent. Præcipimus autem episcopis, ut ad hæc omnia observanda in singulis articulis Iudæos per C abstractionem communionis Christianorum compellant. Ipsos quoque principes ac judices eorumdem districtius admonemus, ne Iudæis statuta nostra servare nolentibus alicujus protectionis seu defensionis fervorem* impendant: sed si aliqua eis a prælatis ecclesiasticis injungantur, ea fideliter exequantur, alioquin introitum ecclesiæ & communionem Divinorum officiorum sibi noverint interdictum. Volumus etiam, & sub pœna excommunicationis præcipimus, ut dominus electus Saltzburgensis ejusque suffraganei, nec non & episcopus Pragensis, has constitutiones nostras sigillo nostro sigillatas habeant, easque singulis annis D in synodis episcopalibus & in provinciali concilio faciant recitari, & diligentius observari, & ea quæ tangunt laïcos, faciant per parochiales ecclesias suarum diœcesum publicare.

* Corr. favorem

Acta Viennæ anno Dom. MCCLXVII. mense Maio, pont. domini Clementis PP. IV. anno III.

NOTA SEVERINI BINII. E

Hanc synodum, teste Henrico Canisio, admodum reverendus & clarissimus dominus Georgius Lautherius ad divæ Virginis Monachii præpositus, *&c.* (pro ea qua præditus est recondita eruditione, omnisque antiquitatis scientia) eruit e tenebris manuscripti codicis, una cum tribus aliis Saltzburgensibus: quas ego ex primo tomo antiquitatum prædicti Canisii desumptas, suis locis hic inserendas esse putavi. Huic eidem Viennensi concilio Henricus Stero in suis annalibus apud eumdem Canisii primum tomum extantibus luculentissimum testimonium præbet his verbis *Anno ab Incarnatione Domini MCCLXVII. dominus Guido cardinalis, apostolicæ sedis legatus, v. Idus Maii apud Viennam concilium celebravit, cui interfuerunt Ioannes Pragensis, Petrus Pataviensis, Bruno Brixinensis, Chunradus Frisingensis, Leo Ratisponensis, Amalricus Lavendinensis, episcopi, & alii quamplures de ipsis diœcesibus prælati, archidiaconi, & decani.* Hæc Stero in suis annalibus.

ANNO CHRISTI 1268.

** CONCILIVM LONDINENSE,

Ab Othobono cardin. sedis apostol. legato celebratum anno Domini MCCLXVIII. IX. Kal. Maii.

Ex MS. edidit collector Anglicanus: sed male ad annum MCCXLVIII. ut ostendetur in notis.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *De baptismo.*
2. *Ne pro sacramentis ecclesiasticis aliquid exigatur: & quod forma in confessione servetur.*
3. *De consecratione ecclesiarum.*
4. *De clericis arma portantibus.*
5. *De habitu clericorum.*
6. *Ne clerici sint advocati in causis sæcularibus; neque judices, neque assessores, in causa sanguinis.*
7. *Ne clerici jurisdictionem sæcularium exerceant.*
8. *De concubinariis.*
9. *De vicariorum residentia, & institutione.*
10. *De intrusis.*
11. *Quibus notis de vacatione constet.*
12. *Ne una ecclesia dividatur in plures.*
13. *De abstrahentibus confugientes ad ecclesiam vel cœmeteria, seu res ibidem depositas. Et de auferentibus aliquid præter voluntatem dominorum ecclesiasticorum de domibus, maneriis, seu grangiis.*
14. *Ne quis impediat matrimonia solemnizari in facie ecclesiæ.*
15. *De executione testamentorum.*
16. *Ne prælati fructus ecclesiarum vacantium percipiant, vel suos faciant.*
17. *De oblationibus capellarum matrici ecclesiæ restituendis.*
18. *De domibus ecclesiarum reficiendis.*
19. *De procurationibus, quæ ratione visitationis debentur, non recipiendis ab archidiaconis, vel aliis inferioribus prælatis, nisi cum visitant.*
20. *Ne pecunia recipiatur a subditis pro delicto notorio.*
21. *De firmis.*
22. *De residentia archiepiscoporum & episcoporum.*
23. *De appropriationibus ecclesiarum non faciendis.*
24. *De bonis intestatorum.*
25. *De delegatione causarum.*
26. *De forma citationis.*
27. *De juramento advocatorum.*
28. *Ne judex pacem vel concordiam litigantium impediat.*
29. *De publicanda absolutione.*
30. *De institutionibus & collationibus.*
31. *De commendis ecclesiarum.*
32. *De confirmatione episcoporum.*
33. *De iis qui tempore electionis dimittunt beneficia, & postea ea recipiunt, si eos eligi non contingat.*
34. *De iis qui pactiones faciunt cum iis quos præsentant.*
35. *Quod negotiationes non fiant in ecclesiis.*
36. *Quod fiat processio pro pace regni & terræ sanctæ.*
37. *De legendis constitutionibus singulis annis.*
38. *De monachis, & canonicis regularibus, & monialibus.*
39. *De processione facienda.*
40. *Quod constitutiones summorum pontificum legantur.*
41. *De proprietariis monachis seu aliis religiosis.*
42. *Quod non detur pecunia pro vestibus & cæteris necessariis.*
43. *Quod soli non stent in ecclesiis & maneriis.*

ANNO CHRISTI 1268.

44. *Quod non dentur maneria ad firmam monachis.* A
45. *De esu carnium.*
46. *Ne aliqui religiosi utantur in refectorio aut in dormitorio pretiosioribus aliis.*
47. *Quod semper in refectorio duæ partes remaneant.*
48. *De infirmis.*
49. *Quod nulli religiosi vendant vel assignent aliquas liberationes.*
50. *Quod servetur antiquus monachorum numerus.*
51. *De ratione administrationis reddenda.*
52. *Quod religiosi non emant vel vendant.*
53. *Quod moniales ad certa loca non exeant.*
54. *Quod monachi frequenter confiteantur, & frequenter celebrent.*

PRÆFATIO.

B

Othobonus miseratione Divina S. Hadriani diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam. Mandata Dei, & lex altissimi data sunt a diebus antiquis, ut creatura, quæ fregerat jugum, recedens a pace Dei sui, venturum pacificum regem reconciliatorem medium, & instaurantem omnia pontificem, manens sub observantia legis & mandati, tanquam lucernæ & lucis data spe, quasi umbraculum, in patrum promissionibus expectaret. Hæc autem est dignitas adoptivorum sponsæ, & gloria filiorum S. matris ecclesiæ, ut audiant ex ea mandata vitæ, custodientes cor suum in illis in pacis pulcritudine, pudicitiæ claritate, ac regimine modestiæ, appetitum noxium rationis judicio subjugantes.

Ad cujus rei commodam executionem, sanctorum C patrum decreta, per ora ipsorum divinitus promulgata, justitiæ regulas, & æquitatis dogmata complectentia, quasi lata flumina prodierunt, & tam summorum pontificum, quam ipsius sedis apostolicæ legatorum, aliorumque prælatorum ecclesiæ sanctæ, toto orbe diffusæ constitutiones sacræ, tanquam rivuli de fluminum latitudine, pro diversorum temporum necessitate, sunt productæ; ut novis morbis fragilitate humana generatis, nova remedia provenirent. Sed effrænis illa cupiditas, quæ in primis generis humani parentibus radices misit, ita virus suum in posteros seminavit, ita per illicitos motus discurrit, ut comminuta virga virtutis & directionis, ad aliena irreverenti fronte prosiliat, & quasi ebria se dimittat. Quo fit, ut corruptæ mentis aviditas, nec abstinere se noverit a vetitis, nec gaudere permissis, neque ad bona consensum adhibeat pietatis. Sane si antiqua & remota pestis hujusmodi exterminia dolenda suscipimus: amarius D flendum, modernum vulnus incumbens, quod non modo auribus, sed etiam oculis & manibus se palam exhibet, æstimamus; eo quod temporis hujusmodi dies mali, quantum a primis longævitate discedunt, dum juris semita derelicta, divertitur in obliquum, cedit potentiæ veritas, justitiam favor expellit: & dum omnes, quæ sibi sua videntur, exposcunt; quæ Christi sunt, quæ animarum profectibus consulunt, quæ ecclesiarum decus erigunt, non solum negligentiæ nebulis, sed etiam despectus & ignorantiæ latebris tenebrosis abscondunt.

Nos igitur ad regnum Angliæ inclitum, quod diebus proximis a gloriæ suæ culmine, in extinctione utriusque potestatis exciderat; necnon ad regnum Scotiæ, Hiberniæ, & VValliæ partes, de gremio sanctæ E matris ecclesiæ, commisso nobis in ipsis pleno legationis officio destinati, plantandi, & evellendi, atque ædificandi solicitudine, de manu sanctissimi patris domini Clementis, ipsius sanctæ universalis ecclesiæ summi pontificis, non ex affectu propriæ voluntatis, sed pro debitæ obedientiæ bono suscepta: ut nostrum, juxta doctrinam Apostoli ministerium impleamus, cum sacrorum canonū statuta, quorum imitationem principum quoque sæcularium leges assumunt, constitutiones quoque, bonæ memoriæ, Othonis Portuensis episcopi, tituli S. Nicolai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, in regnis Angliæ apostolicæ sedis legati; nec non provincialium conciliorum provisiones, mores, & actus fidelium subditorum salubriter informantes: horum aliqua siquidem a paucis, aliqua vero a nullis invenimus observari: dignum duximus, præsenti sacro approbante concilio, ad omnem sanctam, & Deo placitam observationem certas constitutiones facere, atque jam promulgatis, certa quædam capitula necnon pœnas adjicere, quæ, autore Deo, valeant profectum inducere salutarem.

CAPITULA.

I. *De baptismo.*

INgredientibus hoc mare magnum, mundum videlicet naufragiis plenum, prima tabula nos ad portum salutis adducens, baptismus esse dinoscitur: quem omnium sacramentorum esse januam Salvator noster instituit, & eum sequentium patrum sanctorum testatur autoritas. Cum igitur circa ingressum januæ error maxime periculosus existat: prædictus legatus, quosdam de idololatria execrabili revocans, qui temporibus deputatis ad baptismum solemniter celebrandum, sabbato scilicet ante Resurrectionem Domini, & sabbato ante Pentecosten, suspicabantur periculum, si diebus hujusmodi pueri baptizarentur: statuit, ut a tanto errore populus averteretur prædicatione frequenti, & inducerentur ad solemnizandum in præfatis diebus baptismum, & ad suos pueros baptizandum.

Cum autem nemo prorsus debeat absque hujusmodi sacramenti perceptione dimitti, potest a quocumque, necessitatis casu occurrente, conferri: & collatum in forma ecclesiæ proficit ad salutem. Quia vero multorum simplicitas in baptismi collatione deficeret, cum necessitatis articulus immineret, nisi a ministris Christianæ fidei docerentur: a prædicto legato invenimus provide constitutum, ut parochiales presbyteri formam baptismi firmiter addiscentes, eum parochianis suis frequenter exponant diebus Dominicis in vulgari: ut si articulus necessitatis emergat, in quo oporteat per ipsos aliquem baptizari, eam sciant & valeant observare. Nos igitur, quod in hujusmodi statuto de presbyteris parochialibus est expressum, ad perpetuos ecclesiarum vicarios extendimus, & ab ipsis præcipimus observari. Et quia præter certum salutis periculum non potest hoc negligi vel omitti, adjiciendo statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus: ut quilibet archidiaconus, per suum archidiaconatum, circa presbyteros & vicarios

ANNO CHRISTI 1268.

carios ipsos inquisitionem faciat diligen- A tem, eos, quos hoc salubre statutum invenerit non servare, graviter, prout rei qualitas exegerit, puniendo.

II. *Ne pro sacramentis ecclesiasticis aliquid exigatur: & quod forma in confessione servetur.*

Quoniam cæca cupiditas ita ruit in prælatos, ut operum terrenorum quæstu minime contenta, pro sacris etiam & Divinis, quæ æstimationem non capiunt, precium profana venalitate suscipiant: præfatus legatus circa hoc statuit & præcepit, oleum B sanctificatum & chrisma a ministris ecclesiæ pure atque devote, qualibet exclusa cupiditatis labe, conferri, nulla difficultate in eis exhibendis adhibita, prætextu alicujus consuetudinis, qua dicitur, ab eisdem qui ea recipiunt, aliqua quibuslibet persolvenda. Nos igitur constitutioni hujusmodi dicti legati adjiciendo, statuimus: ut super iis, tam episcopi, quam archidiaconi, per loca suæ jurisdictionis, contra recipientes, inquisitionem faciant diligentem: & quos tales invenerint, tanquam simoniacos puniant, secundum canonicas sanctiones. C Qui si hoc implere neglexerint: episcopus a pontificalibus, archidiaconus ab officio, quousque rem congrue emendaverint, sint suspensi. Quæ omnia circa illos, qui antequam ad pœnitentiam confitentes admittant, quicquam ab eis exigunt vel extorquent, & qui alia quælibet sacramenta interventu pecuniæ conferunt, districte præcipimus observari. Omnes autem qui confessiones audiunt aliquorum, a peccatis expresse confitentes absolvant, verba subscripta specialiter exprimentes: D *Ego te absolvo a peccatis tuis, &c. autoritate qua fungor te absolvo.* Et quoniam confitentes, in ipso confessionis actu signa contritionis & humiliationis debent ostendere: præcipimus, ut omnes, qui confessiones audiunt, confitentes inducant, ut cum reverentia sacerdoti & humilitate confiteantur peccata. Adhæc, quia major est animæ cædes quam corporis, cum illa perpetua sit, hæc autem brevis temporis angustatione depereat: nemo confessionis remedium deneget postulanti. Quod a custodibus car- E cerum aliquando circa captivos fieri miserabiliter audientes: statuimus, ut si quis de cætero in hoc casu vel alio gratiam confessionis inhibuerit carcerato, vel alii, in pœnam immanis sceleris, cum ipse ad mortem pervenerit, nisi ad mandatum sui episcopi vel prælati in vita satisfecerit, careat ecclesiastica sepultura.

III. *De consecratione ecclesiarum.*

ANNO CHRISTI 1268.

Domus Dei, materiali subjecto non differens a privatis, per ministerium dedicationis invisibile, fit templum Domini, ad expiationem delictorum, & Divinam misericordiam implorandam: & ut in ea sit mensa, in qua panis vivus, qui de cælo descendit, pro vivorum & mortuorum suffragiis manducatur. Ne igitur tam salubre ministerium contemni vel negligi videretur, a dicto legato invenimus provide constitutum: ut omnes cathedrales & conventuales ecclesiæ, a tempore perfectionis ipsarum, infra biennium, per diœcesanos ad quos pertinent, vel eorum autoritate per alios, munus consecrationis acciperent. Quod si loca hujusmodi a perfectionis tempore infra biennium minime fuerint dedicata: idem legatus eadem usque ad consecrationem, a Missarum solemniis manere statuit interdicta: districte inhibens, ne abbates aut ecclesiarum rectores, antiquas ecclesias constructas, sub prætextu amplioris vel pulcrioris fabricæ faciendæ, diruere præsumant, absque diœcesani episcopi licentia & consensu: qui diligenter consideret utrum expediat dari licentiam in hujusmodi, vel negari.

Nos ergo hujusmodi salubre statutum negligi aut contemni a plurimis cognoscentes, adjiciendo statuimus: ut iis qui ecclesiæ nondum consecratæ rector seu gubernator existit, sive ipsius vicarius, infra annum post ecclesiæ constructionem, episcopum suum, si commode possit, super ipsius ecclesiæ consecratione requirat; alioquin, archidiaconum suum, ut per ipsum infra dictum tempus super hoc episcopus requiratur. Quod si rector seu gubernator, sive vicarius, aut archidiaconus, ab hujusmodi requisitione destiterint: ipsos ex tunc, donec ea fecerint, ab officio decernimus manere suspensos. Episcopus vero, qui ab eis taliter requisitus, ecclesiam detrectaverit per se vel per alium consecrare, nisi consecrandarum ecclesiarum in sua diœcesi multitudo, tempus in aliquibus differat consecrandi, aut aliud legitimum impedimentum excuset: extunc a dalmaticæ, tunicæ & sandalium usu, donec eam duxerit consecrandam, noverit se suspensum: quæ in ipso consecrationis actu illico reassumet. Gratis autem & sine omni penitus exactione, excepta debita procuratione, studeat episcopus ministerium consecrationis præbere, ne ultione Divina cum Simone & Giezi percellatur.

IV. *De clericis arma portantibus.*

Quoniam in armis virtutum, consistit securitas innocentiæ Christianæ: docet Apostolus, ut induamur armaturam Dei, & gladio spiritus accingamur, eo quod non sit nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum, qui non armis ferreis, sed orationibus & lacrymis, & virtutum operibus expugnantur. Cum igitur clericis, qui [a] præclaram Christi hereditatem assumpti sunt, usus armorum, Divini & humani juris autoritate sit omnino prohibitus, ita ut eis etiam pro justitia ad defensionem aut vindictam nullatenus sit permissus: nos ecclesiastici honoris zelo succensi, eorum abominamur enormes excessus, qui Divini nominis & suæ honestatis obliti, arma deferre præsumunt, & sese furibus, prædonibus, ac aliis malefactoribus associantes, ut furta, prædas, & rapinas percipiant, non solum in privatorum hominum bonis, sed ecclesiarum, & aliis quacunque occasione repositis in eisdem, vel claustris, vel cœmeteriis earundem, talia nefaria committentes.

[a] adde ad

In his ergo tam horrendis sceleribus clericos debacchantes, pia salutis provisione persequimur: statuentes, ut quicunque in clericali ordine constitutus, arma detulerit, vel aliter deliquerit in præmissis, ipso facto vinculum excommunicationis incurrat; &, nisi postmodum monitus, infra certum terminum a prælato suo præfigendum, ad ipsius prælati arbitrium satisfecerit, ex tunc ipso facto, omni ejusdem regni ecclesiastico beneficio sit privatus, & nihilo minus ordinis sui periculo se noverit subjacere. Qui si forte nullum beneficium prius habebat, ne sine tanti sceleris pœna remaneat, per quinquennium sit inhabilis ad beneficia quælibet obtinenda. A prædicta vero excommunicationis sententia a suo diœcesano nullatenus absolvatur: nisi prius ad ipsius diœcesani arbitrium satisfecerit de præmissis.

V. *De habitu clericorum.*

Cum sancti evangelii veritas hominem vestem nuptialem non habentem jubeat foras mitti, quanquam de virtutum ornatu dictum esse illud sacra expositio doceat, quia cum per exteriorem habitum sæpe interior designetur: oportet tamē exterius talem ostendere, ut ei qui debet intus esse verisimiliter coaptetur, ne ex habitu forsan indecenti, is qui gestat, in se ipso vilis appareat, & corda videntium pro facilitate indicii scandalizet. Proinde tam ab antiquis, quam modernis patribus, tradita est moderatio, quam clerici, qui juxta nominis impositionem in sortem Domini sunt vocati, in habitu exteriori sequantur, qui in se lumbos præcingere, & lucernas ardentes in manibus gerere edocentur. Ex horum consideratione, bonæ memoriæ, præfatus legatus statuendo præcepit, ut ad formam tam de vestibus clericorum, quam etiam de ornamentis equorum in generali concilio editam, per subtractionem beneficiorum ab episcopis compellantur: ita quod in mensura decenti vestes habeant, & capis clausis utantur in sacris ordinibus constituti, maxime in ecclesiis, & coram prælatis suis, & conventibus clericorum, & ubique in parochiis suis, qui cum animarum cura regendas ecclesias susceperunt.

Et ut melius possint episcopi alios ad honestatem vestium, & tonsuram, decentes coronas, & equorum ornamenta idonea, coarctare: provideant, ut a suis clericis commensalibus hæc prius faciant observari, quod in vestibus, calcaribus, frænis, & sellis, clericalem gerant habitum honestatis. Nos autem gravem & perversum nimis abusum contra præmissa quasi generaliter diffusum in clericos harum nostræ legationis partium, detestantes, in quo Deus irrideri videtur, obfuscari decus ecclesiæ, clericalis ordinis celsitudo deprimitur, Christus a suis militibus insignia ferentibus aliena deseritur, decor honestatis ecclesiasticæ maculatur, dum clericum a laïco respiciens oculus non discernit, suntque omnibus vere fidelibus in scandalum & despectum: statuimus, & districte præcipimus, ut clerici universi vestes gerant non brevitate nimia ridiculas vel notandas, sed saltem ultra tibiarum medium attingentes. Aures quoque patentes quilibet, non opertas, & coronas habeant probanda latitudine condecentes: in quibus præcipue depositio terrenorum, & regalis sacerdotii dignitas designantur. Nec, nisi in itinere constituti, nunquam aut in ecclesiis, vel coram prælatis suis, aut in communi conspectu hominum publice infulas, quas vulgo coifas vocant, portare aliquatenus audeant vel præsumant. Qui autem in sacerdotio sunt, qui etiam sunt decani & archidiaconi, nec non omnes in dignitatibus curam animarum habentibus constituti, capas clausas deferant: nisi forte causa itineris, vel alia causa justa, honestam aliam vestem gerunt.

Si qui vero in sacerdotio vel dignitatibus constituti, aut curam habentes animarum, seu cathedralium ecclesiarum canonici, contra præmissa in infulis, corona, vel tonsura deliquerint: si moniti non emendaverint, ipso facto ab officio suspensionem incurrant: in qua si per tres menses perstiterint, extunc a beneficio sint suspensi; nec prius per suos diœcesanos ab hujusmodi sen-

ANNO CHRISTI 1268.

sententiis absolvantur, quam sextam redditum suorum anni illius partem solvant, per ipsos diœcesanos fideliter pauperibus erogandam : salvis aliis pœnis condignis, quas prælati subditis, in his delinquentibus, voluerint irrogare. De ipsis quoque sacerdotibus, decanis, archidiaconis, & aliis in dignitatibus constitutis, qui in vestium habitu contra præmissa deliquerint, eadem statuimus observari. Reliquos vero clericos in præmissis delinquentes, suorum prælatorum arbitrio relinquimus puniendos.

Præcipimus autem, in virtute sanctæ obedientiæ, universis archiepiscopis, episcopis, archidiaconis, & cæteris prælatis, ut in locis suæ jurisdictioni subjectis, super præmissis diligenter inquirant, & contra delinquentes statutum præsens efficaciter observent, & faciant observari. Qui si, postquam eis, per facti evidentiam, vel alio justo modo, constiterit quemquam delinquere in præmissis, corrigere secundum ea quæ sunt statuta neglexerit: archiepiscopi quidem & episcopi dalmaticæ, tunicæ & sandalium usu; archidiaconi vero & alii inferiores prælati, ipso facto ab ingressu ecclesiæ, donec circa correctionem & emendationem exerceant sui officii debitum, sint suspensi.

Adhæc, cum episcopalis dignitas religionis affectum augere debeat, & cultum ejus apertius demonstrare : præcipimus universis episcopali præditis dignitate, ut habitum gerant dignitati & honori suo congruentem, prout canonica edocent instituta. Specialiter autem indicimus iis, qui de monasteriis vel aliis regularibus locis in episcopos sunt assumpti, vel de cætero assumentur, ut suum deferant habitum regularem: ne religionem præcedentem dignitas excludere videatur, quam sibi debeant vinculo individui fœderis adoptare. Quibus etiam districtius inhibemus, ne utantur pannis, aut pellibus, aut aliis ornatibus ab ordine sive regula sua priori discrepantibus in colore: sed in talibus statutum concilii generalis satagant observare.

VI. *Ne clerici sint advocati in causis sæcularibus; neque judices, neque assessores, in causa sanguinis.*

Iuxta sacrorum ordinum censuram, præsenti constitutione districtius inhibemus : ne quis in clericali militia constitutus, advocationis officium in foro sæculari, pro causa sanguinis, vel alia quacunque, nisi in casibus a jure permissis, exercere præsumat. Si quis autem contra fecerit, si quid in causa sanguinis, pro actoris parte certaverit *, ipso facto ab officio sint suspensi. In alios vero per diœcesanos excessum hujus compesci præcipimus & puniri: pœnæ condignæ qualitatem, ipsorum arbitrio reservantes. In eisdem quoque sanguinis causis, in quibus mortis aut mutilationis membrorum judicium agitur, similiter inhibemus: ne quis in clero constitutus, judex seu assessor esse præsumat. Quisquis vero contra fecerit, præter suspensionis ab officio pœnam, quam ipso facto incurret, alias juxta sui superioris arbitrium puniatur. A quibus suspensionum sententiis per suos diœcesanos nullatenus absolvantur, nisi prius satisfecerint competenter.

VII. *Ne clerici iurisdictionem sæcularium exerceant.*

Cum honestatis ecclesiasticæ speciale decus existat, a carnalibus longe fieri actibus, nec sæcularibus negotiis immisceri manus cælestibus ministeriis deputatas : grave ac sordidum reputamus, quod clerici quidam terrena lucra & temporales jurisdictiones fidei * speculantia & avida voracitate sectantes, jurisdictionem a laïcis recipiunt sæcularem, & justitiarii nuncupantur, ut ministri fiant justitiæ, quam non possunt sine canonicæ dispensationis & clericalis ordinis injuria ministrare. Nos igitur horrendum hoc vitium extirpare volentes, universis ecclesiarum rectoribus & perpetuis vicariis, immo quibuscunque in sacerdotio constitutis, districtius inhibemus : ne jurisdictionem a persona sæculari suscipiant, vel ipsam exercere præsumant. Qui autem jam susceperunt, infra duos menses omnino dimittant, eam de cætero nullatenus suscepturi. Quia vero apud malevolos animos inhibitio non cohibet delinquentes, nisi pœnalis ultio subsequatur: decrevimus, ut quisquis contra prædicta venire præsumpserit, ipso facto ab officio & beneficio sit suspensus. Ad quæ si temere sic suspensus se ingesserit, ultionem canonicam non evadet. Hujusmodi vero ultio, per diœcesanum ejus, qui contra ista fecerit, donec emendaverit ipsius diœcesani arbitrio, & juramentum præstiterit quod de cætero alias non committat, nullatenus relaxetur. Salvis domini regis privilegiis in hac parte.

VIII. *De concubinariis.*

Quoniam indecorum sit & puritati Christianæ contrarium, pollutis labiis & manibus sacra contingere, vel laudem offerre munditiæ, aut seipsum fœdatum luxuriæ maculis in tẽplo Domini præsentare: non solũ Divinæ aut canonicæ leges, verum etiam sæcu-

ANNO CHRISTI 1268.

sæcularium principum monita, sanctæ considerationis iudicio prospexerunt omnibus Christi & sanctæ ecclesiæ ministris pudicitiam, tam consultæ, quam indicentes. Quas prædictus legatus sequens, laudabili studio præcepit & statuit, ut ubi clerici & maxime in sacris ordinibus constituti, qui in domibus suis vel alienis detinent publice concubinas; nisi eas a se prorsus amoveant infra mensem, eas vel alias de cætero nullatenus retenturi ab officio & beneficio sint suspensi, & usque super hoc satisfecerint, de beneficiis ecclesiasticis se nullatenus intromittant: alioquin, decrevit ipsos eisdem beneficiis fore ipso jure privatos. Nos autem pudicitiam, veluti gemmam virtutum, optantes in clero fulgere, quibus potest non solum persuaderi, sed etiam assumptæ professionis vinculo & imperari: statutum prædicti legati contra clericos, qui publice detinent concubinas, editum, cura qua possumus persequentes: adjiciendo statuimus, ut archidiaconi locorum, qui post episcopos curam gerunt, contra concubinarios hujusmodi annis singulis inquisitionem faciant diligentem, & circa eos prædicti legati statutum exquisite faciant observari. Et quæ invenerint episcopis teneantur nihilo minus nunciare, ut ipsi super iis pastoralis officii debitum exequantur. Quod si in exequendis iis quæ præmissa sunt, quisquam archidiaconus, vel episcopus, postquam sibi denunciatum fuerit ab archidiacono, negligens fuerit: archidiaconus quidem ab ingressu ecclesiæ ipso jure noverit se suspensum, quousque denunciaverit episcopo; episcopus vero a Dalmaticæ, tunicæ, & sandalium usu, sit suspensus, donec a se negligentiam excutiens, quæ statuta sunt duxerit exequenda.

Ad hæc cum ad peccatum accedens consensus & auxilium alterius, utrumque in peccato parificet, & pari pœna condemnet: statuimus, ut ii, qui clericos in domibus suis ad peccandum recipiunt, vel scienter peccare permittunt, sive concubinis eorum domos locant scienter, vel accomodant; si clerici sint, pœna simili; si vero laici, ad arbitrium episcopi puniantur. Prædictæ vero concubinæ de quibus constiterit per facti evidentiam, vel aliquo alio justo modo, ab ingressu ecclesiæ, dum celebrantur Divina, penitus arceantur; nec eis paschali tempore tribuatur viaticum, cum judicium sibi manducent & bibant, qui illud indigne assumunt. Cæterum, quia plerumque evenire didicimus, quod convictus super crimine adulterii, aut alio peccato notorio, ad partes fugiat alienas, ut & pœnam effugiat, & liberius in crimine perseveret: statuimus, ut si quis taliter de provincia in provinviam aliam nostræ legationis effugerit, episcopus, in cujus diœcesim venerit, seu ejus officialis ad mandatum prælati in cujus diœcesi vel jurisdictione fugiens ille deliquerit, sententiam excommunicationis in ipsum latam efficaciter exequatur, donec ad pœnitentiam redeat salutarem.

IX. *De vicariorum residentia, & institutione.*

Sacrorum ordinum dispensatio, quasi clavis ad aperiendum varias portas salutis, & gratiæ spiritualis, hominibus est concessa: quam habere necesse est, ut clavis aperiat, qui curam obtinet animarum. Qui etiam clavem gestat, extra mansionem vagari non debet, ut paratus sit in statione continua vocantibus: & non vocantes suis exhortationibus, quasi pastor solicitus, ad se trahat. Hæc licet antiqua sanctorum patrum decernat autoritas: quia tamen ab iis, qui temporalem fructum plus diligunt quam æternum, invenitur temere non servatum, prædictus legatus circa utrumque provide statuit inter alia, nullum de cætero ad vicariam admittendum, nisi in presbyterum jam ordinatum, vel saltem in diaconum proximis temporibus ordinandum: qui renuncians aliis beneficiis, si qua habet curam animarum habentia, juret ibi residentiam facere corporalem: alioquin institutionem ipsius nullam fore decrevit, & vicariam alii conferendam.

De iis autem qui tunc jam fuerant instituti, non tamen in presbyteros ordinati, statuit & præcepit, ut extunc infra annum ad minus, se facerent in presbyteros ordinari: alioquin, privatos ipsos extunc vicariis fore decrevit: quod de residentia circa instituendos præceptum erat, statuens etiã circa ipsos. Nos autem contra hoc agentium compescere malitiam nostra quoque ad hoc opportuna districtione volentes: adjiciendo statuimus, ut si quis de cætero contra hoc statutum vicariam tenuerit, fructus suos non faciat sic perceptos, sed ipsos restituere teneatur: & ipsorum medietas ecclesiæ, cujus est vicaria, tradatur, in ipsius utilitatem modis omnibus convertenda: medietatis vero alterius pars una in pauperes illius parochiæ expendatur, & altera loci archidiacono applicetur.

Ipse vero archidiaconus super his, annis singulis, inquisitionem faciat diligentem: suaque opera & solicitudine statutum hoc faciat firmiter observari. Qui etiam, si aliquem contra præmissa vicariam comperit retinere, prælato, ad quem ipsius collatio vel institutio pertinet, vicariam ipsam sine mora denunciet fore vacantem: ut idem circa id exequatur, quod officij sui viderit interesse. Qui etiam nec aliter instituat, nec post factam sibi denunciationem hujusmodi

Anno Christi 1268.

jusmodi, vel postquam ad ejus pervenerit notitiam, institutionem vicariæ differre præsumat. Quod si contra fecerit, a collatione, institutione, & præsentatione beneficiorum quorumlibet, quisquis fuerit, donec quæ statuta sunt exequatur, noverit se suspensum.

Ad hæc, cum omnis malitiæ conatus diligenti reprimamus industria: statuimus, ut si quis contra præmissa vicariam retinere contenderit, per mensem unum in sua rebellione persistens, præter pœnas superius impositas, aliis beneficiis, si qua habet, sit ipso facto privatus: nec non & ad vicariam, B cui sic molestus incumbit perpetuo, & ad cætera beneficia, quibus vitioso & adulterino contagio se reddit indignum, per triennium sit inhabilis obtinenda. Quæ omnia non solum ad futura porrigimus, verum etiam ad præterita referri volumus: & in eisdem efficaciter statuimus, & præcipimus observari. Archidiaconus vero, si quæ superius sunt injuncta, neglexerit, præter indignationem omnipotentis, quam incurrat, ab ipsa parte sibi applicanda privetur, & ab ingressu ecclesiæ, præsentis statuti auto- C ritate, quousque præmissa fecerit, sit suspensus.

X. *De intrusis.*

Amoris proprii damnabilis & immoderata præsumptio, subvertens in judicio rationem, dum sibi temere alienum concupiscit, caritatem tradit exilio, mortemque affectat proximi, quem noverit præsidere. Quin etiam morte vel immutatione alia nil agente, calliditas & simulatio Divinam provocantes iram impudenter insurgunt: D cum qui vivit, mortuum, & qui adhuc possidet, resignasse verbo vel actu mendaciter confingentes. Quia vero in ecclesiis, præcipue circa mare Anglicanum constitutis, mortalis hic morbus irrepsit: præfatus legatus super hoc statuit, ne prætextu opinionis vel famæ, quæ de morte vel cessione habetur absentis, ejus beneficium aliquatenus conferatur; sed prælatus, donec plenius de veritate instruatur, exspectet: alioquin, ad resarciendum omne damnum ex hoc inflictum, absenti ipsum obligatum; illum vero, qui se procuravit intrudi, præter dam- E norum restitutionem, ab officio & beneficio, ipso facto, suspensum fore decrevit. Quod etiam ad illum extendi voluit, qui beneficium ecclesiasticum, altero possidente, occupare, vi vel clam, autoritate propria, vel potius temeritate, præsumit: vel postquam declaratum fuerit ad alium pertinere, armis se defendere nititur in eodem. Nos autem latius & plenius mederi per nostrum antidotum cupientes: adjiciendo statuimus, ne quis de cætero patro-

A nus ecclesiasticus vel sæcularis, ad ecclesiam, in qua jus obtinet patronatus, quemquam audeat præsentare, nisi probabilem habeat de ipsius ecclesiæ vacatione notitiam. In quo casu licet præsentare possit, ne sibi per lapsum temporis præjudicium generetur: prælatus, ad quem institutio spectat, nequaquam præsentatum præsumat admittere, vel instituere, nisi de morte rectoris, vel alias de vacatione legitima, prius constet.

XI. *Quibus notis de vacatione constet.*

De jis autem non aliter constare sufficiat, quam per ipsius mortem, vel resignantis, seu aliter dimittentis præsentiam corporalem; aut si absens sit, per episcopi seu diœcesani, in cujus civitate vel diœcesi mortuus esse, vel alias dimisisse dicetur, aut saltem alterius personæ authenticas litteras, sigillo authentico uno vel pluribus communitas, vel per instrumentum publicum, vel per testes juratos & idoneos omni exceptione majores, a quibus super hoc non tantum de credulitate, sed de scientia, secundum juris exigentiam, sufficiens & apertum testimonium deponatur. Quod si contra ea quæ dicta sunt, quisquam in ecclesia de facto fuerit institutus, vel quod verius est, intrusus: institutio talis, invalida, & nullius penitus sit momenti; nec per ipsam cuiquam jus aliquod adquiratur, etiamsi postmodum forsitan appareret ipsam ecclesiam tempore institutionis hujusmodi vacasse. Cumque postmodum de primi rectoris vita constiterit, eo quod personaliter veniens, se ipsum ostendat, aut alias per authenticas litteras, vel instrumentum publicum, vel per testes idoneos vivere comprobetur: tam prælatus instituens, quam is qui fuerat taliter institutus, ipsi rectori ad restitutionem integram fructuum, damnorum & expensarum, quæ propter hoc ipse rector incurrerit, teneatur; altero alterius solutione minime liberato. Et quia non sufficit pecuniaria pœna, ubi spirituale delictum: prælatum qui contra hoc instituerit, nihilominus ab eo tempore, quo in prædicta commiserit, a collatione, institutione, & præsentatione beneficiorum quorumlibet, statuimus manere suspensum, donec ipsi rectori possessio reddatur ecclesiæ.

Adjicientes, ut si postquam de ipsius rectoris vita, supradicto modo constiterit, ecclesia non restituatur eidem: intrusus, si per tres menses in tam pessima rebellione perstiterit, præter pœnas supra impositas, extunc omnibus beneficiis, quæ in eodē regno obtinet, ipso facto perpetuo sit privatus; & ad illud, quod taliter detinuit, quandocūq; vel quocumque modo vacaverit, perpetuo sit inhabilis obtinendum: ad quod, cupiditatis

ANNO CHRISTI 1268.

tatis & rapinæ vitio, reddidit se indignum. Et si quidem nullum fortassis beneficium habeat, non solum ad hoc, quod sic se habere præsumpsit, sed etiam ad quodlibet aliud in illa diœcesi, quam sceleris sui peste turbavit, ipso facto, autoritate hujusmodi statuti se inhabilem perpetuo esse sciat, & penitus esse incapacem. Cæterum ad omnes, qui præsentatione patroni, aut aliis modis, beneficia vel ecclesias, sine canonica institutione prælati, per se, vel per alios, occupare præsumpserint, quos adhuc gravius delinquere constat; necnon ad eos quoque qui ante hanc constitutionem nostram occuparunt viventis beneficium, vel ecclesiam, & adhuc detinent occupatam; ad eos quoque qui sine canonica institutione prælati se ipsos intrudere præsumpserunt (nisi infra tres menses a publicatione hujusmodi constitutionis, tam occupatores, quam intrusores hujusmodi, omnino dimiserint quod taliter acceperant, & ut supradictum est, satisfecerint) supra nominatas pœnas extendi volumus & mandamus: iis, quæ contra tales in constitutionibus prædicti legati & provincialium conciliorum totius nostræ legationis statuta sunt, in nullo penitus diminutis. Contra hos etenim delinquentes, pœnas illas ex * quo sufficere non putamus, sanctius esse ac tolerabilius æstimantes, ecclesiam vel beneficium vacare diutius per incognitam veritatem, quam momento quocumque adulterari apud violentū vel nefarium possessorē.

Ad hæc, cum ad archiepiscopum vel episcopum, ad quem ecclesiæ vel beneficii collatio spectat, vacationis notitia probabiliter alias quam prædictis modis forte pervenerit: si forsitan beneficium illud vel ecclesiam conferat, timens ne per lapsum temporis præjudicium sibi fiat, possessionem tamen ipsius ecclesiæ vel beneficii corporalem, priusquam de vacatione suprascriptis modis constiterit, non tradat vel tradi faciat, seu consentiat, vel permittat, neque is, cui collatio facta est, ingredi possessionem propria vel alterius cujuscumque autoritate præsumat. Quod si archiepiscopus vel episcopus contra fecerit, prædictis pœnis se noverit subjacere. Is vero, cui collatio hujusmodi facta est, si contra præmissa possessionem acceperit: ipsa ecclesia seu beneficio perpetuo se noverit esse privatum, & nihilo minus alias pœnis subjaceat supra dictis.

XII. *Ne una ecclesia dividatur in plures.*

Unitatem in omnibus, maxime vero Divinis & spiritualibus officiis & ministeriis, ita perfectio sequitur, ut divisionem super omnia detestetur, quæ desolationem & ruinam inducit. Nec enim ullum ipsum materiale subjectum stabit, nulla sacræ rei designatio intellectum conformiter ad se trahit, cum in illo vel in isto divisio aget, diversum faciens quod est unum. Ex his catholica unitas sanxit & autoritas, ut in una ecclesia unus sit rector, quasi unius corporis unum caput. Sed stupefactivæ zizaniæ seminator, interdum per plurium in una ecclesia patronorum discordiam; interdum per cupidorum figmenta, qui de ipsa ecclesia nihil aliud quam commodum temporale venantur, hanc pestiferam factionem diversis modis inducit, ut in plures collata una ecclesia dividatur: rei pravitatem quadam mutatione vocabulorum seu nominum occultantes. Quod detestabilius est, in tantum in quibusdam prælatis ardor cupiditatis & avaritiæ exardescit, ut præsentatos ad ecclesiastica beneficia non admittant, nec ea aliter conferant, nisi certa proventuum & redditum beneficiorum ipsorum portione retenta, quam suis usibus applicant, vel aliis eam ad tempus vel simpliciter conferunt pro suæ libito voluntatis.

Super his autem legitime compescendis, divisiones vel particulares assignationes & permutationes penitus prohibens: statuit, ut nūquam in plures personatus vel vicarias ecclesia divideretur, & quæ tunc ante divisæ fuerant, integrarentur quam citius facultas se offerret: nisi aliqua ecclesia sic foret ab antiquo forsitan instituta, in qua per loci episcopum provideri statuit, quod tam redditus, quam parochia, inter eos congruis portionibus dividantur, & quod semper apud ecclesiam resideat aliquis, qui de animarum cura solicitus, celebratione Divinorum, & collatione sacramentorum, se viriliter exerceat & honeste. Nos igitur prædicti legati sanctionem digna æmulatione sequentes, adjiciendo statuimus: ut omnis hujusmodi prorsus divisio ante prædicti legati constitutionem facta, nisi tanto eam præcesserit tempore, ut merito possit antiquitatis jure censeri, quæve postmodum est secuta, nec non cujuscumque portionis proventuum ecclesiasticorum beneficiorum retentio & assignatio, quæ fieri posse dinoscitur absque labe simoniacæ pravitatis, per locorum diœcesanos penitus revocentur.

Si qua vero de cætero fiat divisio, seu alicujus portionis retentio vel assignatio: hanc nullam ipso jure fore decernimus. Et ne conferentis, seu præsentantis, vel admittentis plures ad unam ecclesiam exemplum mali relinquat impunitas: præsentans quidem, unus aut plures, jus illa vice præsentandi amittat, ad superiorem proximum devolvendum. Si vero prælatus sic contulerit, vel præsentatos admiserit, vel si certam retinuerit vel alii assignaverit portionem, simpliciter,

ANNO CHRISTI 1268.

simpliciter, vel ad tempus: non solum institutio ejus, & retentio, vel assignatio, viribus careat, verum etiam ipse, quousque id revocaverit, ipso facto a collatione, institutione, seu præsentatione beneficiorum quorumlibet, sit suspensus.

XIII. *De abstrahentibus confugientes ad ecclesiam vel cœmeteria, seu res ibidem depositas.*

Et de auferentibus aliquid præter voluntatem dominorum ecclesiasticorum de domibus, maneriis seu grangiis.

Ad tutelam & confugium oppressorum ita immunitatem ecclesiasticam cernimus constitutam, ut etiam reos sanguinis ab hominum incursu defendat. Quanto magis insontes criminum confugientes ad ipsam, & res nulli vitio subjacentes, hostili timore intra ipsius ecclesiæ septa repositas, convenit non solum exinde non abstrahere vel rapere, sed etiam non contingere, ut in eis temeritatis aliquid attentetur: satis intelligit qui prudenter attendit. Præterea circa tuitionem, tam personarum ad ecclesias vel cœmeteria confugientium, & rerum quæ in ipsis pro securitate fiducialiter reponuntur; quam circa hominum salutem profanorum, qui, Dei timore contempto, & ecclesiæ reverentia prorsus abjecta, immo totius humanitatis & famæ pudore deposito, ad hujusmodi confugarum abstractionem, & rerum prædam & rapinam de locis ipsis se conferunt impudenter: nos tanto promptius oportet intendere, quanto sceleris hujusmodi perfidia majus noscitur periculum importare.

Nos igitur hujusmodi iniquitates & scelera perfecto odio, ex officii nostri debito, prosequentes: statuimus, ut si quis aliquem ad ecclesiam vel cœmeterium aut claustrum confugientem, inde abstraxerit violenter, vel alias victum necessarium prohibuerit, in quo similis est necanti; aut res alienas in locis prædictis depositas violenter seu hostiliter asportaverit, vel asportari fecerit; aut factam suo nomine vel a familiaribus suis abstractionem, prohibitionem, vel asportationem ratam habuerit; aut abstrahentibus, prohibentibus, vel asportantibus præbuerit publice vel occulte auxilium, consilium, vel consensum: ipso facto sit excommunicationis vinculo innodatus, a quo nullatenus absolvatur, nisi prius ecclesiæ, cui tantam injuriam", & damnum passo, satisfaciat competenter. Et quidem si excommunicatus hujusmodi, monitus a suo diœcesano, infra præfixum ab eo tempus, non satisfecerit: terra ipsius subjiciatur ecclesiastico interdicto, quod ante pristinam" satisfactionē nullatenus relaxetur.

" Deest. fecit.

" f præstitam.

Quod si forte terram non habuerit, dominus terræ in qua moratur, si monitus, infra terminum sibi ad hoc indictum, extra eam non expulerit hujusmodi pestilentem: extunc terra ipsius ecclesiastico interdicto supponatur, quamdiu ille ibidem remanserit duraturo. Nempe si talis excommunicatus clericus sit, & a prælato suo monitus, infra terminum quem ei duxerit præfigendum minime satisfecerit: extunc omni beneficio ecclesiastico, quod in eodem regno obtinet, sit privatus. Si vero nullum obtinet: ad quodcunque ejusdem regni beneficium ecclesiasticum per quinquennium sit inhabilis obtinendum. Etenim digne ab ecclesiasticis bonis excluditur, qui caritatem & ecclesiæ decus, in Dei contemptum, & proximi dispendium, tam nequiter violavit. Quæ autem in præmissis statuta sunt, eadem circa ecclesiarum incendiarios & effractores volumus & præcipimus observari.

Ad hæc, si quis de domibus, maneriis, grangiis, vel aliis locis hujusmodi, ad archiepiscopos, episcopos, vel alias personas ecclesiasticas, vel ad ipsas ecclesias pertinentibus accedens *, quicquam præter voluntatem aut permissionem præmissorum dominorum, vel eorum qui sunt hujusmodi rerum custodes deputati, consumere, vel auferre, aut contrectare præsumpserit: ipso facto sit excommunicatione ligatus, a qua, donec satisfecerit, absolutionis gratiam minime consequatur. Et ne hoc salubre statutum prætextu ignorantiæ negligatur, ipsum vel intentionem" ipsius, per annum continuum a tempore publicationis ejusdem in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, & aliis, per rectores & capellanos earum, quibuslibet diebus Dominicis, astanti parochianorum & fidelium multitudini præcipimus publicari.

" hoc est, ejus sensū

XIV. *Ne quis impediat matrimonia solemnizari in facie ecclesiæ.*

Conjugale fœdus ab ipso Domino institutum, sicut potestari humanæ non subjacet, ita nullius temerario patere debet occursui, quo minus in conspectu hominum solemnitatem accipiat: per quam, prout expedit, omnibus innotescat. Quapropter districtius inhibemus, ne quis matrimonia contracta legitime, quo minus in facie solemnizentur ecclesiæ impedire præsumat. Episcopi vero, quorum interest sacra tueri, punire condigne studeant hujusmodi præsumptores.

XV. *De executione testamentorum.*

Libertatē extremi judicii sicut multa favoris

ANNO CHRISTI 1268.

ris prærogativa muniunt legitimæ sanctiones: ita ipsius executionem convenit adjuvare, ne quid impedire valeat arbitrium testatoris. Præterea super executione testamentorum duximus statuendum, ut executor testamenti cujuslibet, ad executionem testamenti nullatenus admittatur, neque testamentum, cum ordinario secundum approbatam consuetudinem præsentatur, per ipsum aliquatenus approbetur: nisi prius quoad hunc actum sui fori privilegio coram eo expresse renunciet executor. Præcipimus etiam statuendo, quod hujusmodi testamentorum executores, priusquam administrationem bonorum attingant, inventarium in præsentia aliquorum fide dignorum, qui verisimiliter bonorum defuncti noverint qualitatem, omnino conficiant, & illud suo superiori prælato ostendant. Si quis autem, inventario non confecto, administrare præsumpserit, ad sui episcopi arbitrium puniatur. Super approbatione siquidem testamenti ejus, qui in diversas diœceses beneficia, dum viveret, obtinebat: approbationi episcopi illius in cujus diœcesi testator decessit, fidem volumus adhiberi.

XVI. *Ne prælati fructus ecclesiarum vacantium percipiant vel suos faciant.*

Ecclesiarum dispendia injunctæ nobis solicitudinis cura submovere volentes, ne duplici desolatione affectæ nimium deprimantur, ab iis maxime qui superintendentes, quotidianam instantiam subjectis debent ecclesiis, viduatis propriis rectoribus, paterno consolari tenentur affectu: statuimus, ut cum ecclesias vacare contigerit, prælati sub quibus consistunt, fructus & proventus, per annum vel aliquanto alio tempore, nequaquam percipiant earundem, neque suos faciant sic perceptos: sed de ipsis fiat, quod in canonibus est statutum. Nisi forte iidem prælati jus hujusmodi sibi valeant, ex speciali privilegio vel consuetudine, ab antiquo vendicare. Quod si contra fecerint, donec totum restituerint, ab officio sint suspensi. Sequestrationes etiam fructuum & proventuum beneficiorum ecclesiasticorum, a prælatis penitus fieri prohibemus, quod & leges & canones interdicunt: nisi casus speciales emergant, in quibus sequestrationes, certæ consuetudines & jura permittant. Aliter autem factas sequestrationes, & latas, occasione hujusmodi, excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias, nullas fore decrevimus ipso jure. Prælatus etiam qui hujusmodi, sequestrationes fecerit, quousque revocaverit, ipso facto a pontificalibus sit suspensus.

Deest aliquid

XVII. *De oblationibus capellarum matrici ecclesiæ restituendis.*

Gratia quæ de concedentis benignitate procedit, recipientem manifeste reddit ingratum, si vertitur in abusum: & suis non contenta finibus, extenditur in alterius læsionem. Ecclesiasticæ quidem providentiæ pietas, alteri per alterum non vult iniquam conditionem afferri: sed quando privata persona capellam propriam desiderat obtinere, quod[a], causa justa mediante, concesserit, semper adjicere consuevit, ut id fiat sine juris præjudicio alieni. Quod & nos salubri & opportuno remedio consequentes: statuimus & districte præcipimus, ut capellani ministrantes in capellis hujusmodi, quæ, salvo jure matricis ecclesiæ, sunt concessæ, universas oblationes, & cætera, quæ ipsis non recipientibus ad matricem ecclesiam pervenire deberent, ipsius rectori sine difficultate restituant: cum id tanquam alienum juste nequeant detinere. Si quis autem restituere contempserit: suspensionis vinculo, quousque restituerit, se noverit innodatum.

[a] f. qui

XVIII. *De domibus ecclesiarum reficiendis.*

Improbam quorundam avaritiam persequentes, qui cum a suis ecclesiis & ecclesiasticis beneficiis multa bona suscipiant, domos ipsarum & cætera ædificia negligunt, ita ut integra non conservent, & diruta non restaurent (propter quod ipsarum ecclesiarum statum deformitas occupat, & multa incommoda subsequuntur) statuimus atque præcipimus, ut universi clerici, suorum beneficiorum domos, & cætera ædificia, prout indiguerint, reficere studeant condecenter: ad quod per suos episcopos vel archidiaconos solicite moneantur. Si quis vero post episcopi vel archidiaconi sui monitionem, per duos menses id facere cessaverit: extunc episcopus ipse, ipsius clerici sumptibus, id fieri faciat diligenter, de fructibus ipsius ecclesiæ vel beneficii, præsentis autoritate statuti, tantum accipi faciens, quantum ad refectionem hujusmodi sufficiat peragendam. Cancellos etiam ecclesiæ, per eos, qui ad hoc tenentur, refici faciant, prout superius est expressum. Archiepiscopos vero, episcopos, & alios inferiores prælatos, domos ac ædificia sua sarta tecta reficere, & in statu suo conservare ac tenere, sub Divini judicii obtestatione præcipimus: ut ipsi ea reficiant, quæ refectione noverint indigere.

XIX. *De procurationibus, quæ ratione visitationis debentur, non recipiendis ab archidiaconis, vel aliis inferioribus prælatis, nisi cum visitant.*

Naturalis dispositionis effectus semen serenti reddit, & semen laboris multiplicabit operanti. Absurdum vero simulque iniquum nemo dubitat, ibi quemquam, ubi non seminat metere: & ex iis colligere quæ non spargit. Ex his sacrorum canonum provisio æquitate ponderata decrevit, ut ecclesia, quæ visitationem recipit, temporalibus & spiritualibus ecclesiarum bonis salubriter institutam procurationem exhibeat visitanti. Cum autem ratione visitationis procuratio debeatur: si quid exigitur vel recipitur, hujusmodi ratione cessante, jam male accepti & indebiti nomen subit. Cum igitur intellexerimus, quod plerique prælati procurationes a subditis exigunt, licet visitationis officium non impendant: nos tam indemnitati ecclesiarum, quam prælatorum saluti, consultius providentes, districtius inhibemus, ne quis eorum, procurationem, quæ ratione visitationis debetur, ab ecclesia quacunque recipiat, nisi cum eidem officium impendit visitationis. Qui vero aliter receperit: donec restituerit, ab ingressu ecclesiæ sit suspensus. Episcopi vero & alii inferiores prælati, cum visitant, in superflua comitiva, seu evectionum numero, vel alias in expensis, gravare subditos non præsumant ultra quantitatem & numerum determinatum in constitutione felicis recordationis Innocentii papæ quarti; ne videantur in visitationibus magis lucris pecuniariis inhiare, quam ecclesiarum velle conservare statum, vel salutem quærere animarum. Quod si contra facere attentaverint: subditi eis non pareant in hac parte. Latas etiam, occasione hujusmodi, excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias, ipso jure decernimus esse nullas. Secum etiam visitationis tempore superfluam & onerosam multitudinem hominum non adducant: per quam ecclesiarum requies perturbari sæpius consuevit: sed moderationem sequantur constitutionis canonicæ in Lateranensi concilio promulgatæ.

XX. *Ne pecunia recipiatur a subditis pro delicto notorio.*

Deus omnipotens, cujus omnia sunt, precium quodlibet pro delicto non accipit, & holocaustum non postulat pro peccato. Quidam vero ad aliorum regimen deputati, hoc ignorantes, aut ex temeraria quadam industria contemnentes: cum peccatur a subditis, debitam pro pecunia pœnam remittunt. Ex quo fit, ut, Deo non indulgente, tam vindex criminis, quam commissor, sua in eodem sacculo delicta consignent, pariter judicandi. Et quia juxta beatum Isidorum, nullam reus pertimescit culpam, quam redimere nummis æstimat: non ex hoc mala voluntas minuitur vel mutatur, sed potius datur autoritas & licentia delinquendi. Circa correctionem quidem criminum præfatus legatus statuit, ut archidiaconi ecclesias utiliter & fideliter visitent de sacris vasis & vestibus, & qualiter diurnis & nocturnis officiis ecclesiæ serviantur, & generaliter de temporalibus & spiritualibus inquirendo: & quæ corrigenda invenerint, corrigant diligenter. Ecclesias autem superfluis non gravent expensis, sed procurationes, duntaxat cum visitant, exigant moderatas. Non secum ducant extraneos, sed modeste se habeant in familia & in equis: nec pecuniam ad hoc, ut non visitent, vel non corrigant, vel ut crimina non puniant, ab aliquo recipere præsumant: nec aliquos sententiis suis involvant injuste, ut ab eis possint ex hoc pecuniam extorquere. Unde, cum hæc sapiant Simoniacam pravitatem, decrevit, ut qui talia agere præsumpserint, sic extorta in duplum erogare in pios usus, episcopi sui arbitrio, compellantur. Salva nihilo minus alia pœna canonica contra ipsos.

Præcepit etiam, ut dicti archidiaconi capitulis per singulos decanatus frequenter intersint: in quibus diligenter instruant inter alia sacerdotes, ut bene sciant & sane intelligant verba canonis Missæ, & baptismatis; ea scilicet maxime, quæ sunt de substantia sacramenti. Nos igitur statutum prædicti legati contra tales editum adjuvantes: adjiciendo statuimus, ut archidiaconi pro nullo mortali & notorio crimine, vel de quo scandalum generatur, pecuniam a delinquente pro ipso recipiant, sed commissum crimen puniant animadversione condigna. Episcopis vero districte præcipimus, ut hujusmodi salubre statutum firmiter faciant observari.

XXI. *De firmis.*

Indignum est, cum * spiritualibus pecuniarum inire commercium, dicente apostolo Petro ad Simonem: *Non sit tibi pars neque sors in sermone isto.* Avare enim & facile spiritualia vendit, qui eorum exercitium pecuniæ interventione conducit. Provide igitur constitutionem legati prædicti comperimus inhibentem, ne dignitates vel officia, puta decanatus, vel proventus ex ecclesiasticæ vel spiritualis jurisdictionis exercitio, seu ex pœnitentia, vel altari,

* f. in sp. — *Act.* 8.

altari, vel sacramentis aliis quibuslibet, venientes, nullo modo concedantur ad firmam. Nos autem contra hoc tam sanum & salubre statutum fieri a pluribus audientes: adjiciendo statuimus, ut si de cætero quispiam contra fecerit, datio ad firmam sic facta non teneat; & contrahentium neuter alterutri ex tali contractu, tanquam invalido, quacunque juris autoritate, aut beneficii, hujus nostræ constitutionis expressa renunciatione, vel alia pactione vallate, aliquatenus obligetur: nihilo minus tertia parte proventuum ejus rei, quam de facto ad firmam dari contra hoc statutum constiterit, fabricæ majoris ecclesiæ cathedralis modis omnibus applicanda. Quæ omnia habere locum volumus, & statuimus observari, cum laïcis datur ecclesia ad firmam: & cum ultra quinquennium etiam clericis ecclesiæ firma conceditur, contra constitutiones a dicto legato super his salubriter promulgatas. Ecclesiis quoque a gravi præjudicio præcavere volentes, ipsas ad firmam dari patronis earum sub præmissis pœnis districtius prohibemus.

XXII. *De residentia archiepiscoporum & episcoporum.*

Pastor bonus agnoscens gregem suum, debet ipsum mentis & corporis oculis jugiter intueri: & ne ipsum insidiosus lupus invadat, sicut hostis persequendo invigilat, sic prælatus resistet continue defendendo. Oportet igitur, ut corporalis præsentia ipsum solicite tueatur: quia vadens pastor & veniens sæpe non invenit quod reliquit, eo quod illud adversarius non recedens neque dormiens asportavit. Sane licet episcopi ad personalem residentiam circa gregem Domini sibi commissum, tam Divinis, quam ecclesiasticis præceptis noscantur astricti: quia in partibus nostræ legationis nonnulli sunt, qui hoc attendere non videntur: nos prædicti legati monitionem & exhortationem, super hoc, archiepiscopis & episcopis prudenter emissam, æmulationis condignæ studio sequentes, ipsos efficaciter hortamur in Domino, & in virtute sanctæ obedientæ, atque sub Divini obtestatione judicii commonemus, ut ad commissi gregis curam, & desponsatarum sibi ecclesiarum solatium, præcipue diebus solemnibus, Quadragesimalibus, & Adventus, præsentiam suam exhibeant debitam, quibus se fide media copularunt: sanctum chrisma, oleum sacrum, & oleum infirmorum, in die cœnæ Domini quolibet anno conficiant, nisi eos dictis diebus ab ipsorum ecclesiis, a suis superioribus evocatos, vel ex alia justa causa, oporteat absentare: ut quod ipsorum nomen prætendit, & commissum sibi ministerium exigit, quod non minus gerit oneris quam honoris, solicitis studeant excubiis observare.

XXIII. *De appropriationibus ecclesiarum non faciendis.*

Quoniam alienationes ecclesiarum, sanctorum patrum, & Romanorum pontificum decreta prohibere summopere studuerunt: nos ipsos ex officii nostri debito, sufficientia qua possumus imitantes, universis episcopis districtius inhibemus, ne quis eorum, ecclesiam sibi subjectam, alteri episcopo, vel monasterio, seu prioratui, appropriationis jure conferat vel assignet: nisi is, cui appropriare voluerit, adeo manifeste paupertatis prematur onere, vel alia legitima causa subsit, quod talis appropriatio, non tam juri contraria, quam pietati consona merito censeatur. Si vero contra præmissa facta fuerit hujusmodi appropriatio: ipso jure invalida, & nullius penitus sit momenti, sed ab ipso, qui hoc fecerit, sicut de facto processit, modis omnibus revocetur.

Nonnulli quoque in ecclesia, quæ per proprios consuevit gubernari rectores, in usus eorum concessa, ut totum, quod ex appropriata sibi ecclesia provenit, inhianter absorbeant, ipsam dimittunt vicario destitutam: aut si vicarium in ea fortassis instituunt, ita modicam eidem relinquunt fructuum portionẽ, quod non potest sibi sufficere, & archidiaconorum, & alia incumbentia sibi onera supportare. Quo fit, ut quod in eleemosyna est provisum, in sitim avaritiæ confluat, & transeat in rapinam. Super his igitur salubria remedia cogitantes, statuimus, & districte præcipimus, ut universi religiosi, exempti & non exempti, Cistercienses, & alii quicumque qui ecclesias in proprios usus habent, si vicarii non sint positi in eisdem, infra sex mensium spatium, vicarios præsentare diœcesanis, qui eos instituere debeant, non omittant: quibus sufficientem assignare pro facultate ecclesiarum studeant portionem. Alioquin, extunc iidem diœcesani id facere studeant diligenter.

Statuimus quoque ut episcopi, qui ecclesias in proprios usus habent, domos in ipsarum ecclesiarum parochiis construant, vel olim constructas reædificent & conservent, in quibus honeste possint recipi visitantes. Supradicta vero omnia tam ab episcopis, quam ab aliis qui ecclesias in proprios usus habent, fieri præcipimus & servari.

XXIV. *De bonis intestatorum.*

Cum mortis præoccupatio incerta, sæpe sic anticipet ultimi arbitrii voluntatem, ut

ut conficiendi testamenti, seu extremæ dispositionis, adimat vitæ decisio facultatem: agit humana pietas misericorditer in defunctum, cum res temporales, quæ illius fuerant, per distributionem in pios usus ipsum adjuvando sequuntur, & coram cælesti judice pro ipso propitiabiliter intercedunt. Proinde, super bonis ab intestato decedentium, provisionem, quæ olim a prælatis regni Angliæ, cum approbatione regis & baronum dicitur emanasse, firmiter approbantes: districtius inhibemus, ne prælati, vel alii quicunque, bona intestatorum hujusmodi quocunque modo recipiant, vel occupent, contra præmissam provisionem.

XXV. *De delegatione causarum.*

Judicii robur & decus exornat autoritas judicantis: & coram illo tutis gressibus incedere veritas præsumitur, de quo status eminentior, & meliora stipendia, strenuos actus & dignos fructus justitiæ repromittunt. Proinde sacris canonibus inhærentes, quibus statutum est, ut non nisi personis in majori statu constitutis causæ a sede apostolica delegentur: ejusdem juris ratione commoniti, statuimus, ut ab archiepiscopis, vel aliis ordinariis, non nisi personis in dignitate vel officio constitutis, aut cathedralium vel aliarum collegiatarum ecclesiarum canonicis, causæ aliquatenus committantur.

XXVI. *De forma citationis.*

Ita mortalium sæva cupiditas suum in seipsum reflectit ardorem, ut quicquid sibi possit attrahere, non desistat, non timens Divinam offensam, vel proximi læsionem: quod litigiorum amfractus, & procellæ causarum manifeste declarant, in quibus seipsum solum respiciens litigator, sic errat in via justitiæ, ut rectum & æquum existimet, quicquid adversario noceat, & jure vel injuria sibi prosit. Sane quoniam in citationis articulo fraudem sæpe fieri est compertum: prædictus legatus statuit, ut per impetrantes, vel eorum nuncios, in causis regni Angliæ, citatoriæ litteræ non mittantur: sed judex moderatis sumptibus impetrantis per suum fidele nuncium eas mittat, qui vocandum diligenter perquirat: quem si reperire non poterit, die Dominico vel alio solemni, apud ecclesiam loci illius in quo degere consuevit, dum Missa cantatur, litteras legi faciat & exponi, vel saltem ad decanum, in cujus decanatu moratur qui vocandus existit, citatio dirigatur: qui a judice missus hæc fideliter persequatur per se, aut per suos certos nuncios & fideles: quodque inde fecerit, eidem judici rescribere non omittat. Nos autem, ut

A circa citationis articulum cautius & tutius procedatur, & discriminis materia, quantum in nobis est, penitus auferatur, constitutioni dicti legati adjiciendo, statuimus: ut, cum judex contra quemlibet absentem emittit citationis edictum, citationem faciendam decano loci vel alicui alii certæ personæ demandet. Is vero, cui demandata fuerit, cum eam fideliter fuerit assecutus, secundum statuti formam, se citasse rescribat. Alioquin citationi, quæ aliter facta appareat, fides nullatenus habeatur: nec secundum ipsam, contra eum qui
B citatus dicitur, ad pœnam aliquam procedatur.

XXVII. *De iuramento aduocatorum.*

Laudabile vitæque hominum necessarium advocatorum officium, qui quasi athletæ justitiæ, in campo judicii militant, multum quidem exautoratur ab illis, qui in ipso infideliter se exercent, per quos justitia deperit, & litium processus innumeris subterfugiis impeditur. Hæc sane prædictus legatus diligenter considerans, & prudenter attendens, inter alia facta in constitutione, de-
C crevit: ut quisquis advocati officium voluerit generaliter promereri, apud diœcesanum, cujus jurisdictionis existit, originis vel domicilii ratione, præbeat juramentum, quod in causis, quarum patronus existit, patrocinium fidele præstabit. Nos igitur hujusmodi statuto, per quod iniquitati occurritur, relevatur justitia, & succurritur veritati, parare volentes semitam ampliorem: adjiciendo statuimus, ut secundum ea quæ in dicto statuto contenta sunt, nullus advocatus, nisi litteras diœcesani, corã quo jurare præcipitur, prius ostendat, fidem de
D juramento huiusmodi exhibito faciẽtes, vel de novo exhibeat hujusmodi juramentum, ad nullius causæ patrocinium admittatur.

XXVIII. *Ne iudex pacem vel concordiam litigantium impediat.*

Cum partes suas amittat judicium, nisi actoris & rei dissensio conquiescit, nec aliud agere judex debeat juxta legitimas sanctiones, quam ut controversiam dirimat inter ipsos: multo profecto delinquit, qui partes ad pacem vel concordiam paratas, maxime
E prætextu alicujus commodi, nititur impedire. Quia vero, per impedimentum hujusmodi, si contingat, provocatur Deus, læditur proximus, judicii contaminatur honestas, & jurgiorum materia confovetur: nos statutum prædicti legati, qui super hoc simplici fuit inhibitione contentus, efficacius prosequentes, adjiciendo statuimus: ut si quis deinceps, pro impedimento paci seu compositioni litigantium objiciendo, quic-

quicquam receperit, ei qui dederit, omnibus modis restituere teneatur: necnon tantundem exsolvat pauperibus erogandum. Alioquin, ex eo tempore, quo scelus hujusmodi sic recipiendo commiserit: donec, sicut dictum est, restituerit, excommunicationis vinculo se noverit alligatum.

XXIX. *De publicanda absolutione.*

Sicut ecclesiasticæ censuræ vinculum ad medelam inventum, ut sanum efficiat languidum, quem coercet publice notum, fieri consuevit: ita beneficium absolutionis, quæ ligato impenditur, expedit notum esse; ne non vitandus, in sui contumeliam vel scandalum ab aliis evitetur. Proinde statuimus, ut cum aliquam excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententiam, contigerit relaxare: mandet alicui, ut relaxationem hujusmodi publice nunciet locis & temporibus opportunis.

XXX. *De institutionibus & collationibus.*

Christianæ religionis veritas ita plerosque in suorum cordium elatione reliquit, ut cum animæ suæ curæ vix unusquisque sufficiat, ipsi se plures esse mendaci statera pensantes, non solum unius beneficii super multos intrepide curam suscipiunt, in quo quandoque nec resident, nec ad sacros ordines se faciunt promoveri, quos ipsius beneficii cura requirit; sed multas super innumeras curas sibi congregant impudenter, & per vanitates & insanias falsas ambulantes, miseras animas, quas curandas acceperunt, necessario negligunt, cum onus tale implere ipsa facti impossibilitate non possunt. Sane hos carni contra spiritum, & adversus Deum & proximum, assistentes, & quasi de industria recedentes a Deo, dum seipsos in manibus diaboli præcipitant manifeste, animas Christo auferunt, & pauperum alimonias in usus superfluos, ne dicamus in malos, nefanda perversitate convertunt, a tantis irruere* periculis, sanctorum patrum, Romanorum pontificum, & cæterorum super his autoritatem gerentium, constitutiones, tam antiquis retro temporibus, quam modernis, multiplici solicitudine laborarunt. Quorum labor etsi meritorius fuerit iis, qui vineam Domini fideli exercitio coluerunt, quibus virtus fuit, etiam male usis materiam ministrare virtutis: multis tamen in hoc profanæ cupiditatis ardore cessantibus, laboris hujusmodi profectum invenimus defuisse, qui, præter clavem dispensationis apostolicæ sedis, pluralitatem beneficiorum ecclesiasticorum, animarum curam habentium, non solum de manu prælatorum male suscipere, verum etiam autoritate propria, violentiaque majorum, damnabiliter occupare præsumunt, & temere per excogitatas malitias & subterfugia detinere.

* Corr. eruere

Ex his autem dicere non sufficimus, quanta mala proveniunt. Ecclesiæ namque maculatur honestas, adnullatur autoritas, fides Christi prosternitur, caritas exulatur, spes pauperum deperit, eo quod vident apertum diviti vel potenti, quod intret, omne beneficium vacaturum, quod suum non est. Miser peccator & cæcus, rectorem se jactans, non tam recipit quam furatur. Inter ipsos quoque divites contentiones & scandala oriuntur, lites & odia confoventur. Digne etiam super hujusmodi regnorum homines Divinæ indignationis exarsisse in ignem, & aliquorum delicta in omnes misisse vindictam, ex hoc præcipue formidamus: & dum nihil aliud ita periculis plenum conspicimus, talia vel graviora & pertimescimus in futurum, nisi Dei misericordia nos despiciens, correctionis apponat remedium salutare. Volentes igitur, circa pestiferum hunc & vix incurabilem* morbum, officii nostri diligentiam adhibere, & tota, quantum in nobis est, virtute curare: prædicti quoque legati constitutionem super his editam, ipsius inhærendo vestigiis, adjuvantes, adjiciendo præcipimus: ut de præteritis ante hanc nostram constitutionem circa beneficiorum cum cura pluralitatem, nec non contra illos, qui, prout debent, in beneficiis suis non resident, nec ordinem sacrum recipiunt, quem ipsius beneficii sui cura requirit, commissis, prælati singuli sine ulla dissimulatione diligenter inquirant, & in illis faciant statutum generalis concilii efficaciter observari.

* Corr. vix curabilem

Archiepiscopi etiam super præmissis diligenter inquirant in provincialibus conciliis suis, & negligentes corrigant, ut tenentur, cum de his in districto Dei judicio rationem reddere teneantur. In posterum autem, cum ad beneficium curam habens animarum, quenquam præsentari, aut ipsius collationem alias fieri debere contigerit: statuimus, ut prælatus, qui circa hoc suum gerit officium, prius de vita & conversatione præsentati & instituendi, ac de aliis, quæ jura præcipiunt, inquisitione præmissa inquirat. Hoc quoque vigilanter discutiat & perquirat, utrum habeat præsentatus vel instituendus hujusmodi, personatus, seu alia beneficia curã animarum habentia: & si quidẽ habet, an illa cum dispensatione, vel absq; tenuerit: quam si habere se asserat, illam infra terminum a prælato statuendum, post assertionem hujusmodi, ipsi prælato exhibere procuret: alioquin extunc nullatenus admittatur. Quod si alias institutus fuerit, nulla sit institutio ipso jure. Dispensatione vero exhibita, ipse prælatus provide consideret,

ANNO CHRISTI 1268.

ret, an ex vi dispensationis ipsius, aliud vel alia, cum jam habitis, valeat obtinere. Quod si eum plura beneficia sine dispensatione habere vel habuisse comperit: ipsum ad id, de quo agitur, aliquatenus non admittat. Hoc idem observans, si exhibita dispensatio non ad futura, sed tamen [a] ad præterita se extendat: nisi prius in hoc casu instituendus, ipse præstet corporaliter juramentum, quod habita possessione beneficii, in quo instituitur, statim alia beneficia, quæ prius habuit, sine difficultate dimittens, de illis, per se vel alium, extunc nullatenus se intromittat. Quod si facere præsumpserit, præter notam perjurii quam incurrit, habitis & habendis ipso jure noverit se privatum.

[a] Corr sed tantum

Postquam autem, secundum ea quæ diximus, quisquam fuerit institutus: illico prælatis in regno eodem constitutis, in quorum diœcesi consistant priora beneficia quæ habebat, necnon patronis ipsorum, quod gestum est, si commode poterit, denunciet institutor: ut sic de beneficiis ipsis, quæ ad eos spectare videntur, disponant. Et nihilo minus nomina beneficiorum ipsorum conscribens, in proximo tunc provinciali futuro concilio, ea denunciet: in quo videatur, qualiter sit de ipsis beneficiis ordinatum, & ut appareat, utrum institutus verum dixerit, qui prius dixerat se alia beneficia non habere. Quod si prælatus instituens secus egerit, institutionem factam revocet infra mensem: alioquin a collatione & institutione ad ipsum in quibuscumque beneficiis spectantibus, quousque revocaverit, sit suspensus. Cum [a] qui a se reprobatum crimen incurrit, merito culpa redarguit: & in quo alium judicat, seipsum condemnat, dum in eodem ipse reprobus invenitur. Hanc, Apostolo dicente, fugiendam labem in prælatis ecclesiæ detestantes, firmiter inhibemus, ne prælatus, qui præsentatum sibi ad vacantem ecclesiam, ob defectum sacrorum ordinum, recusat admittere, alii eandem ecclesiam conferat, qui defectum hujusmodi patiatur: ne sic videatur potius acceptasse personam, quam justitiam dilexisse. Quod si fecerit, ejus collatio vel institutio ipso facto sit invalida, & nullius momenti penitus censeatur.

[a] f. eum

XXXI. *De commendis ecclesiarum.*

Miserabilis humanæ dignitatis casus, ita concupiscentiæ fræna laxavit, ut recusatio [a] acumen rationis, & circa mala statutæ irascibilitatis, virga conjuncta, nihil putetur iniquum, quod in explebilia vasa cupiditatis videatur influere; nihil inhonestum, quo avaritiæ paretur cibus, esuriem non minuens sed augmentans. Hi si animos simplicium obsident, dolendum est in uno genere hominum, qui laïci idcirco dicuntur, quod popularibus sunt ministeriis derelicti. Sed in illis, quibus Dominus pars est hereditatis eorum, qui hereditatis suæ restitutionem sibi debet a Domino præstolari, qui ducatu suo regere alios & gubernare tenentur: hoc tanto amarius & acerbius flenda conspicimus, quanto iniquius committuntur in illis, & periculosius tolerantur. Sane inter adinventiones eorum, qui fraudes contra suas animas moliuntur, hanc maxime comperimus Divini & humani juris præsidia confundentem: quod, cum una ecclesia unius debeat esse rectoris, sicut & ratio dictat, & multiplicis juris statuta declarant, quidam tamen rationis expertes, vel juris regulas contemnentes, dum ad plurium ecclesiarum occupationem, velamen aliud non habentes quomodo ditari festinant, vacantes ecclesias sibi commendari procurant, amplectentes juris verba, non sensum, quod aliquando permittit unam haberi ecclesiam intitulatam, & aliam commendatam. Et cum juxta sanum intellectum, propter necessitatem vel utilitatem vacantis ecclesiæ, jus commendationis, non tam præceptoriæ quam permissivæ, fuerit introductum: ipsi ad cupiditatis suæ lucrum omnia convertentes, in ipsarum ecclesiarum dissipationem, non solum unam sed plures recipiunt commendatas.

[a] Locus corruptus. f. recuset regimen

Inter multa vero pericula, quæ ex hac pestifera factione proveniunt, advertimus ecclesiarum dispendia, rerum spiritualium negligentiam & contemptum iterum misceri, suscipientis casum in malum suum, quæ aliena esse debuerant congregantis; aut in proprios luxus & pompas superbiæ profundentis, quæ sunt ad pauperum alimonia constituta. Hæc autem pro mole peccati, furta, rapinas, & filii in conspectu patris victimationem excedere Divini juris testimonio comprobantur: nec præterit Divinum intuitum cæcitas concedentis, qui, dum ecclesiæ commodum prospicere debet, personam hominis accipit, cui non tam curandam ovem committit, quam miserabiliter devorandam. Quia igitur nec timorem Divini judicii, nec sacrorum canonum intentionem, ad coercitionem talium sufficere, illi etiam proficere nunc usque videntur: nos, & animarum saluti, & ecclesiarum statui & indemnitati, diligentia, qua possumus, ex officii nostri debito, prospicere cupientes, universas ecclesiarum commendationes hactenus quibuscunque factas, nisi ex evidenti utilitate, unius tantum ecclesiæ commendatio facta sit, penitus revocamus, & ipsas extunc vacantes decernimus: eis ad quos ipsarum collatio vel ad eas præsentatio spectat, districte mandantes;

Corruptus locus ut & infra.

ANNO CHRISTI 1268.

tes, ut infra duos menses post præsentis constitutionis nostræ publicationem, conferant seu præsentent: alioquin, ipsarum collatio ad sedem apostolicam devolvatur.

In posterum autem inhibemus ecclesiam quamlibet commendari, nisi justa causa & legitima id exposcat. Et ut omnibus versutiis, adinventionibus, & fallaciis occurramus: statuimus, ne cuiquam ultra unum cum cura animarum beneficium obtinenti, ecclesia commendetur, neque plures ecclesiæ alicui personæ valeant commendari. Quod si contra ea, quæ salubriter hac nostra provisione statuta sunt, ecclesiæ commendationem a quoquam, & cuiquam in locum nostræ legationis fieri contigerit: ipsam, & quicquid ex ea secutum fuerit, ipso jure decernimus non valere. Episcopus vero qui commendationem contra præmissa fecerit, donec revocaverit, ipso facto a collatione seu præsentatione beneficiorum quorumlibet sit suspensus.

XXXII. *De confirmatione episcoporum.*

Pastoralis sedis eminentia...... indigens gratiæ Divinæ muneribus, ut pastor mundus in se ambulet coram Deo in meritum & in conspectu populi ad doctrinam. Inter alia quæ de pontificum electione sacri canones providerunt, illud sibi præcipuum vendicat, ut talis ad eam persona conscendat, quæ nullis, quantum humanitus possibile est, sit maculis denigrata. Quorundam igitur ignorantiam vel negligentiam, aut dissimulationem, quæ circa electorum confirmationes frequenter habetur, vel etiam procurant", ex officii nostri debito, diligentia qua possumus corrigentes, statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus: ut cum electionis episcopalis confirmatio postulatur, inter cætera super quibus inquisitio & examinatio procedere debet, secundum canonum statuta, illud exactissime inquiratur, utrum beneficia plura cum animarum cura, qui electus est, antequam eligeretur, habuerit; & si habuisse inveniatur, an cum eo super hoc fuerit dispensatum; & an dispensatio, si quam exhibuerit, vera sit, & ad omnia beneficia, quæ obtinuerit, extendatur. Quod si in aliquo præmissorum, is ad quem confirmatio spectat, electum deficere, sua discussione compererit: eidem nullatenus munus confirmationis impendat.

f. procuratur

XXXIII. *De iis qui tempore electionis dimittunt beneficia, & postea ea recipiunt, si eos eligi non contingat.*

Ambitionis vitium in ardore sitis æstuans, dum nec Mariæ optimam partem amplectitur, nec ad Marthæ ministerium in frequentiam profectus aspirat, sed pro dominandi libidine ad omnem eum ducentem tramitem detorquetur: abjecto rationis intuitu, fas & nefas improba temeritate permiscet. Sane illud interdum evenire didicimus, ut cum, vacante sede, quam quis ascendere concupiscit, ipse metuens se obtentorum beneficiorum pluralitate in suo desiderio posse deficere, ipsa beneficia resignat, immo penes eum, ad cujus collationem spectant, detestabili quadam fictione deponit, ut si eum eligi non contingat, eadem beneficia, quasi deposita, postmodum reassumat. Contra hoc ergo tam abominabile colludium, & sanctum, & Deo placens obstaculum opponentes: districtius inhibemus, ne cuiquam de cætero taliter sua beneficia resignanti, eadem restituantur, nec quasi de novo aliquatenus concedantur, sed tanquam ad vacantia de personis aliis canonice ordinetur. Quod si hujusmodi resignanti beneficia, ipsa vel aliquid ex eis, fuerint reddita, vel concessa: redditionem & concessionem in eum factam invalidam decernimus & inanem. Qui vero taliter in suis manibus resignata, postmodum scienter ea contra præmissa contulerint, aut ipsum resignantem instituerint in eadem: si quidem episcopus fuerit, a pontificalium indumentorum usu; alius vero prælatus inferior, ab officio sint suspensi: donec illud duxerint revocandum.

XXXIV. *De iis qui pactiones faciunt cum iis quos præsentant.*

Quia plerumque evenire didicimus, quod cum ad vacantem ecclesiam fuerit præsentatio facienda, is, qui præsentandus est, prius cum patrono, de certa summa ex bonis ecclesiæ sibi annuatim solvenda, paciscitur; & sic pactus, ad ecclesiam præsentatur: nos huic actui tam simoniæ vitium, quam ecclesiæ dispendium ingerenti, occurrere intendentes, universas promissiones & pactiones hujusmodi penitus revocamus, & eas in posterum fieri districtius inhibemus; & si factæ fuerint, vires aliquas decernimus non habere. Pensiones autem omnes, ecclesiis parochialibus hactenus impositas revocamus: nisi qui eas obtinent seu percipiunt, præscriptione legitima, vel speciali privilegio, aut certo jure alio sint muniti.

XXXV. *Quod negotiationes non fiant in ecclesiis.*

Omnipotens Dominus, qui cum propter peccata nostra nobis irascitur, non obliviscitur misereri, sciens se posse ac debere placari per contritorum & humiliatorum orationes

ANNO CHRISTI 1268.

tiones & gemitus: templa & oratoria construi voluit, in quibus convenientes fideles, abstracti a cunctis exterioribus actibus, & seipsos, clausis corporis sensibus, in suis conscientiis colligentes, per oblationes & hostias, & præcipue per sacrificia contriti cordis, & orationes, quibus Deo conjungimur, iram justi judicis mitigarent; ut, in misericordiam conversa justitia, peccatores juste non consumantur pro meritis, sed per clementiam creatoris unanimiter misericordiam consequantur. Hoc ipse Dei filius, quam acceptum sit sibi, verbis & operibus indicavit, ecclesiam, cum sit domus orationum, spiritualiter asserens domum suam esse: non negotiationis, sed orationis domum voluit nominari; tantum abhorrens in templo negotiationum commercia exerceri, ut, de funiculis facto flagello, vendentes & ementes de templo ejiceret, licet in eo illa, quæ ad usum sacrificiorum erant necessaria, venderentur. Aperte significans, quam detestandum sit illorum delictum, qui mercata in ecclesiis faciunt & negotiationes exercent, de domo Dei, speluncam latronum & domum diaboli facientes, cum in hujusmodi contractibus se adinvicem decipiant vel intendant decipere contrahentes. Eapropter districtius inhibemus, & inhibendo statuimus: ut in ecclesiis quibuscunque nostræ legationis, nullus de aliquibus rebus venalibus mercatum teneat, nec ullam prorsus negotiationem præsumat exercere. Archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, in virtute sanctæ obedientiæ firmiter injungentes, ut hoc salubre statutum per censuram ecclesiasticam ab omnibus inviolabiliter faciant observari.

XXXVI. *Quod fiat processio pro pace regni & terræ sanctæ.*

Iustus & misericors Dominus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, hominum peccata quandoque punit temporaliter, ut æternaliter non condemnet; juste visitat & misericorditer affligendo castigat, ut convertantur ad Deum, & non pereant peccatores. Vnde quando peccata nostra dividunt inter nos & Deum nostrum, ipse languores, pestilentias immittit & fames, & bella exoriri permittit, dissensiones & guerras, & alia multa mala, quibus incessanter, peccatis eorum exigentibus, homines affliguntur. Ex hoc siquidem regnum Angliæ inclitum, quod pacis pulchritudine gaudere solebat, guerris, dissensionibus, & bellis, afflictum est multipliciter temporibus istis & miserabiliter desolatum: &, quod pudori & dolori est toti populo Christiano, terram sanctam, in qua ipse Dei filius salutem humani generis operatus est, tradidit in manibus hostium nominis Christiani, ut, propter delicta nostra, nos terræ tam sanctæ habitatione indignos ostendens, populum Christianum ad bellandum bellum suum exerceat ad salutem. Ipse vero Dominus, qui quos diligit arguit & castigat, qui vulnerat & medetur, conversus ad orationes fidelium ad se revertentium misericordiam in iram non continens; sed cum justus iratus fuerit, misericordiæ recordatur, ut, pestilentiis & malis cessantibus, afflictis consolationem tribuat, & languidis sanitatem restituat, & discordibus unitatem. Eapropter antiqui patres deliberatione provida ordinarunt, ut certis temporibus processiones publicæ fierent & solemnes, in quibus conveniens fidelium populus, visitatione Domini castigatus, & eo zelo devotionis accensus, orationibus ad miserandum Dominum provocaret; & ne vitio ingratitudinis arguatur, de collatis beneficiis Deo grates exhibeat & laudes exsolvat. Quos nos digna æmulatione sequentes, statuimus & præcipimus: ut in omnibus terris legationis nostræ, quolibet anno, in crastino octavarum Pentecostes, fiat una processio publica & solemnis; in qua convenientes fideles, tam religiosi quam sæculares, de pace misericorditer restituta Deo gratias exsolventes, orent ad Dominum, ut ipse, converso furore suo, regnorum & terrarum ipsarum gubernacula dirigat: pacem fidelibus tribuat, & restitutam concordiam contineat & confirmet: terram sanctam, quam suo proprio sanguine rubricavit, ad laudem & gloriam nominis sui restituat cultui Christiano.

XXXVII. *De legendis constitutionibus singulis annis.*

Honoris ecclesiastici conversatio, ecclesiasticæ fidei unitatem, & meritum præbens & augens, gratiam & pacem adquirit a Domino populis Christianis: & apud misericordem patrem, pro sanctæ matris ecclesiæ reverentia, placabilia, & exauditione digna facit vota justorum. Ex diverso vero diversa & contraria prorsus eveniunt, ut fidem & unitatem scindant; conculcata religio iram & indignationem omnipotentis Dei effundat super populum exlegem, per sua desideria naufragantem, & inexorabilem reddat misericordis Dei pietatem. Proinde ad conservandos hujusmodi positos a Domino, super custodias gregis sui, archiepiscopos & episcopos salubriter excitamus, & eis in virtute sanctæ obe-

ANNO CHRISTI 1268.

obedientiæ districte præcipimus, ut ad ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum tuitionem seu custodiam solicite invigilent, & intendant circa reformationem ipsarum; pastoralem curam & operam ac intentam diligentiam apponentes, per quæ ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ plurimum ad restaurationem & conversationem poterunt adjuvare. Contra eos vero, qui in his eorum jurisdictionem & opus impedire tentaverint, sanctorum patrum Romanorum pontificum, & nostras constitutiones circa talia promulgatas, observent & faciant observari, sub pœnis, quæ in eisdem constitutionibus exprimuntur. Ne autem ignorantia constitutionum ipsarum ab earum observatione quemquam possit avertere: præcipimus universis archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, exemptis, & non exemptis, necnon cathedralium ecclesiarum capitulis, ut omnia statuta, quæ in hoc nostro sunt concilio promulgata, in scriptis habeant, & ipsi archiepiscopi & episcopi eadem in suis synodis, singulis annis, de verbo ad verbum, perlegi faciant diligenter.

XXXVIII. *De monachis, & canonicis regularibus, & monialibus.*

Regnum cælorum mansionibus, teste veritate, distinctum, de mundo isto quasi de torculari sibi exprimit & colligit incolas, per varias incedentes virtutum semitas, & extra mundi contagia per diversos cancellos pœnitentiæ salientes, mansionum cælestium tabernacula variis præmiorum stipendiis ingressuros. Inter omnes hujusmodi, sanctum & Deo proximum ordinem monachorum, per virum illum venerabilis vitæ, gratia & nomine Benedictum, docente sancto Spiritu, institutum & elevatum ad charismata meliora, quanto per altioris vitæ gradus a diebus antiquis de terrenis triumphantem accendimus, regnum Dei sancta violentia rapientem; tanto cura nobis major incumbit illius reservare decorem, munire sanctimoniam, & mansiones per angelos malos præcludere, atque illatos ab hostibus gladio & insidiis sanare languores. Quoniam igitur hæc sancta religio, solutis aliquibus constantiæ nodis in luxum labentem ad tramites latitudinis, quæ ducit ad mortem, miserabiliter declinavit: occurrimus sub Divino consilio & spe cælestis adjutorii, ut officii nostri debito circa opportunam reformationem salubriter insistamus.

XXXIX. *De professione facienda.*

Sane bonæ memoriæ Otho, S. Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, apostolicæ sedis legatus, inter alia de statu monachorum provida deliberatione constituit: ut quicunque est in monasterio ad probationem admissus, professionem incontinenti faciat, anno probationis elapso, aut exeat de eodem. Alioquin, abbas vel prior, qui aliquem sine professione sustinuerit ultra annum, per præsidentes capitulo graviter puniatur: & novitius qui sic steterit, profiteri cogatur, & haberi debeat pro professo. Nos autem, ut expressa & instans pœna coerceat quos dilata & tacita sub confidentia impunitatis non cohibet a delicto: adjiciendo statuimus, ut abbas, vel prior, seu abbatissa, cujuscunque ordinis vel religionis existant, qui novitium profiteri non fecerint, anno probationis elapso, nisi canonico fuerint impedimento detenti, vel novitius ipse monasterium exierit infra mensem; tamdiu in omnibus sextis feriis in pane & aqua jejunent, donec novitium ipsum fecerint profiteri. Nulli quoque novitio, antequam professionem fecerit, aliquod officium seu ministerium committatur: cum eo tempore ita regulari disciplinæ deditus esse debeat & intentus, ut ad alia divertere, sibi valde nocivum, apertissime dignoscatur.

XL. *Quod constitutiones summorum pontificum legantur.*

Porro, cum ignorantia, mater erroris, ita in incertum ducat, ut cæcus ambulans in tenebris, illius non prius damnum sentiat quā incurrit: antedictus legatus salubri constitutione decrevit, ut abbates & priores continue post regulam scribi faciant constitutiones & sanctiones summorum pontificum ad eos, & eorum ordinem præcipue pertinentes, quæ in compilatione domini Gregorii papæ IX. sub infra titulis continentur: videlicet de regularibus. cap. *Ex parte: Statuimus: Ne religiosi.* De statu monachorum, cap. *Monachi: Cum ad monasteriorum: In singulis provinciis: Ea quæ.* De simonia, cap. *Labes* [a]. De sententia excommunicationis, cap. *Monachi: Universitatis: Cum illorum absolutio: De monialibus.* De fidejussoribus, cap. *Quod quibusdam.* De solutionibus, cap. *Si quorundam.* Nos autem adjiciendo statuimus & districte præcipimus, ut magistri novitiorum eos in regula beati Benedicti, vel S. Augustini, seu quacunque alia, doceant & instruant diligenter: ita ut quilibet monachorum & religiosorum regulam quam [b] plene addiscat, & quasi corde tenus eam sciat. Prædictæ vero constitutiones in singulis monasteriis bis in anno, in principio scilicet adventus Domini, & in capite Quadragesimæ, omnibus fratribus convocatis, in capitulo legantur.

[a] Non extat hoc capitulum.

[b] deest profitetur, aut simile quiddam

XLI.

ANNO CHRISTI 1268.

A

XLI. *De proprietariis monachis seu aliis religiosis.*

Quia vero in monachis est veluti idololatria quarumcunque rerum detenta proprietas, in cujus habendæ cæcationem facile inducuntur, & corruunt, diabolo suggerente: prædictus legatus simplici canonis præceptione contentus, statuit, ut quilibet monachus de cætero proprium non habeat, & si habet, illud sine dilatione resignet. Quod nos efficacius prosequentes, statuimus & districte inhibemus, quod cujuscunque ordinis abbates, & priores qui proprios abbates non habent, super proprietariis bis in anno inquisitionem faciant diligentem: quosque tales invenerint, puniant secundum canonicas sanctiones & regularia instituta. Quod si ipsi abbates & priores hoc implere neglexerint: ipso facto, suis administrationibus sint suspensi, donec præmissa diligenter fuerint executi.

XLII. *Quod non detur pecunia pro vestibus & cæteris necessariis.*

Et quidem ne proprietatis vitio super dorsum peccatoris fabricandi occasio satanæ offeratur, & ipsi homini detur habilitas delinquendi: statuimus, ut cum quispiam monachorum seu aliorum religiosorum vestibus, calciamentis, vel aliis vitæ necessariis indiguerit, is, qui super iis ministrandis gerit officium, pecuniam sive denarios non tradat pro re hujusmodi taliter indigenti; sed res ipsas, prout necessitas exegerit, subministret. Si autem is, qui hujusmodi præest officio, contra facere præsumpserit, officio, in quo sic deliquit & præstitit materiam delinquendi, sit privatus: & nihilo minus aliter superioris arbitrio puniendus.

XLIII. *Quod soli non stent in ecclesiis & maneriis.*

Monachos seu canonicos regulares per maneria vel ecclesias solos morari, tam indecens, quam animabus eorum periculosum esse conspicientes: firmiter & districte præcipimus, ut abbates & priores, monachos sic manere non faciant, vel permittant: sed si qui sint, eos, sine moræ dispendio, revocent ad conventum, vel sibi unum monachum studeant sociare. Alioquin, ipsi abbates & priores, ab officio, donec adimpleverint, sint suspensi. Quod si forte pauperes habeant ecclesias, quæ duobus non sufficiant exhibendis: faciant illis per sæculares clericos deserviri, ut sic nec debitis ecclesiæ fraudentur obsequiis, nec regularis frangatur integritas disciplinæ.

XLIV. *Quod non dentur maneria ad firmam monachis.*

ANNO CHRISTI 1268.

Ad firmam vero, quæ mercationis instar habet, alicui monacho dari manerium, ecclesiam, possessiones, vel alia quælibet bona, sive a proprio prælato, sive ab alio quocunque districtius inhibemus. Quod si factum fuerit, præter pœnas antedicti legati, vel in aliis constitutionibus impositas, quicunque, dederit firmam hujusmodi, singulis sextis feriis in pane tantum & aqua per unius anni spatium jejunet.

B

XLV. *De esu carnium.*

Ad hæc, quoniam regularis observantia, quæ per arctam viam ducit ad vitam, per carnis superbiam, laxatis habenis, multipliciter impugnatur: merito sancti Patres carnem voluerunt ab esu carniū cohibere, ut ejus superbiam cohiberet parcitas, & per mundi abstinentiam carne devicta, spiritus gratiā Domino decantaret. Super his prænominatus legatus statuit, ut cum esus carnium sit monachis nigri ordinis, per regulam beati Benedicti, nisi in certis casibus & locis, nec non abbatum præsidentium eorum generali capitulo, interdictus: monachis qui per abusum consueverunt vesci carnibus, abbates & priores loco hujusmodi vetiti cibi, juxta facultatem domus, alium competentem ministrare curarent. Nos autem adjiciendo firmiter & districte inhibemus, ut abbates, & priores abbates proprios non habentes, ac abbatissæ seu priorissæ ordinis beati Benedicti, circa esum carnium solicite & diligenter inquirant: & eos, quos in hoc invenerint delinquentes, graviter puniant, delicti & delinquentium circumstantias attendentes. Episcopi vero cum subjecta sibi monasteria visitant, de hujusmodi esu carnium fideliter discutiant & inquirant: & puniant, quos pœna invenerint indigere.

C

D

XLVI. *Ne aliqui religiosi utantur in refectorio aut in dormitorio pretiosioribus aliis.*

E

Illud quoque ridiculosæ scurrilitatis opprobrium auferentes, quo monachi & alii religiosi quidam, se majores aliis æstimantes & ostentare volentes, vasis pretiosioribus uti contendunt: districtius inhibemus, ne quis monachorum, vel monialium, seu canonicorum regularium, scypho argenteo vel pretiosiore in refectorio, vel in aliis locis utatur, illum quasi proprium possidendo; aut in dormitorio majore, apparatu lecti vel teguminis. Cum enim omnes pares sint, &

sub sanctæ fraternitatis nomine coæquales: ridiculum est, ut alter majorem altero se ostendat, qui de hoc gloriari debet, ut ostendat cæteris se minorem.

XLVII. *Quod semper in refectorio duæ partes remaneant.*

Statuimus insuper & districte præcipimus, ut cum abbas vel prior vult aliquos in camera sua reficere, ita reficiendorum numerus moderetur, quod saltem duæ partes fratrum in comestione remaneant in conventu. In hoc vero apponant providentiam diligentem, ut sine personarum acceptione, nunc hos, nunc illos, ad refectionem vocent, quos magis noverint indigere.

XLVIII. *De infirmis.*

De infirmis, quibus humanitatis præbere præsidium caritas jubet, & pietas interpellat, districte præcipimus: ut prior vel superior claustralis, sæpe visitationis exercitium adhibens, circa ipsos vigilanter perquirat, qualiter ab infirmario procurentur. Si quos vero in hoc defectus invenerit, ipsos abbati vel priori denunciare festinet. Abbas autem seu prior, omnem defectum sine tarditate & negligentia circa id faciant emendari.

XLIX. *Quod nulli religiosi vendant vel assignent aliquas liberationes.*

Volentes etiam ecclesiarum indemnitatibus providere, illud vitium extirpamus, quod quidam abbates, priores, & alii ecclesiarum rectores, & custodes hospitalium, cupiditatis ardore, qui eorum corda vehementer inflammavit, interveniente precio, plus personis quam ecclesiis consulentes, ad certum tempus seu ad vitam illorum, quibus fit concessio, certum quid, quod communiter liberationes appellant, vendunt & assignant, pro vitæ necessariis, diebus singulis, vel certis temporibus exsolvendis. Ex quo fit, ut in ecclesiis, hospitalibus, & monasteriis, in dictarum liberationum solutione gravatis, eorum, qui deberent ecclesiis & monasteriis deservire, ac infirmorum & pauperum, ad quorum sustentationem hujusmodi bona specialiter sunt assignata, numerus minuatur. Per quod ecclesiæ servientes debitis, & pauperes ac infirmi alimoniis defraudantur; in illorum, qui eas concedunt, animarum periculum & scandalum manifestum. Propter quod districtius inhibemus, ne unquam personis aliquibus hujusmodi liberationes vendantur: & si aliquæ ante hanc nostram constitutionem concessæ fuerint in perpetuum, vel ad tempus, resignantibus vel decedentibus illis, qui eas obtinuerunt hactenus, abbates & priores, rectores & custodes præfati, eas de novo eorum heredibus vel aliis non concedant.

L. *Quod servetur antiquus monachorum numerus.*

Cæterum cum, juxta sapientiæ doctrinam, in multitudine populi sit dignitas regis; & in paucitate plebis, ignominia principis: nulla debet avaritia, nulla desideria vel contemptus arripere, ne Regis regum cultum attenuet colentium paucitas, & contra multiformis nequitiæ hostem minuatur exercitus bellatorum. Ideoque statuimus & districte præcipimus, ut in singulis monasteriis, & in iis præcipue, quæ sunt ecclesiæ cathedrales, servetur antiquus numerus monachorum.

LI. *De ratione administrationis reddenda.*

De prælatis autem & ministratoribus atque officialibus illud statuimus: ut abbates, & priores, abbates proprios non habentes, saltem semel in anno, præsente toto conventu, aut aliquibus de senioribus & prudentioribus, ad hoc a capitulo deputatis, reddant de statu monasterii & administratione sua plenarie rationem. Si quis vero abbas vel prior statutum hujusmodi neglexerit observare: ipso facto, donec id satisfecerint, a suis administrationibus sint suspensi.

LII. *Quod religiosi non emant vel vendant.*

Venalium commercia rerum, quibus cupiditas dandi minus, vel plus recipiendi, expetit captiones, vix aut nunquam sine interventu peccati, etiam inter laicos fieri dignoscuntur: quanto magis eorum manus, qui sanctæ religionis habitu & observantia sunt a terrenis actibus elevati, sordidum & fœdum existit a talibus inquinari! Hoc igitur contra illos, quasi abominabilem lepram, officio debitæ solicitudinis insequentes: arctius inhibemus, ne monachi vel moniales, aut religiosi quilibet, cujuscunque religionis existant, mercationes, quæ in emendo vel vendendo consistunt, in nundinis, mercatis, vel alias, audeant in quibuscunq; rebus aliquatenus exercere. Alioquin, non solum ij qui fecerint, verum etiam ij de quorum mandato processerit, ipso facto ab officio sint suspensi: quæ suspensio nullatenus relaxetur, quousque satisfecerint de præmissis. Quæcunque vero contra monachorum statum, & conversationem superius sunt statuta: in monialibus, quæ in eadem quoque professione censentur, æque volumus & præcipimus observari.

LIII.

ANNI CHRIST 1268.

LIII. *Quod moniales ad certa loca non exeant.*

Moniales Deo dedicatæ, quæ abnegantes se ipsas, & renunciantes sæculo, soli Christi servitio se perpetuo manciparunt, omni custodia servare se debent, & portas sensuum obserare, ne unquam introitus pateat maligno spiritui, ex quo eis vel aliis in pravorum desideriorum ardore, vel saltem levi cogitatione, detur occasio delinquendi. Eapropter in cœnobiis certa loca sunt deputata, quæ eas exire non convenit: B ut possint Domino, cordis & corporis innocentiam conservare. Intrare enim debet oratorium monialis in quo prudenter orando sibi provideat, ne aliquando in tentationem incidens, in delictum aliquod prolabatur: accedat ad capitulum, in quo juste puniat quæ commisit: intret dormitorium & refectorium horis suis, in quibus corpus ad sustentationem ne deficiat recreando, assistat sibi temperantia, ne ex refectionis superfluitate caro recalcitret, & eam non deserat fortitudo, ut resistat fortiter ten- C tationibus, dum quiescit. Sed cæteris horis moretur in claustro, in quo sic se claudat, & corporis sui sensus: ut inter se & mundum, chaos firmatum esse intelligens, & solum Deum oculis mentis aspiciens, aliquod prægustet de æternæ vitæ dulcedine contemplando. Præmissa vero loca personis sæcularibus vacua esse præcipimus: ut ad ea non nisi ex necessaria & justa causa, personæ sæculares accedant: & hoc non frequenter, sed raro, ne ex frequenti conversatione sæcularium, quies earum vel contemplatio perturbetur, vel saltem ad D sæcularia, cogitatione vel desiderio, earum animus pertrahatur.

Eapropter illud statuimus, ut nunquam cum hominibus, vel aliquibus personis religiosis vel sæcularibus, nisi in publico & non suspectis locis, colloquium habeat monialis. Et ubi seriosum colloquium est habendum, monialis sola non conveniat ad loquendum, sed sibi ad minus monialis alia Deum timens, & in religionis observatione rigida, societur, quæ illos videat, & possit omnium, quæ per aliam facta fuerint, esse testis: nisi quando voluerit con- E fiteri. Nunquam autem extra domum, nisi de suæ superioris permissu, cum aliquo homine comedat: nec tunc, nisi cum tali, qui tanta sit ei consanguinitate vel affinitate, seu alia honesta familiaritate conjunctus, & alias non suspectus, quod non liceat inter eos aliquod suspicari sinistrum. Alia vero loca, quam quinque præmissa, monialis sibi reputet penitus interdicta; ut ad ea nunquam accedat, nisi ad locum infirma-

A riæ, vel ad alium ad hoc monialibus deputatum; in quo de licentia abbatissæ seu priorissæ causa recreationis esse poterit, si debilitate seu infirmitate detenta, vel ut ibi recreationem & infirmitatis remedia percipiat opportuna.

ANNO CHRISTI 1268.

Ad officinas etiam, moniales, nisi illæ quibus hoc ex officiis competit, non accedant: & illæ nunquam solæ, sed cum honesta societate, ut superius de aliis est expressum. Abbatissæ vero, & priorissæ, & cæteræ quæ monasteriis præsunt, quocunque nomine censeantur, monasteria non exeant, nisi ex evidenti monasterii utilitate, seu necessitate urgente, & cum honesta societate. Cæteris vero inferioribus monialibus, nusquam, nisi justa vel necessaria causa, exeundi monasterium licentia præbeatur.

Et tunc nunquam solæ ire, esse, vel morari extra monasterium permittantur: nisi tali moniali fuerit alias sociata, quæ sic probata in monasterio fuerit, quod de ipsa nihil sinistrum valeat suspicari. In terris quoque nostræ legationis consuetudinem abolemus, qua moniales monasteria consueverunt exire, occasione processionum, quæ quandoque fiunt publicæ & solemnes: firmiter statuentes, ut occasione prædicta monasteria sua non exeant moniales; sed infra septa monasteriorum, processionum solemnia peragant temporibus quibus consueverunt fideles in processionibus convenire. Nihilo minus archiepiscopis, episcopis, & aliarum ecclesiarum prælatis, quibus visitandi officium de jure seu consuetudine competit, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub obtestatione Divini judicii districte præcipimus, ut monasteria monialium, cum expedit, visitantes, quæ statuta sunt, faciant firmiter observari.

LIV. *Quod monachi frequenter confiteantur, & frequenter celebrent.*

Ad hæc quia scriptum est quod septies cadit justus in die, & quod nemo existens in mortali corpore sine crimine vivit: necessaria multum & utilis est, præcipue religiosis, confessio, in qua omnibus, quæ Deum possent offendere, & illis conscientiam premunt, cum cordis contritione discussis, & cum amaritudine recensitis, accedant cum securitate conscientiæ ad orandum, & ad offerendum hostiam immaculatam in altari. Propter quod statuimus, quod abbates, seu priores, seu subpriores eis absentibus, frequenter requirant saltem semel in mense, confessores monachis deputatos, de nominibus confitentium monachorum: ut sic illos qui non frequenter confitentur, graviter arguant, & ad confitendum indu-

 cant.

ANNO CHRISTI 1268.

cant. Quod mandamus circa monachos constitutos in sacerdotio, qui non frequenter celebrant, observari.

NOTÆ GABR. COSSARTII S. I.

Summæ in Britannia fuit autoritatis hoc concilium. Quapropter *magnum concilium* vocat Matth. VVestmonasteriensis: celebratum scilicet, ut ait idem, *præsentibus universis prælatis Angliæ, Walliæ, Scotiæ, & Hiberniæ.* Itaque ex illius decretis totius ecclesiæ Britannicæ consensu conditis, ecclesiastica constituta disciplina est: & ad usque Anglorum a Romana ecclesia defectionem instituta illa servata sunt. Hinc frequentissima in ecclesiasticis Britannorum libris mentio constitutionum Othonis & Othoboni.

Anno MCCLXIX conciliũ hoc perperam attribuit Parisii continuator, cujus chronologiã anno uno tardiorem esse solere, jã observavi ad concilium Bononiense anni MCCLXIV. Certe ante anni MCCLXVIII finem e Britannia Othobonus discesserat. Revocatus enim est a Clemente IV & ab eo missus ad Castellæ regem, ut constat ex pontificis ipsius epistola, data x. Kal. Iul. quæ apud Raynaldum extat. Atqui anno MCCLXVIII. prid. Kal. Decembr. Clemens pont. obiit.

Gravior est in Anglicana collectione lapsus, in qua hæc synodus anno MCCXLVIII collocatur: cum præferat titulus & Clementem pontificem, qui anno MCCLXV. sedere cœpit; & Othobonum legatum, qui anno MCCLXVII. a Clemente in Angliam missus.

ANNO CHRISTI 1268.

Collocari debuerat ante Londinense concilium.

* ** S. LVDOVICI FRANC. REGIS PRAGMATICA SANCTIO.

TITVLI CAPITVLORVM.

LVdovicus Dei gratia Francorum rex, ad perpetuam rei memoriam. Pro salubri & tranquillo statu ecclesiæ regni nostri, necnon pro Divini cultus augmento, & Christi fidelium animarum salute; utque gratiam, & auxilium omnipotentis Dei (cujus solius ditioni ac protectioni regnum nostrum semper subjectum extitit, & nunc esse volumus) consequi valeamus: quæ sequuntur, hoc edicto consultissimo, in perpetuum valituro, statuimus & ordinamus.

CAPITVLA.

I. *Vt ecclesiarum prælatis, patronis, & beneficiorum collatoribus ordinariis, jura sua serventur.*

PRimo, ut ecclesiarum regni nostri prælati, patroni, & beneficiorum collatores ordinarii jus suum plenarie [a] habeant, & unicuique sua jurisdictio servetur.

[a] *al.* plenarium

II. *Vt liberæ sint electiones ecclesiarum.*

Item ecclesiæ cathedrales, & aliæ regni nostri liberas electiones [b], & earum effectum integraliter habeant.

[b] *In codice MS. collegij Navarr. additur*, promotiones, collationes,

III. *Vt simonia a regno eliminetur.*

Item simoniæ crimen pestiferum ecclesiam labefactans, a regno nostro penitus eliminandum volumus & jubemus.

IV. *Vt promotiones & collationes beneficiorum fiant secundum dispositionem iuris communis.*

Item promotiones, collationes, provisiones, & dispositiones prælaturarum, dignitatum, & aliorum quorumcumque beneficiorum & officiorum [c] ecclesiasticorum regni nostri, secundum dispositionem, ordinationem, & determinationem juris communis, sacrorum conciliorum ecclesiæ Dei, atque institutorum antiquorum sanctorum patrum, fieri volumus & ordinamus.

[c] *al.* Beneficiorum ecclesiasticorum, & officiorum regni nostri,

V. *Vt libertates & privilegia ecclesiis & locis religiosis concessa, conserventur.*

Item libertates, franchisias, prærogativas, jura ac privilegia, per inclitæ recordationis Francorum reges prædecessores nostros, & successive per nos, ecclesiis, monasteriis, atque locis piis, religiosis, necnon personis ecclesiasticis regni nostri concessas, & concessa, innovamus, laudamus, approbamus.

Mandatum de exequendo.

Earum tenore universis justitiariis, officiariis, & subditis nostris, ac loca tenentibus, præsentibus & futuris, & eorum cuilibet, prout ad eum pertinuerit, districte præcipiendo mandamus: quatenus omnia & singula prædicta diligenter & attente servent, teneant & custodiant, atque servari, teneri, & custodiri inviolabiliter faciant, nec aliquid in contrarium quovis modo faciant, vel attentent, seu fieri, vel attentari permittant; transgressores, aut contra facientes tali pœna plectendo, quod cæteris deinceps cedat in exemplum. In quorum omnium & singulorum testimonium, præsentes litteras sigilli nostri appensione muniri fecimus. Datum Parisius anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo octavo, mense Martio.

G. C. Sic edita est in bibliothecis patrum hæc pragmatica. Editiones ejusdem aliæ sunt, in quibus sunt capitula sex, addito uno, quod ibi quintum locum obtinet, quinto nostro sextum in locum rejecto. Sic autem se habet.

Item exactiones & onera gravissima pecuniarum, per curiam Romanam ecclesiæ regni nostri imposita, vel impositas, quibus miserabiliter regnum nostrum depauperatum extitit, sive etiam imponendas vel imponenda, levari, aut colligi nullatenus volumus: nisi duntaxat pro rationabili, pia, & urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, & de spontaneo & expresso consensu nostro, & ecclesiæ regni nostri.

HENR. SPONDANI EPISC. APAMIENSIS Nota in postremum hoc capitulum.

Ex tomo I. continuationis annal. eccles. anno 1268.

Hoc sane etsi non abnuamus vere nec injuste a Rege fuisse statutum, haud tamen videmus quomodo a plerisque contra Romanam sedem contorqueatur, cum non consueverit illa, nec certe conveniens sit ut agat, absque regum & principum consensu onera ecclesiis imponere: & alioqui nec adeo videatur hæc Ludovici prohibitio cohærere cum iis quæ leguntur in quodam chronico, provincias Remensem, Senonensem, & Rothomagensem, audito quod Rex peteret a pontifice decimam in subsidium terræ sanctæ, querelas in eum ad Clementem pontificem misisse, quibus petierunt ne quid ejusmodi Regi concederetur: Regem vehementer inde exasperatum ad papam contra illos scripsisse, ac papam, illis austere acceptis, decimam regi ad triennium concessisse. (de cujusmodi concessione dictum est anno superiori.) An dicemus sanctum regem invidisse Apostolicæ sedi de bonis ecclesiæ,

quod

ANNO CHRISTI 1268.

quod sibi tanta asperitate petebat? procul dubio si singula gesta ex bono & æquo æstimentur, non erit unde in mutuas amaritudines prorumpatur.

** CONCILIUM APUD CASTRUM GONTERII.

A Vincentio de Pilenis Turonensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno MCCLXVIII.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De invadentibus & occupantibus bona ecclesiastica.*
2. *De impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam.*
3. *Ut sustinentes sententiam excommunicationis ultra annum, careant ecclesiastica sepultura.*
4. *Ne vacantes prioratus bonis omnibus denudentur.*
5. *Ne monachi extra abbatias vel prioratus depositum habeant.*
6. *De vestimentis archidiaconorum & decanorum.*
7. *Ut episcopus in sua diœcesi absoluere possit, in casibus, in quibus præsens concilium excommunicat.*
8. *Ut superiora concilia observentur.*

CAPITULA.

I. *De invadentibus & occupantibus bona ecclesiastica.*

QUIA clericis laici oppido sunt infesti, universos ballivos, potestates, personasque alias sæculares, in generali per locorum ordinarios moneri præcipimus, & eis firmiter inhiberi, ne ecclesias, prioratus, domos, possessiones, & alias res ecclesiasticas indebite occupent, vel invadant, aut in religiosorum domibus ponant comestores, quod in quibusdam locis præsumptione damnabili aliqui sæculares judices facere præsumpserunt: & si qui, post monitiones & inhibitiones hujusmodi, quidquam in contrarium facere præsumpserint, excommunicationis sententia innodamus.

II. *De impedientibus jurisdictionem ecclesiasticam.*

Præterea nonnulli barones, milites, ballivi, & alii sæculares homines, confœderationes, colligationes, seu conspirationes faciunt contra ecclesiasticam libertatem, maxime restringendo & diminuendo ecclesiasticam jurisdictionem, & subditis suis, ne in foro ecclesiastico litigent, in his quæ ad forum ecclesiasticum de jure vel consuetudine pertinent, inhibendo. Nos omnes hujusmodi præsumptores per locorum quoscunque ordinarios, aut de ipsorum mandato, in locis publicis, in generali moneri volumus & mandamus, ut infra duos menses a tẽpore monitionis hujusmodi revocent quicquid contra * hoc attentaverunt: & inhiberi ne in futurum talia attentare præsumant. Si qui vero in præmissis culpabiles existentes, prædictis monitionibus & inhibitionibus parere contempserint: nos autoritate concilii ipsos extunc in scriptis excommunicamus.

* al. super hoc

III. *Ut sustinentes sententiam excommunicationis ultra annum, careant ecclesiastica sepultura.*

Sane quia multi suæ salutis immemores, excommunicationis sententiam, per unum annum vel amplius, animo sustinent indurato, absolutionis beneficium usque ad ægritudinem in qua decedunt, petere differentes: statuimus, ut talibus denegetur in morte ecclesiastica sepultura.

IV. *Ne vacantes prioratus bonis omnibus denudentur.*

Cum ex cupiditate, quæ radix est omnium malorum, videatur procedere, quod abbates seu priores, transferentes seu translati, prioratus vacantes cessione, morte, vel mutatione priorum, bonis in prioratibus inventis denudent: nos indemnitati locorum providere volentes, inhibemus ne priores in suis translationibus, vel mutationibus, seu etiam abbates, prioratus seu loca vacantia bonis mobilibus ibidem existentibus adeo denudare præsumant, quin sufficiens provisio prioribus & monachis ibidem morantibus usque ad tempus collectarum remaneat in prioratibus supradictis. Si qui vero contra statutum hujusmodi aliquid attentare præsumpserint: ad arbitrium illius episcopi, in cujus episcopatu deliquerunt, puniantur: diœcesano episcopo, in cujus diœcesi abbates vel priores ipsi consistunt, pœnæ hujusmodi impositionem ad illius requisitionem executioni mandante.

V. *Ne monachi extra abbatias vel prioratus depositum habeant.*

Item statuimus & ordinamus, quod omnes & singuli religiosi in propriis abbatiis deposita habeant: alibi pecunias, vel thesauros quos habent vel habebunt in futurum, sine licentia, consilio, & assensu abbatum suorum, nullatenus deponentes. Et si in alio aliquo loco aliqua habeant deposita, ad proprium monasterium infra duos menses inducant. Illorum vero qui statuti hujusmodi inventi fuerint transgressores, prædictæ pecuniæ & thesauri, ipsorum monasteriis applicentur.

VI.

ANNO CHRISTI 1268.

VI. *De vestimentis archidiaconorum & decanorum.*

Statuimus insuper, ut archidiaconi, archipresbyteri, & decani rurales, infra jurisdictionum suarum metas, & aliis publicis locis, deferant capas clausas: alioquin super hoc per episcopos corrigantur.

VII. *Vt episcopus in sua diœcesi absoluere excommunicatos possit, in casibus, in quibus præsens concilium excommunicat.*

In omnibus autem casibus, in quibus excommunicationis sententias in præsenti concilio duximus promulgandas, cuilibet episcopo in sua civitate & diœcesi absolvendi excommunicatos hujusmodi, post satisfactionem congruam in forma ecclesiæ, autoritate præsentis concilii damus liberam potestatem.

VIII. *Vt superiora concilia obseruentur.*

Concilia autem omnia & singula, tam per nos, quam prædecessores nostros hactenus celebrata, renovamus: & hujus autoritate concilii confirmamus.

Actum apud Castrum Gonterii die Lunæ post festum beatæ Mariæ Magdalenæ, anno Domini MCCLXVIII.

ANNO CHRISTI 1269.

*** CONCILIVM ANDEGAVENSE.

Ex editione Ioannis Maani, & ex codice MS.

Incipiunt statuta provincialis concilii facta Andegavis, die Martis post quindenam nativitatis B. Ioannis Baptistæ anno Domini MCCLXIX.

CANONES.

I. *De prohibentibus donationes & legata ecclesiis fieri a suis subditis.*

QVIA intelleximus, quod quidam domini temporales, & eorum allocati, inhibent seu inhiberi faciunt subditis suis pro suæ libito voluntatis, in grave præjudicium ecclesiæ & periculum animarum, ne iidem subditi de rebus, quas tenent ab iisdem, eleemosynæ, legati, aut donationis, vel alterius licitæ alienationis titulo, transferant aliquid in ecclesias vel alia pia loca: id præsentis autoritate concilii de cætero fieri prohibemus: statuentes, ut nisi per locorum ordinarios sufficienter moniti, attentata super hoc revocare, aut ab hujusmodi præsumptione cessare noluerint, ad revocandum & desistendum per ipsorum ordinarios censura ecclesiastica compellãtur.

II. *Vt personæ ecclesiasticæ non sint aduocati in curia sæculari.*

Item, quia juxta legitimas sanctiones turpe est clericis, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium: hujusmodi autoritate concilii prohibemus, ne clerici beneficiati, vel in sacris ordinibus constituti, in causis forensibus coram sæcularibus judicibus se venales exponant, aut patrocinium cuiquã publice præstare præsumant: ipsosque monemus præsentis autoritate concilii, ut ab hujusmodi præsumptione desistant: statuentes, ut si qui de cætero hujusmodi statuti fuerint transgressores, per locorum episcopos canonice compescantur: præcedentium conciliorum statutis in suo robore duraturis. In cujus rei testimonium, &c. Datum ut supra.

ANNO CHRISTI 1269.

*** CONCILIVM SENONENSE

Edidit Lud. Bail. ex codice censuali episcopatus Parisiensis.

Statuta in concilio Senonensi quod celebravit archiepiscopus Senonensis die sabbati ante festum SS. Simonis & Iudæ, anno Domini MCCLXIX.

TITVLI CAPITVLORVM.

1. *Contra clericos qui focarias tenent.*
2. *Ne ecclesiastici contractibus usurariis subscribant; & contra usuras.*
3. *Vt usurarii communione & sepultura careant.*
4. *Vt seruetur canon*, Omnis utriusque sexus.
5. *Ne clerici clericos trahant ad publica iudicia.*
6. *De abusibus priuilegiorum.*

CAPITVLA.

I. *Contra clericos qui focarias tenent.*

CVm legatorum sedis apostolicæ statuta edita in provincia eis commissa, perpetuo sunt servanda, & bonæ memoriæ quondam apostolicæ sedis Gallo legatus in Francia contra sacerdotes & clericos concubinarios statutum fecit in his verbis: Excommunicamus omnes sacerdotes & clericos quoscumque, qui post legitimam admonitionem, focarias, vel alias mulieres de quibus mala suspicio possit suboriri, in domibus propriis vel alibi, unde populus vel ecclesia scandalizetur, duxerunt retinendas, nisi sint clerici qui sunt in minoribus constituti ordinibus, quos legitime contraxisse probatur. Qui tamen cum vigore ecclesiastica beneficia retinere non debent: ac

V. supra ad ann. 1208.

ANNO CHRISTI 1269

ac ex hujusmodi salubri statuto rarus aut nullus fructus pervenit, quia forte statutum hujusmodi ad multorũ notitiam non pervenit, cũ multi sacerdotes & clerici in propriarum periculum animarum, plurimorũ scandalum, perniciosum exemplum, vituperium ministerii nostri, & ad dispendium ecclesiasticæ dignitatis, tenent focarias, vel alias mulieres suspectas, in domibus propriis vel alibi, unde populus vel ecclesia scandalizetur: præcipimus, & in virtute districtæ obedientiæ mandamus, ut omnes prælati, sive majores, sive minores, subditos suos sacerdotes & clericos tenentes in domibus suis vel alibi mulieres hujusmodi, si sint per hoc publice diffamati, autoritate statuti prædicti in synodis & capitulis, præsentibus .... moneant competenter, ut ab insolentiis hujusmodi perniciosis & detestabilibus resipiscant. Quod si competenter moniti non fecerint, autoritate statuti hujus, excommunicati publice denuncientur, ac exigente eorum rebellione, eorum beneficia saizientur. Caveant prælati quicumque, ne in faciendis his monitionibus sint tepidi vel remissi, si canonicam vltionem velint effugere ac infamiam: ne scrupulo societatis non careat, qui manifesto facinori, cum possit, desinit obviare.

II. *Ne ecclesiastici contractibus usurariis subscribant: & contra usuras.*

Quia subscripti sigilli appositio in multis juris articulis consensum & probationem inducit: prohibemus ne qua persona ecclesiastica litteras vel instrumenta super contractibus usurariis, vel de usura suspectis, sigillare vel sigillari præsumat. Ex hoc enim quidam laïci credentes vel confingentes contractus hujusmodi per ecclesiam approbari, peccant securius, nec verecundantur dare publice pecuniam suam ad usuram. Ex qualitate autoritatis, negotii, & personæ creditoris, contractus usurarios reputamus: videlicet si creditor consuevit fœnerare: prohibentes, ne quis in domibus, vel in locis, aut terris ecclesiarum, Lombardos vel alios advenas qui vulgariter ...... dicuntur, usurarios manifestos, recipere præsumat: cum receptores hujusmodi approbare videantur usuram, quam utriusque testamenti pagina detestatur. Qui contra fecerint, a superiori suo, monitione competenti præmissa, per censuram ecclesiasticam compescantur.

III. *Vt usurarii communione & sepultura careant.*

Item quia parum est esse jura, nisi sint qui ea regant & observent & faciant observari: constitutionem concilii contra usurarios editam, qua cavetur ne usurarii manifesti ad communionem admittantur altaris, nec Christianam, si in peccato decesserint, accipiant sepulturam, & quod oblationem ipsorum nullus recipiat, firmiter præcipimus observari. Qui contra fecerint, præter pœnam constitutionis ejusdem, sui superioris arbitrio puniantur. Si vero exempti sive privilegiati contra constitutionem eamdem fecerint: episcopi loci illius contra eos, quantum de jure poterit, procedere non omittant. Et si propter hoc ipse, vel alius ad quem pertinet, litem, seu molestiam, aut calumniam patiatur: expensis communibus quæ fient de conturbernatione cõmuni, per duos, videlicet unum de capitulo cathedralis ecclesiæ, & unum abbatem ejusdem diœcesis fide dignum, imponenda & exigenda super illos quos ad hoc deputaverint, defendetur. Durabit autem præsens statutum usque ad sequens concilium: & tunc melius videbitur quis fructus ex hoc poterit provenire, & de hoc computabitur in concilio subsequenti.

Later. III. c. 25.

IV. *Vt servetur canon*, omnis utriusque sexus.

Item statutum cõcilii generalis de viventibus arcendis ab ingressu ecclesiæ, & morientibus qui Christiana debent sepultura carere, nisi saltem semel in anno omnia peccata sua fideliter confessi fuerint proprio sacerdoti, & ad minus in Pascha susceperint reverenter Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ab ejus perceptione ad tempus abstinendum duxerint, observetur firmiter, & frequenter in ecclesiis publicetur. Caveant sacerdotes, ne ad communionem altaris aliquem admittant, nisi sibi vel alii idoneo de sua licentia omnia peccata sua sit confessus.

Later. IV. c. 21.

V. *Ne clerici clericos trahant ad publica iudicia.*

Quamvis hoc grave nimis & Divini plenum animadversione judicii, quod aliqui laici falcẽ in messem Domini sacrilegis ausibus ingerentes personas ecclesiasticas suis subjiciendo judiciis in periculum fidei, ecclesiasticam moliuntur subjicere libertatem: hoc tamen attentius zelum commovet ultionis, quod iidem laici, sui fermentum erroris dicuntur in clero aliquotiens invenire; dum clerici a clericis, in[a] eo quod est gravius, religiosi, non solum ...... sed interdum voluntarii, spretis ecclesiasticis tribunalibus, ad publica judicia educantur. Hinc volentes juxta sacrorum instituta canonũ nos salubriter contra morbum hujusmodi remedia invenire, ad instar felicis recordationis Innocentii papæ prædecessoris nostri statuendum duximus, ac etiam inhibendum, ut tam prælati, siue regulares sint sive & sæculares, quam alii clerici regni Franciæ, alii alios

Est fragmentũ epistolæ pontificis alicujus.

[a] Corr. & quod eo e. g.

ANNO CHRISTI 1269.

alios in contemptum publici beneficii, quod toti clericorum collegio ita inviolabiliter institutum est, ut eis privatis aliquorum pactis vel consensibus nequeat derogari, suo relicto judice ad publica trahere judicia non presumant. Alioquin præsumptores hujusmodi causam perdant, habendi a communione nihilo minus alieni: & tam episcopi, quam alii, in criminali negotio, si relicto ecclesiastico judicio publicis judiciis expurgare voluerint, suum locum amittat, etiamsi pro ipsis ecclesia profiteatur. In civili vero perdant quod si locum suum maluerint obtinere. Quocirca fraternitati vestræ ad instar prædecessoris ejusdem in virtute obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus & inhibitionem hujusmodi in vestris provincialibus conciliis & episcopalibus synodis per ....diœceses publicetis, & faciatis solemniter publicari, ubi & quando videbitis expedire. Si quos vero vobis lege diœcesis subjectos, seu & exemptos (contra quos, quantum ad hunc articulum pertinet, vobis, tanquam delegatis a nobis, committimus autoritate præsentium vices nostras) circa prædicta manifeste culpabiles invenietis: excommunicatos expresse denuncietis, & faciatis autoritate nostra usque ad satisfactionem condignam publice nunciari: quos absolvi absque speciali mandato sedis apostolicæ prohibemus, si secus actum fuerit irritū nunciantes. Ipsos nihilo minus alias animadversione castigando canonica si fuerit opportunum: contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstante si aliquibus eorum ab apostolica sede sit indultum, quod excommunicari aut interdici per apostolicas litteras, neque vel suspendi, quæ de indulto hujusmodi ejusque tenore de verbo ad verbum plene & expresse non fecerint mentionem, seu constitutione de duobus dictis edita in concilio generali.

Aliquid deest.

VI *De abusibus privilegiorum.*

Fragmentum epistolæ alicujus pontificis.

Licet regularis ordinis professores, illi præsertim quos majoris libertatis apostolica sedes privilegiis honoravit, attollere congruis favoribus, & ipsorum illibata omnino servare privilegia intēdamus: sic tamen suis juribus volumus manere contentos, quod ipsorum privilegiorum limites observantes, jura non occupent vel impediant aliorum. Sane intelligimus, quod Templarii, & alii religiosi privilegio exemptionis gaudentes, de regno Franciæ, hospites suos qui dati ordinum eorum seu oblati dicūtur vel qui aliquem censum, etiā modicum, eis solvūt, per se ac conservatores a sede apostolica deputatos, privilegiorum prætextu defendūt, ne, cum delinquunt, a suis ordinariis ecclesiasticis, sicut alii laici, pro furtis videlicet, adulteriis, & aliis criminibus, quorum ad ordinarios ipsos spectare noscitur correctio, puniantur. Capellas autem & oratoria sine cōconsensu & autoritate diœcesanorum construunt, necnon & interdicti & suspensionis sententias, quas ordinarii proferunt in loca & personas sibi subjecta, damnabiliter contemnentes, faciunt in locis eisdem, capellis, & oratoriis, Divina renitente justitia, celebrari: quanquam quod hæc ipsis liceāt, apostolicum privilegium aut indulgentiam non ostendant. Causas quoq; suorum hominum assumētes, illos quos propriis hominibus injuriari asserunt, super hujusmodi injuriis, licet sint iidem homines liberi, conveniunt, & in causam nomine suo trahunt. Iidem etiam exempti, & alii quamplures religiosi, pro cūctis" peccatis cunctas pœnas statuunt infligendas: ex quo interdum evenit ut dum tales pœnę delinquentibus infliguntur, eorum peccata quæ occulta fuerant, veniant in notitiam aliorum. Volentes itaque talium præsumptionibus, cōgruis, prout nostræ incumbit solicitudini, remediis obviare: apostolica autoritate, de consilio fratrum nostrorum statuimus, quod si hospites vel homines qui dati dicuntur vel oblati, vel qui præfatis exemptis aliquem solvunt censum, si non se omnino iisdem exemptis reddiderint, sicut in proprietatibus suis omnimodo duxerunt remanendum, propter hæc ab episcoporum suorum sententia nullatenus eximantur, sed potestatem in eos ipsi episcopi, sicut in alios suos parochianos, eximant", cum pro suis excessibus fuerint corrigendi: nec ob hoc, exēptorum ipsorum conservatores quicquam contra episcopos valeant attentare. Oratoria vero vel capellas in locis non exemptis, sine diœcesanorum locorum licentia, iidem exempti construere non præsumant: nec in sic constructis, neque in locis non exemptis, cum ab ordinariis fuerint interdicta, celebrent vel faciant celebrari Divina. Quod si talia præsumpserint, per locorum ipsorum ordinarios compescantur: & si quas propter hoc exemptorum ipsorū conservatores sententias in contrarium protulerint, illas penitus revocamus. Prohibemus autem, ne in locis exemptis hæc ipsi exēpti facere audeant, nisi super his licentiam sedis apostolicæ habeāt, vel ipsius privilegium speciale. Causas quoq; sive lites proprias suorum liberorum hominum, quæ videlicet ad ipsos tātum homines" iidem exempti suo nomine sive ut actores, sive ut defensores, veluti suas aliquatenus nō assumant, etiamsi sint ipsi dicti homines censuales: cum id nequaquam licitum sit iisdem. Pro peccato vero incognito & occulto cuncta" pœna nullatenus statuatur: ex quo, si per eum satisfiat, quodammodo peccatū ipsum percipi valeat vel adduci.

" f. certis pec. certas pœnas

" f. exerceant

" deest spectant,

" certa

CONCI-

ANNO CHRISTI 1270.

** CONCILIUM RAVENNENSE,

Adversus Cæsenatis episcopatus invasores, Philippo archiepiscopo præside, anno Dom. MCCLXX. IV. Kal. Mai.

ANno MCCLXX. (*inquit Hieronym. Rubeus, Ravenn. historiæ lib. VI.*) Ravennæ provinciale concilium habitum est; dieque D. Vitalis festo, cum in sacrarium ædis D. Vitalis convenissent, Michael Comacliensis, Gratia Sassinas, Henuerardus Cæsenas, Rodulphus Forolivianus, Ravaldinus Foropompilianus, Sinibaldus Forocornelianus, episcopi, & Drudo Ravennatis ecclesiæ præpositus, Philippique archiepiscopi vicarius; inspectantibus atque assentientibus, Aldevrandino archidiacono, sacerdotumque choro; cum Ravennates etiam ad celebrandam Divi tutelaris memoriam frequentes concurrissent: ut consuleretur ecclesiarum damnis, diris devoverunt omnes, qui contra Henuerardum episcopum Cæsenatem, ejusque episcopatum, armati inermesve movissent, cum illisque consilia, aut copias conjunxissent: neque possent absolvi, nisi satisfecissent. Quod si qua respublica idem tentasset, illi jam sacris esset interdictum. Adscribuntur huic decreto testes, Placidus D. Vitalis, Beneventus D. Laurentii, Iacobinus D. Mariæ in monte Cæsenati, abbates, atque item alii. Statim etiam episcopi sibi invicem, alter alteri partes quisque suas detulerunt, polliciti, quam execrationis sententiam in bonorum ecclesiæ suæ raptores ex eis unus tulisset, reliquos ratam habituros, divulgaturosque ac servaturos.

ANNO CHRISTI 1270.

** CONCILIUM COMPENDIENSE.

Ex R. P. Iac. Sirmondi MS. nunc primum editum.

Concilium provinciale ecclesiæ Remensis celebratum Compendii a R. patre D. Ioanne de Courtenay archiepiscopo Remensi, anno MCCLXX.

VNiversis præsentes litteras inspecturis, Ioannes de Courtenay permissione Divina Remensis archiepiscopus; Milo de Bazochiis Suessionensis, Garo de Campania Laudunensis, VVarmundus de Boisseria Noviomensis, Rainaldus de Nantolio Belvacensis, Bernardus Ambianensis, I*. Tornacensis, & Robertus Silvanectensis, eadem permissione episcopi, Remensis ecclesiæ suffraganei: in concilio celebrato apud Compendium, cum procuratoribus aliorum suffraganeorum ejusdem provinciæ absentium, & cathedralium ecclesiarum, congregati, salutem in Domino. Noveritis nos anno Domini MCCLXX. die Lunæ ante Ascensionem Domini statuisse & ordinasse ea quæ sequuntur in concilio supradicto.

* Ioannes

STATUTA CONCILII.

Aduersus eos qui bona ecclesiastica capiunt, vel saisiunt.

NOnnunquam ballivi, præpositi, & cæteri laici temporalem jurisdictionem habentes, homines, animalia & alia bona prælatorum & ecclesiarum, & hominum eorundem, per se, vel ministeriales suos, pro suæ voluntatis arbitrio nequiter A capiunt vel saisiunt: nec capta vel saisita volunt restituere requisiti, sed damna injuriis cumulando, gravant & lædunt enormiter ecclesias, non restituendo nec reddendo, donec sibi, cum maxima prælatorum & ecclesiarum jactura, & aliqua pecuniæ summa, expensarum prætextu, fuerit satisfactum; per tale concussionis dispendium iniquum perversi lucri compendium prosequentes; dum homines captos & animalia sic adducta non reddunt, donec ipsis pro eorum pastu interdum plurimum refundatur.

B Præterea ut res ecclesiarum ab eis injuriose saisitæ & captæ, ad dominos aut damnosæ aut inutiles reddantur: eas in captione vel saisina sic affligere, sic afficere, sic onerare superflue sumptibus occasione custodiæ, vel aliter pro eorum libito faciendo, sic suis & aliorum abusibus dissipari & deteriorari procurant; ut in restitutione non reddi, sed redimi videantur.

Plerumque contingit, quod domini sæculares, ballivi, præpositi, & alii justitiarii, seu ministeriales eorum; res, homines, vel animalia prælatorum & ecclesiarum, seu subjectorum eisdem, saisiunt, capiunt, & C arrestant, & detinent, seu capi, saisiri, arrestari, & detineri faciunt pro suæ libito voluntatis, ad jurisdictionis ecclesiasticæ præjudicium & gravamen. Et hæc ipsi interdum faciunt, vel fieri procurant a talibus, & per tales, qui non reperiatur in diœcesi,* in quibus hæc faciunt vel fieri mandant, seu in quibus autoritate ipsorum talia perpetrantur. Propter quod diœcesani episcopi in quorum territorio res & bona prædicta, saisita & arrestata sunt & detenta, in prædictos dominos sæculares, ballivos, præpositos, justitiarios, seu ministeriales ipsorum, D extra territorium suum, & jurisdictionem, censuram ecclesiasticam non exercent.

* Corr diœcesibus,

Vt igitur ecclesiasticis indemnitatibus consulatur, & malignantium perversitatibus obvietur: ordinamus atque statuimus, quod tales invasores, raptores, & captores rerum seu bonorum ecclesiasticorum, dummodo excessus sint notorii & manifesti, vel de his aliter legitime constet, canonica monitione præmissa, nisi plane & libere restituerint, & debite satisfecerint, per ordinarium diœcesanum anathematis gladio fe- E riantur; & non * sibi dicti raptores seu invasores celeri restitutione provideant, in eos sententia districtius aggravetur; in participantes & consentientes, auxilium & consilium præbentes, excommunicationis sententiam promulgando, ac etiam a Divinis cessando, ubi res & bona detinebuntur ecclesiæ, vel ubi dicti malefici residentes fuerint vel præsentes, ulterius ad interdicti generalis ponendi sententias procedendo, si secun-

* Corr. nisi

ANNO CHRISTI 1269. si secundum arbitrium episcopi contumacium pertinacitas hoc exegerit, vel enormitas facinoris perpetrati: & unius episcopi latas super his sententias cæteri requisiti ab eo publicare teneantur, & facere in suis diœcesibus, quantum ad jurisdictionem suam pertinet, observari (si quidem, ut dictum est, ipsos maleficos in alterius diœcesi commorantes, in alterius diœcesi prænominatos excessus constet notorie perpetrasse) vel alias legitime, cum ratione delicti, forum ejus in cujus deliquerint diœcesi sortiantur. Statuimus ordinantes, quod taliter notorie delinquentes moneri & citari *, ubicumque valeant inveniri. Contra illos autem, quos non notorie sed legitime constiterit deliquisse, non autoritate concilii, sed ordinaria procedatur.

* add. debeant

Et si monitus vel citatus, contumax fuerit, aut parere vel emendare noluerit: ab ipso episcopo, in cujus deliquit diœcesi, volumus quod possit in ipsum seu eos exerceri. Ita quod si idem episcopus in ipsos malefactores notorios animadvertens, alium ordinarium suffraganeum Remensis metropolis requisierit, vel processum suum ei insinuare curaverit: requisitus episcopus sententias publicet, & legitime aggravet secundum quod expedientius fieri poterit; ac sic alter alterius onera portet, & mutuum consilium & auxilium sibi præbendo, ab oppressionibus & injuriis hujusmodi, ecclesias unanimi præsidio tueantur.

Salvis nihilo minus iis quæ super prædictis & aliis articulis per sedem apostolicam, ac per venerabiles patres ecclesiæ Gallicanæ, ac in aliis conciliis provincialibus Remensis provinciæ, ordinata sunt & statuta: quæ præcipimus & statuimus observari, & a suffraganeis, si eis videatur expediens, in eorum synodis publicari. In cujus rei testimonium & munimen sigilla nostra præsentibus duximus apponenda. Datum & actum anno & die supradictis.

ANNO CHRISTI 1270.

** CONCILIVM AVENIONENSE

Ann. MCCLXX. Id. Iul.

Nunc primum prodit ex MS. Eminentiss. Card. Chisii.

Concilium I. per dominum B.* Maleferrati, quondam archiepiscopum Arelatensem, celebratum.

* Bertrandum

TITVLI CAPITVLORVM.

1. Vt alienationes bonorum ecclesiasticorum revocentur.
2. Vt pecunia legata, ad arbitrium executorum dividatur in causas pias.
3. Vt archiepiscopus & suffraganei se invicem juvent in sententiis servandis & publicandis.
4. Vt qui habent personatus, & beneficia curata, presbyteri fiant intra annum.
5. Vt expensæ factæ in legatos apostolicos, solvantur de contributione ecclesiarum.
6. Vt personatibus assignentur certi redditus.
7. Vt religiosi & clerici non quærant defensionem sæcularem contra episcopos.
8. De clerico qui episcopum, præpositum, &c. graviter læserit.

ANNO CHRISTI 1270.

PRÆFATIO.

ANNO Domini MCCLXX. Idibus Iulii, venerabiles patres domini B[1]. Dei gratia archiepiscopus Arelatensis. R. Cavallicensis. G. Carpentoratensis. Zoen Avenionensis. N. Vasionensis. P. Auriacensis. I. Tricastinus, episcopi Arelatensis ecclesiæ suffraganei, atque multi alii prælati ejusdem provinciæ, apud Avenionem in provinciali concilio congregati, hæc subscripta capitula in eodem concilio promulgata servari per totam eamdem provinciam mandaverunt: licet eadem non sint statuta, sed in forma pronunciata fuerint statutorum.

1 Bertrandus

CAPITVLA.

I. *Vt alienationes bonorum ecclesiasticorum revocentur.*

ALienationes factas de possessionibus ecclesiarum sine diœcesanorum consensu, rectores seu priores earumdem ecclesiarum, sive sint alienatores, seu eorum successores, studeant celeriter revocare, quatenus processerint de facto: alioquin per diœcesanos locorum, tam dicti rectores seu priores, quam abbates, seu alii ad quos spectant illæ ecclesiæ, ad id monitione præmissa, per censuras ecclesiasticas compellantur.

II. *Vt pecunia legata, ad arbitrium executorum dividatur in causas pias.*

Cum autem testator legat certam pecuniæ quantitatem vel res alias pro forestis suis distribuendis arbitrio gadiatorum seu executorum testamenti sui, nec extant certæ personæ, quibus, seu inter quas, pecunia seu res sic legata distribuantur: statuimus quod pecunia seu res prædictæ, per ipsos executores, de consilio tamen & assensu prælatorum, ne fraus aliqua per ipsos gadiatores valeat procurari, in pias causas dividantur. Et nisi testator tempus præfixerit ad hujusmodi persolvenda, dicti executores, per diœcesanos locorum, ea infra annum solvere per censuras ecclesiasticas compellantur.

III. *Vt archiepiscopus & suffraganei se invicem juvent in sententiis servandis & publicandis.*

Item statuimus, quod dictus archiepiscopus & ejus suffraganei, mutuum sibi ad invicem auxilium in sententiis servandis & publicandis præstent, cum per illum, qui ipsas sententias tulit, fuerint requisiti.

IV.

ANNO CHRISTI 1270.

IV. *Ut qui habent personatus, & beneficia curata, presbyteri fiant intra annum.*

Item statuimus, quod illi qui habent personatus etiam sine cura, seu beneficia curam animarum habentia, compellantur per diœcesanos per subtractionem beneficiorum infra annum in presbyteros promoveri, nisi rationalem causam ostenderent, quare infra annum non possent, vel deberent: vel nisi sint archidiaconi, quibus sufficit quod sint diaconi, & quod in diaconatu ministrent.

V. *Ut expensæ factæ in legatos apostolicos, solvantur de contributione ecclesiarum.*

Item statuimus, quod si episcopus, vel aliquis rector alicujus ecclesiæ, de diœcesi expensas necessarias fecerit in legatis & nunciis sedis Apostolicæ, expensæ illæ solvantur de communi contributione ecclesiarum totius diœcesis: & istæ expensæ semel in anno in una synodo colligantur.

VI. *Ut personatibus assignentur certi redditus.*

Item statuimus, quod episcopi & capitula assignent & deputent clericis in personatibus seu dignitatibus suæ ecclesiæ constitutis, qui carent redditibus, certos redditus juxta facultates suas, & qualitatem dignitatis, sine magno præjudicio aliorum: quod videtur posse fieri, ibi præsertim ubi communia bona habentur.

VII. *Ut religiosi & clerici non quærant defensionem sæcularem contra episcopos.*

Item statuimus, quod si religiosi vel clerici sæculares se in quidagio seu defensione sæculari posuerint contra episcopos & prælatos suos, nisi canonica admonitione præmissa, illi quidagio seu defensioni penitus renunciaverint, per diœcesanum excommunicentur: alias per subtractionem beneficii, si quod habent, si hæc contempserint, puniantur.

VIII. *De clerico qui episcopum, præpositum, &c. graviter læserit.*

Item statuimus, quod si quis clericus episcopum, præpositum, seu alium in personatu, dignitate, seu canonia alicujus ecclesiæ constitutum, factis vel verbis graviter dehonestaverit: non admittatur ulterius ad aliquod beneficium illius ecclesiæ, nisi passo injuriam satisfecerit de injuria seu offensa.

ANNO CHRISTI 1271.

** CONCIL. APUD S. QUINTINUM,

Ab episcopis Remensis provinciæ vacante sede Remensi celebratum, anno MCCLXXI.

Concilii hujus quidquid superest, suppeditat Cl. Hemeraus in augusta Veromanduorum illustrata, cujus hæc verba sunt. Eodē (anno MCCLXXI.) Milo Suessionensis antistes, vacante sede Remensi, concilium provinciale, pro usu jamdiu in eadem metropoli recepto, indixerat Sanquintini. Celebrationem tamen ejus canonici Remenses interturbarunt: vetantes inconsultis iis, nec largitis habendæ synodi facultatem, quemquam interesse suffraganeorum. Prohibitio publicata, Milonis institutum aliquandiu retardavit. Sed illo tandem composito dissidio, habitum illud est in eadem urbe apud Dominicanos: qui locus consuetus ejusmodi synodorum: Eoque cum alia præclara, tum in primis de sacrarum personarum & ecclesiarum privilegiis, &c. constituta quæ sequuntur.

I. *Ut prælati mutua non contrahant.*

Indemnitatibus ecclesiarum, prout ad nostrum spectat officium, providere volentes: statuimus, ut abbates, & alii inferiores prælati ecclesiarum, per litteras suas mutua non contrahant, nisi pro suis & ecclesiæ suæ negotiis procurandis. Qui vero contra hoc fecerint, ipso facto noverint se suspensos.

II. *De eo qui aliquem ab ecclesia abstraxerit.*

De violatoribus ecclesiarum statuimus, ut. ut si quis ab ecclesia aliquem abstraxerit, ab ingressu ecclesiæ per annum noverit se suspensum.

III. *De eo qui aliquem in ecclesia interfecerit.*

Si quis in ecclesia aliquem interfecerit, quandiu vixerit, ipso facto, ingressu ecclesiæ sit privatus, nisi cum ipso per provinciale concilium fuerit dispensatum: salvis aliis pœnis, quæ contra tales in canonicis constitutionibus continentur.

IV. *Ut prioratus debito monachorum numero non defraudentur.*

Si cultum domus Domini creatione novorum ministrorum amplificaverunt reges veteris testamenti: nos novi testamenti pontifices, sustinere non debemus in ecclesia Dei diminui numerum servitorum. Sane pro certo didicimus quod quidam abbates, prioratuum suorum adeo exhauriunt facultates, quod iidem prioratus debito monachorum numero defraudantur. Cum ergo hæc non debeamus sub dissimulatione pertransire: statuimus, ut visitationis officium exercentes inquirant inter alia, quotus debet esse numerus servitorum: & si diminutus fuerit, abbati denuncient, ut infra mensem

ANNO CHRISTI 1271.

suppleat numerum diminutum, secundum quod possunt facultates eorum sufficere. Si vero facere noluerint, per saisitionem bonorum, vel alio modo, secundum quod prælati expedire viderint, compellantur. Præcipimus autem ut hoc statutum sine acceptione personarum observetur.

Hemeræus idem pag. 278. iterum describit postremum illum canonem ex codice Suessionensi, in quo conciliorum Remensis provinciæ canones. Tum subjungit: Item ex eodem concilio.

V. *Ut sæculares magistratus non cogant clericos ad debita Iudæis persoluenda.*

Sacras constitutiones legentibus satis liquet, quod nullam habeant de rebus ecclesiasticis disponendi laïci aliquo modo potestatem. Verum nobis multorum quæstio patefecit, quod in tantum quorumdam principum sæcularium processit temeritas, ut si Iudæi conquerantur de aliqua ecclesiastica persona, quod eis sit debitis obligata, statim irrequisito loci prælato, non convictos nec confessos, per captionem bonorum eorundem nituntur compellere ad ea debita persolvenda. Cum igitur istud manifeste sit contra omnia jura tam canonica quam civilia, & etiam a ratione discordet, ut injuria *Crucifixi, melioris conditionis sint quam Christiani: præcipimus, ut prælati, quando in eorum jurisdictione tale quid acciderit, in delinquentes hujusmodi pœnam canonicam vigilanter exercere non relaxent, donec non solum de damnis, sed de injuria, satisfecerint competenter.

* fut inimici cruc.

ANNO CHRISTI 1271.

ELECTIO THEALDI ARCHIdiaconi Leodiensis in summum pontificem Gregorium X. Kal. Septembr. ann. MCCLXXI.

G. COSSARTII ADMONITIO.

Annos jam duos, menses novem, dies duos, sedes Romana vacaverat: habiti a cardinalibus fuerant multi de creando pontifice conventus: sed propter factiones, quibus scissum erat sacrum collegium, eventu nullo. Tandem anno MCCLXXI Kal. Septembris, compromisso facto, sex cardinalibus potestas facta pontificis eligendi. Acta ipsa primus edidit Luc. VVaddinghus Franciscanus, annalium ordinis sui autor eruditus æque ac diligens; ac deinde Odoric. Raynaldus Baronii dignissimus continuator. Descripserunt autem illa ex Vaticano codice MS. formularium Marini Ebulensis, autoris coævi, Galli hominis, qui ex thesaurario Saresberiensi in Anglia, & ecclesiæ Romanæ vicecancellario, factus est demum a Clemente IV archiepiscopus Capuanus. Opus ejus, ex quo hæc acta descripta sunt, continet formulas litterarum & instrumentorum cancellariæ apostolicæ.

I.

Compromissum, quo sex cardinalibus potestas datur pontificis eligendi.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

ANno Incarnationis Dominicæ MCCLXXI. mense Septembris, die prima mensis ejusdem, nos miseratione Divina Odo Tusculanus episcopus, Simon tituli S. Martini, Ancherius tit. S. Praxedis, Guillelmus tit. S. Marci, Guido tit. S. Laurentii in Lucina, Simon tit. S. Cæciliæ, Ambaldus basilicæ duodecim apostolorum, presbyteri; Richardus S. Angeli, Octavianus S. Mariæ in via lata, Ioannes S. Nicolai in carcere Tulliano, Ochobonus S. Hadriani, Iacobus S. Mariæ in Cosmedin, Gottifridus S. Georgii ad velum aureum, Vbertus S. Eustachii, & Matthæus S. Mariæ in porticu, diaconi, cardinales: Apostolica sede per obitum fel. rec. domini Clementis papæ IV. vacante, in communi consistorio, solito more convenimus, de electione summi pontificis tractaturi. Cumque omnes & singuli consentiremus per viam procedere compromissi, nos prædicti O. Tusculanus episcopus, A. tit. S. Praxedis, G. tit. S. Marci, S. tit. sanctæ Cæciliæ, A. basilicæ duodecim Apostolorum, presbyteri; O. S. Adriani, G. S. Georgii ad velum aureum, V. sancti Eustachii, & M. sanctæ Mariæ in porticu, diaconi, cardinales; venerabili patre domino Ioanne Portuensi episcopo tunc absente a dicto consistorio, & infra paschale" palatium in sua camera constituto, requisito & expresse consentiente: in venerabiles patres præfatos dominos S. tit. S. Martini, G. tit. S. Laurentii in Lucina, presbyteros, R. sancti Angeli, Octavianū S. Mariæ in via lata, Ioannem S. Nicolai in carcere Tull. & Iac. S. Mariæ in Cosmedin diaconos, cardinales, consensimus, & eos compromissarios eligentes, ipsis volentibus & expresse consentientibus, ac compromissum hujusmodi & formam acceptantibus infra scriptam, contulimus concordi voto, & unanimi consensu omnes & singuli potestatem providendi sacrosanctæ Romanæ & universali ecclesiæ de pastore in forma subscripta. Videlicet quod quinque ex eisdem sex compromissariis de sexto ex ipsis sex, vel omnes ipsi sex de aliquo alio de collegio dictorum cardinalium, seu etiam extra ipsum collegium, in pontificem & pastorem ipsius ecclesiæ concorditer providerent: ad hæc facienda ipsis præfata prima die Septembris & sequenti concessis. Dicti vero compromissarii singuli singulariter, & omnes communiter consentientes, ut præmittitur, hujusmodi compromisso, ipsum & potestatem in præscripta forma concessam eisdem benigne ac humiliter susceperunt. Actum Viterbii in dicto consistorio, anno, mense, & die prædictis. Ego O. Tusculanus episc. in prædictos compromissarios consensi, eos elegi, & ipsis pro me potestatem contuli providendi sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ & universali de pastore in forma præscripta. Et sic scribant singuli qui compromiserunt. Ut autem huic compromisso fides plenior habeatur, ipsum sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri.

" Corr. pal. pale

II.

Instrumentum electionis factæ per compromissarios.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

ANno Incarnationis Dominicæ MCCLXXI. mense Septembris, die prima mensis ejusdem, nos miseratione Divina S. tit. S. Martini, Guido, tit. S. Laurentii in Lucina, presbyteri; Richardus S. Angeli, Octavianus S. Mariæ in via lata, Ioannes S. Nicolai in carcere Tulliano, & Iacobus S. Mariæ in Cosmedin, diaconi, cardinales, cōpromissarii electi a reverendo collegio dominorum cardinalium, data nobis potestate providendi sacrosanctæ ac universali ecclesiæ vacanti per obitum fel. rec. domini Clementis papæ IV. de pastore, in forma subscripta in compromissum ipsum

ipsum consensimus; & illud ac potestatem nobis concessam recepimus reverenter. Forma vero dictorum compromissi ac potestatis nobis concessæ hæc est: In nomine sanctæ & individuæ, &c. *ut supra.* Nos itaque præfati compromissarii, hujusmodi compromisso & potestate susceptis, habito in conclavi diligenti, prout negotii exigebat arduitas, & perpenso tractatu; ac consideratis circumstantiis universis, quæ necessitate ipsius ecclesiæ, ac totius orbis inspecta, nos secundum Deum movere poterant & debebant: ad honorem domini nostri Iesu Christi, & gloriosissimæ Virginis Mariæ matris suæ, beatorum apostolorum Petri & Pauli, omnium sanctorum, ac ipsius sacrosanctæ Rom. ecclesiæ, dicta prima die Septembris, ex collata nobis potestate juxta formam nobis traditam procedentes, convenimus, & concorditer consensimus, vice nostra & ejusdem collegii, in venerabilem patrem nostrum dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodiensem seu in ecclesia Leodiensi, ipsum in Romanum pontificem nominantes ac assumentes: & præfato domino Simoni nos reliqui quinque compromissarii dedimus potestatem, ut eundem dominum Thealdum vice sua & nostra, nec non & totius præfati collegii, eligeret in ipsius Romanæ ac universalis ecclesiæ pontificem & pastorem. Et nos præfatus Simon ipsum e vestigio elegimus per hæc verba: Ego Simon tit. S. Martini presbyter cardinalis, ad honorem domini nostri Iesu Christi, beatissimæ matris ejus, & sanctorum apostolorum Petri & Pauli, & omnium sanctorum, nec non & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ memoratæ, eligo venerabilem patrem dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodiensem seu in ecclesia Leodiensi, in Romanum pontificem & pastorem. Actum Viterbii in dicto consistorio, anno, mense, & die prædictis.

Ego Simon tit. S. Martini presb. cardinalis, in venerab. patrem dictum dominum Thealdum conveni, consensi, ac ipsum in Rom. pontificem nominavi, & assumpsi ac eligi mandavi in forma præscripta.

In eundem modum alii compromissarii.

Ut autem huic processui fides plenior habeatur, ipsum sigillorum nostrorum munimine fecimus communiri.

III.

Assensus cæterorum cardinalium, electionem ratam habentium.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen.

ANno Incarnationis Dominicæ MCCLXXI. &c. *Repetitur hic compromissum, superius jam editum, usque ad hæc verba*: benigne & humiliter susceperunt *Deinde.* Porro nos præfati compromissarii, hujusmodi compromisso & potestate susceptis, habito in conclavi diligenti, prout negotii, &c. *ut in instrumento proxime edito electionis per compromissarios factæ usque ad hæc verba*: eligo venerabilem patrem dominum Thealdum Placentinum, archidiaconum Leodiensem seu in ecclesia Leodiensi, in Romanum pontificem & pastorem. *Sequitur*:

Sane iis peractis, incontinenti omnibus cardinalibus vocatis, & convenientibus in consistorio memorato, nos prædicti compromissarii consensus nostros & electionem prædictam publicavimus, & publicando ipsos consensum & electionem iteravimus in communi. Nos autem prædicti omnes & singuli episcopi & presbyteri & diaconi cardinales, in eodem consistorio congregati, processum & electionem hujusmodi ratificantes, acceptantes, & etiam in ipsum venerabilem patrem dictum dominum T. consentientes expresse, ipsum licet absentem recepimus & recipimus in Romanum pontificem & pastorem. Cæterum venerabilem patrem dominum H. Ostiensem episcopum, post hæc ad idem consistorium convocantes, communicavimus ei omnia supra dicta: qui ea omnia & singula gratanter acceptans, memoratum dominum Thealdum in Romanum pontificem & pastorem humiliter & devote recepit.

IV.

Cardinalium epistola ad Thealdum electum Romanum pontificem.

Sanctissimo patri & domino reverendo, domino Thealdo archidiacono in ecclesia Leodiensi, Divina providentia, in Romanum & summum electo pontificem; miseratione Divina episcopi, presbyteri, & diaconi, sacrosanctæ Rom. ecclesiæ cardinales, pedum oscula beatorum.

SEmpiterno splendens lumine, ac ineffabili præditus majestate Patris æterni Filius, dominus Iesus Christus, qui cuncta disponit virtute mirabili, prout suæ placet sanctissimæ majestati, circa sanctam Romanam & universalem ecclesiam ita suæ continuat benignitatis affectum, & roborat protectionis auxilium: quod nullo unquam turbine vexationis evertitur, nec propter alicujus persecutionis vel adversitatis instantiam naufragatur; quin immo gloriosa incrementa suscipit, & tanquam stella matutina per mundi climata refulgescit, prout multis liquet indiciis, & patet clarissimis argumentis. Nam licet jam dicta ecclesia post habitum a superno rege de morte triumphum, & ipsius regressum ad gloriam cælestis patriæ, sui fulgore luminis perenniter illustratæ, fuerit pro diversitate temporum, personarum illarum destituta præsidiis, quas ad ejus regimen celsitudo providerat omnium conditoris: ipsa tamen ecclesia per successivam substitutionem Romanorum pontificum, favente supernæ virtutis auxilio, felicis habuit perseverantiæ firmamentum. Et quidem diebus istis circa dictam ecclesiam hoc ipsum virtuti altissimi dignanter placuit operari: quia piæ recordationis domino Clemente papa IV. dudum de hac luce finibili ad infinibilem evocato (sicut de Redemptoris nostri confidimus pietate,) ac ipsius corpore tumulato; nos, Missarum solennis, sicut moris est, ad honorem sancti Spiritus devotissime celebratis, in unum convenimus ad habendum de summi pontificis substitutione tractatum. Quo frequenter habito, & circa tanti profunditatem negotii, cui simile in humanis actibus non cernitur inveniri, diffusi temporis spatio interjecto, ac desideriis eligentium, permittente Domino, in diversa divisis: tandem, Divina propitiante clementia, vota nostra in venerabilem personam vestram unanimiter & concorditer dirigentes, vos per compromissi viam elegimus in Romanum summum pontificem, consueto laudis Divinæ cantico, fidelium astante multitudine, decantato; ducti credulitate firmissima, quod cum in vobis ab annis teneris laudabilis conversationis & vitæ refulserint ornamenta, & odor famæ vestræ gratissimus hinc inde per loca plurima sit diffusus; ille benedictus in sæcula qui vos dignanter in suum assumpsit vicarium, & in Christiani populi patrem & dominum gratiosum, de vestris sanctis dabit provenire meritis, quod in statum prosperum & jucundum resurgat ecclesia generalis: etiam quod fidei catholicæ gloria ubique votiva suscipiet incrementa; necnon quod terræ sanctæ negotium

ANNO CHRISTI 1271.

tium, facilem & felicem sortietur effectum; maxime, cum sit verisimile, quod Redemptoris nostri benignitas vos ad terram ipsam voluit illa de causa personaliter pervenire, ut oculata fide visis ejus angustiis, & tribulationibus intellectis, de illo sibi procuretis provideri subsidio, ex quo proveniat acquisitionis perfectæ gaudium, a longis retroactis temporibus laudabiliter expectatum. Quid ad ista, vir virtutis eximiæ? vir in oculis Dei & hominum gloriose?

Venerabiles, ac providos, & discretos viros . . . . latores præsentium, nostros quidem speciales nuncios, cum decreto electionis canonicæ de vobis concorditer celebratæ ad præsentiam vestram duximus destinandos: supplici precum petentes instantia, & per Dei misericordiam obsecrantes, quatenus in virtute illius, qui super pennas ventorum ambulat, & in momento cuncta perficit, prout suæ sanctissimæ voluntatis existit, cessantibus quibuscunq; diffugiis, vos accingatis ad iter adeundi sedem apostolicam, sub anxietate multa spiritus constitutam, quousque de clementissima virtute Altissimi sibi proveniat vestram desiderabilem faciem intueri; qua visa stillabunt cæli dulcedinem, & colles fluent lactis & mellis incessabilem ubertatem. Quin immo ad pedum vestrorum oscula non solum concurret multitudo fidelium numerosa, sed ante vos etiam curvabitur altitudo principum, & personarum sublimitas inclytarum. Nec mirum, quia sicut pie confidimus, & devote speramus, vobis habentibus Deum solum præ oculis, & amplectentibus jugiter vitæ studium innocentis; vitiorum in malevolis extirpatione præmissa, & plantatione virtutum in benevolis subsecuta; benignitas vestra lætificabit Dei populum in exhibitione justitiæ, ac etiam in condignis gratiis opportuno tempore liberaliter conferendis: miseranda multitudine pauperum ob illam causam habitura de vobis affluentiam gaudiorum, quia ipsorum nomen erit coram vobis amabile, ac eorum animas consolari in vestris existet affectibus speciale. Vobis autem, pater orphanorum & judex clementissime viduarum, sufficiat istam brevem audivisse particulam de profectibus innumeris, qui proventuri sunt universitati fidelium per vestræ ministerium sanctitatis, illius favente clementia, qui mannæ cælestis edulio suum satiavit miraculose populum; & de quinque panibus, ac duobus piscibus, quinque millia personarum, duodecim cophinis in augmentum suæ gloriæ superantibus de fragmentis. Istis etenim nostræ devotionis eloquiis cum affectu paterno clementer auditis, virtute Paracliti festinate nos vestros videre fratres & filios, & consolari corda gementium, quibus in visione vestri vultus angelici quasi dabitur vidisse delicias paradisi. Reliqua super iis votiva nobis & Christiano populo infundat præcordiis Spiritus ille paraclitus, qui discipulorum corda languentium fuit plenissime consolatus.

G. COSSARTII NOTA.

Ex his actis falsi convincuntur, & Meyerus, qui Gregorii electionem ab ejusdem consecratione minime distinguens, eam ad annum consequentem differt: & Binius, apud quem in Gregorii vita mox leges eum decimo septimo Septembris electum esse; & chronica Franciscana, in quibus legitur compromisisse cardinales omnes in S Bonaventuram, eique potestatem fecisse sui ipsius renunciandi, at illum, singulari exemplo, dignitatem summam alteri contulisse: & S. Antoninus, qui Placentinum episcopum prius fuisse asserit: & Ricordanus ac Ioannes Villanus qui cardinalem, & in Syria sedis apostolicæ legatum fuisse narrant: & Nangius, aliique, qui Theobaldum nuncupant: & Longinus Polonicæ historiæ scriptor, qui Simbaldum appellat: & Gesnerus, qui in bibliotheca sua Laudensem archidiaconum vocat.

A

VITA GREGORII PAPÆ X.

ANNO CHRISTI 1271.

Gregorius decimus, Theobaldi nomine antea vocatus, e vicecomitibus Placentiæ & archidiacono Leodiensi, vitæ sanctissimæ homo, cum in Asia contra infideles cum exercitu Christianorum pugnaret, post interregnum duorum annorum novemque mensium, Viterbiensium & sancti Bonaventuræ hortatu, ab omnibus prope cardinalibus electus est Viterbii [a] decimoseptimo Septembris anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo primo, tempore [b] Rudolphi primi imperatoris. Rogatu Caroli regis maritimo itinere in Apuliam profectus, regisque comitatu Caperanam [c] usque stipatus, terrestri itinere Viterbium concessit: inde cum cardinalibus Romam
B devenit, ubi vigesimoseptimo Martii coronatus & consecratus est. Rebus ecclesiæ pacatis, in præsentia Gallorum regis, inter Venetos & Genuenses quinque annos induciarum pepigit. Exinde Lugduni congregavit concilium, in quo, Palæologo Græcorum imperatore per legatos præsente, Græca & Latina ecclesiæ decimatertia vice unitæ fuerunt. Florentiam interdicto punivit, quod Gibellinos eo per se remissos ejecissent. Absoluto concilio in Italiam regrediens, obviam factus est regi Castellæ. Quo graviter conquerente quod in electione imperatoris, Rudolpho fuisset posthabitus, auditis tamen pontificis optimis rationibus pacatum reddidit. Aretium delatus, cum propter interdictam Florentiam declinare studeret, in mor-
C bum incidit, & post quatuor annos, totidemque menses, & decem dies, ab electionis tempore elapsos, mortuus est Aretii in Tuscia quarto Idus Ianuarii, anno millesimo ducentesimo septuagesimo sexto: sepultus est ibidem in cathedrali ecclesia. In concilio jam dicto, inter alia decreta, autore Onuphrio, hoc unum adinvenit, ut mortuo pontifice, cardinales in conclavibus sub firma custodia recluderentur: ad evitanda pericula quæ ex diuturniori electionis dilatione oriri potuissent. Hujus tempore emerserunt ex Italia Flagellantes hæretici, incerto autore: qui per Germaniam & Galliam vagantes, semetipsos flagellabant, & inter cæteros errores, hos prædicabant: Neminem salvari posse, nisi in sanguine de proprio suo corpore per
D flagella excusso baptizaretur: Aquam benedictam nihil efficaciæ habere: Plures vide apud Sanderum libro septimo de visibili monarchia. Quo & quali habitu usi fuerint, Stero in suis annalibus anno millesimo ducentesimo sexagesimo describit his verbis: » Ab umbilico sursum corpora denudantes, quadam veste partem corporis inferiorem usque ad talos tectam habebant: & ne quis eorum agnosceretur, cooperto capite & facie incedebant. Procedebant etiam bini, terni, tanquam clerici, vexillo prævio vel cruce, flagellis semetipsos bis in die per triginta tres dies, & deinde in memoriam temporis humanitatis Domini nostri Iesu Christi super terram apparentis tamdiu cruciantes,
E quousque ad quasdam cantilenas, quas de passione ac morte Domini dictaverant, duobus vel tribus præcinentibus circa ecclesiam vel in ecclesia compleverunt, nunc in terram corruentes, nunc ad cælum nuda brachia erigentes, non obstante luto, vel nive, frigore vel calore. Miserabiles itaque gestus ipsorum & dira verbera, multos ad lacrymas & ad suscipiendam eandem pœnitentiam provocabant. Sed quia origo ejusdem pœnitentiæ, nec a sede Romana, nec ab aliqua persona autorabili fulciebatur: a quibusdam episcopis & domino Henrico duce Bavariæ cœpit haberi contemptui, unde tepescere in brevi cœpit, sicut res immoderate concepta. « Hæc Stero. Vide infra, historiam concilii Lugdunensis II.

[a] *Kal. Septemb. Vide pag. 927. in Not.*

[b] *Meminisse Binius debuerat Rudolfum post annos duos imperare cæpisse.*

[c] *Ceperanū dicere voluit.*

EPI-

EPISTOLA

GREGORII PAPÆ X.

AD HENR. LEODIENSEM EPISC.

Eum in concilio Lugdunensi [a] propter incontinentiam denunciatum & convictum, antequam episcopatu privaret, hortatur ad pœnitentiam.

[a] *Scripta est epistola ante concilium Lugdunēse. Vide notam nostram ad calcem epistolæ.*

DEbet unusquisque, cui Dominicus grex committitur, & cura imminet animarum, super gregem ipsum vigilias adversus nequitias spirituales observare. Nam vigilias salutares esse nullus sanæ mentis ignorat: quia revera plus vigilare, plus vivere est. Quid est tam morti simile, quam dormientis aspectus? aut quid tam vita plenum, quam forma seu conditio vigilantis? B Indulgendum quidem somno est, ut quis corpus reparet, non solvat; ut vires revocet, non enervet. Quænam ars, quod opus, officium seu potestas, quæ non vitæ lucubratione proficiat, & quæratur?

Nauta enim vigilando calles transit invios, & nocturno vestigio ad lucrosi portus votivam pervenit mansionem: pastor sibi totum denegat dormiendi tempus, ne qua lupis, suffragante somno, grassandi in gregem occasio præbeatur: viator etiam solers, æstus, per noctis semitas, solis prævenit, & actum diei providentius deputat mansioni: miles quoque in castris supervenientes impetus nocturnos solita pernoctatione propellit: at rex in procinctu pervigil, callidi hostis præcavet insidias & C evitat.

Si itaque tantæ exiguntur vigiliæ ubi de temporalibus agitur & caducis: evidenter apparet, quod solicitudinis oculus claudi non debet, ubi fructus ipsarum perquiritur animarum. Tenetur ergo quilibet pro gregis custodia summopere vigilare prælatus: sed lumbis præcinctus: tota enim in præcingendis lumbis cura mandatur, totum in constringendis ipsis a Dei Filio statuitur jus præcepti: addito tamen lucernarum solatio, sine quo nec noctis aperitur obscuritas, nec venientis diei clarescit aspectus. Sed cur lumbos potissime nominat? cur tanta jubentis autoritas lumborum signanter efficit mentionem? D Hoc profecto accidit, quia in lumbis est tota pene humani lapsus & humanæ fragilitatis occasio. Propter quod principaliter ipse Dei Filius lumbos præcingi jubet balteo castitatis, totumque carnis pendulum, fluidum, resolutum constringi mandatur ligatura virtutis: ut carne succincta, liberior ad Deum ipsi prælato pro subditis sit accessus. Nam tunc, non carnis corruptela, non mole corporis prægravatus, inter Deum & subditos eosdem, seipsum, juxta etymologiam nominis, pontem facit. Offert namque ipsi Deo tanquam mediator legitimus populi preces & vota; & per ipsum tanquam pontem medium, benedictio ejus reportatur & gratia. E Ingratis enim improperat Divinæ bonitatis beneficia, contemnentibus potentiæ severitatem insinuat, utrisque tamen studet indignantis placare fervorem: nunc hominum infirmitatem, nunc Divinæ prætendens magnitudinem pietatis. Constringenda ergo est ipsa caro continentiæ cingulo: ne effusa vitiis ac toto peccatorum gravata pondere, cælestibus ipse prælatus pro se ac subditis insistere minus possit. Sed nec quidem carnis impetus refrenare, parvulos ad petram elidere, &, quod majus est, conscientiam mundam habere, non sufficit in pastore: immo ultra id oportet, ut lucernas in manibus habeat; tum ex eo quod lucernæ semper in testimonium innocentiæ tempore nocturno

Luc. 10.

De pœnitentia dist. 5. cap. Qui sanctus.

A portantur; tum etiam, quia sicut vitiis amicæ sunt tenebræ, ita lucernæ semper sunt criminum inimicæ. Nec tamen illud satis est in prælato, nisi ipse deferat lucernas ardentes: quia etsi lucere est vanum, ardere parum, ex his tamen duobus conficitur quid validum & perfectum. Nam quid lucernæ ardentes, nisi exempla in ipso prælato vitæ sanctitate præclara? quæ dum fomentis operum, misericordiæ oleo, ac caritatis inflammantur ardore, ipsum prælatum talem exhibent & ostendunt, quod dici potest merito forma gregis, ac populi sui salus.

Dolere itaque merito & gemere debes & potes, & nos vice tua, cum te sincere diligamus, non amaricari non possumus: ex eo quod, si vera sunt, quæ de te dicuntur, non tanquam pastor, sed idolum nihil obtines de præmissis, quia gregis tui profectibus non invigilas nec intendis. Zona continentiæ non inhæret lumbis tuis: nec exempla vitæ, sed mortis, transmittis ad subditos, quos tyrannice prosequeris, non complecteris caritate. Quæ vero publice de tua dicuntur persona, etsi non omnia, aliqua tamen tuis pro tua salute aspectibus volumus tenore præsentium præsentari: ut saltem rubore perfusus, spiritum juxta desiderium nostrum emendationis assumas, reddasque te talem, quod nobis de tua correctione gaudentibus, plorandi te mortuum culpaque prostratum de cætero necessitas non incumbat.

Accepimus namque, non sine multa mentis amaritudine, quod tu, episcopali gravitate prorsus abjecta, simoniæ, incontinentiæ, aliisque variis & diversis criminibus irretitus, voluptatibus & desideriis carnis te totaliter deputas: ita quod tam ante promotionem tuam, quam etiam post, quamplures filios & filias procreasti. Qui etiam in operibus mortis gloriam tuam ponens, & quandam abbatissam ordinis sancti Benedicti tibi publice constituens concubinam: dum sederes in quodam convivio, coram omnibus qui tunc aderant impudenter confessus fuisti, te infra viginti duos menses quatuordecim filios suscepisse: quorum aliquibus in minori constitutis ætate beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura contulisti, & ab aliis procurasti conferri: aliis etiam filiis tuis utriusque sexus, quos matrimonialiter nobilibus & potentibus procurasti conjungi, bona tui episcopatus mobilia & immobilia assignando.

Ad majorem quoque tuæ damnationis cumulum, in quodam manerio tuo, quod parcus vulgariter nuncupatur, quandam monialem monasterii sanctarum virginum ejusdem ordinis diu tenens, alias mulieres eidem moniali associare curasti: & cum ad locum illum accedis, relictis exterius illis, quos tecum ducis, solus ingrederis ad easdem. Præterea cum in cœnobio quarundam monialium diœcesis tuæ, abbatissæ regimine destituto, electio abbatissæ canonice celebrata fuisset: tu hujusmodi electione cassata, quandam puellam natam nobilis viri .... comitis de ..... cujus filio quādam filiam tuam in uxorem tradideras, in abbatissam ibidem præficere præsumpsisti: quę postmodum ex te sibi incestuose concipiens nuper peperisse dicitur, in totius scandalum regionis. Ad hæc cum quædam alia monialis, quam solicitaveras, tuæ prudenter non acquiesceret voluntati, quidam clericus frater ipsius monialis, te promittente sibi quod de beneficio provideres eidem, monialem prædictam, cui mendaciter suggesserat quod ipsam ad quandam villam duceret causa visendi consanguineos quos habebat in ea, ad quoddam manerium tuum fraudulenter adduxit, quæ jam ex te dicitur concepisse. Sicque nominatus clericus præbendam in ecclesia Leodiensi ex collatione tua extitit assecutus. Insuper au-

tem tres filios, quos genuisti de prædicta moniali sanctarum virginum fecisti recipi in ecclesia tuæ diœcesis in clericos & in fratres. Duas similiter filias ex eadem moniali suscipiens, earum alteram A. filio ejusdem comitis tradidisti in uxorem, cui possessiones emptas de bonis ecclesiasticis pro mille quingentis marchis argenti diceris contulisse.

Porro cum pro ecclesiæ debitis, quibus episcopatum tuum obligatum dicebas, vicesimam ecclesiasticorum redituum ecclesiarum tuæ civitatis & diœcesis tibi obtinuisses ab apostolica sede concedi: tu ipsa vicesima non contentus, in qualibet ecclesia tuæ civitatis & diœcesis, fructus dimidiæ præbendæ, prætextu terrarum ecclesiæ Leodiensis, quas obligatas mendaciter asserebas, percipis annuatim. B Et tam prædictam vicesimam, quam eosdem proventus congregas, ut ex eis prædictos tuos filios locupletes: prout ex eo patet, quod quadam vice dum ægrotares, palam asseruisti id dumtaxat cordi tuo esse molestius, quod male de negotio tuorum cogitaveras puerorum.

Illud etiam non duximus omittendum, quod si aliqui super provisionibus suis de beneficiis ad tuam collationem spectantibus apostolicas litteras impetrant: tu ipsos uti hujusmodi litteris aliqualiter non permittis: & si contra fecerint, eos personaliter capi, & carcerali facis custodiæ mancipari, in gravem apostolicæ sedis injuriam & contemptum. Et quod ita sit, manifeste convincitur ex eo quod dilectum filium A. clericum, natum nobilis viri comitis de . . . . C turpiter ejici fecisti de ipsa ecclesia Leodiensi: resignare compellens eumdem, quemdam archidiaconatum, qui sibi in eadem ecclesia ex ejusdem sedis gratia competebat.

Ad hæc tu libertatem & immunitatem ecclesiasticam, quantum in te est, evacuare contendens, sæculares ac etiam religiosos, clericos atque laicos, indebitis exactionibus aggravas. Et si forte aliqui personarum suarum periculum vitare volentes, ad ecclesiam confugiant: ipsos puniendos facis extrahi exinde violenter, in derogationem ecclesiastici juris, quod super hoc in illis partibus laudabiliter observatur. Iura quoque ecclesiarum adversus nobiles, qui ea sæpius occupant, non defendis: & in exercenda temporali D justitia, prout ad te pertinet, omnino negligens & remissus existens, fures, homicidas, & malefactores alios, deprehensos, pro commissis excessibus puniri, dummodo tibi ab eis persolvatur pecunia, animadversione debita non permittis.

Quid plura? Horas canonicas, maxime cum eas nescias, & illitteratus existas, in animæ tuæ periculum prætermittens, laicalibus & interdum purpureis vestibus te induis, zonis argenteis & deauratis uteris, ita quod te non prælatum, sed potius militem repræsentas

Ha Deus! si hæc vera sunt, immo quia sine aliqua dubitatione pro veris habentur: quid faciet populus E Leodiensis tibi commissus, quem non salutis pabulo reficis, sed inficis perniciosis exemplis? Grex iste Leodiensis quomodo inveniet pascua, quæ tu pastor ignoras? quomodo dirigetur per viam, quam tu dux ejus non tenes? aut quomodo a contagione curabitur, *Eccles. 34.* qua tu ejus medicus es infectus? *Non enim mundatur aliquid ab immundo*: immo qui sordes vult alienas diluere, mundas manus debet habere. Ha Deus! si populus iste indigeat gratia Dei, quomodo eam, quam tu non habes, sibi poteris precibus impetrare? *Ioan. 9.* *Nam peccatores non exaudit Deus*: & dum reus ad intercedendum mittitur, ad deteriora irati judicis animus provocatur. Ha Deus! Cur tu sic es famæ prodigus, & salutis oblitus, quod obseratis interioris hominis auribus, Divinæ comminationis tonitruum non attendis? Clamat enim quæ non mentitur scriptura. Et quid clamat? *Quod exiguo debetur misericordia, sed potentes potenter tormenta patientur: & grave judicium imminet his qui præsunt.* *Sap. 6.* Nam si manus hominis evaseris, ipsius tamen Dei pro tantis excessibus manus effugere non valebis. O quam terribilis est in judicio ipse Deus! nam furor est zelus ipsius. In die vindictæ non parcet, non acquiescet cujusquam precibus, non verebitur vultum potentis, & in muneribus non flectetur.

Tu vero qui gregem ipsum sic pereundo perimis, si inest tibi tanquam homini aliquid rationis, si qua scintilla Divini timoris imminet cordi tuo; si devotionem aliquam ad nos habes: ingredere saltem nunc in cubiculum mentis tuæ, & diligenter attende defectus quos circa officium pateris pastorales, ac maculas quibus respergeris, tanquam vitiorum sentina. Tunc, si tuam salutem non negligis, sed velis salubriter ab hujusmodi labe curari, & tam severum declinare judicium animarum: quasi unigeniti fac tibi planctum, lamentatrices advoca, ut super mortuum & abjectum, lamentum doloris assumant, & terram pro te lacrymis irrigantes, tibi veniam impetrent, antequam tartarus rapiat, & exterioribus tenebris involvaris. Festina converti ad Deum, noli tardare, ne, si in mora fueris, jam non sit locus remedio, ex quo vitia fuerint in mores conversa. Non enim longe sunt lamentatrices hominum: sed inveniuntur Leodii scilicet mulieres, & viri religiosi, qui profundis gemitibus sua & aliorum sæpe peccata deplorant, quorum, si velis, suffragiis poteris utiliter adjuvari.

Nec te quidem oblectatio deinceps peccati seducat, quia æternum est quod cruciat, etsi sit momentaneum quod in ipso peccato delectat. Nec te florida juventus decipiat, longum tibi ad pœnitendum spatium temporis promissura: quia res Deus humanas ita celeri citatas turbine versat, ut nemo quantumcumque juvenis jam sibi possit crastinum polliceri.

Protinus itaque tuæ provisurus saluti, advoca medicum, animæ tuæ languoribus congruentem; cujus salubri consilio sic commissa fletibus diluas, quod ea ulterius non committas. Orationi quoque insistere, vacare jejunio, & misericordiæ operibus studeas inservire: quia si horum munimine vallatus perstiteris, diaboli jacula, mundi machinas, & carnis dementes impetus, tanquam bellator Dominicus, non poteris formidare. Nam jejunio, cogitur caro servire spiritui, oratione tentator fugatur, & fluentis misericordiæ in persona proximi ipse Deus se asserit visitari. Circa Divinum quoque ac pontificale officium, sic te sedulum & devotum exhibeas: quod licet tuæ servitutis sit debitum, eo tamen ipsi Deo fiat acceptius, quo & devotius fuerit persolutum. Denique renoveris spiritu mentis tuæ, ut veteri homine, qui ambulaverat juxta desideria carnis suæ, prorsus deposito, novum induas hominem qui creatus est in justitia & sanctitate: ut per hoc tam subditi tui, quam etiam alii, conversationem tuam bonam videntes, glorificent ipsum Deum: & ex fragrantia bonorum operum fias eis odor vitæ in vitam, quibus prius fueras odor in mortem, exigentibus culpis tuis.

Quod autem ad præsens sic scribimus, officium nostrum, cum Deus nos licet indignos speculatorem domus Israel deputarit, hoc requirit: quia si tibi non denunciaverimus, ut a via tua mala avertaris, & vivas, sanguis tuus est de nostris, testante scriptura, manibus requirendus. Sed profecto nos ad

ANNO CHRISTI 1273.

ad id non tantum ipsum inducit officium, immo & caritatis sinceritas, quam ad tuam personam & ecclesiam tibi commissam specialiter habemus: quæ nos circa salutem tuam, & honorem dictæ ecclesiæ sic solicitos efficit & attentos, quod tunc quiescere seu silere non possumus, ubi tibi & ejusdem* ecclesiæ ex præmissis casum seu jacturam conspicimus imminere. Tu ergo in mansuetudine spiritus, quod tuam potest salvare animam, reverenter suscipias verbum nostrum paternum, exauditione quidem dignum: sicque diligenter illud impleas, quod nobis desideranti-bus tuam salutem & gaudium, tibique secundum utrumque hominem cedere possit ad profectum.

*Corr. eidē

NOTA G. COSS.

Indicat Binius in argumento epistolæ, scriptam a pontifice fuisse ad Henricum jam in concilio convictum, necdum depositum. Atqui constat ex autore ipsius vitæ Ioanne Hocsemio, ejusdem Leodiensis ecclesiæ canonico, & ferme æquali, Henricum Lugdunum esse profectum ad concilium, ibique depositum a Gregorio fuisse. Quod ipsum mox leges in actis concilii.

ANNO CHRISTI 1273.

** CONCILIUM REDONENSE, Celebratum die Lunæ post Ascensionem Domini anno MCCLXXIII.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ne quis in episcopum, abbatem, abbatissam, manus injiciat violentas, vel in domos eorum ignem mittat: nec rectorem ecclesiæ, vel personam ecclesiasticam occidat.*
2. *Ut de bonis ecclesiæ fiat hospitalitas: & quomodo ecclesiæ parochiales dandæ ad firmam.*
3. *Ne prioratus bonis omnibus denudentur.*
4. *De occupantibus & invadentibus bona ecclesiastica.*
5. *Declaratio, quæ sint bona ecclesiastica.*
6. *Ut episcopus in sua diœcesi absolvere excommunicatos possit, in casibus in quibus præsens concilium excommunicat.*
7. *Ut superiora consilia observentur.*

PRÆFATIO.

AD honorem Dei, & utilitatem provinciæ Turonensis, cui autore Domino præsidemus, necnon & reformationem eorum, quæ in visitatione dictæ provinciæ invenimus corrigenda: vocatis venerabilibus fratribus suffraganeis nostris, capitulis, abbatibus, & aliis qui fuerant evocandi, concilium provinciale apud Redones die Lunæ post Ascensionem Domini duximus celebrandum: in quo de ipsorum episcoporum, abbatum, & aliorum ad hoc vocatorum consilio, ordinavimus & promulgavimus capitula quæ sequuntur.

CAPITULA.

I. *Ne quis in episcopum, abbatem, abbatissam, manus injiciat violentas, vel in domos eorum ignem mittat: nec rectorem ecclesiæ, vel personam ecclesiasticam occidat.*

Si quis in hoc genus sacrilegii inciderit, ut in episcopum, abbatem, vel abbatis-

A sam, manus injecerit, vel in domos eorum ignem immiserit, vel sacerdotem, vel rectorem ecclesiæ, vel personam ecclesiasticam voluntarie occiderit, vel mutilaverit: si clericus fuerit, omni beneficio ecclesiastico, tam obtento, quam obtinendo, ipso facto, sine spe restitutionis sit privatus, & cum anathematis periculo innodamus. Si vero laicus prædicta attentaverit, vel aliquid de prædictis: ejus liberi, & quilibet successor, usque in gradum tertium, a susceptione etiam primæ tonsuræ, & omnium ordinum, ac quolibet B beneficio ecclesiastico, habeantur per totam Turonensem provinciam penitus alieni. Et qui tales præsentaverit scienter, sit illa vice præsentatione privatus: & qui eum scienter receperit, vel instituerit, vel institui mandaverit, per sequens provinciale concilium canonice puniatur: prædicto tamen clerico totaliter ex prædicta causa expulso, vel amoto, quem vinculo excommunicationis constringimus, si per violentiam illud beneficium præsumpserit retinere.

C

II. *Ut de bonis ecclesiæ fiat hospitalitas: & quomodo ecclesiæ parochiales dandæ ad firmam.*

Verum quia quicquid habent clerici, pauperum est, & domus eorum omnibus debent esse communes; per quam indecens videretur, si de bonis ecclesiasticis Christi pauperibus hospitalitas negaretur: idcirco statuimus, quod nulla parochialis ecclesia concedatur ad firmam; nisi, juxta diœcesani loci arbitrium, firmario tanta portio relinquatur, quod Christi pauperibus valeat condecens hospitalitas exhiberi. Et ad id rectores ecclesiarum per episcopos proprios compellantur.

D

III. *Ne prioratus bonis omnibus denudentur.*

Ex cupiditate, quæ radix omnium malorum est, procedit, quod abbates, vel priores, vel administratores, de loco ad locum transferentes, vel translati, prioratus, & alias administrationes vacantes, cessione, morte, vel mutatione abbatum, priorum, vel administratorum, bonis in eisdem inventis denudant. Super qua alias in concilio edito apud Castrum an.1268. cap.4.
E Gonterii, per recolendæ memoriæ Vincentium prædecessorem nostrum, provida fuit deliberatione statutum, ne iidem abbates, seu priores, aut administratores, prioratus hujusmodi seu loca, vacationis tempore, adeo denudare præsumant bonis in eisdem inventis, quin prioribus & monachis in eisdem morantibus usque ad

ANNO CHRISTI 1273.

tempora collectarum sufficiens provisio remaneret: & si contra facerent, ad diœcesani arbitrium punirentur. Sed quia parum aut nihil utilitatis adhuc ex hoc evenisse comperimus: nos statutum prædictum, sicut in præcedenti prædicto concilio plenius scriptum est, innovantes, adjicimus, quod si abbates, priores, aut alii administratores, hujus statuti concilii fuerint transgressores: præsentis autoritate concilii ipso facto noverint se suspensos.

IV. *De occupantibus & invadentibus bona ecclesiastica.*

Ibid. c. 1. Sane cum in prædicto Castri Gonterii concilio fuerit ordinatum ut barones, ac milites, ballivi, potestates, personæque aliæ seculares, si post monitiones & inhibitiones legitimas, generaliter per locorum ordinarios, vel de ipsorum mandato, eis factas, ecclesias, prioratus, domosve, aut possessiones, vel alias res ecclesiasticas indebite occupaverint, seu invaserint, aut in religiosorum domibus posuerint comestores, ipso facto sint excommunicationis vinculo innodati: nos statutum hujusmodi, præsentis autoritate concilii innovamus; adjicientes, ut loca ad quæ deferentur bona taliter occupata, & in quibus etiam detinebuntur, supponat diœcesanus, prout & quando vel quamdiu videbitur expedire, ecclesiastico interdicto.

V. *Declaratio, quæ sint bona ecclesiastica.*

Bona autem ecclesiastica intelligimus in hoc casu, non solum propria clericorum, verum etiam deposita, commodata, & ab eis conducta, & precario concessa, & quorum habent ecclesiasticæ personæ possessionem, aut detentionem quamcunque, & quæ in ipsorum servitio capiuntur: necnon si ecclesiasticarum personarum occasione, & in ipsorum præjudicium, & contemptum, eorum homines, & bona eorumdem hominum qui sub jurisdictione temporali consistunt ecclesiæ, capiantur, aut etiam invadantur, hac appellatione volumus contineri. Et quia facientes & consentientes par pœna constringit: receptatores & defensores invasorum, raptorum, & malefacterum hujusmodi, de quibus supra fecimus mentionem, eisdem pœnis, quibus & ipsos malefactores, eo ipso quod eosdem receptaverint aut defenderint, volumus & præcipimus excommunicationis sententiæ subjacere: ut quos par facinus coinquinat & æquat, utrosque pœna similis comitetur.

VI. *Ut episcopus in sua diœcesi absolvere excommunicatos possit, in casibus in quibus præsens concilium excommunicat.*

In omnibus autem casibus, in quibus excommunicationis & suspensionis sententias in præsenti concilio duximus promulgandas, cuilibet episcopo in sua civitate & diœcesi absolvendi excommunicatos hujusmodi, & suspensos, post satisfactionem congruam in forma ecclesiæ, autoritate præsentis concilii liberam concedimus potestatem. Ibid. c. 7.

VII. *Ut superiora consilia observentur.*

Concilia vero omnia & singula celebrata per prædecessores nostros cum suffraganeorum consensu hactenus renovamus, & præsentis approbatione concilii confirmamus. In cujus rei, &c. Ibid. c. 8.

Actum apud Redones, die Lunæ post Ascensionem Domini, anno ejusdem MCCLXXIII.

NOTA G. COSS. S. I.

Adscribunt MSS. quidam annum MCCLXIII. quos secuti Bochellus, Spondanus, & Synopseos conciliorum autor, hos ipsos canones decennio toto vetustiores faciunt. Quo fit etiã ut hujus præsidem concilii dicant fuisse Vincentiũ de Pilenis, qui tum Turonensem provinciam moderabatur. Quos profecto dedocere debuit hujus concilii canon III. si eum legerunt, in quo Turonensis archiepiscopus decessorem suum vocat Vincentium. Præerat ergo huic concilio Vincentii successor Ioannes de Montesorello, qui anno MCCLXX. electus est archiepiscopus. Quamobrem alii sunt præferendi codices, qui anno MCCLXXIII. hoc concilium assignant: neque superesse locus ullus dubio potest.

CONCI-



ANNO CHRISTI 1274.

CONCILIVM LVGDVNENSE II. GENERALE A GREGORIO PAPA DECIMO CELEBRATVM.

ANNO CHRISTI 1274.

HISTORIA EIVSDEM CONCILII.



MICHAEL Palæologus, Constantinopolitana urbe capta, [a] Balduino imperatore, qui postremus ex Latinis Constantinopoli regnavit, expulso, Græciæ adeptus est principatum. Quare magnum erat periculum, ne Græci omnes ad pristinos redirent errores. Nam Michaele patriarcha Constantinopolitano, & Leone Acridano episcopo autoribus, [b] Constantino Monomacho imperante, Græci a Romanæ ecclesiæ obedientia omnino defecerant: ac Latinorum ritum B Missæ sacrificium in azymo peragendi, sabbati jejunium, ac plerasque alias Romanæ ecclesiæ consuetudines damnare ausi erant. Negabant præterea Spiritum sanctum a Filio procedere, ac Latinos anathematis vinculo devinctos esse affirmabant, propterea quod particulam illam (Filioque) Constantinopolitano symbolo addidissent. Hos errores multo ante Photius [c] Romanæ ecclesiæ hostis acerrimus promulgaverat, quem posteriores secuti sunt Græci.

Non defuerunt Romani pontifices officio suo ac C muneri, ut eos ad veritatis tramitem reducerent. Præstitit in primis hoc Leo nonus. Qui legatis ac litteris [d] Michaelem Constantinopolitanum, Leonem Acridanum, ut resipiscerent, admonuit. Atque id facere recusantes, a pontificis legatis anathemate percussi sunt. Idem effecere qui Leonem secuti sunt Romani pontifices. Tandem Balduini opera, [e] qui primus ex Latinis Constantinopolitanus imperator fuit, D Græci ad ecclesiæ Romanæ obedientiam reverterunt: sed Latinis paulatim ex Græcia pulsis, paulatim quoque Græci ad vetus schisma revertuntur.

Cum autem post duorum annorum apostolicæ sedis interregnum, Gregorius decimus, [f] qui in exercitu Christianorum adversus Saracenos in Syria commorabatur, pontifex esset electus: protinus legatos ad Michaelem Palæologum destinavit, ut eum ad catholicam fidem reduceret. Sciens præterea Gregorius, E in magno discrimine res Christianorum in Syria versari, prædecessorum pontificum vestigiis inhærens, generale concilium convocavit: in quo de subsidio A Christianis mittendo in Syria degentibus ageretur. Rem etiam arduam judicavit, ac dignam de qua in concilio ageretur, de Græcis nimirum ad catholicæ ac Romanæ ecclesiæ fidem communionemque traducendis. Accessit huc tertia causa, quæ priores pontifices fere ad indicenda concilia permoverat: ut scilicet Christianorum mores ad pristinam ecclesiasticam disciplinam informarentur, & modus aliquis præscriberetur ad celerem Romani pontificis electionem faciendam. Multa enim mala ex longa Romanæ ecclesiæ vacatione accidere solebant.

Scripsit igitur omnibus episcopis biennio ante concilii celebrationem, ut ad concilium Lugduni convenirent. Scripsit regibus atque principibus, ut ipsi quoque oratores ad synodum mitterent. Viros præterea & sanctitate & doctrina præstantissimos evocavit. In his fuere sanctus Thomas Aquinas, [g] qui dum ad concilium proficiscitur, ex hac vita ad Dominum migravit: ac sanctus Bonaventura, quem Lugduni pontifex cardinalem episcopum Albanensem creavit. Convenerunt igitur ad indictum diem Lugduni, præter Constantinopolitanum & Antiochenum patriarcham, episcopi quingenti, abbates [h] & inferiores prælati permulti. Adfuit quoque Iacobus Aragoniæ rex, aliorum vero regum ac principum oratores complures.

Quocirca prima sessio celebrata fuit septima die Maii anno Domini MCCLXXIV. In qua pontifex tres illas causas, cur concilium convocasset, exposuit. Peracta secunda sessione, pontifex, cardinales, & episcopi, decimas omnium ecclesiasticorum redditum pro subsidio belli Hierosolymitani collaturos se esse promiserunt. Post tertiam sessionem, ad concilium imperatoris Græcorum legati advenerunt, atque honorificentissime a summo pontifice & a synodo universa sunt excepti: & in solenni Missa, quam pontifex celebravit, symbolum est cum additione illa (Filioque) ter Græce decantatum. In quarta vero sessione, lectis imperatoris & Græcorum episcoporum litteris, [k] in quibus catholicam fidem profitebantur, & Romanæ ecclesiæ primatum agnoscebant: eorum legati summo

Nnn iij pontifici

a Nicephorus Gregoras libro 4. hist. Georgius Pachymeres lib. 5. Ioannes Villanus lib. 6. cap. 72.
b Humbertus in libro cōtra Græcos.
c In epistola encyclica ad patriarchas Orientis.
d Epistola 1. & 6. & Leo Ostiēsis chron. Cassinensis lib. 2. cap. 89
e Vincentius Belvacensis lib. 29. cap. 65.
f Martinus Polonus. Ioannes Villanus lib. 7. cap. 40. & 44. Guilielmus de Nāgis in vita Philippi regis, & Georgius Pachymeres lib. 5. historiæ.
g Matthæus Vvestmonasteriensis in anno 1274. Villanus li. 9. cap. 118.
h Martinus Polonus. Guilielmus de Nāgis loco citato.
i Quæ sequuntur ex actis concilii excerpta sunt.
k Matth. Vvestmonasteriēsis ubi supra.

ANNO CHRISTI 1274.

pontifici obedientiam exhibuerunt, & magna cum pontificis ac totius concilii lætitia publice eamdem professi sunt fidem.

Addunt Græci scriptores Georgius Pachymeres, a & Nicephorus Gregoras, b Græcos ad communionē Romanæ ecclesiæ admissos fuisse cum tribus conditionibus. Prima fuit, ut a Græcis summi Romani pontificis in sacris Missarum mysteriis mentio fieret. Secunda, ut Græcis omnibus liceret ad sedem apostolicam appellare. Tertia, ut summo Romano pontifici principatus in omnibus deferatur.

a Lib. 5. hist.

b Lib. 5. hist. in principio.

Accesserunt etiam Tartarorum oratores ad concilium pro pace cum Christianis ineunda, ex quibus unus Christianam fidem amplexus, a Petro episcopo Ostiensi baptizatus est. Interim sanctus Bonaventura summo cum pontificis ac patrum omnium dolore ab humana ad cælestem vitam profectus est. Demum cohortatus est Gregorius episcopos universos ad sancte pieque vivendum, & ad gregibus sibi commissis invigilandum: cum ex malorum pastorum moribus reliqui omnes Christiani, a majorum disciplina degenerantes, in graviora vitia prolabi soliti sint. In hoc concilio decrevit pontifex, Græcis etiam ipsis consentientibus, Spiritum sanctum, ut a Patre, ita a Filio, tanquam ab uno principio æternaliter procedere. Complures præterea edidit constitutiones, quarum præcipua illa fuit, in qua modus & locus summi Romani pontificis eligendi statuitur. Eas omnes Gulielmus Durantes commentariis illustravit, ac deinde Bonifacius octavus summus pōtifex in suam canonum collectionē retulit.

EPISTOLA

GREGORII PAPÆ X.

Gregorius episcopus, &c. venerabilibus fratribus, patriarchæ Hierosolymitano, & episcopis, ac dilectis filiis abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, præpositis, & aliis ecclesiarum prælatis per Hierosolymitanam provinciam constitutis, salutem & apostolicam benedictionem.

SAlvator noster, in cujus ditione cuncta sunt posita, civitatem Ierusalem videns & prævidens ruituram, flevisse describitur super eam. Et nos itaque, qui civitatis veri David (religionis videlicet Christianæ, circa cujus regimen, non in sufficientia nostræ debilitatis, sicut nec debemus, innitimur, sed de sola superabundantia virtutis Divinæ speramus) non solum scissuras, juxta prophetæ vaticinium, multiplicatas aperte videmus, sed & ruinæ magnæ periculum in subtractione populi Græcorum, qui a sedis apostolicæ devotione ac obedientia se subtraxit, in occupatione maxima & vastatione valida terræ sanctæ, in subversione morum, quæ universaliter in clero graviter obrepsisse videtur & populo, jam non tam cernimus quam palpamus, num possumus non lugere? num comprimere lacrymas? continere suspiria? vel cohibere singultus? Profecto cum tanta subsit plangendi ratio, planctum declinare non possumus. Sed necesse est jam foras exeat, ab olim, dum etiam nos minor status haberet, tanto altius radicatus introrsum, tantoque diuturnitate factus acerbior, quanto facultate vetante diutius non est efficaciter exire permissus. Exeat igitur, exeat ad fratres & filios: ut scientes incommodum, ipsumque prudentius æstimantes, cooperationis remedio efficacius pro viribus relevent, & planctum piæ compassionis officio dulcius consolentur. Quis ergo dabit capiti nostro aquam, aut oculis nostris fontem lacrymarum, ut sic populi nostræ humilitati commissi spiritualiter & temporaliter interfectos diebus & noctibus lugeamus, quod culparum sordes, quibus iram meruisse creditur, diluamus? Lugendum siquidem occurrit, quod per subtractionem prædictam, a sedis ejusdem unitate subtractos, & in devio positos, grandis culpæ mors afficit: quod sancti universalis [corpus] ecclesiæ membra, tam nobilia, eadem gravis admodum & dispendiosa subtractio, tanto tempore mutilavit. Lugendum & iterum, ac amare dolendum, quod sicut in partibus transmarinis non tantum audivimus, sed & oculis nostris vidimus, & manus nostræ contrectaverunt, (proh dolor!) detestabilius solito blasphematur in gentibus nomen Christi, cum jam non tam verbis, quam rebus ipsis & factis, Christianis insultetur ab infidelibus, & dicatur: Ubi est Deus eorum? Dum funiculus hereditatis Domini, eadem terra sancta, pernefandissimos Saracenos sic audacter invaditur, sic secura occupatur audacia, sic vastatur intrepide, sic in eisdem partibus Christianus populus immaniter trucidatur: quasi non sit illius adjutor, nec sit qui misereri possit ipsorum. Lugendum & amplius, pariter & horrendum, quod cum ille paterfamilias diligens, qui horis diei variis operarios suam misit in vineam, ille summus agricola sator bonorum omnium & plantator, agrum mundi hujus diligenter excolens, in eo seminaverit semen bonum: inimicus homo tanta invenitur in ipso superseminasse vitiorum zizania, & errorum, ut ea deflere magis liceat quam narrare: idemque ager quotidie potius arescere videatur ad ignem, quam albescere inveniatur ad messem. Hæc dum ministerio considerationis debitæ, mentis nostræ præsentantur obtutibus, ignis in nostris meditationibus exardescit: & ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus, zelus accenditur, & spiritus anxiatur. Ad quod cum nos sufficere non posse sciamus, levamus oculos nostros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devote speramus. Et quia salubre in his adhiberi remedium, interest generaliter omnium: nos cum fratribus nostris aliisque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ necessitatis instantia exigebat, de ipsorum consilio generale concilium, sicut imitatione digna sanctorum patrum consuetudo laudabilis longæque observationis exemplum nos instruit, opportuno tempore decrevimus congregandum: ut in eo, tam circa præmissa, quam circa cætera quæ salutem respiciunt animarum, illa, Deo auspice, communi consilio inveniatur provisio, & ejusdem approbatione concilii roboretur: per cujus salutiferam executionem, virtus Altissimi, eliminatis erroribus, roborata fide, reductis errantibus, redintegrata ejusdem fidei unitate, sedatis discordiis, pace firmata, extirpatis vitiis, virtutibusque plantatis, correctis excessibus, moribus reformatis, repressis oppressionibus, libertate solidis munimentis instructa, recuperatis deperditis, & ejusdem terræ sanctæ statu prospere reparato, hujusmodi scissuras uniat, ruinas impleat, occupata restituat, vastata restauret, restituta & restaurata conservet, nobisque viam aperiat idem ipse qui novit, & facultatem tribuat ipse qui potest, ut vitiorum errorumque zizaniis ad comburendum fasciculos alligatis, ad triticum in ejus horreum congregandum, sic in præmissis juxta intensum animi nostri desideriū sibi ministrare possimus utiliter, quod idem verus ejusdem universalis sponsus ecclesiæ ipsam dilectam suam, expeditam rugis, purgatam maculis, munitam virtutum monilibus ac ornatam, unam semper habeat, & formosam, ad sui nominis fidei laudem & gloriam, ad animarū profectum; robur, pacem, & exaltationem populi Christiani. Quia vero

Abundat vox, corpus

ANNO CHRISTI 1274.

prosecutio

ANNO CHRISTI 1274.

A prosecutio tanti propositi tempore indiget, ut deductum maturius ac felicius, autore Domino, effectum debitum sortiatur, biennium numerandum ab initio instantis Maii ad id duximus deputandum: deputaturi praeterea interim aliquos viros tanto ministerio competentes, ad praedicandum in terrae praefatae suffragium salutiferam verbum crucis: per quod corda principum, praelatorum, caeterorumque fidelium, inducantur ad subsidium eidem terrae, prout ipsius exposcit extrema necessitas, impendendum. Quocirca universitati vestrae per apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus omni negligentia relegata, cunctis, prout talis & tanti negotii qualitas exigit, dispositis & paratis, sic medio tempore vos accingatis ad iter, quod Kalendis Maii anni ab Incarnatione B Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, quas vobis & aliis pro termino assignamus, in loco, quem, licet ad praesens subticeamus ex causa, competenti tamen tempore vobis curabimus intimare, nostro vos conspectui praesentetis, ad subventionem necessariam terrae praedictae, solers & operosum interim studium impensuri, prosequendo favorabiliter, & fideliter adjuvando illos quos ad hujusmodi prosequendum negotium duxerimus deputandos. Volumus autem, quod in vestra provincia ex vobis, fratres episcopi, unus vel duo remaneant, ad ea quae officium episcopale requirunt inibi exercenda: & tam ille, vel illi, quos propterea contigerit remanere, quam alii quos ad idem venire concilium praepeditio forsan canonica prohibebit, capitula insuper ecclesiarum omnium ejusdem provinciae, tam cathedralium, quam C etiam aliarum, quibus per vos, fratres patriarcha & praefati episcopi, ex parte nostra volumus id mandari, cum in eodem concilio tractanda sint aliqua quae pertinebunt ad ipsos, ad idem concilium viros idoneos pro se mittant: non obstantibus quibuscumque privilegiis, seu indulgentiis, quibuscumque personis, ordini, vel dignitati, seu collegio, sub quacumque verborum forma vel expressione a praedicta sede concessis, per quae possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri, aut eidem in aliquo derogari: circa personarum, & evectionum numerum, moderamine, quod alias statuit Lateranense concilium, taliter observato, ut nemini liceat illud excedere, sed omnibus prout libet arctare. Nullus pompo- D sus aut inanis gloriae quaesitor, sed quilibet sic verae humilitatis cultor appareat, quod & ecclesiae sibi commissae nequaquam onerosus existat. Interim quoque per vos & alios prudentes viros Deum timentes, & habentes prae oculis omnia quae correctionis & reformationis limam exposcunt, inquirentes subtiliter, & conscribentes fideliter, eadem ad ipsius concilii notitiam deferatis. Et nos nihilo minus variis modis & viis solers studium & efficacem operam dare proponimus: ut omnia talia in examen ejusdem deducta concilii, correctionem, & directionem recipiant opportunam. Nullus igitur inobedientiae notam, & cano- E nicae ultionis acrimoniam, vitare desiderans, fallacium excusationum velamento se muniat, vel ex impedimentis itinerum, quae, Domino prava in directa, & in vias planas sua omnipotentia convertente aspera, cessaverunt, frivolae allegationis munimenta confingat, ut a tam sancti prosecutione operis se subducat: sed occurrant singuli voluntarii ad id quod & Divinae congruit voluntati, & salutem animarum, ac utilitatem respicit singulorum.

Datum Laterani Kalendis Aprilis, pontificatus nostri anno primo.

G. C. Eodē exemplo datae sunt ad praelatos omnes encyclicae litterae, ut cōstat ex Gregorii Regesto. Aliis quoque litteris reges omnes ac principes invitavit ad concilium, & maxime Michaelem Palaeologum, Graecorum imperatorem, ad quem has dedit

" ** GREGORII PP. X. EPISTOLA AD MICHAELEM PALAEOLOGUM GRAEC. IMP.

Admonet de indicto generali concilio, eique ut per se vel legatos intersit, hortatur.

Viro magnifico Michaeli Palaeologo imperatori Graecorum illustri, gratiam in praesenti, quae perducat ad gloriam in futuro.

QVi miseratione ineffabili, cū venit temporis plenitudo, vocavit ab Oriente avem, & virū voluntatis suae de terra longinqua: ipse nos in Oriētalibus peregrinātes partibus, ut, licet immeritos, ejus vicarium sua sola dignatione statueret, qui ore prophetico, avis nomine in metaphora praemissa signatur, vocari ad gerendū apostolatus ministerium dignanter potius, quam digne permittens, vota nostra, etiam dum nos minor status haberet, sicut firmiter credimus, & fatemur humiliter, in pacis direxit semitas, & eadem a nostrae promotionis auspiciis ad illius commoda in omnes precioso Christi redemptos sanguine, praecipue autem in Christiani nominis titulo insignitos diffundenda pro viribus eo magis accendit, quo salutem animarum, ad quam nos & affectus intentio afficit, & debitum suscepti officii pastoralis astringit, speramus exinde liberius & efficacius Divina concedente clementia proventuram. Is. 46.

Vnde quamprimum ad locum, in quo cum fratribus nostris sacrosanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, quorum specialiter consilio ultimo & auxilio communimur, convenire potuimus, nos hibernis maris calcatis fluctibus potentia Divina perduxit: nequaquam torpuimus otio. Sed non sine gravi amaritudine attendentes praefiguratam in piscatoris Petri reti, quod prae multitudine piscium rumpebatur, scissuram universalis ecclesiae, quam in suis fidelibus non in fide, pro qua ille, qui pro sua reverentia est in omnibus exauditus, se rogasse testatur, ne deficiat fides ejus, aperte videmus non solum damnose divelli, verum etiam in eorundem scissura, casu, & aversione fidelium periculose divulsam, & ruinis gravibus deformatam: elaborandum summopere fore putavimus, ut illo, qui est lapis angularis utraque unum faciens, & parietem utrumque connectens, sua immensa pietate donante, salubris exquiratur & desiderata provisio, per cujus protectionem dicente Domino Aquiloni, *Da*; & Austro, *noli prohibere*: ipsa mater ecclesia suos afferens filios de longinquo, & filias suas ab extremis terrae, scissuris coeuntibus, cadentibus relevatis, aversisque conversis, ruinis impletis, & deformitatibus reformatis, diffidentium multitudine in unitate fidei & vinculo caritatis unita, juxta prophetae vaticinium, dilatet tentorii sui locum, funes tabernaculorum suorum extendat, & consolidet clavos suos, ad dexteram & laevam penetret, semen ejus gentes hereditet, & desertas inhabitet civitates. Hoc est enim quod ab ipso largitore bonorum omnium profundis suspiriis petimus, hoc quod effusis lacrymis postulamus, ut ipse in cujus unitate fundatur fidei unitas, unitatis ecclesiasticae fundamentum, dicente Apostolo, *unus Dominus, una fides*, suam sanctam atque catholicam ecclesiam redintegrando uniat, & uniendo redintegret; in sinu ejus populis universis, Latinis & Graecis, specialiter adunatis, in fide integra, spe solida, & caritate sincera. Is. 43. Ephes. 4.

Et quia haec, si fons misericordiae desideriis nostris benignus annuerit, ad communem cedent utilitatem omnium: communi ad eam deliberavimus consilio insistendum. Ideoque cum eisdem fratribus nostris, multis-

ANNO CHRISTI 1274.

multisque aliis prudentia & veritatis amore pollentibus, deliberatione præhabita, propter hæc, & ad providendum utiliter & efficaciter de necessario terræ sanctæ succursu, de generali morum reformatione, quorum deformatio in clero & populo nimis generaliter obrepsisse videtur, necnon & propter alia, quæ cunctis Christi fidelibus speramus autore Domino spiritualiter maxime, ac insuper temporaliter profutura: de dictorum fratrum nostrorum consilio, synodum generalem, universis catholicis mundi principibus, & ecclesiarum prælatis, ad illam per nostras sub certa forma litteras evocatis, in Kalendis Maii anni ab Incarnatione Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, annuente Domino duximus congregandam. Super quo licet ab exordio indictionis hujusmodi ad magnificentiam tuam litteras & nuncios disposuerimus destinare: ipsorum tamen consulto suspendimus missionem, anxii expectantes, ut a te super iis, quæ felicis recordationis Clemens papa prædecessor novissime tuæ celsitudini scripserat, apocrisariis receptis aliquibus, nostros plenius mitteremus instructos.

Nobis vero de tuorum apocrisariorum expectatione solicitis, dilectus filius frater Ioannes de ordine Minorum a tua serenitate transmissus, bonus de terra longinqua nuncius supervenit, tuas nobis devotione plenas, & lætitiæ causa non vacuas litteras repræsentans: in quibus gaudium de nostro quem sperabas ad tuas partes adventu conceptum, & honorem, & reverentiam nobis, ut patri affectuosissimo, a te ac tuis, velut a dilectis filiis, exhibendos, & subsecutum dolorem ex nostro transitu aliunde reverenter exprimens, inter cætera inferebas nos debere diligenter advertere, qualem affectum & zelum, tuum gerit, ut dicebas, imperium ad pacem & unionem populi Christiani: sperans, sicut eædem litteræ continebant, ex hujusmodi nostro adventu distantiam, quam inter pastorem & ovile sathanæ induxit suggestio, dissolvendam. Ac deinde in litteris ipsis edicens, quod idem frater tuo dilectus imperio, ut earumdem litterarum verba sequamur, enarrabit ore tenus reverentiam, quam gerit idem imperium erga summam & apostolicam sedem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ matris tuæ; & maximum dolorem, quem habes propter schismata, quæ intra ecclesiam Christi permanent dolosa; & præcordialem affectum, quem observas thalamo cordis tui pro pace ac unione populi Christiani; ac ferventem zelum contra omnes impios crucis vivificæ ac honorabilissimæ inimicos. Demum in calce litterarum ipsarum, ejusdem fratris verbis, tanquam ex ipsius ore prolatis imperii, nos fidem adhibere plenariam petiisti.

Sane tantæ tuæ ad nos devotionis indicia nobis in præmissis exhibita valde nimirum gratanter accepimus, sed laudabile tuum propositum & affectum ad reparandas ipsius populi Christiani scissuras, ac ipsum in identitate catholicæ fidei & caritatis glutino uniendum, necnon & recognitionem reverentiæ debitæ præfatæ sedi apostolicæ, ipsique Romanæ ecclesiæ matri tuæ, per fratrem & litteras prædictos expressa, cum tanto majori gaudio acceptamus, quanto id credimus Deo acceptius, populo eidem utilius, ac tuæ & ipsorum saluti, nostrisque proinde affectibus plenius convenire.

Adjicit quoque non modicum ad conceptam ex præmissis cordis nostri lætitiam, quod hujusmodi laudabilem zelum tuum ad ejusdem populi unionem, claræ memoriæ Ludovico regi Francorum illustri, sicut intelleximus, apertius revelasti: & eidem patenter insinuans, quod tu, clerus & populus tuæ ditioni subjecti, desiderantes ad obedientiam ejusdem ecclesiæ

A Romanæ redire, ipsique in ejusdem fidei professione uniri, ac varias super hoc ad eandem sedem litteras & nuncios destinantes, quorum etiam aliqui in via detenti non pervenerunt ad eandem, frequenter & humiliter ad id vos postulastis admitti, nec adhuc tuæ ac ipsorum fuerat instantiæ satisfactum; apud eundem Regem multiplicatis super hoc litteris & nunciis institisti, petens instanter, ut ipse in tam pio & utili negotio, arbitri partes assumens, ad ipsius consummationē solicita intenderet pietate; ac insuper ut tuis verbis, prout nobis referuntur, utamur, te velle regem eundē arbitrum in hoc constituere asserēs, promittebas quidquid idem rex super hoc diceret, te plene ac inviolabiliter servaturum. Et ut plenius circa hoc tuum manifestares affectum, adjurasse diceris regem eundem B per aspersionem sanguinis Iesu Christi, ne assumere onus hujusmodi recusaret; & ne secus faceret, ad summum judicem, ut ipse rex in extremo judicio coram eo de hoc rationem redderet, appellasse. Et licet idem rex prudenter attendens, & humiliter recognoscens, quod suum non erat, tale in eodem negotio, quod specialiter pertinere dignoscitur ad ejusdem sedis examen, officium usurpare, consulte responderit quod in ipso nequaquam hujusmodi partes assumeret, sed pro ipsius consummatione apud sedem ipsam libenter instaret; ac propterea litteras, & suos ad eandem sedem nuncios destinaret, qui hæc omnia, ipsa tunc sede vacante, coram prædictis nostris fratribus retulerunt, ad quorum etiam pro parte ipsius regis instantiam, bonæ memoriæ Albanensi episcopo tunc in partibus illis ejusdem sedis legato super hoc plena commissio C facta fuit: tamen ipsis rege ac legato humana de hac luce subtractis, processus aliquis haberi non potuit per eandem.

Habent hæc itaque multæ jucunditatis causam, & materiam exultationis in Domino repræsentant. Si enim prout est de tanto principe supponendum, de arcano mentis ori consonæ in veritate procedant: verisimiliter credi potest, quod ille, qui ubi vult spirat, tuum ad tale tam utilis unionis desiderium animum inspirarit.

Quæsumus itaque, spiritum non extinguas, nec irrita facias, quæ ad eandem tuam matrem ecclesiam, & ad tantum principem per diversos, ut promittitur, nuncios, & litteras, de tuis dicuntur labiis processisse. Sed attende potius, & in conspectu attentæ conside- D rationis expende, quod ille, qui est verum caput corporis mystici, ecclesiasticæ videlicet unitatis, juxta illud Apostoli, *omnes sumus unum corpus in Christo*, instante suæ passionis articulo, pro hac sibi placita unitate legitur dignanter orasse: *Volo*, inquiens, *pater, ut omnes in nobis unum sint*. Si ergo juxta sacræ scripturæ testimonium, consilium ejus stabit, & fiet omnis voluntas ipsius: necesse profecto est, hanc unionem impleri. Festina itaque, tolle moras, & consulte tui fac esse muneris, quod omnino alicujus futurum est temporis. Festina, & considerans incertam humani temporis brevitatem, tantum bonum non ultra differendo procrastines: ne forte, cum voluntas adfuerit, ad perficiendum quod volueris vita desit: sed celeriter viam E salutis & pacis per desiderabilem cordi tuo (ut tam publice, tam laudabiliter profiteris) unionem Latinorum pariter & Græcorum in unius professione fidei, & caritatis solidæ unitate, tuis subditis aperi, tuis posteris præpara, & incomparabile meritum tibi solicite ac prudenter ex tam utili, tam salubri præparatione præoccupa.

1. Cor. 12.
Ioan. 17.

Considera, considera, quam intrepidus, quam securus in extremo judicio coram tremendo judice tantis ad ejusdem matris gremium tecum tuo ministerio reductorum stipatus cuneis, aliis tuis ad id concurrentibus

ANNO CHRISTI 1274.

tibus meritis apparebis: quam gratus advenies, quam A grataner etiam admitteris, quomodo comitiva gratissima ornandus illorum, quos innumeros, ut speramus, de tam numerosa multitudine quam ad illius ovile ipso præstante reduces, tandem ip.e pastor bonus qui pro eis animã suam posuit, i i dilecta sua tabernacula introducet, tu in eandem exultans & jubilans de suo munere introibis. O te felicem si ad hæc te Dominus præparavit; si facultatem quæ ad ea tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter prosequens, & de contingentibus nil omittens, multis olim ad eandem laborantibus per diversos modos & vias, tu in labores eorum introiens, pervenias solus ad bravium optatum, illorum finem obtineas & inæstimabilem gloriam, quam specialiter sequi debes, finaliter assequens.

Cæterum ut sit incepti super iis tractatus prosecutio, B Deo adjuvante, facilior, & desideratus exitus promptior: felicis recordationis prædecessorum nostrorum Urbani & ejusdem Clementis, Romanorum pontificum gesta, circa instans negotium habita, recensuimus diligenter: & eos, prius de fidei veræ dogmatibus, quam de concordia inter eosdem Latinos & Græcos in caritate mutua solidanda, tractandum, evidentibus ad hoc inductis rationibus, licet aliud continere tua petitio videretur, elegisse comperimus. Nec indigne, cum spiritualem unionem fides initiet, dicente Domino per prophetam, *sponsabo te mihi in fide*: caritasque consummet, egregio gentium doctore testante, quod *qui adhæret Deo, unus spiritus est*: unus profecto cum illo, non tam identitate C substantiæ, quam gratiæ participatione ac gloriæ.

Osee 2.

1. Cor. 6.

Memoratus itaque prædecessor noster Clemens, apocrisariis & litteris tuis ad ipsius præsentiam super hujusmodi negotio destinatis, benigne receptis; & tam secrete, quam publice, prout eis placuit, plene ac patienter auditis; multisque aliis ejusdem negotii utilitate ac justitia exigente, peractis, quæ ipsius Clementis prædecessoris litteræ per eosdem duos apocrisarios ad te missæ, ad tuam, ut credimus, notitiam detulerunt: demum ut hujusmodi conjunctionis spiritualis initium ordinate procederet, idem prædecessor Clemens, ad utilem & finalem expeditionem tanti negotii, præmissum ordinem, quem rationibus probaverat, facto etiam approbavit. Et ne ultra contingeret idem negotium per inefficacia verba deduci, D manifeste in prædictis litteris suis expressit, quid tibi, tuis clero & populo supradictis, faciendum incumberet, ut reverenter ad ejusdem sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ sinum, tu & ipsi sano freti consilio, rediretis, in eisdem litteris veræ catholicæ fidei professionem, quam eadem Romana ecclesia firmiter tenet, fideliter docet, constanter prædicat, & publice profitetur, quemque a te, tuis clero & populo supra dictis, idem prædecessor noster Clemens expostulans te ac ipsos profiteri, si velletis juxta ejus desiderium redire ad ecclesiæ unitatem; ea insuper, quæ circa ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum ab ipsis tuis clero & populo acceptari, & recipi voluit, plenius explicando.

De ipsa præterea fidei professione dictis tuis apo- E crisariis copiam faciens, clementer obtulit eisdem satisfacere, si super ea in aliquo dubitarent: adjecto nihilo minus in litteris supra dictis, qualiter provida deliberatione conceperat aliquos in lege Dei peritos ad tuam præsentiam destinare, cum quibus tu, iidemque tui clerus & populus, super præmissis conferre possetis: & quod si nihilo minus aliquid tuum tuorumque animos concuteret, aut turbaret, propter quod aliquid de contentis in præscriptæ fidei professione, tu vel ipsi vereremini profiteri: aliquos de peritioribus eorundem tuorum cleri & populi mitteres ad eundem. Quibus se paratum obtulit, sicut eadem Romana ecclesia parata semper extitit, & existit, omni poscenti, de ea quæ in ipsa est fide ac spe reddere rationem.

Quamquam autem hujusmodi suos apocrisarios, pro eo quod aliqui ex eis qui ad hoc fuerant de longinquis partibus advocati, & ip.emet, morte præventi fuerunt, non potuerit mittere ut concepit: tuam tamen excellentiam per easdem suas litteras monuit, & variis exhortationibus invitavit instanter, ut sic studeres habilitare materiam, sic animos tuum tuorumque disponere: quod in eorundem apocrisariorum, quos ad te, ut prædicitur, mittere sperabat, adventu, te ac prædictis tuis clero & populo præscriptam humiliter suscipientibus, & fideliter profitentibus fidei veritatem, facilis foret ad reliqua, Divina gratia favente, progressus. Ad quorum prosecutionem, & specialiter ad caritatis vinculum inter eosdem Latinos & Græcos solido fœdere confirmandum, si post receptionem & professionem ejusdem fidei, & postquam ab obedientiam ipsius Romanæ ecclesiæ tu, ac iidem tui clerus & populus, redissetis, ad locum, de quo eadem Romana expedire videret ecclesia, generale concilium peteres convocari: satis aperte spem tribuit, quod tuum in hoc desiderium adimpleret. Non ad prædictæ discussionem vel novam diffinitionem fidei, quam tanquam innumeris sacræ paginæ autoritatibus, numerosis sanctorum patrum sententiis, & Romanorum pontificum stabili diffinitione firmatam, nec ipse voluit, nec nos intendimus, sicut nec decet nec foret expediens, in dubium, novo ipsam exponendo examini, revocare.

Cujus seriem ad majorem certitudinem, ne forsan ejus copiam casus abstulerit, vel illius memoriam oblitterarit oblivio, nec non & illorum, quæ circa ejusdem Romanæ ecclesiæ primatum idem prædecessor Clemẽs, a te, tuis clero & populo supra dictis, acceptari, & recipi voluit, licet eadem per prædictas ipsius prędecessoris Clementis litteras ad tuam notitiam pervenisse credamus, præsentibus duximus, annectendã: quæ talis est. Credo sanctam Trinitatem, &c. *Eadem forma, iisdemque verbis, quibus in epistola Michaelis Palæologi ad Gregorium papam, quæ infra extat Græce ac Latine, cum aliis litteris in concilio lectis, vel ex concilio datis: ideoque omittẽda hic visa est ea professio.*

Nos igitur debita meditatione pensantes, idem negotium tam utiliter, tam propenso consilio, & exacta maturitate dispositum, & electum: ad executionem ipsius ab eisdem prædecessoribus nostris ordinem imitandũ potius, quam mutandum, dilectos filios religiosos viros fratres, Hieronymum de Esculo, Raymundũ Berengarium, Bonamgratiam de S. Ioanne in Persiceto, & Bonaventuram de Mugello, de ordine Minorũ, viros quidem pauperes spiritu, sed divites fide mundi huius contemptis divitiis, cæterisque abiectis illecebris, post Christum, simul in unum, divitem & pauperẽ, per suorum, quantum eis ab ipso conceditur, gradiendo semitam mandatorum, ipsam veram sapientiam imitantes, decrevimus ad tuam celsitudinem destinandos.

Ideoque magnificentiam tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino unigenito Dei filio Iesu Christo, per suæ crucis mysterium, & immensum redemptionis humanæ beneficium, in caritatis visceribus obsecrantes, quatenus ipsos benigne recipiens, & ad illũ respiciẽs salutis & pacis autorẽ, qui operatus est in medio terræ salutẽ, qui oriens ex alto pacem sibi acceptã, & ab omnibus acceptandam evidenter ostendens, eam in ortu suo angelorum ministerio bonæ voluntatis hominibus nunciavit, & inter homines conversatus verbo docuit, prædicavit exẽplo; ut ad ovile Domini redeas, ac ipsos tuos clerum & populũ eo concedente reducas; tibi

tibi & ipsis quietem tribuas; innumerabilibus pericalis animarum, & corporum, rerumque dispendiis, quæ guerrarum induceret, quam avertat Altissimus, horrenda calamitas, prudenter occurras; & de tam pii negotii consummatione in æternum tibi memoriale constituas, hujusmodi salutarem unionem Latinorum & Græcorum, quam tibi votivam admodum evidentibus fateris affatibus, sedulis prosecuturus affectibus; præscriptam Catholicæ fidei puritatem, immo puram & solidam veritatem agnoscas, suscipias corde humili & sincero, & coram eisdem fratribus apocrisariis nostris profitearis, ore veridico, & fideli; præmissum etiam ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum, ad illius obedientiam spontaneus veniens, recognoscas; ipsum acceptes & sponte recipias, prædictosque tuos clerum & populum, ipsam fidem similiter suscipere, profiteri, ac ad obedientiam ipsius ecclesiæ Romanæ venire, primatum ejus recognoscere, ac acceptare procures.

Præmissis primitus adimpletis, ad memoratam synodum, cui una cum aliis catholicis principibus te decebit, & nos desideramus & petimus, interesse, in loco in quo ipsam congregari continget, ut ad cætera quæ imminent, ipsorum & tuo fulti consilio, securius procedamus, vel personaliter venturus, si facultas adfuerit, vel apocrisarios, magnæ autoritatis & prudentiæ viros, tuo missurus nomine, per quos tuum nobis super agendis inibi consilium reveletur. Peracta siquidem hujusmodi utriusque populi, Latinorum scilicet & Græcorum, in prædictis professione fidei, & recognitione primatus, tam sancta, tam desiderabili unione: per quam præmissum tuum laudabilem zelum a te verbis & litteris frequenter expositum, facto manifestabis & probabis apertius; per quam nostrum eorumdem fratrum nostrorum aliorumque Latinorum tibi animos attrahere poteris, & in iis quæ agenda supererunt, nostrum & ipsorum favorem, in quibus sine offensa Dei præstari poterit, merito vendicare: ad præmissa solide roboranda commodius, & ad tractatum caritatis inter ipsos Latinos & Græcos, radicibus zizaniorum evulsis, omnibusque discordiis Domino annuente sedatis, inviolabiliter solidandæ, tanto efficacius, tantoque favorabiliter intendemus, quanto liberius tibi de regione dissimilitudinis jam reverso, post productam in spe recuperandæ innocentiæ stolam primam, post annulum in manu tua ex fidei professione positum, condescendere poterimus, & sine conscientiæ læsione rationabilibus acquiescere votis tuis. Sic namque præmissa cordi nostro insident, sic ad ea totis præcordiis aspiramus: ut pro eorum executione, non solum labores impendere, sed etiam superimpendi, modicum reputemus.

Propter quod, licet tam tibi & tuis hæc via salubrior, quam ipsius negotii qualitate sit aptior, cum fidei puritas consensum purum & liberum exigat, & conditionem aliquam non admittat: tamen si peccatis exigentibus populi utriusque nondum datum est desuper, ut ad ea prædicto modo complenda tuus tuorumque animi sint parati; nos non intendentes idem salutare negotium desperatione præcidere, sed saltem manuductione, qua possumus, promovere, tolerabimus patienter.

Quod si velis ad eandem sedem, ante prædictam synodum, vel in ipsa synodo, (ut ibi ordine suo prædicta omnia tam circa professionem fidei cum recognitione primatus ejusdem ecclesiæ Romanæ, quam circa ipsos Latinos & Græcos, dissensionis cujuslibet inter eos sublata materia, in caritate mutua uniendos, plenius & solidius compleantur) tuos apocrisarios destinare: ad eadem pro te ac ipsis tuis clero, & populo facienda, secure cum potestate plenaria solemnes, prout facti qualitas exigit, mittas apocrisarios ad præmissa. Volumus tamen quod prius, tam tu serenitatis tuæ apices, quam omnes, vel saltem patriarcha Græcorum, & aliqui alii majores prælati ejusdem imperii, prædictis nostris nunciis (in forma quam destinamus sub bulla nostra per ipsos tibi, cum te ac eosdem tuos clerum & populum, ad hæc procedere velle patuerit, ostendendam) litteras concedatis, de præmissis professione fidei, & recognitione primatus ejusdem ecclesiæ Romanæ, primo apud nos per eosdem solemnes mittendos apocrisarios, (Domino viam ad sedandas inter eosdem Latinos & Græcos discordias alias demonstrãte,) tuo & tuorum nomine infallibiliter faciendis; & postmodum per te, prælatos omnes, ac tuos clerum & populum supradictos, cum a sede ipsa mandatum fuerit, personaliter iterandis. Nos enim eosdem tuos apocrisarios, concessis prædictis tuis apicibus & prælatorum litteris destinandos, recipiemus alacriter, caritative tractabimus, & ad consummationem præmissorum cum omni diligentia, prout Dominus concesserit, procedemus. Et nihilo minus super sedatione discordiarum ipsarum, tam per ipsos apocrisarios, quos ad præsens mittimus, quam per alios hinc inde mittendos, poterit interim tractatus haberi, & exquiri diversæ viæ ac modi qui ad expeditionem faciliorem idem negotium favente Domino præparabunt.

Quia vero cordi nobis est de ipso negotio saltem in eadem synodo providere salubriter, & ideo desideramus, quod dudum ante ipsam ad nos de illorum exitu, felici utinam, perveniat certitudo: celsitudinem tuam affectuose requirimus, & rogamus instanter, ut eosdem fratres apocrisarios nostros feliciter & sic celeriter studeas expedire, quod redeuntes cum tuo certo ad præmissa responso, dictum tempus pro ejusdem synodi congregatione præfixum adeo valeant commode prævenire, quod ad ejusdem negotii provisionem ante ipsam synodum possit, ut decet, habilitari materia, sufficientis ad hoc temporis opportunitate concessa.

Scire quidem te volumus, quod si eosdem nostros nuncios, contra hujusmodi nostrum desiderium, retardari contingat: nos de tua responsione incerti, tam utilis negotii prosecutionem, per vias, quas ad animarum salutem Dominus aperire dignabitur, propterea nec omittere intendimus, nec differre. Datum apud Vrbemveterem nono Kalend. Novembris, anno I.

*** EIVSDEM EPISTOLA AD IOSEPHVM PATRIARCHAM GRÆCORVM.

Vocat eum & alios episcopos ad concilium generale, & ad promovendam Græcorum cum Latinis concordiam hortatur.

Dilecto in Christo fratri patriarchæ Græcorum, spiritum gratiæ salutaris.

MVlto, sicut nosse te credimus, labore sudatum est, ut inter Latinos & Græcos subductis seminariis antiquæ scissuræ, vigeret inter eos fidei unitas, consolidetur inter ipsos unio caritatis. Sed impediente illo, ut credimus, qui primum schisma excitavit in cælo, nondum est votis laborantium satisfactum. Nos autem de illius omnipotentia spe concepta, qui concordiam in sublimibus operatur, a labore tam utili non putavimus desistendum: sed insistendum potius tanto propensius, quanto fructus ex eo, Deo auspice, proventurus, ipsi erit acceptior, mundo utilior, & saluti convenientior animarum.

ANNO CHRISTI 1274.

rmu. Et ideo cum fratribus nostris deliberatione præ- A habita, propter hoc, & ad providendum utiliter de succursu terræ sanctæ, necnon & de reformatione morum, qui videntur in clero & populo graviter deformati, ac aliis, quæ animarum salutem respiciunt, & ad statum orbis pacificum, autore Domino, redundabunt: concilium de ipsorum fratrum nostrorum consilio indiximus generale in Kalendis Maii anni ab Incarnatione Domini millesimi ducentesimi septuagesimi quarti, annuente Domino, congregandum, universos Catholicos orbis principes & prælatos ad ipsum per nostras sub certa forma litteras advocantes.

Et quia tractatum concordiæ inter eosdem Latinos & Græcos a felicis recordationis Urbano & Clemente prædecessoribus nostris Romanis pontificibus invenimus laudabiliter ordinatum: ordinem ab ipsis pro- B vido approbatum consilio, dignum prosecutione potius, quam immutatione censentes, ad faciliorem expeditionem tractatus ejusdem, & consummationem tam pii negotii, concedente Domino, promptiorem, ipsum deliberavimus prosequendum. Ad quod magnifico viro Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illustri nuncios & litteras destinamus: per eas, sibi persuasiones varias, qualitati tractatus ipsius aptas & utiles, nec non & alia, quæ ad felicem exitum tam salutaris negotii expedire putavimus, plenius explicando. Quæ cum tibi per easdem litteras innotescenda speremus, consulto præsentibus non duximus repetenda.

Quia vero tuum specialiter in his credimus consilium utile ac auxilium opportunum: fraternitatem tuam monemus, rogamus, & hortamur in Domino C Iesu Christo, per sua immensa beneficia obsecrantes, quatenus Divinæ remunerationis obtentu, te non solum cooperatorem, sed & specialem in his constituens promotorem, ad celerem & felicem expeditionem illorum, quæ per easdem litteras paternis affectibus, & piis desideriis postulamus, studio piæ devotionis intendens, sic ad illa celeriter exequenda tam memoratum imperatorem, quam alios, qua potes inductionis diligentia, exhorteris, & efficacia exhortationis inducas, quatenus negotio hujusmodi tuo suffragio feliciter consummato, in retributione justorum, ab eo qui nullum bonum sine remuneratione relinquit, cum spe favoris apostolici tibi D proinde non immerito acquirendo, mercedem condignam tam utilis cooperationis, immo potius promotionis, securus expectes.

Cæterum quia his Domino præstante peractis, te ac alios prælatos Græcorum, prout prisca consuetudo suggesserit, decebit ei concilio interesse, ut una cum prædictis principibus & prælatis, nobis in dirigendis, quæ nibi sunt agenda, tu & ipsi consilio & auxilio assistatis: rogamus, & petimus, ut tu, & illi, quibus per te id denunciari volumus, ad idem concilium, loco, in quo illud congregari continget, personaliter veniatis. Nos enim te ac illos benigne re- E cipiemus, & caritative tractabimus, & honore quo decuerit prosequemur. Datum ut supra.

*** MICHAELIS PALÆOLOGI IMPERATORIS AD GREGORIUM X. EPISTOLA.

Respondet epistolæ Gregorii.

Sanctissimo & beatissimo domino Gregorio papæ veteris Romæ, ac universalis ecclesiæ summo pontifici, & sedis apostolicæ successori, reverendissimo patri suo; Michael in Christo Deo fidelis imperator, & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, semper Augustus. Suæ sanctitatis obediens filius, debitam paternitati unà reverentiam & orationem petitionum.

ANNO CHRISTI 1274.

MUlta sunt, sanctissime Domine, quæ possent spiritualem delectationem conferre homini, & suaderent exultatione & lætitia animæ actionum gratiarum laudem attribuere Deo vero. Sed nobis videtur, quod nunquam aliquid sic lætificare potuit aliquem, sicut nos exhilaravit epistola vestræ apostolicæ sanctitatis nuper imperio nostro transmissa: quam gavisi recepimus, cum in spe eramus ipsam ad nos diutius destinari. Quam etiam multo desiderio legimus, & perlecta lætati fuimus in lectione ipsius: & sicut ex adipe & pinguedine ipsius delectatione repleti, omni gaudio fuimus recreati.

Primo quidem quia nobis fuit a vobis destinata epistola, quem supremum profitemur pontificem, utpote apostolicæ sedis successorem & decus; & etiam erga imperium nostrum affectuose dispositum, paternalem obtinere affectum, quem tanquam lucernam lucentem paritate conversationis & vitæ divinitate, super maximam pontificatus sedem, veluti super candelabrum, Deus constituit, ut in omnibus finibus fulgeretis. *Cujus opera*, juxta Sirach, *sicut Sol in conspectu Domini: & oculi conspicui super vias ejus*; cujus laudem lingua nostra tota die propterea meditatur. Eccli.16.17.

Secundario vero, quia pacem Christianitatis & plenitudinis unionem, quæ adest secundum Deum, quam nos etiam semper sitimus (novit hoc pacis Deus) desiderare vestram paternitatem ipsa epistola deifice denotabat: quæ nos etiam suadebat, vestram in hac parte agnoscere sanctitatem instantem cohortatricem boni hujus, & cooperationem promptissimam & sinceram, & dicere: Ecce vir *timens nomen Domini, in cujus ore lex veritatis consistit, & iniquitas in ejus labiis non invenitur: quoniam ambulat in pace directus*. Et juxta magnum Eliam: *cor restituit patris ad filium*. Malach. 2. 6. Luc. 1. 17.

Hujus gratia multo magis exultati in his, ultra quam qui invenit spolia multa, & illum, qui hoc perficit, non cognovimus alium præter Deum: cui juste & digne ad gratiarum acumen assurgere commovemur, dicentes: magnificetur semper Dominus, quia erexit vos semper magnum pontificem suorum servorum, pacem optantem, qui suum sanctissimum nomen invocant indefesse.

Et licet antea pergeremus ad viam unionem serenrem, & festinaremus ad hoc negotium ab antiquo, quod communem Christianorum utilitatem exhibet, nunquam sine solicitudine tanti operis moraremur: nunc tamen, ex quo ad nos vestræ sanctitatis litteræ pervenerunt, multo magis institimus, & cum ardore animæ festinantes, opus suscepimus peroptatum: ad Dominum continue aspicientes, illum inceptionis nostræ & promptitudinis cooperatorem obtinere & perfectorem continuum invocantes, qui jam vestris sanctissimis & sacratissimis orationibus exhilarati. Cum ipse Deus clemens, sit cupiens unionem, propitius ad nos inspexit, & orationes nostras benigne intendit, super cogitationes nostras ascendens: & secundum suam magnam & ineffabilem misericordiam intellectus nostros direxit, & viam nobis rectam ostendit, per quam bene perficietur, & dexteram consummationem accipiet negotium supra dictum, & modico temporis spatio tantum opus Deo acceptum manifestabitur: cum ad honorem & gloriam ejus existat, acceptũ etiã apostolicæ ecclesiæ & vestræ etiã sanctitati.

Primitus enim, sanctissime Domine, dum occuleretur via, quæ ducebat ad pacem, incertus erat modus qualiter ipsam tractare deceret: & sicut errantes vere oves currebant, & dubium erat ut aliquis posset ad finem hujus operis pervenire.

ANNO CHRISTI 1274.

Deus autem ex quo ostendit principium, nullum impedimentum consistit nec prohibet: sed negotium sic facile de cætero compleri videtur, quod omnis dubitatio & formido procul habetur, quod spes quoque melior animabus plantatur, & nos cum favore Divino putamus amodo finem inde attingere concupitum. Tali enim modo in spe bona existentes, quod etiam sic oportet cum Deo sperare vestram apostolicam sanctitatem.

De hoc vero quod accidit moram nobiscum protrahere fratres, & aliquis finis usque ad hodiernum diem non apparuit, exinde vestra sanctitas non admiretur: cum licet quid modicum videretur in principio, quæ inter nos & vos differentia modica consistebat: sed ipsius prolixitas in tantam invaluit, & tam magnam dilatavit & fecit, quod nec facilem esse, quamvis hoc putetur ab aliquibus, verum etiam difficilem & onerosam dissolutionem hujusmodi, repræsentat.

Quare omnes dicent: opus est ad hoc temporis, & laboris. Temporis quidem, ut congregatio fiat pontificum, qui longe existunt; quos necesse est adesse huic communi negotio, & voluntatem & propriam intentionem facientem pacem proferre, & nobiscum sentire, quod omnibus expedit: qui prælati non modica pars universitatis consistunt, ut ne forte veterem scissuram fuere quærentes, alteram de novo ex imperitia, & non minorem priore aliunde rumpamus. Laboris autem, quia per instantiam & perseverantiam fit, & etiam quæ sunt difficilia emendare quis potest. Præter autem ista nihil unquam homo de levibus perficit, non solum tantum negotium, quale hoc existit propositum. Unde si debet illorum aliquid consummari, quæ expediunt, & quæ consummatum ad omne tempus, quod deinceps erit firmum, forte, & perenne, vallari: necessarium est, quod labor sit, & temporis erogatio intercedat.

Sed ne forte propterea vestra sanctitas aggravetur, ut aliquas inde cogitationes assumat propter moram fratrum. Duo ex ipsis videlicet fr. Raymundus Berengarius, & fr. Bonaventura de Mugello, electi, ad præsens mittuntur ad vestræ præsentiam sanctitatis: alii vero apud nos manent. Illi quidem ut annuncient vestræ sanctitati ea quæ viderunt, & audierunt, & quod in vanum minime cucurrerunt, nec inaniter laborarunt: sed annuente Deo præclarus illico eorum labore consequetur & fructus. Hi autem consummato opere (cujus dies consummationis non longe est a præsenti, sed jam animabus nostris splendidam producit auroram) cum nostris nunciis apostolico vestro culmini, quid confirmatum fuerit, intimabunt.

Quantam autem ad hoc negotium Deo amabile festinationem, quantamve solicitudinem & antea nostrum intulit imperium, & nunc magis etiam introducit, non est opus litteris explicare: cum hujusmodi opus non duxerimus omittendum. Fratres vero cum sint viri religiosi & spirituales, pleni bonorum fructuum, & servitores proprie veritatis, sicut veri discipuli Christi, & sanctitatis vestræ, bene scimus, quod nullatenus occultabunt nostram proferre operationem ad vestram apostolicam sanctitatem. Ipsi enim eorum oculis diligenter viderunt, didicerunt, & noverunt certissime, quod cum David passi sumus assiduam afflictionem, dum oculis nostris somnum non dedimus, nec palpebris dormitationem: sed noctis vigiliæ nos occupant, meditantes ea quæ pacis & unionis existant. Sol autem oriens in his sedentes nos conspicit, & occidens hoc nos meditantes dimittit. Loquimur cum aliquibus, & hæc sunt facta nostri colloquii: consulimus, & de his dispensantes conti-

A nue cogitamus, & cogitantes intra nos hæc meditamur. Non enim tempus comestionis a nostro pectore curam istam expellit, non dispensatio communium rerum, non moderamina militiæ, non curæ bellorum, non quæcumque aliquis posset dicere, aut delectationem, aut contrarium ad nos ducentia: sed aliorum omnium rationem minimi facientes, pro uno tantummodo opere isto cogitationes omnes revolvimus, cum ad alias solicitudines, sicut homines corpus habentes, laborantes, fatigantes, & fessi aliquando effecti, ad unum solum tantummodo Deum nempe erigentem, & potentes nos facientem, infatigati pacifice invenimur, non omnino a nostra pristina promptitudine desistentes, sed supereminentem promptitudinem promoventes amplius peraugemus. Quare argumentamur, quod nunc Deus magis astitit in medio

B nostrum, quam unquam fuit temporibus retroactis, uniens & conjungens distantia, secundum magnam ejus & inscrutabilem voluntatem.

Et de his quidem fratres, si voluerint, ac de nostro imperio coram vestra sanctitate veritatis testimonium perhibebunt: propositum autem animæ erga beatitudinem vestram, nec ipsi narrantes possent sufficienter ostendere, nec nos propter tanti loci distantiam litteris explicare. Propositum autem animæ quantum existit, nunquam per opera potest manifestari: quanto magis sermonibus enarrari? Verumtamen quamvis aliquam modicam imaginationem magni negotii possit quis a vobis comprehendere: bene novit magnitudo vestra, sanctissime Domine, quod tam cito unionis perfectæ resplendet bonum, sicut jam in Deo confidimus, apud quem totius operis est consummatio. Hu-

C jus solo nutu omnia possibilia inveniuntur, tunc & nunc, ex quo & quæ pertinent a vestra sanctitate, tanquam a speciali patre, a nostro imperio tribuentur, specialem filium nos inveni etis sanctæ Dei ecclesiæ, & vestræ apostolicæ sanctitatis; & benedictiones & orationes vestras, & aliter, & quæ ad vestram sanctitatem pertinent, & ad me tanquam filium immediatum, heredes effecti suscipiemus, & obediemus vobis, & quod vobis erit placitum faciemus, propriamque vestræ sanctitatis intentionem complebimus, quæcumque, & ubicumque volueris, juxta omne quod videbitur bonum Deo. Non enim esset decens, si nos sicut filii paternitate vestra fruentes, & quæ ab ipsa paternitate debentur filio, quod nos condignam obedientiam & reverentiam non ostendissemus sicut filii speciales ad patrem. Et propter hoc parati erimus, & nos parabimus quod Deo placitum est, & vestræ san-

D ctitati, cum magno studio percomplere, & taliter ut scribimus in proposito firmiter obtinemus. Postquam consummatum erit negotium, dexterum a Deo finem recipiet. Sed vestrum de cætero opus erit, sanctissime Domine, & magis vos ipsos dari huic adeo amabili & salutari negotio, & festinare ad consummationem pacis, nullatenus desistentes. In quantum sit vestræ altitudinis magnitudo, & super omnes cognoscetur: in tantum oportet præ cæteris festinare, & operam adhibere, ut ad consummationem veniat opus propositum peracceptum.

Hujusmodi autem præsumptuose quodammodo scri-

E bere moti sumus vestræ apostolicæ sanctitati, quia & alias, cum debemus adinvicem ad pacem conjungi, existentes jam ad unionis consummationem, licet alio modo tunc temporis ea quæ sunt pacis tractabantur, aliter vero nunc dispensatur gratia Christi. Consideravimus aliquos sequentes proprias voluntates, & injuste pacis prosecutionem prohibentes, qui jam consensu diutino perfecerunt propositum eorundem, & bonum Christianæ gentis invidentes, inimicitiam ad commune intentum omnium introduxerunt. Nos tamen

ANNO CHRISTI 1274.

tamen omnem curam unionis & concordiæ apponentes, sic habemus per omnia, sicut dictum est, & nulla a nobis consurget occasio. Nam quales in verbis nos ostendimus fore, tales etiam, & ferventiores, nos in operibus invenietis paratos.

A

Beatitudo autem vestra, sanctissime domine, non aliter de nobis recogitet, nec aliquam hæsitationem habeat de consummatione negotii sæpe dicti: sed omnem ambiguitatem & timorem ejicientes ab anima, de consummatione & perfectione negotii sæpe dicti, quod ad manus est, sicut jam ad præsens recipiet sanctitas vestra. Tempus enim, in quo magis convenit dispensari super Christianorum utilitate communi, non aliud nunc quidem videtur, quam præsens, ad quod nos quidem, ad unum convenientes, cooperatione Spiritus sancti, ubicumque voluerimus ambulare, in Deo faciemus virtutem, angulari lapide Christo, qui est caput ecclesiæ, in quo omnis ædificatio ad templum sanctum in medio nostrum compaginata concrescit, justam exinde promissionem habentes, & nos in pace indiruptibiliter conjungentes, non duo vel tres existimemus, sed milliana infinita & innumerabilia in ipsius nomine congregata.

B

Contra inimicos autem Dominicæ crucis, divi Amos dictum bene & optime inducitur: *Occidet Sol in eis in meridie*, sic opinantibus ex angustia cordis, & obumbrabitur super terram eorum in die lumen, & in meridie velut in nocte palpabunt: expugnatio erit eis, & totalis destructio: redemptio vero terræ sanctæ & ultra alienigenæ non transibunt per eam. Ait Ioel magnus: *Ægyptus ad destructionem erit, & Idumæa ad campum perditionis.* Et sic tanquam ignis & flamma novi Israelis domus apparebit. Domus vero Esaü tanquam stipula, & consummabuntur, inquit: quoniam venerunt dies vindictæ juxta dictum divi Oseæ, & dies retributionis eorum. Nos vero tota Christiana gens dicimus, faventibus orationibus vestris, virtutem a Deo accipientes: dilatati erimus, & ad pristinum iterum veniemus. Si distantia enim nostra impiis superbiendi libertatem concessit: coadunatio utique & in unum congregatio manifestissimum eis interitum præparabit. Istud est tempus illud, quod multi quidem nostrorum spiritualium virorum, & etiam non pauci vestrorum, mentis oculis discernentes, & prophetizantes super hoc, desiderarunt etiam illud corporeis oculis revidere, sed non viderunt. Deus autem in vestris diebus, sanctis vestris orationibus annuens, videre hoc nos dignos concessit, secundum suæ judicium voluntatis: quod non decet omittere apostolicam animam vestram, nec in vanum transire concedere. Incertum enim existit, si tale deinceps tempus eveniet.

Amos. 8.

Ioel. 3.

C

D

Sed hæc quidem, beatissime domine, & propter bonas spes & confisas, quas decet vos de futuro habere, suggerunt vestræ scribere sanctitati, ut ad futurum quod jam per vos debet celebrari concilium, futuram cum Deo ecclesiarum annuncietis confirmationem & restaurationem; & omnes divi viri qui congregari debent ibidem, cum deceat ipsos gaudere super negotio ipso, lætiores fiant, certificati de perfectione unitatis prædictæ: & etiam quod omnibus certificetur, quod labor, quem sanctissima benignitas vestra ad præsens negotium subrogavit, non vanus factus est, illius gratia qui ad hoc vos inspiravit; illa fiducia, quam ad ipsum habetis; sed ad tempus conducens, reddet fructum, non solum in triginta & sexaginta, sed etiam ad centuplum, juxta vocem Salvatoris in evangeliis. Residuum sane in cura vestræ sanctitatis existit.

E

Quid restat? debent in brevi nuncii nostri una cum aliis fratribus qui penes nos existunt, viam cum Deo accipere, ad vestram sedem altissimam proficiscentes, ut appareant coram vobis cum perfectione operis peroptati. His autem hoc facere debentibus, sicut summus pontifex & pastor pervigil animarum, ac provisor omnium, provideatis, si placet, & viam qua transire debent nuncii, modis omnibus securam & sine periculo fieri statuatis: ut sine impedimento, nostri nuncii valeant ad vestram sanctissimam præsentiam proficisci. Nam timemus valde, ne ipsis differentibus tanti & talis operis effectum, forte antiquus bellator pacis, motus invidia, tanto Divino operi obviare conetur: &, ut imperfectum contingat multo tempore remanere, per quosdam iniquos homines indesperate periculum operetur. Sed divinitas vestra, sua magna providentia repellat insidias assidui inimici. Quare dictis nunciis, & fratribus, viam præparetis securam, ut exinde verecundia malignitatis principi fiat; & eorum cogitatione annullata, vestræ providentia sanctitatis, bonum, quod labore est tanto tempore acquisitum, perducatur ad finem: ne propter despectum, antequam confirmetur & radicetur, aperte rumpatur. Quemadmodum enim labor potest reædificare, quod destruxit inertia: ita destruit incuria, quod acquisitum est labore. Quapropter divinam vestram & efficacem in operationibus providentiam ad hæc cogitavimus incitare, quam certi sumus tribuere velle negotio ante dicto: in Deo confidentes, qui pacem super omnia acceptat, & ipsam tribuit animabus diligentium ipsum, & in vestra providentissima & imitativa sanctitate, cujus orationes nobis affectuose concedantur. Amen.

ANNO CHRISTI 1274.

** GREGORII X. EPISTOLA ad Græcorum imperatorem.

ANNO CHRISTI 1274.

Respondet ejus epistolæ, & ad mittendos quamprimum apocrisarios hortatur.

Magnifico viro Michaeli Palæologo illustri imperatori, gratiam in præsenti, per quam gloriam obtineat in futuro.

Litterarum series, quas nobis novissime tua magnificentia destinavit, cunctis, qui spiritu Dei aguntur, ipsas audientibus, gaudii & exultationis in Domino materiam subministrat. Siquidem circa instans unionis Latinorum & Græcorum desideratæ, perutilis, ac Deo acceptæ negotium, & intensam tuum testatur affectum, & votivum illius exitum proximum repromittit: adjiciens inter cætera, quod cum qualem te ostendis in verbo, talis & ferventior inveniaris in opere, nullius dubitationis scrupulus in nostro corde remaneat de confirmatione ac perfectione negotii supradicti. Hæc quidem catholicos rei conscios in jubilum excitant animos.

Sed multorum circa hoc motus reprimit, quod, ut verum fateamur, quamplures magnæ conditionis & status asserunt, unionis prædictæ tractatum ex Græcorum parte diutius in figmentis verborum & simultate deductum. Propter quod & nobis super apocrisariorum nostrorum, qui ad tuam pervenere præsentiam, deliberantibus missione, id dissuasere frequentius: viam aliam, quæ se videbatur offerre præ manibus, potius suadentes. Licet autem illis credulitatis aures non duxerimus inclinandas, hæc tamen excellentiæ tuæ ad stimulum quasi sollicitudinis exponimus: ut attendens, quod ex iis, quæ de prædictis tuis litteris brevis supra commemoravit epilogus, & aliis, quæ patent latius in eisdem, te oris tui verbo non solum Deo, sed & universis audientibus, si famam tuam non negligas, ad consummationem prædicti negotii quasi obligasse videris; ad illam sic solerter intendas,

ANNO CHRISTI 1274.

tendas, & efficaciter, & in veritate procedas, quod tuæ promissionis effectu per evidentiam operis apparente, obstruantur ora inique loquentium, qui celsitudinem tuam libenter forte notarent, quasi non in sinceritate debita hoc tam salubre negotium prosequaris; sed & nunc post nuncios nostros tanto tempore detentos, quasi necessitatem dilationis ingesseris, sicut hactenus ex eadem parte frequenter ingestas asserunt, ut per angustias temporis & per inopinatos casus, qui persæpe in negotiis tractandis emergunt, desiderato fructu hoc tam salubre negotium frustraretur; ne quando nobis supergaudeant & insultent ac dicant: ecce quod verebamur accidit. Sicut enim vobis prædiximus, solam perditionem temporis nostrorum missio habuit nunciorum.

Hæc sicut ad tuam instructionem & provisionem de paterna dulcedine prodeunt, ita in tuæ considerationis attentione dulcescant. Sic enim ad salutem animæ tuæ afficimur, ut & personæ in via hac, quam præmissæ litteræ te ambulare describunt, zelemus honorem; & desideremus te diligentissimum fore opinionis tuæ custodem, curam habentem de tuo nomine, nec famam aliquatenus negligentem. Persta igitur: nosti enim, quod perseverantiæ palma debetur. Persta, & quæ te præmissæ tuæ litteræ tam solicite incœpisse commemorant, & nuncii nostri, qui ad nos rediere, testantur, solicitudine continuanda, & quantum facultas permiserit, augmentanda, prosequere, ad obtinendum immensum Divinæ retributionis præmium, & memoriale inter homines de tam pio, Deo tam amabili, & Christianitati tam votivo, tam utili opere in æternum: missurus apocrisarios, quorum cædem magnitudinis tuæ litteræ pollicentur adventum cum potestate plenaria; & ad omnia, quæ nostrarum missarum ad te per eosdem nuncios litterarum tenor exigit, plene, prout decet, instructos.

De quorum securo conductu, sicut inserta tuis litteris petitio continebat, per viam a celsitudinis tuæ nunciis ad nos propter hoc inter cætera destinatis de speciali mandato tuo, ut dicebant, electam, salubriter duximus providendum. Datum Lugduni IX. Kal. Decembris, pontificatus nostri anno II.

BREVIS NOTA EORUM quæ in secundo concilio Lugdunensi generali acta sunt.

In nomine Domini. Amen.

ANno ejusdem millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, mense Maii, die Lunæ septima ejusdem, tertia Indictione, congregato generali concilio per sanctissimum patrem dominum Gregorium decimum, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ summum & universalem pontificem, Lugduni, in majori ecclesia sancti Ioannis Lugdunensis, injuncto prius per ipsum sanctissimum patrem, quinto die ante sessionem, scilicet secunda ejusdem mensis, omnibus prælatis & capellanis suis jejunio triduano, & sedibus præparatis in navi ipsius ecclesiæ per circuitum: idem dominus papa circa horam Missæ descendens de camera sua in ipsam ecclesiam, præparato sibi faldistorio in choro, conducentibus eum duobus diaconis cardinalibus, ut moris est, dixit Tertiam & Sextam, quia erat dies jejunii. Quibus finitis subdiaconus venit cum sandalibus, & calceavit eum, capellanis dicentibus psalmos consuetos circa ipsum: & eo calceato, & lotis manibus, diaconus & subdiaconus more solito induerunt eum omnibus vestimentis pontificalibus albi coloris, quia inter Pascha & Ascensionem erat, & pallio, sicut si esset Missam celebraturus. Et inde præcedente cru-

A ce, ascendit pulpitum præparatum & ornatum, & sedit in faldistorio suo, ministrante sibi pro presbytero, domino Simone tituli sancti Martini, & diacono domino Othobono cardinale, & assistentibus sibi in eodem pulpito ipso domino Othobono sancti Hadriani, & dominis Iacobo sanctæ Mariæ in Cosmedin[a], sancti Georgii ad Velum aureum; Huberto sancti Eustachii, Matthæo sanctæ Mariæ in Porticu, diaconis cardinalibus; etiam sedente juxta eum domino Iacobo rege Aragonum, assistentibus etiam sibi quibusdam capellanis superpelliceis indutis: sedens idem summus pontifex in faldistorio suo fecit crucem super prælatos & concilium, qui sic sedebant ab opposito, & in eminentibus sedibus præparatis. In medio navis ejusdem

B ecclesiæ sederunt domini, Pantaleo Constantinopolitanus, & Opizio Antiochiæ, patriarchæ[b]. In sedibus aliis a latere dextro pontificis sederunt domini, Ioannes Portuensis, & sanctæ Rufinæ, Petrus Tusculanus vicedominus Prænestinus, frater Bonaventura Albanensis, frater Petrus Ostiensis & Velletrensis, Bertrandus Sabinensis, episcopi cardinales; a latere vero sinistro, Averus tituli sanctæ Praxedis, Guilielmus sancti Marci, Simeon tituli sanctæ Cæciliæ, presbyteri cardinales. Post hos vero a dextris & sinistris sederunt primates, archiepiscopi & episcopi, abbates & priores, & alii ecclesiarum prælati in magna multitudine, non discrepantes de locis, cum per eundem summum pontificem fuerit ordinatum, quod sine præju-

C dicio ecclesiarum suarum sederent: stantibus autem inferius fratre Vilielmo de Hospitali, & fratre Roberto magistro Templi, & aliquibus fratribus earundem religionum, & nunciis solennibus Franciæ, Alemaniæ, Angliæ, & Siciliæ regum, & aliorum multorum quoque principum, baronum, capitulorum, & ecclesiarum procurator[c]. Capellani cantaverunt antiphonam, *Exaudi nos Domine*: qua finita dominus papa surgens, dixit *Oremus*. Dominus Othobonus flexis genibus, & dominus Iacobus, dixerunt: *Levate*. Et summus pontifex dixit alta voce orationem, sicut habetur in ordinario. Deinde per unum capellanum cantata est litania minor, domino papa & omnibus cardinalibus & prælatis adstantibus genibus flexis: & si-

D ne mitra. Qua finita per eundem capellanum, & respondentibus sibi quamplurimis, dominus papa surgens, dixit: *Oremus*. Dominus Iacobus flexis genibus, & dominus Gottifredus, responderunt: *Levate*. Et dominus papa dixit aliam orationem in tono secūdum primam. Posthæc dominus Othobonus, facta reverentia domino papæ, & benedictione petita, ut moris est, cantavit evangelium secundum Matthæum, scilicet: *Designavit dominus Iesus alios septuaginta duos.* Luc. 10. Quo finito dominus papa stans erectus, alta voce incepit hymnum, scilicet, *Veni creator Spiritus*. Quo cantato per ipsum, & totum concilium, stans sine mitra, cum magna devotione, ipse sedit in faldistorio suo, &

E omnes prælati in locis suis sederunt: & tunc ipse incepit sermocinari, proposito themate, scilicet: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar, & antequam moriar*: & prosecutus est sermonem suum. Luc. 22. Quo finito, & pausato aliquantulum, cœpit alloqui concilium, narrando motum & votum animi sui, & causas propter quas evocaverat concilium, & super quibus, scilicet super subsidio terræ sanctæ, & super unione Græcorum, & super reformatione morum. Qua allocutione completa, surrexit de sede, & indixit aliam sessionem ad aliam diem, Lunæ scilicet; & sic dissoluta est prima sessio. Idem autem papa rediens ad locum ubi ipse se induerat, exuit se pontificalibus vestimentis, & dixit Nonam.

Eodē anno & mense, die vero venienti decima octava ejusdem, facta est secunda sessio, in qua omnia

facta

[a] Adde, Gottifredo.
[b] Patriarchatus Latini.
[c] Corr. procuratoribus

ANNO CHRISTI 1274. facta sunt sicut in prima, excepto quod non fuit indictum jejunium, & pro presbytero servivit dominus Averus, pro diacono dominus Iacobus, & quod aliud evangelium cantatum est, scilicet secundum Lucam: Luc. 14. *Vos estis sal terræ:* & quod aliæ orationes dictæ sunt, sicut in ordinario habetur; & quod dominus papa non fecit sermonem, sed allocutionem tantum super illis quæ fuerant in prima sessione. Qua allocutione finita, latæ sunt constitutiones pro zelo fidei, & licentiati sunt omnes in ista sessione procuratores capitulorum, ac abbates & priores non mitrati, exceptis illis qui fuerunt nominatim ad concilium evocati: licentiati sunt omnes alii inferiores prælati mitrati, & indicta est tertia sessio ad diem Lunæ post octavam Pentecostes, quæ erat vigesima octava Maii. Et sic dissoluta est secunda sessio.

Inter primam & secundam sessionem, dominus papa cum cardinalibus advocarunt segregatim archiepiscopos, & quemlibet cum uno episcopo & abbate suæ provinciæ, & divisos habuit eos in camera sua, episcopos etiam & abbates, qui immediate subsunt Romanæ ecclesiæ. & petiit & obtinuit ab eis omnes decimas redditumm, fructuum, & proventuum ecclesiarum usque ad sex annos continuos, incipiendo a festo sancti Ioannis Baptistæ instantis anni Domini millesimi ducentesimi septuagesimiquarti, usque ad sex annos continuos futuros, sicut in constitutione habetur.

Item pendente termino sequentis sessionis, frater Hieronymus & frater Bonagratia de ordine fratrum Minorum, qui missi fuerant nuncii cum duobus fratribus per Romanam ecclesiam ad Græcos, miserunt quasdam litteras domino papæ, de quibus ipse dominus papa multum gavisus est, & fecit vocari omnes prælatos in majori ecclesia Lugdunensi: & ibi omnibus prælatis existentibus in cappis suis, frater Bonaventura Albanensis episcopus sermocinatus est, proposito themate, quod legitur Baruch: Baruch. 5. *Exurge Ierusalem, sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & inde collige filios tuos ab Oriente usque ad Occidentem:* post cujus sermonem lectæ sunt prædictæ litteræ.

Eodem anno, mense vero Iunii, die ejusdem septima, in qua omnia facta sunt sicut in prima, excepto quod non fuit indictum jejunium, & quod pro diacono servivit dominus Gaufredus ad Velum aureum, & quod cantatum est aliud evangelium, scilicet secundum Matthæum: Matth. 8. *Accesserunt ad Iesum discipuli,* &c. & quod aliæ orationes dictæ sunt sicut in ordinario continetur, & quod non fuit ibi rex Aragonum, & quod frater Petrus Ostiensis episcopus sermocinatus est, incipiens thema, scilicet: Isaia 60. *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi.* Et postea lectæ sunt constitutiones, scilicet: Vt circa electionem, Avaritiæ cæcitas, Quam sit ecclesiis, Perpetuæ sanctionis, Nulli dicere, Si quando contigerit, Quamvis constitutio, Properandum, Eos qui clericos, Exigit multorum, Constitutionem felicis recordationis Innocentii papæ, Præsente generali. Quibus lectis dominus papa allocutus est concilium, & dedit licentiam omnibus prælatis quod possent exire Lugdunum, & elongare se usque ad sex leucas. Diem alterius sessionis non præfixit, propter dubium adventum Græcorum: & sic absoluta est tertia sessio. Tamen inter secundam & tertiam sessionem dominus papa vocavit prælatos, sicut inter primam & secundam, & fecit legi coram eis constitutiones prædictas: quæ lectæ sunt.

Eodem vero anno & mense, die vigesimaquarta, nuncii imperatoris Græcorum venerunt, quorum nomina sunt in littera missa papæ. Omnes prælati qui erant in concilio cum familiaribus suis, camerarius

A cum tota familia papæ, vicecancellarius, & omnes notarii, ac omnis familia cardinalium, exiverunt eis obviam, & eos usque ad palatium domini papæ honorifice conduxerunt: qui ab eodem domino papa stante in aula ejusdem palatii cum omnibus cardinalibus, & multis prælatis, ad pacis osculum honorifice sunt recepti: & eis repræsentaverunt litteras imperatoris Græcorum bullatas bulla aurea, & alias litteras prælatorum, & dixerunt in præsentia domini papæ, quod veniebant ad omnimodam obedientiam sanctæ Romanæ ecclesiæ, & ad recognitionem fidei, quam ipsa ecclesia tenet, & primatum ipsius, *&c.* Et post hoc venerunt ad hospitia sua.

Eodem anno, & mense, die vigesimaoctava, in festo apostolorum Petri & Pauli, dominus papa celebravit Missam in majori ecclesia sancti Ioannis Lugdunensis, existentibus ibidem omnibus cardinalibus, & prælatis, qui ad concilium fuerant evocati: lecta est epistola in Latino, & Græco, & cantatum est evangelium per dominum Othobonum in Latino, & quemdam diaconum Græcorum in habitu in quo Græci solent cantare, in Græco, post eum. Quibus dictis, frater Bonaventura fecit sermonem suum usque ad finem: postea vero cantatum est symbolum, scilicet, *Credo in unum Deum,* in Latino, incipientibus dominis cardinalibus, & episcopis, qui sicut cantores, seu primicerii, tenuerunt chorum in cantu, & prosequentibus canonicis ejusdem ecclesiæ. Post hoc vero immediate prædictus patriarcha, cum omnibus Græcis archiepiscopis de Calabria, & frater V. de Morbeca, de ordine fratrum Prædicatorum, & frater Ioannes de Constantinopoli de ordine fratrum Minorum, pœnitentiarii domini papæ, qui linguam Græcam noverant, cantaverunt solenniter & alta voce prædictum symbolum: & quando ventum est ad articulum illum, *Qui a Patre, Filioque procedit;* solenniter, & devote ter cantaverunt. Quo symbolo finito, idem patriarcha, archiepiscopi, & logotheta, cum aliis cantaverunt laudes solennes in lingua Græca domino papæ, & post hæc Missa per ipsum dominum papam, stantibus Græcis prædictis, juxta altare prosecuta est, & completa.

Eodem anno, mense vero Iulii, die tertia ejusdem, dominus papa fecit vocari dominum episcopum Leodiensem ad se, & propositis quibusdam excessibus suis sibi, compulit eum cedere oneri, & honori. Sequenti vero die, nuncii Tartarorum regis repræsentaverunt se domino papæ in camera sua, existentibus ibi omnibus cardinalibus, & multis prælatis, qui ante eum cōvenerant ad tractandum de negotiis concilii: quibus etiam omnibus familia cardinalium & prælatorum, de mandato domini papæ obviam exiverunt, & eodem die est quarta sessio nunciata ad diem Veneris futuri, scilicet ejusdem mensis, omnibus prælatis per cursores domini papæ. Et eodem die dominus papa fecit vocari dominum Fridericum abbatem sancti Pauli de Vrbe, & propositis quibusdam excessibus suis sibi, compulit cedere eum dictæ abbatiæ.

Eodem anno, & mense, die Veneris, sexta ejusdem, in octava sanctorum apostolorum Petri & Pauli, facta est quarta sessio, existentibus in loco, ubi dominus papa cum diacono cardinali sedebat, prædictis nunciis imperatoris Græcorum a latere dextro post cardinales: in qua omnia facta sunt sicut in prima, excepto quod fuit cantatum per dominum Hubertum evangelium secundum Matthæum, scilicet: *Iussit Dominus discipulis suis ascendere naviculas,* quod competebat diei; & frater Petrus Ostiensis prædicavit, qui domino papæ pro presbytero serviebat, thema scilicet, *Illuminans tu,* &c. post cujus sermonem dominus papa allocutus est concilium, narrans prædictas

Marginalia (right): ANNO CHRISTI 1274. — Matth. 14. — Psal. 75.

ANNO CHRISTI 1274.

ctas tres causas vocationis concilii, & dicens qualiter contra opinionem quasi omnium, Græci libere veniebant ad obedientiam Romanæ ecclesiæ, profitendo fidem, & recognoscendo primatum ipsius, nihilque temporale petendo: de quo multum dubitabatur. Dixit etiam, qualiter scripserat imperatori Græcorum, quod si non vellet spontanee venire ad obedientiam Romanæ ecclesiæ, & fidem ejus, quod mitteret nuncios solennes ad tractandum super his, quæ petere volebat; & ipse Deo favente omnibus prætermissis, spontanee, & libere fidem Romanæ ecclesiæ, & primatum ipsius professus est, & recognovit in summa, quod prædictos nuncios ad profitendum & recognoscendum miserat in sua præsentia, sicut in litteris per prædictum dominum imperatorem sibi missis continebatur expresse. Tunc mandavit legi ipsas litteras, & alias litteras multorum prælatorum: quod fecerat prædictis nunciis, & litteras filii ipsius imperatoris: quæ tres erant bullatæ bulla aurea, translatæ in litteras Latinas. Quibus lectis, unus de prædictis nunciis, scilicet logotheta, dicens se viva voce a dicto imperatore in mandatis habere, quod posset jurare in animam ipsius, si domino papæ placeret, & professus est publice fidem Romanæ ecclesiæ, quæ lecta fuerat in concilio, tenere dictum imperatorem, & imperium, & eam perpetuo servaturos, & nullo tempore recessuros ab ea, ut in forma juramenti plenius continetur. Et sic est finis ipsius sessionis.

Postea vero dominus papa alta voce incepit, *Te Deum laudamus*: quod totum domino papa stante semper erecto, & sine mitra, cum magna devotione, & multis lacrymis, prosecutum est & completum. Quo completo quidam capellanus dixit versiculum: *Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis*: & responsum est ab astantibus: *A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.* Quo dicto, dominus papa dixit: *Dominus vobiscum.* Responsum est: *Et cum spiritu tuo.* Postea dixit: *Oremus*, sine *Flectamus genua*: & dixit orationem: *Da ecclesiæ tuæ quæsumus omnipotens Deus, ut sancto Spiritu congregata, &c.* sicut in ordinario habetur. Qua finita, sedit in faldistorio suo, & allocutus est concilium super tanto gaudio, incipiens:
Luc. 22: *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*: & dictis paucis verbis, præfati patriarcha, & archiepiscopus Græcorum, descenderunt in navim ecclesiæ, & sederunt in sedibus altis, in loco in quo sedebant presbyteri cardinales post eos. Et tunc dominus papa reverenter incepit, *Credo in unum Deum*, in Latino, quod per eum, qui sine mitra stabat, & totum concilium, prosecutum est & completum. Quo completo, patriarcha Græcorum incepit similiter, *Credo in unum Deum*, in Græco: quod per eum, & archiepiscopum Nicosiensem, & alios Græcos qui secum venerant, & alios archiepiscopos, & abbates Græcos de regno Siciliæ, prosecutum est & completum: dicendo publice, & solenniter, *Qui a Patre, Filioque procedit*; cantando eum bis. Quo completo, dominus papa allocutus est concilium paucis verbis, & dixit inter alia, qualiter rex Tartarorum miserat nuncios suos cum litteris ad eum, & concilium, qui nuncii stabant ad oppositum domini papæ, ad pedes patriarcharum: & mandavit legi litteras ipsius regis Tartarorum per quemdam capellanum. Quibus lectis dominus papa iterum alloquitur concilium paucis verbis, & indixit aliam sessionem ad diem Lunæ undecimam ejusdem, & aliam ad diem Martis sequentis, non tamen præcise, quia dixit, si commode posset: in quo dixit se debere finire concilium. Et sic dissoluta est quarta sessio.

Eodem anno, & mense, die sabbati, septima ejusdem, dominus papa ostendit cardinalibus constitutionem, quam fecerat super electione Romani pontificis, per quam orta est dissensio inter eum & cardinales in privato, quæ postmodum venit in publico. Nam dominus papa vocavit prælatos sine cardinalibus, & vocavit cardinales per nationes, & cardinales in consistorio. Omni die conveniebant sine papa, & similiter allocuti sunt aliquos prælatos super constitutione præfata in consistorio: & rogaverant, quod si dominus papa eorum assensus requireret super ipsa constitutione, quod non darent diffinitivum consilium, vel consensum, donec rationes ipsorum audirent, & similiter multi ex cardinalibus per nationes vocarunt prælatos in domibus suis, petentes ab eis consilium, quid esset super hoc faciendum, & auxilium, si necesse esset, modo prædicto. Et dominus papa similiter vocatis prælatis, ut supra dictum est, & exposita intentione sua, prius injunxit eis in virtute sanctæ obedientiæ sub excommunicationis pœna, quod nemini revelarent illa quæ audirent, & viderent, & facerent tunc ibi cum eo. Et fecit eos consentire, & assentire illi constitutioni, & mandavit, quod singuli sua sigilla apponerent constitutioni prædictæ, quod & fecerunt. Nam factæ sunt schedulæ per regna, & provincias, quibus omnes prælati sua sigilla apposuerunt: propter quod dilata est sessio ad diem Lunæ decimamsextam ejusdem mensis.

Eodem anno, & mense, die Dominico, decimaquinta ejusdem, hora matutinali obiit claræ memoriæ frater Bonaventura Albanensis episcopus, qui fuit homo eminentis scientiæ, & eloquentiæ, vir quidem sanctitate præcipuus, vita, commiseratione, ac moribus excellentissimis decoratus, benignus, affabilis, pius, & misericors, virtutibus plenus, Deo & hominibus dilectus, qui sepultus est ipso die Dominico in loco fratrum Minorum Lugduni, cujus exequiis interfuit dominus papa cum omnibus prelatis, qui erant in concilio, & tota curia. Et frater Petrus Ostiensis episcopus celebravit Missam, & prædicavit proposito themate, scilicet: *Doleo super te, frater mi Jonatha.* 2. Reg. 1.
Multæ lacrymæ, & gemitus ibi fuerunt: hanc ei gratiam concesserat Dominus, quod quicumque eum videbant, ipsius amore incontinenti capiebantur ex corde.

Eodem anno, & mense, die decimasexta ejusdem, facta est quinta sessio, in qua antequam dominus papa intraret ecclesiam, frater Petrus Ostiensis episcopus, præsentibus omnibus prælatis, baptizavit unum ex nunciis Tartarorum cum duobus sociis: quibus dominus papa fecit fieri vestes de scarlato more Latinorum. Et postmodum dominus papa intravit ecclesiam, & facta sunt omnia, sicut in prima, excepto quod dominus Matthæus sanctæ Mariæ in Porticu cantavit evangelium secundum Matthæum, scilicet:
Videte, & vigilate, & orate: attendite vobis, & universo gregi. Act. 20.
Quo finito, lectæ sunt constitutiones, scilicet: Ubi periculum, Si forte, Si canonici absolutionis, Sciant cuncti, Etsi pignorationes, Quicumque, Generali constitutioni, Altercationis antiquæ, Decet domum Dei, Usurarum voraginem, Quanquam usurarii, Hoc consultissimo, Statutum felicis recordationis. Quibus lectis, dominus papa allocutus est concilium, dicens quomodo ecclesia Dei inæstimabile damnum perpessa fuerat ex obitu fratris Bonaventuræ Albanensis episcopi: & mandavit omnibus prælatis, & omnibus presbyteris per totum mundum, ut quilibet eorum unam Missam deberet cantare pro anima ipsius, & aliam pro animabus omnium aliorum qui mortui sunt advemendo, stando, seu redeundo ad concilia, sive ad concilium. Et quia propter baptismum Tartarorum, & lectionem constitutionum, hora tarda videbatur, continuavit aliam sessionem in

ANNO CHRISTI 1274.

in craſtinum, ſcilicet decimamoctavam ejuſdem: & A ſic diſſoluta eſt quinta ſeſſio.

Eodem anno, & menſe, die decimaſeptima ejuſdem, facta eſt ultima ſeſſio: in qua incontinenti dominus papa intravit eccleſiam, indutus omnibus pontificalibus veſtimentis, aſcendit in pulpitum, & nonnulli alii prælati: lectæ ſunt conſtitutiones, ſcilicet, Religionum diverſitatem, &, Cum ſacroſancta. Quibus lectis dominus papa allocutus eſt concilium, narrans prædictas tres cauſas vocationis concilii, & quomodo negotium terræ ſanctæ & Græcorum erat inceptum, & feliciter Domino favente conſummatum: & inter alia dixit, quod prælati faciebant ruere totum mundum, & quod mirabatur quod aliqui malæ vitæ & converſationis non corrigebantur, cum particulares malæ vitæ, & bonæ vitæ, & converſationis, veniſſent ad ipſum inſtanter petentes ceſſionem Vnde monuit eos, quod ipſi ſe corrigerent, quia ipſis correctis non erat neceſſe condere aliquas conſtitutiones ſuper reformatione eorum: alioquin dixit ſe dure acturum cum ipſis ſuper reformatione morum. Super ordinatione vero parochialium eccleſiarum, ne fraudentur rectorum ſuorum præſentia, & viri idonei ponantur in eis, & ſuper aliis, dixit ſe cito, dante Domino, apponere remedia opportuna: quod uſque in ipſo concilio fieri non potuit, propter multorum negotiorum occupationem. Omnibus finitis, dominus papa dixit, *Oremus*, *Flectamus genua*, *Levate*, & orationem ſicut in ordinario habetur. Qua finita, data eſt licentia omnibus prælatis recedendi: & dominus papa dedit benedictionem, ſcilicet, *Sit nomen Domini benedictum*, *&c.* & dominus Othobonus B dixit: *Recedamus in pace*: & ſic diſſolutum eſt concilium, regnante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum Patre, & Spiritu ſancto vivit, & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

ΜΙΧΑΗΛ ΤΟΥ ΠΑΛΑΙΟΛΟΓΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ

ἐπιστολὴ πρὸς Γρηγόριον πάπαν τὸν δέκατον.

LITTERÆ MICHAELIS PALÆOLOGI IMPERATORIS

Græcorum ad Gregorium papam X.

Sanctiſſimo & beatiſſimo primo & ſummo pontifici apoſtolicæ ſedis, venerabili papæ, & communi patri omnium Chriſtianorum, & venerabili patri imperii noſtri, D. Gregorio, Michael in Chriſto Deo fidelis imperator & moderator Romæorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & ſpiritualis filius magnæ ſanctitatis veſtræ, convenientem honorem & reverentiam cum ſincera & pura affectione, & orationum poſtulationem.

Τῷ ἁγιωτάτῳ καὶ μακαριωτάτῳ, τῷ πρώτῳ καὶ ἄκρῳ ἀρχιερεῖ τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου, οἰκουμενικῷ πάπᾳ, καὶ κοινῷ πατρὶ πάντων τῶν Χριστιανῶν, καὶ σεβασμίῳ πατρὶ τῆς βασιλείας μου, κύρῳ Γρηγορίῳ, Μιχαὴλ ἐν Χριστῷ τῷ C Θεῷ πιστὸς βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων, Κομνηνὸς, Δούκας, Ἄγγελος, ὁ Παλαιολόγος, καὶ γνήσιος υἱὸς τῆς μεγάλης ἁγιοσύνης σου τὴν ἀνήκουσαν τιμὴν καὶ αἰδῶ μετὰ εἰλικρινοῦς καὶ καθαρᾶς διαθέσεως, καὶ εὐχῶν αἴτησιν.

QVONIAM miſſi ſunt a magnitudine veſtra ad imperium meum nuncii Deo placentis ordinis fratrum Minorum, frater Hieronymus de Aſculo, frater Raimundus Berengarius, frater Bonagratia de ſancto Ioanne in Perſiceto, & frater Bonaventura de Mugello; & obtulerunt litteras magnæ ſanctitatis veſtræ imperio meo, in quibus inter alia de confeſſione fidei, quam docet, & prædicat, & confitetur ſancta Romana eccleſia, continebatur, & oportebat in his magis reſponſionem convenientem nos facere: ecce hoc facit imperium meum. Habet autem profeſſio fidei in dictionibus taliter. Credimus ſanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, unum Deum omnipotentem, totamque in Trinitate deitatem coeſſentialem & conſubſtantialem, coæternam, & coomnipotentẽ, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, in quo omnia, per quem omnia quæ ſunt in cælo & in terra, viſibilia, inviſibilia, corporalia, & ſpiritualia. Credimus ſingulam quamque in Trinitate perſonam, unum verum Deum, plenum & perfectum. Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei, æternaliter natum

ΕΠΕΙ ἀπεστάλησαν παρὰ τῆς σῆς μεγαλειότητος πρὸς τὴν βασιλείαν μου ἀποκρισιάριοι τῆς θεαρέστου τάξεως τῶν Μινόρων, ὅ, τε, ἀδελφὸς Ἱερώνυμος ντὲ Ἀσκουλο, ὁ ἀδελφὸς Ῥαϊμοῦνδος Μπερεγγάριος, ὁ ἀδελφὸς Μποναγράτζια ντὲ σάγκτο Ἰωάννε ἰν Περσετζέτῳ, καὶ ὁ D ἀδελφὸς Μποναβεντούρας ντὲ Μουτζέλο, καὶ διεκομίσαντο γράμμα τῆς σῆς μεγάλης ἁγιωσύνης, ἐν ᾧ σὺν ἄλλοις καὶ περὶ τῆς ὁμολογίας τῆς πίστεως, ἣν διδάσκει καὶ ὁμολογεῖ καὶ κηρύττει ἡ ἁγία ἐκκλησία τῆς Ῥώμης, διελαμβάνετο, καὶ ἔδει ἐν τούτοις μᾶλλον ἀπόκρισιν ἡμᾶς δεόντως ποιήσασθαι· ἰδοὺ τοῦτο ποιεῖ ἡ βασιλεία μου. ἔχει δὲ ὁμολογία τῆς πίστεως, ἐπὶ λέξεως οὕτως. πιστεύομεν τὴν ἁγίαν τριάδα, τὸν πατέρα, καὶ τὸν υἱὸν, καὶ E τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἕνα Θεὸν παντοδύναμον, ὅλην τε ἐν τριάδι τὴν θεότητα ὁμοφυᾶ καὶ συναΐδιον καὶ συμπαντοδύναμον, ἑνὸς θελήματος, ἐξουσίας, καὶ μεγαλειότητος, δημιουργὸν πάντων τῶν δημιουργημάτων, ἀφ' οὗ πάντα, ἐν ᾧ πάντα, δι' οὗ πάντα τὰ ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ, ὁρατὰ καὶ ἀόρατα, τὰ σωματικὰ καὶ πνευματικά. πιστεύομεν ἕκαστον ἐν τῇ τριάδι πρόσωπον, ἕνα ἀληθινὸν ", πλήρη, καὶ τέλειον. πιστεύομεν αὐτὸν τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, λόγον τοῦ Θεοῦ, ἀϊδίως γεννηθέντα

" Deeſt θεόν.

de Patre, consubstantialem, coomnipotentem, & æqualem per omnia Patri in divinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto, & Maria semper virgine, cum anima rationali; duas habentem nativitates, unam ex Patre nativitatem æternam, alteram ex matre temporalem: Deum verum & hominem verum, proprium in utraque natura atque perfectum, non adoptivum nec phantasticum, sed unum & unicũ Filium Dei, in duabus & ex duabus naturis, Divina scilicet & humana, in unius personæ singularitate: impassibilem & immortalem divinitate, sed in humanitate pro nobis & salute nostra passum vera carnis passione, mortuum, & sepultum, & descendisse ad inferos, ac tertia die resurrexisse a mortuis vera carnis resurrectione: die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua resurrexit, & anima, ascendisse in cælum, & sedere ad dexteram Dei Patris, inde venturum judicare vivos & mortuos, & redditurum unicuique secundum opera sua, sive bona fuerint, sive mala. Credimus & Spiritum sanctum plenum & perfectum verumque Deum ex Patre Filioque procedentem, coæqualem, & consubstantialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio. Credimus hãc sanctam Trinitatem, non tres Deos, sed unicum Deum, omnipotentem, æternum, & invisibilem, & incommutabilem. Credimus sanctam catholicam & apostolicam unam esse veram ecclesiam, in qua unum datur sanctum baptisma, & vera omnium remissio peccatorum. Credimus etiam veram resurrectionem hujus carnis, quam nunc gestamus, & vitam æternam. Credimus etiam novi & veteris testamenti, legis, ac prophetarum, & apostolorum, unum esse autorem Deum ac Dominum omnipotentem. Hæc est vera fides catholica: & hanc supradictis articulis tenet & prædicat sacrosancta Romana ecclesia. Sed propter diversos errores, a quibusdam ex ignorãtia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat, eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum consequi veniam peccatorũ. Quod si vere pœnitentes in caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis: eorum animas pœnis purgatoriis, seu catharteriis, sicut nobis frater Ioannes explanavit, post mortem purgari: & ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesiæ instituta. Illorum autem animas, qui post sacrum baptisma susceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam

ἐκ τοῦ πατρὸς, ὁμοπαντοδύναμον, καὶ ἴσον κατὰ πάντα τῷ πατρὶ ἐν τῇ θεότητι, χρονικῶς γεννηθέντα ἐκ πνεύματος ἁγίου καὶ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου μετὰ ψυχῆς λογικῆς, δύο ἔχοντα γεννήσεις, μίαν ἐκ πατρὸς ἀΐδιον, ἄλλην ἐκ μητρὸς χρονικήν· θεὸν ἀληθινὸν, καὶ ἄνθρωπον ἀληθινὸν, ἴδιον ἐν ἑκάστῃ φύσει καὶ τέλειον· οὐχ υἱόθετον, οὐ φανταστικὸν, ἀλλ' ἕνα καὶ μόνον υἱὸν θεοῦ ἐν δυσὶ καὶ ἐκ δύο, θείᾳ καὶ ἀνθρωπίνῃ φύσεσιν, ἑνὸς προσώπου ἑνότητι, ἀπαθῆ καὶ ἀθάνατον τῇ θεότητι, ἀλλ' ἐν τῇ ἀνθρωπότητι ὑπὲρ ἡμῶν καὶ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας παθόντα ἀληθεῖ σαρκὸς πάθει, θανόντα καὶ ταφέντα καὶ κατελθόντα ἐν κατωτάτῳ, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστάντα ἐκ τῶν νεκρῶν ἀληθεῖ σαρκὸς ἀναστάσει· μεθ' ἡμέρας τεσσαράκοντα μετὰ τὴν ἀνάστασιν σὺν τῇ σαρκὶ ᾗ ἀνέστη, καὶ ψυχῇ, ἀνελθόντα τὸν οὐρανὸν, καθεζόμενον ἐκ δεξιῶν τοῦ πατρὸς, καὶ πάλιν ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκροὺς, καὶ ἀποδώσοντα ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ, εἴτε ἀγαθὰ ἔσονται, εἴτε κακά. πιστεύομεν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, πλήρη καὶ τέλειον θεὸν, ἀληθῆ θεὸν, ἐκ πατρὸς υἱοῦ τε ἐκπορευόμενον, ἴσον καὶ ὁμοούσιον καὶ συμπαντοδύναμον καὶ συναΐδιον κατὰ πάντα τῷ πατρὶ καὶ τῷ υἱῷ. πιστεύομεν ταύτην τὴν ἁγίαν τριάδα οὐ τρεῖς θεοὺς, ἀλλ' ἕνα θεὸν παντοδύναμον ἀΐδιον, ἀόρατον, ἀναλλοίωτον. πιστεύομεν ἁγίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν μίαν εἶναι ἀληθινὴν ἐκκλησίαν, ἐν ᾗ ἓν δίδοται ἅγιον βάπτισμα, καὶ ἀληθὴς πασῶν ἄφεσις ἁμαρτιῶν. πιστεύομεν δὲ καὶ ἀληθῆ ἀνάστασιν τῆς δε τῆς σαρκὸς, ἣν νῦν φέρομεν, καὶ ζωὴν ἀΐδιον. πιστεύομεν δὲ τῆς νέας καὶ τῆς παλαιᾶς διαθήκης, τοῦ νόμου, καὶ τῶν προφητῶν, καὶ ἀποστόλων, ἕνα ἀρχηγὸν εἶναι, θεὸν καὶ κύριον παντοδύναμον. αὕτη ἐστὶν ἡ ἀληθὴς πίστις καὶ καθολική, καὶ ταύτην ἐπὶ τοῖς ῥηθεῖσι κεφαλαίοις κρατεῖ καὶ κηρύττει ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία. ἀλλὰ διά τινας διαφόρους πλάνας παρά τινων μὲν ἐξ ἀγνοίας, παρά τινων δὲ ἐκ κακίας εἰσαχθείσας, λέγει καὶ κηρύττει, τοὺς μετὰ τὸ βάπτισμα εἰς ἁμαρτίας ὀλισθαίνοντας μὴ ἀναβαπτίζεσθαι, ἀλλὰ δι' ἀληθοῦς μετανοίας τῶν ἰδίων δεῖν ἀναδέξασθαι [ligature] λαμβάνειν συμπάθειαν ἁμαρτιῶν. ἐὰν δὲ οἱ ἀληθῶς μετανοοῦντες, ἐν ἀγάπῃ ἀποχωρήσωσι πρὸ τοῦ ἀξίοις καρποῖς μετανοίας περὶ τῶν πλημμεληθέντων τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι ἢ τῶν ἁμαρτηθέντων· τούτων τὰς ψυχὰς ποιναῖς πουργατωρίοις, ἤτοι καθαρτηρίοις, καθὼς ὁ ἀδελφὸς Ἰωάννης διεσάφησε, μετὰ θάνατον καθαρίζεσθαι· πρὸς δὲ τὸ τὰς ποινὰς ταύτας ἀνακουφίζεσθαι, ὠφελεῖ αὐτοὺς τῶν ζώντων πιστῶν ἡ συνδρομή[?] συνεργησις, λειτουργιῶν λέγω ἱεροτελεσίαι, προσευχαὶ καὶ ἐλεημοσύναι, καὶ ἄλλα εὐσεβείας ἔργα τὰ παρὰ τῶν πιστῶν ὑπὲρ ἄλλων πιστῶν γίνεσθαι εἰθισμένα, κατὰ τὴν τῆς ἐκκλησίας ἀποκατάστασιν. τούτων δὲ τὰς ψυχὰς μετὰ τὸ ἱερὸν βάπτισμα λαβεῖν εἰς μηδένα ἁμαρτίας μῶμον ἐπιδραμόντων, κἀκείνας τὰς μετὰ

ANNO CHRISTI 1274.

μετὰ τὸ ἐφελκῦσαι ἁμαρτίας μῶμον, ἀν ἢ ἐν τοῖς οἰκείοις μένουσαι σώμασιν, ἢ μετὰ τὴν τούτων ἀπέκδυσιν, ὡς ἀνωτέρω εἴρηται, καθαρισθήσονται, εἰς τὸν οὐρανὸν αὐτίκα παραδέχεσθαι. ἐκείνων δὲ τὰς ψυχὰς τῶν ἐν θανασίμῳ ἁμαρτήματι, ἢ μετὰ μόνης τῆς προπατορικῆς ἀποχωρησάντων, παραυτίκα εἰς τὸν ᾅδην καταβαίνειν, ποιναῖς ἀνίσοις τιμωρηθησομένας. ταῦτα ἡ ἁγία ἐκκλησία τῆς Ῥώμης πιστεύει καὶ στερρῶς βεβαιοῖ, καὶ ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως πάντες ἄνθρωποι πρὸ τοῦ βήματος τοῦ Χριστοῦ μετὰ τῶν ἰδίων σωμάτων φανήσονται, ἀποδώσοντες περὶ τῶν οἰκείων πράξεων λόγον· κρατεῖ δὲ καὶ διδάσκει αὕτη ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία, ἑπτὰ εἶναι ἐκκλησιαστικὰ μυστήρια, ἓν λέγω τὸ βάπτισμα, περὶ οὗ εἴρηται ἄνω· ἄλλο ἐστὶ μυστήριον βεβαιώσεως, ὃ διὰ τῆς ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν οἱ ἐπίσκοποι φέρουσι χρίοντες τοὺς ἀναγεννωμένους. ἄλλο ἐστὶν ἡ μετάνοια· ἄλλο ἐστὶν ἡ εὐχαριστία· ἄλλο μυστήριον τῆς ἱερατικῆς χειροτονίας· ἄλλο ἐστὶ τὸ τοῦ γάμου· ἄλλο τὸ ἔσχατον χρῖσμα, ὃ κατὰ τὴν διδασκαλίαν τοῦ ἁγίου Ἰακώβου τοῖς ἀσθενέσιν ἀποδίδοται. τὸ ἱερούργημα τῆς εὐχαριστίας ἐξ ἀζύμου ἐκτελεῖ ἡ τοιαύτη τῆς Ῥώμης ἐκκλησία, κρατοῦσα καὶ διδάσκουσα, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἱεροτελεστίᾳ ὁ ἄρτος ἀληθῶς μετουσιοῦται εἰς σῶμα, καὶ ὁ οἶνος εἰς αἷμα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ. περὶ τοῦ γάμου δὲ κρατεῖ, ὅτι οὔτε εἷς ἀνὴρ πολλὰς γυναῖκας ὁμοῦ, οὔτε μία γυνὴ παραχωρεῖται ὁμοῦ ἔχειν πολλοὺς ἄνδρας. διαλυθέντος δὲ τοῦ γάμου ἀπὸ θανάτου θατέρου τῶν ὁμοζύγων, δευτέρους καὶ τρίτους ἐντεῦθεν γάμους θεμιτοὺς εἶναι λέγει, εἰ ἐμποδισμὸς κανονικὸς ἐξ αἰτίας τινὸς οὐ προΐσταται. αὐτὴ ὡσαύτως ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία ἄκρον καὶ τέλειον πρωτεῖον καὶ ἀρχὴν ἐπὶ πᾶσαν τὴν καθολικὴν ἐκκλησίαν κατέχει· ἣν ἐν αὐτῇ ἀπ᾽ αὐτοῦ τοῦ κυρίου ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τῷ τῶν ἀποστόλων ἄρχοντι, ἢ τῇ κορυφῇ, οὗ ὁ τῆς Ῥώμης ἀρχιερεύς ἐστι διάδοχος, μετὰ πληρώσεως ἐξουσίας παραδέξασθαι, ἀληθῶς καὶ ταπεινῶς ἀναγνωρίζει. καὶ καθὼς παρὰ τὰς ἄλλας κρατεῖται τῆς πίστεως τὴν ἀλήθειαν διεκδικεῖν· οὕτω καὶ ἐάν τινες περὶ τῆς πίστεως ἀναφύωνται συζητήσεις, τῇ ταύτης χρεὼν κρίσει διορίζεσθαι. εἰς ταύτην δύναται καὶ βαρυνόμενος ἕκαστος ἐν πράγμασι τοῖς εἰς τὴν αὐτὴν ἐκκλησίαν ἀνήκουσιν ἐκκαλεῖν, καὶ ἐν πάσαις ταῖς αἰτίαις ταῖς πρὸς δοκιμασίαν ἐκκλησιαστικὴν ἀφορώσαις, πρὸς ταύτης δύναταί τις ἀνατρέχειν τὴν κρίσιν· καὶ ταύτῃ πᾶσαι αἱ ἐκκλησίαι ὑπόκεινται, καὶ τούτων οἱ ἀρχιερεῖς ὑπακοὴν καὶ αἰδῶ ταύτῃ ὀφείλουσι. πρὸς ταύτην δὲ οὕτως τὸ τῆς ἐξουσίας πλήρωμα συνίσταται, ὅτι τὰς ἑτέρας ἐκκλησίας, καὶ τὰς πατριαρχικὰς ἐξαιρέτως, ἐν διαφόροις προνομίοις αὕτη ἡ τῆς Ῥώμης ἐκκλησία τετίμηκε, τοῦ ἰδίου πλὴν πρεσβείου, τὸ μὲν ἐν ταῖς γενικαῖς συνόδοις, τὸ δὲ ἔν τισιν ἄλλοις, ἀεὶ σωζομένου. τὴν ἀνωτέρω γραφεῖσαν τῆς πίστεως ἀλήθειαν, καθὼς πληρέστατος ἀνέγνωσται καὶ πιστῶς ἐκτέθειται, ἀληθῆ, ἁγίαν, καθολικὴν καὶ ὀρθόδοξον πίστιν, ταύτην εἶναι γινώσκομεν,

quæ post contractam peccati maculam, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, prout superius dictum est, sunt purgatæ, mox in cælum recipi. Illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Eadem sacrosancta ecclesia Romana firmiter credit, & firmiter asseverat, quod nihilo minus in die judicii, omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de propriis factis rationem. Tenet etiam & docet eadem sancta Romana ecclesia, septem esse ecclesiastica sacramenta, unum scilicet, baptisma, de quo dictum est supra; aliud est sacramentum confirmationis, quod per manuum impositionem episcopi conferunt, chrismando renatos; aliud est pœnitentia, aliud eucharistia, aliud sacramentum ordinis, aliud est matrimonium, aliud extrema unctio, quæ secundum doctrinam beati Iacobi infirmantibus adhibetur. *Iacob. 5.* Sacramentum eucharistiæ ex azymo conficit eadem Romana ecclesia, tenens & docens, quod in ipso sacramento panis vere transsubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem Domini nostri Iesu Christi. De matrimonio vero tenet, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier permittitur habere plures viros. Soluto vero legitimo matrimonio per mortem conjugum alterius, secundas, & tertias deinde nuptias successive licitas esse dicit: si impedimentum canonicum aliud ex causa aliqua non obsistat. Ipsa quoq; sancta Romana ecclesia summũ & plenum primatum & principatum super universam ecclesiam catholicã obtinet: quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter & humiliter recognoscit. Et sicut præ cęteris tenetur fidei veritatem defendere: sic & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad quã potest gravatus quilibet super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus appellare: & in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest judicium recurri: & eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarum prælati obedientiam & reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic potestatis plenitudo consistit, quod ecclesias cæteras ad solicitudinis partem admittit: quarum multas, & patriarchales præcipue, diversis privilegiis eadem Romana ecclesia honoravit, sua tamen observata prærogativa, tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva. Suprascripta fidei veritate, (prout plene lecta est & fideliter exposita) veram, sanctam, catholicam & orthodoxam fidem cognoscimus, &

ANNO CHRISTI 1274.

& acceptamus, & ore ac corde confite- A mur, quod vere tenet & fideliter docet, & prædicat sancta Romana ecclesia: inviolabiliter observare eamdem professionem, & in ea omni tempore perseverare, nec ullo unquam tempore ab ipsa discedere quoquo modo, aut deviare, vel discordare promittimus. Primatum quoque ejusdem sanctæ Romanæ ecclesiæ, sicut in præmissa serie continetur, ad ipsius sanctæ ecclesiæ obedientiam spontaneam venientes, confitemur, & recognoscimus, acceptamus; & sponte suscipimus. Con- B fitentes vero hæc & approbantes, & acceptantes, & promittentes observare, ut superius dictum est, rogamus magnitudinem vestram, ut ecclesia nostra dicat sanctum symbolum, prout dicebat hoc ante schisma usque in hodiernum diem, & quod permaneamus in ritibus nostris, quibus utebamur ante schisma, qui scilicet ritus non sunt contra supradictam fidem, nec contra Divina præcepta, nec contra vetus & novum testamentum, nec contra doctrinam sanctorum generalium conciliorum, & SS. patrum receptorum per sancta concilia C quæ celebrata sunt a spirituali dominatione ecclesiæ Romanæ. Hoc igitur non grave est vestræ sanctitati, nec inusitatum, & nobis nunc difficile propter infinitam multitudinem populi. Commisimus autem, super his, præsentibus nunciis imperii nostri, ut dicta per præsentes litteras nostras confiteantur & affirment vice imperii nostri, coram magna sanctitate vestra. Præsens igitur scriptum de nostra recognitione, susceptione, acceptatione, & professione, & confessione, propria manu nostra Dei gratia imperiali subscriptione signavimus, & sigillum D nostræ potentiæ inferius appendi fecimus.

καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ καρδίᾳ καὶ στόματι ὁμολογοῦμεν, ὅτι ταύτην ἀληθῶς κρατεῖ καὶ πιστῶς διδάσκει, καὶ κηρύττει ἡ ἱερὰ καὶ ἁγία τῆς Ῥώμης ἐκκλησία. καὶ ἀδιαφθόρως φυλάξαι τὴν τοιαύτην ὁμολογίαν, καὶ ἐν αὐτῇ παντὶ καιρῷ διαμεῖναι, καὶ οὐδέ τινί ποτε καιρῷ ἀπ' αὐτῆς ἀναχωρῆσαί τινι τρόπῳ, ἢ παρεκδεῦσαι, ἢ διχονοῆσαι ὑπισχνούμεθα· τό, τε πρωτεῖον τῆς τοιαύτης ἁγίας ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης, καθὼς ἐν τῷ προρρηθέντι εἱρμῷ περιέχεται, πρὸς τὴν τῆς τοιαύτης ἐκκλησίας ὑπακοὴν αὐτοπροαιρέτως ἐρχόμενοι, ὁμολογοῦμεν, καὶ ἀναγνωρίζομεν, καὶ ἀποδεχόμεθα, καὶ ἑκουσίως ὑποδεχόμεθα. ὁμολογοῦντες δὲ ταῦτα, καὶ στέργοντες, καὶ ἀποδεχόμενοι, καὶ ὑπισχνούμενοι παραφυλάξαι ὡς προείρηται, ἀξιοῦμεν σου τὴν μεγαλειότητα, ἵνα ἡ ἡμετέρα ἐκκλησία λέγῃ τὸ ἅγιον σύμβολον, ὡς ἔλεγε τοῦτο πρὸ τοῦ σχίσματος καὶ μέχρι τῆς σήμερον. καὶ ἵνα ἐμμένωμεν καὶ τοῖς ἡμετέροις ἐθίμοις, οἷς ἐχρώμεθα καὶ πρὸ τοῦ σχίσματος· ἅτινα ἔθιμα οὐκ εἰσὶ κατὰ τῆς προγεγραμμένης πίστεως, οὔτε κατὰ τῶν θείων ἐντολῶν, οὔτε κατὰ τῆς παλαιᾶς καὶ νέας διαθήκης, οὔτε κατὰ τῆς διδαχῆς τῶν ἁγίων καὶ οἰκουμενικῶν συνόδων, καὶ τῶν ἁγίων πατέρων τῶν ἀποδεχθέντων παρὰ τῶν ἁγίων συνόδων τῶν συγκροτηθεισῶν τῇ πνευματικῇ δεσποτείᾳ τῆς ἐκκλησίας τῆς Ῥώμης. τοῦτο οὖν ἀβαρές ἐστι τῇ μεγάλῃ ἁγιοσύνῃ σου καὶ οὐκ ἀσύνηθες, καὶ ἡμῖν νῦν δύσκολον διὰ τὸ τοῦ λαοῦ ἄπειρον πλῆθος. ἀνεθέμεθα πρὸς τούτοις καὶ τοῖς παροῦσιν ἡμετέροις ἀποκρισιαρίοις, ἵνα τὰ δηλωθέντα διὰ τῆς παρούσης ἡμετέρας γραφῆς ὁμολογήσωσι καὶ στέρξωσι δικαίῳ τῆς βασιλείας ἡμῶν, ἐνώπιον τῆς σῆς μεγάλης ἁγιοσύνης. τὸ οὖν παρὸν γράμμα τῆς ἡμετέρας ἀναγνωρίσεως, ἀποδοχῆς, καὶ ὑποδοχῆς, καὶ ὁμολογίας, οἰκειοχείρως τῇ ἡμετέρᾳ, θεοῦ χάριτι, βασιλικῇ ὑπογραφῇ ἐσημειωσάμεθα, καὶ τὸ σφράγισμα τοῦ ἡμετέρου κράτους κάτωθεν ἀπῃωρήσαμεν.

Μιχαὴλ ἐν Χριστῷ τῷ Θεῷ πιστὸς βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ Ῥωμαίων, Δούκας, Ἄγγελος, Κομνηνός, ὁ Παλαιολόγος.

Subscriptio imperatoris.

"** SACRAMENTVM IMPER. GRÆC.

EGo Georgius Acropolita, & magnus logotheta, nuncius domini imperatoris Græcorum Michaelis, Ducæ, Angeli, Comneni, Palæologi, habens ab eodem sufficiens ad infra scripta mandatum, omne schisma prorsus abjuro, & subscriptam fidei unitatem, prout plene lecta est & fideliter exposita, in nomine dicti domini mei, veram, sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem esse cognosco: eam accepto, & corde & ore profiteor; ipsamque, prout eam veraciter tenet, fideliter docet, & prædicat sacrosancta Romana ecclesia, ipsum inviolabiliter servaturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquo modo discrepaturum vel deviaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam, nomine ipsius & meo, spontaneus veniens, pro ipso & pro me, fateor, recognosco, accepto, ac sponte suscipio: & ipsum omnia præmissa, tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum; & ipsorum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam, ac præstantiam", servaturum, præstito in animam ipsius & meam corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic ipsum Deus adjuvet, & hæc sancta Dei evangelia, &c.

" Corr. perseverantiã ex sacramento Græcorum, quod est infra.

E

LITTERÆ PRÆLATORVM GRÆCIÆ.

SAnctissimo, reverendissimo, & beatissimo papæ antiquo Romanorum, domino Gregorio, magno pontifici excellentissimæ apostolicæ sedis, & venerabilissimo domino & patri nostræ humanitatis. Nos qui ecclesiasticam complemus ordinationem, vestræ Romanæ sanctissimæ ecclesiæ salutem, spiritualis subjectionis affectionem ubique: metropolita Ephesius præhonoratus exarchus totius Asiæ, cum ea, quæ circa me

ANNO CHRISTI 1274.

me eſt, ſancta ſynodo; metropolitanus Heracleæ in Thracia, & præſul * honoratorum, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolita Calchedonis ſuperhonoratus, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolita Tyanorum, cum ea quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; epiſcopus metropolitanus Iconii, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus Naupacti ſuperhonoratus, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolitanus Heracleæ Ponti ſuperhonoratus, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus Conconii, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus Carias, cum ea, quæ circa me eſt, ſancta ſynodo; metropolitanus Berœas ſuper honoratus, cum ea, quæ circa me eſt, ſanct ſynodo: metropolitanus Athenarum, & locum Philippopolitæ ſupplens, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus ſuperhonoratus & exarchus inſularum Cycladum, cum his, qui circa me ſunt epiſcopis; metropolitanus Philippenſium, cum iis, qui circa me ſunt, epiſcopis; metropolitanus * Sinnicæ, cum iis, qui circa me ſunt epiſcopis; metropolitanus Serrorum cum ea, & C. metropolitanus Amaſtridæ, metropolitanus * Alaniæ, metropolit. Pruſæ, metropolitanus Madytorum, metropolit. Abydi metropolit. Chriſtianopoleos, metropolit. Selybriæ, metropolitanus Meſembriæ, metropolitanus Apri, metropolitanus Acinnii, metropolitanus Parii, metropolitanus Didymotichi, metropolitanus Anaſtaſiopoleos, archiepiſcopus Byziæ, archiepiſcopus Cypſelorum, archiepiſcopus Gatilleris, archiepiſcopus Dercæ, archiepiſcopus Præconneſi, archiepiſcopus Lopodii, archiepiſcopus Pergami, archiepiſcopus Melanii, archiepiſcopus Beriæ: adhuc autem cum nobis pontificibus, & magna ſynodo, & archidiaconus honoratiſſimus Severſibilis cum totali venerabili clero; cum iis autem, & qui clerum complent ſanctiſſimæ eccleſiæ magnæ Dei, videlicet magnus œconomus, protecdicus, logotheta, caſtriſius, referendarius, qui ſuper judicia, qui ſuper ſecreta, qui ſuper ſacrum & dona apoſtolica, qui primicerius patriarchalium notariorum, qui princeps eccleſiarum, qui ſuper petitiones, qui rememoratorii, qui oſtiarii, qui patriarchales notarii, qui protopapæ, cum toto preſbyterio archidiaconatus eccleſiaſtici, & qui domeſtici, cum omnibus pſalmiſtis & lectoribus: non ſolum nunc, ſed prius beatiſſimæ & ſanctiſſimæ veſtræ eccleſiæ magnam faciebamus diviſionem integritatis, & eccleſiarum Chriſti totaliter unitatem dilacerabamus.

* leg. Honoratarū,

* f. Smyrnæ,

* Apamiæ,

Quomodo, qui unius paſtoris ſumus, non in unum & inter unum aggregamur ovile; nec unum replemus mandatum Chriſti? ſed ea quæ ſunt diſcordiæ, magis eligimus, & bono pacis amiſſo, invenire non quærimus illud, quod ex bono zelo nobis declarabatur? Nullus autem erat, qui conjungeret omnes in unum, & ſufflaret quaſi ad unum flamen ſingulorum concordiam: quam autem ſecundum Chriſti deſiderium a Deo coronandus ſanctus noſter imperator totus ad ſe ipſum, intellectum attendens, ut oportebat, nunc in hac parte Dei gratia præhonorabilibus aliquibus deputavit. Pius ipſe in ſeipſo laborabat, quo utique modo non declinaret nec ad remiſſionem: donec ſciſſuram eccleſiæ ad unam interim compaginaret unitatem. Deinde non deficiebat communicando nobis, quod in voluntate habebat ſemper, & oſtendendo qualiter habet ſuum propoſitum animæ. Ut autem ad ipſum venerabiles nuncii veſtræ ſanctitatis apoſtolicas litteras & porrexerunt & præſentaverunt, quam veſtra beatitudo deſiderantium accelerat conjunctionem, totus exurgit promptius, & prætermittit quod alienum eſſet: & quaſi in ſecunda conſide-

A ratione omnia negotia ſua reputat, proponens ea quæ mandatorum veſtrorum ſunt, & ſuarum ſolicitudinum & diſpoſitionum. Convocat igitur ad ſeipſum noſtrum univerſum pontificale collegium, & poſtmodum alios, quotquot maxime ſpiritualitati adhærent, & circa ſtudium eccleſiaſticum exercitium habent unum, & quantus eorum quidem nocturnus & diurnus ejus labor in medio eſt. Qui inſtat, quaſi totaliter pervigil; qui etiam & ſtudioſe exercuit, & quaſi ſemper in ſuſcepto opere fuit, donec ad unam & eamdem multorum attraheret ſententiam, longiore quidem & indigno ſermone agitatam, ſi totum proceſſum veſtræ magnitudini præſentaremus. Quidam tamen noſtrum ſtatim convenerunt, & quæ pacis fuerant amplexati ſunt: quidam vero magis obſtinatio-

B res apparuerunt, temporis antiquitatem revolventes in mentem, & opponentes alii, quaſi de neceſſitate hoc imponeretur eis. Sed a Deo coronati imperatoris diligentia vicit in finem, & habet omnes jam concordes ad unicam hanc unionem, per quam apoſtolicæ ſedi antiquæ Romæ, ab antiquiſſimis attributos primatus attribuere aſſentimus. Hoc ſcilicet Dei gratia cooperata eſt, ut habeat ex nobis apoſtolica magnitudo, noſtræ ſanctitatis ſententiam agnoſcere, qualiterque magnifico imperatori noſtro ſimul communicaverimus in ſententia: & quæ quidem attenderit & vult libenter, & nos acceptamus: breviter præſentem epiſtolam annotamus, & ad conſpicuam excellentiam veſtræ magnitudinis tranſmittimus. Scitote quid nos volumus: quod pontificalis ſedis tota plenitudo, cum toto venerabili clero, & omnibus offi-

C ciariis, ſacerdotibus, diaconis, & lectoribus ſanctiſſimæ eccleſiæ Dei, convenit in unum, ut attribuat prompte veſtræ ſanctitati & apoſtolicæ ſedi quod ad honorem pertinet, nec alium primum & ſummum pontificem eccleſiarum omnium nominaturi. Sed antiquam internunciorum confectionem agnovimus, quam & patres noſtri ſemper attenderunt toto præterito tempore uſque ad tempus hoc. Unde noſtrum patriarcham ", & ſubſequenter omnes alios, quotquot convenerunt, ut in unum hæreant, & ſedis ponerent concordiam, obſecravimus. Ipſe vero cum magna inſtantia tenet, quod agnoſci debet primus: & poſtea, ut indicat, non decidet ab iſta voluntate: nec

Huic patriarchæ, Ioſepho nomen erat.

D adhuc a prima ſententia, quam tenet, cum aliqua intentione mutatus eſt. Unde & pluries nos prælati correximus ipſum, ipſe ne quidquam ad præſens acquievit. Nos autem & nobiſcum potentiſſimus imperator injunximus illi a patriarchali ſede recedenti, omnino in una forma ſolitudinis manere, quæ ſunt Conſtantinopoli monaſteriorum, donec nuncii ad veſtram ſanctitatem accedant, & audiant ſermonem veſtrum; & ſi magnitudo veſtra ita recipiat, deleget certos delegatos cum noſtris reverſis legatis. Et nos hunc finem obtinentes, communiter & interim convenientes, attrahemus patriarcham noſtrum, ut ſi re-

E cedere ipſum ab intentione contingat, nobiſque inclinaverit, & nos reddet benevolos eſſe, quod præteritis temporibus throno apoſtolicæ ſedis inſuper excellens honor attributus eſt: ſic habebimus ipſum pontificem etiam ſpiritualiter, ſicut prius præſidentem. Si vero immutabiliter ſe habeat in ſententia, tunc dependebit omnis neceſſitas, & ipſum deiicere, & patriarchali principatu privare. Nos autem conſtituemus & promovebimus alium, qui utique conſentiat nobiſcumque ejuſdem voluntatis eſſe, & reddere convenientem primatum ſummitati ſanctitatis veſtræ. Hoc igitur proponimus, a Deo honorate domine, nos, quos patriarchalis Conſtantinopolitanæ ſedis ſublimes pontifices, cum omnibus qui circa nos venerabilibus clericis per hoc ſcriptū noſtrum vobis

 conjungi

conjungi habemus: qualiter si solum vestra magnitudo, ea quæ legationis sunt admittat, non est quod tempus teratur: & nos inclinamus prompte, & magnæ vestræ altitudini submittimus, & valde gratanter ea quæ sunt spiritualis subjectionis totius asserimus, & nihil eorum denegamus quæ ante schisma præstabant patres nostri his, qui apostolicam regebant sedem, sed statim & nos attribuimus. Alia quidem significabunt nuncii, & gloriosæ vestræ sanctitati notificabunt. Finaliter, sicut in spiritualibus potentissimus noster imperator & nos, pontificum collegium episcopis commisimus: sicut cæteri spiritualiter ab imperiali magnificentia mandatum acceperunt, de quibus quæcumque ad sæcularis principatus pertinent gubernationem, vestræ sanctitati reserabunt a Deo coronato nostro imperatore. Confidimus autem quod pacis autor Deus unitatem, paterna victus clementia, adaperiet, nosque & magistratus gratanter suscipiet inclinatos, & vestram familiaritatem invocantes & paternitatem.

Sacramentum Græcorum.

Ego N. nuncius habens ab eisdem sufficiens ad infra scripta mandatum, omne schisma prorsus abjuro, & subscriptam fidei veritatem, prout plene lecta est, & fideliter exposita a me, Dei & Domini nostri nomine veram sanctam catholicam fidem esse cognosco, eam accepto, & corde & ore confiteor: ipsamque, prout tenet, & fideliter docet, & prædicat sancta Romana ecclesia, inviolabiliter servaturum, & in ea omni tempore perseveraturum, nec ab ea ullo unquam tempore recessurum, vel quoquo modo deviaturum, nec discrepaturum promitto. Primatum quoque ipsius sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, prout in præmissa serie continetur, ad ipsius ecclesiæ obedientiam spontaneus veniens, fateor, recognosco, accepto, & sponte suscipio. Et ipse omnia præmissa tam circa fidei veritatem, quam circa ejusdem ecclesiæ Romanæ primatum, & episcoporum recognitionem, acceptationem, susceptionem, observantiam, ac perseverantiam, servaturum, præstito corporaliter juramento, promitto & confirmo. Sic Deus ipsum adjuvet, & hæc sancta evangelia. Scriniarius, sacrista, chartophylax, & magnus scevophylax sanctissimi ejus qui in Constantinopoli est patriarchatus, Ioannes lector.

G. C. Iisdem conceptum est verbis, quibus imperatoris ipsius sacramentum, antea editum: ex quo aliquot vocum lacunam hic supplevimus. Quid vero si descriptum est hic sacramentum imperatorium, pro episcopali? Nam dicere debuisset episcoporum nuncius, *episcoporum nomine*. uti dixit Cæsareus, *in nomine dicti domini mei*. Quæ voces hic corruptæ sunt, & in has mutatæ, *Dei & Domini nostri nomine*. Neque enim ille hanc fidem Dei nomine acceptabat, aut Dei nomine ac vice promittebat obedientiam Romanæ ecclesiæ primatui. Deinde quid aliud sub finem loquuntur hæ voces: *Sic Deus ipsum adjuvet* Quod autem est supra: *Et ipse omnia præmissa, &c.* illud est, quod in sacramento imperatoris legitur: *Et ipsum omnia præmissa, &c.*

EPISTOLÆ
GREGORII PAPÆ X.

I.

Carissimo in Christo filio Michaeli Palæologo imperatori Græcorum illustri salutem & apostolicam benedictionem.

EXultat mater ecclesia renascentis prolis fecunditate jucunda; exultat & jubilat, gaudenter attendens se drachmam deperditam invenisse; immensæ lætitiæ rore perfunditur, dum ruinas, quas in ea schisma multiplicarat antiquum, impleri per tuum aliorumque reditum ad ipsius ecclesiæ unitatem, sine stragis cujusque periculo, solo pacis autore prævio, intuetur. Exultamus & nos, pastoris, prout Domino placuit, vices gerentes in ea. Exultamus procul dubio in illo vero pastore, qui animam suam pro suis ovibus ponere non expavit. Ipsi vitulum labiorum exolvimus, de cujus non est dubium munere processisse, ut ovis quæ perierat sit inventa, & revixerit filius quem mors animæ, mors utique gravior, occuparat. Occurrentes itaque tibi de regione dissimilitudinis redeunti, collo tuo brachiis paternæ affectionis accumbimus, & te solidæ caritatis osculo pressius osculamur. O utinam tibi, fili, pateret ad plenum, cum quanto in his occurrit tripudio eadem ecclesia nuper in Lugdunensi concilio congregata! O si voces psallentium inibi, Deumque flexis genibus & nudatis capitibus laudantium, præcipue prælatorum, in tuis sonuissent auribus, & revelata facie ipsorum oculos deducentes quasi aquarum exitus inspexisses! profecto prudenter adverteres quod erant eorum lacrymæ tam excussi doloris indices, quam adeptæ lætitiæ proditrices: nec minus intelligeres, quam grati tui advenerint nuncii, quam fuerint gratanter accepti, cum quanto etiam jubilo tua professio acceptata. Exulta igitur & tu, fili, exulta & lætare in eo qui est splendor lucis æternæ, Divinæ quædam emanatio claritatis: qui tuum sic animum suo lumine illustravit, ut lumen veritatis intelligens, non solum redires ad illam, sed ad redeundum aliis dux & prævius effici merereris. Exulta & gaude talem ac tantum jam datum laboribus tuis effectum, ut & de tuo ad sinum unitatis ecclesiasticæ reditu indubitatum expectare valeas præmium, & de aliis per te redeuntibus tibi plenioris debeatur retributionis augmentum. Persta ergo, & quod cœpisti, solicite cum omni diligentia & solicitudine prosequaris, efficacem pro posse daturus operam, ut nec in aliquibus ejusdem schismatis reliquiæ qualescumque supersint. Dei quidem perfecta sunt opera: & tu creatura illius, creatorem tuum in tam placiti consummatione operis pro viribus imitare, ut spei conceptæ de præmio res succedat, & præmissum debitum exhibitio regalis exolvat. Super his autem & aliis habitis circa præmissa processibus: præfati tuæ celsitudinis nuncii, quorum tibi notior est virtus & probitas, ad te plenius revertuntur instructi: quibus te non dubitamus fidem indubiam adhibere.

Datum Lugduni v. Kalendas Augusti, anno tertio.

II.

Andronico primogenito carissimi in Christo filii nostri Michaelis Palæologi imperatoris Græcorum illustris salutem & apostolicam benedictionem.

HAbes, fili, unde Domino Deo tuo in vocem exultationis & confessionis erumpas: exultes in eo, & fatearis humiliter tibi de immenso ipsius dono concessum, veræ fidei agnoscere veritatem, illam amplecti piis affectibus, & devotis nobis missis affatibus confiteri. Hæc si corde contrito & humiliato spiritu recognoscens, a cœptorum prosecutione solicita non desistas: plura tibi salutaribus inhærenti studiis procul dubio ipse bonorum omnium dator adjiciet, perfectæ tandem retributionis præmium largiturus. Ideoque magnitudinem tuam monemus & hortamur in Domino Iesu Christo, quatenus in præmissis, sicut discrete scripsisti, tui genitoris inclyti laudabili proposito,

ANNO CHRISTI 1274.

posito, nobis per eius & tuas expresso litteras, constanter adhærens, totis viribus satagas ut antiquati schismatis aboleantur omnino reliquiæ, sitque Latinorum & Græcorum unitas perpetuis temporibus inconcussa.

Datum Lugduni quinto Kalendas Augusti, anno tertio.

III.

Venerabilibus fratribus Ephesin. in Thracia Heracliæ, Sarden. Lydiæ, Nicomediæ, Nicææ, Calched. Naupacti, Philadelphiæ, Thessalonicen. Tyanorum, Heracliæ Ponti, Iconii, Cariæ, Corsien. Athenien. Rhodien. Philippen. Smyrnen. Serrarum, Amastridæ, Alaniæ[a]*, Prusæ, Maditorum, Abydi, Christianopoleos, Silibriæ, Mesembriæ, Apri, Achiraus*[b]*, Pigarum, & Parii, Didymothichi, Anastasiopoleos, Byziæ, Cypsellorum, Garellæ*[c]*, Derci, Praconesi, Lopadiæ*[d]*, Pergami, Meleniai, & Beriæ, metropolitis, & dilectis filiis archidiacono & universo clero, œconomo, sacellario, protecdico, logothetæ, castrisio, referendario, didascalo, primicerio, ipominisco*[e]*, ostiariis, & notariis omnibus, necnon decano, archidiacono, diaconis, cantoribus, & lectoribus universis, salutem & apostolicam benedictionem.*

[a] forte Apam.æ,
[b] forte Achimnii,
[c] forte Gatilleris,
[d] Lopodii,
[e] forte hypomnimatisa,

CAriſſimi in Chriſto filii noſtri Palæologi Græcorum imperatoris illuſtris & veſtros nuncios, & litteras, tanto nimirum recepimus gratius, quanto procul dubio gratiora, & noſtris acceptiora deſideriis retulerunt. Hoc eſt enim, quod fervor zeli patrum ſedis apoſtolicæ a longis retro temporibus exquirebat: hoc eſt, ad quod profundis anhelabat ſuſpiriis, & totis conatibus ſuſpirabat: ad hoc noſter inardeſcebat animus: ad hoc ſemper amplius accendebatur affectus, ut videlicet antiquo ſubducto ſchiſmate una eſſet columba Domini, formoſa ejus, perfecta ipſius; una quidem eccleſia Latinorum pariter & Græcorum, unita in ejuſdem veræ fidei & capitis unitate. His & veſtra, ut ſcripſiſtis, vota ex intimis concurrebant. Adſtitit itaque his diebus, multiplicatis interceſſoribus, virtus Chriſti: qui vere teſtatur nos nihil poſſe facere abſque ipſo. Adſtitit benignus ſapientiæ Spiritus, & prædicti principis ac veſtros animos miſericorditer inſpiravit, taleque ac tantum dedit ipſius ac veſtro miniſterio deſideratis initium: ut ipſo ac vobis perſiſtentibus, ut ſperamus, in identitate propoſiti, conſummationis celeris & perfectæ proſperitas indubie ſubſecutura ſperetur. Illi ergo laus, illi gloria, illi actio gratiarum, qui vere lapis angularis parietem utrumque connexuit, & utraque unum fecit. Qui largitor bonorum omnium tantam nobis & vobis largitus eſt gratiam: ut nos in hæc tempora reſervavit, ut diem hunc nobis videre conceſſerit, quem videntes, ſumus in immenſum non indigne gaviſi, ex immenſitate gratiæ menſuram lætitiæ metientes. Vos igitur fratres & filios monemus, rogamus, & hortamur in Domino Ieſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad perfectionem ſolidam inceptorum totis viribus ſatagentes, ejuſdem ſchiſmatis abolere ſtudeatis omnino reliquias, abjicientes oves morbidas, ne gregem valeant contaminare Dominicum, aut fidei a vobis noviter agnitæ in veſtris cordibus inficere puritatem. In his autem exequendis utilius, & efficacius adimplendis, eidem principi conſtanter & fideliter adhærete, ipſum fulcite conſiliis, & auxiliis adjuvate. Decet enim vos prælatos præcipue, qui conſtituti eſtis in ſpecula, veritatis lumen aliis oſtenſuri, aberrantes de tenebris errorum educere, devios in viam rectitudinis revocare, ut vobis adimplentibus officii debitum, æterni plenitudine præmii veſtrorum laborum exitus compleatur. Datum ut ſupra in proxima.

IV.

Abagha regi Tartarorum illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

EXcellentiæ tuæ litteras, & nuncios latores ipſarum, quorum alterum poſtmodum ſors, ut dicitur, humana ſubduxit, ad noſtram præſentiam venientes, una cum ſacro concilio, adventus eorum tempore, in noſtra præſentia congregato, in quo ſicut per ſuperſtitis relationem intelligere poteris, principum & prælatorum multitudo copioſa & veneranda convenit, cum animi lætitia & vultus ſerenitate recepimus; & litteris in communi perlectis, ac nunciis ipſis benigne in omnibus quæ proponere voluerunt auditis, corde contrito & humiliato ſpiritu exoravimus, & exoramus Altiſſimum, ut ipſe, qui eſt lux vera, omnem hominem venientem in hunc mundum illuminans, tibi & tuis ſua pietate concedat ſic ſemper in lumine vultus ſui lumen veritatis agnoſcere, quod in ſuis beneplacitis ambulantes, ad exaltationem fidei Chriſtianæ, veſtramque ſalutem, indefeſſo propoſito intendatis. Cæterum ſuper iis quæ per nuncios & litteras prædictas tua magnificentia intimavit, ante Chriſtiani exercitus ad tranſmarinas partes adventum diſpoſuimus ad tuam præſentiam legatos noſtros, prout opportunitas permiſerit, deſtinare, qui & magnitudini tuæ ad illa plene reſpondeant, & te nihilo minus ad alia, quæ, ſi aures illis exauditionis præſtiteris, tuam tuorumque ſalutem & utilitatem communem reſpicient, ſolerter inducant.

Datum Lugduni tertio Idus Martii, anno tertio.

CONSTITVTIONES
A GREGORIO PAPA DECIMO
IN CONCILIO LVGDVNENSI
GENERALI SANCITÆ.

Gregorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei univerſis Chriſti fidelibus præſentes litteras inſpecturis ſalutem, &c.

INfra ſcriptas conſtitutiones nuper in generali concilio Lugdunenſi & poſt ſuper certis articulis duximus promulgandas, quibus univerſos uti volumus, & mandamus in judiciis, & in ſcholis, ipſaſque ſub ſuis titulis inſeri, prout exprimitur ſuper eis.

I.

De ſumma Trinitate, & fide catholica.

Fideli ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus ſanctus æternaliter ex Patre, & Filio, non tamquam ex duobus principiis, ſed tamquam ex uno principio, non duabus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit. Hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit, & docuit, hoc firmiter tenet, prædicat, profitetur, & docet ſacroſancta Romana eccleſia, mater omnium fidelium,

ANNO CHRISTI 1274.

fidelium, & magistra: hoc habet orthodo- A xorum patrum atque doctorum Latinórum pariter & Græcorum incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi: nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, sacro approbante concilio, damnamus & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere; sive etiam temerario ausu asserere, quod Spiritus sanctus ex Patre, & Filio, tamquam ex duobus principiis, & non tamquam ex uno, procedat. B

II.

De electione, & electi potestate.

Vbi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum. Quam gravibus autem sit onusta dispendiis, quot & quantis sit plena periculis, ecclesiæ Romanæ prolixa vacatio: exacti temporis consideratio edocet, & considerata prudenter illius discrimina manifestant. Hinc nos evidens evocat ratio, ut dum reforman- C dis etiam minoribus nostra solerter vacat intentio, ea quæ periculosiora sunt nequaquam absque remedio reformationis accommodæ relinquamus. Ideoque omnia, quæ pro vitanda discordia, in electione Romani pontificis a nostris sunt prædecessoribus, & præcipue a felicis recordationis Alexandro papa tertio, salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, (nihil enim illis detrahere intendimus, sed quod experientia deesse probavit, præsenti constitutione supplere) hoc sacro concilio approbante statuimus, ut si D eumdem pontificem in civitate, in qua cum sua curia residebat, diem claudere contingat extremum, cardinales, qui fuerint in civitate ipsa præsentes, absentes expectare decem diebus tantummodo teneantur. Quibus elapsis, sive absentes venerint, sive non, extunc omnes conveniant in palatio, in quo idem pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis, vel laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen quibus patens necessitas id suggerit indulgeri, duos habere E permittimus, ejusdem electionis arbitrio reservato. In eodem autem palatio unum conclave, nullo intermedio pariete, seu alio velamine, omnes habitent in communi. Quod (servato libero ad secretam cameram aditu) ita claudatur undique, ut nullus illuc intrare valeat vel exire; nulli ad eosdem cardinales aditus pateat, vel facultas secrete loquendi cum eis: nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos,

In concilio Lateranensi cap. 1.

qui de voluntate omnium cardinalium inibi præsentium, pro iis tantum quæ ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit, ipsis cardinalibus, vel eorum alicui, nuncium mittere vel scripturam. Qui vero contra fecerit, scripturam mittendo vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secreto loquendo: ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. In conclavi tamen prædicto aliqua fenestra competens dimittatur, per quam eisdem cardinalibus ad victum necessaria commode ministrentur: sed per eam nulli ad ipsos patere possit ingressus. Verum si, quod absit, infra tres dies, postquam, ut prædicitur, conclave prædictum iidem cardinales intraverint, non fuerit ipsi ecclesiæ de pastore provisum: per spatium quinque dierum immediate sequentium, singulis diebus, tam in prandio, quam in cœna, uno solo ferculo sint contenti. Quibus provisione non facta decursis, extunc tantummodo panis, vinum, & aqua, ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur. Provisionis quoque hujusmodi pendente negotio, dicti cardinales nihil de camera papæ recipiant, nec de aliis eidem ecclesiæ tempore vacationis obvenientibus undecumque: sed ea omnia, ipsa vacatione durante, sub ejus, cujus fidei & diligentiæ camera eadem est commissa, custodia maneant, per eum dispositioni futuri pontificis reservanda. Qui autem aliquid receperint, teneantur extunc a perceptione quorumlibet redituum ad ipsos spectantium abstinere, donec de receptis taliter plenariam satisfactionem impendant. Iidem quoque cardinales accelerandæ provisioni sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant: nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de terra ipsius ecclesiæ defendenda, vel ejus parte aliqua providere: vel nisi aliquod tam grande, tam evidens periculum immineret, quod omnibus & singulis cardinalibus præsentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. Sane si aliquis de prædictis cardinalibus conclave prædictum, ut supra exprimitur, non intraverit; aut intrans, absque manifesta causa infirmitatis exierit: ipso minime requisito, nec in ejusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum " substituendum pontificem, libere procedatur. Si vero infirmitate superveniente, idem conclave aliquem ex eis exire contingat: ipsa etiam infirmitate durante poterit, ejus suffragio non requisito, ad electionem procedi. Sed si ad alios post sanitatem sibi redditam, seu antea, redire voluerit, vel etiam si alii absentes, quos per decem dies diximus expectandos, supervenerint re integra, videlicet antequam

" elig. sum mū pontif

ANNO CHRISTI 1274

quam eidem ecclesiæ sit de pastore provisum: in eodem negotio, in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittatur, præmissa, tam de clausura, quam de servientibus cibo ac potu, & reliquis, cum aliis servaturi. Porro si quando Romanum pontificem extra civitatem prædictam, in qua erat cum sua curia residens, contigerit ab hac luce migrare: teneantur cardinales in civitate, in cujus territorio seu districtu idem pontifex obiit, convenire; nisi sit forsitan interdicta, vel contra ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat. Quo casu in alia viciniori conveniant, quæ similiter nec interdicto subjaceat, nec sit, ut prædicitur, aperte rebellis. In hac etiam civitate, tam quoad expectationem absentium, quam quoad habitationem communem, clausuram, & cætera omnia, in domo episcopali, vel alia qualibet eisdem cardinalibus deputanda, eadem observentur, quæ superius, obeunte dicto pontifice in ea in qua cum sua residebat curia, sunt expressa.

Præterea, quia parum est jura condere, nisi sit qui eadem tueatur: adjiciendo sancimus, ut dominus, aliique rectores, & officiales civitatis illius, in qua Romani pontificis celebranda fuerit electio, autoritate nostra, & ejusdem approbatione concilii, potestate sibi tradita, præmissa omnia & singula plene ac inviolabiliter sine fraude ac dolo aliquo faciant observari: nec cardinales ultra quam præmittitur arctare præsumant. Super his autẽ taliter observandis, statim audito summi pontificis obitu, coram clero & populo civitatis ipsius, ad hoc specialiter convocandis, præstent corporaliter juramẽtum. Quod si forte in præmissis, vel circa ea, fraudem commiserint, aut ipsa diligenter non observaverint: cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, omni cessante privilegio, eo ipso excommunicationis sint vinculo innodati, & perpetuo sint infames, nec unquam eis portæ dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Ipsos insuper feudis, & bonis, cæterisque, quæ ab eadem Romana vel quibuslibet aliis ecclesiis obtinent, ipso facto decrevimus esse privatos: ita quod ad ecclesias ipsas plene ac libere revertantur, administratorum earumdem ecclesiarum arbitrio sine contradictione aliqua disponẽda. Civitas vero prædicta, non solum sit interdicto supposita, sed & pontificali dignitate privata. Cæterum quia cum arbitrium vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquid obligationis cujusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi: cardinales eosdem obsecrantes per viscera misericordiæ Dei nostri, per aspersionem sui preciosi sanguinis obtestamur, ut pensantes attentius quid eis imminet, cum agitur de creatione vicarii Iesu Christi successoris Petri, rectoris universalis ecclesiæ, gregis Dominici directoris, omni privatæ affectionis inordinatione deposita, & cujuslibet pactionis, conventionis, obligationis necessitate; necnon condicti & intendimenti contemplatione cessantibus, non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos, non quæ sua sunt quærant, non commodis privatis intendant, sed nullo arctante ipsorum in eligendo judicium, nisi Deo, puris & liberis mentibus, nuda electionis conscientia utilitatem publicam libere prosequantur omni conatu, & solicitudine, prout possibilitas patitur, id acturi tantummodo, ut eorum ministerio acceleretur utilis & pernecessaria totius mundi provisio, idoneo celeriter eidem ecclesiæ sponso dato. Qui autem secus egerint, Divinæ subjaceant ultioni, eorum culpa, nisi gravi propter hoc peracta pœnitentia, nullatenus abolẽda. Et nos nihilo minus pactiones, conventiones, obligationes, condicta, & intendimenta omnia, sive juramenti, sive cujuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irritamus, & viribus decernimus omnino carere: ita ut nullus ad illa observanda quomodolibet sit astrictus; nec quisquã ex eorũ transgressione notã vereatur fidei nõ servatæ, sed nõ indignæ laudis titulum potius mereatur: cũ lex etiã humana testetur, Deo magis trãsgressiones hujusmodi, quã jurisiurandi observationes, acceptas.

Quia vero fidelibus non est tam de solicita quantumcumque inventione fidendum, quam de instantia orationis humilis & devotæ sperandum; huic adjicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus, cæterisq; locis insignibus, ubi primũ de memorati pontificis obitu certitudo claruerit, a clero & populo solennibus pro eo exequiis celebratis, singulis diebus, donec de ipsius ecclesiæ provisione indubitatus rumor pertulerit veritatem; humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus insistatur, ut ipse qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem cardinalium corda in eligendo concordia, quod provisio celer, concors, & utilis, prout animarum salus exigit, & totius requirit orbis utilitas, ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre præsentis sanctionis edictum, ignorantiæ negligi prætextu contingat: districte præcipimus, ut patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, & alii ecclesiarum prælati, cæterique, quibus concessum est proponere verbum Dei, clerum & populum propter hoc specialiter frequentius congregandos in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia, pro celeri & felici exitu tanti negotii frequẽtanda, solerter hortentur, & ipsis eadem autoritate, non solum orationum frequentiam, sed & observan-

tiam, prout circumſtantiæ penſandæ ſuaſerint, jejuniorum indicant.

III.

Ut circa electiones, poſtulationes, & proviſiones eccleſiaſticas, viam malitiis, prout eſt poſſibile, præcludamus, nec diutius periculoſe vacent eccleſiæ, vel perſonatuum, dignitatum, & aliorum eccleſiaſticorum beneficiorum proviſio differatur: edicto perpetuo providemus, ut ſi quando aliqui electionibus, poſtulationibus, vel proviſionibus ſe opponunt, proponendo aliqua contra electionis, poſtulationis, ſeu proviſionis formam, aut perſonas eligentium, vel electi, ſive illius, cui proviſio erat facienda vel facta, & propter hoc contigerit appellari, appellantes in inſtrumento publico, ſeu litteris ſuper appellatione confectis, omnia & ſingula exprimant, quæ in formam intendunt objicere, vel perſonas coram perſonis authenticis, aut perſona, quæ ſuper hoc teſtimonium perhibeant veritati, corporali præſtito juramento, quod credunt ea quæ ſic exprimunt, eſſe vera, & ſe poſſe probare. Alioquin tam opponentes, quam (tempore appellationis interpoſitæ, vel poſtmodum) adhærentes eiſdem, objiciendi aliqua, quæ non fuerint in hujuſmodi litteris vel inſtrumentis expreſſa, poteſtatem ſibi noverint interdictam: niſi aliquid poſtea forſan emerſerit, vel ſuper antiquis ſupervenerit probandi facultas, aut aliqua antiqua in opponentium notitiam de novo pervenerint, quæ appellantes appellationis emiſſæ tempore veriſimiliter ignorare potuerint, & etiam ignorarint. Super hujuſmodi autem ignorantia, & ſuperveniente facultate probandi, fidem per proprium præſtandum corporaliter faciant juramentum, hoc adjiciendo in juramento eodem, quod ad ea probanda credunt ſe ſufficientes probationes habere. Illa ſane quæ felicis recordationis Innocentius papa quartus, contra non plene probantes ea quæ in formam vel perſonam objecerunt, ſtatuit, in ſuo volumus robore permanere.

IV.

Avaritiæ cæcitas, & damnandæ ambitionis improbitas, aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quæ ſibi a jure interdicta noverint, exquiſitis fraudibus uſurpare conentur. Nonnulli ſiquidem ad regimen eccleſiarum electi, quia eis jure prohibente non licet, ſe, ante confirmationem electionis celebratæ de ipſis, adminiſtrationi eccleſiarum, ad quas vocantur, ingerere, ipſam ſibi tamquam procuratoribus ſeu œconomis committi procurant. Cum itaque non ſit malitiis hominum indulgendum, nos latius providere volentes, hac generali conſtitutione ſancimus: ut nullus de cætero adminiſtrationem dignitatis, ad quam electus eſt, priuſquam celebrata de ipſo electio confirmetur, ſub œconomatus, vel procurationis nomine, aut alio de novo quæſito colore, in ſpiritualibus vel temporalibus, per ſe vel per alium, pro parte vel in totum, gerere vel recipere, aut illis ſe immiſcere præſumat. Omnes illos qui ſecus fecerint, jure, ſi quod eis per electionem quæſitum fuerit, decernentes eo ipſo privatos.

V.

Quam ſit eccleſiis ipſarum diſpendioſa vacatio, quam periculoſa etiam eſſe ſoleat animabus, non ſolum jura teſtantur; ſed etiam magiſtra rerum efficax experientia manifeſtat. Cupientes itaque competentibus remediis vacationum diuturnitatibus obviare, hoc perpetuo decreto ſtatuimus: ut ſi quando fuerit electio in aliqua eccleſia celebrata, electores, electionem ipſam, quam citius commode poterunt, electo præſentare, ac petere conſenſum ipſius, procurent; electus vero illum adhibere infra menſem a tempore præſentationis hujuſmodi teneatur. Quem ſi electus ipſi præſtare ultra diſtulerit, jure, ſi quod ei ex ſua electione fuerat acquiſitum, extunc ſe noverit eo ipſo privatum: niſi forſan ea ſit electæ perſonæ conditio, ut electioni de ſe celebratæ, abſque ſuperioris ſui licentia, ex prohibitione, ſeu quavis proviſione ſedis apoſtolicæ, conſentire non poſſit. Quo caſu, idem electus, ſeu electores ipſius, conſentiendi licentiam ab ejus ſuperiore, cum ea celeritate, quam ſuperioris ipſius præſentia vel abſentia permiſerit, petere ſtudeant, & habere. Alioquin, ſi lapſo tempore, pro ejuſdem ſuperioris præſentia vel abſentia, ut præmittitur, moderando, hujuſmodi licentiam eos nequaquam obtinere contingat: electores extunc ad electionem aliam procedendi liberam habeant facultatem. Cæterum quivis electus infra tres menſes poſt conſenſum electioni de ſe celebratæ præſtitum, confirmationem electionis ipſius petere non omittat. Quod ſi juſto impedimento ceſſante, infra hujuſmodi trimeſtre tempus omiſerit, electio eadem eo ipſo viribus vacuetur.

VI.

Perpetuæ ſanctionis oraculo declaramus, quod ſcienter in electionibus nominantes indignum, propter ſuffragium in ſcrutinio præſtitum, niſi adeo in eo perſtiterint, quod ex votis eorum communis electio ſubſequatur, nequaquam eligendi poteſtate priventur: licet pro eo quod indignum nominando ſcienter contra conſcientias ſuas agunt, & Divinam vindictam, & apoſtolicæ ultionis metum, quem qualitas facti ſuaſerit, poſſint non immerito formidare.

VII.

ANNO CHRISTI 1274.

VII.

Nulli licere decernimus, postquam in scrutinio nominaverit aliquem, & electio fuerit subsecuta, vel postquam præstiterit electioni de ipso ab aliis celebratæ consensum, illum super electione ipsa, nisi ex causis postea emergentibus, impugnare: vel nisi ei morum ipsius antea celata de novo pandatur improbitas, seu alicujus alterius latentis vitii, vel defectus, quæ verisimiliter ignorare potuerit, veritas reveletur. De hujusmodi autem ignorantia fidem proprio faciat juramento.

VIII.

Si quando contigerit, duabus electionibus celebratis, partem alteram eligentium duplo majorem numero inveniri: contra electores, qui partem reliquam sic excedunt, ad extenuationem zeli, meriti, vel autoritatis ipsorum, reliquis, vel electo ab eis aliquid opponendi, omnem præsenti decreto interdicimus facultatem. Si quid autem opponere voluerint, quod votum illius, cui opponitur, nullum redderet ipso jure: id eis non intelligimus interdictum.

IX.

Quamvis constitutio felicis recordationis Alexandri papæ quarti prædecessoris nostri, causas electionum episcopalium, seu super electionibus episcoporum exortas, non immerito majoribus causis annumerans, cognitiones ipsarum per appellationes quaslibet devolui asserat ad apostolicæ sedis examen: nos tamen, & temerariam appellantium audaciam, & effrenatam appellationum frequentiam, refrenare volentes, hac generali constitutione duximus providendum, ut si extra judicium in prædictis electionibus, vel in aliis de dignitatibus episcopatu majoribus celebratis, expressa causa manifeste frivola, contigerit appellari, per appellationem hujusmodi nequaquam ad sedem eamdem negotium devolvatur. Sed cum in electionum earumdem negotiis, in judicio, vel extra judicium appellatur, inscriptis ex causa probabili, quæ probata deberet legitima reputari: ad sedem ipsam hujusmodi negotia deferantur. Cæterum in præmissis omnibus casibus liceat partibus ab hujusmodi appellationibus, nulla tamen interveniente pravitate, recedere: antequam præfatæ sedi fuerint præsentatæ. Inferiores autem judices, quorum erat ipsarum causarum cognitio, appellatione cessante, an in hoc pravitas intercesserit ante omnia diligenter inquirant: & si eam intercessisse repererint, A se de causis ipsis nullatenus intromittant, sed præfigant dictis partibus terminum peremptorium competentem, in quo cum omnibus actis & monimentis suis apostolico se conspectui repræsentent.

X.

Si forte inter cætera quæ objiciuntur electo, aut postulato, seu alias promovendo ad aliquam dignitatem, evidentem scientiæ vel alium personæ defectum opponi contingat: in discussione objectorum illum statuimus ordinem incommutabiliter B observandum, ut promovendus super defectu ipso ante omnia subjiciatur examini, cujus eventus examinandis aliis aut dabit initium aut negabit. Cæterum si præmissi examinis exitus, hujusmodi oppositiones docuerit veritate destitui: opponentes omnino a prosecutione causæ, in qua talia objecerunt, excludimus, & perinde puniri decernimus, ac si penitus in probatione omnium quæ objecerant defecissent.

XI.

Sciant cuncti, qui clericos vel quaslibet C alias personas ecclesiasticas, ad quos in aliquibus ecclesiis, monasteriis, aut aliis piis locis spectat electio, pro eo quod rogati, seu alias inducti, eum pro quo rogabantur, sive inducebantur, eligere noluerunt, vel consanguineos eorum, aut ipsas ecclesias, monasteria, seu loca cætera, beneficiis, sive aliis, bonis per se vel per alios spoliando, seu alias injuste persequendo, gravare præsumpserint, se ipso facto excommunicationis sententia innodatos.

XII.

Generali constitutione sancimus, universos D & singulos qui regalia, custodiam sive guardiam advocationis, vel defensionis titulum, in ecclesiis, monasteriis, sive quibuslibet aliis piis locis, de novo usurpare conantes, bona ecclesiarum, monasteriorum, aut locorum ipsorum vacantium occupare præsumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant, clericos etiam ecclesiarum, monachos monasteriorum, & personas cæteras locorum eorumdem qui hæc fieri procurant, eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere. E Illos vero clericos qui se, ut debent, talia facientibus non opponunt, de proventibus ecclesiarum, seu locorum ipsorum, pro tempore quo præmissa sine debita contradictione permiserint, aliquid percipere districtius inhibemus. Qui autem ab ipsarũ ecclesiarum cæterorumque locorum fundatione, vel ex antiqua consuetudine, iura sibi

 hujusmodi

hujusmodi vindicant: ab illorum abusu sic A prudenter abstineant, & suos ministros in eis solicite faciant abstinere, quod ea quæ non pertinent ad fructus sive reditus provenientes vacationis tempore non usurpent; nec bona cætera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent.

XIII.

Licet canon a felicis recordationis Alexandro papa tertio prædecessore nostro editus, inter cætera statuerit, ut nullus B regimen ecclesiæ parochialis suscipiat, nisi vigesimumquintum annum ætatis attigerit, ac scientia & moribus commendandus existat, quodque talis ad regimen assumptus hujusmodi, si monitus, non fuerit præfixo a canonibus tempore in presbyterum ordinatus, a regiminis ejusdem amoveatur officio, & alii conferatur: quia tamen in observatione canonis memorati se multi exhibent negligentes, nos periculosam illorum negligentaim volentes juris executione suppleri, præsenti decreto statuimus, ut nullus ad regimen parochialis ecclesiæ assumatur, nisi sit idoneus scientia, mo- C ribus, & ætate. Decernentes collationes de parochialibus ecclesiis, iis qui non attigerunt vigesimumquintum annum de cætero faciendas, viribus omnino carere. Is etiam qui ad hujusmodi regimen assumetur, ut gregis sui crediti diligentius gerere curam possit, in parochiali ecclesia, cujus rector extiterit, residere personaliter teneatur: & infra annum a sibi commissi regiminis tempore numerandum se faciat ad sacerdotium promoveri. Quod si infra idem tempus promotus D non fuerit: ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sit præsentis constitutionis autoritate privatus. Super residentia vero, ut præmittitur, facienda, possit ordinarius gratiam dispensative ad tempus facere, prout causa rationabilis id exposcet.

XIV.

Nemo deinceps parochialem ecclesiam alicui non constituto in ætate legitima E & sacerdotio commendare præsumat. Nec tali etiam nisi unam, & evidenti necessitate, vel utilitate ipsius ecclesiæ suadente. Hujusmodi autem commendam, ut præmittitur, rite factam declaramus ultra semestris temporis spatium non durare. Statuentes, quidquid secus de commendis ecclesiarum parochialium actum fuerit, esse irritum ipso jure.

XV.

De temporibus ordinationum, & qualitate ordinandorum.

Eos qui clericos parochiæ alienæ, absque superioris ordinandorum licentia, scienter, seu affectata ignorantia, vel quocumque alio figmento quæsito, præsumpserint ordinare, per annum a collatione ordinum decernimus esse suspensos; iis quæ jura statuunt contra taliter ordinatos in suo robore duraturis. Clericis quoque parochiæ taliter suspensorum, postquam eorum suspensio fuerit manifesta, absque ipsorum etiam licentia, interim recipiendi ordines ab aliis vicinis episcopis, alias tamen canonice, liberam concedimus facultatem.

XVI.

De bigamis.

Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes, bigamos omni privilegio clericali declaramus esse nudatos, & coercitioni fori sæcularis addictos: consuetudine contraria non obstante. Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre tonsuram vel habitum clericalem.

XVII.

De officio iudicis ordinarii.

Si canonici a Divinis cessare voluerint, prout in ecclesiis aliquibus sibi ex consuetudine vel alias vindicant, antequam ad cessationem hujusmodi quoquo modo procedant, in instrumento publico, vel patentibus litteris sigillorum suorum aut alterius authentici munimine roboratis, cessationis ipsius causam exprimant, & illud, vel illas, ei, contra quem cessare intendunt, assignent. Sciturí, quod si hoc prætermisso cessaverint, vel causa, quam expresserint, non fuerit inventa canonica, omnia, quæ de quibuscumque proventibus illius ecclesiæ, in qua cessatum fuerit, cessationis tempore perceperunt, restituent. Illa vero, quæ pro eodem tempore debentur eisdem, nullo modo percipient, sed ipsi ecclesiæ cedere, ac nihilo minus ei, contra quem cessaverant, de damnis & injuriis satisfacere tenebuntur. Si autem causa eadem canonica fuerit judicata: is qui occasionem cessationi dederat, ad omne interesse dictis canonicis, & ecclesiæ, cui debitum officium ejus est culpa subtractum, ad certam quantitatem taxandam, & in Divini cultus augmentum convertendam, superioris arbitrio condemnetur. Cæterum detestabilem abusum horrendæ indevotionis illorum, qui crucis, beatæ

tæ Virginis, aliorumve sanctorum imagines, seu statuas, irreverenti ausu tractantes, eas in aggravationem cessationis hujusmodi prosternunt in terram, urticis spinisque supponunt, penitus reprobantes: aliquid tale de cætero fieri districtius prohibemus. Statuentes, ut in eos qui contra fecerint ultrix procedat dura sententia: quæ delinquentes sic graviter puniat, quod alios a similium præsumptione compescat.

XVIII.

Ordinarii locorum subditos suos, plures dignitates, vel ecclesias, quibus animarum cura imminet, obtinentes, seu personatum, aut dignitatem, cum alio beneficio, cui cura similis est annexa, districte compellant, dispensationes, autoritate quarum hujusmodi ecclesias, personatus, seu dignitates, canonice tenere se asserunt, infra tempus, pro facti qualitate ipsorum ordinariorum moderandum arbitrio, exhibere. Quod si forte, justo impedimento cessante, nullam dispensationem infra idem tempus contigerit exhiberi: ecclesiæ beneficia, personatus, seu dignitates, quæ sine dispensatione aliqua, eo ipso illicite detineri constabit, per eos, ad quos eorumdem collatio pertinet, libere personis idoneis conferantur. Cæterum, si dispensatio exhibita sufficiens evidenter appareat: exhibens, nequaquam in beneficiis hujusmodi, quæ canonice obtinet, molestetur. Provideat tamen ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si vero de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, super hoc erit ad sedem apostolicam recurrendum: cujus est æstimare, quem modum sui beneficii esse velit. In conferendis insuper personatibus, dignitatibus, & aliis beneficiis curam habentibus animarum annexam, iidem ordinarii diligentiam illam observent, ut personatum, dignitatem, vel aliud beneficium similem curam habens, alicui plura similia obtinenti non ante conferre præsumant, quam eis super obtentis dispensatio evidenter sufficiens ostendatur. Qua etiam ostensa, ita demum ad collationem procedi volumus, si appareat per eamdem, quod is, cui est collatio facienda, hujusmodi personatum, dignitatem, vel beneficium retinere licite valeat cum obtentis. Vel si ea, quæ sic obtinet, libere ac sponte resignet. Aliter autem de personatibus, dignitatibus, & beneficiis talibus, facta collatio, nullius penitus sit momenti.

XIX.

De postulando.

Properandum nobis visum est, ut malitiosis litium protractionibus occurratur: quod speramus efficaciter provenire, si eos, qui circa judicia suum ministerium exhibent, ad id congruis remediis dirigamus. Cum igitur ea quæ ad hoc salubriter fuerant circa patronos causarum legali sanctione provisa, desuetudine abolita videantur: nos sanctionem eamdem, præsentis redivivæ constitutionis suffragio, cum aliqua tamen adjectione, nec non & moderamine, renovantes, statuimus ut omnes & singuli advocationis officium in foro ecclesiastico, sive apud sedem apostolicam, sive alibi, exercentes, præstent, tactis sacrosanctis evangeliis, juramentum, quod in omnibus causis ecclesiasticis, & aliis in eodem foro tractandis, quarum assumpserunt patrocinium, vel assument, omni virtute sua, omnique ope, id quod verum & justum existimaverint, suis clientulis " inferre procurent; nihil in hoc studii, quod eis sit possibile, relinquentes, quodque in quacumque parte judicii eis innotuerit improbam fore causam, quam in sua fide receperant, amplius non patrocinabuntur eidem, immo ab ea omnino recedent, a communione illius se penitus separantes: reliquis, quæ circa hæc sunt in eadem sanctione statuta, inviolabiliter observandis. Procuratores insuper juramento simili astringantur. Hujusmodi quoque juramentum, tam advocati, quam procuratores in foro, in quo idem assumpserunt officium, teneantur annis singulis iterare. Qui vero ad eamdem sedem veniunt, vel ad curiam cujuslibet ecclesiastici judicis, in qua nondum tale præstiterant juramentum, accedunt, in aliquibus singularibus causis patrocinium, vel procurationis ministerium præstituri, præstent in singulis causis eisdem, mota controversia, simile juramentum. Advocati autem, & procuratores, qui juxta prædictam formam jurare noluerint, executionem officiorum suorum, huiusmodi voluntate durante, sibi noverint interdictam. Quod si juramentum præstitum violare præsumpserint, præter reatum perjurii, consiliarii etiam, qui scienter iniquam causam foverint, Divinam & nostram maledictionem incurrant, a qua non aliter liberentur, nisi duplum ejus restituerint, quod pro tam iniquis advocatione, procuratione, vel consilio receperunt; ac nihilo minus de damnis quæ per iniqua huiusmodi ministeria partibus irrogarunt, illis satisfacere teneantur. Cæterum ne cupiditatis ardor aliquos ad hæc salubria statuta contemnenda

" fore

ANNO CHRISTI 1274.

da præcipitet, districtius inhibemus, ne aliquis advocatus in quacumque causa ultra viginti, procurator vero ultra duodecim libras Turonenses recipere, salarii nomine, vel etiam sub palmarii colore, præsumat. Qui autem ultra receperint, nequaquam dominium eorum, quæ prædictam quantitatem excedunt, acquirant: sed ad restitutionem integram teneantur illorum. Ita quod nihil horum, ad quæ restituenda eos teneri præmisimus, in fraudem præsentis constitutionis remitti possit eisdem. Et insuper advocati constitutionem præsentem taliter violantes, ab advocationis officio triennio suspendantur. Procuratores vero extunc sibi sciant cujuslibet procurationis in judicio licentiam denegatam.

XX.

De iis quæ vi metusve causa fiunt.

Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententia, vel quamcumque revocationem ipsius, aut suspensionis, seu etiam interdicti per vim vel metum exortam, præsentis constitutionis autoritate omnino viribus vacuamus. Ne autem sine vindicta violentiæ crescat audacia, eos qui absolutionem sive revocationem hujusmodi vi vel metu extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.

XXI.

De præbendis & dignitatibus.

Statutum felicis recordationis Clementis papæ IV. prædecessoris nostri de dignitatibus & beneficiis in curia Romana vacantibus nequaquam per alium quam per Romanum pontificem conferendis, decrevimus taliter moderandum, ut ii ad quos eorumdem beneficiorum & dignitatum spectat collatio, statuto non obstante prædicto, demum post mensem, a die quo dignitates seu beneficia ipsa vacaverint numerandum, ea conferre valeant tantummodo per seipsos, vel, ipsis agentibus in remotis, per suos vicarios generales in eorum diœcesibus existentes, quibus id canonice sit commissum.

XXII.

De rebus ecclesiæ non alienandis.

Hoc consultissimo prohibemus edicto, universos & singulos prælatos ecclesias sibi commissas, bona immobilia, seu jura ipsarum, laïcis submittere, subjicere, seu supponere, absque capituli sui consensu, & sedis apostolicæ licentia speciali, non concedendo bona ipsa, vel jura in emphyteosim,

A seu alias alienando, in forma & casibus a jure permissis, sed constituendo, vel recognoscendo, seu profitendo ab illis ea tamquam a superioribus se tenere, seu ab ipsis eadem advocando (prout in quibusdam partibus vulgariter dicitur, " *Avoher*) vel ipsos patronos, sive advocatos ecclesiarum, seu bonorum ipsarum, perpetuo, aut ad tempus non modicum, statuendo. Contractus autem omnes, etiam juramenti, pœnæ vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos, quos de talibus alienationibus, sine hujusmodi licentia & consensu contigerit celebrari, & quidquid ex eis secutum fuerit,

" *In quibusdam Galliæ locis, cui ecclesiæ tutela commissa est, dicitur advocatus, & vulgari idiomate,* advoye.

B decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præscribendi etiam causam pariant. Et nihilo minus prælatos, qui secus egerint, ipso facto officio & administratione, clericos etiam, qui scientes contra inhibitionem prædictam aliquid esse præsumptum id superiori denuntiare neglexerint, a perceptione beneficiorum, quæ in ecclesia sic gravata obtinent, triennio statuimus esse suspensos. Laïci vero qui prælatos, vel capitula ecclesiarum, seu alias personas ecclesiasticas, ad submissiones hujusmodi faciendas hactenus compu-

C lerunt, nisi post competentem monitionem, remissa submissione quam per vim vel metum exegerant, ecclesias & bona ecclesiastica eis submissa taliter in sua libertate dimittant; illi etiam qui de cætero prælatos vel personas easdem ad talia facienda compulerint, cujuscumque sint conditionis aut status, excommunicationis sint sententia innodati. Ex contractibus præterea super præmissis hujusmodi licentia & consensu intervenientibus hactenus initis, vel quos in futurum iniri continget, seu occasione illorum, laïci, ultra id quod eis ex natura

D contractuum ipsorum vel adhibita in illis lege permittitur, aliquid non usurpent. Qui vero secus egerint, nisi legitime moniti ab hujusmodi usurpatione destiterint, restituendo etiam quæ taliter usurparant, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: & extunc ad supponendum terram ipsorum, si opus fuerit, ecclesiastico interdicto libere procedatur.

XXIII.

De religiosis domibus, ut episcopo sint subjectæ.

E Religionum diversitatem nimiam, ne confusionem induceret, generale concilium consulta prohibitione vetuit. Sed quia non solum importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diversorum ordinum, præcipue mendicantium, quorum nondum approba-

Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 12.

ANNO CHRISTI 1274.

probationis meruere principium, effrenatam quasi multitudinem adinvenit, repetita constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem inveniat, vel habitum novæ religionis assumat. Cunctas affatim religiones, & ordines mendicantes, post dictum concilium adinventos, qui nullam confirmationem sedis apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus, & quatenus processerant, revocamus. Confirmatos autem per sedem eamdem, post tamen idem concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem reditus aut possessiones habere professio sive regula vel constitutiones quælibet interdicunt, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas, modo subsistere decernimus infrascripto: ut professoribus eorumdem ordinum ita liceat in illis remanere, si velint, quod nullum deinceps ad eorum professionem admittant, nec de novo domum aut aliquem locum acquirant, nec domos seu loca quæ habent, alienare valeant, sine sedis ejusdem licentia speciali. Nos enim ea dispositioni sedis apostolicæ reservamus, in terræ sanctæ subsidium, vel pauperum, aut alios pios usus, per locorum ordinarios, vel eos quibus sedes ipsa commiserit, convertenda. Si vero secus præsumptum fuerit, nec personarum receptio, nec domorum vel locorum acquisitio, aut ipsorum, cæterorumque bonorum alienatio valeat: & nihilo minus contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrant. Personis quoque ipsorum ordinum omnino interdicimus, quoad extraneos, prædicationis & audiendæ confessionis officium, aut etiam sepulturam. Sane ad Prædicatorum & Minorum ordines, quos evidens ex eis utilitas ecclesiæ universali proveniens perhibet approbatos, præsentem non patimur constitutionem extendi. Cæterum Carmelitarum & eremitarum sancti Augustini ordines, quorum institutio dictum concilium generale præcessit, in suo statu manere concedimus, donec de ipsis fuerit aliter ordinatum. Intendimus siquidem tam de illis, quam de reliquis, etiam non mendicantibus ordinibus, prout animarum saluti, & eorum statui expedire viderimus, providere. Ad hæc personis ordinum, ad quos constitutio præsens extenditur, transeundi ad reliquos ordines approbatos licentiam concedimus generalem: ita quod nullus ordo ad alium, vel conventus ad conventum, se ac loca sua totaliter transferat, sedis ejusdem permissione super hoc specialiter non obtenta.

* al. tamen

XXIV.

De censibus & procurationibus.

Exigit perversorum audacia, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed pœnam etiam delinquentibus imponamus. Constitutionem itaque felicis recordationis Innocentii papæ quarti prædecessoris nostri, editam super non recipiendis in pecunia procurationibus, & super receptione munerum, visitatibus, eorumque familiis interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter observari, eam decrevimus pœnæ adjectione iuvandam: statuentes, ut universi & singuli, qui, ob procurationem sibi ratione visitationis debitam, exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, aut alias constitutionem ipsam, recipiendo munera, sive visitationis officio non impenso procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procurationis occasione violare præsumpserint, duplum ejus quod receperint, ecclesiæ, a qua id receptum fuerit, infra mensem reddere teneantur: alioquin extunc patriarcha, archiepiscopi, episcopi, duplum ipsum ultra prædictum tempus restituere differentes, ingressum sibi ecclesiæ interdictum sentiant. Inferiores vero ab officio & beneficio noverint se suspensos: quousque de duplo huiusmodi gravatis ecclesiis plenariam satisfactionem impendant. Nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate, seu gratia valitura.

XXV.

De immunitate ecclesiarum.

Decet domum Domini sanctitudo, decet, ut cujus in pace factus est locus ejus, sit cultus cum debita veneratione pacificus. Sit itaque ad ecclesias humilis & devotus ingressus. Sit in eis quieta conversatio, Deo grata, inspicientibus placida, quæ considerantes non solum instruat, sed reficiat. Convenientes ibidem, nomen illud quod est super omne nomen, a quo aliud sub cælo non est datum hominibus, in quo salvos fieri credentes oporteat, nomen videlicet Iesu Christi, qui salvum fecit populum suum a peccatis eorum, exhibitione reverentiæ specialis attollant, & quod generaliter scribitur, ut in nomine Iesu omne genu flectatur, singuli singulariter in se ipsis implentes, præcipue dum aguntur Missarum sacra mysteria, gloriosum illud nomen quandocumque recolitur, flectant genua cordis sui, quod vel capitis inclinatione testentur. Attendantur in locis ipsis intentis præcordiis sacra solennia, devotis animis orationibus inten-

ANNO CHRISTI 1274. intendatur. Nullus in locis eisdem, in quibus cum pace ac quiete vota convenit celebrari, seditionem excitet, conclamationem moveat, impetumve committat. Cessent in illis universitatum & societatum quarumlibet consilia, conciones, & publica parlamenta Cessent vana, & multo fortius fœda & profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet. Sint postremo quæcumque alia Divinum turbare possunt officium, aut oculos Divinæ majestatis offendere, ab ipsis prorsus extranea: ne, ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur peccata committi. Cessent in ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipue nundinarum, ac fori cujusque tumultus. Omnis in eis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat. Nulla inibi causa per laïcos, criminalis maxime, agitetur. Sint loca eadem a laïcorum cognitionibus aliena. Ordinarii locorum hæc faciant observari, suadenda suadeant, interdicta hujus canonis autoritate compescant: ad hæc alios etiam in ecclesiis ipsis magis assiduos, & ad præmissa idoneos, deputando. Et nihilo minus processus judicum sæcularium, ac specialiter sententiæ prolatæ in eisdem locis, omni careant robore firmitatis. Qui vero præmissas inhibitiones animo petulanti contempserint, præter processum ordinariorum, & deputandorum ab ipsis, Divinæ ultionis & nostræ poterunt acrimoniam formidare, donec suum confessi reatum, a similibus firmato proposito deliberaverint abstinere.

XXVI.

De usuris.

Usurarum voraginem, quæ animas devorat, & facultates exhaurit, compescere cupientes, constitutionem Lateranensis concilii contra usurarios editam, sub Divinæ maledictionis interminatione præcipimus inviolabiliter observari. Et quia quo minor feneratoribus aderit fenerandi commoditas, eo magis adimetur fenus exercendi libertas: hac generali constitutione sancimus, ut nec collegium, nec alia universitas, vel singularis persona, cujuscumque sit dignitatis, conditionis, aut status, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipsorum, publice pecuniam fenebrem exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris suis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittat; sed hujusmodi usurarios manifestos omnes infra tres menses de terris suis expellant, nunquam aliquos tales de cætero admissuri. Nemo illis ad fenus exercendum domos locet, vel sub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contrarium fecerint, si personæ fuerint ecclesiasticæ, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, suspensionis; minores vero personæ singulares, excommunicationis; collegium autem seu alia universitas, interdicti sententiam ipso facto se noverint incursuros. Quam si per mensem animo sustinuerint indurato, terræ ipsorum, quamdiu in eis iidem usurarii commorantur, extunc ecclesiastico subjaceant interdicto. Cæterum, si laici fuerint, per suos ordinarios ab hujusmodi excessu, omni priuilegio cessante, per censuram ecclesiasticam compescantur.

Later. III cap. 25.

XXVII.

Quamquã usurarii manifesti de usuris, quas receperant, satisfieri expressa quantitate, vel indistincte in ultima voluntate mandaverint: nihilo minus tamen eis sepultura ecclesiastica denegetur, donec vel de usuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfactum, vel illis quibus est facienda restitutio, si præsto sint ipsi, aut alii qui eis possint acquirere, vel eis absentibus loci ordinario, aut ejus vices gerenti, sive rectori parochiæ in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia: quibus quidem ordinario, vicario, & rectori, prædicto modo cautionem hujusmodi, eorum nomine, liceat præsentis constitutionis autoritate recipere: ita quod illis proinde actio acquiratur, aut servo publico de ipsius ordinarii mandato idonee de restitutione facienda sit cautum. Cæterum si receptarum usurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus: alioquin aliam recipientis cautionem hujusmodi arbitrio moderandam. Ipse tamen scienter non minorem, quam verisimiliter creditur, moderetur; &, si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos, & alios qui manifestos usurarios contra præsentis sanctionis formam ad ecclesiasticam admittere ausi fuerint sepulturam, pœnæ in Lateranensi concilio contra usurarios promulgatæ statuimus subjacere. Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent, ut præmittitur, idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta non valeant, sed sint irrita ipso jure.

XXVIII.

De iniuriis, & damno dato.

Etsi pignorationes, quas vulgaris elocutio represalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tamquam graves, legibus & æquitati naturali contrariæ, civili sint constitutione prohibitæ: ut tamen earum

Anno Christi 1274.

rum prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur, quanto in illis specialius inhibentur, eas concedi contra personas prædictas, seu bona ipsorum, aut quātumcumque generaliter, prætextu cujusvis consuetudinis, quam potius reputamus abusum, forte concessas, ad illas extendi præsenti decreto districtius inhibemus. Illi autem qui contra fecerint, adversus personas easdem, pignorationes seu represalias concedendo, vel extendendo ad eas, nisi præsumptionem hujusmodi revocaverint, a concessionis vel extensionis tempore infra mensem, si personæ singulares fuerint, sententiam excōmunicationis incurrāt: si vero universitas, ecclesiastico subjaceat interdicto.

XXIX.

De sententia excommunicationis.

In concilio Lugdunensi I. cap. 2.

Constitutionem felicis recordationis Innocentii papæ IV. prædecessoris nostri, quæ prohibet participantes excommunicatis ea participatione, quæ solam minorem excommunicationem inducit, monitione canonica non præmissa, majori excommunicatione ligari, decernens promulgatam aliter excommunicationis sententiam non tenere: ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum, declarantes: decernimus ita demum monitionem esse canonicam in hoc casu, si aliis rite servatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim. Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas, ut canonice promulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura permitti, judices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus, observent aliquorum dierum competentia intervalla: nisi facti necessitas ea suaserit aliter moderanda.

XXX.

Præsenti generali declaramus edicto, beneficium relaxationis ad cautelam, quoad interdicti sententias, in civitates, castra, vel quælibet alia loca, sive terras aliquas, generaliter promulgatas, locum aliquatenus non habere.

XXXI.

Quicumque pro eo, quod in reges, principes, barones, nobiles, ballivos, vel quoslibet ministros eorum, aut quoscumque alios, excommunicationis, suspensionis, seu interdicti sententia fuerit promulgata, licentiam alicui dederint occidendi, capiendi, seu alias in personis, aut bonis suis vel suorum, gravandi eos qui tales sententias protulerunt, sive quorum sunt occasione prolatæ, vel easdem sententias observantes, seu taliter excommunicatis communicare nolentes, nisi licentiam ipsam re integra revocaverint, vel si ad bonorum captionem occasione ipsius licentiæ sit processum, nisi bona ipsa sint infra octo dierum spatium restituta, aut satisfactio pro ipsis impensa, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto. Eadem quoque sint sententia innodati omnes qui ausi fuerint prædicta licentia data uti, vel aliquid præmissorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibuimus, alias committere suo motu. Qui autem in eadem sententia permanserint duorum mensium spatio: extunc ab ea non possint, nisi per sedem apostolicam, absolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni Kalendis Novembris, anno tertio.

DE ACTIS CONCILII LUGDUNENSIS II.

Excerpta ex variis autoribus a Sev. Binio.

Aliter Binius inscripserat : nempe, in concilium Lugdunense, &c Notæ.

De loco & tempore habiti concilii, de personis quæ præsto fuerunt, de rebus in concilio constitutis & peractis, summatim Trithemius in chronico Hirsaugiensi ista ait: Concilium generale Lugduni celebravit Gregorius X. anno pontificatus sui secundo, in quo multi cardinales, archiepiscopi, abbates, aliique diversi generis prælati comparuerunt, multa ad electionem summi pontificis, ad expeditionem in Saracenos, ad unionem Græcæ Latinæque ecclesiæ, & ad pacem Christianorum pertinentia, mature statuentes. Ibi comparuit Palæologus imperator Constantinopolitanus cum magno comitatu, qui tertiadecima vice in sententiam Romanæ ecclesiæ Græcos suos toties deficientes consilio necessario pertraxit. *Hæc chronicon Hirsaugiense.*

Siffridus presbyter lib. 11 suæ epitomes: Anno MCCLXXIV. celebratum est, *inquit*, Lugduni concilium magnum, præsente papa Gregorio X. Hic electionem regis Rudolphi confirmavit. *Blondus decade 2. lib. 8.* Gregorius pontifex, *ait*, Lugduni concilium indixit. Contulit se ad id concilium Michael Palæologus Græcorum imperator, & unioni Orientalis ad Occidentalem ecclesiam consensit: secutiq; illum nonnulli Tartari, gentis Scythicæ proceres, sacro baptismatis charactere superfusi, Christianos se & catholicos fore professi sunt. Sed & Rudolphus ab electoribus Germanis in Romanorum regem declaratus, ea cōditione a Gregorio pontifice in concilio est acceptus, ut Romam pacificus ad inunctionem accipiendam se cōferret, ac rebus Hierosolymæ quantam posset opem ferret. *Hæc Blondus. Ejusdem synodi meminit Robertus Gaguinus lib. 7. his verbis*: Eodem prope tempore, anno salutis MCCLXXIV. patrū synodus præside Gregorio X. Romano pontifice Lugduni habita est, ubi de expeditione in Syriam ducenda actum est. Philippus cognito imperatoris adventu ad eum salutandū profectus, postquam de Christiano statu diu confabulati sunt, tres Lugduno finitimas arces in potestate Gregorii, donec synodus solveretur, permisit, attributo insuper ad pōtificis custodiā non parvo numero milite. Adfuit cōcilio Palæologus Græcus imperator, ecclesiæq; Occidētali se univit. Quē nonnulli ex Tartaris secuti sacro lavacro abluti sūt, & Christiani effecti. *Hæc Robertus Gaguinus.*

Nauclerus & Joannes de Oppido scribunt, in hoc concilio Græcos non solum professos esse Spiritum sanctum a Patre Filioque procedere, ejusque rei gratia coram toto concilio symbolum Nicænum decantasse, verum etiam a Romano pontifice imperii confirmationem impetrasse, eique se in omnibus submisisse.

Qua occasione ista contigerint, scribit lib. 5. Nicephorus Gregoras his verbis: Proinde tot diffi-

ANNO CHRISTI 1274.

cultatibus circumventus imperator, pene ad desperationem compulsus, legatos ad papam mittit de ineunda veteris & novæ Romæ ecclesiarum concordia, modo Caroli expeditionem averteret. Ea legatio a pontifice benigne audita est: ea se facile quæ imperator petivisset confecturum esse pollicetur; statimq; suos legatos illis adjungit, qui concordiam conciliarent atque amplecterentur. Cujus hæc tria capita fuerunt. Primum, ut in sacrorum voluminum hymnodiis papæ cũ quatuor patriarchis mentio fieret. Alterum, ut liceceret cuivis Romam veterem, quæ curia major & perfectior esset, appellare. Tertium, ut illi principatus in omnibus deferretur. De appendice vero sacri symboli, quam illi novarunt, aut alio quovis argumento, tum nulla acrior contentio incidit: sed (quod ad eas quidẽ res attinebat) pacata & tranquilla fuerunt omnia.

Matthæus VVestmonasteriensis res in hac synodo gestas summatim recensens, addensque Orientalium fidei confessionem, ista habet quæ sequuntur.

Anno gratiæ MCCLXXIV. Kal. Maii, sub papa Gregorio X. apud Lugdunum fuit concilium maximum celebratum, quod a Kalendis prædictis usque ad XVI. Kalendas Augusti duravit. In hoc concilio dominus papa Eadvvardum commendavit omnibus, dicens terram sanctam fuisse deperditam, nisi venisset citius ad eamdem. In hoc concilio papa statuit, quod subsequentes septem annos de cunctis proventibus ecclesiasticis in subsidium terræ sanctæ decimæ solverentur. In hoc etiam concilio de conversione Græcorum, post schisma, lætitia magna fuit. Qui Græci litteras auro bullatas cum litteris prælatorum de Græcia attulerunt ad concilium, quarum tenor sequitur.

Litteræ Palæologi imperatoris Græcorum.

Sanctissimo & beatissimo patri & summo pontifici apostolicæ sedis universali papæ, & communi principi Christianorum omnium, venerabili patri imperii nostri, D. Gregorio, Michael a Christo Deo fideliter rex, & imperator, & moderator Græcorum, Ducas, Angelus, Comnenus, Palæologus, & spiritualis filius magnæ sanctitatis vestræ, decentem honorem & reverentiam, cum sincera & pura affectione, & omni postulatione.

QVoniam missi sunt a magnitudine vestra ad imperium meum nuncii Deo placentis ordinis fratrum Minorum, *&c. ut supra Græce & Latine, pag. 961.*

Litteræ prælatorum Græciæ.

Sanctissimo, reverendissimo, & beatissimo papæ antiquo Romanorum, domino Gregorio, magno pontifici excellentissimæ apostolicæ sedis, & venerabilissimo D. & patri nostræ humanitatis[a].

[a] f. humilitatis

NOs qui ecclesiasticam complemus ordinationem, vestræ Romanæ sanctissimæ ecclesiæ salutẽ, spiritualis subjectionis affectionem ubique, *&c. ut supra pag. 968.*

Post hanc epistolam, *addit Matthæus VVestmonasteriensis,* Græci etiam alias litteras, quas propter earum prolixitatem huic operi non inseruimus, ad concilium detulerunt. Venerunt etiam post Græcos sexdecim Tartari (qui Moalli) cum litteris regis sui, in concilio publicantes verbis pompaticis potentiam Moallorum. Hi non pro fide, sed ut confœderationem haberent cum Christianis, venerunt. Hos papa benigne suscipiens, donis & honoribus ampliavit, & ad petitionem ipsorum, non baptizatos fecit honorifice baptizari. In itinere versus concilium Lugdunense, venerabilis frater Thomas de Aquino, ordinis Prædicatorum, in quadam abbatia monachorum Cisterciensium, quæ Fossa nova dicitur, diem clausit extremum. Hic natione Campanus, filius comitis de Aquino, invitis parentibus (qui eum monachatum suscipere nolebant) Prædicatorum ordinem est ingressus. *Hæc de actis synodalibus concilii Lugdunensis II. Matthæus VVestmonasteriensis.*

Eberhardus, Ratisponensis ecclesiæ archidiaconus, in suis annalibus, quos ab anno MCCLXXIII. usque ad annũ MCCCV. scripsit, atque nunc primum ex codice manuscripto Augustani monasterii sanctorum Afræ & Udalrici, antiquitatum indagator diligentissimus Henricus Canisius edidit, accuratissime hujus œcumenici concilii res gestas describit. Lectori igitur pergratum fore arbitratus sum, si eadem hoc loco verbo tenus recitentur. Anno Domini MCCLXXIV. celebratum est generale concilium apud Lugdunum per Gregorium papam decimum, cui interfuerunt plus quam DCC. episcopi & abbates & præpositi, cæterique ecclesiarum prælati in numero copioso. Item, eidem concilio interfuerunt solennes nuncii seu procuratores Græcorum, qui coram toto concilio symbolum Nicæni concilii, *Credo in unum Deum*[b], quod a suo veteri errore, quo dicebant Spiritum sanctum tantum a Patre, & non a Filio procedere, se recessisse demonstrarent; & velle credere, quod sancta mater Romana & orthodoxa ecclesia credit & prædicat, scilicet quod Spiritus sanctus a Patre & Filio æterna spiratione procedit; sicut patet per decretalem quæ super hoc est in eodem concilio promulgata, cujus tenor talis est.

[b] deest, recitarunt.

Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus sanctus æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tãquam ex uno; non duabus spirationibus, sed una spiratione procedit. Hoc professa est hactenus, prædicavit & docuit sacrosãcta Romana ecclesia, mater omnium fidelium & magistra: hoc habet orthodoxorum patrum atque doctorum, Latinorũ pariter & Græcorum, incommutabilis & vera sententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmissæ ignorantiam veritatis, in errores varios sunt prolapsi; nos hujusmodi erroribus viam præcludere cupiẽtes, sacro approbante concilio damnamus & reprobamus omnes qui negare præsumpserint, æternaliter Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere; sive etiam ausu temerario asserere, quod Spiritus sãctus ex Patre & Filio, tãquam ex duobus principiis, non tanquã uno procedat.

Sed ipsi Græci ab hac fide & promissione subito recesserunt: propter quod dominus papa Martinus in Urbe veteri eos excommunicatos nunciavit, ut patet in littera subsequenti:

Martinus episcopus servus servorum Dei ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

„ MIchaelem Palæologum, qui Græcorum imperator nominatur, tamquam eorum Græcorum antiquorum schismaticorum, & in antiquo schismate constitutorum, & per hoc hæreticorum, nec non & hæresis ipsorum ac schismatis antiqui fautorem, de fratrum nostrorũ consilio denunciamus, præsente fidelium multitudine copiosa, excommunicationis sententiam latam a canone incurrisse, ac ipsius fore sententiæ vinculo innodatum. Cæterum universis & singulis regibus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, & cæteris omnibus, cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status; necnon universitatibus civitatum, castrorum, & aliorum locorũ, districtius inhibemus, ne cum eodem

ANNO CHRISTI 1274

"Michaele Palæologo in hujusmodi excommunicatione manente societatem vel confœderationem aliquam contrahere sub quovis ingenio vel machinatione præsumant, vel etiam ei alias in his, pro quibus excommunicatus est denunciatus a nobis, præstare consilium, auxilium, vel favorem publicum vel occultum. Et si secus præsumptum fuerit, omnes singulares personas contrarium facientes, non obstante qualibet indulgentia, sub quacumque forma verborum vel expressione, ipsis ab apostolica sede concessa, vel in posterum concedenda, quam quoad hoc viribus volumus omnino carere, sententiam excommunicationis, quam extunc in ipsos ferimus, volumus incurrere ipso facto. Terras autem ipsorum necnon universitates prædictas, quæ secus attentare præsumpserint, prout expedire viderimus, ecclesiastico subjicere curabimus interdicto ad privationem omnium bonorum, quæ a quibuslibet tenentur ecclesiis. Et ad pœnas alias spirituales & temporales, prout utile putabimus, processuri, & nihilominus societates confœderationum ipsas, etiamsi pœnarum & juramenti adjectione vel quacumque fuerint alia firmitate vallatæ, decernimus irritas & inanes. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur: chartas sive membranas processum continentes in eumdem, in majoris Urbeveranæ ecclesiæ appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum quasi sonoro præconio & patulo judicio publicabunt: ita quod idem Palæologus, & alii, contra quos processus ipse contigit, nullam possint postmodum excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eumdem; cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum apud Urbem veterem in platea dictæ majoris ecclesiæ, in festo dedicationis basilicæ principis apostolorum, pontificatus nostri anno primo."

Item quia in partibus Alemanniæ, & forsitan in aliis etiam, iniqua consuetudo inoleverat de impignorationibus, in quibus unus pro alio, sive innocens pro nocente, indebite prægravatur: contra impignorantes hujusmodi idem papa Gregorius in eodem concilio edidit decretalem, cujus tenor est talis.

"Etsi impignorationes, quas vulgaris elocutio represalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tamquam graves legibus & æquitati naturali contrariæ, civili sunt constitutione prohibitæ: ut tamen earũ prohibitio in personis ecclesiasticis tanto amplius timeatur, quanto in illis specialius inhibetur eas concedi contra personas prædictas, seu bona ipsarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cujusvis consuetudinis, quam potius reputamus abusum, forte cõcessas, ad illas extendi præsenti decreto districtius inhibemus. Illi autem qui contra fecerint, adversus personas easdem impignorationes seu represalias concedendo, vel extendendo ad eas, nec præsumptionem hujusmodi revocaverint a concessionis vel extensionis tempore infra mensem, si personæ singulares fuerint, sententiam excommunicationis incurrant: si vero universitas, ecclesiastico subjaceat interdicto."

Ex hac tamen salubri constitutione modica provenit utilitas, vel quia rite post concilium in provinciis publicata non extitit, vel quia excommunicationis præcipitium a malis hominibus non timetur. Item pro subsidio terræ sanctæ imposita fuit in eodem concilio omnibus ecclesiis & monasteriis, non tamen xenodochiis nec orphanotrophiis, solutio decimarum omnium proventuum ecclesiasticorum per sex annos continuos idem concilium subsequentes. Quæ decima, quamvis studiose exacta fuerit & recepta, non tamen est evidens quæ utilitas terræ sanctæ exinde fuerit procurata.

Hæc sunt fragmenta actorum synodalium quæ apud scriptores hujus temporis invenire potui. Tu lector iisdem utere ac fruere.

G. COSSARTII NOTÆ.

INterfuisse concilio Palæologum ipsum imperatorem, asserunt plerique, quorum modo testimonia legisti. Sed in eo errarunt. Nam per nuncios tantum suos interfuisse constat tum ex actis concilii, quæ inscribuntur, *Brevis nota*, &c. pag. 955. tum ex nunciis ac litteris ab eo missis, responsisque pontificis.

Ibidem actum est de Romano imperatore creando, idque cõcilii patres magnis a pontifice clamoribus efflagitarunt, ut refert Odor. Raynaldus ex Marini Ebulensis formulis. Cumque de imperio Rodulfus Hasburgicus, & Alfonsus Castellæ ac Legionis rex, per legatos contenderent: Germanici oratores ad sacramentum ejus nomine nuncupandum admissi sunt, Castellani dimissi. Perlecta hic Othonis IV Friderici II & Rodulfi ipsius privilegia & sacramenta. Quorum omnium formulæ a Raynaldo editæ sunt ex arcano molis Hadrianæ tabulario. Sed cum hæc non in concilio, at in consistorio, ut ex instrumentis ipsis constat, acta sint: iis describendis supersedeo. Quid quod Rudolfi electionem ratam pontifex non habuit, nisi VI. Kal. Octobr. ut ait Surita, Indic. lib. II. ac proinde post dimissum concilium, quod XVI Kal. Aug. absolutum est. Mariana vero confirmatam esse ait electionem VIII. Id. Septemb.

Post sessionem secundam, Iacobum regem Aragonum Lugduno recessisse, acta commemorant. Discessus causam, quam tacent acta, hanc Mariana profert: *Ad conventus*, inquit, *Lugdunenses Iacobus Aragoniæ rex profectus est, extrema ætate homo decoris avidus. Inde tamen haud ullo magno operæ pretio rediit in patriam, non obscure iratus pontifici, quod ipsius capiti regni coronam imponere recusasset, nisi vectigali persoluto, quod Petrus ipsius pater, quo tempore Romæ coronam susceperat, pendere quotannis pactus erat. Iacobo regi indignum videbatur, regnum majorum virtute partum, cuiquam externo principi esse vectigale.* Idem ferme Surita in Indicibus.

S. Bonaventuram in hoc concilio præsedisse aiunt, non tantum Petrus Galesinus in ejus vita, sed etiam Sixti duo summi pontifices: quartus nimirum in bulla, ut vocant, canonizationis, quintus in ea, qua Bonaventuram ecclesiæ doctoribus annumerandum decernit. Primas autem in concilio tenere, ac præesse, præsente pontifice cum non potuerit: ita Galesinus intellexit, ut *dirigendi concilii* curam ei pontifex commiserit, providendi scilicet quæ proponenda essent.

S. Thomam Aquinatem a pontifice vocatum ad hoc concilium, in itinere obiisse, res cuivis nota est, præterquam Centuriatoribus, qui hunc eventum tribuunt Lugdunensi I. celebrato ab Innocentio IV anno Dom. MCCXLV. Multa sunt ab iisdem peccata in utriusque descriptione concilii.

ANNO CHRISTI 1274.

** CONCILIUM SALTZBURGENSE

Pro recipiendis Lugdunensis synodi constitutionibus, aliisque de causis congregatum anno Domini MCCLXXIV. tempore Gregorii papæ X.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De capitulis provincialibus abbatum ac aliorum prælatorum.*
2. *De revocatione monachorum fugitivorum.*
3. *De prava consuetudine abbatum erga monachos.*
4. *De dignitatibus abbatum.*
5. *De correctionibus capitulorum provincialium.*
6. *De indulgentiis & remissionibus.*
7. *De pluribus beneficiis clericorum.*
8. *De residentia plebanorum.*
9. *De ordinatione clericorum.*
10. *De præsentatione vicariorum.*
11. *De tonsura & veste clericorum.*
12. *De tabernis.*
13. *De sacerdote suspenso ab officio.*
14. *De captivitate monachorum vel clericorum.*
15. *De conversis vagabundis.*
16. *De vagis scholaribus.*
17. *De episcopis puerorum.*
18. *De sententiis excommunicationis a nobis traditis.*
19. *De veneratione patrum sive patronorum.*

ANNO CHRISTI 1274.

20. De confeßione religiosorum.
21. De correctione religiosorum, aut aliorum monachorum.
22. De captivatione episcoporum seu monachorum.
23. Ne clerici sumant ecclesiastica beneficia de manibus laicorum.
24. De advocatis ecclesiarum.

PRÆFATIO.

AD honorem & gloriam sponsæ Christi, & fidei Christianæ. Nos Dei gratia [a] F. sanctæ Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, Leo, Petrus, Bruno, Vvernhardus, & Ioannes, Ratisponensis, Pataviensis, Brixiensis, Secovvensis, & Chimensis ecclesiarum episcopi, in provinciali hoc sancto concilio congregati, de consilio venerabilium prælatorum Saltzburgensis provinciæ, qui præsenti intersunt concilio, absentium etiam fratrum tam episcoporum quam aliorum prælatorum accedente consensu, diffiniendo præcipimus, ut episcopi, abbates, archidiaconi, & alii ecclesiarum prælati, statuta sacri generalis concilii celebrati proxime in Lugduno, in ecclesiis & subditis suis clericis & laicis, secundum quod eadem statuta istis & illis conveniunt, & quantum eos tangunt, sic solicite & frequenter studeant publicare, ut ipsorum pronuntiantium & subditorum memoriæ & observantiæ imprimantur. Sed & constitutiones venerandæ memoriæ quondam domini Guidonis [b], tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, in provincia Saltzburgensi apostolicæ sedis legati; quæ licet ecclesiarum utilitatem contineant, & salutem suadeant animarum, in dissuetudinem transierunt, cum prædicti generalis concilii ordinationibus & statutis; nec non & his quæ pro utilitate locorum & temporum in hoc provinciali concilio apponentur a nobis, ad notitiam subditorum taliter deducantur, ne quemquam totius provinciæ probabilis error ac ignorantia valeat excusare.

[a] Fridericus

[b] In concil. Vienn. an. 1267.

CAPITULA.

I. *De capitulis provincialibus abbatum ac aliorum prælatorum.*

CUm abbates ordinis sancti Benedicti Saltzburgensis provinciæ, capitula sua provincialia longis retro temporibus non curaverint celebrare, propter quod circa regulares observantias idem ordo non mediocriter est collapsus: nos eisdem abbatibus nostræ provinciæ firmiter & districte præcipiendo mandamus, ut provinciale capitulum suum infra festum Resurrectionis venturum proximo celebrent, juxta formam a sacris canonibus eis datam. In quo de moribus corrigendis, tam in seipsis quam in suis subditis, tractent & ordinent diligenter: alioquin nos in proximo provinciali concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de jure possumus, procedemus.

II. *De revocatione monachorum fugitivorum.*

Exnunc tamen eisdem abbatibus præcipimus & mandamus, ut monachos fugitivos in sæculo divagantes revocari procurent. Et quod in singulis monasteriis carcer fiat, in quo incorrigibiles, seu alias delinquentes enormiter monachi, prout culpæ qualitas exigit, recludantur. Sed nec licitum sit abbatibus, cum nec unquam licuerit, monachos ad ordinem strictiorem transeuntes minime absolvere ab obedientia, quæ monachorum ossibus inseparabiliter est affixa.

III. *De prava consuetudine abbatum erga monachos.*

Illam & pravam abbatum consuetudinem reprobamus, qua abbates pro excessibus levibus, & nonnunquam simulatis offensis, passim & indifferenter de monasteriis ad monasteria monachos suos mittunt, cum delictum potius illic puniri & mori debeat, ubi committitur & patratur, cum nec tales missi ad alia monasteria peccata sua lugeant, sed vagentur potius dissolute. Quod si necessitas exigit, ut monachus ad monasterium aliud transmittatur: hoc abbati non liceat, nisi causa missionis & tempus reditus per loci episcopum ordinentur.

IV. *De dignitatibus abbatum.*

Sunt insuper quidam abbates, qui indulgentiis & remissionibus faciendis, in mitris, annulis, sedibus [c] deferendis, necnon in benedictione sacrarum vestium, & ecclesiasticorum vasorum, & cæteris quæ ordinem & officium ecclesiæ requirunt, sibi pontificum potestates usurpant. His districte præcipiendo mandamus, ut de cætero talia non attentent, aut in proximo provinciali concilio fidem nobis faciant privilegiorum, quibus sibi talem vendicant potestatem.

[c] *f.* sandalibus. Sic enim ea ætate locuti. Vide pag. 955. E

V. *De correctionibus capitulorum provincialium.*

Hæc eadem in canonicis regularibus, quantum diversitas religionum sustinet, volumus observari: salva dignitate & privilegio Saltzburgensis capituli, cujus ordinationem nos archiepiscopus nobis specialiter reservamus. Cæterum in aliis quæ ad morum correctionem & observantias pertinent, regulares sibi in provinciali capitulo sic provideant, ne nos ipsis in hoc deficientibus providere cogamur: maxime in moderandis eorum evectionibus, & quibusdam vanitatibus, quæ ad pompam labentis sæculi pertinent, refrenandis in ipsis.

VI. *De indulgentiis & remißionibus.*

Ad hæc cum prædecessores nostri bonæ memoriæ pontifices, diversarum religionum fratribus, in confessionibus audiendis, remissionibus & indulgentiis largiendis, & aliis pluribus

ANNO CHRISTI 1274.

pluribus faciendis, quæ ad sacerdotale & A pontificale ministerium pertinent, potestatem suam duxerint committendam, quarum religionum nonnullæ in proximo generali concilio sunt sublatæ, quorum & fratrum aliqui potestate sibi tradita sunt abusi: nos autoritate præsentis concilii, omnium autoritatem, potestatem, sive licentiam, a nobis vel a nostris prædecessoribus, cuicumque religioni vel ordini aut fratribus ordinum quorumcumque traditam, in præmissis, aut aliquo præmissorum, revocamus in totum. Si quis autem ex vobis novam super his commissionem decrevit facere: in hoc, B illud quod saluti animarum expedit, & alieno juri non detrahat, arbitretur. Præterea cum prædicti nostri antedecessores, clericorum episcoporum remissiones & indulgentias in diœcesibus suis datas diversis locis, ordinibus, & personis, ratas habere consueverint indistincte, ac per hoc formam modosque correctionis debitæ, sicut experimento didicimus, in locis pluribus [a] enumerentur: præsentis [b] synodi omnes & singulas ratihabitiones tam nostras, quam prædecessorum nostrorum, in hujusmodi indulgentiis manere volumus in suspenso, & ne quis eis utatur, sub anathemate prohibemus, C donec episcopus loci ordinarius plene discutiat, quas & in quibus locis ratas habere conveniat, aut quas magis expediat revocari: & hoc maxime in personis quæstuariorum volumus observari, qui per hujusmodi indulgentias indiscretas ad contemptum clavium & errorem longe plures præcipitant, quam erigant ad salutem. Hos & nullo modo recipi volumus, vel admitti, nisi cum diœcesani episcopi nuncio litteratorio destinato.

[a] *forte* enervent, [b] *forte* synodi autoritate,

VII. *De pluribus beneficiis clericorum.* D

Cum in provincia Saltzburgensi diversi clerici sæculares, non ponentes terminum avaritiæ, nec salutem propriam prætendentes, onerare se pluribus beneficiis ecclesiasticis non formident: nos, qui aliorum indigentiis & saluti occurrere cupimus, & ecclesiarum necessitatibus providere, autoritate præsentis concilii firmiter & districte præcipimus, ut singuli plura beneficia possi- E dentes, aut recepto ultimo sint contenti, aut in ipso proximo provinciali concilio, seu episcopali synodo, quem terminum ipsis peremptorium assignamus, legitimis documentis edoceant, secum esse per eum, qui de jure hoc facere potuerit, dispensatum. Alioquin nos tam formam canonum circa hoc traditam, quam statutum bonæ memoriæ domini Guidonis cardinalis, quondam in provincia nostra apostolicæ sedis legati, providere curabimus beneficiis & personis.

VIII. *De residentia plebanorum.*

Cæterum cum per mercenarios temporales, quos ecclesiarum rectores & plebani in ecclesiis parochialibus instituunt & destituunt nonnunquam interposito turpi pacto, animarũ salus, & ecclesiarum utilitas damnabiliter negligantur: nos omnes & singulos clericos in Saltzburgensi provincia curam animarum habentes, hujus autoritate concilii, ad personalem in beneficiis residentiam revocamus, terminum eis peremptorium festum purificationis beatæ Mariæ virginis venturum proximo assignantes: omnibus & singulis licentiis pro dissimulanda eorum absentia ipsis datis penitus revocatis; salva nobis autoritate dandi licentiam iis quibus visum fuerit expedire. Quod si præmissa contempserint aut neglexerint adimplere, ex tunc ipsos a perceptione fructuum & administratione temporalium suspendimus, & volumus remanere suspensos. Quod si temere se ingesserint, privati sint beneficiis ipso jure: fructus autem per locorum archidiaconos in utilitatem illius ecclesiæ convertantur; salva vicarii sufficienti & debita portione.

IX. *De ordinatione clericorum.*

Eisdem insuper ecclesiarum rectoribus præcipimus, ut ad ordinem quem beneficii sui cura requirit, se faciant ordinari infra tempus a canone institutum. Alioquin quod de non residentibus est prædictum, circa fructus non percipiendos & privationem beneficii, intelligi volumus in eisdem.

X. *De præsentatione vicariorum.*

In beneficiis vero, quibus licet per vicarios deservire, volumus sic servari, ut viri idonei loci episcopo præsententur, qui per se vel per alios, ipsos in hujusmodi vicariis perpetuet, & sufficientem suis necessitatibus de ecclesiarum redditibus eis constituat portionem: alioquin singuli episcopi per suas diœceses elapso trimestri tempore providere curabunt.

XI. *De tonsura & veste clericorum.*

Edicto perpetuo prohibemus, ne clerici comam nutriant: maxime sacerdotes, qui taliter tondeantur, ut pateant eis aures. Cæteri inferioris ordinis clerici, in tonsura non multum discrepent ab eisdem, coronam & desuper congruentem habeant. Vestes non deferant nisi clausas, quas omnimodo prohibemus a latere aperiri. Argentatis aut quocumque metallo ordinatis [c] cingulis, fibulis, modulis, in manicis & capitiis, non utantur: sed nec procedant in publicum "circum-

[c] *Corr.* ornatis

ANNO CHRISTI 1274.

" circumcincti veste suprema. In pileis suffurraturas non habeant, nisi forte de nigro cenlato, vel panno, aut nigra pelle " aguna. Caudata pilea distrissime prohibemus.

" *forte nisi circumcincti*
' *forte* agnina.

XII. *De tabernis.*

Clericus non viator in sacris ordinibus constitutus, aut monachus, vel canonicus regularis, si tabernam intraverit sine causa evidenti rationabili & honesta, ibique bibens aut comedens, aut in vicino loco servienti tabernæ, vel alias publico, aliquantulam moram traxerit: ab officio sit suspensus, donec unum diem in pane & aqua jejunet; si ibidem luserit ad aleas vel taxillos, ab officio sit suspensus, donec duos dies in pane & aqua jejunet. Sed" in his tertio deprehensus consuetudinem non amittat, aut si suspensus ingesserit se Divinis: per sententiam episcopi privetur beneficio, si quod habet; si non habet, pro episcopi arbitrio puniatur.

§ *Add.* si

XIII. *De sacerdote suspenso ab officio.*

Sacerdos, qui excommunicatione aut officii suspensione ligatus, animo indurato præsumpserit profanare Divina, episcopali carceri mancipetur, usque ad expiationem tanti criminis puniendus: & hoc idem in clerico, seu religioso, in furto vel alias in enormi crimine deprehenso, volumus observari.

XIV. *De captivitate monachorum vel clericorum.*

Qui clericum vel monachum pro excessibus suis a prælato suo rationabiliter captivatum præsumpserit fracto carcere liberare, ipso facto sententia excommunicationis, quam exnunc in ipsum proferimus, sit ligatus: &, si possibile fuerit, qui non liberandum liberat, pœnam patiatur, & carcerem, & in locum subeat injuste liberati.

XV. *De conversis vagabundis.*

Nullus deinceps prælatus, nullus plebanus, nullus alius, cujuscumque ordinis vel religionis existat, masculum aut feminam tonsurare, aut benedicere sibi vestes præsumat, nisi certam de approbatis profiteatur regulam, & se destinet certo loco. Eos vero vel eas, qui vel quæ contrarium fecerint, a locorum rectoribus vel plebanis per censuram ecclesiasticam, monitione præmissa, compelli præcipimus; aut ' certæ religioni se conferant, aut religionis vestem, quæ vagandi eis præstat materiam & opportunitatem accommodat delinquendi, abjiciant; ne irregularem vitam religiosa vestis obumbret. Hoc statutum tantum extendi volumus in futurum.

' *Corr.* ut certæ

XVI. *De vagis scholaribus.*

Sub vagorum scholarium nomine quidam per Saltzburgensem provinciam discurrentes, monasteriis & ecclesiis se exhibent adeo onerosos, quod per eorum importunitatis audaciam nonnunquam clerici illud eis erogare coguntur, de quo fuit necessitatibus pauperum providendum: denegantibus sibi suffragia, per quæ occasionem nutriunt malæ vitæ, calumnias inferunt: conferentibus sibi quod postulant, vituperium existunt: reverentiæ clericali utique multum detrahitur, dum blasphemia hujusmodi se personas ecclesiasticas profitentur. Ut autem viri hujusmodi per subtractionem nostri & nobis subditorum suffragii resipiscere compellantur: autoritate sacri concilii prohibemus, ne quis prælatorum, plebanorum, aut vicariorum, seu quæcumque persona ecclesiastica, post spatium duorum mensium, infra quem terminum de ordinata sibi vita provideant, ipsis aliquid beneficii vel juvaminis erogare præsumat. Qui contrarium fecerit, tamdiu ab ingressu ecclesiæ sit suspensus, donec in subsidium terræ sanctæ, usualis monetæ conferat unam libram. Hanc tamen constitutionem extendi volumus ad pauperes advenas, & pro necessitatibus suis publice mendicantes.

XVII. *De episcopis puerorum.*

Ad hæc quidam ludi noxii, quos vulgaris elocutio " Eptus puor. appellat, in quibusdam ecclesiis exercentes " adeo insolenter, quod nonnunquam enormes culpæ & damna gravia subsequuntur. Ex ipsis hos ludos in ecclesiis & a personis ecclesiasticis de cætero fieri prohibemus, nisi forte parvi sexdecim annorum & infra fuerint, qui hujusmodi ludos exercent, quibus alii seniores ipsis nullatenus se misceant, aut intersint.

" *Lego* episcopatus puerorum
' *f.* exercentur.

XVIII. *De sententiis excommunicationis a nobis traditis.*

Sententias excommunicationis, suspensionis, aut interdicti, quas unus ex nobis juste protulerit, cæteri per civitates suas publicabunt, & a suis facient subditis usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari: sic ut ad puniendum scelera perversorum celeritate communi nobis invicem succurramus.

XIX. *De veneratione patrum sive patronorum.*

Patres nostros venerabiles & patronos venerabiliter honorandos B. S. Rupertum, Virgilium,

Virgilium, & Augustinum, honoribus debitis, nostræ humilitatis obsequiis venerantes, dies festorum suorum celebres esse volumus, & sub pœna excommunicationis præcipimus in eisdem diebus ab omni servili opere abstineri.

XX. *De confessione religiosorum.*

Nulli religioso liceat extra suam professionem vel ordinem sibi eligere confessorem, nisi de prælati sui licentia speciali.

XXI. *De correctione religiosorum, aut aliorum monachorum.*

Si adversus correctionem superioris sui monachus aut religiosus quicumque, sæcularis personæ adjutorium aut potentiam duxerit invocandam, si hujusmodi invocatione usus fuerit, carcerali custodia tanto tempore concludatur, donec præsumptionem hujusmodi pro superioris arbitrio pœna sufficiens recompenset. Et ut aliis talia præsumendi pœnæ duritia sit terrori, præsumptionem hujusmodi nullo unquam tempore, in eadem ecclesia seu monasterio, cujuscumque dignitatis vel administrationis officium consequatur. Alias etiam pro superioris arbitrio legitime puniendus.

XXII. *De captiuatione episcoporum seu monachorum.*

Statutum venerandæ memoriæ domini Guidonis, quondam tituli sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, quondam in nostra provincia apostolicæ sedis legati, quo salubriter est provisum, ut in diœcesi, in qua contingit prælatum aliquem aut canonicum cathedralis ecclesiæ captivari, cessetur generaliter a Divinis, pro necessitate " corporis (tempo-), ad nos archiepiscopum & episcopos extendentes, præsenti constituimus edicto, ut si (quod absit) archiepiscopum vel episcopum ex nobis captivari contingat, aut ecclesias nostras vel alterius nostrum sic hostiliter & injuriose invadi, ut de subversione status ipsius probabiliter timeatur, extunc per totam provinciam Saltzburgensem cessetur generaliter a Divinis, postquam de captivitate aut persecutione hujusmodi per provinciam innotuerit manifeste. Personis tamen illustribus, decoratis principum dignitate, pro ipsorum reverentia deferentes, præsens edictum ad eos & terras eorum extendi nolumus: nisi prius admoniti cessare contempserint ab offensis hujusmodi, nec emendare voluerint infra unius mensis spatium quod fecerunt.

XXIII. *Ne clerici sumant ecclesiastica beneficia de manibus laicorum.*

Adversus præsumptionem damnabilem clericorum, prælaturas aut parochiales ecclesias temeritate propria occupantium, aut recipientium de manibus laïcorum, antequam per diœcesanum loci, vel superiorem ejus, si ipse facere quod tenetur neglexerit, fuerit investitus, autoritate præsentis concilii, jure, si quod habet in beneficio eodem, sit ipso jure privatus; & nihilo minus ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: in qua si per annum perstiterit contumaciter animo indurato, ab omni ecclesiastico beneficio removeatur, tamquam inhabilis & indignus, nunquam de cætero ad aliquod aliud beneficium admittendus. Hanc & constitutionem * incidere voluimus, qui jam in præmissis delinquere præsumpserunt.

XXIV. *De aduocatis ecclesiarum.*

Præsentis autoritate concilii, ecclesiarum advocatos, qui ecclesias onerant ultra consuetam & debitam servitutem, ac per hoc ecclesiarum libertates violant & infringunt, publice commonemus, ut ab indebitis vexationibus ecclesiarum & bonis ipsarum abstineant, & juris ' debitis sint contenti: alioquin adversus eorum injuriam mediante justitia refrenandum, ad concessa nobis juris beneficia recurremus.

' Corr. juribus

NOTA SEV. BINII.

Henricus Canisius, qui primus hanc cum aliis quibusdam synodis a tenebris eruit, initio hujus ad lectorem ita præfatur: *Admodum reverendus & clarissimus dominus, dominus Georgius Lauterius ad divæ Virginis Monachii præpositus*, &c. *pro ea qua præditus est recondita eruditione, omnisque antiquitatis scientia, eruit e tenebris manuscripti codicis hæc concilia digna luce. Illi ergo, amice lector, tu pariter mecum acceptum refer, & gratias habe, quod habes hæc, quæ, scio, veneraberis, videbisque quasi præsens, faciem aliquam Germanicæ ecclesiæ illorum temporum. Nomen archiepiscopi Saltzburgensis non exprimitur in primo concilio, sed littera F. innuitur. Ego audacter Fridericum interpretor; qui, teste Eberhardo Altahensi, obiit anno 1284. De tempore concilii Saltzburgensis, quod apographum nostrum refert ad annum 1274. non contemnenda difficultas oboritur. Nam, testibus Eberhardo Altahensi & Sterone, celebratum est generale concilium eodem anno 1274. apud Lugdunum, cujus statuta ut serventur præcipit hoc nostrum Saltzburgense concilium in initio. Necesse ergo est vel * eodem anno Lugdunense & Saltzburgense concilia celebrata, vel in numero mendum esse. Accedit quod Henricus Stero editione Francofordiensi hæc habeat:* Anno 1281. a Friderico Saltzburgensi archiepiscopo apud Saltzburgam concilium celebratur. *Quæ verba numerata omnia dat etiam noster Eberhardus Altahensis: in cujus editione retinuimus, propter sequentia & antecedentia, numerum anni 1281. licet manuscriptus codex Eberhardi habuerit (ut notavimus ibi in margine) annum 1186. sine dubio vitiose; cum Fridericus Saltzburgensis archiepiscopus obierit anno 1284. An vero idipsum nostrũ sit conciliũ Saltzburgense, cui adscriptus 1274 annus, omnino diserte; nescio: sed non puto. Bonum vero factum censui, lectorem admoneri. Quare autem potius duo diversa hæc provincialia concilia fuisse putem, unum anno 1274. alterum 1281. celebratum, movent me verba hujus concilii hæc:* Alioqui nos in proximo provinciali concilio ad reformationem prædicti ordinis, quantum de jure possumus, procedemus. *Vbi vides in hoc concilio promitti quasi*

* Quod mihi probabile, si singulis annis tum celebrata concilia, qui mos e canonibus probus & notus.

proximum

ANNO CHRISTI 1274.

proximum aliud. Et paulo poſt ibidem : In primo provinciali concilio, fidem nobis faciant privilegiorũ. *Et iterum* : In ipſo proximo provinciali concilio, ſeu epiſcopali ſynodo (quē terminũ ipſis peremptorium aſſignamus) legitimis documentis edoceāt. *Immo ſingulis ann s tum ſynodus provincialis cogebatur: quod colligo ex Viennenſis concilii his verbis* : Singulis annis in ſynodo illi qui clericos capiunt, *&c.* excommunicati denunciētur. *Immo anno quarto Pipini regis, in concilio apud palatium Vernis ſtatutum canone quarto, ut bis in anno ſynodus celebraretur.* Hæc Caniſius

VITA INNOCENTII PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 1276.

INnocentius quintus, Tarantaſia, quod eſt municipium non procul a Maurienna valle in Alpibus ſitum, oriundus, ante pontificatum Petrus nominatus, ordinis ſancti Dominici religioſus, propter ſcientiam, & intelligentiam ſacrarum litterarum (erat enim doctor theologus, & ſuper libros quatuor ſententiarum & ſancti Pauli epiſtolas commentarium ſcripſerat) Oſtienſis epiſcopus factus, ad extremum Aretii per cardinales, ſecundum legem a Gregorio X. latam in conclave ingreſſos, in pontificem electus eſt XII. Kalendas Februarii tempore Rudolphi imperatoris anno 1276. Romam ingreſſus, ibidem ſacro diademate apud ſanctum Petrum coronatus eſt. Exinde amator publicæ tranquillitatis, ad pacem componendam omnes cogitationes convertens, plures legationes miſit ad Etruſcos, iis ſub pœna excommunicationis injungens, ut armis contra Piſanos arreptis abſtinerent. Michaelem Palæologum imperatorem Orientis fidei in concilio Lugdunenſi datæ admonuit. Venetos & Genuenſes ſimiliter monuit, ne ſe deinceps bellis laceſſerent. Etruſci & Florentini, pontificis mandato paruerunt: qui proinde ab interdicto per pontificem abſoluti ſunt. Veneti & Genuenſes ab inchoatis præliis non deſtiterunt, ex quibus Innocentius pacis amantiſſimus eos extricaſſet, niſi præmatura morte præventus fuiſſet : nam poſt quinque menſes & aliquot dies ab electione lapſos defunctus, in baſilica Lateranenſi ſepultus fuit.

VITA HADRIANI PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 1276.

HAdrianus V. Genuenſis patria, ex illuſtri Fliſcorum familia natus, antea Othobonus nominatus, Innocentii quarti nepos, a quo ſancti Hadriani cardinalis creatus erat, dum ad comprimendam ſeditionem inter regem & barones Angliæ legatum egiſſet, ſubrogatus eſt in locum defuncti Innocentii quinti, IV. Idus Iulii, anno Chriſti 1276. imperante Rudolpho I. Qua de cauſa cum ad eum agnati ſui gratulaturi acceſſiſſent, iis dixiſſe ſcribit Maſſonius: Vtinam me cardinalem proſpera valetudine, non moribundum pontificem inveniſſetis. Viterbium profectus, imperatorem ad retundendam Caroli regis Siciliæ potentem inſolentiam in Italiam vocavit. Sed imperator bello contra Bohemos ſuſcepto impeditus, pontifici ſatisfacere non potuit. Carolus vero omne belli robur in Græciam convertit. Hadrianus inchoato Lateranenſi palatio, 40. electionis ſuæ die moritur Viterbii, antequam conſecrationem conſecutus fuiſſet. In conventu fratrum Minorum ibidem ſepultus eſt. Eccleſiæ ſtatum tutiorem & tranquilliorem reddere, & Gregorii conſtitutionem de eligendo pontifice in meliorem formam redigere, ille quidem apud ſe propoſuerat: verum ejus conatibus & animi magnitudini mors obſtitit.

ANNO CHRISTI 1276.

*** SYNODVS DVNELMENSIS

Edita in collectione Anglicana ex cod. MS. eccleſiæ Dunelmenſis.

Incipiunt conſtitutiones ſynodales domini Roberti (de Inſula) quondam Dunelmenſis epiſcopi, anno Domini MCCLXXVI.

I. *De decimis.*

QVoniam cæca cupiditas ita ruit in laïcos, ut terrenorum proventuum quæſtu minime contenti, ad bona eccleſiaſtica, & præſertim ad decimas, indirecte, quandoque etiam directe, manus avidas extendere ſatagunt, & jura clericorum per abuſum abripere moliuntur : præſenti decreto duximus ſtatuendum, ne de cætero patroni eccleſiarum, ſeu domini locorum, vel eorum ſubditi, decimas eccleſiarum detineant; vel alios ſolvere vel emere volentes, de cætero perturbent; ſeu rectores eccleſiarum, decimas colligere, collectas reponere, vendere, cariare libere, vel abducere, latenter ſeu patenter, per ſe vel per alios impediant; ſeu fraudem & dolum machinantes adhibeant, per quam decimæ impediantur, vel pereant, vel vilius diſtrahantur. Si quis autem hujus conſtitutionis violator exiſtat, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrat : ad damna & intereſſe, necnon & ad expenſas quas rectores eccleſiarum propter hoc ſe feciſſe docuerint, ante abſolutionem quamlibet, nihilo minus condemnamus*.

* for. condemnād...

Decimas autem de omnibus, quæ per annum renovantur, vel lege Divina, vel conſuetudine approbata debitas, & maxime conſuetas, decimas eſſe decernimus, & diſtricte præcipimus : ita ut occaſione mercedis ſervientium in autumno, vel meſſe, eccleſiæ non fruſtrentur. Detentores decimarum prædictarum, ſi ſemel, ſecundo, & tertio commoniti, exceſſum ſuum non emendaverint : uſque ad ſatisfactionem condignam, per cenſuram eccleſiaſticam compellantur. Cum autem ii qui decimas retinuerint vel ſurripuerint, ad pœnitentiam acceſſerint : non admittantur, niſi per ſe, vel ſufficientem procuratorem, in manu ſacerdotis, illi cui decimæ debentur, ſatisfaciant competenter.

a Corr. ... vendas ... vel aliq... ſimile

Ne decimarum confuſio provenientium ex lana, & agnis, & caſeo, omnium eccleſiarum perſonis præbeat contentionis occaſionem generalem : cum conſilio totius ſynodi noſtræ, in epiſcopatu noſtro ſtatuimus : ut in quacunque parochia, per totum annum, fuerit ovile (ſic ut oves, vicinæ parochiæ limites tranſeant ad quærendum paſcua) illi eccleſiæ reddatur decima integre, ubi fuerit ovile, & remanentia. Quod ſi oves ab vna prochia in aliam, ex toto tranſlatæ fuerint; per aliam partem anni in una moram fecerint, & per aliquam in alia : eccleſiæ in quarum parochiis ſic moram fecerint, ſecundum quantitatem temporis & moræ, proventionum decimationes accipiant, tam de lana quam de agnis & caſeo. Ita ſcilicet, ut illa eccleſia, in cujus parochia prolixior mora facta fuerit, uberius percipiat : illi autem in cujus parochia minorem moram fecerint, ſecundum quantitatem moræ, ſicut diximus, minor precio decima remaneat.

Similiter de decimis, quæ de vaccis proveniunt, ſtatuendum duximus : quod ubicunque fuerit receptaculum earum, licet in vicinis parochiis *horn Vuith horn* ſecundum Anglicam linguam, paſcua quærant, illi remaneat tota decima, ubi fuerit domicilium, & remanentia.

II.

ANNO CHRISTI 1276.

II. *De compescendis litibus circa decimas.*

Cordi nobis est litium amputare materiam, & subditorum jurgia, quæ frequenter in exactione decimarum, ex varia locorum institutione accidunt, ad debitam reducere unitatem. Statuimus, ut agni, vituli, pullani, & cætera per annum renovata, in villa qua nascuntur & renouantur,* parochia, duntaxat in posterum detineantur, sub interminatione anathematis: inhibentes, ne quis excogitata fraude vel malitia, oves, vaccas, vel equas prægnantes, ad aliam transferat ecclesiam, per quod hæc ecclesia, in fœtu hujusmodi, jure suo aliquatenus defraudatur. Verum de pellibus lanigenis, quo tempore debeant decimari, sæpe oriuntur in nostra diœcesi quæstiones: statuendo sanximus, tam de pellibus lanigenis, post quadraginta dies a tempore tonsionis cum occiduntur, vel post festum sancti Michaëlis, qualitercunque moriantur; quam de agnis tonsis, statim post tonsionem, decima integra persolvatur.

III. *De rebus liberorum decimandis; & mortuariis inde solvendis.*

Solet hactenus in dubium revocari, utrum liberi in parentum potestate & familia constituti, habentes proprium ex causa profectitia, vel adventitia, vel alia, agnos, vitulos, & quæ renovantur consimilia, per se aut conjunctim cum bonis parentum debeant decimare: & an liberi hujusmodi, si præmoriantur parentibus, debeant de bonis propriis solvere mortuarium. Vtramque etiam dubitationem una decidentes sententia: sanximus bona liberorum hujusmodi, cum sint domini rerum, separatim & per se debere decimari: quodque diem claudentes extremum, de bonis propriis, si existant, mortuarium matrici ecclesiæ solvere teneantur. Porro huic sanctioni adjicimus, quod si plures liberi proprium habentes, in parentum pariter familia vivant, ad denarios, qui nuncupantur *Retepenis*, minime arceantur: cum sicut communiter intrinsecis aluntur a parentibus, sic in extrinsecis ab eisdē lætentur pariter se defendi.

IV. *De decimis pecorū in diversis parochiis pascētium.*

Quoniam ut audivimus super decimis de nutrimentis animalium inter ecclesiarum rectores, propter appellationes pecorum ad diversas parochiarum pasturas, contentiones multimodæ sæpius oriuntur: nos viam pacis præparare volentes, statuimus, quod ecclesiis, in quarum parochiis oves a tempore tonsionis, usque ad festum sancti Martini continue pascuntur & cubant, decima lanæ, casei, & lactis eiusdem temporis, licet postea amotæ fuerint, & alibi tondeantur, integre persolvatur. Et ne fraus fiat in casu præmisso, præcipimus, quod antequam oves amoveantur a pascuis, vel etiam distrahantur, ecclesiarum rectoribus sufficienter de solvenda decima caveatur. Quod si oves infra prædictum tempus ad diversarum parochiarum pascua transferantur: quælibet Ecclesia, pro rata temporis, portionem decimarum percipiat earundem, minori triginta dierum spatio in rata temporis minime computando. Si vero per totum prædictum tempus concubant in una parochia, & continue pascuntur in alia: inter ecclesias decima dividatur. Decima quidem casei sive lactis, de vaccis & capris proveniens, ubi cubant & pascuntur, ibi solvatur: alioquin si cubant in una parochia, & pascuntur in alia, decima inter rectores dividatur omnino. Agni vero, hœdi, vituli, pulli equitij, habita ratione ad diversa loca ubi gignuntur, eduntur, & nutriuntur, & ad moram quam traxerint in eisdem, partialiter decimentur.

V. *De rarioribus pecorum decimis.*

Quid vero decima * dari ubi lac propter paucitatem vaccarum, vel ad caseum faciendum non sufficit; & pro agnis, pullis equitiis, velleribus, aucis, & aliis huiusmodi, de quibus propter modicitatem eorum decima certa dari non potest, consuetudini locorum duximus relinquendum. Item præcipimus, quod si quis post festum sancti Martini oves occiderit, vel si oves quovis modo fortuito moriantur, decimam inde legitimam personæ ecclesiæ solvere non postponat. Et si oves extraneæ in alicuius parochia tondeantur: decima ibidem tradatur rectori ecclesiæ per se fideliter conservanda; nisi sufficienter doceri possit, quod pro decimis fuit alibi satisfactum, vel solutionem faciendā ibi legitimo modo legitime valeant expedire.

VI. *De invasoribus decimarum.*

Ad hæc adjicimus, quod quidam justitiæ contemptores, decimas vicinorum; quidam vero proprias, in quarum possessione hactenus non fuerint, manu laicali & armata invadere non formidant: nos præteritis edocti periculis, ut obviemus futuris, autoritate Dei patris, & approbatione præsentis synodi sacrosanctæ, excommunicamus omnes illos, qui de cætero talia impetrare præsumpserint: ac eorum fautores, etiam & sine conscientia, salva superiorum autoritate, nullatenus absolvantur, pœnæ legati decrevimus esse subdendos; cum quemquam non deceat propria autoritate invadere per quod judicis officiū habet exposcere. Item quod *peccatum ariolandi est, repugnare; & quasi Zelus idololatriæ, nolle acquiescere*, sicut sacra testatur scriptura: superiorum nostrorum ut condecet præceptis canonicis obedire nolentes, & in iis maxime quæ in favorem ecclesiæ statuuntur, sententias in perturbatores libertatum Ecclesiæ in Oxoniensi concilio promulgatas, in præsenti sancta synodo duximus innovandas: injungentes omnibus & singulis curam nostrarum animarum habentibus parochialem, ut ipsam in singulis ecclesiis, ter in anno, in majoribus solemnitatibus, accensis candelis, & pulsatis campanis, promulgare publice non postponant, in forma tradita quæ talis est.

[Margin: § f. faut. etiam, & illis consentientes; 1. Reg. 15.]

In Dei nomine. Amen.

"AVtoritate Dei patris omnipotentis, & beatæ Mariæ Virginis, & omnium sanctorum, ac approbatione præsentis sacræ synodi, excommunicamus omnes illos nostræ jurisdictionis, qui malitiose ecclesias suo iure privare præsumunt, aut per malitiam libertates earum infringere, vel perturbare contendunt. Item qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injuriose *illos qui gratia lucri, odii, vel favoris, vel alia quacunque de causa, alicui malitiose culmen imponunt, cum non sit diffamatus apud bonos & graves; ut sic vel saltem ei purgatio indicatur, vel alio modo gravetur. Item approbante hac sacra synodo, excommunicamus omnes illos, qui testamenta seu ultimas decedentiū voluntates, aut eorum executiones rationabiles, scienter & malitiose impediunt, aut perturbant. Item qui sequestra dicti domini episcopi, aut ejus officialis, legitime interposita, scienter & malitiose uiolaverit. Item qui mādata regia pro coercendis excommunicatis, a quibuslibet impetrata gratia, vel alio alicuius per * sancte, seu lucri causa, exequi malitiose differunt vel omittunt. Item excommunicamus omnes incendiarios, ecclesiarū fractores, veneficos & veneficas, & magicis incantationibus utentes, seu hoc fieri permittentes. Item præmissas sententias & alias in constitutionibus canonicis & legatorum, ac statutis episcoporum Dunelmi, contra transgressores provide latas, & publice promulgatas, statuendo,

ANNO CHRISTI 1276.

approbante præsenti sacra synodo solenniter publicamus, & mandamus & injungimus eas singulis annis in tribus solennitatibus majoribus solenniter publicari.

Ricardus, venerabilis patris domini rev. Dei gratia Dunelm. episcopi officialis, ad memoriam futurorum.

Cupientes, prout nostro incumbit officio, ut exclusis ac subductis supervacuis dilationibus, & quibuslibet aliis impedimentis emergentibus, unicuique exhibeatur in curia seu consistorio Dunelmensi nostri regimini commisso, celere justitiæ complementum: ad statuta salubria, per dominum venerabilem patrem, circa advocatos, procuratores, & ministros dictæ curiæ, dudum edita, adjicientes quædam alia, quæ eis adjici fore conspicimus opportunum: statuimus infrascripta, quæ decrevimus & præcipimus de cætero inviolabiliter observari.

Nullus procurator regimen alicujus causæ suscipiat, neque libellos, preces, exceptiones, aut actiones faciat, sine consilio advocati: quod si secus fecerit, tandem a procurationis officio suspendatur, donec præsidentis ipsius curiæ gratiam consequatur.

Item procuratores, advocatos suos ex . . . . . & aliis, quæ in causis in quibus advocati existunt ordinanda vel agenda fuerint, præmuniant tempestive: ut cum competenti deliberatione omnia fieri valeant atque scribi; & die litis adveniente in præconizatione ea proponant continuo bene scripta, ita quod non possit eorum aliqua negligentia deprehendi. Alioquin tamdiu a procurationis officio sint suspensi, donec duos aureos persolverint fabricæ ecclesiæ Dunelmensis.

ANNO CHRISTI 1276.

*** CONCILIVM SALMVRIENSE

Ex duobus MSS. altero Collegii Paris. S. I. altero Ægidii Menagii v. cl. in quo incerti loci concilium vocatur.

Concil. provinciale apud Salmurum anno Dom. MCCLXXVI. celebratum.

TITVLI CANONVM.

PRÆFATIO.

AD honorem Dei, & utilitatem ecclesiarum provinciæ Turonensis, quibus autore Domino præsidemus, necnon ad reformationem eorum quæ in visitatione dictæ provinciæ invenimus corrigenda, vocatis venerabilibus fratribus suffraganeis nostris, capitulis, abbatibus, & aliis qui fuerant evocandi, concilium provinciale apud Salmurum, die Lunæ post A festum Decollationis beati Ioannis Baptistæ duximus celebrandum. In quo de ipsorum episcoporum, abbatum, & aliorum ad hoc vocatorum, consilio & consensu, ordinamus, & promulgamus capitula quæ sequuntur.

CANONES.

I. *Vt in ecclesiis accensum luminare continuo teneant.*

Statuimus ut de cætero, tam in cathedralibus ecclesiis, quam monasteriis conventualibus & collegiatis, tam ecclesiis quam prioratibus, de die & de nocte, in B quibus ad id suppetunt facultates, vel saltem de nocte, accensum luminare continuo teneatur: quodque illi qui ad hoc tenentur ex officio, per locorum episcopos compellantur; & pœna condigna, ad ipsorum episcoporum arbitrium, ipsi qui negligentes fuerint, percellantur. Nam quod in ecclesiis ob Divini cultus reverentiam, devotionisque fidelium incitationem, debeant teneri luminaria *, satis utriusque juris docet autoritas: dum non aliter permittitur ædificari ecclesia, priusquam fundator sufficientes expensas constituat ad luminaria, & ad ser- C vientium alimenta.

* al. luminaria, accensa, &c.

II. *De arcis & aliis in ecclesiis existentibus, eiiciendis.*

In plerisque partibus hujus provinciæ, propriis oculis subjectis locis comperimus ecclesias quasdam adeo plenas arcis & doliis laicorum, ad blada & alia temporalia reponenda, quod non solum in eis impeditur Divinum officium audiendũ, verum etiam ecclesiæ ipsæ, non Divinæ domus, sed potius quædam horrearia videantur. Ideoque D cum domus Dei orationibus & Divino cultui dedicatæ, non debeant ad aliquos humanos usus converti: firmiter prohibemus, ne de cætero arcæ, dolia, blada, stramina, aut quævis alia temporalia, nisi ad fabricam, aut ad aliam utilitatem ecclesiarum ipsarum, & non ministrorum earum, pertineant, introducantur in ipsis, guerrarum & justi timoris temporibus dumtaxat exceptis; & quæ introducta sunt hactenus, amoveantur exinde. Nos enim in illos qui contra hoc salubre statutum, post monitiones per locorum ordinarios super hoc in generali legitime E factas, venire præsumpserint, excommunicationis sententiam præcipimus promulgari.

III. *De pluralitate beneficiorum.*

Nuper tempore recolendæ memoriæ Vincentii quondam prædecessoris nostri, fuit ex causa statutum in concilio Nannetensi, ut si quisquam capellaniam adeptus fuerit,

ANNO CHRISTI 1276.

rit, quæ residentiam exigat personalem, aut aliud beneficium curam habens animarum annexam, ipso jure vacet primum, quod similiter personalem residentiam requirebat. Quod nonnulli adeo stricte pro sua voluntate intelligunt, ut post secundi assecutionem beneficii, præcise & absque remedio vacet primum. Nos autem benigniori interpretatione utentes, sic intelligimus, ac intelligi & teneri debere hujus approbatione concilii declaramus: ut tunc videlicet vacet primum beneficium per assecutionem secundi, nisi episcopi super his cum aliquibus duxerint dispensandum.

IV. *De vita & honestate clericorum, & monachorum.*

Licet in Carthaginensi concilio provida fuerit deliberatione statutum, ne in vestibus aut calceamentis clerici quærant decorem: plures tamen canonici regulares & monachi, qui maxime fulgidis indumentis ornari non debent, in his inveniuntur plurimum dissoluti. Ideoque hujus sacri approbatione concilii prohibemus, ne monachi, aut canonici regulares, utantur de cætero forraturis de griso, aut de vario, aut de scuriolis, vel cendatis: nec insuper ipsi canonici regulares, decollatos, aut nodatos habeant sotulares, nisi tres nodos ad minus habeant in quolibet sotulari.

V. *De vita & honestate monachorum.*

Monachi quoque sotulares quomodolibet fenestratos cum porta, vel ocreas laïcorum & sæcularium more plicatas omnino non deferant; nec zonas, aut bursas de serico; sed nec cultellum, aut aliquod aliud ornamentum, in quo quicquam auri vel argenti positum fuerit ad decorem. Transgressores autem hujus constitutionis, per abbatem proprium, vel si fuerit negligens, per episcopum, administratione, si quam habeant, omnino priventur. Et tam ipsi, quam qui in his sine administratione deliquerint, ad aliquam administrationem, usque ad biennium, non ascendant.

VI. *Ut abbatissæ bona beneficiatorum per ipsas non retineant.*

Nonnullæ abbatissæ, sicut oculata fide comperimus, dum aliquas personas recipiunt, in aliquibus sibi subditis locis aut prioratibus moraturas, bona quæ hujusmodi personæ secum afferunt, totaliter retinentes, easdem vacuas in locis ipsis seu prioratibus ad hoc quandoque non sufficientibus, ultra debitum numerum frequenter instituunt: sibi lucrum ex integro, & prioratibus totum onus nimis inæqualiter partientes. Cum ergo ferendi non sint, qui lucra venantur, annexam autem eis fortunam recusant: statuimus, ut illi loco seu cœnobio, in quo personæ hujusmodi causa perpetuæ moræ fuerint institutæ, bona quæ tempore suæ receptionis habebant, totaliter applicentur. Quæ vero contra hoc statutum venire præsumpserint, seu fraudem aliquam adhibuerint: per locorum ordinarios pœna debita puniantur.

VII. *Ne monachi locum in diversis monasteriis obtineant.*

Olim generali cōcilio approbante noscitur institutū, ne quis in diversis monasteriis locū monachi audeat obtinere. Quod quia negligenter hactenus invenimus observatū: accidit aliquando, ut tali monacho, pluribus suis abbatibus præcipientibus contraria, vel diversa, dum non possit utrique parere, vilipendatur utriusque obedientia; & inter monachos utriusque monasterii, scandalum generetur. Propter quod eandem generalis concilii saluberrimam constitutionem, pœnæ decernimus adjectione juvandam: statuentes, ut postquam quis religiosorum monasterium ingressus fuerit, & professus, si aliud forsitan ingredi præsumpserit, non ut recedat a primo, sed ut intitulari valeat in utroque, ad primum per loci episcopum omni administratione privatus compellatur redire; & in neutro monasteriorum ipsorum, ad quemcumque honorem, dignitatem, administrationem, vel officium, usque ad triennium valeat promoveri; sed ejus promotio, si de facto procedat, irrita sit ipso jure. Eadem pœna illis monachis imponenda, qui plures administrationes, seu officia, in eodem monasterio, vel diversis, absque diœcesani consensu de cætero præsumpserint obtinere. Illi vero qui plures administrationes, prioratus, vel officia, obtinent in præsenti: ad eorum alterum resignandum per locorum ordinarios compellantur.

VIII. *Ut novi religiosi ad prioratus non conventuales de cætero non mittantur.*

Ut ingressi monasticam religionem, in obsērvātia regulari, & Divino servitio uberius informentur: statuimus, ut post ingressum hujusmodi, majores decem & octo annis, ingressus tempore, ad prioratus non conventuales causa morādi de cætero non mittantur: donec ad minus per continuum biennium moram traxerint in monasteriis, in quibus assumpserunt habitum monachalē: nisi ipsi infra idem tempus in observantia hujusmodi, & Divino officio, appareant sufficienter instructi. Minores vero decem & octo annis, nisi post prædictum biennium, & tunc demum dicta ætate completa, extra monasteria in quibus fuerint recepti, non transeant ad alia, morandi causa in ipsis. Si secus actum fuerit, a locis, in quibus in provincia Turonensi, contra hujusmodi statuti tenorem, missi fuerint, per loco-

ANNO CHRISTI 1276.

locorum ordinarios compellendi ", ut ad monasteria propria revertantur. Quod in canonicis regularibus volumus observari: nisi diœcesani circa dictos canonicos aliter duxerint ordinandum.

" al. expellendi

IX. *Ne prioratus vacantes, bonis omnibus denudentur.*

An. 1273. can. 3.

Cum alias in Redonensi concilio suspensionis sententia fuerit promulgata in abbates, priores, administratores, qui vacantes prioratus adeo spoliare, seu denudare præsumunt, quod ex bonis dimissis ibidem fratres & familia usque ad sequentem collectam sustentari nequeant nec morari, & domorum, quas ex hoc comperimus ruinosas, sustinere jacturam, refici, & in debito statu conservari non possint; nec sit dubium illos abbates, priores, & administratores, etiam de extra " provinciam Turonensem, qui contra statutum hujusmodi fecerint, ratione talis delicti, eidem sententiæ subjacere: statuimus ut ordinarii locorum, in quibus in provincia Turonensi hæc contigerit attentari, solerter requirant diœcesanos illorum abbatum, priorum, administratorumque, ut ipsos sic suspensos publice nuncient, & faciant nunciari: alias usque ad satisfactionem congruam, contra eos, prout justitia ' docuerit, processuri. Circa quam requisitionem ipsi locorum ordinarii se taliter exhibeant diligentes: ut de negligentia eorum, quod absit, non possint merito reprehendi.

"al. ex dicta prov. Turonensi,

' al. prout decuerit,

X. *Ut prioratus clericis sæcularibus non concedantur.*

Concil. Salmur. an 1253. Concil. Nannet. an. 1264.

Præterea licet in prædecessorum nostrorum conciliis fuerit alias rationabiliter ordinatum, de supplendo, in prioratibus clericis sæcularibus concessis, debito numero monachorum: quia tamen nullum exinde fructum invenimus subsecutum, ne fundi locus in talibus de cætero relinquatur: prohibemus, ne quis abbas, vel alius, prioratum quemlibet in Turonensi provincia situm, in quo possint, ad minus, duo monachi commode sustentari, vel consueverint morari, cuiquam sæculari conferre præsumat: si secus actum fuerit, id irritum decernentes.

XI. *Ut judices sæculares compellantur ad exhibendam justitiam ecclesiasticis injuriatis.*

In puniendis excessibus, qui clericis & aliis personis ecclesiasticis frequenter a laicis inferuntur, comites, barones, milites, ballivi, præpositi, senescalli, & alii justitiarii sæculares, sicut experimento didicimus, sæpe inveniuntur remissi. Ideoque præsenti decreto statuimus, ut si de cætero cuiquam clerico, ecclesiasticæve personæ, gravis aut A atrox injuria, captionis videlicet & detentionis, incarcerationis, vulnerationis, mutilationis, seu interfectionis, aut gravis alterius corporis proprii læsionis, seu redemptionis, necnon invasionis aut deprædationis totius, seu majoris partis suæ substantiæ, ab aliquo laico inferatur: moneantur per locorum ordinarios illi justitiarii sæculares, sub quorum temporali jurisdictione malefactores ipsi consistunt, ut excessus hujusmodi cum existent notorii, sufficienter faciant læso & ecclesiæ ab ipsis injuriatoribus emendari. Ubi vero notorii non fuerint excessus B prædicti, de plano inquisitione præhabita per judices ecclesiasticos, ab his qui super hoc inventi fuerint culpabiles, injuriam passo, & ecclesiæ, iidem judices sæculares, infra duos menses a tempore monitionis, satisfactionem fieri faciant competentem. Et si præfati sæculares justitiarii, legitime per ordinarios moniti, in hoc negligentes fuerint vel remissi: ipsos hujus autoritate concilii excommunicationis sententia innodamus. Hoc etiam ad jam perpetratos excessus citra biennium extendi volumus & mandamus.

ANNO CHRISTI 1276.

C XII. *Ut excommunicati, ab agendo, patrocinando & testificando repellantur.*

Cum per felicis recordationis Alexandrum papam sit statutum, quod judices sæculares, censura ecclesiastica per ecclesiasticos judices, legitima ' monitione præmissa, excommunicatos, ab agendo, patrocinando, seu testificando, in suis curiis seu judiciis repellere compellantur; & in aliquibus partibus provinciæ Turonensis, ut pro certo intelleximus, hoc salutare statutum D per negligentiam nullatenus observetur: statuimus præcipientes, ut judices ecclesiastici prædictum statutum diligenter faciant observare.

' al. trina monitione

XIII. *Ut episcopus in sua diœcesi absolvere possit in casibus, in quibus præsens concilium suspendit, vel excommunicat.*

In his autem omnibus casibus, in quibus suspensionis, vel excommunicationis sen-E tentias in præsenti concilio duximus promulgandas, cuilibet episcopo in suis civitatibus & diœcesi absolvendi suspensos & excommunicatos, post satisfactionem congruam in forma ecclesiæ, autoritate præsentis concilii liberam concedimus potestatem.

XIV. *Ut superiora concilia observentur.*

Concilia vero omnia & singula, per prædecessores nostros cum suffraganeorum assensu hactenus celebrata, renovamus, & præsentis

ANNO CHRISTI 1276.

præsentis approbatione concilii confirmamus.

In cujus rei testimonium sigillum nostrum, una cum sigillis suffraganeorum nostrorum præsentium & consentientium, duximus apponendum. Actum die Lunæ prædicta, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo sexto.

ANNO CHRISTI 1276.

*** CONCILIUM BITURICENSE,

A Simone S. Cæciliæ cardinale, Apostol. sedis legato celebratum Id. Septembr. anno Domini MCCLXXVI.

Ex duobus codicibus MSS & codice jam edito constitutionum Santonensium.

TITULI CONSTITUTIONUM.

PRÆFATIO.

Simon miseratione Divina tituli S. Cæciliæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad futuram rei memoriam.

INter curas quæ nostro cohærent officio, illa nos præcipue adstringit, visceribus nostri cordis infixa profundius, atque solidius radicata, nostrum incessanter perurgens animum suarum aculeis punctionum, ut nostræ legationis ecclesiæ solicitæ provisionis remediis, prout nobis desuper ministratur, contra malignorum defendantur incursus, cohibeantur injuriæ, & violentiis propulsatis, in pacis pulcritudine delectentur; ut hostium sublata formidine, in tranquillitate serena, & serenitate tranquilla, pacis autori, cujus mancipantur obsequio, eo devotius quo tranquillius; & quo devotius, eo acceptius valeant famulari. Itaque libenter assiduos labores amplectimur, quamquam nostris impares humeris ad portandum, nocturnis insistentes vigiliis nonnunquam etiam supra vires, ut personis ecclesiasticis nostro commissis regimini, molestationum turbinibus relegatis, Divino fulti præsidio, solicitudinibus nostris pacem ac proprio labore quietem opportunæ provisionis commercio" præparemus.

" al. remedio

Sane in Bituricensi concilio, quod ad quorumdã prælatorum nostræ legationis instãtiam nuper convocandum duximus, & autore Domino feliciter celebrandum, per quosdam prælatos aliasque personas ecclesiasticas nostræ legationis, nonnullis ecclesiarum & personarum ipsarum oppressionibus, injuriis, & offensis, ad nostram deductis notitiam, & per nos toti concilio reseratis, ac deliberatione super his in ipso concilio habita pleniore, de totius concilii providentia unanimi & concordi, juxta negotiorum ingruentium & temporis qualitatem, remedia super eisdem injuriis, pro defensione libertatis ecclesiasticæ, adhibere curavimus opportuna. Quæ quidem, ex parte concilii requisiti, redigi fecimus in scripturam, & in ipso concilio solenniter publicari, autoritate qua fungimur, sacro approbante concilio, statuentes, ut quæ pro defensione libertatis ecclesiasticæ, & ipsarum ecclesiarum statu pacifico, duximus statuenda, a nostræ legationis personis, prout continetur inferius, serventur in perpetuum illibata.

I. *De electione.*

In totius concilii quod nuper Bituris duximus celebrandum, nostris auribus clamor horrendus insonuit, ad nos per diversos prælatos aliasque quamplures personas ecclesiasticas non sine gravi lamentatione delatus, & toti concilio patefactus. Asserebant siquidem quod in regno Franciæ, in quo ecclesiarum libertas & honor eisdem debitus, servari retroactis temporibus, præ regnis cæteris atque provinciis, abundantius consuevit, his diebus in electionibus celebrandis, in quibus libertatis puritas potissime conservanda, pro libertate datur impressio & quasi pro auro plumbũ, pro argento scoria, honores in contumelias convertuntur: adeo quod quando in certis locis electiones pastorum imminent faciendæ, multitudine populi per iniquitatis filios concitata, in electores impetum faciente, electiones ipsæ in nonnullis ecclesiis aut ad tempus impediuntur totaliter, aut in locis hactenus consuetis nequeunt celebrari, prout in Lugdunensi, Burdegalensi, & Carnotensi ecclesiis nuper dignoscitur esse factum. In qua quidem Burdegalensi ecclesia, dum immineret electio, occasione impressionis habitæ, in eadem homicidium de sacrista nobili membro præfatæ ecclesiæ inhumaniter extitit perpetratum. Quoniam igitur novis morbis nova convenit antidota præparari, ne morbus tam perniciosus obreperet, & sui contagione trahatur a posteris in exemplum: sacri provisione concilii duximus statuendum, quod quicumque de cætero, per seditiosam conspirationem aut conventionem habitam simul cum aliis, quacumque firmitate vallatam, impedimentum latens aut patens præstiterit, quominus ecclesiis sæcularibus aut regularibus, dignitatibus, aut personatibus, seu administrationibus quibuscumque, per illos ad quos locorum ipsorum, vel dignitatum, seu administrationum, per viam electionis seu postulationis, spectat provisio, eisdem locis, dignitatibus, personatibus, administrationibus, de personis idoneis

ANNO CHRISTI 1276.

idoneis, undecumque extiterint oriundæ, A & alias per electionem aut postulationem canonicam, valeat provideri, incurrant excommunicationis sententiam, quam in ipsos proferimus, ipso facto. Et si clerici vel regulares extiterint: nos privantes eosdem omnibus privilegiis, beneficiis ecclesiasticis, dignitatibus, vel administrationibus, seu personatibus, quas eos obtinere contigerit, decernimus fore inhabiles & indignos, ut quævis beneficia, administrationes, vel honores ecclesiasticos, ulterius assequantur. Si vero laïci; præter dictam excommunicationis sententiam, ipsorum fa- B miliæ interdicto ecclesiastico sint subjectæ: nullaque eorum posteritas usque ad quartam eorum inclusive progeniem, si sæcularis fuerit, prælaturam, dignitatem, personatum, præbendam, seu aliud quodcumque beneficium ecclesiasticum; aut si regularis fuerit, administrationem quamlibet regularem in civitate vel diœcesi, in qua excessum hujusmodi commiserit, in perpetuum valeat obtinere. Illi autem qui prædicti facinoris causis "non contenti, populum vel turbam, potentes, vel quoslibet concita- C verint, vel in prædicto facinore opem ferunt, quorumve data opera, suggestione, vel consilio, populus turbave, cum armis, vel sine armis, ad hoc convenerint, pœnis similibus sint subjecti. Clerici præter hæc' a civitate vel loco, in quo perpetraverint talia, per triennium procul agant. Porro qui coacta multitudine, cum armis, vel sine armis, contumeliosa acclamatione, concitato tumultu in loco in quo hi ad quos spectat electio, postulatio, vel provisio, convenerint, sive in ipsos electores, vel in aliquos de eisdem, tempore quo præmissa immi- D nent facienda, duxerint irruendum; & eidem loco fracturam seu violentiam vel in personas electorum notabilem injuriā irrogaverint; & postremo qui opere vel consilio, clam vel palam, per se vel per alium, aliquid egerint, per quod conspirationis vel conventionis hujus initæ nequitia in aliquo sumat robur, & per hoc contingat, electionem, postulationem, seu provisionem, impediri totaliter, vel differri: excommunicationis sententia noverint se adstrictos, nec- E non eorum familias, si laïci fuerint, ecclesiastico suppositas interdicto: quæ sententiæ relaxari nequeant, nisi autoritate sedis apostolicæ speciali. Clerici vero, qui in talibus culpabiles adfuerint, cū offensa eorum tāto gravior reputetur, quanto in sortem redemptoris assumpti, ac gradu celsiori pollentes, libertatem ac immunitatem ecclesiasticam servare tenentur præ cæteris illibatam: præter excommunicationis sententiam, eo ipso, beneficiis quæ obtinent, sint privati; ad obtinendas dignitates, personatus, beneficia,

" al. terminis

' al. propter hoc

vel officia quæcumque, in ecclesiis in quibus talia perpetraverint, & locorum ipsorum ordinibus ", nullo unquam tempore spem aut fiduciam habituri. Si vero regulares fuerint, ad administrationem regularem aliquam nullatenus admittantur, cadantque nihilo minus ab obtentis. Insuper & laïcorum prædictorum posteritas, usque ad quartum gradum, ad beneficia ecclesiastica quælibet assequenda in ipsis ecclesiis civitatis aut diœcesis, in qua perpetraverint talia, sint inhabiles & indigni.

' al diœcesibus

II. *De officio & potestate iudicis delegati.*

Cum juris remedia per ora summorum pontificum & principum promulgata, Divinitus ad tutelam "bonorum, & cohibendas malorum insolentias, utiliter introducta, non deceat nec liceat, per corruptelam judicum sive fraudem, ad iniquitatis trahi dispendium: sic illos, qui a nobis judicandi recipiunt potestatem, commissum sibi volumus officium exercere, ut per viam regiam ductrice justitia gradientes, ab æquitatis tramite, odio, gratia, vel favore, seu cujusquam alterius corruptelæ vitio, non recedant. Cupientes igitur ut in citationibus faciendis per judices, sive conservatores, autoritate qua fungimur deputatos, nulla corruptelæ species vendicet sibi locum, sed forma per Romanam curiam in talibus introducta, ab eisdem judicibus seu conservatoribus firmiter observetur: statuimus & mandamus, expressius inhibentes, ne judices seu conservatores prædicti, sub tali forma, *quos vobis lator præsentium nominabit*, vel alia consimili, citare præsumant. Hujus autem citationis mandatum nullus exequi teneatur, sed ei non pareatur impune: nec ad personas in nostris litteris non expressas", prætextu testimonii perhibendi, ubi vel quando status causæ vocationem testium non requirit, sed ut ipse vel actor citatos fatiget laboribus & expensis, aut aliquid extorqueat ab iisdem, litteras ipsas aliquatenus prorogent aut extendant. Si quis vero secus præsumpserit attentare: in utroque casu talis citatio non teneat, nec quemquam valeat coarctare. Et si occasione citationis hujusmodi, judex ille sententiam quamcumque in quenquam duxerit proferendam: nullius penitus sit momenti. Iudex vero qui talia perpetraverit, officium judicandi seu procedendi, autoritate nostra, non solum in illa, sed in aliis causis, de cætero non valeat exercere: quin immo excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, a qua nullatenus absolvatur, nisi læsis interesse & expensis quibuslibet ab ipso primitus restitutis.

" al. cautelam

" al. contentas,

III.

ANNO CHRISTI 1276.

III. *Quod judices delegati non possint aliquid pro absolutionibus exigere vel levare.*

Cæca cordis ambitio repleri nesciens, sed quanto plus recipit, tanto fortius inardescit, sic quorumdam interiores oculos cæcutienti obtexit caligine: ut quid de jure liceat, non advertant; quidve de honestate deceat, non attendant. Quod in illis qui judiciali præeminent dignitate, eo constat periculosius tolerari, quo per autoritatis qua funguntur potentiam, in concepto malignitatis proposito possunt adversus B subditos liberius debacchari. Eapropter ad inhiantem eorum avaritiam cohibendam, provide duximus id statuendum, ut nullus judex, executor, seu conservator, datus a nobis, pro relaxationis vel absolutionis beneficio impendendo, his quos excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis duxerint innodandos, emendas pecuniarias, seu res alias pro emendis, quoquo exquisito colore, præsumant petere, exigere, aut oblatas recipere etiam ex C post facto. Quisquis autem contra præsumpserit, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, a qua non nisi per legatum sedis apostolicæ absolvatur: & tunc demum, cum læsis cum omni interesse restituerit, integre sic extorta. Ejusdem tamen sedis autoritate in his & in aliis semper salva.

IV. *De officio judicis ordinarii.*

Sicut ille qui præeminet judiciaria potestate, justis oppressorum querelis aures debet patulas inclinare: sic voces malignan- D tium querulosas ipsum decet & convenit obaudire. Debet igitur diligenter advertere & penes se ponderare prudenter, quis, contra quem, & super quibus, etiam superioris officium interpellat: ut pensatis conditionibus & meritis personarum, & incumbentis negotii & officii qualitate, solerter intelligat unde veniat conquerens spiritus, aut quo vadat. Ob hanc causam prælatis qui nimis facile claustralium vel forensium monachorum contra ipsorum abbates, maxime ubi de correctione agitur, E querelas recipiunt, per quas plerumque enervari contingit vigorem ecclesiasticæ disciplinæ, frequenter etiam ministratur occasio evagandi: sub obtestatione Divini judicii duximus injungendum, quod querelas hujusmodi facile de cætero non admittant; sed tunc demum quando circumstantiis, quæ circa hoc fuerint attendendæ, examinatis plenius & discussis, verisimiliter præsumetur, ipsos non causa vitandi correctionem ecclesiasticam, seu canonicam disciplinam, secundum eorum regularia instituta, sed juste & ex causa probabili, ad A prælatorum præsidium confugisse.

ANNO CHRISTI 1274.

V. *De his qui contra laicos.*

Ut prælatorum officium eo fructuosius, quo liberius, valeat exerceri: præsenti statuto laïcis quibusdam duximus inhibendum, ne prælatos quoslibet impedire vel turbare præsumant, quo minus in locis religiosis vel regularibus, aut aliis eisdem prælatis subjectis, officii sui debitum exequantur: ipsis ad hoc per eosdem prælatos autoritate præsentis concilii, competenti monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, si res exegerit, compellendis.

VI. *De his quæ vi metusve causa fiunt.*

Cum parum proficiat jura condi in civitatibus, nisi extiterint qui edita regere valeant & tueri; nec solum magistri militum consistat officium in disciplina per ipsum imponenda, sed in ea, prout opportunum [a] fuerit, observanda: præcipimus, ut quicumque judices ecclesiasticos ad absolutionis vel relaxationis cujuslibet, ab excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis, beneficium impendendum, vi vel metu compulerint, per diœcesanos locorum, præsentis autoritate concilii excommunicati publice nuncientur.

[a] al. optimũ

VII. *De foro competenti.*

Cum falcem propriam nulli in messem liceat mittere alienam: de justitiariis laïcis, seu aliis solam jurisdictionem temporalem habentibus, qui in actionibus mere personalibus, ecclesiasticas coram se personas litigare compellunt, contra canonicas sanctiones: hujus provisione concilii duximus statuendum, quod licet eædem personæ ecclesiasticæ, non solum coram eis justitiariis litigare, sed etiam ad ipsos venire in causis hujusmodi de jure minime teneantur: si tamen venerint, & allegato fori privilegio, coram ipsis iidem judiciarii compulsioni institerint supradictæ, eo ipso excommunicationis sententiam, quam in ipsos ferimus, incurrant: quæ circa eos nullatenus relaxetur, nisi læsis hujusmodi de damnis, expensis, & interesse, prius per ipsos justitiarios fuerit integre satisfactum, eorum processibus atque sententiis habitis in huiusmodi quæstionibus, etiam prolatis, nihil omnino roboris habituris. Ad hæc si quis jurisdictionem temporalem exercens, de excommunicationis, suspensionis, vel interdicti sententiis, scilicet an juste latæ fuerint an iniuste, aut aliquam in aliis ecclesiasticis vel spiritualibus causis decisionem seu cognitionem præsumpserit usurpare: per diœcesanos locorum, præsentis autoritate concilii, desistere

stere moneatur: & nisi competenter monitus duxerit desistendum, ad hoc per censuram ecclesiasticam compellatur.

VIII. *De decimis.*

Cum in illis in quibus periculum vertitur animarum, præscriptio quantumcumque longæva non vendicet sibi locum; sed quanto graviora sunt crimina, tanto diutius miseram animam teneant alligatam: exceptionem præscriptionis super rerum illarum decima, de quibus, sive similibus, in locis eisdem hactenus a similis conditionis personis consuevit exsolvi, præcipimus non admitti: statuentes, quod illi qui eis ad quos spectat perceptio hujusmodi decimarum, quo minus eas percipiant, impedimentum præstare præsumpserint, si moniti competenter, ab impedimento hujusmodi non duxerint abstinendum, extunc autoritate præsentis concilii per locorum ordinarios excommunicationis sententia percellantur.

IX. *De testamentis.*

Ad præsumptionis quorumdam conatus damnabiles reprimendos, qui testamenta seu alias voluntates ultimas, quocumque nomine censeantur, licet rite sint facta juxta canonicas sanctiones, tamquam legitimas non admittunt, sed pro eo reprobant & impugnant, quod scabini aut sæculares judices præsentes non fuerint, aut autoritatem nequaquam præstiterint, quando testator suum condidit testamentum, aut aliam ultimam voluntatem: hoc duximus statuendum, quod ipsi, cujuscumque conditionis vel dignitatis extiterint, nisi infra octo dies postquam super hoc moniti competenter fuerint, ab impedimento hujusmodi duxerint desistendum, anathematis innodentur vinculo, quo ipsos adstringi volumus ipso facto.

X. *De immunitate ecclesiarum.*

Sanguisugæ sitibunda progenies ac radix omnium malorum cupiditas, semper vociferans, affer, affer, moliri non desinit quemadmodum per exquisitas astutias & callidiora commenta, ardori proprio, licet inextinguibili, lucri temporalis, quamquam illiciti, pocula subministret. Ex hac autem semper sitienti radice processisse cognovimus, quod cum sedes apostolica excommunicationis sententiam in omnes nova constituentes pedagia olim duxerit promulgandam, ipsam annis singulis in certis festivitatibus solenniter renovando: nonnulli mammonæ filii, propriæ cupiditatis vitium colorare nitentes, non nova, ut asserunt, constituentes pedagia, antiqua ad clericos & ipsorum res, quas non ratione mercaturæ per terram vel aquam deferri faciunt, prorogant & extendunt in elusionem memoratæ sententiæ, & manifestum præjudicium ecclesiasticæ libertatis. Nos itaque ipsorum fraudibus obviare volentes, & tam præsumptæ calliditatis astutiam pœna debita castigare: statuimus, ut nisi infra duos menses, a tempore solennis publicationis hujusmodi, factæ in civitate & diœcesi in quibus consistunt ipsa pedagia, numerandos, ab his in totum destiterint, excommunicationis sententiæ, quam exnunc in ipsos inferimus, extunc subjaceant ipso facto.

XI. *Contra illos qui banna faciunt proclamare contra ecclesiarum libertates & antiquas consuetudines.*

Cum jure canonico caveatur, quod qui de cætero servare fecerit statuta edita & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem, statutarii & scriptores statutorum ipsorum, necnon potestates, consules, rectores, & consiliarii locorum ubi hujusmodi statuta & consuetudines de cætero edita fuerint vel servata; necnon etiam illi, qui secundum ea judicare præsumpserint, vel in formam publicā scribere judicata, excommunicationis sententiæ debeant subjacere: nonnulli propriæ salutis obliti, & suæ verecundiæ non parcentes, juris sententiam, verborum amplexu non sine fraude circumvenire nituntur, non statuta, ut asserunt, banna, tamen faciunt proclamare, præcepta & prohibitiones indicunt, quæ non est dubium in libertatis ecclesiasticæ præjudicium redundare. Nos igitur fraudibus malignorum, quas circa hoc adhibitas fuisse cognovimus, obviare volentes: statuimus, ut quicumque contra ipsius ecclesiæ libertatem, banna, prohibitiones, seu præcepta scienter fecerint, aut fieri procuraverint, sive facientibus, consilium vel opem duxerint adhibenda, ipsi postquam per locorum ordinarios super hoc fuerint requisiti, absque difficultatis cujuslibet obstaculo indilate revocent, seu faciant revocari, ad consimilia numquam de cætero processuri: alioqui censura consimili sint adstricti. Qui vero contra ecclesiasticas consuetudines antiquas, rationabiles, approbatas, & hactenus pacifice observatas, statuta, banna, prohibitiones vel præcepta fecerint vel fieri procuraverint, seu jam facta servaverint, aut servari fecerint, aut facientibus vel servantibus in hoc consilium vel opem duxerint adhibendam, per diœcesanos locorum, præsentis autoritate concilii moneantur, ut infra mensem a tempore monitionis hujusmodi numerandum, statuta deleant, banna, prohibitiones, & præcepta revocent, ad consimilia numquam

ANNO CHRISTI 1276.

numquam ulterius processuri: alioquin excommunicationis sententiæ, quam ex nunc in ipsos ferimus, extunc subjaceant ipso facto.

XII. *Contra illos qui fugientes ad ecclesiam, extrahere præsumunt ab ecclesia, vulnerant, vel interficiunt.*

Quorumdam insolentias perversorum, qui Dominum Iesum Christum verbis tantummodo profitentes, nec Deum timere, nec homines revereri, pro suorum atrocitate factorum manifestissime convincuntur, in tantam accepimus temeritatis vel insaniæ audaciam prorupisse, quod confugientes ad ecclesiarum tutelam, contra juris utriusque statuta, & ecclesiasticam libertatem, ibidem vulnerant, mutilant, interficiunt aut incendunt[1]; aut exinde extrahunt, violenter extractos vulnerare seu mutilare præsumunt, nonnumquam eis ultimum supplicium inferentes; aut ista fieri præcipiunt aut procurant, seu consilium aut opem exhibent in tantis sceleribus perpetrandis. Nos itaque, quos zelus comedit domus Dei, hujusmodi sacrilegorum excessus detestabiles & horrendos, quos non solum evidentia rei docet inhumaniter excrevisse, sed inolevisse jam præsumptione damnabili, recensita præteritorum memoria comprobat & declarat, castigatione canonica cohibere volentes, præsentis approbatione concilii duximus statuendum, quod taliter delinquentes, excommunicationis sententiæ, quam in ipsos proferimus, subjaceant ipso facto. Quam quidem setentiam locorum ordinarii, ejusdem autoritate concilii, solenniter in subjectis sibi ecclesiis denunciari faciant, & usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari: eisdem nihilo minus mutilatoribus & interfectoribus, necnon & iis qui hujusmodi mutilationes & homicidia fieri præcipiunt vel procurant, aut facientibus, consilium vel opem impendunt, feuda & beneficia, si qua ab ecclesiis taliter violatis obtinent, eo ipso protinus amissuris, quæ ad ecclesiam a qua illa obtinere noscuntur, libere revertantur. Filii etiam eorumdem non solum nihil obtineant de præmissis, sed ad beneficia ecclesiastica de cætero assequenda, eo ipso reddantur prorsus inhabiles & indigni.

[1] al. intendunt

XIII. *Contra illos qui impediunt jurisdictionem ecclesiasticam.*

Cum nonnulli temporale dominium obtinentes, seu sæcularis judiciariæ potestatis gerentes officium, jurisdictionem sanctæ matris ecclesiæ subvertere vel imminuere exquisitis astutiis moliantur: nos eorum malitias ultione canonica reprimentes, statuimus inhibentes, ne quis in foro ecclesiastico litigantes, seu litigare volentes, super causis mere ecclesiasticis, seu quæ ad forum ecclesiasticum de antiqua & approbata consuetudine, & hactenus pacifice observata, pertinere noscuntur, ad desistendum compellat, per ipsorum, vel parentum, aut consanguineorum, sive rerum eorum vel personarum, hujusmodi captionem, modisve aliis quibuscumque. Si qui vero contra præsumpserint, excommunicationis sententiæ, præsentis autoritate concilii, se noverint subjacere.

XIV. *De Iudæis.*

De Iudæis, quorum perfidia plerumque simplices Christianos fraudulenter decipit, & malitiose secum pertrahit in errorem, sacro approbante concilio duximus ordinandum, ut non nisi in civitatibus, castris, & aliis locis insignibus, habitare præsumant: temporalibus locorum dominis, & vices gerentibus, seu loca tenentibus eorumdem, districtius inhibentes, ne Iudæos ipsos permittant alibi, quam in locis expressis superius habitare: ipsis ad hoc, si res exegerit, a diœcesanis locorum, ejusdem autoritate concilii, per censuram ecclesiasticam compellendis.

XV. *De privilegiis & excessibus privilegiatorum.*

Licet regularis observantiæ professores, & alios quos sedes apostolica exemptionis seu libertatis majoris decoravit titulis, aut privilegiis insignivit, attollere condignis favoribus intendamus, ipsorumque privilegia, quantum ad nos attinet, servare penitus illibata: sic tamen eos suis juribus manere contentos affectamus, quod privilegiorum suorum limites in aliorum injuriam non extendant[2]. Proinde sacro approbante concilio duximus statuendum, districtius inhibentes, ne deinceps religiosi quicumque, vel etiam sæculares, exemptionis seu libertatis sedis apostolicæ privilegiis communiti, excommunicatos publice, vel nominatim interdictos, seu usurarios manifestos, ad Divina seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam, scienter admittant. Qui vero contra præsumpserint, præter pœnas a jure statutas, ingressum ecclesię eo ipso sibi noverint interdictum: donec prolatoribus sententiarũ hujusmodi, quorum autoritatẽ contempserint, & aliis quorũ interesse cõtigerit, de prædictis excessibus & omni interesse ac damnis, satisfecerint cõpetenter.

[2] al. excedant

XVI. *De pœnis.*

Cũ juris utilitas tot & tantis excogitata vigiliis, sufficienter nequeat prosperari, si processus

ANNO CHRISTI 1276.

cessus ministrorum justitiæ contingat ini- A quorum machinationibus impediri: ut illorum audaciam, quos amor Divinus a malo non revocat, saltem rigor ecclesiasticæ coerceat disciplinæ: sacri provisione concilii duximus statuendum, quod si quis, cujuscumque dignitatis, aut conditionis extiterit, nuncios seu executores ecclesiasticorum judicum, aut alios litteras eorundem actave judicialia deferentes, hac occasione verberare, capere, detinere, occultare, carceri mancipare, mutilare, aut quod gravius est censendum, interficere, B litteras vel acta prædicta personis memoratis auferre, seu ea corrumpere, cancellare, aut alias destruere quoquo modo, vel sic ablata celare præsumpserit, aut ut ista fiant procuraverit, aut facientibus consilium vel opem duxerit adhibendam, excommunicationis sententiæ, quam exnunc in ipsos proferimus, subjaceat ipso facto: a qua nisi prius tam judici, cujus autoritatem contempserit, quam passo injuriam, & cæteris quorum intererit, prout C excessus postulabit atrocitas, satisfecerit competenter, nullatenus absolvatur.

Ad quorum memoriam in perpetuum observandam, & præmissorum testimonium, sigillum nostrum duximus præsentibus apponendum. Datum in eodem concilio, Idibus Septembris, anno Domini MCCLXXVI. Romana ecclesia vacante.

AVTORITAS CONCILII.

Simon miseratione Divina tituli S. Cæciliæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, ad futuram rei memoriam. D

NVper in generali concilio nostræ legationis per nos Bituris congregato, nonnulla pro defensione ecclesiasticæ libertatis, & tranquillo statu ecclesiarum, a sede apostolica nostro regimini commissarum, deliberatione provida, de ipsius approbatione concilii ordinanda duximus, ac etiam statuenda: quæ quidem nostræ approbationis hujusmodi perpetuam decernimus obtinere firmitatem. Ne igitur per aliquorum malitiam, privilegiorum sive indulgentiarum, collegiis, locis, ordinibus, communitatibus, seu personis quibuslibet, sub quacumque forma vel conceptione verborum, a sede apostolica concessarum, prætextu, E adversus observationem ordinationum & statutorum hujusmodi, quisquam immunitatem quovis exquisito colore sibi vendicare præsumat, aut habeat se quomodolibet excusare: litterarum apostolicarum tenorem, per quas nobis expresse conceditur, quod præmissis seu aliis nequicquam obstantibus, censuram ecclesiasticam, officium nostrum, & omnia ad ipsum spectantia, aut quæ nobis officii ratione competunt, exercere libere valeamus (quas quidem in dicto Bituricensi concilio solemniter fecimus publicari) litteris præsentibus ipsis ordinationibus & statutis annexis jussimus annotari. Tenor autem litterarum ipsarum talis est.

" GREGORIVS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Simoni tituli sanctæ Cæciliæ presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem. Cum tibi plenæ legationis officium in regno Franciæ, civitate ac diœcesi Lugdunensi, necnon & in partibus transmarinis, duxerimus committendum: ne circa executionem illius, vel eorum quæ ad ipsum spectant officium, vel tibi ratione ipsius competunt, te contingat aliquatenus impediri: discretioni tuæ, ut non obstante aliqua indulgentia, quibuscumque archiepiscopis, episcopis, abbatibus, cæterisque prælatis ecclesiarum, sive aliis personis ecclesiasticis vel sæcularibus, cujuscumque sint præeminentiæ, conditionis, aut status, seu collegiis, vel dignitatibus, aut ordinibus, a sede apostolica sub quacumque forma verborum vel expressione concessa, etiamsi contineatur in ea quod aliquæ litteræ quantumcumque qualibet obstantia seu obstare possibilia expressius removentes, ipsi aliquatenus non obsistant; sive quod de ipsa indulgentia, dignitatibus, ordinibus, seu nominibus propriis ipsorum ordinum, dignitatum, seu etiam personarum, plenam & expressam, seu etiam de toto tenore ipsius indulgentiæ sigillatim & de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem; seu quod personæ hujusmodi ab homine excommunicari, suspendi, vel interdici non possint per litteras apostolicas vel legatorum sedis apostolicæ, in quibus de ipsis dignitatibus, ordinibus, nominibus, seu indulgentia, vel ejus tota serie plena & expressa, sive de verbo ad verbum, in eisdem apostolicis vel legatorum ipsorum litteris mentio non habetur, & qualibet alia indulgentia cujuscumque tenoris, formæ, vel expressionis existat, per quam præsentibus non expressam vel totaliter non insertam, hujus nostræ concessionis effectus impediri possit, vel quomodolibet retardari, dictum officium, & omnia ad ipsum pertinentia, sive tibi ratione ipsius competentia, libere sine cujuscumque conditionis vel alterius impedimenti objectione valeas exercere, plenam & liberam tibi autoritate præsentium concedimus facultatem. Datum Viennæ VII. Kal. Octobr. pontificatus nostri anno IV.

ANNO CHRISTI 1276. *al.* Cum igitur

an. Chr. 1274.

" GREGORIVS episcopus servus servorum Dei, dilecto filio Simoni tituli S. Cæciliæ presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, salutem & apostolicam benedictionem. Vt eo efficacius commissum tibi legationis officium promovere valeas, quo majore per nos fueris autoritate munitus: discretioni tuæ exercendi libere censuram ecclesiasticam in omnes tam cathedralium, quam aliarum ecclesiarum prælatos, exemptos & non exemptos, in universa quoque capitula & conventus, duces, marchiones, comites, necnon barones, ballivos, & quoslibet alios nobiles, in rectores etiam, potestates, consiliarios, universitates, populos, & quascumque personas ecclesiasticas, regulares, sæculares, etiamsi militiæ Templi, vel Hospitalis S. Ioannis Hierusalem, vel S. Mariæ Teuthonicorum, seu Cisterciensis, Cluniacensis, Præmonstratensis, Minorum, aut Prædicatorum ordinum fuerint, & in quaslibet alias publicas vel privatas tuæ legationis, cum videris expedire: non obstantibus quod aliquibus a sede apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint, aut aliquibus privilegiis, indulgentiis, vel litteris quibuscumque, dignitatibus, ordinibus, locis, vel personis, generaliter vel specialiter, sub quacumque forma vel conceptione verborum, ab eadem sede concessis, de quibus, quorumve totis tenoribus, de verbo ad verbum, seu ordinibus, locis, aut propriis,

„ priis personarum nominibus, certa, specialis, ple- « na, determinata, & expressa mentio sit habenda, „ & per quæ etiamsi contineantur in ipsis, quod „ per quasvis apostolicas litteras quælibet obstantia „ removentes, eis in aliquo nequeat derogari, nullum „ in præmissis volumus obstaculum interponi, nec cui- „ quam contra ea præsidium quomodolibet exhiberi, „ plenam & liberam concedimus autoritate præsen- „ tium potestatem. Datum Lugduni XIV. Kalendas Sep- „ tembr. pontificatus nostri anno III.

In cujus rei testimonium & munimen perpetuum, sigillum nostrum præsentibus duximus apponendum. Actum in eodem concilio, Idibus Septembris anno Domini MCCLXXVI. Romana ecclesia vacante.

G. C Hujus concilii statuta misit Simon legatus ad omnes Francici regni episcopos: ut, qua legatio sua patebat, ubique servarentur. Hoc adeo intelligimus ex Ioannis archiepiscopi Turonensis ad episcopum Nannetensem epistola, præmissa Bituricensi concilio in collectione conciliorum provinciæ Turonensis, quæ a Ioanne Maano edita est, & apud nos extat manuscripta beneficio Ægidii Menagii v. cl. Qua in editione, adscribitur concilium nostrum anno MCCLXXVII. falso quidem, si spectatur annus, quo celebratum est; vere forsan, si tempus, quo ad omnes episcopos transmissum.

IOANNES TVRONENSIS ARCHIEPISCOPVS,

Missa sibi a Simone legato Bituricensis concilii statuta, ad Nannetensem episcopum transmittit.

Ioannes Dei gratia archiepiscopus Turonensis, venerabili in Christo fratri ejusdem gratia episcopo Nannetensi salutem & sinceram in Domino caritatem.

STATVTA concilii Bituricensis nuper a reverendissimo in Christo patre domino Simone præmissa gratia tit. sanctæ Cæciliæ presbytero cardinali, convocatis fratribus autore Domino salubriter celebrata, ac remedia pro defensione ecclesiasticæ libertatis adhibita, opportune nobis ab eodem reverendissimo patre transmissa, & copiam potestatis ab apostolica sede sibi concessæ, ut ea faciamus venerabilibus in Christo fratribus suffraganeis nostris Turonensis provinciæ publicari, & a nostris immediate, & eorum suffraganeorum subditis per ipsos, inviolabiliter recepimus in hæc verba.

„ Simon miseratione Divina tit. sanctæ Cæciliæ presbyter cardinalis, apostolicæ sedis legatus, venerabili „ in Christo fratri eadem gratia archiepiscopo Turonensi, ad futuram rei memoriam. Nuper in generali „ nostræ legationis concilio per nos Bituris congregato „ nonnulla, &c. *cum litteris duabus Gregorii X. ut „ supra. Addit Simon legatus.* Inde est quod vobis „ autoritate apostolica mandamus, quatenus statuta „ hujusmodi, quæ vobis mittimus tenore præsentium „ litterarum nostro sigillo sigillatarum, vestris subdi- „ tis publicanda, faciatis ab eis, prout convenit, ir- „ refragabiliter observari: copiam statutorum ipsorum, „ ipsis suffraganeis, & eorum singulis, nihilo minus „ facientes, cum fueritis requisiti.

Datum Turonis, die Martis post festum Resurrectionis Domini, anno ejusdem Domini MCC LXXVII.

A

VITA ET EPISTOLA IOANNIS PAPÆ XIX. VULGO XXI.

IOannes, hujus nominis decimusnonus, antea Petrus Hispanus vocatus, patria Vlysipponensis, professione medicus, ex episcopo Tusculano ad supremam ecclesiæ dignitatem evectus est Viterbii XV. Septembris anno Domini MCCLXXVI. Palæologum, quem ad Romanæ fidei professionem, prout in concilio Lugdunensi promiserat, edendam induxit: hunc simul & reges Orientales admonuit, ut arma pro defensione fidei susciperent. In eo laudem singularem B meritus est, quod pauperes studiosos facultatibus & beneficiis juverit: librosque de medica, aliaque de arte logica opuscula composuerit, e quibus, teste Trithemio in chronico Hirsaugiensi, summula quædam extat, quam Thesaurum pauperum appellant, medicinæ non inutilis. Siffridus lib. 2. epitomes suæ scribit de hoc pontifice, quem Ioannem XVIII. perperam nominat, quod dum quemdam librum (ut dicebatur) hæreticum & perversum dictaret, subito domus, in qua sedebat, super eum corruerit, eumque intantum concusserit, ut infra spatium quinque dierum miserabiliter moreretur, replicans sæpius hæc verba: Quid fiet de libello meo? Quis complebit libellum meum? C Quæ per rumorem accepta, si vera sunt, magnam Dei providentiam, qua suam ille gubernat ecclesiam, mirabiliter ostendunt. Idque accidit, cum pontificatum octo mensibus, & aliquot diebus tenuisset.

EPISTOLA IOANNIS PAPÆ XIX. AD EDVARDVM I. REGEM ANGLIÆ.

De non gravanda Hibernia.

Ioannes episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Eduardo illustri Angliæ regi salutem & æternam benedictionem.

PAternum amorem ad tuæ celsitudinis incrementa, fili carissime, gerimus: dum te ad ea, quæ justo D placent judici, tui regni, terrarum & subditorum tuorum sint opportuna quieti, & famæ tuæ pariter & honori prospiciant, sollicitis hortationibus invitamus. Propter quod in iis persuasiones nostras devota debes mente suscipere, & ad executionem illarum te paratum & flexibilem exhibere. Ecce, fili, quasdam accepimus litteras directas pridem per Hibernicos magnates & populum, dilectis filiis nostris Anselmo, tituli sanctorum Marcellini & Petri presbytero, & Lucæ sanctæ Mariæ in Via lata diacono, cardinali- E bus, apostolicæ sedis nunciis, & per eos nobis suis interclusas litteris destinatas: in quarum serie vidimus inter cætera contineri, quod cum felicis recordationis Hadrianus papa prædecessor noster, sub certis modo & forma distinctis apertius apostolicis litteris, inde factis, claræ memoriæ Henrico regi Angliæ progenitori tuo dominium Hiberniæ concessisset, ipse rex ac successores ipsius reges Angliæ, usque ad hæc tempora modum & formam hujusmodi non servantes, quinimmo eos transgredientes, indebite afflictionibus & gravaminibus inauditis importabilium servitutum ipsos diutius oppresserunt. Nec fuit hactenus qui revocaret illata gravamina, aut errata corrigeret,

A non fuit quem pia compassio super eorum contritione moveret; quamvis super his ad te recursus habitus fuerit, & clamor validus oppressorum aures tuas quãdocumque pulsaverit. Vnde talia ferre nequeuntes, ulterius coacti sunt se a dominio tuo subducere, & alium in suum regimen advocare. Hæc, dilectissime fili, si veritate nitantur, tanto nimirum infectiora nostris accedunt affectibus, quanto desideramus intentius ut tibi prospere cuncta cedant. Circa illa versari sedulo debes, eaque promptis affectibus exequi, quæ tuo sint placita creatori, & ab omnibus abstinere solicite, per quæ contra te debeat provocari ipse Deus ac dominus ultionum, qui gemitus afflictorum injuste minime despicit, & qui propter injustitias peculiarem suum dejecisse describitur populum, & translationem fecisse regnorum. B Quanto etiam desiderabilius, iis præsertim impacatis temporibus, cupimus te illis libenter intendere, per quæ suorum corda fidelium ad tuam benevolentiam & obedientiam debeant allici, & illa prorsus vitare, quibus valeant a tuæ cultu devotionis avelli. Quia itaque, fili, tua non modicum interest hujus novæ mutationis vitare dispendium, quamplurimumque expedit ut hæc non negligantur turbationis initia, ne, illis periculose crescentibus, sero medicinæ remedia præparentur, excellentiam regiam solicitamus attente præsentibus, sano nihilo minus consilio suadentes, quatenus hæc prudenti meditatione considerans, & cum suo discreto consilio conferens, super illis circa præmissorum gravaminum correctionem & reformationem debitam & festinam, viis & modis decentibus sic sufficienter C provideri mandes, & facias, sic discriminosis principiis in hac parte obstare procures, quod & illi, per quem regnas, placere valeas; & te in iis efficaciter implente quod debes, cujusvis adversum te justæ querelæ materia conquiescat. Per quod iidem Hibernici saniori ducti consilio tibi ut domino pareant, aut si, quod absit, in inepta rebellione manere voluerint, causam suam in apertam injustitiam, te apud Deum & homines excusato, convertant. Vt autem de prædictis gravaminibus & querelis, quibus prædicti innituntur Hibernici, tuis sensibus innotescat ad plenum, antedictas litteras missas cardinalibus antedictis, cum forma litterarum, quas prædictus Hadrianus prædecessor noster eidem Henrico regi Angliæ de terra Hiberniæ concessit, tuæ magnitudini mittimus præsentibus inclusas. Datum, &c. D

ANNO CHRISTI 1277.

** CONCILIVM COMPENDIENSE

Ex apographo R.P. Iac. Sirmondi S. I.

Concilium provinciale ecclesiæ Remensis habitum Compendii a rever. patre ac domino Petro Barbet archiepiscopo Remensi in canonicos cathedrales, anno Dom. MCCLXXVII.

E VNiversis præsentes litteras inspecturis, Petrus miseratione Divina Remensis archiepiscopus, Milo Suessionensis, Reginaldus Belvacensis, Guido Noviomensis, B. Catalaunensis, Ingerannus Cameracensis, Philippus Tornacensis, Henricus Morinensis, & R". Silvanectensis, eadem miseratione Divina episcopi, Remensis ecclesiæ suffraganei, in concilio provinciali apud Compendium congregati, salutem in Domino sempiternam.

§ Robertus

ANNO CHRISTI 1277.

Cæca cordis æmulatio, superseminansque zizaniam humani generis inimicus, sic quorumdam interiores oculos obtexit caligine, sic etiam venenum infudisse dignoscitur cordibus eorumdem: ut quid de jure liceat, aut quid de honestate deceat, non attendant. Ac non solum in subditos, immo etiam, quod horrendum est dicere, in proprios prælatos, & ipsos quibus ex debito fore noscuntur filiationis adstricti, frequenter sæviunt, & nonnunquam contra eos calumniosas & graves non zelo justitiæ, sed rancoris, suscitant quæstiones. Attendentes igitur quod capitula & canonici cathedralium ecclesiarum nostræ Remensis provinciæ in nos, qui licet immeriti præsidemus eisdem, nescimus quo ducti spiritu, quod dolentes referimus, exercuerunt spiritualia jura, sibi damnabiliter usurpando, interdum autoritate propria, interdum etiam per exquisitas lites, quas contra nos aggredi non verentur, nonnunquam etiam per subtractionem Divini officii, contra nos pro suæ libertatis arbitrio sua organa suspendendo: idcirco nos super præmissis intendentes, prout possibilitas aderit, salubre remedium adhibere, & præcavere periculis, quæ tam nos quam successores nostri incurrere valeremus: deliberatione inter nos habita, de communi consensu conveniendum duximus & unanimiter statuendum, quod quotiescumque contigerit, inter nos vel quemque ex nobis, & capitulum suæ cathedralis ecclesiæ, discordiam suscitari super reformatione pacis, si fieri poterit, bono modo, necnon ad defensionem causæ, fraterno more, alter alterius portantes onera, adsistemus nobis ad invicem, contributionem nihilo minus pecuniariam, prout magnitudo causæ poposcerit, ei qui causam hujusmodi seu litem habuerit, facientes. Et ut super his cum majori valeat autoritate procedi, ne etiam animose, quod absit, contra capitula præfata quicquam prosequi videamur: ordinatum est inter nos consensu unanimi, quod nos annis singulis in quindena Pentecostes personaliter conveniemus Parisius, ibidem tam de communibus, quam de propriis negotiis insimul tractaturi, & habituri maturum consilium, ne causam ullam contra ipsa capitula, nisi veram & justam, aliquatenus prosequamur. Obligamus insuper nos omnes ad invicem ad observanda præmissa, & omnia bona nostra. In cujus rei testimonium sigilla nostra præsentibus litteris sunt apposita. Datum in loco prædicto, anno Domini MCCLXXVII, ante Ramos Palmarum.

ANNO CHRISTI 1277.

** CONCILIVM CONSTANTINOPOLITANVM,

In quo Ioannes Beccus Romanam fidem profitetur; Romanumque primatum agnoscit, mense Aprili ann. MCCLXXVII.

Supersunt hujus concilii synodales ad pontificem litteræ editæ ab Odorico Raynaldo: ex quibus constat, paulo ante celebratum fuisse Constantinopoli universale Græcorum concilium: missum quoque ad pontificem fuisse volumen, quo acta concilii continebantur: has autem ipsas litteras esse synodi, quæ relicta est Constantinopoli ab illa generaliore.

Litteræ

ANNO CHRISTI 1277.

Litteræ patriarchæ CP. & concilii, cum professione fidei, & recognitione primatus

Sanctissimo & beatissimo summo pontifici apostolicæ sedis veteris Romæ, & universali papæ, domino Joanni, Joannes miseratione Divina patriarcha Constantinopolitanus Romæ novæ, cum omni nostra sacrosancta synodo debitam reverentiam nostræ obedientiæ, ac inclinationem & orationum postulationem.

PRincipii boni optimum esse finem, omnibus absque dubio clare patet. Et quare non, cum *omne donum perfectum desursum sit, descendens a Patre luminum*? Hoc enim concesso, consequens est credi omne principium cujuscumque rei optime inchoatæ a Divino pendere consilio, & propter hoc necessario tale principium in finem desinere gloriosum. Quod enim a Deo bene inchoatum est, quomodo non optime terminabitur auxiliante Deo quale quid factum est, & super iis, de quibus nunc propositum est nobis dicere, o Divinum & sacrum caput. Nam ecclesiastica unione feliciter incœpta tempore felicis memoriæ beatissimi illius viri (si tamen virum, & non angelum, vocari oportet felicem illum, sanctissimum papam decimum dicimus Gregorium) ad gloriosiorem finem, quam * ad ipsam videlicet unionem summus Dominus consummavit in diebus, in quibus ad decorem apostolicæ sedis, & illuminationem perspicuam firmamenti universalis ecclesiæ, vos, nomine gratiæ nominatum, Deus eligendo constituit. Quod quidem apostolicæ sedis nuncii, reverendissimi scilicet fratres nostri & coepiscopi Iacobus Ferentinus & Gaufridus Taurinensis, & de Deo accepto ordine prædicatorum religiosissimi nostri fratres Raynonus prior Viterbiensis, & Salvus lector Lucanus, vestræ sanctitatis orationibus prosperati, pervenerunt ad sanctos & potentissimos nostros moderatores, & ad nostram humilitatem, & ad eam, quæ apud nos inventa est sacram & sanctam synodum relictam ab universitate magnæ synodi, quæ apud nos paulo ante fuerat celebrata: dictæ ecclesiasticæ unionis inchoatio, autore Deo, absque defectu fine prospero consummata est.

[Margin: Iacob. 1.]

Et quomodo quidem potens & sanctus " moderator noster, cum " Divinitus germinato ramo radicis, sacro, potenti, & sancto nostro moderatore, confirmationem ecclesiasticæ unionis in fide perfecta & diligenti certitudine fecerunt, poterit noscere maxima sanctitas vestra & ab ipsis, quæ ad ipsam mittuntur, litteris potentiæ suæ, & ab instrumento juramentorum factorum per ipsos, & ab iis, quæ apostolicæ sedis nuncii ore tenus divinis auribus vestræ insonuerunt sanctitatis. Quomodo quoque nos robur præstamus, & finem apponimus glorioso principio hujusmodi operis unionis, poterit scire vestra a Deo magnifica sanctitas, & a volumine synodicali, quod sibi ostendetur, quod humilitas nostra cum toto sacro ipsius conventu firmavit & roboravit subscriptionibus manualibus, quæ apud nos vigorem obtinent juramenti.

[Margin: " Michael imp. " Cum Andronico filio etiam imperatore.]

Habet insuper noscere & ab iis quæ in præsenti scripto specialius nos dicemus omnimode, præbentes vestræ apostolicæ sanctitati certitudinem nostræ ad apostolicam sedem puræ perfectæque obedientiæ. Dicimus enim, sub testibus Deo & angelis verba facientes, quod omne schisma inter ecclesias Dei, veteris Romæ scilicet & novæ nostræ, male introductum in læsionem Christianitatis, aspernimus & abjicimus; & præcordiali affectu, & ex tota anima prius ipsum deponentes, per linguam, & labia, & prolativum nostrum sermonem, etiam in præsenti scripto ipsum abnegamus, & ecclesiasticam pacem & unitatem, & primatum apostolicæ sedis confitemur, recognoscimus, acceptamus, & sponte suscipimus; & ad ipsius obedientiam spontanei venientes, ratum habere, & conservare immutabile promittimus & asserimus, & eas prærogativas, quæ a principio ante schisma præstabantur apostolicæ sedi ab illis, qui pro tempore, pontificio in Constantinopoli fungebantur, integra & inviolabilia promittimus conservare. Schisma enim, quod in medio intercessit, intimo cordis affectu & tota animi voluntate aspernentes: compaginamus & coaptamus nosmetipsos lineæ pontificum illorum, qui ante schisma apostolicæ sedi veteris Romæ suam obedientiam canonice & legitime conservabant; & nihil omnino imperfectum omittere pollicemur de iis, quæ ante schisma illi divi & sancti imperatores apostolicæ sedi præstando roborarunt & affirmarunt; insuper etiam & de iis quæ in sacris conciliis patres nostri ad ipsius obedientiam demonstrabant se conservare. Rursus ad apostolicam sedem confirmamus inviolabiliter & integre omnes prærogativas & privilegia, quæ ante schisma, reverendi & beati imperatores, & deiferi patres nostri doctores, ad primatum apostolicæ sedis in obedientiam ostendebant: videlicet, quia ipsa sacrosancta Romana ecclesia summum & perfectum primatum & principatum super universam catholicam ecclesiam obtinet, quem in seipsa ab ipso Domino, in beato Petro apostolorum principe seu vertice, cujus Romanus pontifex est successor, cum plenitudine potestatis recepisse, vere ac humiliter recognoscimus. Et quemadmodum præ aliis tenetur fidei veritatem defendere: sic, & si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Ad hanc potest quilibet, gravatus in negotiis ad forum ecclesiasticum pertinentibus, appellare: & in omnibus causis, ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius potest recurri judicium: & eidem omnes ecclesiæ sunt subjectæ, ipsarumque prælati obedientiam & reverentiam sibi debent. Apud hanc autem plenitudo potestatis consistit, quod ea, quæ cæteræ ecclesiæ, & patriarchales specialiter, diversis temporibus privilegia obtinuerunt, sanctionibus beatorũ sanctorum imperatorum illorum, & canonicis sanctionibus sacrorum & Divinorum conciliorum, eadem Romana ecclesia confirmavit & roboravit: & non aliter obtinuerunt confirmationem ecclesiarum hujusmodi prærogativæ, nisi eadem ecclesia Romana suum super iis judicium & sententiam protulisset: sua tamen prærogativa tam in generalibus conciliis, quam in quibuscumque aliis semper salva. Et de abnegatione quidem schismatis, & recognitione primatus apostolicæ sedis, tanta sint dicta.

Quoniam autem multum schismatis tempus, opinionem quibusdam vanam & falsam tribuit, quod sit aliqua differentia dogmatum inter utramque ecclesiam, Græcam videlicet & Latinam, propter in symbolo factam additionem per Romanam ecclesiam: oportet utique, nos libellum fidei exponere, ex quo vestra Deo magnifica altitudo, & tota Romana ecclesia, cognoscet, quod nulla differentia fidei est iis, qui symbolum primi Nicæni concilii legunt, & qui symbolum Constantinopolitani secundi concilii prædicant, & iis, qui hoc symbolum, quod a Romana ecclesia legitur cum additione, venerantur.

Credimus enim in unum Deum ingenitum Patrem omnipotentem, immortalem, invisibilem, impalpabilem, universum implentem, & super omnia existentem, conditorem totius creaturæ visibilis & invisibilis,

ANNO CHRISTI 1277.

lis, corporalis & spiritualis. Et in unum Dominum Iesum Christum, Verbum, unigenitum Filium, æternum ab æterno Patre, principium de principio, lumen de lumine, Deum de Deo, omnipotentem de omnipotente, æqualem incommutabiliter generanti Patri, prout ipse Dominus in evangelio asserit dicens: *Qui videt me, videt & Patrem*; (Ioan. 14.) qui ante omnia sæcula natus, ineffabilem & intellectu incomprehensibilem habet nativitatem: *Generationem ejus quis enarrabit?* (Is. 53.) sacra fatentur eloquia, hoc est nullus. In consummatione sæculorum descendit inseparabiliter ex paterno sinu * intemeratam & semper virginem Mariam, & nostram ex ipsa assumpsit naturam, carnem videlicet humanam cum anima rationali, non secundum phantasiam, sed secundum veritatem; neque * supernam & intemporalem nativitatem adoptatus, neque secundum inferiorem temporalem: naturalis enim existens & verus filius Dei, naturalis & verus semper virginis Mariæ ipse idem filius existit, qui carnem accepit ex ipsa, visibilem invisibilis, mortalem immortalis, passibilem impassibilis, palpabilem impalpabilis: in qua carne & pro nobis sponte suscepit passionem, vera carnis passione. Mortuus & sepultus & descendens ad inferos, & tertia die, secundum scripturam, resurgens a mortuis vera carnis resurrectione. Post quadraginta * a resurrectione sua a mortuis, ascendit ad cælos, cum eadem, qua resurrexit, carne & anima: & sedet ad dexteram Dei Patris, introitum in cæleste regnum nobis elargiens. Qui venturus est iterum judex vivorum & mortuorum, redditurus unicuique secundum opera sua.

* add. in
* add. secundum
* add. dies

Credimus eodem modo & in Spiritum sanctum, *omnia scrutantem, etiam profunda Dei*, (1. Cor. 2.) qui naturaliter inest Deo & Patri & essentialiter insitus est, ut ita dicamus, & indivisibiliter ex ipso procedens; naturaliter inest & Filio, & essentialiter illi insitus est, & indivisibiliter ex ipso procedit. Profunditur * quod enim idem procedit, quemadmodum a fonte, * Deo & Patre: profunditur autem & ab ipso filio, quemadmodum a fonte, velut utique & ex ipso Deo & Patre. Sed licet Pater fons Spiritus sit, & Filius fons Spiritus sit: non tamen duo fontes Spiritus sunt Pater & Filius. Vnum enim fontem Spiritus Patrem & Filium fidelis & pia intelligentia tenet: & propter hoc communem Patris & Filii Spiritum S. ecclesiæ luminaria & doctores theologizarunt. Sicut enim de substantia Patris naturaliter Spiritus est, sic & ex substantia Filii naturaliter Spiritus est: & sicut secundum substantiam existit Dei & Patris, ita & secundum substantiam Filii existit: & ut proprius est essentiæ Patris, & non extra hanc procedens in esse, ita & essentiæ Filii proprius est, & non extra hanc procedens in esse. Naturalium enim bonorum Dei & Patris essentialiter existens Filius communicator, habet Spiritum, sicut unusquisque nostrum, proprium in seipso continens spiritum, & ex intimis visceribus ad extra profundit ipsum. Propter quod & corporaliter ipsum discipulis insufflavit, quia inspiratione Filii Spiritum novimus, & sensum Christi Spiritum esse ab apostolo edocti sumus. Vnde unam esse catholicam & sanctam apostolicam ecclesiam confitentes, in qua unum datur baptisma, & vere remissio omnium peccatorum, tribus personis, scilicet Patri, & Filio, & Spiritui sancto, in quibus & ad quas personas baptizamur, gloriam referimus, sicut uni Deo: & ipsas tres esse cognoscentes personas, unum Deum omnipotentem ipsas cognoscimus, totamque in Trinitate Deitatem coessentialem, coæternam, & coomnipotentem; unius dignitatis, unius potentiæ, unius voluntatis, unius operationis; singulam sanctæ Trinitatis personam Deum plenum & perfectum prædicantes, & confitentes. Et ita credentes, gloriam offerimus Patri, gloriam offerimus Filio, gloriam offerimus Spiritui sancto. Credimus veram resurrectionem nostræ carnis, quam in præsenti vita gestamus, & futuram vitam, æternam, perpetuam expectamus. Credimus etiam ipsum & unum Deum actorem esse & dominum omnipotentem, veteris & novi testamenti, prophetarum & apostolorum: in Trinitate unum cognitum Deum benedicentes nunc & in sæcula. Amen. Et hoc quidem usque in tantum.

* Corr. Profunditur quidem & procedit,
* add. a Deo

Ex quo autem sancta Romana ecclesia propter diversos errores, a quibusdam ex ignorantia, ab aliis ex malitia introductos, dicit & prædicat eos, qui post baptismum in peccata labuntur, non rebaptizandos, sed per veram pœnitentiam suorum posse consequi veniam peccatorum; & si vere pœnitentes in caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint & omissis, eorum animas in igne purgatorii post mortem purgari; & ad pœnas hujusmodi relevandas prodesse iis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus fieri consueverunt secundum ecclesiæ instituta; & illorum quidem animas, quæ post sacrum baptismum susceptum nullam omnino peccati maculam incurrerint, illas etiam, quæ post baptismum maculam peccati contraxerunt, vel in suis manentes corporibus, vel eisdem exutæ, sicut superius dictum est, fuere purgatæ, mox in cæleste regnum recipi: illorum autem animas, qui cum mortali peccato, vel cum solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis disparibus puniendas; & quod nihilo minus in die judicii omnes homines ante tribunal Christi cum suis corporibus comparebunt, reddituri de factis propriis rationem: quoniam quidem sancta ecclesia Romana sic dicit & prædicat, recipimus hæc & confitemur, quoniam sanctorum patrum Divinæ scripturæ ipsa continent.

Cum autem iterum cum suprascriptis sancta apostolica ecclesia Romana dicit & prædicat, quod septem sunt ecclesiastica sacramenta, baptismus, de quo dictum est supra; sacramentum confirmationis, quod per manus impositionem episcopi conferunt chrismando renatos; pœnitentia, eucharistia, sacramentum ordinis, matrimonium, & extrema unctio, quæ secundum doctrinam B. Iacobi infirmantibus exhibetur: dicimus & de iis hæc baptismum * hoc recipimus, & confitemur, sicut secundum confirmationis sacramentum, licet apud ecclesiam Romanam per impositionem manuum soli episcopi conferant chrismando renatos, apud nos autem indifferenter prælati & presbyteri hoc faciunt: tamen nos eam, quæ hactenus apud nos obtenta fuit consuetudo, in ipsa ordinatione conservantes, quod a Romana ecclesia super ipsa fit, sanctificativum & perfectivum esse confitemur. Pœnitentiam & ipsam amplectentes confitemur & recipimus. Eucharistiam & ipsum sacramentum Eucharistiæ, per sanctam ecclesiam Romanam ex azymo pane confectum, secundum ipsius antiquam consuetudinem per ipsam hactenus veneratam, similiter illud, quod per nos conficitur sacramentum dicimus esse indubitanter; credentes & nos ipsum azymum panem in ipso sacro officio Eucharistiæ vere transsubstantiari in corpus domini nostri Iesu Christi, & vinum in sanguinem ejus per suam sanctissimi Spiritus virtutem & operationem; a nobis iterum ex fermentato confectum pane, sacramentum etiam illud cognoscimus. Quod & conservantes sicut a principio nobis traditum: credimus similiter, ipsum panem vere transsubstantiari in corpus, & vinum in sanguinem domini nostri Iesu Christi per sanctissimi Spiritus,

ANNO CHRISTI 1277.

tus, ut dictum est, virtutem & operationem. Sacramentum ordinis & ipsum amplectenter confitemur & recipimus. Matrimonium, de quo tenet ipsa ecclesia Romana, quod nec unus vir plures uxores simul, nec una mulier simul habere permittitur plures viros; soluta vero lege matrimonii per mortem alterius conjugum, secundas, & tertias, & ' deinde nuptias legitime factas, successive licitas esse dicit, si impedimentum canonicum, & causa alia non obsistat: recipimus eodem modo, & de ipso idem dicimus nos. Extremam unctionem etiam ipsam recipimus, similiter cum aliis, quæ & a nobis celebrata eptapapadum ' nominatur. Vnum summatim dicamus: cum hæc omnia sic veneretur, & prædicet dicta sancta ecclesia Romana, credimus & dicimus, quod vere, fideliter, & orthodoxe docet & prædicat ipsa sancta ecclesia Romana: tamen & sic debemus nos permanere incommutabiliter in ritibus, qui a principio obtenti sunt in ecclesia nostra. Hæc omnia suprascripta ad confirmationem plenissimam exponentes abnegationis schismatis, & puræ ac veræ nostræ obedientiæ ad primatum ecclesiæ Romanæ, & repræsentationem & demonstrationem, quod concors sit plenissime & sine defectu nostra ecclesia secundum fidei orthodoxæ intellectum sanctæ apostolicæ matris omnium ecclesiarum ecclesiæ Romanæ, nostra bulla consueta roboravimus, mense Aprilis, quintæ Indictionis, sexti milleni " septimi centeni octuagesimi quinti anni, secundo anno pontificatus nostri

" Erat sine dubio Græce, καὶ πὺς ἑξῆς γάμυς, hoc est, & consequentes nuptias.

' Corr. euchelæum. Nā Græce εὐχέλαιο.

" Annus Græcorum 6785. respondet nostro 1277.

"** CONCILIVM ALTERVM CONSTANTINOPOLITANVM,

ANNO CHRISTI 1277.

In quo excommunicati schismatici, qui concordiam cum Romana ecclesia initam respuebant.

LITTERÆ SYNODICÆ.

Ioannes miseratione Divina Constantinopolitanus patriarcha, universis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, rei gestæ memoriam cum salute.

CAritati vestræ notum fieri volumus per præsentes, quod nobis existentibus in concilio Constantinopolitano, congregato pro discutienda scissura dudum facta inter ecclesiam Latinam & Græcam, per illum qui unitati invidet, & una cum ipso sacrosancto concilio deliberatione habita, omnes schismaticos, ac unionis ecclesiasticæ turbatores, qui prope & longe sub pertinacia sua ubicumque existant; qui non recipiunt sanctam Romanam ecclesiam esse matrem & caput omnium aliarum ecclesiarum, & fidelitatis orthodoxæ magistram, & ipsius summum pontificem, primum pastorem omnium Christianorum, quocumque fungantur officio vel ordine, pontificali dignitate, seu sacerdotali, diaconali; ac omnes alios universaliter schismaticos perturbatores, cujuscumque conditionis aut status existant, sive de imperiali, sive de senatus consilio, aut alicujus alterius conditionis; cum quibus & ipsum Nichisorum ducam, qui nominatur despotas, & Ioannem ducam de Patra, qui nominatur syntocrator, sicut schismaticos & perturbatores hujusmodi ecclesiæ unionis, & susceptores schismaticorum, & persecutores ipsorum qui convenerunt ad hujusmodi ecclesiasticam unionem, & sicut illos, qui dividuntur de populitate nostra, & de nostra societate fugiunt propter obedientiam, quam fecimus ad apostolicam sedem: excommunicavimus, anathematizavimus, ipsosque damnatos pronunciavimus, & penitus reprobatos. In cujus rei testimonium, bullam nostram cum nostra subscriptione solita præsentibus duximus apponendam. Datum Constantinopoli apud sanctam Sophiam, anno Dom. MCCLXXVII. die Veneris, sexto decimo intrante Iulio, Indictione quinta.

VITA NICOLAI PAPÆ III.

ANNO CHRISTI 1277.

NIcolaus tertius, cui Ioannis Cajetani nomen fuerat, ex nobilissima Vrsinorum familia genitus, ex cardinale diacono tituli sancti Nicolai, post interregnum sex mensium, magna cum altercatione pontifex creatus est Viterbii septimo Kalendas Decembris, anno Christi 1277. obsistente plurimum Siciliæ rege Carolo, qui senator conclavi præsidens, omnibus modis urgebat, ut e Gallia quispiam eligeretur. Inito pontificatu, Carolo Etruriæ vicariatum & senatoriam dignitatem abstulit: strictissime prohibens, ne ullus principum ad eam deinceps assumeretur. Exarchatum Ravennatem cum omni Flaminia recepit, cui comitem Bertholdum nepotem præfecit. Post multas comminationes, Venetos adegit, ut pacem cum Anconitanis paciscerentur. Duos reges ex Vrsinorum familia creare decreverat, unum Etruriæ, alterum Longobardiæ præfecturus: ille ut Germanos ultra Alpes compesceret; hic ut Gallorum & Siciliensium potentiam retunderet. Laudatur in eo quod generosi animi & sani consilii, probatæ vitæ, morumque honestissimorum fuerit, litterarum studiosos amaverit, in distribuendis beneficiis personarum electionem evitaverit. Præclaris ædificiis palatium exornavit, sancti Petri hortos muris circumdedit, ecclesiamque reparavit, in eaque pontifices depingi curavit. Idem etiam in sancto Paulo perfecit: canonicorum numerum auxit. Ordines ecclesiasticos divisit, unicuique domicilium proprium assignans, ut advenæ, quo in loco quisque magistratus, præsertim forensis, reperiretur, cognoscere possent. Palatium Lateranense ad finem perduxit. Sancta sanctorum restauravit. Ecclesiam S. Ioannis propriis expensis reædificavit. Nunquā Missam sine lacrymarū profusione celebravit. Ordinē Minorum maxime promovere studuit. Ecclesiis vacantibus optime omnium & prudentissime ipse unus providit. Magistratum aliosque curiæ ministros reformavit. Multa ad publicā utilitatem spectantia ordinavit. In hoc uno quibusdam culpabilis visus, quod in suos propensior observaretur: præsertum quod, ut iis benefaceret, aliis subtrahebat. Tandem, licet cibi potusque abstinentissimus esset, morte tamen subitanea in octava Assumptionis Suriani sublatus est, cum pontificatum annis tribus, mensibus octo, & diebus quindecim obtinuisset. Inde Romam relatus, in ecclesia sancti Petri sepultus est. Sedes quinque mensibus vacavit.

"** CONCILIVM LANGESIENSE "

ANNO CHRISTI CIRCITER 1278.

A Ioanne Turonensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Dom. circiter MCCLXXVIII.

" Langeis.

TITVLI CANONVM.

1. De procurationibus post visitationem præstandis.
2. Vt archidiaconi, archipresbyteri, & decani, extra civitatem officiales non habeant.
3. De matrimoniis clandestinis.
4. De filiis presbyterorum.
5. De testamentis & eorum executoribus.

6. De

ANNO CHRISTI 1278.

PRÆFATIO.

Matth. 18. VBi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum, dicit Dominus. In ipsius itaque domini nostri Iesu Christi nomine congregati, qui inter multos medium locum sibi elegit, ut scriptura testatur, ad ejus honorem & gloriam, nostri præsentis autoritate concilii promulgamus statuta, dicentes.

CAPITULA.

I. *De procurationibus post visitationem præstandis.*

QVia cautum est in jure, procurationem ratione visitationis deberi in victualibus, non in pecunia numerata; ac nonnulli ecclesiarum prælati non visitantes ecclesias, ab eis etiam in pecunia recipere procurationes præsumunt: inhibemus, ne pecuniam pro procurationibus, sed expensas tantummodo in victualibus, a locis quæ visitaverunt, recipiant moderatas: nisi a locis, in quibus taxatæ sunt procurationes ab antiquo in pecuniis, vel quæ inhabilia sunt ad sustentationem " prælati; adeo quod in eis prælatus honeste procurari " non posset: quæ tamen loca, ante procurationis susceptionem, prælatos statuimus visitare teneri.

' al. susceptionem ' al pernoctare

II. *Vt archidiaconi, archipresbyteri, & decani, extra civitatem officiales non habeant.*

Item inhærentes prædecessorum nostrorum vestigiis, qui idem in suis provincialibus conciliis apud Castrum " Gonterii & Turonum " celebratis, deliberatione provida statuerunt, præsentibus firmiter innovamus: inhibentes, ne archidiaconi, archipresbyteri, & alii ecclesiasticam jurisdictionem habentes, extra civitatem officiales seu allocatos habeant: immo consuetum officium in personis propriis fideliter exequantur. Processus autem, si qui per eosdem officiales seu allocatos habiti fuerint, decernimus penitus non valere.

' an. 1231. ' an. 1239.

III. *De matrimoniis clandestinis.*

Verum quia clandestina matrimonia in causis matrimonialibus frequenter magnas dubitationes inducunt, & quandoque legitima matrimonia separantur, & illegitima remanent copulata: præcipimus, ut diœcesani subditis suis districte prohibeant in synodis, & etiam visitantes, ne per verba de præsenti ad matrimonia inter aliquos contrahenda procedant, donec ante portas ecclesiæ convenerint volentes contrahere, benedictionem suscepturi. Sed tunc demum ad matrimonium contrahendum per verba de præsenti coram sacerdote procedant.

IV. *De filiis presbyterorum.*

Cum carnis concupiscentia statum clericalem multipliciter dehonestet, maxime quando usus usque ad sobolis procreationem perdurat: statuimus ne clerici, maxime in sacris ordinibus constituti, filiis suis ab ipsis in sacris ordinibus procreatis, vel etiam concubinis, in ultima voluntate aliquid legare præsumant. Si quis vero personis prædictis aliquod legatur eliquerit, si rector existat, ecclesiæ, cujus rector existit, aut si ecclesiam non habeat, ecclesiæ a qua vivens ecclesiastica consueverat percipere sacramenta, dictum legatum decernimus applicari. Nec impudico patri liceat filium sic creatum secum tenere.

V. *De testamentis, & eorum executoribus.*

Item inter emptorem & venditorem debet esse discretio personalis. Hinc est quod cum executores testamentorum, unius personæ vicem obtineant, scilicet testatoris: diffinimus quod nullus executor aliquid possit emere per se vel per alium, vel quoquo modo & titulo sibi retinere, de rebus seu de bonis deputatis executioni testamenti, cujus executor existit: juris exemplum in hoc sequentes, prohibentis procuratoribus aliquid emere de bonis, eorum procurationi seu gubernationi commissis. Contractus vero contra hoc statutum initos decernimus non tenere: emptorem nihilo minus ad restitutionem dupli precii rei emptæ, in executionis utilitatem convertendæ, decreto hujusmodi condemnantes.

VI. *De excommunicatis ultra annum.*

Initium superbiæ est apostatare, & radix hæreticæ pravitatis contemnere clavis ecclesiastæ potestatem. Quia igitur nonnulli excommunicationis sententias, & quod detestabilius est, Dominici corporis sacramentum contemnentes, diuturnis temporibus in sententiis commorantur, de participatione interim Dominici corporis non curantes: præsenti decreto statuimus, ut quicunque excommunicationis sententiam ultra annum continuum sustinuerit animo indurato,

ANNO CHRISTI 1278.

indurato, in quocunque testamento efficiatur non capax, nec sine magna solemnitate & gravi pœna & publica absolvatur.

VII. *De abusoribus litterarum apostolicarum.*

Conc. Turon. an. 1233 c. 5. Et apud Castrum Gonter. ann. 1253. Dignum est ut quos Dei timor a malo non revocat, censuram sentiant ecclesiasticæ disciplinæ. Inde est, quod nos statutum felicis recordationis Gregorii IX. contra litterarum apostolicarum abusores editum, *de rescriptis*, *Quia nonnulli*, desiderantes observari, in omnes illos qui in aliquem casuum abusus in dicta constitutione constitutione contentorum de cætero committere præsumpserint, nisi moniti canonice ab ordinariis, destiterint: si clerici in sacris fuerint, suspensionis; si laïci, aut in minoribus ordinibus constituti, excommunicationis sententiam promulgamus: absolvendi prædictos potestate ordinariis concessa.

VIII. *Qualiter ecclesia parochialis ad firmam tradi potest.*

Secundum evangelicam veritatem, mercenarius judicatur non pastor, qui in beneficiis ecclesiasticis temporalia principaliter contemplatur. Prohibemus igitur, ne parochiales ecclesiæ, quæ quotidianam instantiam, & præsentiam pastorum suorum desiderant, ad firmam tradantur sine speciali diœcesani & expresso consensu: nec tunc ad arbitrium rectoris ecclesiæ taxabitur firma, sed ad judicium diœcesani.

IX. *Ne participantes cum excommunicatis, in generali excommunicentur.*

Cum excommunicationis sententia medicinalis censeatur: nolentes quod medicina unius, alii transeat in venenum, prohibemus, ne cum excommunicationis sententiam in aliquem, seu in aliquos, promulgari continget, prætextu aggravationis sententiæ in participantes cum ipsis, aliqua sententia promulgetur: nisi ex magna causa prælatus hoc viderit faciendum.

X. *De cessionibus.*

Quia juris subsidium ad magnum dispendium trahi non debet, & cessiones actionum ex legitimis causis permissæ, nonnunquam a pluribus fraudulenter, & etiã simulate factæ fuerint: statuimus, ut cum quis ex cessione sibi facta agere voluerit, ante litis contestationem jurare teneatur, quod cessionem ex qua agit sibi factam, non recipit fraudulenter. Quod si actor jurare noluerit, reus ad litis contestationem nullatenus compellatur, aliis exceptionibus reo contra cessionem nihilo minus reservatis.

XI. *De regularibus.*

Adolescens iuxta vias suas, etiam cum senuerit non recedet ab eis (Prov. 22.) Prohibemus ne pueri monachi, antequam ad decimum octavum annum pervenerint, ad prioratus causa morandi transmittantur: sed in claustro cõmorentur, ibidẽ de bonis senioribus * instruendi in regularibus disciplinis: nisi ordinarius ex causa aliquibus duxerit concedendum.

* al. a moribus se bonis

XII. *Ne plures in monasteria recipiantur, quam poterunt sustentari.*

Inter discipulos Domini quisquam egens non erat, sed singulis dividebatur prout cuique opus erat, ut in actibus Apostolorum. Merito igitur prohibemus, ne abbates vel abbatissæ, priores vel priorissæ, monachos vel moniales plures in suis monasteriis vel cœnobiis recipiant, quam ex locorum facultatibus competenter poterunt sustentari. Diœcesanis vero locorum super hoc diligenti cura commissa, ut in dictis locis sibi subjectis certum instituant numerum personarum, prout pensatis locorum facultatibus, Deum habentes præ oculis, viderint expedire.

XIII. *Ne monachi sint soli in prioratibus.*

Scriptum est, *Væ soli, quia si ceciderit, non habet sublevantem.* (Eccl. 4.) Præcipimus igitur abbatibus & prioribus, ut monachos sibi subditos singulariter esse, vel solitarios in prioratibus commorari, de cætero non permittant.

XIV. *Ne prioratus vacantes denudentur.*

Ex cupiditate quæ radix est omnium malorum videtur procedere, quod abbates prioratus vacantes cessione, morte, vel commutatione priorum, bonis in prioratibus inventis denudant: & etiam aliquando priores translati. Nos indemnitati locorum providere volentes, inhibemus ne priores in sui translatione vel commutatione, seu etiam abbates, loca vacantia, bonis mobilibus ibidem existentibus denudare præsumant, in grave dispendium prioratus vel prioris instituendi: circa quod prælati vigilent diligenter.

XV. *De advocatis.*

Rem non novam aggredientes, statuimus, ut assueti patroni seu advocati causarum, cum in curia ad postulandum, seu advocandum admittuntur, jurent quod scienter injustas causas non fovebunt, & quod clientibus suis fidele pro posse suo patrocinium exhibebunt. Et quia nonnullæ causæ frequenter per advocatorum imperitiam amittuntur: volumus, ut nulli ad postulandum in foro eccle-

ANNO CHRISTI 1278.

siastico admittantur, nisi studuerint per triennium ad minus in jure canonico, & civili, vel alias in exercendis litibus suis experti: aliis statutis circa advocatos editis, in suo robore duraturis.

XVI. *De iuramentis officialium.*

Eccli. 20. Iuxta sententiam Salomonis, *xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore* [Deus "] *auertit correptiones eorum.* Diffinimus itaque, ut officiales, & alii demandatam jurisdictionem habentes, in institutione sua jurent, quod munera non accipient ratione officii, & bona fide causas audient & decident.

" abundat hæc vox, Deus.

Actum & ordinatum de consensu venerabilium fratrum nostrorum suffraganeorum præsentium apud Langeis.

G. C. Concilii hujus cum MSS. exemplaria nonnulla viderim, nusquam reperi adscriptum diem & annum. Quo factum esse puto, ut cum tria ejus exempla invenisset autor, metropoleos Turonensis, ter idem concilium ad varios annos ediderit, iisdem omnino verbis, quasi tria essent diversa concilia. Ego vero ut tribuerem anno circiter MCCLXXVIII. adductus sum ex inspectis codicibus aliquot, in quibus Bituricensi concilio Simonis legati subjicitur.

*** CONCILIUM APUD PONTEM AUDOMARI,

A Guillelmo de Flavacuria archiepiscopo Rotomagensi, cum suffraganeis, anno MCCLXXIX. celebratum.

TITULI CAPITULORUM.

1. *Ut clerici excommunicati fructus beneficiorum amittant.*
2. *Ut capellanis, qui Missas non celebrant, beneficiorum fructus subtrahantur.*
3. *Ut serventur statuta conciliorum Bituricensis & Lugdunensis.*
4. *De injectione manuum in clericos.*
5. *Ut confiteantur & viaticum recipiant saltem semel in anno.*
6. *De sæcularibus clericos capientibus.*
7. *Ut clerici non adeant judices sæculares.*
8. *Ut qui percipiunt majores decimas, restaurent fabricam, &c.*
9. *Ut Christiani Judæis non serviant, aut cohabitent, & ut Judæi signo aliquo discernantur.*
10. *Ut vigiliæ & choreæ in sacris locis non fiant.*
11. *Ne clerici sint venatores.*
12. *Ut redintegretur numerus religiosorum: & ne soli prodeant.*
13. *De monachis commorantibus in prioratibus non conventualibus.*
14. *Ut regulares non morentur cum sæcularibus.*
15. *Ut religiosi mutuum non contrahant.*
16. *Ut decani rurales non suspendant vel excommunicent nisi in scriptis.*
17. *Ut non desistatur a denunciatis excommunicandis, nisi sint absoluti.*
18. *Ut non excommunicent in generali.*
19. *Ut capellani diligenter examinentur.*
20. *Ut clerici a negotiis sæcularibus abstineant, & ferant tonsuram, & habitum clericalem.*
21. *De clericis non deferentibus tonsuram.*
22. *De sacerdotibus excommunicatis.*
23. *Ut clerici crucesignati non abutantur litteris apostolicis, aut aliis.*
24. *De canonicis regularibus ad curam animarum episcopo præsentatis.*

PRÆFATIO.

ANno Domini MCCLXXIX. die Iovis Ascensionis ", apud Pontem Audomari fuerunt salubriter ordinata per reverendum Patrem Guillelmum, Dei gratia dominum archiepiscopum Rotomagensem, & ejus suffraganeos, de totius concilii providentia unanimi & concordi, quæ inferius continentur.

" al. die Iovis ante Ascensionem Domini.

CAPITULA.

I. *Ut clerici excommunicati fructus beneficiorum amittant.*

VOlentes presbyterorum & clericorum excommunicatorum insolentiam coarctare, sacris canonibus inhærendo, statuimus: quod presbyteri & clerici beneficiati, quamdiu autoritate ordinariorum suorum juste excommunicati fuerint, beneficiorum suorum stipendia sive fructus non percipiant, & recuperandi eosdem fructus totaliter spem amittant: nisi quam citius commode potuerint, quod ordinariorum suorum arbitrio duximus relinquendum, procuraverint se absolvi; & nisi ordinarii eorum super ipsis fructibus gratiam fecerint specialem. Si vero per annum dictam excommunicationis sententiam animo sustinuerint indurato: procedatur acrius contra eos per beneficiorum suorum privationem, & alias juxta canonicas sanctiones.

II. *Ut capellanis, qui Missas non celebrant, beneficiorum fructus subtrahantur.*

Item volumus & ordinamus, quod presbyteri ordinati, capellas vel ecclesias parochiales obtinentes, qui Missas non celebrant, ut deberent, ipsas celebrare diutius sine causa rationabili negligentes, canonice moneantur ut Missas celebrent, prout convenit, intra tempus a suis ordinariis præfigendum: alioqui contra ipsos per subtractionem beneficiorum suorum, & alias prout justum fuerit, procedatur. Adjicientes, quod quicumque super hoc moniti fuerint, si eidem monitioni non paruerint, pro non residentibus habeantur.

III. *Ut serventur statuta conciliorum Bituricensis & Lugdunensis.*

Volumus etiam & ordinamus, quod statuta in Bituricensi concilio, præsertim edita contra impedientes jurisdictionem ecclesiasticam, vel qui impediunt vel immi-

nuunt

ANNO CHRISTI 1279.

nuunt ecclesiæ libertatem, vel colligationes, statuta, prohibitiones, vel banna, vel quæcumque alia emolumenta[a] faciunt contra ipsam, singulis mensibus in parochialibus ecclesiis, cum major aderit populi multitudo, die Dominico vel festivo, & singulis synodis[b], bene & intelligibiliter publicentur: necnon & constitutiones concilii Lugdunensis super hoc[c] editæ, & contra usurarios manifestos. Præcipientes districte, quod quilibet parochialis presbyter transcriptum habeat constitutionum dictarum. Ut animarum saluti provideatur salubrius, adjicimus, ut pœnitentiariis atque confessoribus Rotomagensis provinciæ suggeratur, ut[d] pœnitentes interrogent, an in pœnam inciderint alicujus constitutionum dictarum, & ut exponant eis pœnam atque pericula earumdem: ipsos ad suos ordinarios remittentes, si contra constitutiones prædictas ipsos repererint deliquisse: cum per ipsos pœnitentiarios vel confessores absolvi nequeant in hoc casu.

[a] for. molimenta
[c] al. contra ipsos
[d] al. ut omnes sibi cōfitentes al.

IV. De injectione manuum in clericos.

Statuimus etiam & ordinamus, quod excommunicati a canone propter violentam manuum injectionem in clericum[e], cum de hoc legitime constiterit, per parochiales presbyteros, ad mandatum ordinariorum suorum, excommunicati publice nuncientur, atque tanquam excommunicati ab omnibus acrius evitentur: & nisi, infra terminum competentem a suo ordinario præfigendum, post denunciationem hujusmodi procuraverint se absolvi, vel iter arripuerint ad sedem apostolicam, vel ejus legatum, pro hujusmodi absolutione impetranda, justitiari mandentur, sicut in aliis excommunicatis per suos ordinarios in Rotomagēsi provincia est hactenus fieri consuetum.

[e] al. clericos

V. Ut confiteantur, & viaticum recipiant, saltem semel in anno.

Præterea præcipimus, ut secundum statuta concilii generalis, quilibet Christianus singulis annis ad minus semel confiteatur proprio sacerdoti, vel alii potestatem habenti audiendi confessionem ejusdem, & salutarem simul pœnitentiam injungendi: atque quod viaticum recipiat in Paschate, nisi rationabilis causa subsit quare a recipiendo viatico debeat abstinere. Alioquin contra talem, tanquam suspectum de hæresi, procedatur. Adjicientes, quod nomina talium per suos presbyteros ordinario eorum insinuentur.

Later. IV.

VI. De sæcularibus clericos capientibus.

Statuimus quod potestates sæculares, clericos capientes cum majori violentia quam requirit rebellio defendentis, vel detinentes eos ultra vel contra requisitionē judicis ecclesiastici, denuncientur excommunicati a canone in generali: in speciali vero, non priusquam de eo constiterit evidenter.

VII. Ut clerici non adeant judices sæculares.

Districtius inhibemus, ne de causis ad ecclesiam pertinentibus, a personis ecclesiasticis judex sæcularis, maxime super personalibus actionibus, adeatur.

VIII. Ut qui percipiunt majores decimas, restaurent fabricam.

Statuimus etiam, ut abbates, priores, & aliæ ecclesiasticæ personæ, quæ percipiunt majores decimas in ecclesiis parochialibus, compellantur ad restaurandam fabricam, libros, & ornamenta, pro rata quam percipiunt in eisdem.

IX. Ut Christiani Judæis non serviant, aut cohabitent: & ut Judæi signo aliquo discernantur.

Inhibemus, ne aliqui Christiani, seu aliquæ Christianæ, Judæis servire in hospitiis suis, seu cum ipsis habitare præsumant: & præcipimus, quod Judæi signa patentia deferre cogantur, per quæ a catholicis discernantur.

X. Ut vigiliæ & choreæ in sacris locis non fiant.

Firmiter inhibemus, ne vigiliæ & choreæ in cœmeteriis & sacris locis fiant: præcipientes, quod transgressores canonice puniantur.

XI. Ne clerici sint venatores.

Prohibemus, ne clerici beneficiati, seu in sacris ordinibus constituti, venationibus aut aucupiis sint intenti vel assueti.

XII. Ut redintegretur numerus religiosorum: & ne soli prodeant.

Statuimus, ut in abbatiis atque prioratibus, in quibus facultates non sunt diminutæ, reintegretur numerus religiosarum personarum: nisi forsan ex superioris expressa licentia, atque causa rationabili, sustineatur ad tempus. Hoc autem quod a jure statutum est, ne monachus solus alicubi commoretur, observari volumus & mandamus.

XIII. De monachis commorantibus in prioratibus non conventualibus.

Moneantur monachi commorantes in prioratibus non conventualibus, cum interminatione suspensionis & excommunicationis,

ANNO CHRISTI 1279.

municationis, & prout expediens visum A fuerit inducantur, ut statuta Gregorii papæ, quantum ad esum carnium, confessiones, & jejunia, studeant observare.

XIV. *Ut regulares non morentur cum sæcularibus.*

Statuimus quod regulares cum sæcularibus non morentur, nisi de diœcesani licentia.

XV. *Ut religiosi mutuum non contrahant.* B

Statutum factum de non contrahendo mutuo religiosis ultra certam quantitatem, nisi de licentia abbatis sui, firmiter observetur.

XVI. *Ut decani rurales non suspendant vel excommunicent nisi in scriptis.*

Præcipimus quod decani rurales, exercentes jurisdictionem, non suspendant vel excommunicent nisi in scriptis.

XVII. *Ut non desistatur a denunciatis excommunicandis, nisi sint absoluti.* C

Item præcipimus, quod sacerdotes non desistant ab excommunicatione, vel a denunciatione excommunicationis, quantumcumque partes pacificent inter se: nisi legitime constiterit de excommunicatorum absolutione. Volumus etiam, quod absolutio fiat cum solemnitate.

XVIII. *Ut non excommunicent in generali.*

Item inhibemus sacerdotibus, ne præsumant excommunicare in generali, nisi pro furtis & deperditis, & competenti monitione præmissa. D

XIX. *Ut capellani diligenter examinentur.*

Statuimus, ut capellani, quibus ecclesiæ committuntur ad tempus, super litteratura, conversatione, atque ordinatione sua, diligenter examinentur.

XX. *Ut clerici a negotiis sæcularibus abstineant, & ferant tonsuram, & habitum clericalem.* E

Placuit sancto concilio promulgare, quatenus in singulis parochialibus ecclesiis, & locis publicis, moneantur diebus Dominicis & festivis a se distantibus ter clerici non uxorati, & etiam uxorati, ut a sæcularibus negotiis abstineant, maxime inhonestis, quodque tonsuram deferant & habitum clerico congruentes. Alioqui si ab hujusmodi, tertio moniti, non destiterint: non conjugatos, dum his se implicuerint, quo minus de suis facultatibus, statutis & consuetudinibus patriæ subjaceant, ecclesia non defendet. In conjugatis autem æquaminiter tolerabit, quod ab ipsis justitias debitas domini sæculares, velut ab aliis uxoratis, exigant, atque servitia consueta. Denique si post præmissas monitiones clerici in apostasia tonsuræ & habitus clericalis remanserint, & se in negotiis sæcularibus permiscuerint, & contingat quod a personis atque judicibus sæcularibus in criminibus fuerint comprehensi: non præcipimus eos per censuram ecclesiæ liberari.

XXI. *De clericis non deferentibus tonsuram.*

Statuimus etiam de clericis non deferentibus tonsuram, quod ipsi moneantur in synodis, in ecclesiis cathedralibus atque parochialibus, & etiam a decanis ruralibus in suis Kalendis, ut ipsi tonsuram & habitum deferant clericis congruentes. Alioqui si post trinam monitionem, per intervalla debita factam eisdem super prædictis, contempserint tonsuram & habitum deferre prædictos, & in delictis enormibus fuerint deprehensi per justitiam laicalem: non defendantur per ecclesiam quoad hoc, quo minus inde a justitia sæculari debite puniatur.

XXII. *De sacerdotibus excommunicatis.*

Item statuimus de sacerdotibus excommunicatis propter defectum solutionis decimæ, ut infra instantem Nativitatem Domini curent se absolvi, ac secum dispensari super irregularitate, si quam occasione ' prædicta incurrerunt. Alioqui puniemus " eos graviter, etiam per beneficiorum suorum privationem, si viderimus expedire.

' al. excommunicatione
" al. prælati ipsorum punient ipsos gr. &c. si viderint

XXIII. *Ut clerici crucesignati non abutantur litteris apostolicis, aut aliis.*

Præcipimus etiam ut per singulas ecclesias moneantur clerici crucesignati, ne litteris apostolicis, vel legati sedis apostolicæ, seu aliis, aliquatenus abutantur: scientes, quod solicitudine qua convenit, contra eos invigilabimus, ut excessus eorum non remaneant impuniti.

XXIV. *De canonicis regularibus ad curam animarum episcopo præsentatis.*

Statuimus etiam, quod canonici regulares, qui ad curam animarum a suis prælatis " episcopis præsentantur, non recipiantur ad eas, nisi prius per inquisitionem præhabitam constiterit, eos esse bonæ vitæ, honestæque conversationis, bonis imbutos moribus, atque etiam de sufficienti scientia eorum, atque natalibus eorumdem: quodque eorum prælati, postquam ipsi ab episcopo recepti fuerint ad curam animarum, eos sine conscientia episcoporum suorum ab eis non valeant amovere: & quod, nisi sufficientes personas, infra quadraginta

" al. a suis patronis

ANNO CHRISTI 1279.

draginta dies a tempore vacationis ecclesiarum, præsentaverint, per episcopos ecclesiis vacantibus provideatur, ponendo ibi presbyteros sæculares, si sibi videbitur expedire.

His autem ita factis, concilioque concorditer celebrato, recessimus, dicendo, *In viam pacis*, & quasdam orationes multum competentes.

APPENDIX.

G.C. Concilium hoc jam editum fuerat, tum a Ludovico Bail in summa conciliorũ, tum inter institutiones synodales Rotomagenses, pridem editas sine ulla loci ac temporis nota. Nos tum editione illa utraque sumus usi, tum exemplari alio quod aliunde Sirmondus noster summa cura descripserat, variis etiam lectionibus annotatis. In collectione autem illa Rotomagensi reperiuntur capitula quædam, quæ nec in aliis extant editionibus, & in hanc perperam aliunde intrusa esse, magna suspicio est. Cujusquemodi sunt, ea subjicio. Ac primum, post capitulum quintum, hæc sequuntur.

Ad hoc districtius duximus injungendum, quod statuta alia edita in provincialibus conciliis prædecessorum nostrorum, observentur: & quod locorum ordinarii super hoc curam adhibeant efficacem, & quod ipsa faciant annis singulis, in suis synodis, solenniter publicari.

Renovantes statuta concilii, volumus, & hoc placet sancto concilio, quod circa procurationes ratione visitationis debitas, accipiendas ab archiepiscopis & episcopis, & circa gravamina inferenda prætextu officiorum suorum, servetur quod statutum est in concilio Lugdunensi.

Volumus quod statuta concilii generalis contra eos qui faciunt colligationes, & statuta contra libertates ecclesiæ edita, frequenter & solenniter in synodis & parochialibus ecclesiis promulgentur, & transgressores canonice puniantur.

Hoc postremum aliis jam verbis & uberioribus conceptum erat, c.5. Quod novum ad cætera argumentum accedit, aliunde hoc irrepsisse. Tum post capitulum nostrum VII. hoc subjicitur.

Volumus, quod statutum synodale Simonis, quod personæ ecclesiasticæ, ad quas veniunt diversa mandata diversorum judicum delegatorum, conservatorum, sed excommunicatorum, diligenter videant nomina judicum diœcesis, & locorum ad quæ citant, & ipsa authentica firmiter observentur; & non citent, nisi videant authenticum, vel transcriptum sub sigillo authentico.

Ac deinde post X. nostrum.

Moneantur solenniter in ecclesiis, maxime non uxorati, congruentem deferre tonsuram; crucesignati vero, crucem in aperto deferre cogantur. De sellis, calcaribus, pectoralibus, deauratis & aliam superfluitatem habentibus, quibus clerico uti prohibitum est, & de clausis desuper indumentis a sacerdotibus deferendis, volumus observari statutum concilii generalis.

A

** CONCILIVM AVENIONENSE,

ANNO CHRISTI 1279.

Ab Arelatensis Provinciæ episcopis, XVI. Kal. Iun. ann. MCCLXXIX. celebratum.

Nunc primum prodit ex MS. eminentiss. card. Chisii.

Concilium celebratum per dominum Bertrandum[a] archiepiscopum Arelatensem, postea episcopum Sabinensem[b].

[*] *Hic titulus in MS.*
[a] *Corr* Bernardum.
[b] *Corr.* Portuensem.

TITVLI CAPITVM.

B

C

PRÆFATIO.

IN nomine Domini, Amen. Ierusalem quæ sursum est, libera mater nostra, sterilis, quia non pariens *Gal. 4.*
D filios superbiæ, per Prophetam lætari præcipitur & *Is. 54.*
erumpere, pariter & clamare quæ non parturit humilitatis liberos, quia multi, proh dolor! sunt hodie desertæ, scilicet ancillantis tumidialitatis, filii, magis quã ejus, cælestis videlicet libertatis, quæ virum habet dominum Iesum Christum. Hanc nempe Ierusalem nos B. sola miseratione Divina Arelatensis archiepiscopus, una cum venerabilibus fratribus nostris. B. Tricastrino, P. Vasionensi, P. Carpentoratensi, & I. Tolonensi, Dei gratia episcopis; necnon & cum venerabilium fratrum nostrorum Massiliensis, Avinionensis, Cavallicensis & Auraycensis, per eandem gra-
E tiam episcoporum, ex certis causis absentium, loca tenentibus in præsenti provinciali capitulo personaliter constitutis; assistentibus in personis aliis Arelatensis, & aliarum ecclesiarum suæ provinciæ, præsentialiter ut est moris: efficacius attendentes ad deprimendos filios superbiæ. quæ multipliciter inolevit, & ad corroborandos humilitatis liberos, qui multifarie, proh dolor! hodie cernuntur oppressi, & ad laudem & gloriam cælestis Ierusalem liberæ matris nostræ, statuta præsentia duximus in hoc ipso provinciali capitulo proferenda concorditer, & edenda.

Anno Christi 1279.

Caput primum.

Adverſus invaſores bonorum eccleſiaſticorum.

IN primis igitur, quoniam aliqui ſuis finibus non contenti, paſſim aliena diripiunt, & eccleſiaſticas libertates effringere non verentur: approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod quælibet perſona, ſæcularis aut eccleſiaſtica, nobilis aut alia, cujuſcumque præeminentiæ, dignitatis, officii, conditionis, aut ſtatus fuerit, quæ vel eccleſiaſticas capellas, ſeu earum cœmeteria, hoſpitalia, recluſoria, domos, poſſeſſiones, B loca, villas, caſtra, cenſus, taſcas [1], trezena [2], laudimia [3], vintena [4], feuda, leſdas [5], pedagia, ſeu alia quæq; utilia, ſeu etiam earũ homines aut familias, animalia, ſive bona quælibet mobilia ſeu immobilia, ſive domos religioſas, aut hoſpitalia, ſive recluſoria quomodolibet invadere, capere, occupare, detinere, pignorare, ſeu gadiare; necnon & qui contra eccleſias vel capellas, aut clericos ſive perſonas eccleſiaſticas, ſeu earum homines, loca, villas, caſtra, ſeu manſiones, aut contra libertates eccleſiaſticas, vel domos religioſas, aut hoſpitalia ſive recluſo- C ria quomodolibet edere vel facere quævis ſtatuta, ſive banna, vel præconizationes, aut novitates quaſcunque, ſive quibuſlibet ex prædictis directe vel indirecte violentias aut moleſtias irrogare, ſeu eis ſuper bonis quibuſlibet eccleſiaſticis ſeu patrimonialibus, quæſtas aut talias, angarias ſive parangarias, aut neceſſitates quaſlibet aliqualiter imponere vel inferre, ſive domos eccleſiarũ, aut clericorum, ſeu perſonarum eccleſiaſticarũ, occaſione quacunq; ferrare ſeu claudere, vel ferrare ſeu placare, ſive earum banna quæcunque bannire, ſeu etiam vias novas D aliquas ubilibet adinvenire, vel facere, per quas eccleſiæ ſeu earum villæ, caſtra, vel loca, in pedagiis ſive leſdis aut quibuſlibet juribus aliis poſſint in aliquo diminui, vel etiam pejorari, ſive caminos aut vias, ſeu ſtratas publicas aut privatas, intra limites ſive territoria vel diſtrictus locorum, villarum, ſeu caſtrorum eccleſiaſticæ ditionis, auferre vel ſibi quomodolibet appropriare, attribuere, ſeu etiam applicare, vel terminos eorum arare præſumpſerit, ſeu attentaverit, per ſuam potentiam, aut violentiam, E ſive ſuperbiam: [a] intra tres dies ſuper his a die captionis ſeu invaſionis, attentationis ſive præſumptionis hujus, & eorum fautores, per emendam aut revocationem debitam, ſeu alias ut res exigit, plene ſatisfecerit, excommunicationi ſubjaceat ipſo facto: quam extunc in attentatores & præſumptores hujuſmodi, fautoreſque eorum, conſiliarios, & coadjutores quoſlibet, ferimus A in his ſcriptis. Et nihilo minus ſi perſona hujuſmodi perſtiterit in excommunicatione ipſa per tres dies: extunc loca quælibet ubi fuerit, eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Quam ſiquidem excommunicationis ſeu interdicti ſententiam, cum de præmiſſis, ſeu eorum aliquibus, cuilibet ordinario vel ejus officiali ſummarie conſtiterit aut de plano: volumus, & ſtatuendo mandamus, executioni debitæ per ipſum quemlibet ordinarium, ſeu officialem ipſius, certificatum de plano mandari per univerſas eccleſias Arelatenſis civitatis, diœceſis & provinciæ, ſicut viderit commodius expedire: ſuper quo, tam in genere, quam etiam quaſcunque perſonas ſingulariter nominandas [b] plenam habeant facultatem. Et inſuper etiam ad augmentandam hujuſmodi ſententiam prout ei videbitur expedire, inſuper mandamus & præcipimus firmiter & diſtricte, quod ſuper omnibus circa præmiſſa per quoſlibet aboleri hactenus attentantes, fiant poſt inſtans feſtum Pentecoſtes, per tres dies Dominicos continuos, monitiones in eccleſiis, videlicet generales: ut quicunque ſuper præmiſſis, aut eorum aliquibus, aboleri contra eccleſias & perſonas eccleſiaſticas ſeu earum juriſdictionem & jura, prout ſuperius ſunt expreſſa, quicquid hactenus attentaverit, illud & illa quælibet intra feſtum inſtans Aſſumptionis beatæ Mariæ totaliter revocent & emendent, ſive de ipſis ſatisfaciant competenter. Quod niſi fecerint, nos eodem approbante concilio, in quoſlibet attentatores hujuſmodi, ſeu etiam præſumptores, ex nunc ut ex tunc, excommunicationis ſententiam ſimiliter ferimus in his ſcriptis, & in eorum quoſlibet coadjutores, conſiliarios, & fautores. Quam excommunicationis ſententiam, cum conſtiterit ordinario cuilibet, ſeu ejus officiali, de plano vel ſummarie per officium vel alias aliter, de præmiſſis, volumus & mandamus per univerſas eccleſias civitatum & diœceſum publicari, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, prout per quemlibet ordinarium, ſeu officialem ipſius, fiet requiſitio ſuper eis.

[1] taxas.
[2] Decimũ tertium quodque ex iis quæ venduntur.
[3] Quinquageſima pars pretii rei venditæ, debita domino principali, *Loz & ventes.*
[4] Vigeſimum quodque
[5] Aliud ſervitii genus.

[a] *Deeſt* niſi
[b] *Corr.* nominandi

II. *De injuriis & damno dato.*

Inſuper approbante præſenti concilio ſtatuimus, quod ſi cõtingat vel homines, vel res quaſlibet, animalia quævis eccleſiarum, ſive perſonarum eccleſiaſticarum, ſive hominum aut locorum ſuorum quorumlibet, abduci per aliquos aut aliquas in prædictam ſive pignorationem aut repreſaliam: abductores hujuſmodi, & eorum fautores, & autorizatores, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto: qui tamdiu per capellanos eccleſiarum civitatis & diœceſis, ubi prædicta com-

ANNO CHRISTI 1279.

commissa fuerint, autoritate præsentis concilii denuncientur excommunicati cum campanis pariter & candelis, singulis Dominicis diebus & festivis, quousq; de damnis & injuriis irrogatis fuerit eas passis plenarie satisfactum. Et nihilominus civitates, castra, loca, & villæ, in quibus prædia hujusmodi recepta fuerint seu admissa, ecclesiastico subjaceant interdicto, si requisiti, qui fuerint inibi requirendi, a se noluerint abjicere prædicta eadem. Et ad hæc eadem exequenda, diœcesani singuli, & officiales eorum, se promptos exhibeant sine contradictione quacunque: ut idem faciant fieri per capellanos suos, cum per illum, in cujus civitate vel diœcesi res sic detestabilis commissa extiterit, fuerint requisiti. Et nihilo minus super iis etiam observetur attente novella constitutio Gregoriana [a].

[a] Concil. Lugd. II. c.28.

III. *Ut prælatus cui injuria irrogata est possit, etiam extra territorium suum, sententiam ferre in delinquentes.*

Præterea quia difficile nimium, & ut plurimum in parte magna damnosum, & periculosum etiam sæpius invenitur, ut contra frequentes & quasi continuos injuriatorum & invasorum aggressus in alienis territoriis, ex absentia sive copia competentis judicis, debita coercitio retardetur: statuimus approbante præsente concilio, quod si contingat nobis, vel alicui de fratribus nostris suffraganeis, seu nostro vel illorum officialibus, sive nostrum, aut eorum loca tenentibus, aut nostris seu eorum canonicis, clericis, famulis, seu hominibus quibusvis etiam laïcis, castris aut villis, feudis, vel retrofeudis, ab aliquibus, cujuscumque præeminentiæ, status, officii, vel conditionis fuerint, in quocunque loco civitatis, diœcesis, seu provinciæ Arelatensis, ubicunque, seu universaliter in locis, vel extra loca, injuriam vel violentiam seu offensam inferri: prælatus, vel ejus officialis, aut locum tenens ipsius, cui super præmissis injuria, violentia, seu offensa fuerit irrogata, possit per censuram ecclesiasticam, & aliter ut expedierit, animadvertere ubicumque fuerit, in civitate, diœcesi, & provincia supradictis, & punire quoslibet irrogantes, seu hujusmodi delinquentes. Nec possit objici, quod quia forsan extra territorium jus dixerit, vel monitiones aut citationes fecerit, vel sententias excommunicationis aut interdicti tulerit, vel tales punierit, ei non pareatur impune. In casu enim hujusmodi civitatem & diœcesim Arelatensem, & totam ejus provinciam prælibatam, volumus esse de territorio cujuslibet de prædictis: & quod insuper ad mandatum seu ad requisitionem illius seu hujus punientis, quilibet prælatorum, & officialium, seu eorum loca tenentium, sive quorumlibet aliorum ecclesiis præsidentium, quamlibet sententiam latam a tali, sine difficultate qualibet, usque ad satisfactionem condignam teneatur executioni mandare: hoc adjecto moderamine, quod per præsens statutum, Arelatensis archiepiscopus in suffraganeos suos, sive prælatus quilibet in prælatos alios, vel eorum subditos, seu eorum communitates & diœceses, jure metropolitico, seu quolibet alio, ratione consuetudinis, vel usus, aut aliter, nullum jus, nullamve jurisdictionem acquirat, præsenti quidem statuto post terminum minime valituro.

IV. *De iis qui clericum ceperint.*

Ad hæc etiam approbante præsenti concilio statuimus, quod si officiales, vel locorum domini quilibet sæculares, seu eorum cursores aut bannerii, ceperint clericum aliquem; & requisiti per diœcesanum, vel officialem suum, quod clericum illum captum cum omnibus rebus suis restituant sibi confestim: si per unum diem destiterint illum restituere, quamquam ipso facto sint excommunicati, extunc officiales illi, seu domini, & quilibet detinentes atque cursores seu bannerii supradicti, denuncientur excommunicati nominatim & expresse diebus singulis cum campanis pariter & candelis. Et si denunciati per tres dies, clericum illum non reddiderint: extunc locus aut civitas, sive castrum, aut villa, ubi captus ille clericus detentus fuerit, ecclesiastico subjaceat interdicto. Nec teneatur aliquis fidem facere dictis officialibus, sive dominis aut detentoribus, sive quibuslibet aliis quod captus sit clericus: cum sufficiat, ut illum constet clericum, in eo quod diœcesanus, vel officialis, seu locum tenens ipsius, asserat per litteras vel nuncium, clericum illum esse; nec super his fides aliqua sit laïcis facienda. Hoc autem de tali clerico intelligimus, qui erat in possessione clericatus tempore captionis.

V. *Ut nemo alteri suadeat, in alienæ ecclesiæ cœmeterio eligere sepulturam.*

Posthæc approbante præsenti concilio statuimus, quod nulla persona ecclesiastica vel sæcularis, cujuscumque religionis, status aut conditionis existat, inducat per se, vel per alium, aliquam personam in infirmitate vel sanitate constitutam, nec etiam moneri faciat, ut dimissa sua parochiali ecclesia, in cœmeterio alterius ecclesiæ cujuslibet eligat sepeliri. Alioquin contra facientes, scilicet tam inducens, quam induci faciens, & tam monens, quam moneri faciens

ANNO CHRISTI 1279

faciens, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant: quæ sententia debite publicetur.

VI. *Ut serventur iura edita de Iudæis.*

Insuper etiam statuimus, ut jura edita de Iudæis serventur: videlicet in pectoribus appendentia vestimentis exterioribus dissimilia signa portent; talia siquidem, per quæ faciliter & distincte valeant a Christianis agnosci pariter & discerni. Sed neque teneant Christianos nutricios aut nutrices: carnes autem per eos occisas nullus vendat fidelibus Christianis. Ipsi quoque Iudæi dies * excolant manifeste. In Quadragesima carnes publice non manducent. Obviantes autem cruci, sive Christi corpori: vel penitus se recludant, aut cito recedant, vel reverentiam exhibeant ut Christiani. Alioquin Iudæi quilibet contra facientes, per subtractionem communionis fidelium, & Christiani per excommunicationis sententiam, per ordinarios, vel officiales, seu loca tenentes eorum, solicite compellantur.

VII. *Ne banna fiant aduersus ecclesiæ libertatē.*

Conc Bituric ann. 1276. c. 11 ad verbum.

Cum in jure canonico caveatur, quod qui de cætero servari fecerit statuta, & consuetudines introductas contra ecclesiæ libertatem, statutarii & scriptores statutorum ipsorum, necnon potestates, consules, rectores, consiliarii locorum ubi statuta hujusmodi & consuetudines de cætero edita fuerunt vel servata, necnon & illi, qui secundum ea judicare præsumpserint, vel in formam publicam scribere judicata, excommunicationis sententiæ debeant subjacere: nonnulli propriæ salutis obliti, & suæ verecundiæ non parcentes, juris sententiam verborum amplexu non sine fraude circumvenire nituntur: non statuta, ut asserunt, banna tamen faciunt proclamari, præcepta & prohibitiones inducunt, quæ non est dubium in libertatis ecclesiasticæ præjudicium redundare. Nos itaque fraudibus malignorum, quas circa hoc adhibitas fuisse cognovimus, obviare volentes, approbante præsenti concilio statuimus: ut qui contra ecclesiæ cujuslibet libertatem banna, prohibitiones, sive præcepta, scientes fecerint, aut fieri procuraverint, seu facientibus consiliū vel opem duxerint adhibendam, ipsa, postquam per locorum ordinarios, vel officiales eorum, super hoc fuerint requisiti, absque cujuslibet difficultatis obstaculo indilate revocent, seu faciant revocari, ad consimilia nunquam de cætero processuri: alioquin censura simili sint adstricti. Qui vero contra ecclesiasticas consuetudines antiquas, rationabiles, approbatas, & hactenus pacifice observatas, statuta, banna, prohibitiones, aut præcepta, scienter fecerint, aut fieri procuraverint, sive jā facta servaverint, aut servari fecerint, seu facientibus vel servantibus, in hujusmodi consilium vel opem præstiterint per diœcesanos locorum, aut officiales, præsentis autoritate concilii moneantur, ut infra VIII. dies a tempore monitionis hujusmodi numerādos, statuta *, banna prohibitiones & præcepta hujusmodi debeant revocare, ad consimilia nunquam ulterius processuri: alioquin excommunicationis sententia, quam in his scriptis exnunc ferimus, sint ligati.

* al. statuta deleant, banna, prohibitiones, & præcepta revocent, ad cons.

VIII. *Ne quis in foro ecclesiastico litigantes, ad desistendum compellat.*

Ibid c. 13.

Cum nonnulli temporale dominium obtinentes, seu sæcularis justitiæ potestatis gerentes officium, jurisdictionem sanctæ matris ecclesiæ subvertere vel minuere exquisitis astutiis moliantur: nos eorum malitiā ultione canonica reprimētes, approbāte præsenti concilio statuimus, inhibentes, ne quis in foro ecclesiastico litigantes seu litigare volentes super causis mere ecclesiasticis, sive quæ ad forum ecclesiæ de antiqua & approbata consuetudine & hactenus pacifice observata pertinere noscuntur, ad desistendum compellat, per ipsorum vel parentum aut consanguineorum, sive rerum eorum & personarum hujusmodi captionē, modisve aliis quibuscunque. Si quis vero contra præsumpserit, excommunicationis sententiæ autoritate concilii se noverint subjacere.

IX. *Ut privilegiati excommunicatos ad sacra non admittant, nec ad sepulturam.*

Ibid. c. 15.

Licet regularis observantiæ professores, & alios quos sedes apostolica exemptionis seu libertatis majoris decoravit titulo, & privilegiis insignivit, attollere condignis favoribus intendamus, ipsorumque privilegia, quantum ad nos attinet, observare penitus illibata: sic tamen eos suis manere contentos juribus affectamus, quod privilegiorum suorum limites in aliorum injuriam non extendant. Proinde sacro approbante concilio duximus statuendum, districtius inhibentes, ne deinceps religiosi quicumque, vel etiam sæculares, exemptionis seu libertatis sedis apostolicæ privilegiis muniti, excommunicatos publice vel nominatim interdictos, seu usurarios manifestos, ad Divina seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam, admittant. Qui vero contra præsumpserint, præter pœnas a jure statutas, ingressum ecclesiæ eo ipso sibi noverint interdictum: donec prolatoribus sententiarum hujusmodi, quorum autoritatem contempserint, & aliis quorum interesse contingat, de prædictis excessibus & omni interesse & damnis satisfecerint competenter.

X. De

ANNO CHRISTI 1279

X. *De excommunicatis ad officia publica non eligendis. & de iisdem banna facientibus contra excommunicatores & denunciatores.*

Insuper & præsenti approbante concilio statuimus, ut infrascriptum statutum concilii Valentini ab omnibus firmiter observetur, quod est istud: Excommunicati, in consules, rectores, potestates, assessores, ballivos, vel ad alia officia publica, nullatenus eligantur: & qui tales scienter elegerint, excommunicentur; & nulla sententia lata per ipsos, sive autoritate eorum, valeat, seu processus habiti per eosdem, sive autoritate ipsorum. Quia vero intelleximus quod excommunicati quidam, statuta quædam faciunt, præcepta, seu banna, contra excommunicatores vel denunciatores excommunicationum, quod est quasi hæreticum, & a disciplina ecclesiastica alienum, cum directe fiat hoc in contemptum clavium, & illusionem ipsarum, quod ipsas nituntur infringere malitia obstinata: licet excommunicati intelligantur per constitutionem domini Honorii; quia tamen constitutionem illam contemnunt: statuimus, quod quicunq; statutum, præceptum, bannum, interdictum, furni, molendini, ignis, aquæ, seu aliorum commerciorum, seu mandatum fecerint contra excommunicatores vel denunciatores, apertum, tacitum, vel occultum: denuncientur etiam excommunicati per totã provinciam, & etiam in vicinis provinciis si videbitur expedire: & cessetur a Divinis, in omnibus locis ad quæ venerint taliter excommunicati, quamdiu moram fecerint in eisdem: nec absolvantur donec satisfecerint competenter de damnis & injuria, illatis propter hæc ecclesiæ & personis ecclesiasticis. Præcipimus autem quod prælati omnes, cum a diœcesano qui excommunicationem tulit, ipsis fuerit denunciatũ: prædictos renuncient, & illos evitent, & hoc medicinale statutum observent inviolabiliter. Quod si non fecerint, ingressum ecclesiæ per mensem unũ sibi noverint interdictum.

Concil. Valentin. an. 1248. c. 14. — Ibid. c. 15 — Ibid. c. 16.

XI. *De iis qui excommunicatos elegerint.*

Huic autem statuto concilii Valentini adjicimus, approbante præsenti concilio, statuentes, quod quicunque sumpserint aut elegerint excommunicatos, qui semel aut pluries fuerint in ecclesiis aut in ecclesia denunciati, vel in consules, vel rectores, vel vicarios, vel judices, vel potestates, vel assessores, vel ballivos, vel clavarios, vel notarios, vel alia officia publica, excommunicationi subjaceant ipso facto; & omnia in quibus, seu ad quæ illi taliter electi fuerint ad officia, si requisiti electores hujusmodi electos ipsos ab ipsis officiis non amoverint, infra mensem post requisitionem hujusmodi sibi factam, ecclesiastico subjaceant interdicto, donec tales prorsus amoti fuerint & recesserint de locis eisdem.

XII. *Vt clerici non negotientur.*

Ad hoc etiam, infrascriptum statutum editum per bonæ memoriæ dominum B'. Arelatensem archiepiscopum prædecessorem nostrum in provinciali concilio, statuimus approbante præsenti concilio cum subsequenti moderamine firmiter observari. Et" ante istud statutum, quod nullus clericus beneficiatus, nullus etiam in sacris ordinibus constitutus, per se vel per alium emat bladum, vel vinum, causa revendendi vel negotiandi, neque huic statuto fraudem aliquam adhibeat. Quod si facere præsumpserit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto: de qua sententia nisi per diœcesanum possit absolutionis beneficium obtinere. Et tunc puniatur in amissione bladi, vel vini, seu precii, convertendi in fabricam ecclesiæ parochialis: salva etiam alia pœna majori, si diœcesano videbitur, imponenda juxta ipsius facti qualitatem. Hoc autem moderãtes statutum, propter animarum periculum, tollimus pœnam excommunicationis impositam clericis vendentibus & revendentibus, in ipso statuto contentam: ipso statuto, quoad alia ibi contenta, in suo robore alias permanente. Adjicientes, quod venientes contra ipsum statutum, & spiritualiter & pecunialiter arbitrio diœcesani sui puniantur debite.

"Bertrandũ de S. Martino.

" Corr. Est autẽ istud, Statuimus quod

XIII. *Vt clerici advocationem & judicaturam non exerceant.*

Aliud etiam infrascriptum statutum, olim editum per bonæ memoriæ dominum Florentinum Arelatensem archiepiscopũ, prædecessorem nostrum, in provinciali concilio, statuimus, similiter approbante præsenti concilio, cum subsequenti moderamine, firmiter observari: quod est istud. Ad hæc, cum ecclesiastica per ecclesiasticos, & per sæculares sæcularia tractari conveniat, ne forte clericus ad aratrum ecclesiæ mittens manum, & respiciens retro, Dei regno efficiatur ineptus: (nec enim beatus apostolus Matthæus, qui & Levi telonearius dictus est, postquam a Domino vocatus fuit, rursus ad lucra telonei resedit) inhibemus districte, ne clericus in ecclesia beneficiatus, advocationis officium suscipere in curia laïcali præsumat, nec judiciarium exercere: nisi forte pro ecclesia, vel pauperibus, viduis, & orphanis, patrocinari voluerit intuitu pietatis. Si quis autem contra hoc attentare præsumpserit, ipso facto ab ingressu ecclesię noverit se suspensum Et si per prælatum suum requisitus & monitus, ab hujusmodi officiis desistere noluerit: beneficio suo ecclesiastico privetur per eundem; & per ipsum, bene-

ANNO CHRISTI 1279

» ficium alteri conferatur. Quod si resipuerit, a dicta suspensionis sententia per ipsum episcopum absolvatur. Hoc autem moderantes statutum, volumus statuendo, quod hujusmodi clericus, de sententia sui episcopi generali vel speciali, possit libere advocationis* judicaturæ officium ubilibet exercere. Adjicientes prædicto statuto, ut nullus clericus ecclesiasticum habens beneficiũ, præsertim in dignitate ecclesiastica constitutus, in aliqua curia ecclesiastica vel civili præsumat, cõtra ecclesiam vel personam ecclesiasticam, advocationis officiũ in civitate, diœcesi, & provincia Arelatensi pro laïcis exercere: nisi per judicem illius ecclesiasticæ curiæ fuerit datus laïcis advocatus. Alioquin contra faciens ipso facto sententiam excommunicationis incurrat.

*Add aut

XIV. *De testamentis non occultandis.*

Cum autem plurima testamenta soleant ex heredum malitia nequiter occultari, ut ea quæ vel ad pias causas, vel ad faciendas emendas, in ultimis defunctorum voluntatibus legata sive relicta fuerint, ad lucem nequeant pervenire: nos volentes hujusmodi malitiis obviare, approbante præsenti cõcilio statuimus, quod tam heres quilibet, quam notarius, qui notam cujuslibet receperit testamenti, per ecclesiam, ut commodius videbitur, requiratur, quod testamentum, vel notam, sive transcriptũ alterutrius, in eo quod vel pias causas vel faciendas emendas tangere dinoscitur, exhibeant infra octo dies, a tempore requisitionis hujusmodi computandos. Quod nisi fecerint, ex tunc eos, prout requisiti fuerint, decernimus excommunicationis sententiæ subjacere: quam excommunicationis sententiam volumus nominatim & solemniter diebus singulis publicari.

XV. *Ut prælati hæc statuta publicari faciant.*

Demum approbante præsenti concilio statuimus, quod quilibet diœcesanus sive prælatus Arelatensis provinciæ, præsens concilium habeat infra duos menses, ab instanti festo Pentecostes numerandos: & per ecclesias subditas eadem statuta, præsertim excõmunicationis & interdicti sententias continentia, prout eadem statuta requirunt, sub pœna excommunicationis vel alia, prout eis visum fuerit, a subditis suis faciat publicari & diligenter exponi, ut pericula quæ clericis & laïcis ex eisdem possunt sententiis imminere, sint liquide manifesta, & cautius evitentur.

Factum Avenione anno Domini MCCLXXIX. XVI. Kal. Iunii, die scilicet Mercurii ante Pentecosten.

ALIA EIUSDEM CONCILII STATUTA

Super crucesignatorum & religiosorum privilegiis.

I. DE CRUCESIGNATIS.

PRo crucesignatis in terræ sanctæ subsidium, in provinciali concilio, quod celebratum fuit apud Avenionem anno MCCLXXIX. XVI. Kal. Iunii, concorditer extitit ordinatum.

Quod cum apostolicæ litteræ Gregorianæ D. archiepiscopo Arelatensi & ejus suffraganeis omnibus simul directæ, per eos fuerint hactenus multipliciter publicatæ, & processus multiplices autoritate earũ per eos sint habiti, & quasi per universum mundum sit publicum & notorium, quod quilibet metropolitanus, & ejus suffraganei, super hoc plenam habeant potestatem, trãscriptum earum sive copia nulli detur.

Quod insuper crucesignati & crucesignandi pro subsidio terræ sanctæ, per ipsos dominos, archiepiscopum & ejus suffraganeos, defendantur, juxta indulgentiam contentam in litteris supradictis, & in concilio generali.

Quod etiam crucesignati, licet antequam crucem sumpserint citati fuerint, vel contra eos sint aliqui processus habiti, autoritate litterarum sedis apostolicæ de prædictis non facientium mentionem, extra suas diœceses: nihilo minus tamen in posterum similiter postquam crucem susceperint, defendantur, ne ad judicia extra suas diœceses evocentur.

Nec in aliis, in quibus eos sedes apostolica privilegiat, offendantur: ita quod processus habiti coram judicibus delegatis teneant, ut tenere debebunt, & juxta eos sive post eos fiat continuatio per crucesignatorum ordinarios, & finaliter procedatur.

Quod si forsitan contra ordinarios, seu eorum vices gerentes, quod defenderent crucesignatos, vel contra ipsos crucesignatos defensos per eos, aliqui delegati procederent, citandõ vel monendo, vel sententias aliquas fulminando, vel eas denunciari mandando, seu alias quoquo modo: nullus in civitate, diœcesi, & provincia Arelatensi, delegatorum eorundem sigillet litteras, nec exequatur mandata.

Quodque cum crucis ipsius transmarinæ negotium sit continuum in favore, & vivente D. Gregorio summo pontifice per prælatos fuerit inchoatum, nec per aliquem successorem ipsius aliqualiter revocatum, non obstante morte ipsius domini Gregorii: circa ipsum negotium per prælatos juxta directum prædictum sibi mandatum apostolicum procedatur, cum negotium crucis adhuc maneat & vigeat, nec dum passagium sit inceptum.

Et omnes diœcesani, & eorũ officiales, exequan-

ANNO CHRISTI 1279.

quantur latas sententias, per eorum quemlibet pro crucesignatis contra quoscumque.

II. DE RELIGIOSIS.

Super confessionibus, quas religiosi passim audierint, extitit in eodem concilio similiter ordinatum.

Quod religiosi per ipsos diœcesanos, vel tenentes loca eorum, cautius requirantur, an de licentia vel sine licentia prælatorum audiant confessiones. Quod si privilegia confessiones audiendi se dicant habere, illa sine mora qualibet exhibeant & ostendant, & copiam dent eorum.

Quodq; deinceps illi religiosi, qui voluerint confessiones audire, veniant ad prælatos, ut ab eis super confessionibus audiendis recipiant specialiter facultatem.

Quod etiam iidem prælati non committant religioso alicui confessiones generaliter audiendas.

Quod insuper iidem prælati retineant illos in causis, qui retenti sunt ipsis prælatis per provincialium conciliorum statuta. Si tamen inter religiosos eosdem aliquæ sint personæ, per quas prælati senserint tali gratia speciali * meritos sive dignos: ipsi prælati faciant super his erga personas hujusmodi, quod viderint expedire.

Facta sunt hæc die præcedente prænunciationis concilii supra dicti, videlicet xvij. Kal. Iunii, in præsentia & testimonio plurium personatuum, & aliorum, & mei Stephani de sancta Maria domini papæ scriptoris, sacri palatii notarii, qui de mandato prædictorum domini archiepiscopi & dominorum episcoporum, & aliorum absentium loca tenentium, prædictum concilium, sive statuta contenta in eo, prout omnia sunt ordinata superius, scripsi: & ut ex his publicum instrumentum facerem, sive plura, mandatum ab ipsis recepi. In cujus rei certitudinem, hic apposui signum meum.

G. C. NOTA.

Qui præfuit huic concilio Arelatensis archiepiscopus (postea episcopus Portuensis) Bertrandus hic dicitur, ab aliis omnibus Bernardus, & in ipso suo epitaphio, quod saxo incisum, Vghello teste, hodieque cernitur Vrbeveteri ante aram principem ecclesiæ sancti Francisci. Mendosus igitur hac in parte codex noster est. Et in hoc quoque mendosus, quod Sabinensem episcopum fuisse ait: cum Portuensem dicere debuisset. Ex Sabinensium ac Portuensium episcoporum catalogis, & epitaphio, cujus paulo ante mentionem feci, res contestatissima: immo & ex his ipsis Arelatensis provinciæ conciliis, eo scilicet, cui Bertrandus Amalricus Avenione præfuit, anno MCCLXXXII. & eo quod Rostagnus Capra, in villa Insulæ Venasteini, anno MCCLXXXVIII. celebravit.

ANNO CHRISTI 1279. *Præponi hoc concilium duobus proxime antecedentibus debuerat.*

** CONCILIUM BITERRENSE,

De mittendis ad Regis parlamentum procuratoribus pro defendendis ecclesiasticis libertatibus, anno Domini MCCLXXIX. a Petro Narbon. archiep. cum suffraganeis celebratum.

NOtum sit cunctis quod anno Domini MCCLXXIX. in crastinum festi Inventionis S. crucis, fuit celebratum concilium apud Biterrim per reverendos patres dominos, Petrum Dei gratia archiepiscopum Narbonensem, Pontium Biterrensem, Bertrandum Tolosanensem, Berengarium Magalonensem, Bertrandum Elnensem, Petrum Agathensem, Petrum Nemausensem, & Galterum Carcassonensem, eadem gratia episcopos. Qui domini episcopi, & etiam Lodovensis & Vticensis, vocati fuerunt per litteras ipsius domini archiepiscopi, quarum tenor noscitur esse talis.

ANNO CHRISTI 1279.

» Petrus miseratione Divina sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, venerabilibus in Christo fratribus Dei gratia Biterrensi, Magalonensi, Lodovensi, Vticensi, Agathensi, & Nemausensi episcopis, salutem & sinceram in Domino caritatem. Cum super magnis & arduis negotiis antiquis, & etiam de novo emergentibus, quæ communem tangunt statum ecclesiarum provinciæ Narbonensis, vobiscum & aliis fratribus nostris suffraganeis habeamus loqui pariter & tractare: fraternitatem vestram rogādam duximus, tenore præsentium, vobis nihilo minus mandantes, quatenus in crastinum post instans festum Inventionis S. crucis, aliis prætermissis negotiis, apud Biterrim nobiscū personaliter intersitis, ut vobiscum tractemus in præmissis quod honori & utilitati communi ecclesiarum ipsius provinciæ expediens viderimus, & Dominus ministrabit. Datum Montilliis xvi. Kal. Maii, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono.

Sub eadem forma ivit littera ad dominos Tolosanensem, Elnensem, & Carcassonensem episcopos.

Littera Petri archiepiscopi Narbonensis, de rebus gestis in concilio Biterrensi anno MCCLXXIX.

PEtrus miseratione Divina sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopus, discretis & religiosis viris, abbatibus, prioribus conventualibus, capitulis, & conventibus, tam sæcularibus, quam regularibus, per civitatem, diœcesim, & provinciam Narbonensem constitutis, ad quos præsentes litteræ pervenerint, salutem in Domino sempiternam. Cum in concilio apud Biterrim, per nos ac venerabiles fratres nostros episcopos provinciæ Narbonensis, ad cujus convocationem vestris credimus non modicam pepercisse laboribus & expensis, ordinatum extiterit, ut nos una cum venerabili fratre nostro episcopo Tolosano ad instans parlamentum debeamus in Franciam personaliter proficisci, constitutique sint in ipso concilio procuratores, qui in ipso parlamento comparere debeant pro provincia Narbonensi, super antiquis & de novo novitatibus aliquibus emergentibus, feudis videlicet & retrofeudis, alodiis, & exercitu, & gravaminibus illatis, & quæ quotidie inferuntur, quæ communem tangunt statum ecclesiarum & monasteriorum ejusdem provinciæ, libertates, immunitates, & privilegia ostensuri, prout in ipso procuratorio videbitis plenius contineri: universitatem vestram requirendam tenore præsentium ducimus & rogandam, quatenus in procuratorio quod vobis per latorem præsentium mittimus, vestrum quilibet sigillum suum apponat.

Datum Biterris III. Nonas Maii, anno Domini MCCLXXIX.

** CONCILIUM REDINGENSE,

A Ioanne Peckham Cantuariensi archiepiscopo, cum suffraganeis, anno Domini MCCLXXIX. celebratum.

Ex vet. cod. MS. bibliothecæ Cottor. editum, Anglicanæ collectionis tomo II.

ANno Domini MCCLXXIX. circa festum S. Iacobi apostoli, frater Ioannes Cantuariensis archiepiscopus, convocatis universis suffraganeis suis apud Radinges, celebravit concilium, in quo constitutiones concilii generalis, quod silentio præterire non convenit, innovavit: videlicet quod singuli recto-

ANNO CHRISTI 1279.

rectores ecclesiarum, unico tantum beneficio, curam A animarum habente, cogerentur esse contenti: quinetiam omnes ad ordinem sacerdotii infra annum se faciant promoveri.

Ex vet. cod. MS.

Constitutiones domini Ioannis Peckham Cantuariensis archiepiscopi, editæ apud Reding. III. Kal. Augusti, anno domini MCCLXXIX.

I. De institutionibus & destitutionibus.

[a] Constitutionis Othoboni in concilio Londin. ann. 1268. c. 30 quæ lecta est in hac synodo, ut constat inferius.

AUdistis, fratres conscripti, istius [a] constitutionis tenorem: novistis etiam canones sanctorum patrum super hanc materiam editos, tam in Thesalono *quam in Romano concilio, necnon & capitulum Dionysii. Quæ omnia, seu qui omnes, pluralitatem beneficiorum cum cura, inhibent uni committi; singulas ecclesias singulis sacerdotibus committentes. Secuta sunt deinde concilia Lateranensia sub Alexandro papa, & generale concilium sub Innocentio tertio: in quibus omnibus ista pluralitas inhibetur: hoc addito in ultimo concilio, quod per receptionem secundi benefici i vacat primum: receptoque secundo, primum, per eum, ad quem collatio pertinet, libere alii conferatur: & si id infra sex menses alteri conferre distulerit, non solum ad alios, juxta Lateranense concilium, collatio devolvatur; verum etiam cogatur de suis proventibus in utilitatem ecclesiæ, cujus est illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum. Et cum non sic finis ambitionis, nec cæcæ cupiditatis, esset impositus: successit præsens legati institutio Othoboni, quæ ad multa mala præterita extirpanda, & ad providendum in futurum, ne de cætero pestis hujusmodi pullularet, sufficiens ab eodem fuerat æstimata, dum pestes atque miserias, quæ ex hac radice proveniunt, & pericula quæ sequuntur evidenter enervans, ea studet imprimere in cordibus peccatorum, dum nec [c] institutiones decrevit irritas ipso jure, nunc vero ipsum instituendum adigit juramento, nunc perjuros privat beneficiis habitis, & habendis; & contra hoc episcopos venientes a beneficiorum collatione suspendit, donec institutiones a se factas improvide, contra constitutionis tenorem, duxerint revocandas. Licet hæc omnia cum gravi studio, magnaque diligentia sint provisa, istorum tamen omnium non secutus est fructus quivis, nec proventus: quin potius, ac si nihil prorsus super ista materia excogitatum fuisset a majoribus seu provisum, nec amore justitiæ, nec timore pœnæ, cessarunt hucusque aliqui, per fas vel nefas undique sibi beneficia cumulare: nec ipsi pœnas constitutionis verentes, nec alias sacris inhærentes canonibus, id ipsa beneficia in immersa ferocitate conferre, licet non fuerit cum eis dispensatum. Quæ omnia sæpe & sæpius ad aures summi pontificis pervenerunt: qui hæc omnia vehementer abhorreus, necnon admirans vehementius, quod nec [t] constitutiones aut canones, per cautelas aut pœnas, hucusque tantæ præsumptionis audacia enormiter [u] poterit coerceri, nec etiam remedium eidem adhiberi: vobis [x] etiam injunxit vivo vocis oraculo, quod tanto incommodo celeri reformitate fecerimus occurri, & hujusmodi præsumptores a tantæ temeritatis audacia, quacunque possemus coertione, compesci. Et licet ad hæc omnia comprimenda, solius metropolis jurisdictionis potestas apud nos sufficere dignoscatur, qui benignitate tolerantiam, & lenitate

[c] Corr. dum nunc

Mendosa hæc, & multa quæ sequuntur.

[t] f. addendum, per

[u] f. enormiter excedens, potuerit c

[x] Corr. nobis

[y] f. benigne tolerantia, & len.

ingredi, & progredi, postea [z] affectamus in singulis quam in severitate nimia, aut rigore, aliter flectere corrigenda: quia cum [a] facti perversitas in tantum se extulit, quod ex eo sit multiplicata ruina, & exortum sit scandalum plurimorum, clamorque ad aures superiorum ascenderit, ut tantum scelus contra decorem ecclesiasticæ honestatis, sub dissimulatione de cætero nequeat pertransiri, & multis cessantibus, opus sit exemplo, apostolicique præcepti nos urgeat autoritas in hac parte.

Nos [b] de adjutorio advocato, prout nobis in præsenti occurrit, manus huic negotio opponimus [c] adjutrices: decernentes, juxta formam generalis concilii, omnia illa beneficia curam animarum habentia, qui [d] obtinuerant, & obtinent illi de facto, qui dispensationem sedis apostolicæ super hujusmodi pluralitatē non habent, per beneficii receptionem, quod ipsi sic beneficiati ultimo receperunt, ipso jure vacare. Licet, juxta constitutionis rigorē domino [e] Othobono, sic recipiens plura beneficia, & ipso *ultimo jure: præcavere tamen volentes, ne rigorem videamur coacervare rigori, mētem etiam constitutionis tam concilii generalis, quam etiam domini Othoboni, clarius advertentes, quarum etiam neutra & præobtentis, & ultimo similiter privat, cum concilium generale sola auferat præobtenta, ultimum tamen reservat; conciliumque Othoboni, institutionem in ultimo beneficio decrevit irritam, præobtentis tamen non privat: nos misericordiam cum rigore miscentes, non tam misericorditer, quam etiam prudenter, permittimus, ut is qui plura beneficia curam animarum habentia, sine dispensatione apostolica, fuerit assecutus, ultimo sic obtento, & eodem juxta concilii generalis tenorem, de nostra speciali gratia, sit contentus, nisi forsan, ex temeritate cōtendit etiam præobtentum improprie retinere. In quo casu, nec primo, nec ultimo dignum, nec in [f] medio, immo nec aliquo, judicamus, sed potius de [g] inter vacare: quibus omnibus, quatenus ipso facto eadem detinet occupata, censemus perpetuo spoliandum. Beneficia vero quæ, per modum superius nominatum eatenus vacaverint, & Deo [h] ut ad nos, propter negligentiam prælatorum, & capitulorum, fuerit devoluta collatio, nobis seu nostræ collationi reservamus. Quæ autem per tantum tempus vacaverint, ut per consimilem negligentiam ad summum pontificem jus ea conferendi fuerit devolutum: eidem sedi, tanquam ministri sedis apostolicæ, in hac parte specialiter reservamus: decernentes exnūc irritum & inane, si quid circa eadem beneficia committendo, vel personas alias præsentando, seu alias quocunque ingenio, vel colore quæsito, per quoscunq; prælatos superiores, vel inferiores, seu per quoscunque clericos, in posterum fuerit innovatum. Ipsis quoq; ecclesiarum detentoribus earundem, per nos & fratres coepiscopos nostros, & eorundem confessores nunciamus, & volumus inposterum nunciari: quod nec ad dignitates ecclesiasticas, nisi demū purgato vitio, possunt assumi; & si de facto ad eadem ascenderint, non possunt absque periculo ministrare, nec salvari poterunt in die judicii, nec in præsenti accipere pœnitentias factas quæ non proficiant ad salutem, nisi cum renunciaverint beneficiis, quæ sic de facto detinent occupata: verum etiam, de fructibus ecclesiæ sic consumptis, ecclesiæ Dei quam graviter offenderint, quatenus poterunt, satisfaciant competenter. Cum ista beneficia taliter invadentes scienter, falcem in messem inferant alienam, cumque non intrent per ostium: non pastores, sed fures pariter existunt, & latrones; miserasq; animas impudenter decipiunt, quas nec valent utique solvere nec ligare. Et illos quoque, qui confessores talium clericorum existunt, qui eisdem in pœnitentia non injungunt, ut fructus,

ANNO CHRISTI 1279.

[z] f. potius aff.

[a] Corr. quia jam

[b] f. Dei adjutorio invocato,

[c] Corr. apponimus

[d] Corr. quæ obt.

[e] Corr. domini Othoboni,

[f] f. nec etiā medio,

[g] f. de jure

[h] f. & eorū ad nos

ANNO CHRISTI 1279.

ctus ecclesiarum taliter non perceptos, sed furtive surreptos, restituant; seu de eisdem faciant, prout* ecclesiis, quas sic de eisdem fructibus retinēdo læserint, imperitos decernimus, aut minus benignos, & callidos animarum clericorum hujusmodi deceptores: inhibentes sub pœna excommunicationis, ne ad talium absolutionem manus extendant temerarias, cum hujusmodi ecclesiasticorum beneficiorum improbi sint detentores, in scelere continuantes. Huic quoque vulneri canceroso, per quod Mo .. ... alium in futurum sententiari non potest, ferrumque, quod adhuc superest ignitum in causam mucrone anathematis tam enormis flagitii piacula resecantes; decernentes, & pro perpetua stabilitate firmantes: quicumque in posterum plura beneficia curam animarum habentia, absque sedis apostolicæ dispensatione, receperit; vel fuerit assecutus per modum institutionis, vel commendationis, seu custodiæ; vel unum titulo institutionis, aliud titulo commendationis, sive custodiæ, præter modum illum, quem constitutio Gregoriana edita in concilio Lugdunensi permittit, sit eo ipso privatus omnibus sic obtentis beneficiis, ipso facto excommunicationis sententia permaneat innodatus: a qua, non nisi per nos, vel per sedem apostolicam, absolutionis gratiam valeat promereri: ut ad beneficiorum vacantium, per hunc modum, vel per alium, pervenire notitiam valeamus.

Nos, fratres carissimi, in virtute obedientiæ firmiter injungendo mandamus, quatenus per nos, seu officiales nostros, archidiaconos, & decanos, nomina & " numerum ecclesiarum cum cognitione, agnitione ", vel prænomine, ita quod possit haberi notitia personarum, tempora ipsarum ecclesiarum factarum ipsis rectoribus, seu assignatio per modum, quandocunque, quo titulo eas obtineant, institutionis, commendationis, aut solius custodiæ, cujus ætatis sint memorati rectores, seu ecclesiarum hujusmodi detentores, in quo ordine fuerint constituti, utrum alibi, quam in una ecclesia beneficiati existant, item autem " cum eis dispensatum fuerit super pluralitate hujusmodi obtinenda, & qui sint, & in quibus modis censeantur earum ecclesiarum patroni: item cujus æstimationis sint singulæ ecclesiæ, seu valoris, juxta taxationem Norwvicensem, faciatis distincte conscribi, & scripturas hæc omnia continentes clare & distincte confectas, singuli episcopi de singulis diœcesibus suis, nobis ad civitatem London. transmittant in octavis S. Hilarii: quibus loco & die, favente Altissimo, ad ipsius laudem congregati erimus iterato. Illi autem, qui in renunciatione seu descriptione præfata, nobis, ut supra injunximus, facienda, fraudem vel dolum commiserint, vel veritatem instructioni nostræ necessariam subjiciendo ", falsitatem, quod absit, aliquam immiscendo, vel per vias alias callide quocunque " circa præfata servanda, quo minus ad nos perveniat veritas atque notitia præmissorum: pœnam falsarii merito poterunt formidare.

" Deest, habeamus, aut quid simile.
" f. agnomine,
" for. item quando cum eis
" Corr. subticendo, vel fals.
" Deest modo.

II. *De institutionibus & ecclesiarum commendis.*

Ut constitutio ista, prout lata est in constitutione Lugdunensi, quoad verba, & quoad sententiam verborum, omnino servetur: ipsa quoque " summus pontifex decernit, & nos ipsius vestigiis inhærentes, decernimus: beneficia aliter commendata a tempore concilii Lugdunensis, seu quæ diutius sub commendatione papæ sint obtenta, quam constitutio Gregoriana memoraliter permittit; ipsa quoque quæ sub specie custodiæ, quam summus pontifex nihil differre æstimat a commenda, aliter vel diutius sint obtenta, quam tenor constitutionis Gregorianæ commemorat; nec non & illa, quæ sunt collata minoribus XXII. annis, aut iis, qui infra annum post admissionem talis beneficii in presbyteros non fuerint ordinati, esse vacantia ipso jure: ipsa quoque, quorum per negligentiam prælatorum seu capitulorum, ad nos vel ad sedem apostolicam fuerit devoluta collatio, nobis & sedi apostolicæ collationem hujusmodi specialiter reservamus, decernentes irritum & inane, &c. Ut supra, in capitulo de constitutionibus, & in illa clausula, beneficia quoque, &c.

" Add. quæ

III. *De sententiis excommunicationis publice denunciandis.*

Quoniam malum, nisi cognitum, vitari non potest, plures autem sunt excommunicationum sententiæ, quibus in sanctorum patrum conciliis homines etiam probi percelluntur: ne per ignorantiam de cætero in tanti periculi foveam demergantur, præcipimus Cantuariensis provinciæ sacerdotibus universis, ut, in omni die Dominica sequenti immediate post celebrationem ruralis capituli, exponant aperte populo sibi commisso, excommunicationis sententias, quæ sequuntur.

Primo quidem excommunicantur autoritate concilii Oxoniensis, a sanctæ memoriæ Stephano Cantuariensi archiepiscopo, omnes qui malitiose ecclesias jure suo privare præsumunt; aut per malitiam, aut contra justitiam, libertates earum infringere vel perturbare intendunt. Ex quo intelligimus, vinculo excommunicationis subjacere omnes illos, qui litteras impetrant a quacunque curia laicali ad impetrandum processum ecclesiasticorum inducunt ' in causis, quæ per sacros canones ad forum ecclesiasticum pertinere noscuntur.

' Corr. eccl. judicum

Secundo, excommunicantur universi, qui scienter falsum perhibent testimonium, vel perhiberi procurant, vel qui tales testes scienter producunt vel subornant, ad impediendum justum matrimonium, vel ad exheredationem alicujus procurandam.

Tertio, excommunicantur omnes illi, qui pacem & tranquillitatem domini regis & regni injuriose perturbare præsumunt, & qui jura domini regis injuste detinere contendunt. Ex quo intelligimus excommunicari non solum guerrarum suscitantes errorem, verum etiam latrones publicos, & prædones, & quoscunque regni justitiam impugnantes.

Quarto, excommunicantur advocati omnes, qui malitiose per quascunque exceptiones verum matrimonium impediunt, ne effectum debitum sortiatur.

Quinto, excommunicantur omnes illi, qui gratia lucri, odii, vel favoris, malitiose imponunt crimen alicui, cum apud bonos & graves personas non fuerat infamatus, ut sic ei purgatio indicatur, vel alio modo gravetur.

Sexto, excommunicantur omnes, qui, vacante ecclesia, malitiose opponunt vel opponi procurant quæstionem de jure patronatus, ut verum patronum illius ecclesiæ saltem impediant illa vice.

Septimo, excommunicantur omnes illi, qui malitiose contemnunt exequi mandatum regis de excommunicatis capiendis, vel eorum impediunt captionem, seu procurant eorum injustam liberationem, contra decretum ecclesiasticæ disciplinæ.

Octavo, excommunicantur in concilio sanctæ memoriæ Othoboni, omnes illi, qui pro impedimento pacis, seu compositione litigantium, quicquid recipiunt, donec ipsum sic receptum restituerint donatori.

Nono, excommunicantur per eundem, quicunque de domibus, maneriis, vel grangiis, vel locis aliis archiepiscoporum, vel episcoporum, vel alia-rum

ANNO CHRISTI 1279.

rum personarum ecclesiasticarum, contra ipsorum A voluntate n, custodum rerum earum, aliquid auferunt vel consumunt, vel injuriose contrectant: quæ omnia sententia ligantur, nec absolvi possunt, donec de injuriis satisfecerint competenter.

Decimo, excommunicantur ab eodem, quicunque abstrahunt violenter reum, ad ecclesiam vel cœmeterium vel claustrum fugientem, vel qui ei victum necessarium prohibent exhiberi, vel qui res alienas in locis eisdem depositas violenter asportant vel asportari faciunt, vel qui asportationem talem factam nomine suo vel a familiaribus suis ratam habent, vel qui ad hoc publice vel occulte consilium præbuerint, vel consenserint.

Vndecimo, excommunicati sunt ab omnibus archiepiscopis & episcopis Angliæ omnes qui veniunt & faciunt contra novam chartam: quæ sententia, B per sedem apostolicam est pluries confirmata & approbata.

Audistis, fratres carissimi, coepiscopi nostri, articulos, in quibus, sanctorum patrum conciliis incurritur sententia excommunicationis, ipso facto. Sunt etiam articuli præter istos, in quibus episcopi, ipso facto, suspensionis vinculo innodantur per eadem concilia: quorum constitutiones, quandoque prælatos ab officio, quandoque a quibusdam episcoporum insigniis, quandoque a beneficiorum collatione suspendunt. Quæ omnia ex ipsorum conciliorum tenore colligere poteritis evidenter. In quo "....., quidam penes verentur nos, vel aliquos, tanquam temeratores constitutionum, in ipsis editarum concilio incidisse vereantur; & ne sic ligati dominia celebraverint C & officia nostra, ut prius fuerint executi verctur, & ne notam irregularitatis contractus " in hac parte. Sed si quid fuerit de præterito, hortamur vos ex parte Domini Patris omnipotentis, monemus, & in virtute obedientiæ firmiter vobis injungimus, quod de cætero conciliorum statuta supradictorum, necnon & statutorum nostrorum, in præsenti promulgationis primordio editorum, cum Dei timore, & omni diligentia observetis, & faciatis a vestris subditis observari: aliter super vos provocabitis. Nam, ut dicitur, in " canonicam merito formidare poteritis ultionem. Et ne istorum ignorantia quenquam reddere valeat excusatum, de omnibus, quæ nostra congregatione præsenti recitata sunt, publica etiam, seu ordinata D teneri volumus in futurum: ut hæc omnia, fratres & coepiscopi nostri, per vos vel archidiaconos vestros faciatis in vestris synodis publicari. Nihilo minus constitutiones domini Othoboni de baptismo, nec non etiam extracta de quatuor conciliis, in concessionis nostræ principio memoriter super diversis articulis, in quibus excommunicationis vinculum incurritur, ipso facto, jure, in singulis ecclesiis tam majoribus quam minoribus, per quatuor dies Dominicos, post celebrationem quatuor conciliorum principalium, faciatis recitari. Constitutio vero edita super concubinis in concilio Othoboni, in quatuor capitulis ruralibus, & in principalibus, exclusis tamen laïcis, publicetur. Quæ autem a nobis fuerint in præsenti ordinata, vel adjecta conciliis suprascriptis E Othoboni, immo, in duobus generalibus capitulis, singulorum auribus" inculcari. Ipsam autem chartam domini regis, super libertatibus ecclesiæ per regem concessis, bene & aperte conscriptam, in singulis ecclesiis cathedralibus, seu collegiatis, in loco publico jubemus affigi: ut omnium intrantium oculis se palam exhibeat, & in fine anni, in vigilia Paschæ & Pentecostes, renovetur: ut, sublata veteri, nova recensque bene scripta substituatur eidem.

' *for.* in quas quidem pœnas, vel omnes, vel aliquas, tanq. tem. const. in ipsis edit. conciliis, incid ver. & ne sic ligati Divina cel.

' *leg.* cōtraxerint

de l. in

'*add.* præcipimus, *vel quid simile.*

IV. *De pueris baptizandis.*

Quod in præsenti constitutione cavetur, de pueris baptizandis, usque ad generale baptismum, Paschæ & Pentecostes videlicet, reservandum ': pro ipsius statuti reverentia, quod hactenus videtur esse neglectum, sic duximus declarandum esse vel statuendum: ut pueri, per octo dies ante Pascha, & per dies totidem ante Pentecosten, de matrum uteris nati, si absque periculo reservari valeant, reserventur usque ad illa tempora baptizandi: ita quod cum medio tempore inter nativitatem puerorum, & hujusmodi baptismum, perfectum recipiant catechismum, |sola- que diebus baptismum faciant super universo faciendum. Alii autem, qui aliis temporibus nati extiterint, tum propter mortale periculum, quod sæpe pueris imminet improvisum, tum propter simplicitatem parentum, qui contra formam baptismi sint faciliter erraturi, absque offensionis nota, juxta vetustam consuetudinem, vel incontinenti cum fuerint nati, vel postea, prout placuerit ipsis parentibus, baptizentur. Quod si forte contigerit, pueros propter mortis periculum a laïcis baptizari: caveant sacerdotes, ne baptismum legitime factum audeant iterare.

' *Corr.* reservandis

Hac mendosa

V. *De concubinariis puniendis.*

Quia incontinentiæ vitium, clerum maculat, & lamentabiliter dehonestat, in scandalum plurimorum: statutum domini Othoboni contra concubinarios editum præcipimus in suo rigore inviolabiliter observari. Et ne criminis contagio, caliginem adducens " mentis vitiosæ, & ne tales per ignorantiam vel oblivionem se valeant excusare: præcipimus archidiaconis universis in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam in ipsos ferimus si sponte contra hoc fuerint negligentes, quatenus constitutionem prædictam faciant in quatuor anni principalibus capitulis ruralibus, per se vel eorum officiales, vel saltem per decanos rurales, seu gerentes vices eorundem, districte & aperte coram toto capitulo, exclusis laïcis, recitari. Quam recitationem pro monitione haberi volumus, ut libere contra omnes hujusmodi procedi valeat vitiosos: ne causari possint, cum ad executionem privationis in eos latæ sententialiter in prædicto statuto processum fuerit, se monitos non fuisse. Si quis autem dicti statuti recitationem malitiose impedierit: excommunicationi subjaceat, ipso facto. Si quis autem dicta statuta recitari neglexerit, seu decanus, seu vicem ejus gerens: omni sexta feria in pane & aqua jejunet per obedientiam, nisi infirmitas impediat, donec in sequenti capitulo ipsum fecerit recitari.

' *for.* adducat

ANNO CHRISTI 1279.

** ORDINATIONES DOMINI Ioannis Cantuariensis archiepiscopi in domibus religiosis.

Ex eadem Anglicana collectione.

Ex vet. cod. MS. in registro archiep. Cātuar. nuncupato Peckam, fol. 223.

FRater Ioannes permissione Divina Cantuariensis ecclesiæ minister humilis, totius Angliæ primas, dilectis in Christo filiabus N. abbatissæ & conventui de Godestouve salutem, gratiam, & benedictionem. Pudicitia virginum, est speciale militantis ecclesiæ ornamentum, sinceritatem repræsentans angelicam, ac regem gloriæ Dominum Iesum Christum in cordis provocat osculum & amplexum. Hunc igitur thesaurum tam incomparabilem, qui perditus recuperari non potest, quē spiritualis Dei adoptio in vestro

ANNO CHRISTI 1279.

collegio reposuit, volentes circumcingere munimine disciplinæ, & solius Dei * astringere, cujus, licet indignus, existimus paranymphus: vobis subscripta mandamus inviolabiliter observari. Frustra enim laboramus pro illibato servando vestræ lilio castitatis: nisi nostra conetur sancta æmulatio nostris" vos in cunctis coaptare.

Corr. nobis

Imprimis igitur ordinationes sanctæ memoriæ domini Roberti prædecessoris nostri, cum adjectionibus & modificationibus subjungendis, præcipimus firmiter observari: ut videlicet ecclesiasticum officium, in quo habetis sponsum alloqui, & ejus suscipere spiramina, temporibus debitis cum omni reverentia celebretis: quo tempore nulli sane a choro se liceat absentare, nisi sit obedientialiter in necessariis, non in forinsecis colloquiis, occupata. Ipsum autem officium præcise & integre præcipimus decantari: præcise, inquam, ut tam in Missis chori, quam beatæ Virginis, excludantur per annum totum supervacuæ novitates, nec novum aliquid imbi decantetur, nisi de consilio magistri & abbatissæ pariter ac cantricis; sed novis omnibus vetera præponantur. Integre etiam officium celebretur, rejecta penitus mutilatione officii monastici, quam invenerunt nuper præsidentes capituli monachorum, Abandoniæ celebrati. Puerilia autem solemnia, quæ in festo solent fieri Innocentum, post vesperas S. Ioannis tantum inchoari permittimus: & in crastino in ipsa die Innocentum totaliter terminentur.

Pro regimine insuper conventus, maturiores ac prudentiores teneatur abbatissa vocare, pro negotiis domus intrinsecis & extrinsecis salubriter disponendis. Quod si aliqua secundo vocata venire contempserit, in sequenti prandio ei pittancia subtrahatur. Quod si tertio non veniens, aurem obstringerit" imperanti: panis ei & aqua in proximo prandio tantummodo concedantur. Idem dicimus in omnibus illis, quæcunque, quandocunque inobedientes, propriæ inhæserint voluntati.

Corr. obstruxerit

Ad castitatis autem testimonium certius obtinendum: statuimus, moniales ab ambitu monasterii non exire, nisi pro necessitate quæ" personis aliis nequeat expediri: unde perendinationes, quæ consueverunt fieri in domibus amicorum, ad solatium, & subterfugium disciplinæ, præsentibus perpetuo condemnamus. Cum vero pro necessitate aliqua, aliquas exire contingent, hæc quatuor districte præcipimus observari. Primo, ut tantum" secura & matura societas, tam monialium, quam sæcularium personarum assistentium, egredi permittatur. Secundo, ut statim expedito negotio, quatenus per eas expediri poterit, domum illico revertantur; & si negotii expeditio tractatum exigat plurium dierum, post primam vel secundam diem, negotii consummatio procuratoribus relinquatur. Tertio, ut nunquam in religiosarum' ambitu, vel clericorum domibus, aut aliis suspectis habitaculis, hospitentur. Quarto, ut nulla a sociæ, vel sociarum suarum aspectibus, ubi humanum possit haberi colloquium, absentetur: sed nec aliquod audiat secretum susurrum, nisi sub testimonio monialium sociarum: nisi forte pater aut mater, frater aut soror, aliquid habeat secretius sibi loqui.

Add. a

For. cum sec. & mat. societate sec. permittantur.

Corr. religiosorum

Hoc autem ubique servari volentes, præcipue respectu Oxoniensis studii præcipimus observari. Cujus etiam rei gratia, cum veniunt ad colloquendum vobis scholares Oxonii, nolumus monialem aliquam ad confabulandum talibus accedere, nisi de licentia abbatissæ: & nisi sint notorie propinqui ad minus in tertio consanguinitatis gradu, præcipimus eis, omnium sic adventantium scholarium colloquia denegari. Nec cum eis familiaritates curetis nectere speciales, quia hujusmodi affectus, sordidos frequenter excitat cogitatus: nec in congregationibus aliquid existimamus perniciosius, quam familiaritates particulares quærere, & in partem affectum trahere, qui habet in omnes communiter ampliari.

Cum autem moniali conceditur colloquium, ex causa rationabili: semper sub duarum aliarum monialium, de quibus nulla sit sinistra suspicio, audientia & testimonio sibi permittatur: adeo ut nihil ex proposito dicat scholari, seu cuicunque sæculari, vel religioso, extra casum confessionis, vel mulieri, præter notorie propinquas, nisi sub duarum testimonio prædictarum. Si enim bona & salutaria sunt dicenda, expedit ut sciantur: si mala quis intendat suggerere, non sunt in sanctitatis vestræ auribus admittenda. Cum insuper talia sunt colloquia terminata, inhibemus de cætero, ne moniales hujusmodi pro colloquentium conductu locutorii januam exeant ullo modo, nec etiam stent exterius in atrio, ubi sæcularium est concursus: sed interius tantum in hortis, & pomeriis, quatenus requirit necessitas, & honestas patitur, si non desit omnimodo securitas, consolentur.

Adjicimus etiam, ne moniales cum quibuscunque magnatibus, aut personis sæcularibus vel religiosis, comitant" intra monasterii sui septa. Melius est enim, si volunt quicunque aliquid de sua munificentia quibuscunque monialibus erogare, ut id interius distribuatur omnium vel plurium necessitatibus in communi, quam in parte exterius, non sine religionis dedecore, quod frequenter erumpit in conviviis, expendatur. Chorum insuper vestrum, dormitorium, refectorium, claustrum, & interiores cæteras officinas, a personis sæcularibus, juxta concilium Othoboni, & religiosis etiam, vacua esse præcipimus: nisi aliquando aliud exposcat fieri necessitas manifesta. Et qui contra fecerit, indignationem omnipotentis Dei, se noverit incursurum. Religiosi autem omnes, & sæculares, ad vestrum monasterium accedentes, in communi hospitalaria comedant, vel in camera abbatissæ, & nullatenus in cameris infra claustrum. Mulieres etiam sæculares, sub specie ancillarum monialibus servientes, quantum patitur necessitas, repellantur: nec hujusmodi velentur de cætero, sine diœcesani licentia speciali.

" Corr. comedant

Obsecramus insuper, filiæ carissimæ, ut locis & temporibus statutis servetis solicite silentium disciplinæ, ad memoriam reducentes, quod teste Iacobo apostolo: Vana est religio & seducens, quæ linguam ab indebitis non refrænat. Quidam etiam sapiens dicit, quod ille veraciter est intelligens, qui linguam suam refrænat, ut sit de solo Altissimo sermo ejus.

Iac. 1.

Circa vestimenta autem monialium, S. Benedicti regula solicite observetur. Cujus rei gratia inhibemus, ne de bruneto unquam imposterum induantur, nec rugatas habeant tunicas, nec etiam birrorum immoderantia vestes sibi faciant latitudine fluctuantes: cum hoc nihilo minus solicite servantes, quod circa talia in Oxoniensi concilio dudum fuerat ordinatum.

Quia insuper verba humilia, humilitatis frequenter affectum excitant: sciatis vos monachas vel moniales dicendas esse, non dominas, sicut nec monachi possunt sine ridiculo domini appellari. Circa confessiones autem taliter duximus ordinandum: ut in loco tantum fiant publico, coram altari, exposito transeuntibus universis, nec valeat absolutio secus facta. Confessores autem sint: magister, qui pro tempore sit, si sacerdos extiterit; pariter & principalis inter capellanos, si nulla obviet suspitio; duo etiam certi fratres Prædicatores; & duo consimiliter Minores, vel plures; quatuor scilicet de illis, & quatuor de istis, si necessitas id requirit. Alii autem religiosi

ANNO CHRISTI 1279.

religiosi ab auditu confessionum nostrarum [1] penitus sint exclusi. De fratribus autem seu conversis, hæc forma imposterum teneatur: ut videlicet omnes intendant majori capellano, & tam ipse quam ipsi, obediant magistro, nec in dispositione temporalium audeant fratres sine prædicti magistri, vel saltem capellani majoris, consilio, aliquid attentare; sed eorum subjaceant monitis penitus in agendis. Quod si fratrum aliquis, eis vel alteri ipsorum contempserit obedire: si per triduum tertio monitus, inobediens perseveret, ab hac fraternitate, ablato sibi habitu, expellatur, nec restitui valeat, quantumcunque pœnitens, sine diœcesani licentia speciali. Idem dicimus de illis fratribus, qui de receptis & expensis contemnunt reddere rationem. Et quia numerus fratrum prædictorum posset esse faciliter conventui onerosus: prohibemus, ne frater aliquis de cætero novus fiat, donec per mortem, vel modum alium, numerus eorum ad quaternarium sit reductus. Et si qui contrarium facere præsumpserint: tam receptores, quam receptos, excommunicationis sententia innodamus. Postquam insuper ad quaternarium reducti fuerint, nullus ad fraternitatem illam penitus admittatur, nisi de consilio & assensu magistri domus, qui pro tempore fuerit, abbatissæ cum senioribus & prudentioribus monialibus, & majoris inter ecclesiæ capellanos. Et si secus attentatum fuerit, excommunicationi subjicimus consentientes pariter & agentes. Fratres etiam ipsi, cum sunt in ambitu abbatiæ, comedant in loco communi, ubi comedunt scilicet magister, & ecclesiæ capellani. Qui magister omnes eis speciales delicias subtrahat: nec alibi comedere sustineat, nisi pro infirmitate corporis manifesta. Quod ipsi magistro, quantum possumus, districte præcipimus: ei, si secus fecerit, pœnam anathematis comminantes. Valete in Christo, & Virgine gloriosa.

[1] Corr. vestrarum

ANNO CHRISTI 1279.

*** CONCILIUM BUDENSE

Anno Domini MCCLXXIX. a Philippo S. A. L. celebratum.

Ex Codd. MSS. Vaticano, & Vallicellano edidit Odoric. Raynaldus ad calcem tomi XIV. annalium.

TITULI CONSTITUTIONUM.

1. *De tonsura prælatorum.*
2. *De vestimentis eorumdem.*
3. *De arcendo vestium luxu ab omni clero.*
4. *Quod annulorum usus prælatis tantum sit permissus.*
5. *Ut clerici tabernas non teneant.*
6. *Ut episcopi ex religiosis ordinibus assumpti, religionis suæ habitum deferant.*
7. *Ut prælati & omnes clerici, a sævis factis, & bellicis actibus abstineant.*
8. *De vita & honestate clericorum.*
9. *Ut clerici sententiam sanguinis non dictent, &c.*
10. *Ut vicariæ non committantur laicis, vel clericis uxoratis.*
11. *Ut clerici arma non portent.*
12. *Ut non cohabitent mulieribus.*
13. *De reverentia in Divinis officiis adhibenda.*
14. *Ut qui suas diœceses visitant, eas sumptibus non gravent.*
15. *Ne quis beneficium ecclesiasticum accipiat de manu laicorum.*
16. *Ut omnes in beneficiis curam animarum habentibus personaliter deserviant.*
17. *Ut ecclesiastici a conjurationibus & conspirationibus abstineant.*
18. *Ut parochi, antequam eant ad synodum, visitent infirmos.*
19. *Ut adeant synodum omnes ad eam convocati, & quo cultu ornatuque.*
20. *Ut omnes curam animarum habentes, in presbyteros ordinentur.*
21. *Ut oleum sanctum & eucharistia sub clavi serventur.*
22. *De Divinis officiis celebrandis.*
23. *De intrusis in beneficia.*
24. *Ut ecclesiastici non agant coram judice sæculari.*
25. *Ut coram eodem, de personalibus injuriis, & eleemosynis ecclesiæ factis, non litigent.*
26. *Ne habeant in domibus suis prolem in sacro ordine susceptam: nec aleas. Sintque liberi illorum, famuli majoris ecclesiæ.*
27. *De reliquiis sanctorum.*
28. *Qui sint admittendi ad prædicandum, & de quæstoribus.*
29. *Ut res ecclesiæ pignori non obligentur.*
30. *Ut res ecclesiæ a rectoribus non donentur.*
31. *Ut nemo peregrinetur sine ordinarii licentia.*
32. *Ut nemo incognitus admittatur ad sacra peragenda.*
33. *Ut fideles Divinis officiis intersint in parochialibus ecclesiis.*
34. *Ut rationes reddantur ab iis qui bona ecclesiastica administrant.*
35. *Ut iidem mutuo non dent vel accipiant.*
36. *Ut bona ecclesiastica non alienentur.*
37. *Ut ecclesiæ non graventur indebitis exactionibus.*
38. *Ut archidiaconi juri canonico per triennium studuerint, vel studeant.*
39. *De causis matrimonialibus.*
40. *Quod irritæ sint inhibitiones, & alia, quibus impediunt prælati, ne subditi culpas suas revelent superioribus.*
41. *Ut supellex non teneatur in ecclesiis, nisi sacra.*
42. *Ut presbyteri parochiales, habeant libros ecclesiasticos.*
43. *Ut profana in cœmeteriis & ecclesiis non peragantur.*
44. *Ut vigiliæ in ecclesiis non fiant a laicis.*
45. *Ut priventur stipendiis, qui horis canonicis non intersunt.*
46. *De iis, ad quos sepeliendos exigitur una marca argenti.*
47. *Ut laici non teneant concubinas.*
48. *Ut meretrices nemo in domibus & possessionibus suis habitare permittat.*
49. *Ut bona decedentium clericorum a laicis non occupentur.*
50. *Ut alienare bona ecclesiastica non liceat.*
51. *De jure patronatus.*
52. *Adversus bonorum ecclesiasticorum invasores.*
53. *De iisdem.*
54. *Ut justitia per gratiam aut corruptelam non fiat.*
55. *Ut excommunicati, ab agendo, patrocinando, testificando, repellantur.*
56. *Ut exceptio rei judicatæ admittatur.*
57. *Ut judices sæculares compellant ad officium, eos qui sunt rebelles judicibus ecclesiasticis; & vicissim ecclesiastici, eos qui non obediunt laicis.*
58. *De potestatibus sæcularibus, quæ prohibent appellantes*

ANNO CHRISTI 1279.

pellantes sedem apostolicam.
59. *De immunitate ecclesiasticorum.*
60. *De eadem.*
61. *Ut omnes regulares eodem vestiario induantur.*
62. *De vestibus regularium.*
63. *De abstinentia regularium.*
64. *Ut regulares monasterio non exeant sine licentia.*
65. *Ut regulares non recipiant ecclesias ad firmam.*
66. *Ut religiosi non venentur, non deserviant ultra octo dies in parochialibus ecclesiis sæcularium, &c.*
67. *De vitandis excommunicatis, & servando interdicto, maxime a prælatis.*
68. *Ut vinearum & agrorum depopulatores excommunicentur.*
69. *Adversus bonorum & jurium ecclesiasticorum invasores.*

Constitutiones Hungariæ Philippi quondam legati circa reformationes prælatorum & cleri.

PRÆFATIO.

SAnctæ constitutiones editæ per venerabilem patrem dominum Philippum, Dei gratia Firmanum episcopum, in Hungaria, Polonia, Dalmatia, Croacia, Rama, Servia, Lodomeria, Gallicia, ac Cumania, apostolicæ sedis legatum, de consilio & consensu archiepiscoporum, episcoporum, electorum, atque abbatum, præpositorum, archidiaconorum, priorum, ministrorum, custodum, guardianorum, plebanorum canonicorum, rectorum, & aliarum personarum, & clericorum: nec non capitulorum, tam cathedralium, quam aliarum ecclesiarum, sæcularium & regularium, Cistercienfium, S. Benedicti, Præmonstratensium, S. Augustini, Prædicatorum, & Minorum, ac aliorum ordinum, congregatorum in concilio celebrato in castro Budensi Vesprimiensis diœcesis, per eumdem legatum ad honorem & gloriam sanctæ & individuæ Trinitatis, ad reverentiam & honorem sanctæ Romanæ ecclesiæ & beatissimi ac sanctissimi patris domini Nicolai III. & successorum ejus, ac relevationem, fulcimentum, ac defensionem fidei catholicæ, & ecclesiasticæ libertatis: necnon reformationem vitæ, morum, & actuum cleri & populi legationis prædictæ, sub annis Domini MCCLXXIX. Indictione VII. die quartadecima intrante Septembris, in quo videlicet die terminatum fuit concilium supradictum, pontificatus sanctissimi patris domini Nicolai papæ III. anno II.

CAPITULA.

I. *De tonsura prælatorum.*

QUia sicut prælati quosque sibi subditos dignitate & autoritate præcellunt, ita moribus, vita, habitu, & conversatione honestis, præcellere & præcedere debent eosdem: cum eorum vita, si sit bona, & amplius si sit mala, trahatur a subditis in exemplum: statuimus, quod ipsi prælati coronam & tonsuram patentibus omnino auribus circularem, juxta regularium seu religiosorum generalem consuetudinem approbatam, cum nulla religio pontificali religione

A sit major, de cætero deferant, ab omni excessu in capillis, & defectu notabili in corona protinus abstinentes. Sicut [a] enim servantes, in prædictis sibi subditos poterunt reformare.

[a] Sic enim

II. *De vestimentis eorumdem.*

Præterea statuimus & ordinamus, quod prælati de cætero, cum equitant, vel etiam in publico pedestres incedunt, habeant & deferant cappas rotundas, sub quibus habeant & deferant camiscias albas sive rosetas, quas semper sub cappis sive mantellis, B ante pectus vel post collum hinc inde connexis, deferant, cum in publico, hoc est extra secreta habitationis eorum ipsos contigerit ire vel stare. Prohibemus autem, ne ipsi prælati de cætero deferāt vel habeant mantellos, cum quibus hactenus equitare, & quos in propriis & alienis hospitiis non solum coram famulis suis, sed etiam coram aliis consueverunt deferre: permittimus autem, quod possint habere mantellos rotundos sive tabarda longitudinis moderatæ, eosque deferre cum capuciis separatis ab eis, tempore pluvioso, nivoso, seu pruinoso: C & cum ad exercitus, seu curiationes, aut expeditiones, ex certis & necessariis causis, a sacris canonibus minime reprobatis, eos contigerit proficisci. Insuper prohibemus, ne prælati, vel ecclesiarum cathedralium canonici deinceps sub mantellis vel cappis pro paratura varios quorumcumque colorum sive varietatum, nisi forte varietates hujusmodi essent in pellibus agninis, vulpinis, & linceis, seu zendardum rubeum, vel in aliquibus vestibus fimbrias, hoc est premidiones seu ornamenta nobilia D exterius apposita de ludria, seu bivaria, seta, aut de aliqua alia simili materia, deferant ullo modo.

III. *De arcendo vestium luxu ab omni clero.*

Prohibemus, ne prælati aut alii in dignitatibus, personatibus, seu canonicatibus ecclesiarum cathedralium, seu collegiatarum, sive in ecclesiis curam animarum habentibus, aut in sacerdotio cōstituti, manicas deferant E consutitias, nec togas sive guarnacias, seu supertunicalia, aut quæcumque alia vestimenta, desuper portent aperta sed ipsa superiora indumenta circumcirca usque ad fimbrias habeant clausa nulla collaria, nisi forte in tabardis vel mantellis ad equitandum, circumcirca omnino rotunda; vel bottones, sive fibulas aureas vel argenteas, aut aliquid auri vel argenti habens ornatum in aliquibus suis vestibus deferentes. Quod si qui contrarium fecerint, vestes hujusmodi per suos ordinarios au-

ANNO CHRISTI 1279.

ferantur in usus pauperum aut in alios pios usus convertendæ: nihilo minus qui in hoc inventi fuerint excessisse, nisi ad mandatum sui superioris se correxerint, usque ad satisfactionem a suis beneficiis sint ipso facto suspensi.

IV. *Quod annulorum usus prælatis tantum sit permissus.*

Interdicimus omnibus clericis portare annulos, nisi sint prælati, quibus licite competat ex officio dignitatis vel ex privilegio sedis apostolicæ speciali, consuetudine in hoc contraria non obstante. Quod si quis de cætero clericus annulum portans inventus fuerit, auferatur ei annulus per suum ordinarium, & non reddatur eidem: immo idem transgressor clericus etiam tantumdem ad valorem illius annuli in rebus aliis cogatur pauperibus erogare. Clericus autem qui annulum dare diœcesano, vel prædictam quantitatem solvere contemneret, ab ingressu ecclesiæ arceatur, donec annulum reddat & pœnam solvat prædictam.

V. *Vt clerici tabernas non teneant.*

Statuimus, quod nulla persona ecclesiastica in domibus sive curiis, in quibus habitant, tabernam ubi vinum minutatim vendatur, vel ubi viles, leves, seu suspectæ hospitentur aut conversentur personæ, habere, tenere, vel sustinere præsumat. Quod si quis in his excesserit, & a suo superiore monitus non emendaverit infra terminum sibi dandum, extunc usque ad emendationem condignam ab ingressu ecclesiæ excludatur.

VI. *Vt episcopi ex religiosis ordinibus assumpti, religionis suæ habitum deferant.*

Statuimus etiam, & inviolabiliter observari præcipimus, quod omnes & singuli, de aliquibus religionibus sive ordinibus ad pontificalem dignitatem assumpti, aut in posterum assumendi, illius religionis sive ordinis, de qua vel de quo assumpti fuerint, vel de cætero assumentur, habitum tam in vestibus, quam in calceamentis & quibuscumque aliis, toto tempore vitæ suæ deferre teneantur, & deferant in publico & secreto; nec habitum illum ullo tempore dimittant, aut vestes, calceamenta, vel aliqua alia deferant, in colore, forma seu materia, contraria vel dissimilia religioni sive ordini supradictis. Qui vero contra hujusmodi sanctum & regulare statutum venire præsumpserint, ingressum ecclesiæ, & executionem pontificalium sibi noverint interdicta. Per hanc tamen constitutionem non interdicimus ocreas, nec cappas rotundas, aut mantellos ante pectus vel post collum connexos, in colore & aliis, supradictis religionibus seu ordinibus congruentes.

VII. *Vt prælati & omnes clerici a sævis factis, & bellicis actibus abstineant.*

Perpetuo prohibemus edicto, ne prælati & alii clerici cujuscumque sint ordinis, dignitatis, aut status, seditionibus, præliis, spoliis, rapinis, incendiis, & aliis sævis factis se aliquatenus immiscere præsumant: nec bellicis actibus se implicent, vel involuant: nisi forte pro ecclesiarum suarum & patriæ defensione, non ad impugnandum vel propulsandum, sed ad defensionem tantum, si necessitas eos compellat: & tunc in propriis personis non pugnent.

VIII. *De vita & honestate clericorum.*

Clerici officia, vel commercia non exerceant, maxime inhonesta: mimis, histrionibus, & joculatoribus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti. Ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Comam & tonsuram patentibus auribus habeant congruentes, & in officiis ecclesiasticis & in aliis bonis studiis se exerceant diligenter. Exercentes [a] autem in talibus, a suis moneantur prælatis: & si moniti parere contempserint, ab officio & beneficio suspendantur: nec prius talis suspensio revocetur, quam ad arbitrium prælatorum pro eo fuerit satisfactum: ac sub certa pœna sufficienter caveant, quod in talibus vel similibus ulterius non excedent.

[a] Corr. excedentes

IX. *Vt clerici sententiam sanguinis non dictent, &c.*

Nullus clericus sententiã sanguinis dictet, aut proferat, aut sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, intersit: nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas; nec illam partem [a] cerugiæ exerceat, quæ ad ustionem, vel incisionem inducit: nec quisquam purgationi aquæ ferventis seu frigidæ, seu ferri candentis, ritum cujuslibet benedictionis aut consecrationis impendat: sciens, quod si ex hujusmodi mors vel membri mutilatio fuerit subsecuta, irregularitatis laqueum non evadet.

[a] chirurgiæ

X. *Vt vicariæ non committantur laicis, vel clericis uxoratis.*

Prohibemus quoque, ne archidiaconi & alii rectores ecclesiarum, laicis vel clericis uxoratis suas præsumant committere vicarias: & ad hoc dicti archidiaconi & ecclesiarum rectores per suspensionem officii & privationem beneficii, laici autem vel clerici uxorati, ne hujusmodi vicarias recipiant, per excommu-

excommunicationis sententiam a suis diœcesanis compescantur omnino.

XI. *Ut clerici arma non portent.*

Districte præcipimus, ne sacerdotes vel clerici, in quovis ordine constituti, gladium vel cultellum, quod vulgariter dicitur bord, portent, nisi eis manifesti timoris causa ingruerit: nec tunc absque licentia prælatorum portent.

XII. *Ut non cohabitent mulieribus.*

Inhibemus districtius, ut nullus clericus beneficiatus, aut in sacris ordinibus constitutus mulieres aliquas in domibus suæ habitationis retinere, vel alibi eis cohabitare præsumat: qui vero ipsas nunc tenet, nisi infra tres menses, ab ultimo die præsentis synodi in antea numerandos, eas a cohabitatione sua prorsus ejecerit, vel qui ejectas resumpserint, vel eis cohabitaverint, extunc se sciant excommunicationis sententia innodatos: a qua sententia per suum diœcesanum absolvi possint, primo de suis cohabitationibus mulieribus prædictis ejectis, ac ipsis clericis ab earum omnino cohabitationibus separatis, & sufficienti præstita cautione, quod contra constitutionem hujusmodi de cætero non venient, sed ipsam omni tempore inviolabiliter observabunt.

XIII. *De reverentia in Divinis officiis adhibenda.*

Suademus, ut quotiescumque clericos contigerit simul vel singulariter incedere ante altare, seu figuram B. Virginis, aut etiam crucifixi, & maxime cum pro Divinis officiis intrant chorum, inclinent capita sua, depositis pileis reverenter, atque instruant & inducant laicos diligenter. Volumus, quod omnes clerici, quotiescumque in Divinis officiis, Ave Maria audiverint, flexis genibus se reverenter inclinent: prohibentes ne clerici beneficiati, aut in sacris ordinibus constituti, discalciati, seu nudis pedibus, chorum intrare seu in ipso stare præsumant, dum ipsa Divina officia celebrantur. Item quod presbyteri sine cappis rotundis vel superpelliciis ad psallendum horas canonicas, maxime vesperas, matutinas, vel Missam, ecclesias ingredi, vel in eis stare non præsumant; nisi forte essent extranei viatores, aut etiam peregrini.

XIV. *Ut qui suas diœceses visitant, eas sumptibus non gravent.*

Quoniam, sicut audivimus, nonnulli ecclesiarum prælati & personæ ecclesiasticæ nostræ legationis, & maxime regni Hũgariæ, cum suas diœceses vel parochias visitant, vel ex aliis causis ad ecclesias ipsas declinant, gravibus & importabilibus fere descensibus non solum in prælatis & clericis, verum etiam in laicis reprobandis atque damnandis, ecclesias, vel parochias ipsas plerumque aggravant & molestant: nos hujusmodi descensus graves, onerosos, difficiles & importabiles fieri de cætero prohibentes, statuimus quod, cum prælatos & personas prædictas ex justis & rationabilibus causis ad ecclesias ipsas declinare contigerit, sic se honeste habeant & modeste, se suasque familias a superfluis & illicitis cohibentes, quod per immoderatos descensus hujusmodi, ecclesiæ importabiliter non graventur: in prædictis & aliis taliter se habentes, quod ipsi non quæ sua sunt, sed Jesu Christi potius, quærere videantur. Qui autem in prædictis excesserint, per superiores suos abstinere atque desistere, & de illatis gravaminibus satisfacere læsis & gravatis ecclesiis, per censuram ecclesiasticam & alia prompta remedia, sublato cujuslibet frustratoriæ appellationis obstaculo, compellantur.

XV. *Ne quis beneficium ecclesiasticum accipiat de manu laicorum.*

Prohibemus ne aliquis abbatiam, præpositurам, prioratum, plebanatum, capellaniam, vel aliquod beneficium ecclesiasticum de manu recipiat laicorum: statuentes quod archiepiscopi, episcopi, & alii, ad quos de jure, vel consuetudine, seu privilegio, abbatum vel aliorum confirmatio, institutio, vel provisio spectat, nullum confirmare vel instituere præsumant, nisi eis prius de canonica ipsorum electione, & eligentium ac electi, inter eos plene constet; veris patronis in illis ecclesiis, in quibus illius obtinent patronatum, justitia ac jure plene servatis ac salvis, quæ eis a sacris canonibus conceduntur atque servantur.

XVI. *Ut omnes in beneficiis curam animarum habentibus personaliter deserviant.*

Cum ad beneficia ecclesiastica, curam habentia animarum annexam, tales quæri debeant & admitti, qui in ipsis beneficiis velint & valeant residere, & personaliter per seipsos, & non per alios deservire: ordinamus atque præcipimus, ut omnes & singuli plebani, rectores, & capellani ecclesiarum parochialium totius legationis nobis commissæ, in ipsis deserviant per se ipsos, & non per vicarios: prohibentes, ne aliqui talium ecclesiarum rectores de cætero absque diœcesanorum consensu, quibus ecclesiæ ipsæ subsunt, aliquos instituant vicarios, vel institutos in eis teneant, vel sustineant: & qui contra fecerint, fructibus & proven-

proventibus illius ecclesiæ per annum sint A ipso jure privati: dictique fructus de mandato diœcesani episcopi in libris & ornamentis ecclesiasticis ad opus ejusdem ecclesiæ irrevocabiliter expendantur: nec antea percipiant de fructibus ecclesiarum ipsarum, quam sufficienter caverint, quod hujusmodi constitutionem inviolabiliter observabunt. Illos autem qui contra tenorem constitutionis præsentis receperint vicarias, suorum ordinariorum arbitrio relinquimus puniendos.

XVII. *Ut ecclesiastici a coniurationibus & conspirationibus abstineant.* B

Conjurationes, conspirationes, & colligationes inter personas ecclesiasticas, quocumque modo, fraude, vel ingenio, omnino de cætero fieri prohibemus; factasque, necnon juramenta, promissiones, obligationes, & alia super prædictis præstita, vel quæ de cætero super eis fieri contigerit vel præstari, aut earum occasione, penitus reprobamus, dissolvimus, atque cassamus: & eos, C qui hujusmodi promissiones, obligationes, aut etiam juramenta, sub aliquibus, etiam pecuniariis vel aliis pœnis fecerunt, aut etiam præstiterunt, protinus absolventes, ipsos decernimus, ad observationem conjurationum, conspirationum, & obligationum ipsarum, vel solutionem aliquarum pœnarum sive pecuniarum, aliquatenus non teneri: statuentes, quod qui in talibus de cætero inventi fuerint excessisse, præter excommunicationem, quam ipso facto incurrent, a suis diœcesanis aut aliis suis su- D perioribus, per privationem perpetuam aut etiam temporalem beneficiorum quæ obtinent, & alias pœnas, taliter castigentur, quod pœna ipsorum transeat aliis in exemplum. Quam constitutionem, quantum ad pœnas imponendas, ad promotiones seu mediationes prædictarum conjurationum, conspirationum, colligationum, juramentorum, promissionum, & obligationum prædictarum, extendi volumus & mandamus.

XVIII. *Ut parochi, antequam eant ad synodum, visitent infirmos.* E

Statuimus, quod cum ex deliberatione & ordinatione episcoporum, archiepiscoporum, & aliorum ordinariorum, synodus fuerit celebranda, per duos, tres, vel tot dies qui sufficere videantur, antequam se ponant in via eundi ad synodum, rectores patriarchalium [a] ecclesiarum, earumque perpetui vicarii, qui præsidentes [b] synodo faciendæ fuerint, generaliter, sive specialiter, seu singulariter evocati, diligenter inquirant, si qui sint infirmi, seu debiles in parochiis suis; eosque visitent, etiam non requisiti, & faciant circa eos quidquid necesse fuerit ad animarum salutem.

[a] Corr. parochialiũ
[b] f. præsentes

XIX. *Ut adeant synodum omnes ad eam conuocati, & quo cultu ornatuque.*

Statuimus etiam, & præcipimus, ut omnes tam regulares quam sæculares, in dignitatibus, seu personatibus constituti illius metropolitanæ, in qua provincialis, & illius diœcesis, in qua episcopalis synodus fuerint celebranda, veniant: nisi remanserint de suorum superiorum licentia speciali, de quorum ordinatione synodus fuerit facienda. Et si taliter impediti fuerint, quod ad synodum venire non possint, legitimum excusatorem clericum cum pleno mandato ad acceptandum, & recipiendum ea, quæ in synodo fuerint ordinata, transmittant. In eundo & redeundo, honeste ambulent, & honesta acquirant hospitia, & in eis circumspecte se habeant & modeste: ne vita, mores, & gestus clericorum, populo fiant in scandalum & contemptum. Qui vero ex causa ad synodum ire vel venire non possunt, eam archidiaconis, & archidiaconi suis diœcesanis, studeant nunciare. Quod si in veniendo, & denunciando rationabilem causam, negligentes, seu contemptores extiterint: ad diœcesanorum suorum arbitrium puniantur. Præterea statuimus, quod archiepiscopi, episcopi, abbates, & quilibet alii, qui ex privilegio mitris utuntur, mitrati cum superpelliciis, stolis, & cappis, seu pluvialibus; præpositi vero, priores, & alii inferiores prælati, cum superpelliciis & stolis, si diaconi saltem sint, & si velint, pluvialibus seu cappis; rectores vero, & simplices sacerdotes, cum cottis seu superpelliciis, & stolis tantum; inferioris vero status vel ordinis clerici, cum cottis synodum intrent: & in ea devote & cum reverentia usque ad finem, nisi casus necessitatis emerserit, perseverẽt. Religiosi [c] quoque, nullam prælaturam vel administrationem habentes perpetuam, permittimus in habitu suo cum stolis in synodo posse stare, etiamsi administrationem habeant.

[c] Corr. Realigiosos

XX. *Ut omnes curam animarum habentes, in presbyteros ordinentur.*

Statuimus etiam, quod omnes abbates, præpositi, priores, plebani, & alii ecclesiarum prælati & rectores, curam animarum habentium, promoti ad dignitates seu curas prædictas ante concilium Lugdunense noviter celebratum, si presbyteri non sunt, in proximis futuris quatuor temporibus successive se faciant usque ad sacerdotium ordinari, aut omnino dimittant hujusmodi dignitates & curas: & per suos diœcesanos seu superiores, sublato cujuslibet appellatio-

ANNO CHRISTI 1279.

tionis obstaculo, amoveantur a dignitatibus & curis prædictis, nisi in sacerdotes fuerint ordinati. Institutis autem sive instituendis, post concilium Lugdunense præfatum, per diœcesanos & alios superiores eorum denuncietur singulariter singulis, & universaliter universis, quod nisi infra annum a die suæ constitutionis in dignitatibus & beneficiis, curam animarum habentibus, in presbyteros fuerint ordinati, ipso jure hujusmodi beneficiis sint privati, & beneficia illa per illos, ad quos eorum ordinatio spectat, extunc de personis idoneis libere ordinentur.

XXI. *Vt oleum sanctum & eucharistia sub claui seruentur.*

Statuimus, ut per omnes ecclesias, chrisma, oleum sanctum, & eucharistia, sub fideli custodia clavibus adhibitis conserventur: ita ut non possit ad illas manus impia extendi. Si vero is, ad quem spectat custodia, ea incaute reliquerit, tribus mensibus ab officio & beneficio suspendatur: & si per ejus incuriam aliquid inde nefarium contigerit, gravius puniatur.

XXII. *De Diuinis officiis celebrandis.*

Nullus permittatur deservire altari, vel epistolam legere, nisi in superpellicio & cappa clausa. Sacerdos quoque diurnum officium pariter & nocturnum distincte & aperte, quantum Deus dederit, celebret, & devote.

XXIII. *De intrusis in beneficia.*

Quia multorum assertione comperimus, & pro certo didicimus, quod in multis ecclesiis, ac monasteriis, & ecclesiasticis beneficiis nostræ legationis, multi per sæcularem potentiam absque libero & legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, ad quas ipsarum electio, ordinatio, provisio, & institutio pertinere dignoscitur, damnabiliter sunt intrusi, ac quotidie intruduntur, contra sacrorum statuta canonum & ecclesiasticam libertatem; ex quo multa provenerunt & proveniunt quotidie detrimenta, & animarum deploranda pericula subsequuntur: statuimus, quod nullus laïcus, cujuscumque autoritatis extiterit sive status, aliquem de cætero in ecclesiis, vel monasteriis, aut ecclesiasticis beneficiis legationis prædictæ, ponere vel intrudere quacumque occasione, vel autoritate, quin potius transgressione seu temeritate, præsumat; salvo & reservato jure patronatus veri competentis patroni, prout canonica jura declarant. Decernimus autem institutiones, sive intrusiones talium, nullas esse, nullumque jus competere sic intrusis: & nisi intrusi hujusmodi, infra sex menses, ecclesias, monasteria, sive beneficia, quæ de facto, modo sunt adepti prædicto, omnino & sine difficultate dimiserint; & quicumque alii de cætero aliqua beneficia ecclesiastica per manus receperint laïcorum, & electionibus, postulationibus, provisionibus, seu institutionibus, ad minas, comminationes, terrores, sive impressiones laïcorum quorumcumque aliorum, præsumpserint consentire; extunc se sciant excommunicationis sententiæ subjacere; ipsosque per diœcesanum, & alios, quibus ecclesiæ, monasteria, & beneficia sunt subjecta prædicta, arctius compellendos ea dimittere, & satisfacere de fructibus & proventibus exinde perceptis, invocato ad talium proterviam conterendam, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis.

XXIV. *Vt ecclesiastici non agant coram judice sæculari.*

Inhibemus, ne personæ ecclesiasticæ agant, vel respondeant, sive fidejubeant, aut se astringant, vel obligent, coram judice sæculari: nisi de his, & super his, quæ ad sæculare, non ecclesiasticum forum spectant; & de quibus absque sacrorum canonum injuria & contradictione in prædictis, vel aliis, potest per ecclesiasticas personas sæculare forum adiri. Personas autem ecclesiasticas, quæ contra hujusmodi inhibitionem venire præsumpserint, & judices sæculares, qui personas præfatas coram se agere, respondere, vel fidejubere, aut se astringere, vel alia facere, quæ ad forum sæculare non pertinent, contra privilegia ordini clericali vel personis ecclesiasticis, generaliter seu specialiter ab homine vel a jure concessa, compulerint; nisi postquam de hoc exceptum fuerit coram eis, ab hujusmodi processu omnino destiterint, & revocaverint omnem processum habitum contra personas prædictas, excommunicationis sententiæ volumus subjacere: a qua per diœcesanos locorum, in quorum jurisdictione personæ hujusmodi consistunt, post satisfactionem idoneam & condignam, juxta formam ecclesiæ possint absolvi.

XXV. *Vt coram eodem, de personalibus iniuriis, & eleemosynis ecclesiæ factis, non litigent.*

Nullus sacerdos, vel aliqua persona ecclesiastica de personalibus injuriis, vel eleemosynis ecclesiæ factis, coram sæculari judice audeat litigare, nisi de licentia sui episcopi.

XXVI. *Ne habeant in domibus suis prolem in sacro ordine susceptum: nec aleas. Sint illorum liberi, famuli maioris ecclesiæ.*

Prohibemus sacerdotibus & aliis clericis in

ANNO CHRISTI 1279.

in sacris ordinibus constitutis districte, ne secum prolem habeant, quam in sacro ordine genuerunt, propter scandalum: & ne hujusmodi parochiales sacerdotes in domibus suis habeant aleas vel taxillos, districtius inhibemus. Filii autem sive filiæ prædictorum, in familia, sive famulatu, seu pro famulis majoris ecclesiæ, cui sunt immediate subjecti, redigantur, ac etiam teneantur.

XXVII. *De reliquiis Sanctorum.*

In concilio statutum est, ut amodo reliquiæ extra capsam nullatenus ostendantur, nisi in præcipuis festivitatibus, vel ad hoc ex devotione concurrentibus peregrinis, sicut quarumdam ecclesiarum laudabilis consuetudo exposcit, nec aliquo modo exponantur venales: inventas autem de novo nemo publice venerari præsumat, nisi prius autoritate Romani pontificis fuerint approbatæ. Qui vero contra fecerit, si clericus fuerit, ab officio & beneficio se noverit suspensum; si laicus, per mensem ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum.

XXVIII. *Qui sint admittendi ad prædicandum. Et de quæstoribus.*

Nullus passim recipiatur ad prædicandum, nisi fuerit authentica persona, vel alias per sedem apostolicam privilegiata, aut ad hoc per episcopum destinata. Quæstores quoque ecclesiarum tantum ea dicant populo, quæ in litteris domini Papæ vel episcopi continentur. Sacerdotes tamen loci populum sibi commissum diligenter inducant ad eleemosynas erogandas intuitu pietatis, non animo extorquendi. Nullus etiam quæstuarius pro hospitalibus vel aliis similibus locis, recipiatur ad eleemosynas quærendas sine litteris domini papæ aut legatorum ejus, vel diœcesanorum ipsorum.

XXIX. *Ut res ecclesiæ pignori non obligentur.*

Statuimus, quod ornamenta ecclesiæ non obligentur pignori, nisi pro necessitate ecclesiæ, de licentia episcopi, cum consilio parochianorum. Præterea statuimus, quod nullus prælatus, superior vel inferior, aut ecclesiarum rector, pro alio fidejubere, nec possessionem ecclesiæ suæ, vel alias res ecclesiasticas quascumque, mobiles aut immobiles vel se moventes, præsertim sacras, pro alieno facto obligare præsumat, nec etiam pro suo facto proprio, nisi evidentem in utilitatem suæ cedat ecclesiæ, & cum licentia diœcesanorum, & cum assensu capituli, sive conventus illarum ecclesiarum, sive monasteriorum, quæ habent capitulum vel conventum. Transgressores autem constitutionis hujusmodi, per suos superiores compellantur reficere omne damnum, quod monasterio & ecclesiæ ex fidejussione vel obligatione hujusmodi incurrissent.

ANNO CHRISTI 1279.

XXX. *Ut res ecclesiæ a rectoribus non donentur.*

Statuimus, & statutum etiam declaramus, quod ecclesiarum rectores de bonis mobilibus, vel juribus, seu libris, aut ornamentis, ad ecclesias ipsas spectantibus, nihil dare, concedere, vel donare possint in vita; nec de ipsis seu aliis, mobilibus vel immobilibus, aut se moventibus, acquisitis contemplatione ecclesiarum ipsarum, possint condere testamentum, nisi in casibus a jure permissis. Quod si contra factum fuerit, illud decernimus irritum & inane: præcipientes districte, quod successores eorum, qui in talibus excesserunt, prædicta bona cum autoritate diœcesanorum & etiam judicum sæcularium, si fuerit opportunum, ad jus & proprietatem ipsarum ecclesiarum efficaciter studeant revocare; ipsique prælati se favorabiles & promptos ipsis rectoribus exhibeant in prædictis. Et si quis de dictis rectoribus in revocatione hujusmodi fuerit negligens, ipsos ad id per diœcesanos prædictos compelli volumus & mandamus: archidiaconi quoque, singuli videlicet in singulis archidiaconatibus suis, tam de prædictis, quam aliis ad bonum & utilitatem ecclesiarum suorum archidiaconatuum, curam & solicitudinem habeant diligentem: & si quid super prædictis ac aliis difficultatibus emerserit, illud diœcesanis suis studeant quam citius nunciare.

XXXI. *Ut nemo clericus peregrinetur sine ordinarii licentia.*

Nullus clericus nostræ legationis, in quovis ordine constitutus, peregrinari extra regnum vel provinciam suam præsumat, absque diœcesanorum episcoporum, vel aliorum suorum ordinariorum, licentia speciali. Quod si quis contrarium fecerit, a beneficio ecclesiæ vel ecclesiarum, in qua, vel in quibus beneficiatus extitit, per unius anni spatium sit suspensus.

XXXII. *Ut nemo incognitus admittatur ad sacra peragenda.*

Decernimus, ut nemo incognitus ad ministrandum in sacris ordinibus admittatur, nisi sui ordinatoris, vel successoris ejus, litteras omni suspicione carentes ostendant, suscepti ordinis mentionem facientes expressam. Et qui contra constitutionem hujusmodi venire præsumpserint, tales ad celebrationem Divinorum admittendo vel retinendo;

nendo: post trinam admonitionem vel unam peremptorie, a Divinorum perceptione & ingressu ecclesiæ arceantur: & de hoc per diœcesanos episcopos inquisitio frequens fiat.

XXXIII. *Vt fideles Diuinis officiis intersint in parochialibus ecclesiis.*

Præcipimus, ut ecclesiarum parochiani singulis diebus Dominicis & festivis ad Divina officia, specialiter ad Missam, vadant ad suas parochiales ecclesias, ibique Divina officia, prout Deus dederit, audiant diligenter: nec ipsi parochiani, relicta sua parochiali ecclesia vel contempta, ad alias ecclesias, cujuscumque sint ordinis, religionis, aut status, sive hujusmodi ecclesiæ sint parochiales sive non, ad audienda Divina officia, & specialiter Missam, præsumant accedere, maxime diebus Dominicis & festivis, aut in alienis parochiis vel ecclesiis ad hujusmodi officia permittantur; seu ipsis per alios, quam per suos parochiales presbyteros, ministrentur ecclesiastica sacramenta, exceptis clericis religiosis transeuntibus & peregrinis, qui ad hujusmodi officia in parochiis sive ecclesiis possunt recipi alienis; & nisi forte causa devotionis majoris aliqui circa hoc a sede apostolica sint muniti privilegio, aut indulgentia speciali. Parochiani vero, contra constitutionem hujusmodi venientes, a perceptione sacramentorum; illi autem, qui contra constitutionem hujusmodi parochianos alienos receperint ad Divina, vel eis administraverint ecclesiastica sacramenta, ab executione suorum ordinum noverint se suspensos: & qui parochianis alienis taliter suspensis ecclesiastica ministrare præsumpserint sacramenta, excommunicationis sententiam ipso facto se noverint incurrisse: a qua, congrua satisfactione exhibita illi parochiali rectori, cujus parochiano ministrare præsumpsit" ecclesiastica sacramenta, per diœcesanos episcopos secundum formam ecclesiæ possint absolvi.

" præsumpserint

XXXIV. *Vt rationes reddantur ab iis qui bona ecclesiastica administrant.*

Omnes autem abbates, præpositi, priores, & alii prælationem habentes, saltem semel, de suis omnibus redditibus & expensis, & statu ecclesiarum suarum; cæteri vero administratores, camerarii, seu officiales, tam interiores quam exteriores, bis in anno duobus terminis, uno videlicet in festo S. Thomæ apostoli, altero in festo S. Gregorii, reddant in capitulo plenariam rationem, cõsuetudine quarundam ecclesiarum, ubi pluries ratio reddi solet, in suo robore duratura: in quibus si prælati & officiales prædicti, negligentes seu infideles & mendaces inventi fuerint, secundum qualitatem culpæ, per episcopum vel alium suum superiorem puniantur. Alii vero ipso facto administrationes admittant, gravius juxta arbitrium episcopi vel sui superioris ulterius puniendi.

XXXV. *Vt iidem mutuo non dent vel accipiant.*

Inhibemus abbatibus, præpositis, prioribus, plebanis, rectoribus ecclesiarum, & clericis universis, ne ipsi mutuo dent, vel accipiant, abbates, præpositi, ultra duas vel tres marchas; cæteri, unam marcham: sine notitia & consensu capituli sui, vel majoris partis, ac diœcesani episcopi assensu speciali.

XXXVI. *Vt bona ecclesiastica non alienentur.*

Prohibemus insuper, ne inferiores prælati absque episcoporum, nec ipsi absque archiepiscoporum, nec ipsi metropolitani absque sedis apostolicæ licentia speciali, aliqua de bonis immobilibus, vel juribus ad monasteria sive ecclesias suas spectantibus, nisi in casibus a jure permissis, alienare præsumant. Quod si contra fecerint, pro irrito habeatur: & alienantes, si inferiores prælati sint, a suorum ordinum; archiepiscopi & episcopi a pontificalium executione, sint ipso facto suspensi: quam suspensionem superiores ordinarii alienantium, alienatis prius ad jus & proprietatem monasteriorum seu ecclesiarum revocatis, vel alias indemnitati ipsorum monasteriorum & ecclesiarum proviso, valeant relaxare.

XXXVII. *Vt ecclesiæ non grauentur indebitis exactionibus.*

Statuimus, quod ecclesiæ parochiales, vel aliæ ecclesiæ, seu monasteria, per majores, seu minores, vel personas, seu magistros, aut capitula cathedralium ecclesiarum, vel aliarum ecclesiarum prælatos, novis, injustis, & indebitis exactionibus non graventur, nec eis novi imponantur census, aut indebitas exactiones inducant, nec veteres augeant pensiones. Qui vero inventi fuerint in talibus ecclesias molestare aut aggravare prædictas: si episcopi, per metropolitanos eorum; si inferiores personæ, per suos diœcesanos, a talibus per censuram ecclesiasticam, & alia opportuna remedia desistere compellantur.

XXXVIII. *Vt archidiaconi iuri canonico per triennium studuerint, vel studeant.*

Cum tam de jure, quam de generali consuetu-

ANNO CHRISTI 1279.

suetudine, multarum ecclesiarum archidiaconi jurisdictionem habeant causas matrimoniales & plerumque alias audiendi, examinandi, atque decidendi: statuimus atque præcipimus, quod nulli de cætero in regno Hungariæ & provincia Poloniæ in archidiaconos assumantur, nisi in jure canonico taliter sint instructi atque periti, quod causas hujusmodi secundum jura & rationabiles consuetudines locorum, in quibus hujusmodi jurisdictionem obtinent, audire, examinare, atque decidere possint; vel alias in artibus sint aut in aliis scientiis taliter informati, quod in talibus, annuente Deo, verisimiliter proficere possint: & si tales in archidiaconos assumi contigerit, teneantur ad minus triennio in canonico jure studere, dimissis in ipsis archidiaconatibus talibus vicariis, qui honeste possint supplere vices eorum. Hanc autem* ad studium, quantum ad constitutionem triennii, ad jam institutos archidiaconos extendi volumus & mandamus: nisi & instituti jam facti sint, & instituendi, post suas institutiones fiant absque vitio & culpa ipsorum adeo pauperes, debiles, vel infirmi, aut alias inhabiles ad studendum, quod studium incipere nequeant, vel perficere, aut terminare incœptum: quibus impedimentis cessantibus, teneantur incipere, & incœptum perficere studium, ut superius est expressum. Ad prædicta quoque implenda archidiaconi supradicti a suis diœcesanis, per amotionem & privationem perpetuam a suis archidiaconatibus, compellantur. Indulgemus autem archidiaconis supradictis, quod infra triennium, quo studio præfato vacabunt, archidiaconatuum & aliorum beneficiorum suorum fructus & proventus cum ea integritate percipiant, cum qua ipsos perciperent, si in dictis archidiaconatibus vel beneficiis personaliter morarentur: quotidianis distributionibus, quæ in pane & vino singulis vel certis diebus exhibentur, dumtaxat exceptis: nisi in fraudem præsentis constitutionis, redditus, qui consueverunt in pecunia percipi, ordinarentur pro distributionibus panis & vini.

*Corr. Hic autem constit quantum ad studium trien nii

XXXIX. *De causis matrimonialibus.*

Prohibemus, ne causæ matrimoniales, nisi discretis & gravibus ac honestis committantur personis, & habentibus juris canonici peritiam vel causarum experientiam in talibus opportunam. Statuimus, ut judex in causis matrimonialibus testes per seipsum, vel alium discretum & honestum jurisperitum, vel bonam experientiam causarum habentem, examinet.

A

XL. *Quod irritæ sint inhibitiones, & alia, quibus impediunt prælati, ne subditi culpas suas revelent superioribus.*

ANNO CHRISTI 1279.

Quia nonnulli prælati, sæculares & regulares, subditis suis inhibent, ne ecclesiarum sive monasteriorum suorum statum, personarum, & rerum eorumdem, superioribus suis, seu aliis per quos ad notitiam eorum perveniat, insinuent, vel exponant, eosdem subditos sub juramenti interpositione, & aliis vinculis astringentes, vel in ipsos, si secus fecerint, excommunicationis sententiam proferentes; nonnulli etiam ex eis, subditos ipsos, plerumque alios, sibi obligant, ne de cætero dicant sive deponant, denuncient aut faciant aliquid contra eos, per quod malum vel damnum aliquod incurrere possint; ex quibus frequenter venit, quod cum superiores, ecclesias & monasteria ipsa visitant, ipsorum monasteriorum seu prælatorum, aut etiam subditorum, statum scire non possunt: propter quæ multa in eis tam in capite, quam in membris, quæ correctione & reformatione indigent, remanent incorrecta: nos contra hujusmodi detestabiles & periculosas astutias providere volentes, omnia super his vincula interposita, obligationes omnes super hoc initas, sententias, & quæcumque alia hujusmodi occasione subsecuta, inita seu facta, vel quæ in posterum ferri vel fieri contigerit, penitus revocamus, relaxamus, atque cassamus, ac cassa & irrita nunciamus: decernentes subditos, & alios supradictos, a prædictis obligationibus, sententiis, atque pœnis totaliter absolutos, & ad eorum observationem aliquatenus non teneri.

B C D

XLI. *Ut supellex non teneatur in ecclesiis, nisi sacra.*

In concilio prohibetur, & nos prohibemus inviolabiliter observari, ne supellectilia sacerdotis propria, seu alia, in ecclesiis reponantur, aut etiam teneantur, nisi propter hostiles incursus, aut incendia repentina, ad eas oporteat habere refugium: sic tamen, ut necessitate cessante, extra ecclesiam portentur.

E

XLII. *Ut presbyteri parochiales, habeant libros ecclesiasticos.*

Librum, qui dicitur manuale, habeant singuli presbyteri parochiales, ubi contineatur ordo baptismi, extremæ unctionis, & hujusmodi; necnon libros alios, in quibus possint tam diurnum quam nocturnum officium celebrare.

ANNO CHRISTI 1279.

XLIII. *Vt profana in cœmeteriis & ecclesiis non peragantur.*

Præcipimus sacerdotibus, ut Divino officio celebrato, & populo regresso ad propria, ecclesias suas firmare debeant diligenter. Prohibeant etiam sacerdotes sub pœna excommunicationis choreas in cœmeteriis vel in ecclesiis duci: quia, ut ait Augustinus, melius est festivis diebus fodere vel arare, quam choreas ducere. Sub anathematis interminatione prohibemus, ne quis civiles causas in ecclesiis vel cœmeteriis agitare præsumat. Nullus etiam de novo ædificare in cœmeterio permittatur: nec fimus, vel immunditiæ aliæ in cœmeteriis adunentur. Talia facientes, quousque satisfecerint, ad voluntatem rectoris, ab ingressu ecclesiæ illius arceantur.

XLIV. *Vt vigiliæ in ecclesiis non fiant a laïcis.*

Præcipimus, quod ecclesiarum rectores in suis ecclesiis vigilias fieri a laicis non permittant, cum ex hoc scandala proveniant, & peccata: nisi forsan in illis ecclesiis, in quibus ex devotione fidelium vigiliæ tales consueverunt fieri ab antiquo.

XLV. *Vt priuentur stipendiis qui horis canonicis non intersunt.*

Ad dilatandum in Divinis officiis ecclesiæ decus, præsenti constitutione duximus statuendum, quod præpositi, canonici, plebani, & alii ecclesiarum rectores, & clerici universi, in præposituris, canonicis, & plebanatibus, rectoriis, & aliis ecclesiis, in quibus beneficiati existunt, vel a quibus ecclesiastica recipiunt stipendia, residentiam facientes, horis canonicis, ad minus matutinis, Missæ, vel vesperis intersint: cum eis ad hoc sint ecclesiastica beneficia deputata, ut de ipsis honeste debeant vivere, ac Deo & dictis ecclesiis in ipsis Divinis officiis cum reverentia deservire. Quod si quis eorum in prædictis" pareat negligens vel remissus, & per diœcesanum, vel capitulum, vel alium superiorem admonitus nō emendaverit; sed hujusmodi negligentiam, ne dicamus contemptum, non videatur emendationi, sed consuetudini potius deputare: quotidianis distributionibus illius diei, quo absque rationabili causa abfuit a Divinis in aliqua de tribus horis prædictis, ipso sit facto privatus per diœcesanum vel alium superiorē suum: si hujusmodi negligētiam vel contemptum non studuit emendare, officia continuando prædicta, gravius puniendus. Et ut hujusmodi constitutio melius observetur, deputentur aliqui a singulis capitulis cathedralium, & collegiatarum ecclesiarum, qui absentias & negligentias talium notent & scribant. Parochialium vero sacerdotum & aliorum

" *f. appareat*

A clericorum negligentiæ & offensæ in talibus & aliis, quæ a cura & solicitudine pendent eorum, per archidiaconos, præpositos, aut alios, & demum per episcopos quibus subsunt, corrigantur & salubriter emendentur.

XLVI. *De iis, ad quos sepeliendos exigitur una marcha argenti.*

Præsenti quoque constitutione declaramus atque decernimus, quod consuetudo, secundum quam archidiaconi Hungariæ, pro occisis gladio, sive fuste, vel alio armorum genere, seu veneno, aut quocumque B alio damnabili & reprobato modo, consueverunt recipere unam marcham argenti antequam sic occisi tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, ad eos qui fulmine percussi, fluminibus suffocati, exusti incendio, arboribus oppressi aut de equo cadentes, vel aliis similibus, sive fortuitis casibus, diem clauserunt extremum, seu interiisse noscuntur, nullatenus extendantur; nec ab eorum heredibus, propinquis, sive amicis, marcha hujusmodi exigatur: sed sic defuncti, dummodo pœnitentes decesserint, vel in morte pœnitentiæ C signa apparuerint manifesta, sicut alii Christiani ecclesiasticæ sepulturæ tradantur: archidiaconi vero per suos ordinarios ab hujusmodi exactione indebita arceantur.

XLVII. *Vt laici non teneant concubinas.*

Prohibeant etiam sacerdotes, ne laïci publice teneant concubinas: & qui post admonitionem tenuerit, tam ipse quam ipsa, ab ingressu ecclesiæ arceantur. Et si per hoc se non emendaverint, per suos diœcesanos fortius compellantur.

D XLVIII. *Vt meretrices nemo in domibus & possessionibus suis habitare permittat.*

Cum ex vicinitate turpium mulierum, & maxime meretricum publicarum, quæ corpora sua pro vili pretio vel mercede venalia indifferenter exponunt, multis plerumque peccandi occasio ministretur, ut de multis aliis spiritualibus & temporalibus, quæ sæpissime ex earum vicinitate damnabili consueverunt contingere; periculis taceatur, E religio Christiana ac multorum bonorum honestas enormiter infametur: statuimus, quod nulla persona ecclesiastica aut etiam sæcularis, universitas, collegium, vel conventus, hujusmodi infames & abominandas personas in aliqua civitate, castro, vel villa, in domibus seu possessionibus suis habitare permittat, nec eis vel aliquibus aliis ipsarum nomine, vel pro ipsis, aut infamatis de lenociniis, favore, commercio, aut conversatione, sive protectione talium mulierum, domos ipsas, vel posses-

sionem

ANNO CHRISTI 1279.

sionem suam eis concedere, locare, vendere, vel donare quocumq; modo vel fraude præsumat. Quod si quisquã contra hu usmodi constitutionem venire præsumpserit, tamdiu per ordinarios locorum & presbyteros parochiarum, in quibus violatores constitutionis hujus deguerint, ab ecclesiæ arceantur ingressu, & a perceptione sacramentorũ habeatur suspensi, donec ipsis turpibus personis de dictis domibus & possessionibus prorsus ejectis, & præstita sufficienti cautione, quod ulterius in talibus non excedent; & ad mandatum ordinariorum, sive superiorum, vel presbyterorum parochialium suorum tantum de bonis suis in pios usus expendant, quantum pro hujusmodi locatione, venditione, seu concessione perceperint, aut percepturi fuerunt occasione prædicta. Personæ autem ecclesiasticæ, si in prædictis excesserint, præter prædictas pœnas, per ordinarios sive superiores suos gravius puniantur. Hanc autem constitutionem ad publicos adulteros, & incestuosas, & ad publicas adulteras & incestuosos, quos & quas excommunicationis sententiæ decernimus subjacere, extendi volumus & mandamus.

XLIX. *Vt bona decedentium clericorum a laicis non occupentur.*

Statuimus, quod ad bona decedentium episcoporum seu episcopatuum, & aliorum inferiorum prælatorum, sęcularium seu religiosorum, monasteriorum, vel aliarum ecclesiarum vacantium, nullus laïcus, quantæcumque & cujuscumque sit altitudinis, existentiæ, conditionis, vel status, manus suas extendi faciat vel permittat, bona hujusmodi auferendo, aut etiam occupando, occasione juris patronatus, vel alio quocumq; prætextu. Quod si quis laïcorum contra constitutionem hujusmodi venire præsumpserit: ingressum ecclesiæ, & perceptionẽ seu participationem sacramentorum, usque ad satisfactionem omnium occupatorum, subtractorum, ac etiam ablatorum, sibi noverit interdicta: salvis aliis prædictis, & in aliis constitutionibus nostris expressis.

L. *Vt alienare bona ecclesiastica non liceat.*

Statuimus, quod nulla persona ecclesiastica aut etiam sæcularis, cujuscumque sit existentiæ, ordinis, dignitatis, vel status, vel sub prætextu juris patronatus, quod se habere dicat, contendat vel asserat, aut in veritate habeat, in aliquibus monasteriis vel ecclesiis nostræ legationis, seu alio quocumque prætextu vel modo, monasteria vel ecclesias prædicta, in quibus jura hujusmodi se habere contendunt, aut aliquid de bonis vel iuribus, ad ipsas ecclesias vel monasteria spectantibus, per se vel alios occupare, vendere, donare, permutare, locare, aut alio modo quocumque alienare, seu bona ipsa aut fructus aliquos in perpetuum vel ad tempus, aut alias in feudum sive in pignus dare, cõcedere, vel recipere, aut aliquid aliud circa dispositionem & ordinationem ecclesiarum & monasteriorum prædictorum, seu bonorum, mobilium vel immobilium, aut se moventiũ, jurium eorumdem, propria autoritate attentare præsumant: veris patronis ecclesiarum & monasteriorum legationis præfatæ, in quibus ecclesiis & monasteriis jus obtinent patronatus jure competenti, occasione hujusmodi patronatus, servato in tantum, in quantũ in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt. Transgressores autem constitutionis hujus, postquam a diœcesano & aliis superioribus illarum ecclesiarum, in quibus prædicta, vel prædictorum aliqua attentarint, per caritatem admoniti fuerint, nisi infra terminum ab ipsis diœcesanis, vel per alios dictarum ecclesiarum superiores statuendum eisdem, ab ipsarum ecclesiarum, vel monasteriorum, seu bonorum, ac jurium eorumdem super prædictis molestatione & perturbatione destiterint, & ad ipsorum diœcesanorum, seu aliorum superiorum arbitrium satisfecerint de damnis & injuriis irrogatis, occasione prædicta, monasteriis & ecclesiis præfatis; extunc se sciant excommunicationis sententiæ subjacere: a qua, juxta tamen formam ecclesiæ, per diœcesanum, satisfactione præmissa & sufficienti cautione quod ulterius in talibus vel similibus non excedant, possint absolvi * præfatos.

LI. *De iure patronatus.*

Præsenti quoque declaramus statuto atque præcipimus, quod quæcumque persona sæcularis, cujuscumque sit existentiæ, dignitatis, aut status, quantumcumque liberaliter & absolute cõcedat, donec * tradat, seu tradidisse intenderit vel intendat, voluerit vel velit, monasteria seu ecclesias, in quibus jus tantum obtinet patronatus, monasteriis vel aliis ecclesiis sæcularibus: illud faciat & facere debeat de illorum diœcesanorum seu prælatorum licentia seu assensu, in quorum diœcesi vel jurisdictione ecclesiæ vel monasteria ipsa consistunt. Et tam prædictæ, quam aliæ personæ, regulares aut sæculares, cujuscumque ordinis, dignitatis, religionis, vel status, quantumcumque liberaliter & absolute concesserint, donaverint, vel tradiderint, aut concedant, donent, vel tradant, seu concessisse, donasse, tradidisse, intenderint vel intendant, ecclesias, in quibus jus tantũ obtinẽt patronatus, locis vel personis prædictis, nihil aliud intelligatur seu prę sumatur conferre aut etiam contulisse; nec personæ, aut loca prædicta aliud ex collatione hujusmodi recipere vel acquirere quã in eisdem ecclesiis seu monasteriis conferentibus

* Corr. donet

ANNO CHRISTI 1279.

ANNO CHRISTI 1279.

bus competens patronatus: statuentes & expressius prohibentes, ne aliquæ personæ ecclesiasticæ, aut etiam sæculares, quibus de monasteriis, vel ecclesiis hujusmodi sunt donationes, concessiones, vel collationes factæ, vel in posterum fient, aliquid, nisi quantum patronis canonica jura concedunt, exigere, vel extorquere, aut capere motu proprio, vel accipere de bonis mobilibus, vel immobilibus, aut se moventibus, vel de juribus monasteriorum, aut ecclesiarum ipsarum; nec in eis statuere aliquas prælaturas, seu etiam rectorias, nec removere sive supprimere, vel etiam revocare statuta, nec de ipsis monasteriis, vel ecclesiis, aut temporalibus, seu spiritualibus, vel juribus eorumdem, nisi quantum ad defensionem pertineat, ad quam patroni tenentur, disponere; aut etiam se intromittere, vel aliquos in ipsis monasteriis aut ecclesiis instituere, vel destituere, hujusmodi juris patronatus prætextu, quocumque invento colore, præsumant. Decernimus autem irritum & inane quidquid a præfatis personis circa monasteria & ecclesias, & alia omnia & singula supradicta, contra tenorem præsentis constitutionis temere contingeret attentari. Per hanc autē declarationem & constitutionem, nullum veris patronis super his, quæ sibi competunt, id est, juris patronatus, præjudicium generetur. Si qui vero, quacumque præsumptione contra constitutionem hujusmodi venientes, monasteria vel ecclesias in prædictis vel prædictorum aliquo molestare, seu perturbare [*], aut de ipsis monasteriis, vel ecclesiis, seu bonis, & juribus eorum, se intromiserint quoquo modo: ingressu ecclesiæ & perceptione sacramentorum ecclesiasticorum se noverint interdictos, donec satisfactione præmissa, a perturbatione, & molestatione, & aliis supradictis destiterint, & per diœcesanum illarum ecclesiarum seu monasteriorum, quæ hujusmodi occasione læserant, ad ecclesiæ ingressum & sacramentorum perceptionem fuerint restituti [**] ecclesiastica ministraverint sacramenta, per sex menses a collatione sacramentorum noverint se suspensos.

[*] *add.* præsumpserint,

[**] *f.* qui autē iis eccl. min. sacr.

LII. *Adversus bonorum ecclesiasticorū invasores.*

Cum multorum assertione didicerimus, pestem quādam in regno Hungariæ, & aliis terris nostræ legationis, contra clerum & ecclesiasticam libertatem invaluisse jamdudū; videlicet, quod laici ecclesias, monasteria, earumque possessiones & jura, juris patronatus, seu alio quocumque prætextu, non absque damnabili & manifesta sacrilegii nota, quasi indifferenter occuparunt hactenus, & quotidie occupant, & damnabiliter detinent occupata, quarum aliquæ sunt deputatæ habitationi & usibus laicorum, aliæ vero usibus jumentorum & aliorum animalium, altaribus & aliis ad cultum Divinum ibi statutis pia devotione fidelium & autoritate pontificum, destructis & totaliter deformatis: nos contra hujusmodi pestem, quam pati nullo modo possumus nec debemus, omnino intendentes de salubri remedio providere: omnes & singulos ecclesiarum & monasteriorum bonorum ac hujusmodi detentores, ex parte Dei omnipotentis, & sub obtestatione Divini judicii, admonemus, quatenus ecclesias, monasteria, earumque possessiones & jura, quæ taliter occuparunt seu detinent occupata in regno & terris prædictis, diœcesanis episcopis, vel aliis ordinariis, aut aliis ecclesiasticis personis, ad quas prædicta spectare noscuntur, infra sex menses a die publicationis præsentis constitutionis computandos, cum fructibus exinde perceptis reddere & restituere non postponant. Alioquin præfatos detentores, quos excommunicationis sententiæ decernimus subjacere, ad requisitionem illorum ordinariorum, in quorū diœcesi, vel jurisdictione, aut ecclesiis, vel earum bonis, & juribus, prædicta sunt commissa, vel de cætero committētur, ab omnibus prælatis regni Hungariæ, quantum ad Hungaros, & ab illis de Polonia, quantum ad Polonos, usque ad restitutionem & satisfactionem condignam excommunicatos publice præcipimus nunciari, pulsatis campanis & candelis accensis, diebus Dominicis & festivis: cōtra quos si opus fuerit, invocetur auxiliū brachii sæcularis.

LIII. *De iisdem.*

Cum ecclesiæ & monasteria, secundū traditiones evangelicas, apostolicas, atque canonicas, sint & esse debeant domus orationum, non speluncæ latronum, vel munimenta prædonum: dolentes referimus, quod quidam, & non pauci, in regno Hungariæ, & terris nostræ legationi subjectis, multa monasteria multasque ecclesiasticas possessiones, & jura ad ipsas spectātia occupasse, pleraque ex eis incastellasse dicuntur; & cum [***] ipsis & ecclesiis, & monasteriis, ad laudem Dei continua debeantur ecclesiastica officia celebrari, & pro animabus, tam defunctorum quam vivorū devote preces & orationes deferri, in ipsis tyranni raptores habitant & prædones, rapinæ spoliaque reconduntur & prædæ; & quod valde horrendum est, loca ipsa Deo dedicata & sanctificata, frequēter humano sanguine & semine polluuntur. Cum autē ea, quæ sunt juris Divini, nullo modo debeant ad humanos usus converti, maxime tam detestabiles & profanos: nos nulla ratione volentes tantam iniquitatem & perversitatem conniventibus oculis pertransire, omnes & singulos cujuscumque existentiæ, nobilitatis, status, aut cōditionis,

[***] *add.* in

ANNO CHRISTI 1279.

qui ecclesias, monasteria, aut bona vel jura ipsorum, occupare, incastellare, vel violenter invadere præsumpserunt, aut invasa seu occupata detinent, aut de cætero invadere seu etiam incastellare & occupare propria temeritate præsumpserint (nisi infra terminum seu terminos omnibus communiter & singulis singulariter ab illis prælatis, in quorum diœcesi & jurisdictione, ecclesiæ, monasteria, bona, & jura consistunt præfata, peremptorie statuendos, monasteria, ecclesias, possessiones & jura illis personis ecclesiasticis, ad quos pertinent supradicta, libere & absque difficultate reddiderint & restituerint, & de fructibus, proventibus, atque damnis, ad mandatum prælatorum ipsorum satisfecerint competenter, caverintque sub certis pœnis, quod ulterius in talibus non excedent) anathematis vinculo decernimus & volumus esse ligatos: a quo absolvi non possint, nisi prædicta restituerint, & ad mandatum ipsorum prælatorum plene satisfecerint, ut superius est expressum.

LIV. *Ut justitia per gratiam aut corruptelam non fiat.*

Statuimus, quod nullus judex ordinarius, vel etiam delegatus, faciat, vel etiam se facturum promittat, justitiam alicui per gratiam seu receptam pecuniam vel promissam, aut per alias sordes, prætextu alicujus odii, temporalis emolumenti, favoris, seu lucri: & qui contra fecerit, per annum officium judicandi sibi noverit interdictum; ad eliminationem litis parti, quam læserit, nihilo minus condemnandus, prout in constitutione felicis recordationis D. Innocentii Papæ IV. de re judicata, edita in concilio Lugdunensi, cavetur.

LV. *Ut excommunicati, ab agendo, patrocinando, testificando, repellantur.*

Statuimus, quod judices ordinarii, aut etiam delegati, omnes illos, quos per denunciationem, vel alio legitimo modo, excommunicatos sciverint esse ab homine vel a jure, ab agendo, patrocinando, vel testificando, in suo foro vel curiis, aut judiciis, ex officio suo repellant. Iudices autem, qui exceptionem excommunicationis contra agentes, advocantes, vel testificantes objectam, non admiserint, sed ea non obstante tales admiserint ad prædicta, per mensem unum judicandi officium sibi noverint interdictum: & processus cum talibus excommunicatis habitus, sit irritus ipso facto, nec per processus hujusmodi judicium* excipienti excommunicationem, sive ipsam exceptionem habuerint, sive non, ex quo per eum composita fuit hujusmodi exceptio, & non fuit admissa, aliquod præjudicium generetur.

* Corr. judicum

LVI. *Ut exceptio rei judicatæ admittatur.*

Statuimus, quod judices sæculares exceptionem rei judicatæ per ecclesiasticum judicem, de qua quidem re cognitio ad ipsum ecclesiasticum judicem de consuetudine vel de jure pertinet, & viam ipsi propositam admittere non omittant. Item e contra ecclesiastici judices, cum de re judicata per sæcularem judicem, de his quæ ad ejus jurisdictionem spectare noscuntur, ex eis coram eis exceptionem hujusmodi, prout de jure tenentur, admittant. Quod si dicti judices exceptiones hujusmodi forte admittere recusarent, per ordinarios, de quorum jurisdictione fuerint bona, de quibus, vel personæ, contra quas, fuerit judicatum, ad recipiendam & ad admittendam exceptionem hujusmodi per opportuna remedia compellantur: cum quos Dei timor de malo non revocat, pœna coercere debeat temporalis.

LVII. *Ut judices sæculares compellant ad officiũ, eos qui sunt rebelles judicibus ecclesiasticis; & vicissim ecclesiastici, eos qui non obediunt laicis.*

Statuimus, quod universi & singuli nostræ legationis, cujuscumque sint existentiæ, dignitatis, aut status, temporalem jurisdictionem habentes, ad requisitionem prælatorum seu judicum ecclesiasticorum, cõtra rebelles & inobedientes eis, vel eorum sententias contemnentes, seu non parentes alias rei judicatæ ab eis, de his & super his, quæ principaliter vel incidenter, de consuetudine vel de jure, ad forum, jurisdictionem, seu cognitionem ipsorum spectare noscuntur, reverenter brachium suæ jurisdictionis impendant; rebelles & inobedientes, atque non parentes hujusmodi, ac excommunicatos quosque ab ipsis prælatis, seu ecclesiasticis judicibus, seu alias ab homine vel a jure, redire ad ecclesiæ unitatem, ac satisfacere pro causis, pro quibus excommunicationes hujusmodi incurrerunt, per occupationem bonorum, quæ sub sua jurisdictione sunt, & alia opportuna remedia, compellendo: ad quod præfati judices per censuram ecclesiasticam compellantur. Ipsi vero prælati & ecclesiastici judices versa vice, laïcorum judicium sua jurisdictione, in his & super his, quæ canonicis non obvient institutis, quoad vivent, & contra inobedientes, & rebelles illorum, ac ipsorum sæcularium judicum justis sententiis non parentes, gladium suæ potestatis & autoritatis, ecclesiasticam scilicet censuram, impendant, cum ab ipsis sæcularibus judicibus super hoc fuerint requisiti.

LVIII. *De potestatibus sæcularibus, quæ prohibent appellantes sedem apostolicam.*

Statuimus, quod omnes causæ ad forum eccle-

ANNO CHRISTI 1279.

ecclesiasticum pertinentes, coram ordinariis vel ecclesiasticis judicibus, juxta sacras & legitimas sanctiones, agitari, tractari, vel ventilari debeant, & per eos libere & absq; impedimento ullo vel obstaculo terminari. Et si quando super hujusmodi causis apostolicam sedem ac alios superiores, ad quos appellare jura permittunt, appellari contigerit: tam appellantes, quam appellati, ad præfatam sedem, seu ad superiores prædictos accedere, super appellationum prosecutionibus, libere & absque inhibitione aliqua permittantur. Si vero rex, seu regina, vel quicumque alii de regno prædicto, postquam coram ipsis de hoc protestatum fuerit vel exceptum, contra constitutionem hujusmodi venerint, de causis hujusmodi cognoscendo, vel appellantes ad sedem apostolicam seu superiores præfatorum, a prosecutione appellationum ipsarum quomodolibet prohibendo, seu alias contra constitutionem hujusmodi exercendo, ab hujusmodi prohibitione, impedimento, seu cognitione omnino non destiterint: regi seu reginæ præfatis in prædictis excedentibus, tamdiu ecclesiæ sit interdictus ingressus, quousque omnem processum per eos habitum, in causis prædictis (quem cassum & irritum nunciamus) omnesque prohibitiones & gravamina revocaverint cum effectu. Alii vero duces, barones, & alii inferiores judices, contra constitutionem excedentes præsentem, nisi infra triduum postquam coram eis ut supra denunciatum, protestatum fuerit, vel exceptum, prohibitiones, impedimenta, gravamina, ac processus super hujusmodi revocaverint cum effectu, ac procedendo in causis hujusmodi destiterint: ipso facto excommunicationis sententiæ se noverint subjacere, a qua, congrua satisfactione præmissa, ab episcopis, in quorum diœcesi personæ vel res, super quibus vel contra quos processerint, juxta formam ecclesiæ possint absolvi.

LIX. *De immunitate ecclesiasticorum.*

Cum regum, principum, baronum, & aliorum catholicorum fidelium, proprium & peculiare ab antiquo fuisse noscatur, ecclesias, monasteria, locaque sacra Deo ædificare; destructas vero, sive concisas, aut in se sive in ministris, vel in facultatibus, juribus, privilegiis, vel immunitatibus suis diminuta sive oppressa relevare, reficere, defendere, ac etiam restaurare, prout per facti evidentiã, videlicet per ædificationem, refectionem, & reparationem ecclesiarum & monasteriorum multis & latis possessionibus, ædificiis, juribus, privilegiis, prærogativis & immunitatibus dotatorum, antiquitas ipsa omni digna veneratione & imitatione testatur: multum profecto ab antiquorum & majorum suorum videntur vestigiis deviare, qui ecclesias ipsas, vel earum bona, seu jura, destruunt, scindunt, occupant, vel invadunt, seu earum privilegia & immunitates imminuunt, & infringunt, aut qui talibus tacite vel expresse consentiunt, seu qui talia[a] in his similia contra Deum ejusque ecclesiam atque ministros impie committentes, per assumptæ potestatis vel jurisdictionis officium non compescunt, & ab ipsis desistere per remedia opportuna non cogunt. Declaramus igitur atque decernimus, ecclesias, & ecclesiasticas personas ab omnibus angariis & parangariis, exactionibus & collectis, & aliis superinductionibus, oneribus, & muneribus sordidis laicorum; necnon a præstationibus tributorum, pedagiorum, seu vectigalium pro ecclesiasticis personis, evectionibus, & rebus ipsorum, qui non causa mercimonii sive negotiationis, sed pro suis & ecclesiarum suarum necessitatibus per terram sive per aquam ducunt seu transeunt, omnino immunes & exemptas esse juxta canonicas & legitimas sanctiones, nec per aliquos, cujuscumque altitudinis, jurisdictionis, seu etiam potestatis, ad talium præstationem posse vel debere compelli.

[a] Corr. talia vel his simil.

LX. *De eadem.*

Et quia in regno Hungariæ, & aliis terris nostræ legationis, ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ a multis, & in multis, & variis, super prædictis & aliis similibus, indebite & contra justitiam aggravantur in periculum animarum illorum, qui talia agunt, & ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum non modicum detrimentum, & derogationem ecclesiasticæ libertatis: nos autem animarũ saluti, & ecclesiarum ac personarum ecclesiasticarum immunitati super hoc providere volentes, districtius prohibemus, ne de cætero ecclesiis & ecclesiasticis personis talia imponantur, aut exigantur, seu extorqueantur ab eis, vel ipsæ ecclesiæ aut personæ super talibus præstationibus quomodolibet molestentur. Quod si contra prohibitionem hujusmodi, quisquam ab ecclesiis vel personis prædictis aliquid occasione prædicta extorquere præsumpserit vel auferre, seu super prædictis, vel eorum aliquo, ecclesias vel personas aggravare prædictas: nisi intra triduum omnia restituerit, quæ ab hujusmodi personis occasione prædicta extorsit, ingressum ecclesiæ & perceptionem sacramentorũ sibi noverit interdictos: quod interdictum, satisfactione præmissa, per diœcesanum valeat revocari.

LXI. *Ut omnes regulares eodẽ vestiario induantur.*

Et quia inhonestum extitit, quod canonici regulares, vel monachi, diversis vestibus vestiantur, cum ex hoc proveniat invidia, mur-

ANNO CHRISTI 1279.

murmur, & scandalũ inter ipsos: statuimus, quod omnes in eodem monasterio, vel regulari canonica, & sub eadem professione morantes, indifferenter uno & eodem vestiario induantur: prohibentes expresse, ne quis eorum vestes aliquas alicujus coloris, nisi tantummodo albi, vel nigri, seu grisei habere præsumat, in quibus brunetam nigram, gazzatum, & alium quemcumque pannum notabiliter delicatum, interdicimus universis. Vestes non habeant brevitate vel longitudine deformatas. Qui vero in prædictis excesserint, per suos diœcesanos, vel superiores alios, castigentur: salva distinctione ac discretione diversorum ordinum, servata inter monachos, sive canonicos, & conversos.

LXII. *De vestibus regularium.*

Quia, sicut audivimus, quidam monachi & canonici regulares, sicut laïci & clerici sæculares consueverunt incedere in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum: præcipimus, ut canonici regulares sine superpelliceis vel tunicis lineis, seu cappis clausis; monachi vero, sine cappis, aut cucullis, seu scapularibus, extra domos suas de cætero non incedant, nec etiam intra domum. Si vero contra facere præsumpserint: administrationem habens, eam ipso facto amittat; & monachus, sive canonicus regularis, per abbatem, priorem, vel præpositum puniatur: & si negligens fuerit, per episcopum suppleatur.

LXIII. *De abstinentia regularium.*

Statuimus, ut a die quatuor Coronatorum usque ad diem natalis Domini, á sanguine & carnibus omnes monachi, cujuscumque ordinis (præterquam infirmi, debiles, & delicati, cum quibus abbates discretione prævia poterunt dispensare) abstineant, omnibus diebus, exceptis Dominicis, jejunantes. Poterit tamen abbas ex causa cum aliquibus, ut aliquando bis comedant, dispensare: nec comedant ter in die nisi pueri, infirmi, vel qui in refectorio leget: nec comedant extra domos suas in parochiis suis, nisi quando procuratio ab aliquibus debetur eisdem. A septuagesima usque ad pascha, quantum ad esum carnium & esum sanguinis, idem præcipimus firmiter observari: canonicos autem regulares suam regulam regulariter præcipimus observare. Præcipimus etiam, quod nullus canonicus regularis diebus Lunæ & Mercurii carnes in refectorio comedat, nisi festum novem fuerit lectionum. Silentium autem in claustro, refectorio, & dormitorio, firmiter præcipimus observari horis debitis & statutis, in loco, ubi ad minus tres monachi aut regulares canonici commorantur: ita scilicet, quod aliquis loqui non audeat, nisi voce adeo submissa, quod tertius ab ipso audire non possit.

LXIV. *Ut regulares monasterio non exeant sine licentia.*

Quoniam, sicut audivimus, quidam monachi & canonici regulares aliquorum monasteriorum, consueverunt extra septa sui monasterii, tam patenter quam latenter, tam turpiter quam damnabiliter, per terram sæpius evagari: statuimus, ut nullus, excepto capellano, & illis quibus ex necessitate administratio competit, septa monasterii sui exire audeat, nisi prius ab abbate vel priore, seu præposito; & si abbas vel prior, seu præpositus præsentes non fuerint, ab eorum vicariis vel aliis potestatem habentibus, eis specialiter licentia sit concessa: quibus abbas, seu prior, vel præpositus, vel eorum vicarii, sine causa necessaria vel rationabili, exeundi licentiam non concedant. Nec etiam obtenta licentia sine socio quis pedes exire præsumat. Si vero abbates, priores, præpositi, vel alii regulares prælati, seu eorum vicarii, in aliquo præmissorum negligentes inventi fuerint vel remissi: suspensionis vel majoris vindictæ sententia a diœcesanis suis se noverint puniendos.

LXV. *Ut regulares non recipiant ecclesias ad firmam.*

Prohibemus ne monachi vel canonici regulares, ecclesias ad firmam recipiant, vel conducant, aut sine licentia diœcesanorum episcoporum, vel aliorum ordinariorum, parochialium ecclesiarum capellani existant: sed ad sua monasteria redeant, donec redierint, non celebraturi.

LXVI. *Ut religiosi non venentur, non deserviant ultra octo dies in parochialibus ecclesiis sæcularium, &c.*

Si quis religiosus inventus fuerit cum canibus & avibus venatoriis: cuicumque occupanti conceduntur a nobis. Nullus regularis cujuscumque ordinis, continue deservire audeat in parochialibus ecclesiis sæcularium ultra octo dies, sine illius parochialis ecclesiæ ordinarii licentia speciali. Qui vero tales scienter ultra octo dies loca capellanorum, ad celebrãdum, vel ad ecclesiastica sacramenta ministrandum, tenuerint vel sustinuerint, sint ipso facto ab ordinum executione suspensi: quæ suspensio per diœcesanos imposita eis sub hujusmodi excessu seu transgressione, pœnitentia competenti, ac injuncto sibi quod in talibus ulterius non ex-

excedant, valeat relaxari. Excommunicentur, monitione præmissa, omnes monachi & religiosi, qui relictis claustris suis absque prælatorum suorum licentia ad scholas ire, vel aliud quam grammaticam, theologiam, aut logicam, in scholis audire præsumant.

LXVII. *De vitandis excommunicatis, & servando interdicto, maxime a prælatis.*

Quia, sicut audivimus, & in parte vidimus, in regno Hungariæ & aliis terris nostræ legationis, ecclesiasticæ personæ, tam sæculares quam regulares, & plerumque, quod gravius est, prælati, excommunicationum, suspensionum, & interdictorum sententias in singulares personas, collegia, universitates, ac terras, villas, vel loca a suis judicibus, vel a jure, sive a canone promulgatas, usque ad hæc tempora, in grave animarum periculum, & illorum, ad quorum instantiam, vel pro quibus hujusmodi sententiæ latæ fuerint, non modicum, immo plerumque maximum detrimentum; necnon in gravissimum autoritatis & potestatis ecclesiasticæ censuræ contemptum, & derogationem ecclesiasticæ libertatis, prout tenentur & debent, hactenus minime servaverunt, nec fecerunt ab aliis observari, juxta mandatum Apostoli & statuta canonica excommunicatos hujusmodi non vitando; sed in salutatione, osculo, mensa, Divinis officiis, ac aliis ab apostolo & sacris canonibus prohibitis, damnabiliter communicantes cum eisdem laicis idiotis, atque simplicibus, quos ad hujusmodi sententias observandas persuasionibus, monitis, & exemplis inducere, & per censuram ecclesiasticam gravius compellere debuissent, suis pravis & perniciosis exemplis viam, immo invium & laqueos damnabiles ad contemptum libertatis & censuræ ecclesiasticæ paraverunt; quia, ut scriptum est, quod fit a prælatis, trahitur a subditis facile in exemplum; sicque peccatis exigentibus, ex talium abusu, negligentia, & contemptu, ac plurimorum malitia, accidit quod pauci inveniuntur in regno & terris prædictis, qui ecclesiasticam censuram revereantur & timeant, cum videant defensores ipsius censuræ prælatos, & alias inferioris gradus ecclesiasticas personas, pastores, patres, & medicos animarum suarum, hujusmodi sententias, per ipsos potius Divina quam humana autoritate prolatas, quarum ad ipsas specialiter spectat tuitio, notabiliter & damnabiliter non servare: quia, ut Sapiens ait, nec sic inflectere animos dicta possunt ut vita regentis. Propter quæ, censura & libertate hujusmodi vilipensis, jam indifferenter & impune in regno & terris prædictis captivantur, verberantur, mutilantur, ac etiam occiduntur clerici: &, quod severius est, prælati bonis ac juribus suis, tam mundanis quam ecclesiasticis, spoliantur; ecclesiæ, monasteria, & bona ac jura ipsorum ab ipsis laicis occupantur, invaduntur, & damnabiliter detinentur, profanantur horribiliter, aliaque ruinis & incendiis destruuntur, earumque ac cœmeteriorum immunitas infringitur, ac etiam violatur, ac libertate ecclesiastica quasi totaliter conculcata, in omnibus fere dissolvitur quotidie nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Nos autem, omnibus prælatis, tam regularibus quam sæcularibus, & universis clericis, in sancta synodo congregatis, cum instantia petentibus, contra mala & pericula supradicta per nostram constitutionem de opportunis remediis provideri: præsenti constitutione præcipimus, quod omnes & singuli prælati & clerici universi, etiam exempti, cujuscumque dignitatis, ordinis, vel religionis existant, excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias ab ejusdem regni prælatis nostræ legationis, & aliis ordinariam vel delegatam jurisdictionem habentibus, vel a jure seu a canone, in quascumque personas vel loca prolatas, postquam ei per denunciationem illorum prælatorum, vel judicum, vel quocumque modo, de talibus sententiis constiterit, inviolabiliter observent: ipsasque ad requisitionem dictorum prælatorum & judicum denuncient, & a sibi subditis denunciari faciant, & inviolabiliter observari; se suosque subditos subtrahendo; aliosque a communione talium excommunicatorum in salutatione, osculo, cibo, & potu, ac Divinis officiis, necnon a celebratione Divinorum in interdictis locis, vel ecclesiis, quantum in eis fuerit, revocando & expressius prohibendo. Si qui vero propriæ salutis immemores, & hujusmodi sanctæ constitutionis, necnon libertatis ac censuræ ecclesiasticæ contemptores, tales excommunicatos denunciare, ac in prædictis & aliis, in quibus excommunicati sunt de jure vitandi, vitare, & sibi subditis denunciari ac vitari facere diabolica fraude contempserint, vel in ecclesiis sive in locis interdictis celebrare Divina, quacumque temeritate præsumpserint: si singulares sive privatæ personæ fuerint, excommunicationis; si collegium vel universitas ecclesiastica, sæcularis aut regularis fuerit, eorum ecclesiæ sive monasteria ipso facto, ecclesiastico subjaceant interdicto: a quibus sententiis, post congruam satisfactionem exhibitam illis prælatis sive judicibus, qui hujusmodi sententias protulerint, & illis pro quibus, sive in quorum favorem præfatæ fuerint sententiæ latæ, ab ipsis prælatis & judicibus, qui sententias protulere prædictas, vel ab aliis superioribus, ad quos multa

talium absolutio & relaxatio spectat de iure, iuxta formam ecclesiæ, absolutionis & relaxationis interdicti beneficium valeant obtinere. Quod autem de denunciandis excommunicatis supra diximus, intelligimus de Polonis, quantum ad Polonos: & de Hungaris & incolis terræ regi Hungariæ subiectæ, quantum ad Hungaros & ipsos incolas.

LXVIII. *Vt vinearum & agrorum depopulatores excommunicentur.*

Nonnullos execrabiles peccatores, qui solent iustis hominum laboribus, ex quibus fragilitas humana reficitur, nonnumquam etiam sanctis viris, in agone hujus sæculi certantibus, opportunis, perversitate quadam diabolica invidere, videlicet vinearum & agrorum dissipatores, depopulatores, seu destructores, nocturnos & diurnos, publicos & occultos, excommunicationis sententia innodamus: a qua, postquam satisfecerint damnum passis, & de publicis idoneam præstiterint cautionem, quod similia de cætero non committent, valeant a suis diœcesanis episcopis, juxta formam ecclesiæ consuetam, absolutionis beneficium obtinere.

LXIX. *Aduersus bonorum & iurium ecclesiasticorum inuasores.*

Cum universalem ecclesiam, quam sibi Redemptor noster suo sanguine copulavit, cui Romana ecclesia adeo specialis & singularis præeminentia privilegii est prælata, quod mater sit omnium & magistra; ipsiusque prælati, sacerdotes, & clerici, sint patres, pastores, & judices animarum religionis Christicolæ, super reges & reginas Divinitus exaltati: dictosque prælatos sacros & ministros, quibus potestas ligandi atque solvendi animas a Domino est concessa, reges ipsi & principes, ac fideles populi Christiani honorare atque revereri pro animarum teneantur salute: multum profecto præsumere ac enormiter excedere sunt censendi, ii maxime qui gloriantur nomine Christiano, cum ecclesias & personas ecclesiasticas quibus de bonis sibi a Deo datis erogare, easque suis favorabilibus privilegiis & immunitatibus præmunire, atque ab injuriis, damnis, seu violentiis, suæ potestatis brachio defensare tenentur, per statuta, edicta, coniurationes, confœderationes, conspirationes, colligationes, machinationes, tacitas vel expressas, vel alia varia diversorum gravaminum genera, perturbant, inquietant, opprimunt vel molestant, seu ecclesias ipsas, aut bona ipsarum vel ecclesiasticarum personarum, vel iura ipsarum occupando, invadendo, vel de facto indebite auferendo, aut in ipsas....

G. C. Hic desinunt acta concilii, tum in Vaticano, tum in Vallicellano MS ut admonet qui ea edidit Raynaldus. Cujus rei caussam hanc affert, quod Hungariæ rex Ladislaus subornatus ab impiis, synodum armorum terrore disturbaverit, Budensibusque dederit imperia, ut patres urbe pellerent, nec commeatus suppeditarent necessarios. Quam culpam ut expiaret Ladislaus, anno sequenti, publicis litteris, quas Raynaldus idem ex libro MS. privilegiorum Romanæ ecclesiæ edidit, extare voluit pœnitentiæ suæ monumentum. Excessum, inquit, *nostrum in hujusmodi, cupientes misericordiæ operibus expiari, cum crimina eleemosynis redimuntur, in perpetuum eleemosynam, ad mandatum ipsius domini legati, concedimus, atque offerimus eidem reverendo patri domino legato, recipienti vice egenorum, ac pauperum, & infirmorum Christi, centum marchas argenti, annis singulis, perpetuis temporibus, ipsorum pauperum, & egenorum, ac infirmorum nomine percipiendas, ad opus construendi unum hospitale pro sustentatione dictorum pauperum, &c. Datum anno MCCLXXX. XV. Kal. Septembr. regni nostri anno VIII.*

** CONCILIUM ANDEGAVENSE

A Ioanne Turonensi archiepiscopo cum suffraganeis celebratum anno Domini MCCLXXIX.

TITULI CAPITULORUM.

PRÆFATIO.

Ad honorem & utilitatem ecclesiarum nostræ provinciæ Turonensis, quibus autore Domino præsidemus; necnon ad reformationem eorum, quæ in dictæ provinciæ visitatione, innovanda comperimus: vocatis venerabilibus fratribus suffraganeis nostris, abbatibus, capitulis, & aliis qui fuerant evocandi, provinciale concilium Andegavis die Dominica post festum beati Lucæ evangelistæ duximus celebrandum. In quo de ipsorum episcoporum, abbatum, aliorumque ad hoc vocatorum consilio & assensu, ordinamus capitula quæ sequuntur, statuta provincialium conciliorum tam prædecessorum nostrorum, quam nostra alias edita, nihilo minus innovantes.

CAPITULA.

I. *De trahentibus personas ecclesiasticas, super actionibus personalibus, ad iudicium sæculare.*

Cum nuper in Bituricensi concilio, autoritate domini Simonis tit. sanctæ Ceciliæ presbyteri cardinalis, legati sedis apostolicæ, congregato, provida fuerit deliberatione statutum de justitiariis solam temporalem iurisdictionem habentibus, qui in actionibus personalibus ecclesiasticas personas litigare compellunt, quod si iidem iustitiarii dictas personas in præmissis coram se litigare compulerint, eo ipso autoritate dicti concilii sententiam excommunicationis incurrant: nos ad instar prædicti concilii in

Anno Christi 1279.

in eos qui prædictas personas coram dictis sæcularibus justitiariis super actionibus personalibus traxerint, trahive procuraverint, excommunicationis sententiam præsentis autoritate concilii promulgamus: quæ circa eos nullatenus relaxetur, nisi læsis hujusmodi de damnis, expensis, & interesse, prius per ipsos fuerit satisfactum.

II. *Ut ministri nihil exigant pro litteris ordinationis sigillandis.*

Præterea cum scriptum sit in canone, quod sicut non debet episcopus manum quam imponit, ita nec minister vel notarius in ordinatione cujusquam vocem vel calamum vendere: præsentis approbatione concilii prohibemus, ne quis de cætero, pro litteris sigillandis quæ conceduntur pro ordinatione clericorum, aliquod pecuniarium commodum, vel quicquam aliud exigat vel recipiat temporale. Alioquin statuti hujusmodi transgressores, si sint in sacris, suspensi; si laici, vel in minoribus ordinibus constituti, excommunicationis sententiæ hujus autoritate concilii se noverint subjacere.

III. *De iis qui corpora contra fas ecclesiasticæ sepulturæ tradunt.*

Item cum in pluribus casibus prohibeant tam canones, quam provincialium conciliorum statuta, quorundam corpora defunctorum tradi ecclesiasticæ sepulturæ: & nonnulli, sicut nuper in aliquibus hujus provinciæ locis accidit, præter assensum parochialis presbyteri, in ecclesiis vel cœmeteriis propria temeritate intulerint corpora talium defunctorum: nos, transgressores hujusmodi & eorum insolentias pœnæ adjectione cohibere volentes, omnes hujusmodi præsumptores, & illos etiam qui eis opem aut consilium dederint, excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto: sacerdotibus qui ad hoc interesse præsumpserint, usque ad sex menses hoc ipso suspensionis sententiam incursuris.

IV. *De clericis qui excommunicationem per annum sustinent.*

Item, quia ex eo quod ecclesiastica censura damnabiliter contemnitur, nec ut decet servatur, clericis maxime, tam sæcularibus quam regularibus, cæteros ad id per exempla perniciosa trahentibus ad ruinam, frequenter contingit rumpi vinculum ecclesiasticæ disciplinæ: volentes eorum obviare malitiis, prout possumus remedium adhibendo, præsentis autoritate concilii duximus statuendum, quod clerici, tam sæculares quam religiosi, beneficium ecclesiasticum seu administrationem quamlibet

A obtinentes, si excommunicationis sententiam, autoritate ordinaria vel canonis latam, incurrerint, postquam solemniter fuerit publicata, per * amissionem fructuum beneficiorum suorum, seu administrationum hujusmodi (quibus a iure privantur quandiu in excommunicatione perstiterint, & quos ad consilium diœcesani loci converti præcipimus in utilitatem ecclesiarum illarum, in quibus obtinuerint beneficia seu administrationes prædictas) si dictam sententiam ultra annum sustinuerint animis obstinatis, per locorum diœcesanos legitime moneantur, B ut a dicta excommunicationis sententia faciant se absolvi. Et si post monitionem huiusmodi, absolutionis beneficium non procuraverint infra alium annum a tempore monitionis ipsorum: beneficiis suis per locorum episcopos huius concilii autoritate priventur.

* Corr. præter amissionem

V. *Ut episcopi possint absolvere in casibus, in quibus hoc concilium excommunicat, vel suspendit.*

In omnibus autem casibus, in quibus excommunicationis vel suspensionis sententiam in præsenti concilio duximus promulgandam, cuilibet episcopo in suis civitate C & diœcesi absolvendi suspensos & excommunicatos, post satisfactionem congruam in foro ecclesiæ, autoritate præsentis concilii liberam concedimus potestatem.

In cujus rei testimonium, &c. Actum dicta die, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono.

G. C. Falso in codicibus quibusdam adscribitur huic concilio annus MCCLXX. cum mentionem faciat concilii Bituricensis Simonis legati, quod anno MCCLXXVI. celebratum esse constat. Falso item ab autore metropoleos Turonensis habitum dicitur, *sub Iudoco Turonensi archiantistite.* Cum enim anno MCCLXXIX illud recte collocet: satis intelligere poterat, non pertinere ad archiepiscopum Iudo- D cum, cujus initia pontificatus anno MCLVIII. obitum anno MCLXXII. ipse tribuit. Neque vero alius ullus in Turonensium archiepiscoporum serie, quam accuratissimam exhibuit, Iudocus est.

CONCILIUM TARRACONENSE

Anno Christi 1279.

Pro canonizatione Raymundi Pennafortii celebratum anno MCCLXXIX. sub Nicolao papa tertio.

De hac synodo *Bzovius ex Surita ista refert:* Tarracone in Aragonia ad septimum Idus Decembris Bernardus Tarraconensis archiepiscopus, Arnaldus Barcinonensis, Bernardus Gerundensis, E Raymundus Ausetanus, qui se Vicensem cognominat, Guillhelmus Ilerdensis, Petrus Urgelitanus, Arnaldus Dertosanus, Petrus Cæsaraugustanus, Iacobus Oscensis, Iaspertus Valentinus, episcopi: item abbates & alii prælati concilium celebrarunt. Ex ejus decreto litteris enixe Nicolaum pontificem interpellarant, ut Raymundi Pennafortii viri sanctissimi memoria sua certa destinataque sententia religione omnium consecraretur, aræque ei inter divos ritu solenni statuerentur utpote cujus viri sanctitas insigni tunc splendore apud omnes præfulgeret. Nihil tunc in gratiam illorum concedere voluit Nicolaus, quod rex Petrus a Procida seductus jam turbas Italiæ moliretur, neque censum Romanæ ecclesiæ pendere vellet.

SYNODUS COLONIENSIS,

A Sifrido archiepiscopo habita circa annum MCCLXXX.

Capitula seu rubricæ statutorum ecclesiæ Coloniensis, editorum a bonæ memoriæ D. Sifrido archiepiscopo Coloniensi, in generali synodo ex consilio prælatorum suorum, &c.

Statuta domini Sifridi archiepiscopi Coloniensis.

PRÆFATIO.

Licet de clericis, qualiter eos cum modestia, sobrietate, vitæ munditia, in domo Domini oporteat conversari, ut sibi & aliis verbo proficiant & exemplo, per sacros canones & sanctorum patrum & prædecessorum nostrorum traditiones sufficienter sit provisum: tamen quia nonnullos ex ipsis clericis, præsertim illos qui per ecclesias positi sunt ad regimen animarum, in observatione dictæ provisionis, contingit non sine nota transgressionis desides inveniri, & ipsarum statum multipliciter deformari: nos Sifridus Dei gratia sanctæ Coloniensis ecclesiæ archiepiscopus, sacri imperii per Italiam archicancellarius, huic desidiæ, immo negligentiæ, quantum possumus, occurrere cupientes, & quod dignum est in eorum conversationibus, vita, & moribus, reprehendi, per innovationem eorum, quæ circa hæc statuta sunt ab antiquo, & appositionem, quæ qualitas temporum addere nos compellit, nostros [a] clericos in omnibus Deo placitos, salubriter reformare, cum firma spe & fiducia, quod si integrum fuerit sacerdotium, ecclesia Dei florebit sicut lilium, & in spiritualibus & in temporalibus benedictionem a Domino recipiet salutarem: sanctam & generalem synodum, propter periculosum statum ecclesiæ Coloniensis, & prædecessorum nostrorum occupationes, aliquantis temporibus prætermissam, de consilio prælatorum nostrorum & capituli nostri duximus indicendam, ad quam convocatis & convenientibus omnibus prælatis monasteriorum & ecclesiarum, ac clericis nostris subditis, statuimus & ordinavimus, ut synodus generalis exnunc in antea in ecclesia Coloniensi, in crastino Dominicæ, ab omnibus prælatis & clero annis singulis in perpetuum celebretur: & omnes prælati & clerici tam religiosarum quam sæcularium ecclesiarum, & clerici sæculares nostræ civitatis & diœcesis, ad ipsam synodum sanctam accedant reverenter: & in veniendo, stando, morando, & redeundo, in via & in hospitiis se decenter habeant, ne laicis ex eorum verbis vel factis scandalum generetur. Et intrent synodum abbates cum albis, stolis, & cappis choralibus desuper de serico vel samitto, cum baculis & mitris, prout hoc eorum congruit dignitati. Alii vero prælati sæculares, cum pelliciis & superpelliciis, & cappis de serico vel samitto. Priores item religiosorum locorum, cum albis & stolis. Decani Christianitatum & archipresbyteri, similiter cum albis & stolis. Reliqui vero presbyteri & clerici, in superpelliciis. Nec aliquis clericus vel religiosus ibi compareat sine habitu religionis vel chorali. Omnesque sic induti, in ipsa synodo, quousque per nos licentientur, permaneant, audituri cum mansuetudine & silentio, quæ ibi præcepta fuerint vel statuta.

Si qui vero infirmitate vel alia inevitabili necessitate ad synodum venire non poterunt, mittant cum suis litteris & propriis sigillis (quæ præcipimus ut singuli habeant) procuratorem pro se, qui habeat potestatem de hujusmodi impedimento faciendi fidem, si opus fuerit juramento: & in ipsis litteris se obligent, quod statuta hujusmodi observabunt.

Capitula autem & quælibet collegia, per unicum vel per duos procuratores de ipsorum collegiis comparebunt, ad observationem statutorum in procuratoriis se similiter obligantes. Et omnes jejuni comparebunt in synodo, quod sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, nisi modicissimam sumi consolationem infirmitas urgeat corporalis.

Item ne ignorantia statutorum vel præceptorum synodi, aliquem valeat excusare: statuimus & præcipimus sub pœna excommunicationis, quam in hoc casu in omnes & singulos contravenientes in his scriptis ferimus, quod quilibet sacerdos ecclesiam vel capellam officians, vel plebem regens, procuret & efficiat cum effectu, quod intra unum mensem ab hac die numerandum, statutorum & præceptorum synodalium copiam habeat, de verbo ad verbum, ut ea frequenter legens & volvens, sciat inexcusabiliter & scire possit, ad quod teneatur, & qualiter in omnibus debeat se habere. Et in proximis deinde singulis synodis generalibus in manu sua secum deferat & publice repræsentet, sciens quod cum excommunicatione sequetur pœna alia hujusmodi mandati transgressorem.

I. *De vita & honestate & officio clericorum.*

Ex concilio generali statuimus & præcipimus, quod universi clerici continenter & caste vivant, ab omni libidinis vitio præcaventes, quatenus in conspectu omnipotentis Dei puro corde & mundo corpore valeant ministrare: & qui comprehensi fuerint incontinentiæ vitio laborare, prout magis vel minus peccaverint, ab eorum ordinariis seu prælatis debite puniantur. Alioqui nos prælatorum negligentiam supplentes, tales puniemus secundum canonicas sanctiones, ut pœna docente, deinceps abstineant a peccato: & qui ea de causa per nos vel prælatos suos suspensus, Divina officia celebrare præsumpserit, beneficio ecclesiastico spolietur, & pro duplici causa perpetuo deponatur. Prælati

[a] ipsos

ANNO CHRISTI 1280.

Prælati autem nostri, qui tales præsumpserint in eorum iniquitatibus sustinere, maxime obtentu pecuniæ vel alterius commodi temporalis, juris subjaceant ultioni.

Item a crapula & ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, & se vino: nec ad bibendum quispiam incitetur, cum ebrietas inducat mentis exilium, & libidinis provocet incentivum.

Item nullus sacerdos aut clericus in sacris constitutus ordinibus, feminas, de quibus suspicio potest esse, in domo sua teneat: & nullas omnino, nisi sint illæ personæ, de quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari. Et quamlibet cohabitationem mulierum & clericorum manifestam, maxime clericis in sacris ordinibus constitutis & sacerdotibus, sub pœna anathematis districtius inhibemus.

Item clerici officia vel commercia sæcularia non exerceant per se, alios, vel alias. Mimis, histrionibus, vel joculatoribus non intendant: tabernas prorsus evitent, nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.

Item ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint. Coronam & tonsuram habeant congruentem: clausa deferant indumenta, maxime sacerdotes, nimia brevitate vel longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, necnon manicis aut calceis consutitiis non utantur. Intra ecclesiam incedant cum superpelliciis, nisi forte aliquid ibi fuerit manibus operandum. Fibulas omnino non ferant. Item arma non ferant, neque gladios, nisi hoc faciant ex causa necessitatis, & expressa licentia prælatorum.

Item statuimus, quod neque canonici, neque clerici, vagentur nocturno tempore per plateas, psallentes: & si aliquos transire oporteat ex legitima & justa causa, hoc faciant sine clamore, sine cantu, sine citharis, sine tympanis, & sine quolibet strepitu vel chorea: & volumus quod contrarium facientes decani suspendant a præbendis eorum per unum mensem.

Item statuimus, quod quicumque sacerdotes seu clerici beneficiati, sententias excommunicationis seu suspensionis per annum & diem animo sustinuerint indurato, beneficiis suis eo ipso priventur per locorum ordinarios, & alias propter hoc nihilo minus canonice puniantur.

Item statuimus ut clerici ubique, & maxime in Divinis officiis, decenter & discrete se habeant: & tales se in moribus, vita, conversatione, verbis & factis, societatibus, corporis compositione, lectionum & orationum assiduitate, & in quibuslibet honestatibus exhibeant, ut verecundia, quæ & laicis est indicta, in ipsis clericis præcipue commendetur. Nullus horas canonicas & horas de Domina nostra, ulla unquam die distincte & discrete dicere prætermittat, maxime qui est in sacris ordinibus vel beneficiis constitutus.

Nullus dicat Missam nisi unam in die, & præcipue de die: nisi in casibus ᶠa jure permissis, ut hoc faciat necessitate imminente, ut pote Missam pro defunctis. Nec celebratio fiat sine socio vel scholari, qui respondere valeat celebranti. Nec mulier ad altare permittatur aliquatenus ministrare.

ᶠ in

Item propter apostatas, discursores, vagos & ignotos clericos, de quibus an sacerdotes sint, non immerito dubitatur: statuimus, ut nullus beneficiatus seu rector ecclesiæ vel altaris, tacite vel expresse aliquem admittat in socium vel ad celebrandum Missam, vel ministrandum sacramenta, vel aliquod sacerdotale officium exercendum, nisi notum sit de ordinibus, moribus & conversatione, ac alias commendatum: & si omnino extraneus vel peregrinus fuerit, per nos vel gerentem vices nostras seu loci archidiaconum, cum examinatione debita approbatum, & admissum ad hujusmodi officia exercenda. Et si quis rector ecclesiæ vel altaris aut capellæ, aliquem contra hoc admiserit, excommunicationis sententiam (quam in ipsum in hoc casu ferimus in his scriptis) incurrat ipso facto. Eo salvo, quod peregrinantes & honestæ personæ, non pro quæstu, sed pietatis & devotionis intuitu, Missam dicere volentes, admitti poterunt, si requirunt.

II. *De clericis cohabitatoribus mulierum & concubinariis.*

Ex concilio bonæ memoriæ Conradi ᶠarchiepiscopi prædecessoris nostri, innovando statuimus, ut sacerdotes manifesti mulierum cohabitatores, concubinas a se de domibus & parochiis suis intra decem dies post publicationem præsentium, omnino removeant & repellant. Alioqui excommunicationis sententiã (quam propter hoc in eos ferimus in his scriptis) se noverint incurrisse. Mulieres autem, si post ipsos decem dies repertæ fuerint in parochiis horum sacerdotum remanere, per decanos christianitatum ipsorum locorum excommunicentur, & excommunicatæ publice nuncientur, invocato super remotione earum, si opus fuerit, auxilio sæculari.

ᶠ ann. 1260.

Inhibemus etiam ne sacerdotes, filios aut filias vel concubinas dotent aut ditent de patrimonio, vel descendentibus a patrimonio Crucifixi, aut talium nuptiis vel etiam exequiis audeant interesse: & qui contra fecerint, pœna canonica percellantur.

III. *De statu claustralium & religiosorum.*

Statuimus ut nullus monachus aut monialis, claustrum suum exeat, per civitates, villas vel oppida discurrendo, aut in villa monasterio adjacente comedere, nisi ex causa rationabili & urgente: & id tunc fiat cum sui prælati vel prælatæ licentia speciali, quam licentiam volumus ut prælatus vel prælata non det, nisi causa examinata, quod sit evidens, & non possit sine scandalo evitari.

Item in oratorio, refectorio, & dormitorio per monachos semper continuum silentium observetur. In claustro vero ᶠillis horis servetur silentium, ᶠquod observantia præcipit regularis.

ᶠ vel foris
ᶠ quibus

In refectorio omnes comedent, sed non carnes, nec extra, nisi in infirmaria. Una sit omnibus coquina & communis cibus, nisi de licentia abbatis vel prioris, & ex causa. Speciales cameras & comestiones ibidem districtius inhibemus. In communi dormitorio omnes dormiant, nisi debiles fuerint vel infirmi. Divinum officium, secundum regulam B. Benedicti vel B. Augustini, ᶠ per institutiones sanctorum patrũ celebrent.

ᶠ &

Item sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, ut omnes religiosi, & præcipue sanctimoniales, habitum, velum, & peplum, secundum regulam ferant, ubicumque fuerint constituti. Cappas manicatas, tunicas, phalas, indumenta, tabbardos, calceos vel caligas non ferant, nisi B. Benedicti vel B. Augustini regulæ congruentes. Et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ præcipimus, ab omnibus tam monachis quam monialibus firmiter observari, ut proprium non habeant, nec pecuniam, nisi cui hoc permittitur ex ratione officii vel administrationis sibi commissæ per abbatem.

Item officia vel administrationes habentes, contractus non ineant. Locationes, emptiones, venditiones, & alienationes quarumcumque rerum mobilium vel immobilium, non faciant. Mutuum aliquatenus non recipiant a quocumque, præter scitum &

Anno Christi 1280.

& consensum abbatis" & conventus. Et si contra fecerint, sciant contractum hujusmodi non valere: "sed sententiam excommunicationis etiam in eos in hoc casu a nobis latam in his scriptis, se noverint incurrisse. Et hæc eadem extendi volumus ad prælatos & canonicos regulares, & Præmonstratenses, & alios quoslibet religiosos.

' vel
§ &

Item abbatibus & prioribus districte præcipimus, ut omnia & singula, quæ ad ordinem & regulam pertinent, faciant ab omnibus & singulis inviolabiliter observari, cum appositione pœnæ, quæ in regula continetur. Rebelles vero & incorrigibiles ad nos deferentes, ut ipsorum per nos rebellio compescatur.

Item statuimus, ut secundum statutum concilii generalis domini Innocentii papæ tertii, per abbates, priores, & præpositos, nigri ordinis sancti Benedicti nostræ civitatis & diœcesis, de triennio in triennium commune capitulum observetur. Cujus concilii tenorem volumus ut singuli habeant, ut sciant quomodo hujusmodi capitulum servare teneantur. Et quia hujusmodi statutum negligenter est observatum, licet dominus Conradus" prædecessor noster antedictus hoc mandaverit, nos pœnam adjicimus, & non servantes excommunicamus in his scriptis.

† ann 1260.

IV. *Qualiter clerici, & maxime sacerdotes, populum vel plebem regentes, in administratione septem sacramentorum se habere debeant: & primo de baptismo.*

Statuimus, ut baptismus honorabiliter celebretur cum distinctione verborum, in quibus salus pendet baptizati; ut ille qui baptizat, cum immergit baptizandum in aqua, nihil addendo, vel subtrahendo, vel mutando, dicat hæc verba: Petre, (vel Ioannes) ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Item sacerdos eamdem formam doceat mares & feminas observare, cum in necessitate baptizant infantes, etiam parentes, si alii defuerint.

Item sacerdos, ad quem infans sic in necessitate baptizatus, deferendus est, quanto citius interroget de forma, quam baptizans servavit. Et si invenerit servatam, & rite baptizatum puerum, faciat ei quæ post baptismum fieri consueverunt. Si autem cognoverit ipsum non baptizatum, vel dubitaverit, baptizet eum sub hac forma: Petre, (vel Ioannes) si es baptizatus, ego te non baptizo: sed si non es baptizatus, tunc ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen.

Item si timeatur de morte infantis antequam nascatur, & caput ejusdem infantis appareat extra uterum, infundat aquam quæ adfuerit, super caput nascentis, dicens: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Et si infans sic moritur, sepeliatur corpus ejus in cœmeterio. Si autem pervenerit vivus ad ortum, & de forma dubitetur, de novo baptizetur sub hac forma: Petre, (vel Ioannes) ego te non baptizo si es baptizatus: sed si tu non es baptizatus, tunc ego te baptizo in nomine Patris, &c.

Item mulieri in partu mortuæ nullatenus negentur jura Christianitatis, nec ecclesiastica sepultura. Et si certum sit quod mulier prægnans moriatur, teneatur os ejus apertum: & cum magna cautela uterus ejus aperiatur: & si infans vivus fuerit, educatur & baptizetur. Si autem inventus fuerit mortuus, ipse puer extra cœmeterium tumuletur. Et iste modus & forma frequentius parochianis imprimatur, ut sciant quomodo in talibus debeant se habere.

Item duo vel tres tantum admittantur ad levandum puerum de baptismo, qui intra quartum gradum parentibus pueri non sint juncti, nisi in necessitate.

Item in Pascha & Pentecoste, & etiam sæpius, fons baptismi, si opus fuerit, renovetur: & amota aqua veteri, ipse fons lavetur, & bene mundificetur: & nova aqua imposita benedicatur & chrismetur.

Item fons sub operculo & sub sera firmiter conservetur, propter sortilegia & trufas, quæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ firmiter prohibemus.

Item chrisma, oleum sacrum, & oleum infirmorum, in ampullis metallinis per certos titulos designatis, sub clave custodiantur. Si autem aliud oleum chrismati vel oleo sacro apponi oporteat, hoc fiat caute: & id quod apponitur, cum chrismate & oleo sacro diligenter cum virgula misceatur.

V. *De sacramento Confirmationis.*

Moneant presbyteri parentes baptizatorum nondum Confirmatorum, ut eos ad episcopum, qui solus potest confirmare, ducant septennes vel majoris ætatis, & tondeantur capilli, maxime contra frontes dependentes, & laventur frontes diligenter, & habeant bandellos de panno lineo spisso sine' fractura, & sine¹ nodo, latitudinis trium digitorum, & longitudinis competentis, albos & bene mundos. Exceptis autem patre & matre, offerant pueros illi qui eorum notitiam habent, & melius noverunt quod non sint " vel fuerint confirmati. Et tertia die post Confirmationem ducant eos ad ecclesiam, & presbyter frontes eorum lavet, & comburat bandellos, & cineres bandellorum, & aqua lotionis in sacrum locum vel piscinam sive lavatorium reponantur. Confirmandi vero, si fuerint decem annorum vel ultra, prius suis sacerdotibus confiteantur, quam confirmentur. Parentes vero confirmatorum, eis, & ipsi confirmati, sibi sæpe ad memoriam revocent, quando, a quo, & ubi fuerint confirmati. Nullus clericus ad primam tonsuram accedat, nisi prius fuerit confirmatus.

¹ futura,
' nec

VI. *De sacramento Extremæ-unctionis.*

Cum reverentia, aqua benedicta, & cruce præcedentibus, sacerdos deferat oleum sacrum ad infirmos, & dicat diligenter septem psalmos. Si via fuerit longa, addat litaniam, & alias orationes ad hoc constitutas. Et cum inungit infirmum, proferat ista verba: Per istam unctionem, &c. & inungatur cum reverentia ac diligenter cum distinctione verborum. Et nihil pro inunctione exigatur. Et si quid datum fuerit gratis, accipiatur. Laudabilem tamen consuetudinem in talibus præcipimus observari.

Moneant presbyteri populum, ut infirmi, quatuordecim annos & supra habentes, cum opus fuerit, inungantur. Nec propter paupertatem seu defectum candelarum vel indumentorum lineorum, quæ in hoc sacramento solent causa reverentiæ exhiberi, a sacerdote vel quovis alio inunctio dimittatur. Sufficit enim una candela, & quod infirmi inuncta membra singulariter & diligenter extergantur cum stuppa, quæ post extersionem in igne comburatur.

VII.

VII. *De sacramento eucharistiæ sive altaris.*

Præcipimus ut omnes sacerdotes in vestibus albis sacerdotalibus & benedictis, reverenter mundo & contrito corde,& confessi (si commode fieri potest) accedant ad Missam celebrandam.

Item statuimus sub pœna excommunicationis, ne aliquis sacerdos Missam celebrare audeat, nisi prius dixerit Matutinas & Primam de die.

Item præcipimus, ne aliquis sacerdos sine calceamentis vel caligis pro celebratione Missæ ad altare accedere audeat.

Item diligenter caveant sacerdotes, ne cum conscientia mortalis peccati accedant ad Missam celebrandam. Quod si taliter manducaverint corpus "Domini, & biberint ejus sanguinem, judicium æternæ damnationis sibi manducant & bibunt. [Christi] B

Item Missale semper involvatur camisia vel panno lineo & mundo,& apponatur parvum manutergium, quo presbyteri nares vel faciem detergant,ne contingat sacra vestimenta maculari, quæ integra & munda (ut dictum est) præcipimus custodiri.

Item loca circa altare,ab araneorum telis & pulveribus ac cæteris immunditiis sæpius emundentur.

Item præcipimus, ut sursum super altare ad latitudinem & longitudinem altaris, pannus lineus albus extendatur,ut protegat & defendat altare ab omnibus immunditiis,& pulveribus descendentibus.

Item cortinæ in lateribus altaris "utrisque appendantur, nec in aliquo tempore sacrificii retro trahantur. [utrinque] C

Item præcipimus ut calix sit integer cum firmo pede,non titubans. Et sacerdos sine clerico ministrante, celebrare in altari aliquatenus non præsumat.

Item ampullæ vini & aquæ, integræ & mundæ intus & exterius observentur, & aliquo signo notabili distinguantur, ut vinum ab aqua dignosci possit: & vinum in ampullis ad minus de tertio in tertium diem renovetur.

Item sacerdos sit diligens in delectu hostiæ consecrandæ, ut sit integra, solida, & non nimis vetusta: & in appositione vini & aquæ, discernat sacerdos per odorem,quid sit unumquodque. Et de aqua duæ guttulæ vel tres apponantur.

Item præcipimus ut sacerdotes attente,reverenter, & distincte legant & dicant in canone, quæ sunt dicenda. Et expediant se,quanto citius possunt, propter tædium adstantium,& alia quæ occurrere possent, & faciant signa sua distincte & reverenter. D

Item nullus sacerdos elevet hostiam ad ostendendum populo,nisi postquam dixerit hæc verba: Hoc est enim corpus meum. Et pulsetur nola tribus ictibus ex una parte,ut fideles qui audierint, ubicumque fuerint, veniant & adorent.

Item, si sacerdos cum venerit ad consecrationem sanguinis, vel etiam ad perceptionem, & nihil in calice inveniat, innuat, ut offeratur ei vinum & aqua: quibus appositis, dicat verba canonis ab illo loco: Simili modo postquam cœnatum est;& cætera usque ad finem,& faciat signa quæ fieri solent super sanguinem. Alia autem quæ facta sunt super eucharistiam,non reiteret,sed modo consueto transeat. Ille autem, per cujus negligentiam hoc evenerit, tribus diebus in pane & aqua jejunet, & unum psalterium dicat. Item si per casum mortis, ægritudinis vel passionis, aliquid inopinatum evenerit & subitaneum contingat, quod sacerdos incœptum ministerium implere non valeat, licitum sit alteri sacerdoti exequi & perficere consecrationem officii incœpti: quod ibidem incipiat, (si scire poterit) ubi alter destitit: nisi incœpta collecta, necdum perlecta,vel incœptis verbis sacramenti non- E

A dum perlectis, prædictus casus contingat. Tunc enim a capite illam collectam vel sacramenti verba reincipiat,ut sic saluti humanæ fragilitatis & sacris mysteriis, ne interrupta vel incompleta remaneant, consulatur. Si autem dubitetur,an hostia a primo sacerdote casum passo, consecrata fuerit, necne, substitutus sacerdos novam oblationem offerat,& solito more conficiat,& post Missam, primam hostiam sumat. Idem de calice fiat,& de eo quod in calice reperietur. Item præcipimus sub pœna excommunicationis, quam ferimus in his scriptis,ne aliquis sacerdos bis in die Missam celebret, nisi in casu urgentis & maximæ necessitatis, & in quibus jus permittit. Et tunc in prima Missa post perceptionem sanguinis, non utatur ablutione vini & aquæ: sed reservet in tuto ac honesto loco, ut eam accipiat in secunda Missa,vel det honestæ personæ jejunæ quam noverit ad hoc esse paratam.

Item si quid de sanguine vel corpore Domini ceciderit super pallam altaris,illa pars abscindatur& comburatur, & cinis in sacrum locum vel piscinam" reponatur. Et si pars corporalis intincta fuerit sanguine,ter diligenter abluatur:&aqua ablutionis a presbytero vel alia persona religiosa & jejuna sumatur. Et poterit dicto panno post ablutionem uti sicut prius. [projiciatur.]

Item si gutta sanguinis super vestimentum ceciderit,illa pars abscindatur & comburatur, & cinis in sacrum locum reponatur, ut dictum est. Si supra lignum vel lapidem aut terram fodam sanguis ceciderit:illa pars (si commode fieri potest) "abluingatur a sacerdote, & postmodum radatur, & illa rasura in sacrum locum vel sacram piscinam reponatur. [abluatur]

Item, si in sanguinem musca, vel aranea, vel aliquod abominabile ceciderit, quod vix sine vomitu " & periculo corporis sumi possit, caute extrahatur. Et super patenam vel calicem alium abluatur cum vino, & post sanguinis sumptionem & ablutionem, illa lotio in piscinam mittatur, & bestia vel vermis super piscinam comburatur, & cinis in piscinam sive lavatorium mittatur. [vel]

Item statuimus, ut pyxis, in qua corpus Domini reservatur, vel ad infirmos defertur, sit aurea, argentea, eburnea, vel ad minus cuprea bene elimata:& super lineus pannus albus & mundus, intra pyxidem ponatur, supra quem corpus Domini in pyxide collocetur.

Item præcipimus,ut cum aliquis infirmus communicare voluerit, quod sacerdos (si commode fieri poterit) prius eum visitet sine corpore Domini, & diligenter confessionem infirmi audiat: & post ad ecclesiam redeat, ad communicandum infirmum, corpus Domini allaturus: & eat sacerdos dicendo septem psalmos: & si via fuerit longior, addat litaniam & alias orationes. Incedat autem sacerdos ad communicandum infirmum cum campanula & lucerna vel candela præcedente. Et fideles qui pro devotione occurrere voluerint, expectent ante ostium infirmi, donec communicatus fuerit:& redeant ad ecclesiam post sacerdotem, orando reverenter. Quilibet autem fidelis, si devote fecerit hanc processionem, decem dies indulgentiæ pro eundo & redeundo habeat. Cum autẽ sacerdos corpus Domini de nocte portaverit, mulieres ipsum aliquatenus non sequantur. Qui "autem hanc processionem turbaverit, vel minus reverenter in ea se habuerit, per censuram ecclesiasticam compescatur. [etiam]

Item præcipimus,ut sacerdotes venerabiliter & sublimiter, superposito decenti cooperculo supra vas, in quo corpus Domini defertur, deferant ad infirmum. Si infirmus frequenter & ex levi causa vomitum patiatur, nullatenus ei corpus Domini conferatur: sed credat,& sufficit quod spiritualiter accipit.

Item præcipimus, quod quilibet sacerdos, ante- quam

ANNO CHRISTI 1280.

quam communicet infirmum, interroget eum, si credat quod sub illa forma & specie panis, sit corpus " Domini, natum de Virgine, passum in cruce, & tertia die suscitatum. Quod si infirmus fuerit confessus verbo vel evidenti signo, communicet eum sacerdos, si alia causa non obsistat. Item si communicatus evomuerit, partes diligenter & caute, quæ reperiri potetunt, colligantur: & contritæ cum vino, ab aliquo fideli sumantur: residuum vero vomitus comburatur, & ponatur " in terram juxta altare vel alibi, ubi commode fieri poterit.

" Christi

" subtus

Item cum corpus Domini defertur, fideles coram quibus defertur, si commode fieri potest, genua flectant, pectora sua tundant, & inclinato capite, junctis manibus & levatis, reverenter adorent. Equitantes B vero, non dedignentur descendere de equis suis ad adorandum eum, qui pro eis descendit de cælis.

Item præcipimus, ut eucharistia servata pro infirmis, singulis quindenis renovetur: & corpus ' Domini super altare in honesto loco clausum cum clave solicite & diligenter custodiatur.

' Christi

Item præcipimus, ut sacerdotes, subditos suos doceant, ut cum venerint ad communicandum in die Paschæ vel alias, jejuni, devoti, & confessi accedant: & caveant sacerdotes, ne alienum vel extraneum parochianum communicent, nisi sit viator & peregrinus: vel nisi communicandus, licentiam sui proprii sacerdotis habeat: quam licentiam quilibet viator vel peregrinus petere debet a proprio sacerdote in suo recessu: quod si non fecerit, propter hoc ei communio C non denegetur, sed pro negligentia, ei pœnitentia injungatur. Item nullus fidelis arcendus vel removendus est a communione, nisi fuerit publice excommunicatus, vel interdictus, vel aliquo notorio crimine notatus.

Item præcipimus, ut sumpta eucharistia sacerdos habeat calicem præparatum cum vino & aqua, de quo sumant communicantes.

VIII. *De sacramento pœnitentia " & confessionis, & eorum attinentiis.*

Præcipimus ut sacerdotes parochialium ecclesiarum, subditos suos frequenter admoneant, & ' etiam D pœnitentiam injungant, ut ad confessionem sæpe veniant. Et prius quam veniant ad confessionem, diligenter scrutentur corda sua, confiteri volentes, & peccata sua solicite rememorent, & cum dolore & vultu supplici ad confitendum accedant, quasi ad Dei judicium. Sacerdotes autem, ut Dei ministri, circa confessionem audiendam & pœnitentiam injungendam, maximam adhibeant diligentiam, ut attente, diligenter, & cum modestia, audiant confitentem.

" in pœnitentia

Item ad confessionem audiendam, communem & aptum locum in ecclesia, ut ab omnibus videri possint, sibi eligant sacerdotes. In locis autem obscuris & tenebrosis confessiones non audiant: nec extra ecclesiam, nisi in magna necessitate vel infirmitate. Contrarium facientes, sententiam excommunicationis se noverint incursuros. E

Item præcipimus, ut sacerdotes ante Solis ortum, & post Solis occasum, nullatenus ad confessionem audiendam sedeant, nisi in magna necessitate, & in loco illuminato, & aliquibus præsentibus.

Item præcipimus sub pœna excommunicationis, ut sacerdotes in audiendis confessionibus vultum humilem habeant, & oculos ad terram: nec faciem respiciant confitentis, & maxime mulierum.

Item sacerdotes moneant & doceant subditos suos, ut humiliter & corde contrito, oculis ' in terram defixis, confiteantur. Et mulieres coopertis capitibus &

' *ad.* ad

A collis, submissa voce pure & integraliter peccata sua confiteantur.

Item sacerdos mulierem, quæ sola sit in ecclesia, nullatenus audiat confitentem, sed in conspectu honestæ societatis. Contrarium facientes, ipso facto sententiam excommunicationis se noverint incursuros, & insuper tribus diebus in pane & aqua jejunent.

Item præcipimus, ut sacerdotes induti superpelliciis, vel cappa, stola superposita, ad confessionem sedeant.

Item sub pœna excommunicationis præcipimus, ne aliquis sacerdos audiat confessionem mulieris cum qua peccavit: nec etiam consocias aut fautores, aut mediatores peccati sui, sed mittat eos vel eas ad honestos & discretos confessores.

Item præcipimus, ut sacerdotes mansuete audiant confessiones, & de consuetis peccatis singulatim & diligenter interrogent, & de circumstantiis peccatorum. De inusitatis autem nominatim non inquirant, sed per communia verba, ex quibus confitens, si reus est peccati, possit intelligere quid dicatur, ut sic intelligens confiteatur. Si autem reus non fuerit, de illo non tentetur.

Item sacerdotes diligenter instruant & moneant confitentes, ut integraliter & distincte mortalia peccata & eorum circumstantias, quæ peccata aggravant, & peccatum per se faciunt, confiteantur, ut est sacer ordo, sacer locus circa peccatum luxuriæ & concupiscentiæ, quæ omnia notantur in hoc versu:

Quis, quid, ubi, cũ quo, quoties, ' cur, quomodo, quãdo. ' cui

Venialia autem peccata sufficit summatim ac generaliter confiteri.

Item præcipimus, ut sacerdotes nobis, vel illi cui vices nostras pro tempore in spiritualibus cõmittimus, majora peccata & injunctionem pœnitentiæ pro eisdem, reservent, ut sunt homicidia, sacrilegia, incendia ecclesiarum, peccata contra naturam, defloratio virginum cum violentia, concubitus sanctimonialium, conversarum, inclusarum, vel aliarum mulierum religiosarum, incestus, injectiones manuum in parentes, vel ecclesiasticas personas, sortilegia, veneficia, perjuria manifesta, fidei & votorum transgressiones, simonia, hæresis, apostasia, & magnæ blasphemiæ seriose factæ. In dubiis autem sacerdotes semper consulant nos, vel vices nostras in spiritualibus gerentem, aut alios sapientes viros, non prodendo aut revelando confitentem, sed in genere, quorum consilio pœnitentem absolvant, aut ad alium mittant.

Item audita confessione, sacerdos semper interroget confitentem, si velit abstinere ab omni mortali peccato: & hoc ei persuadeat, & modis quibus potest inducat: & si confitens dixerit se nolle vel non posse abstinere, non absolvat eum, nec pœnitentiam ei injungat, sed moneat, ut interim faciat quidquid boni possit, ut Deus cor ejus citius illustret, & ad pœnitentiam reducat. Consulat ei etiam & indicet sacerdos cum diligentia modum vivendi, per quem possit a peccato facilius abstinere. Sacerdotes etiam in injungendis pœnitentiis discretionem habeant, ut pœnitentias secundum magnitudinem & qualitatem peccati, & possibilitatem confitentis, peccatoribus injungant. Pro peccatis carnalibus injungant pœnitentias corporales, sicut est jejunium, peregrinatio, disciplina, & similia. Pro spiritualibus autem negligentiis injungant orationes & eleemosynas, & meditationes peccatis eorum contrarias. In contrectatione rei alienæ, vel in damno alii illato per furtum, rapinam, usuram, per fraudem, per injustam exactionem, per falsam testificationem, per falsam monetam & alios modos, de quibus sacerdotes diligenter inquirant:

ANNO CHRISTI 1280.

rant: & primo & præcipue injungant restitutiones fieri his, quos prædictis modis damnificaverunt vel læserunt, si facultatem non habeant, vel cum facultatem habebunt, si in præsenti non possunt: aliter eos non absolvant.

Item præcipimus sub pœna excommunicationis, quam in his scriptis ferimus in sacerdotes qui contrarium fecerint, ne confessis, cujuscumque conditionis vel status, aut confitentibus, nomine restitutionis pro pœnitentia injungant, ut ecclesias, capellas vel cœnobia " instituant, vel ecclesiis legata faciant; sed prius restitutionem (ut prædictum est) faciant illis, a quibus exorta sunt, si inveniantur, vel heredibus eorumdem. Alioqui ad arbitrium nostrum vel nostri pœnitentiarii erogentur.

" cõstruant

Item sub pœna prædicta prohibemus sacerdotibus, ne Missas quas pœnitentibus, ut celebrari faciant, injunxerint, aliquatenus celebrent, sed ad alios mittant. Neque sacerdotes inter se faciant conventionem de Missis celebrandis, ut sic mutuo sibi parochianos pro celebrandis Missis transmittant.

Item diligenter in confessione caveant sacerdotes, ut si confitentes, peccata aliquorum revelaverint, vel nomina eorum indicaverint, cum quibus peccaverunt, ea secrete teneant, sicut peccatum confitentis.

Item sub pœna excommunicationis omnibus sacerdotibus inhibemus, ne a confitentibus nomina eorum, cum quibus peccaverint, inquirant, vel circumstantias, per quas possint nomina eorum sciri. Quod si fecerint, ab officio confessionis audiendæ & sacrorum ministeriorum ipso facto se noverint esse suspensos. Et in principio confessionis sacerdotes districte inhibeant confitentibus, ne peccata aliorum confiteantur vel revelent, & nomina eorum cum quibus peccaverint, exprimant, ut supra dictum est.

Item nullus sacerdos in ira, odio, vel etiam metu corporis, confessionem confitentis audeat revelare verbo vel signo, generaliter vel specialiter dicendo: Ego scio te talem qualis es. Et si revelaverit aliquo modo, de hoc convictus, debet absque omni misericordia degradari. Si tamen indigeat consilio, illud (ut dictum est) sine expressione personæ caute requirat.

Item præcipimus, ut omnes sacerdotes parochialium ecclesiarum frequenter & diligẽter subditos suos utriusque sexus admoneant, ut postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia peccata sua integre, & ad minus semel in anno, confiteantur proprio sacerdoti parochiali, & injunctam eis pœnitentiam studeant adimplere, suscipiendo ad minus reverenter in Pascha eucharistiæ sacramentum: nisi consilio proprii sacerdotis, ob aliquam causam rationabilem, duxerint abstinendum. Alioqui viventes, ab ingressu ecclesiæ arceantur; morientes, Christiana careant sepultura. Si quis autem proprio sacerdoti parochiali ad minus semel in anno plene & integre confessus non fuerit, præcipimus quod sacerdos in Pascha ei sacramentum minime administret.

Item sacerdotes diligenter attendant, qui parochiani eorum, saltem in anno semel ad confessionem non veniant: & nomina illorum ad nos vel ad officialem nostrum, seu ad ordinarium loci referant, ut debite puniantur, ne ab ipsis sacerdotibus notam negligentiæ requiramus.

Hoc autem statutum frequenter in ecclesiis præcipimus publicari, ne aliquis ex ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat. Si quis tamen alieno sacerdoti, vel alicui religioso, justa de causa, voluerit confiteri, licentiam primo postulet & obtineat a proprio sacerdote: ita tamen, quod semel ad minus in anno, proprio sacerdoti plene & integre (ut dictum est) confiteatur. Sacerdos autem cautus & discretus sit, ut more periti medici, superinfundat oleum & vinum vulneribus sauciati, diligenter inquirens peccatoris circumstantias & peccati: ex quibus prudenter intelliget, quale debeat peccatori præbere consilium ad sanandum ægrotum.

IX. *De ordinibus, & qui ad ordines admitti debeant.*

Statuimus ut omnes clerici ad aliquem sacrum Ordinem ordinandi, jejuni, diligenter ante Ordines vel Ordinis susceptionem, integraliter peccata sua confiteantur, ut mundi mente & corde & corpore, gratiam accipiant ampliorem.

Item præcipimus sub pœna suspensionis & excommunicationis, ne aliquis ad sacrũ Ordinem præficiendus (ut hactenus aliquoties visum est) epistola vel evangelio lecto, & Ordine suo recepto, recedere audeat prius, quam officium Missæ totaliter sit expletum.

Item omnes illi, qui Ordinem aliquem sacrum vel non sacrum, ab alienis episcopis receperint, nostra super hoc speciali licentia non obtenta, executionem Ordinis sibi noverint interdictam.

Item denunciamus omnibus, qui gaudere volunt privilegio alicujus Ordinis clericalis, quod nosipsos non defendemus prætextu privilegii clericalis vel Ordinis, nisi tempore quo passi fuerint injuriam, tonsuram & habitum detulerint clericalem.

Item præcipimus, ne aliquis decanus Christianitatis, presbyteros ab alienis episcopis quibuscumque, extra diœcesim Coloniensem Ordinatos, permittat in suo decanatu aliquatenus celebrare, nisi per litteras nostras ostendere possint, a nobis super hoc se licentiam vel dispensationem habuisse.

Item districte prohibemus sub pœna excommunicationis, ne aliquis furtive ad aliquem Ordinem accedere audeat, "nec plures Ordines una die aliquis recipiat. Qui contrarium fecerit, sciat se executionem suscepti Ordinis non habere: & irregularis efficitur, si ministraverit in Ordine sic suscepto. Item prohibemus, ne aliquis per saltum se faciat promoveri.

" idem ne plures

X. *De matrimonio, & ejus attinentiis.*

Prohibeant frequenter sacerdotes omnibus subditis suis sub pœna excommunicationis, ne fidem sibi dent mutuo clandestine & in occulto super matrimonio contrahendo, vel etiam clam contrahant matrimonium, sed publice coram presbytero & coram pluribus hoc faciant: & si aliter fidem dederint de contrahendo, vel contraxerint, ipsi (quos in his scriptis excommunicamus) denuncientur excommunicati.

Item excommunicamus omnes illos, qui clandestinis nuptiis interfuerint, nisi intra mensem nobis vel officiali nostro, vel ordinario loci, hoc revelaverint. Et sciant omnes, quod si aliquos qui hujusmodi clandestinas nuptias celebrarint, vel talibus nuptiis interfuerint, nos, vel officialis noster, vel ordinarius loci scire poterimus, eos severissime puniemus. Item præcipimus, quod omnes sacerdotes singulis diebus Dominicis & festivis excommunicent omnes illos & illas, qui vel quæ contra matrimonium jam contractum, vel etiam super matrimonio contrahendo, testimonium falsum "tulerunt. Præcipimus etiam, & districte officiali nostro & ordinariis locorum, qui pro tempore fuerint, injungimus, quod si tales invenerint, qui vel quæ (ut dictum est) falsum testimonium tulerint contra matrimonium jam contractum, vel etiam contrahendum, eos vel eas, ligatis a tergo manibus, & charta in collo, supra scalam in loco publico

" ferant

ANNO CHRISTI 1280.

blico poni faciant, ut per hoc eorum falsitas omnibus innotescat. Et volumus quod in scala permaneant ab hora Primæ, usque ad horam vesperarum. Et si necesse fuerit in hujusmodi casu, volumus invocari brachium sæculare. Quod si invocatum fuerit, sub pœna excommunicationis præcipimus exhiberi.

Item excommunicamus omnes illos & illas, qui aliquid" dederint, vel aliquid acceperint pro impedimentis matrimonii non revelandis, vel qui prece, precio, gratia vel favore, impedimentum matrimonii celaverint. Et ista excommunicatio a sacerdotibus in ecclesiis frequenter recitetur.

" qui fidem

Item præcipimus excommunicari omnes illos & illas, qui vel quæ contra matrimonium jam contractum, vel etiam contrahendum, sortilegia, incantationes, & ' maleficia faciant, vel fieri procurant.

' vel

Item præcipimus, cum aliquod matrimonium fuerit celebrandum, ut tribus diebus festivis in ecclesia post evangelium, a sacerdote, in cujus parochia est celebrandum " matrimonium, publice proclametur, quod tales volunt contrahere matrimonium: si aliquis sit, qui sciat legitimum impedimentum inter illos, hoc proponat antequam hujusmodi matrimonium contrahatur. Et hoc sub pœna excommunicationis subditis suis præcipiant sacerdotes. Et ipsi sacerdotes similiter de hujusmodi impedimentis inquirant. Si autem apparuerit probabilis conjectura contra matrimonium contrahendum, contractus interdicatur expresse, donec nos, vel officialis noster, seu ordinarius loci, quid super hoc fieri debeat, consulatur.

" contrahendum fuerit

XI. *De sepulturis & cœmeteriis.*

Statuimus ut nullus excommunicatus & publice nunciatus, in cœmeterio sepeliatur. Et si factum fuerit, cœmeterium illud, donec mortuus extumuletur, maneat interdictum.

Item præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne aliquis in cœmeterio interdicto sepeliatur, & ne aliquis sepulturæ tali intersit. Laïci autem quicumque tali sepulturæ interfuerint, excommunicationis sententiam (quam super hoc fieri " volumus in his scriptis) incurrant ipso facto, & excommunicati publice nuncientur. Clerici vero qui interfuerint, sententiam suspensionis ab officio, quam in eos ferimus, ipso facto se noverint incurrisse.

" ferimus

Item immunitates ecclesiarum & cœmeteriorum inviolatas & incontaminatas præcipimus ab omnibus observari: pœnas contra violatores ipsarum immunitatum innovantes, & servari mandantes, quas felicis recordationis prædecessor noster dominus Engilbertus archiepiscopus in suis constitutionibus ordinavit.

Item cœmeteria clausa & munita custodiantur, ne a porcis vel aliis animalibus ossa mortuorum comedantur. Et volumus ut in speciali loco ossa mortuorum fideliter reponantur.

Item ecclesias vel cœmeteria a laïcis, cujuscumque conditionis vel status fuerint, ad læsiones aliorum muniri vel incastellari, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ firmiter prohibemus: & qui contra fecerint, per locorum ordinarios excommunicati publice renuncientur.

Item statuimus & sub pœna excommunicationis præcipimus observari, ut quoties quis in loco religioso sepulturam elegerit, corpus primo præsentetur parochiali Missæ: & tunc demum celebrata Missa, deferatur ad ' locum, in quo elegit sepulturam.

' in

XII. *De bonis ecclesiarum non alienandis.*

Præcipimus districte sub pœna excommunicationis, quam ferimus in his scriptis in hujus mandati transgressores, ne præpositi, decani, vel presbyteri conventualium vel parochialium ecclesiarum, aliqua bona de bonis ecclesiarum alienent, nostra super hoc speciali licentia vel capituli nostri non obtenta: & si aliter actum fuerit, contractum decernimus non valere.

Item præcipimus sub eadem pœna, ut prædictæ personæ, si sciverint aliqua bona ab ecclesia alienata, ea fideliter & diligenter repetant: & si forte propter personarum potentiam, in quas hujusmodi alienatio facta est, repetere non valeant, volumus hoc nobis vel officiali nostro nunciari, ut super hoc competens remedium præbeatur.

Item excommunicamus in his scriptis omnes illos, qui occupant & detinent sine nostro & ecclesiæ nostræ consensu vel voluntate, vel etiam celaverint feuda, redditus, vel jura, quæ ad nos vel ad ecclesiam nostram Coloniensem pertinent: nisi infra mensem post publicationem hujus mandati, prædicta nobis resignent vel revelent.

Item excommunicamus omnes advocatos ecclesiarum, & alios quoscumque, & quocumque nomine censeantur, qui exactiones vel servitia indebita ecclesiæ vel ecclesiasticis personis imponunt.

Item excommunicamus in his scriptis omnes illos, cujuscumque sint dignitatis vel status, qui ecclesiæ nostræ majoris, vel aliarum ecclesiarum nostræ diœcesis homines, censum capitalem ipsis ecclesiis solventes, prætextu advocationis vel alterius coloris, exactionibus vel captionibus opprimunt vel molestant, aut bona eorum mobilia vel immobilia, post mortem ipsorum, invadunt vel accipiunt violenter.

XIII. *De malefactoribus ad ecclesiam confugientibus.*

Quia nonnulli homicidia, mutilationes membrorum, & alia maleficia perpetrant, quæ non essent perpetraturi, nisi quia sperant quod ab ecclesiis ad quas confugiunt, se tueri possint, & impunitatem suorum excessuum obtinere: statuimus quod confugientes hujusmodi ad ecclesias vel immunitates, abinde sine speciali licentia nostra vel gerentis vices nostras, nullatenus extrahantur, sed stricte custodiantur ibidem, ne inde effugiant, donec factum vel ejus qualitas, nobis vel vices nostras gerenti nuncietur. Ipsisque confugientibus nobis præsentatis, & eo quod perpetratum fuerit, autoritate nostra examinato, ad veniam vel ad pœnam circa " ipsos, prout qualitas facti exegerit, procedatur. Alia autem omnia & singula, quæ a jure vel a prædecessoribus nostris de conservandis libertatibus ecclesiarum & immunitatum, & de violatoribus earumdem sunt statuta, synodali sanctione innovamus, & præcipimus inviolabiliter observari.

" contra

Item præcipimus, hujusmodi statutum in ecclesiis a sacerdotibus frequentius publicari.

XIV. *De usurariis manifestis.*

Statuimus, ut usurarii manifesti (quos nos in his scriptis excommunicamus) excommunicati singulis diebus Dominicis per parochialium ecclesiarum sacerdotes publice nuncientur: nec ad communionem altaris admittantur, nec oblationes eorum nec eleemosynas quisquam recipiat, nec Christianam, (si in hoc peccato decesserint) recipiant sepulturam. Manifestos autem usurarios esse dicimus & vocamus, qui per sententiam, vel confessionem factam in jure, vel evidentiam rei, quæ tergiversatione celari non poterit, comprobantur. Circa usurarios autem, qui de

receptis

ANNO CHRISTI 1279. Concil Lugdun. c. 27.

receptis usuris satisfieri saltem ultima voluntate mandaverint, servetur constitutio D. Gregorii papæ X. concilii generalis, quæ est talis: Quamquam usurarii manifesti de usuris quas receperant, satisfieri expressa quantitate vel indistincte in ultima voluntate mandaverint: nihilo minus tamen eis ecclesiastica sepultura denegetur, donec vel de usuris ipsis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie satisfactum, vel illis quibus facienda restitutio, si præsto sint ipsi, vel aliis qui eis possint acquirere, vel eis absentibus, loci ordinario, vel ejus vices gerenti, vel rectori parochiæ, in qua testator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipsa parochia (quibus quidem ordinario, vicario vel rectori, cautionem hujusmodi eorum nomine liceat præsentis constitutionis autoritate recipere, ita quod illis perinde actio acquiratur) aut servo publico de ipsius ordinarii mandato, idonee de restitutione sit cautum. Cæterum si receptarum usurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus: alioqui aliam recipientis cautionem, hujusmodi arbitrio moderandam. Ipse tamen scienter non minorem, quam verisimiliter creditur, moderetur: & si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur. Omnes autem religiosos & alios, qui manifestos usurarios contra præsentis sanctionis formam, ad ecclesiasticam admittere ausi fuerint sepulturam, pœnæ in Lateranensi concilio contra usurarios promulgatæ statuimus subjacere. Nullus manifestorum usurariorum testamentis intersit, aut eos ad confessionem admittat, sive eos absolvat, nisi de usuris satisfaciant, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum, præstent, ut præmittitur, idoneam cautionem.

Lat. sub Al. c. 25.

Item statuimus, quod nullus omnino advocatus, usurario in usurarum causis patrocinium præstet, nisi juramentum faciat, quod quam cito sciverit, vel scire potuerit causam esse usurariam, eam ulterius non fovebit, nec patrocinium aliquod usurario ipsi clam vel aperte impertietur.

a præstet

XV. *De clericis in ecclesiis vel capellis celebrantibus sine nostra vel archidiaconorum licentia.*

Statuimus, ut nullus sacerdos vel clericus in ecclesia parochiali vel capella audeat celebrare, sine nostra vel archidiaconorum licentia, vel aliorum ad quos hoc pertinet, autoritate & consensu, quantumcumque a patronis, vel ab eis qui se patronos esse contendunt, ad hoc licentientur vel etiam permittantur. Et quicumque clericus vel sacerdos contrarium fecerit, excommunicationis sententiam, quam propter hoc in ipsum [b] ferimus in his scriptis, incurrat ipso facto. Et si in delicto perseverando, excommunicationem ipsam sustinuerit per septem dies, extunc tamquam irregularis, ad beneficium ecclesiasticum vel Divinorum celebrationem non admittatur, nisi prius cum enarratione facti, dispensationis litteras a sede apostolica ipsum contingat reportare.

b ipsos

Item prohibemus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne aliquis sacerdos sæcularis vel regularis parochiam aliquam teneat, vel de cætero tenere audeat, ad quam legitime non sit præsentatus, & per nos vel archidiaconos locorum, vel alios, prout hoc ad nos [c] pertinet, institutus.

c eum

Item præcipimus, ne aliquis beneficium accipiat de laicorum manibus. Qui vero contrarium fecerit, cum amissione beneficii, periculo subjaceat sui gradus. Præsentationes tamen laicorum non reprobamus, in quibus jus obtinent patronatus.

ANNO CHRISTI 1280.

Item prohibemus, ne aliquis sacerdos competens beneficium habens, cum cura, vel sine cura, de quo valeat commode sustentari, eo beneficio dimisso, ad ecclesiam alienam, tamquam vicarius vel mercenarius, audeat se transferre. Contrarium facientes, per archidiaconos locorum vel alios, prout hoc ad eos pertinet, volumus per censuram ecclesiasticam ab ipsis vicariis, si necesse fuerit, removeri.

XVI. *De executione mandatorum nostrorum, & curiæ nostræ Coloniensis.*

Præcipimus districte sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, quod decani Christianitatum & sacerdotes parochialium ecclesiarum, vel vices eorum gerentes, & omnes alii, cujuscumque sint dignitatis, conditionis & status, quod mandata nostra & curiæ nostræ & archidiaconorum nostrorum, prout eis subsunt, fideliter & viriliter exequantur. Et si timeant, quod malum aliquod per adversarium vel sæcularem justitiam, vel quemcumque alium, debeat inferri portitori mandatorum, caute ipsum expediant, & postmodum mandata curiæ nostræ adimplere procurent. Item præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ in his scriptis, omnibus & singulis sacerdotibus parochialibus vel eorum vices gerentibus, quod singulis diebus Dominicis, accensis candelis & pulsatis campanis, publice & solenniter excommunicent omnes illos qui perturbant jurisdictionem curiæ nostræ Coloniensis vel archidiaconorum nostrorum, & qui impediunt quo minus nos jurisdictione nostra utamur libere & quiete. Et exponant presbyteri singuli in suis ecclesiis, suis parochianis, in quibus intelligatur jurisdictio hujusmodi perturbari, videlicet interdicendo, prohibendo, inhiberi faciendo, vel statuendo, ne aliqui in curia nostra causam suam prosequantur. Item arrestando, capiendo, vel capi faciendo per justitiam sæcularem latores mandatorum curiæ nostræ, [a] vel illos qui in curia nostra suos adversarios trahunt in jus, vel verberando, vel verberari faciendo, vel comminando, vel litteras curiæ nostræ rapiendo, vel lacerando, vel etiam alia faciendo, per quæ processus negotii valeat retardari. Contrarium facientes, quos in his scriptis excommunicamus, per plebanos locorum ubi præmissa perpetrata dinoscuntur, excommunicati nominatim & publice in ipsorum ecclesiis nuncientur. Et si dicti excommunicati in ipsa excommunicatione per septem dies manserint, ipse locus & ecclesia (quem & quam in his scriptis ecclesiastico supponimus interdicto) denuncientur publice ab eisdem locorum plebanis interdicto ecclesiastico subjacere.

a & alios qui

Item præcipimus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ut ecclesiarum rectores, vel eorum vices gerentes, sigilla propria habeant, & procurent, intra mensem unum ab hac die numerandum. Et quod nihil recipiant, nec exigant a litigatoribus vel mandatorum curiæ nostræ latoribus, pro executione mandatorum hujusmodi facienda.

XVII. *De testamentis.*

Quia executores testamentorum nonnunquam negligenter, nonnunquam malitiose, in bonis defunctorum versantur, & quia hæc & his similia, debent diligentia episcopi emendari: præcipimus, ut coram duobus in singulis archidiaconatibus a nobis deputandis, executores testamentorum singulorum archidiaconatuum, in numero & valore bonorum defuncti, de erogatis ab ipsis reddant debitam rationem. Et concedimus his, qui a nobis super hoc erunt deputati, potestatem

ANNO CHRISTI 1280.

testatem vocandi coram se executores prædictos, & eorum contumaciam, si venire noluerint, per censuram ecclesiasticam puniendi, & exigendi ab eis debitam rationem. Si quid autem fraudis vel negligentiæ perceperint, ad nos referre procurent.

XVIII. *De interdicto ecclesiastico, qualiter sit observandum.*

Cum plerumque & communiter circa observationem interdictorum, perniciose hactenus sit erratum, communi morbo communem volentes adhibere medelam: statuimus, ut quotiescumque locum aliquem autoritate nostra ordinaria vel delegata, ecclesiastico interdicto supponi contigerit, omnibus tam extrema unctio, quam sepultura, & alia sacramenta ecclesiastica, penitus denegentur: exceptis, baptismo parvulorum, & pœnitentia morientium, ac viatico quod morientibus in pœnitentia non negatur. Clericos autem decedentes, qui causam interdicto non dederint, & qui reverenter interdictum servaverint, in cœmeterio sine campanarum pulsatione, cessante omni solemnitate, cum silentio concedimus tumulari.

Item si in aliquam ecclesiam conventualem latum fuerit interdictum, licitum sit, duobus vel tribus simul, januis clausis, voce submissa, ita quod extra audiri non possint, excommunicatis & interdictis exclusis, horas canonicas dicere, si tamen ipsi interdicto causam aliquam non dederunt. Præterea tempore interdicti licitum est ecclesiarum ministris, semel in septimana, voce submissa, clausis januis, excommunicatis & interdictis penitus exclusis, Missam celebrare ad conficiendum corpus Domini: quod (ut dictum est) morientibus in pœnitentia conferri potest.

Item si aliquibus per privilegium concessum sit, ut non obstante interdicto, Divinum possint celebrare officium, semper subintelligendum est, excommunicatis & interdictis exclusis, voce submissa, januis clausis, campanis non pulsatis, omni solemnitate prætermissa: & ita deinceps præcipimus inviolabiliter observari.

Et quia nos intelleximus, quod fratres Hospitalarii, & quidam alii asserentes se habere privilegium, quod in locis interdictis possint Divina celebrare officia excommunicatis & interdictis nominatim exclusis, abutentes hujusmodi privilegio, in locis interdictis Divina officia celebrare præsumunt, & indifferenter quoscumque admittunt, nisi specialiter expressis nominibus ipsorum excommunicatorum & interdictorum in sententia interdicti fiat mentio, irregularitatem ex hoc damnabiliter incidendo. Vnde ad vitandum deinceps hujusmodi errorem, illos nominatim interdictos & excommunicatos secundum jura dicimus, si castrum, villa, civitas, vel oppidum, sint interdicta: non nominatim interdicti vel excommunicati dicuntur, quando sic fertur sententia, excommunico vel interdico tales cum suis participibus. Participes enim non sunt excommunicati vel interdicti nominatim: & ideo tales possunt admitti ad Divina, nisi notoria esset eorũ participatio: tunc enim nõ possent admitti ad Divina. Præterea quia (ut intelleximus) quadam damnabili abusione invaluit, quod loco aliquo supposito interdicto, populus vel aliqui de populo loci interdicti, ad vicinas ecclesias pro Divinis audiendis accedunt, & ibidem indifferenter ad Divina & alia sacramenta ecclesiastica a plebanis admittuntur: id correctione dignissimum judicamus. Statuimus igitur, & sub pœna excommunicationis firmiter observari præcipimus, ut diebus Dominicis & festivis, presbyteri, antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si aliquis de loco interdicto in ecclesia sit: quem si invenerint, statim ab ecclesia abjiciant. Presbyter autem, qui proprium aut alienum parochianum excommunicatum aut interdictum, scienter ad aliquod sacramentum ecclesiasticum admittit, ipso facto se noverit esse suspensum.

** CONCILIVM LAMBETHENSE,

ANNO CHRISTI 1280.

A Ioanne Cantuariensi archiepiscopo, anno Domini MCCLXXX. celebratum.

Ex codice MS. bibliothecæ Bodleianæ edidit collector Anglicanus.

ANno Domini MCCLXXX. dominus Ioannes Cantuariensis archiepiscopus, convocatis universis episcopis, abbatibus, & toto clero suæ metropolis, apud Lamebithe, solemne concilium celebravit: in quo constitutiones Othonis & Othoboni, dudum legatorum in Anglia, in conciliis per eos celebratis promulgatas, innovavit, & impostérum inviolabiliter observandas fore decrevit. Quasdam etiam de proprio superaddidit: statuens, ut omnes rectores ecclesiarum suæ metropolis, quibus cura animarum annexa fuerit, infra annum, ad ordinem sacerdotii se facerent promoveri, eo quod nullus imposterum admitteretur ad curam animarum, nisi promotus ad sacerdotium; vel infra annum a tempore suæ promotionis vel admissionis ordinandus, sub pœna privationis beneficiorum suorum.

G. C. In concilio Redingensi anni superioris, c. 1. indictum fuerat, habendum hoc anno concilium in octavis S. Hilarii: ne quis illud confundat cum altero Lambethensi, quod anno MCCLXXXI. habitum mox videbimus.

** CONCILIVM BITERRENSE,

ANNO CHRIST. 1280.

Habitum anno MCCLXXX.

Ex conciliis Galliæ Narbonensis editis a St. Baluzio V. Cl.

Nihil ex hujus concilii actis superest, præter epistolas duas, quas hic ex Baluziana editione repræsento.

Litteræ Bernardi episcopi Helenensis ad Petrum Narbonensem archiepiscopum, metropolitanum suum, quibus se excusat quod in concilio præsentiam suam exhibere non potest, & vicariam personam pro se mittit.

Venerabili in Christo patri ac domino, P. Dei gratia sanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopo, Bernardus Sala miseratione Diuina Elnensis episcopus, salutem, & sinceram in Domino caritatem, cum omnimoda reuerentia & honore.

PAternitatis ac dominationis vestræ recepimus litteras reverenter, in quibus nobis preces & mandatum nihilo minus direxistis, ut Dominica die proxima, qua cantabitur *Lætare Hierusalem*, aliis prætermissis negotiis, apud Biterrim personaliter veniremus, super nonnullis magnis & arduis negotiis communem ecclesiarum Narbonensis provinciæ statum tangentibus, vobiscum cæterisque fratribus suffraganeis

ANNO CHRISTI 1280.

ganeis ac prælatis aliis ipsius provinciæ loquuturi, ac etiam tractaturi quod honori & utilitati communi ecclesiarum Narbonensis provinciæ expediens visum fuerit, & Dominus ministrabit. Verum quia dicta die & loco, propter solitam & frequentem infirmitatem guttæ quam patimur, de quo piget nos, ad præsentiam vestram accedere non valemus: discretum ac venerabilem virum Berengarium de Palma canonicum Elnensem & sacristam ecclesiæ Perpiniani, dilectum nostrum, hujus procuratorii exhibitorem, dominationi vestræ duximus destinandum: quem certum ac specialem procuratorem nostrum facimus, constituimus, ac etiam ordinamus, ad loquendum & tractandum una vobiscum, cæterisque episcopis suffraganeis ac aliis prælatis Narbonensis provinciæ, omnia negotia communem Narbonensis provinciæ statum tangentia, in agendis tractaturum & ordinaturum quod honori & utilitati communi ecclesiarum ipsius provinciæ expediens videbitur, & Dominus ministrabit: ratum & firmum perpetuo habituri quicquid per dictum procuratorem nostrum una vobiscum cæterisque episcopis suffraganeis, ac aliis prælatis Narbonensis provinciæ, in agendis super præmissis tractatum fuerit & etiam ordinatum. In cujus rei perpetuam firmitatem, præsentem paginam sigilli nostri munimine voluimus roborari. Datum Elnæ decimotertio Kalendas Aprilis, anno ab Incarnatione Domini millesimo ducentesimo octuagesimo.

ANNO CHRISTI 1280.

LITTERÆ CAPITULI HELENensis ad eundem archiepiscopum, quibus significat mittere se procuratorem ad concilium.

Pateat universis, quod nos capitulum Elnense, constituimus, facimus, & ordinamus certum & specialem procuratorem nostrum Raymundum Olivarii canonicum Elnensem, ad comparendum coram venerabili patre in Christo domino Petro Divina providentia sacrosanctæ Narbonensis ecclesiæ archiepiscopo, apud Biterrim in concilio provinciali, in instanti Dominica, qua cantabitur *Lætare Ierusalem*, inibi celebrando, & ad audiendum tractatus super negotiis universalem statum totius Narbonensis provinciæ tangentibus, & ad faciendum super prædictis, prout memorato concilio expedire visum fuerit, & Dominus ministrabit: ratum & firmum perpetuo habituri, quicquid super præmissis per eundem procuratorem fuerit procuratum. Et ad majorem horum firmitatem, præsentes nostri sigilli munimine duximus roborandas. Datum Elnæ duodecimo Kal. Aprilis, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo.

ANNO CHRISTI 1280.

** CONCILIUM CONSTANTINOPOLITANUM,

DE CORRUPTO MALIGNE GREGORII NYSSENI LOCO, QUO SPIRITUS S. PROCESSIO EX FILIO ASSERITUR.

A Ioanne Vecco patriarcha CP. celebratum anno Domini MCCLXXX.

ΙΩΑΝΝΟΥ

Ταπεινοῦ ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως

Σημείωμα συνοδικόν.

Μηνὶ Μαΐῳ γ΄. ἡμέρᾳ ἕκτῃ, Ἰνδικτιῶνος ὀγδόης, προκαθημένου τοῦ παναγιωτάτου ἡμῶν δεσπότου, τοῦ πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως νέας Ῥώμης κυρίου Ἰωάννου, ἐν τοῖς κατὰ τὸν ἅγιον Θεοφύλακτον κελλίοις αὐτοῦ· συνεδριαζόντων τῇ μεγάλῃ ἁγιοσύνῃ αὐτοῦ καὶ ἱερωτάτων ἀρχιερέων, τοῦ Χαλκηδόνος, καὶ ὑπερτίμου Νικολάου τοῦ Ἀθηνῶν, καὶ ὑπερτίμου Μελετίου τοῦ Λαρίσσης, καὶ ὑπερτίμου Νικάνδρου τοῦ Σερρῶν, καὶ ὑπερτίμου Λέοντος τοῦ Χερσῶνος Θεοδώρου, τοῦ Σουγδαίας Θεοδώρου, τοῦ Προικονήσου Νικολάου, καὶ τοῦ Βερροίας Λέοντος· παρισταμένων καὶ θεοφιλεστάτων δεσποτικῶν ἀρχόντων.

α΄. Καὶ θρὶξ ἐμπεσοῦσα τῷ ὀφθαλμῷ τὸ φαυλότατον ἐπισκοτεῖ μὲν καὶ τούτῳ, πολλὴν δὲ καὶ τὴν ζημίαν ἐπιφέρει τῷ λοιπῷ σώματι. εἰ γὰρ τοῦ σώματος λύχνος ὁ ὀφθαλμός ἐστιν, τούτου διακειμένου κακῶς, πᾶσα πάντως ἀνάγκη, καὶ σύμπαν τὸ σῶμα τῇ καχεξίᾳ ταύτῃ συνδιατίθεσθαι, καὶ ὅσα καὶ λύχνου σβεσθέντος αὐτοῦ, ἀμαυροῦσθαι τὸ παρ' ἐκείνου ποδηγετούμενον. καὶ θείας ὡσαύτως γραφῆς κατὰ τὸ τυχὸν κακουργηθείσης, καὶ μέχρι καὶ μιᾶς κεραίας παθούσης τὴν πρόσθεσιν, ἢ τὴν ἀφαίρεσιν, οὐκ ὀλί-

IOANNIS

Humilis episcopi Constantinopolitani Sententia Synodalis.

Leone Allatio interprete.

Mensis Maii die 3. feria sexta, Indictione octava, præsidente sanctissimo domino nostro patriarcha Constantinopoleos novæ Romæ, domino Ioanne, in cellis suis prope sanctum Theophylactum: considentibus una cum sanctitate ejus sanctissimis præsulibus, Chalcedonensi, & hypertimo Nicolao, Atheniensi; & hypertimo Meletio, Larissæo; & hypertimo Nicandro, Serrarum; & hypertimo Leone, Chersonensi Theodoro; Sogdææ Theodoro, Prœconesi Nicolao, Berrœensi Leone: adstantibus & piissimis dominis principibus.

1. Capillus res vilissima in oculum cadens, tenebras offundit, multumque noxæ reliquo corpori adfert. Etenim si corporis lucerna est, eo male se habente, prorsus necesse est corpus universum illa eadem ægritudine male affligi, & veluti lampade illius extincta, quod ab eo ducitur, obtenebrari. Similiter & sacra scriptura, utcumque depravata, etiamsi unus tantum apex vel additione vel detractione male habitus sit, non medio-

ANNO CHRISTI 1280.

crem in universum ecclesiæ corpus jactu- A ram induxerit. Et quodnam aliud corpori, cujus caput Christus est, oculorũ vicem usumque suppleverit, quam sanctorum patrũ monumenta, a capite ipso conspiciendi facultatem possidentia, & perlegentes illuminantia? Quid igitur agẽdum est de corporeo oculo, & quid in spirituali hoc excogitandum, quo non dirigente moderanteque, nemo Dominũ aspiciet? Plane quemadmodum eum purgare, qui in ea scientia plurimũ valent, consueverunt, eumque ad utilem & omnium corporis membrorum constitutionem optimam reducere : B ita procurandum est, uti fieri potest, studiumque impendendum, ut ab eo festuca quæ objicitur, & ipsam trabem exuperat, per idonea fidei dogmata germanaque dematur, ut eo jam a morbo libero, & in pristinum statum restituto, lumen splendeat, tenebræque fugentur. Verum ad quos cura ista & diligentia magis pertinebit, quam ad nos ipsos, quibus miseratione Dei patrum horum administratio demandata est, necnon aliæ omnes Divinarum litterarum, & patrum traditiones, ut tamquam legitimi filii paternorum testa- C mentorum depravatione, vel potius hereditate ab illis nobis proveniente, magna equidem, continuoque duratura, injuste spoliati, summopere indoleamus, & super illis potissimum, in quibus pacis pulchritudo resplendet, & ecclesiarum reconciliatio roboratur; & maxime si inverecunde illæ & perfide pertractantur : ut multa contingunt a quibusdam, qui veritatem discerpunt, pro libidine adeo immutatam, ut non tantum impune veritas omni scelere laceretur, sed flagitium ipsum ex Divinis quoque D litteris robur autoritatemq; accipiat. Quod si & Nyssaënsium lumen injuriæ, & fide dignus liber antiquusque, depravationi obnoxius fit: quantũ id addat ad animi ægritudinem, animas ipsas effundentium, ne aliquod reliquum sit, quod ecclesiasticam pacem impediat? Quænam rursus diligentia intentenda est, & quanam ratione conandum, ut veritas libere & cum fiducia appareat, futurumq; in tempus securitatẽ obtineat? Prorsus quã maxima, & qualem nos E addecet in similibus ponere, & pro viribus effectu quoq; ipso perficere. Quemnã itaque successum res habuerit, & quale principiũ, hoc nostro sermone aptissime indicabitur.

2. Iam Divini numinis ope, ecclesiastica pace perfecta, & multorum annorum scandalo gratia sancti Spiritus propulsato (oportebat enim aliquando similem caliginem dissolvi, & concordiæ lumen illucescere, & ex supervacuo Deum pacis devincire) debebamus nos etiam pro viribus pacem promovere, & ex sacris scripturis,

γῇ καὶ ἡ λύμη ἐπενεχθείη ἂν τῷ τῆς ἐκκλησίας ἅπαντι σώματι. Καὶ τί γὰρ ἄλλο τῷ τοιῷδε σώματι, οὗ κεφαλὴ ὁ Χριστὸς, εἰς ὀφθαλμῶν λογισθείη ἂν τάξιν καὶ χρείαν, ἢ αἱ τῶν ἁγίων πατέρων γραφαὶ, ἐκ τῆς κεφαλῆς αὐτῆς τὰς τοῦ ὀπτικοῦ κεκτημέναι ἀρχὰς καὶ φωταγωγοῦσαι τοὺς ἐντυγχάνοντας; Τί γοῦν ποιητέον ἐπὶ τῷ σωματικῷ ὀφθαλμῷ, καὶ τί διανοητέον ἐπὶ τῷ πνευματικῷ τούτῳ, οὗ χωρὶς τῆς ὀρθότητος, οὐδεὶς τὸν κύριον ὄψεται; πάντως ὥσπερ ἐκεῖνον ἐκκαθαίρειν ἔθος τοῖς περὶ ταῦτα δεινοῖς, καὶ πρὸς τὸ λυσιτελοῦν τῇ ὁλομελείᾳ τοῦ σώματος ἀποκαθιστᾶν· οὕτω καὶ τοῦτον ἄξιον, καθόσον οἷόν τε, περιποιεῖσθαι, καὶ τὸ φαινόμενον μὲν κάρφος, ὑπερβάλλον δὲ καὶ αὐτὴν τὴν δοκὸν, ὑπεξαιρεῖσθαι διὰ τὸ τῶν δογμάτων ἀξιοπρεπὲς καὶ ἀνόθευτον, ὡς ἂν ὑγιαίνοντος τούτου, καὶ καθὼς ἦν ἀποκαταστάντος, τὸ φῶς ἐπιλάμπῃ καὶ ἡ σκοτεία διώκηται. Τίσι δ' ἂν ἄλλοις τῆς τοιαύτης μελήσειε περιποιήσεως, ἢ πάντως ἡμῖν τοῖς ἐν τῷ ἐλέει τοῦ τῶν πατέρων Θεοῦ, τὴν τῶν τοιούτων οἰκονομίαν λαχοῦσι, καὶ ἐφ' ἑτέραις ἁπάσαις γραφικαῖς τε καὶ πατρικαῖς παραδόσεσιν, ὡς ἂν υἱοὶ φαινώμεθα γνήσιοι, τῶν πατρῴων διαθηκῶν παραχαραττομένων ὑπεραλγοῦντες, ἢ μᾶλλον ἡμῶν ἑαυτῶν ἀδικουμένων τὴν ἀπ' ἐκείνων κληρονομίαν τὴν μεγάλην ὄντως, καὶ ἀεὶ διαμένουσαν, πολλῷ δὲ πλέον ἐφ' αἷς τὸ τῆς εἰρήνης ἐπιλάμπει καλὸν καὶ ἡ τῶν ἐκκλησιῶν καταλλαγὴ ἐνισχύεται· καὶ τοσοῦτον ἴσως, ὅσον καὶ κακουργεῖσθαι ταύτας· ὡς τὰ πολλὰ συμβαίνει παρά τινων τὴν ἀλήθειαν σπαραττόντων, μεταποιούντων αὐτὰς πρὸς ὅπερ καὶ βούλονται, ἵνα μὴ μόνον ἀνεύθυνον ᾖ τὸ περὶ τὸ ἀληθὲς ἁμαρτάνειν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν θείων γραφῶν λογίζηται ἰσχυροποιούμενον. Εἰ δὲ καὶ ὁ τῶν Νυσσαέων φωστὴρ ὁ ἀδικούμενος ἐστὶ, καὶ ἀξιόπιστος βίβλος καὶ παλαιὰ, ἡ παθοῦσα τὴν παραχάραξιν· ὁποῖον τοῦτο, εἰς ὀδύνην ψυχῆς τοῖς προϊεμένοις καὶ αὐτὰς τὰς ψυχὰς ὑπὲρ τοῦ μηδὲν ὑπολελεῖφθαι, διὰ τὴν ἐκκλησιαστικὴν εἰρήνην, μηδενὶ σκάνδαλον· ὁποίαν δὲ πάλιν πραγματευτέον τὴν ἐπιμέλειαν, καὶ ὅπως σπουδαστέον, ὡς ἂν τὸ ἀληθὲς τὴν παῤῥησίαν ἔχῃ, καὶ τὸ ἀσφαλὲς τὸ εἰσέπειτα; πάντως μεγίστην καὶ οἵαν εἰκὸς ἐπὶ τοιούτοις ἡμᾶς ἐκπονῆσαι, καὶ κατὰ τὸ δυνατὸν διαπράξασθαι. Ὅπως τοίνυν προέβη, καὶ οἵαν ἔσχε τὴν καταρχὴν, αὐτὸς ὁ λόγος προϊὼν δηλώσει σαφέστατα.

β. Ἤδη μὲν σὺν Θεῷ τῆς ἐκκλησιαστικῆς τελεσθείσης εἰρήνης, καὶ τοῦ πολυετοῦς σκανδάλου ἐκποδὼν γεγονότος τῇ τοῦ πνεύματος χάριτι· ἔδει γάρ ποτε τὴν τοιαύτην διαλυθῆναι σκοτομανίαν, καὶ τὸ τῆς ὁμονοίας ἐπιλάμψαι φῶς, καὶ πολλῇ τῇ περιουσίᾳ τὸν τῆς εἰρήνης νικῆσαι Θεόν· ἦν μὲν ἡμῖν, καθόσον οἷόν τε, συναίρεσθαι τῇ εἰρήνῃ, καὶ ἐκ γραφῶν ἁγίων, καθὼς

ANNO CHRISTI 1280.

καθὼς ἦν ἄξιον, αὐτὴν συνιστᾶν, ἵνα μὴ ἐκ κοιλίας λέγοντες ἐλεγχοίμεθα, ἀλλ' ἐκ ποταμῶν θεοκροτήτων, καὶ κοιλιῶν ζῶντος πεπληρωμένων ὕδατος. ὅθεν καὶ νῦν μὲν ταύτην, νῦν δὲ ἐκείνην, ἄλλοτ' ἄλλην, καὶ ἁπαξαπλῶς ἁπάσας εἰς ἀκοὴν ὠτίου δεχόμενοι, εὐοδούμενοι καθ' ἑκάστην ἡμέραν τῷ τοῦ Θεοῦ ἐλέῳ πρὸς τὴν τελεσθεῖσαν εἰρήνην, καὶ ἄλλοις ὑποδεικνύοντες τὴν ὁδόν, εἴ τί που καὶ σκάνδαλον ἦν ἐν αὐτοῖς, διά τινα φόβον ἐπαινετόν, ῥᾳδίως εἴχομεν αὐτοὺς εὐπειθεῖς, καὶ μηδὲν ἀντίξουν πρὸς ἡμᾶς καὶ τὰ ἡμέτερα φέροντας. Ἀλλ', ὢ τοῦ φθόνου, καὶ τῶν σατανικῶν μηχανῶν; ἔστησαν εἰς ἐναντίαν μοῖραν καὶ τῶν ἡμετέρων τινές, καὶ δόξαν τούτοις ἀγαθόν τι ποιεῖν, εἴ πως διαπολεμοῖεν πρὸς τὴν εἰρήνην, ἔσχισαν ἑαυτοὺς τῆς ἡμετέρας ἐκκλησίας, καὶ καθ' ἑαυτοὺς ἐγεγόνεισαν· οἳ καὶ ταῖς ὑπὲρ τῆς εἰρήνης ἁγίαις γραφαῖς διὰ παντὸς καταγχόμενοι, ἔμελλον μέν ποτε προελθεῖν, καὶ ἀποθέσθαι μὲν τὸ πεισματικὸν καὶ δυσήνιον, ἀγαπῆσαι δὲ τὴν μεθ' ἡμῶν εἰρήνην, καὶ τῇ ὁλοκληρείᾳ τῆς ἐκκλησίας συγκολληθῆναι· ὃ δὴ καὶ ἐγένετο ὕστερον. Ἀλλὰ τότε καθ' ὃν μὲν καιρὸν ἡ τούτων ἔτι πεισμονὴ χώραν εἶχεν, καὶ περὶ πλείονος τῆς ἀληθείας τὴν ἰδίαν ἐτίθουν ἀρέσκειαν, τί ἕτερον ἐπὶ ταῖς τοιαύταις γραφαῖς ἦν αὐτοῖς εὔπορον; τῶν γὰρ ἐπηβόλων λόγων καὶ γνώσεως οἱ ἄνδρες ἦσαν, ἃς μὲν ἄλλως, καὶ ὡς αὐτοῖς βουλητόν, ἐπεξηγεῖσθαι, ἃς δὲ καὶ νόθους εἶναι διισχυρίζεσθαι, ἔστι δ' οὗ καί τινας ὁμολογεῖν μὲν τῶν πατέρων εἶναι, τοῦτο μόνον ὑγιῶς λέγοντας, προφέρειν δὲ ἀπολογίαν, φοβερὰν οἴμοι καὶ ἀναξίαν ὅλως τῆς τῶν πατέρων προθέσεως· ὅτι πρὸς τοὺς τότε κινουμένους λόγους παρὰ τῶν αἱρετιζόντων, ποιούμενοι τὰς γραφάς, ἔστιν οὗ καὶ τοῦ εἰκότος οἱ πατέρες διέπιπτον· τῶν οὕτω λεγόντων μὴ συνορώντων, ὡς οὐ δόξα ὅλως Θεοῦ καὶ σύστασις ἀληθείας τὸ διὰ ψευδῶν τινῶν συγκροτεῖσθαι καὶ ἀναξίων τοῦ πνεύματος. Ἀλλ' ὅπερ ἐλέγομεν, ὅλοι τότε τοῦ ἰδίου θελήματος ὄντες οἱ εἰρημένοι, καθ' ἑαυτῶν ἐσοφίζοντο, καὶ ἄδειαν εἶχον λόγων, ἐφ' οἷς ἐνδεεῖς καθίσταντο τοῦ συμφέροντος· πολλὰ μὲν καὶ διάφορα λέγοντες, εἰς ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ καταντῶντες, τὸ ἀντιλέγειν τῇ εἰρήνῃ, καὶ πρὸς τὴν τῶν γραφῶν ἀλήθειαν διαμάχεσθαι, ὅσα καὶ διαφόροις τρόποις τὸν οἰκεῖον πραγματευόμενοι ὄλεθρον. Ἀλλὰ ταῦτα πάντα ἦσαν ἡμῖν, ταὐτὸ δὲ εἰπεῖν καὶ τῇ ἀληθείᾳ, ἀνεκτά, τῶν γραφῶν σωζομένων, λέγειν ἐκείνοις τὴν ἐπεξήγησιν, οἵαν ἐβούλοντο. Τὸ δὲ καὶ εἰς σίδηρον ἀπιδεῖν, καὶ τὴν γραφὴν ἀποξύειν, ἔστι μὲν ἐκ προχείρου κατανοῆσαι, γενέσθαι διὰ ψυχῆς μόνης ὄρεξιν. τῷ δέ γε ἐπιβόλως κατανοοῦντι ἐντεῦθεν διαγνωσθήσεται, καὶ ὡς ἐπεὶ μηδόλως οἱ τοιοῦτοι ἀντειπεῖν πρὸς οὕτω φανερὰν ἀλήθειαν εἶχον, ἀπαλείφειν ταύτην διέγνωσαν. Τίς δ' ὁ τρόπος καὶ παρὰ τίνος, καὶ ὅπως, ὁ λόγος ἤδη ἐρεῖ.

A ut videbatur peropportunũ, eam constabilire, ne ex ventre loqui insimularemur, sed ex fluminibus a Deo paratis, & ventribus viva aqua repletis. Quapropter nunc hanc viam, nunc illam, alias aliã, & prorsus universas, in auris obsequentis auditum, singulis fere diebus dirigebamus, Divina misericordia ad jã perfectam pacem, & aliis viam aperientes. Et licet inter eos ob aliquem metum laudabilem scandalum irrepsisset, facili eos negotio semper obsequiosos, nec nobis, nec nostris reluctantes habuimus. Sed o invidentiã, & satanicas machinas! Nonnulli ex nostris contrariæ parti addicti, cum non absonũ id illis visum fuisset, si aliquo modo paci B adversarentur, sese a nostra ecclesia inter se congredientes avulserunt; qui continuo pro pace sacris scripturis oblatis angustati, debebant quidem aliquando procedere, deponereque pervicacem, effrænemque animum, & nobiscum una pacem amplecti, cum reliquis ecclesiæ partibus conglutinari; quod tandem factum est. Verumtamen cum eorum pertinacia invalesceret, ipsique propria placita veritati præponerent: quid aliud in similes scripturas ausuri erant, quam quod ipsis offerret occasio? Erant siquidem viri illi & sermone & cognitione versatiles, has C quidẽ in alium sensum, & ut illis placebat, raptare, has vero tamquã spurias cõtendentes rejicere; aliquando etiam quasdam ex illis confiteri patrũ esse, hoc tantũmodo recte dicentes; afferre autem responsum terribile, væ mihi misero, & prorsus indignum patrum proposito, quod in quæstiones eo ævi motas a sectatoribus commentaria edentes fuisse, cum ex æquo patres decederent. An hi, qui talia loquuntur, non intelligunt, nullam omnino Dei gloriam, nullamq; rei Divinæ constitutionem esse, quæ a falsis & spiritu indi- D gnis promovetur? Sed quod jam dicebamus, omnes tum proprii arbitrii facti, contra semetipsos captiose agebant, abutebanturque otio dicendi ea, ex quibus nullum ipsis commodum emanabat; multa quidem ac varia in medium afferentes, in unum vero ac idem collimantes, ut paci contradicerent, & scripturarum veritati adversaren- E tur, variis multisque modis propriam sibi procurantes ruinam. Sed hæc omnia erant quidem nobis ipsis, quod idem est dicere, & veritati tolerabilia, si, salvis scripturis, pravam ipsi suam interpretationem, quæcumque illa foret, adjicerent. At enim in ferrum animum intendere, eradereque scriptum, facile quispiam adverterit, pro libidine tantũmodo, & affectata cupiditate actum fuisse: at is, qui prudenter res examinat, hinc colliget, similis sortis homines cum patenti adeo veritati adversari nõ possent, eã e medio tollere animũ induxisse. Modũ, autorem, rationemq; ipsam hæc nostra oratio prosequetur.

3. Habuit inter alios libros magnus œconomus Xiphilinus a suo genero cognomēto Penteclesiota, qui simul cum uxoris suæ sororis marito, nostræ ecclesiæ referendario, Escammatismeno nuncupato, adversas partes tuebatur, volumen, ex ipsa antiquitate dignitatem habens, in quo varia commentaria Divinitus inspirata continebantur, Nyssaënsium luminis Gregorii, magni illius atque admirabilis patris. Inter eas orationes legebatur & illa, in *Pater noster*, homilia, cujus principium: *Cum adduceret magnus Moyses mystagogia, quam in monte acceperat, populum Israëlitem.* In ea cum de communibus & propriis Divinarum hypostaseon tractare, edocereque contingeret, subintulit: *Spiritus vero sanctus & ex Patre dicitur, & ex Filio esse affirmatur.* Hanc sententiæ particulam, indeque comparata pro pace subsidia, in commodum publicum attulit beatæ memoriæ ille magnus œconomus Xiphilinus, volumen illud percurrens, & ad hunc locum perveniens, volumenque sibi ad legendum comparasse ex Penteclesiota fassus est. Omnibus id patuit, & nobis ipsis, & ipsi, qui volumen possidebat, nostrisque adversabatur. Hinc non parvæ suppetiæ, Deo miserente, ad pacem ecclesiasticam stabiliendam accessere. Referendarius ergo sororis uxoris Penteclesiotæ maritus, ejusdem cum possessore libri sententiæ, id propriis oculis intuitus, & ad adeo patens dictum non valens se opponere, quod fidem etiā ex multis aliis, quæ in libro continebantur, large comparaverat, planum hoc documentū eradere, cum adhuc nostra oppugnaret, sibi proposuit: ferroque usus *ex* eradit, non considerans alia quoque volumina ad hoc ipsum comprobandum conquisita fuisse, quæ omnia exprimerent, & *ex* præpositionem abunde redderent, cum depravata nondum fuissent.

4. Sed cum aliquando pervicacia cessasset, pacem amplexatus, nobiscū communionem iniit, quemadmodum & alii plures: sæpius cum ipso nostra mediocritas de nonnullis conferebat: casu vero factum est, ut voluminis illius aliquando recordaremur. Referendarius veluti a quopiam summotus, volumen laudabat, de eoque, quod ipsi visum fuerat, enunciabat. Inter congressus vero de volumine confessus est: se in eo loco, in quo erat, *& ex filio esse affirmatur*, gladiolo, e serie illa verborum *ex* eradisse. Nescio quanam ratione id fassus sit, & quam ob causam: id tamen totum veritatis & Dei patrum fuit. Quid inde subsecutum est? Consideratio fixa, & ossium tabes nostram petit mediocritatem, quomodo talis sententia adulterata fidem perdiderat, ecclesiasticæ paci tantumdem proficua: & quomodo tot per annos e periculo elapsa, cum in

A γ'. Προσῆν ἐφ' ἑτέραις βίβλοις τῷ τοῦ μεγάλου οἰκονόμου ἐκείνου τοῦ Ξιφιλίνου γαμβρῷ, τοῦ Πεντεκλησιώτης τὸ ἐπίκλην, ὃς καὶ αὐτὸς συνάμα τῷ συγγάμβρῳ αὐτοῦ τῷ τῆς καθ' ἡμᾶς ἐκκλησίας ῥαιφερενδαρίῳ τῷ ἐσκαμματισμένῳ, τῆς ἐναντίας μοίρας τότε καθίστατο, καὶ βίβλος πολλὴν τὴν σεμνότητα ἐκ τῆς ἀρχαιότητος ἔχουσα, ἐν ᾗ πονήματα ἦσαν διάφορα θεοκρότητα τοῦ τῶν Νυσσαέων φωστῆρος, Γρηγορίου δηλαδὴ τοῦ μεγάλου καὶ θαυμασίου πατρός. εἷς οὖν τῶν ἐκεῖσε λόγων ἦν καὶ εἰς τὸ, Πάτερ ἡμῶν, ὁμιλία, ἧς ἡ ἀρχή· ὅτε προσῆγε ὁ μέγας Μωσῆς τῇ κατὰ τὸ ὄρος μυσταγωγίᾳ τὸν Ἰσραηλίτην λαόν· καθ' ὃν γινομένῳ B τῷ τοιῷδε πατρὶ περὶ κοινῶν καὶ ἰδίων τῶν τῆς θεότητος ὑποστάσεων θεολογῆσαί τε καὶ διδάξαι, ἐπῆλθεν εἰπεῖν· τὸ δὲ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐκ τοῦ πατρὸς λέγεται, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται. τὸ τοιόνδε οὖν τεμάχιον τοῦ ῥητοῦ, καὶ τὴν ἐντεῦθεν εἰς τὴν εἰρήνην συγκρότησιν, συνετέλεσε μὲν τῷ κοινῷ, ὁ τῆς μακαρίας μνήμης ἐκεῖνος μέγας οἰκονόμος Ξιφιλῖνος, διερχόμενος τὴν τοιαύτην βίβλον, καὶ κατὰ τοῦτο τὸ χωρίον γινόμενος, ἐν τῷ ταύτην ἐκ τοῦ Πεντεκλησιώτου χρήσασθαι εἰς ἀνάγνωσιν. πᾶσι δῆλον δὲ ἐγεγόνει, καὶ ἡμῖν αὐτοῖς, καὶ αὐτῷ δὲ τῷ τὴν βίβλον ἔχοντι, καὶ C ἀντικαθισταμένῳ πρὸς τὰ ἡμέτερα. ἦν τοῦτο καὶ οὐκ ὀλίγη συγκρότησις γέγονεν ἐν τῷ ἐλεοῦντι Θεῷ, εἰς τὴν εἰρήνην ἐντεῦθεν τῷ τῆς ἐκκλησίας πληρώματι. ὁ γοῦν ῥαιφερενδάριος σύγγαμβρος ὢν καὶ ὁμογνώμων ἔτι τῷ τὴν βίβλον ἔχοντι, οἰκείοις ὀφθαλμοῖς τὸ τοιοῦτον ἰδὼν, καὶ μὴ ἔχων ὅ,τι καὶ δράσειε πρὸς τοῦτο, φανερὸν ὂν, καὶ τὸ ἀξιόπιστον ἀπὸ πολλῶν τῶν τῆς βίβλου πλουτοῦν, τὸν σαφῆ τοῦτον ἔλεγχον ἀπαλείφειν ἔγνω, ἔτι τοῖς ἡμετέροις μαχόμενος, καὶ χρῆται σιδήρῳ, καὶ ὑποξύει τὸ ἐκ, μὴ ὑπολογισάμενος, ὡς καὶ ἕτεραι βίβλοι εἰς τὸ αὐτὸ ἠρανίσθησαν, κἀκεῖναι οὕτως D εἶχον, καὶ τὸ ἐκ ἐπλούτουν, καὶ τὸ ἀνόθευτον ὑπεξέφαινον.

δ'. Ἀλλ' ἐπειδὴ ἔληξε ποτὲ τούτῳ τὸ ἰδιόπεισμον, καὶ τῆς εἰρήνης ἐγένετο, καὶ μεθ' ἡμῶν τὸ κοινωνικὸν ἔσχεν, ὥσπερ καὶ ἕτεροι πλείονες· πολλάκις μὲν περί τινων πρὸς αὐτὸν ἐκοινολογεῖτο ἡ μετριότης ἡμῶν· ἔτυχε δέ πως ἀναμνησθῆναι ποτὲ τὴν ἡμῶν μετριότητα τῆς δηλωθείσης βίβλου. ὁ δέ γε ῥαιφερενδάριος, ὥσπερ ὑπό τινος παρωθούμενος, ἐπῄνει μὲν τὴν βίβλον, καὶ περὶ αὐτῆς δοκοῦντά οἱ ἔλεγεν. E διωμολόγησε δὲ μεταξὺ λέγων περὶ τῆς βίβλου, ὡς ἐν τῷ τόπῳ, οὗπερ ἦν, καὶ ἐκ τοῦ υἱοῦ εἶναι προσμαρτυρεῖται, χρησάμενος μαχαίρᾳ, τὸ ἐκ τοῦ λόγου ἀπέξυσεν· οὐκ οἶδ' ὅπως ὁμολογήσας αὐτὸ καὶ παρ' ἣν τὴν αἰτίαν· τέως δὲ ὅλον ἦν τοῦτο τῆς ἀληθείας, καὶ τῶν πατέρων Θεοῦ. τί τὸ ἐπὶ τούτοις; ἐμμέριμνος λογισμὸς, καὶ σὴς ὀστέων ἐμπίπτει τῇ ἡμετέρᾳ μετριότητι, ὅπως τοιοῦτον ῥητὸν ἐνοθεύθη, καὶ τὴν ἀξιοπιστίαν ἀπώλεσε, τῇ ἐκκλησιαστικῇ εἰρήνῃ τὰ πολλὰ συμβαλλόμενον, καὶ ὅπως χρόνοις τοσούτοις τὸν κίνδυνον ἀποδρᾶν, ὅτε καὶ ὁ κατὰ

κατὰ τῆς ἐκκλησίας τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἐσφάδαζε πόλεμος, ἀρτίως παρεχαράχθη ὑπὸ ἀποτόμῳ τομεῖ· ὡς μήτε τὸ ἐντεῦθεν τοῦ ἐκλείποντος ἀσφαλὲς εἶναι, μήτε μὴν προστεθέντος καὶ πάλιν, τὸ ἀξιόπιστον ἔχειν τὴν βίβλον καὶ ἀσφαλὲς, ἐκ τοῦ προσφάτως λογίζεσθαι προστεθῆναι, διὰ τοῦ ξύσματος ὕποπτον.

ε΄. Κοινοῦται τοίνυν τὰ περὶ τούτου ἡ μετριότης ἡμῶν τοῖς παρευρεθεῖσιν ἱερωτάτοις ἀρχιερεῦσιν, ἀδελφοῖς ἡμῶν καὶ συλλειτουργοῖς· ἀναζητεῖ θεραπείαν τοῦ πράγματος, σκοπεῖ σὺν αὐτοῖς πῶς ἂν ἐπανασωθείη τῇ ἐκκλησίᾳ τὸ αὐτῆς δίκαιον. καὶ κοινὴ βουλὴ προβαίνει, καὶ γνώμη συνοδικὴ, εἶναι μὲν τὸν τόπον κενὸν, καθ' ὃν τὸ ἐκκείμενον διαγέγραπται, ὅτι μηδ' ἀσφαλὲς ἀπό γε τοῦ νῦν γραφῆναι καὶ πάλιν αὐτὸ, ὑποψίαν τοῖς εἰς ἔπειτα ἔχον διὰ τὸ τῆς γραφῆς ὑπόγυιον· σημειωθῆναι δὲ τὰ τοῦ πράγματος, καὶ κοινὴν μαρτυρίαν καὶ πίστιν ἐντεῦθεν εἶναι, ὅπως τὸ γραφικὸν παρεχαράχθη ῥητὸν, διὰ τὴν τῶν ὀψιγόνων ἀσφάλειαν· μηδὲ γὰρ ἂν εἶναι τὸ ἀπὸ τοῦδε, οὕτω σημειωθέντος τοῦ ἀληθοῦς, διαπιστεῖν τινὰ, καὶ προφάσεις, ἃς οὐ χρὴ, κατὰ τοῦ ῥητοῦ προφασίζεσθαι. ἔδοξε τοῦτο κοινῶς, καὶ ἤδη τὴν σήμερον περατοῦται διὰ τῆς παρούσης συνοδικῆς πράξεως, ὁμολογοῦντος μὲν καὶ πάλιν τοῦ ῥαιφερενδαρίου, καὶ οὐκ ἀρνουμένου τὸ σύνολον, ὅτι τὸ ἐκ παρ' αὐτοῦ διαγέγραπται, ζητοῦντος δὲ καὶ συγγνώμην, ὅτι καθ' ὃν καιρὸν ἀφ' ἡμῶν οὗτος ἐσχίζετο, τοιοῦτον πεποίηκεν. ὅθεν καὶ ἡ παροῦσα συνοδικὴ πρᾶξις εἰς δήλωσιν γεγονυῖα ἀπετέθη τῷ καθ' ἡμᾶς χαρτοφυλακίῳ, εἰς ἀσφάλειαν μὲν τῶν εἰς ἔπειτα, ὠφέλειαν δὲ τῶν ἐντυγχανόντων τῇ βίβλῳ, μανθανόντων ἐντεῦθεν καθαρὰν καὶ ἀδόλωτον τὴν ἀλήθειαν.

ecclesiam veteris Romæ bellum desæviret, nunc demum per crudelem plagiarium corrupta sit, ut in posterum cum desideraretur ex, securitas ecclesiæ non esset, & quando etiam apponeretur, fidem volumen non haberet neque soliditatem, cum jam recens apposita fuisse censeretur propter rasuræ suspicionem.

5. Itaque hac de re omnes, qui tum aderant, sanctissimos antistites nostros & comministros nostra mediocritas participes facit, medelamque negotio poscit: unaque cum illis comminiscitur, quanam ratione ecclesiæ jus conservari posset. Et commune consilium accedit, & synodalis sententia, relinquendum esse locum illum vacuū, in quo ex antea exarata erat quod tutum non esset, nunc iterū rescribi, rursumque idem posteris suspicionem injiceret, propter scripturā recentem novam: remque gestam signandā scripto, ut inde testimonium publicum & fides proveniat, scripturæ sententiam depravatam fuisse, propter eorum, qui postmodum venturi sunt, securitatem: neque enim fieri posse, ut, sic veritate signata, alius diffidat, & prætextus haud decoros contra dictū prætexat. Visum id fuit omnibus, & jam hodie hac synodica actione perficitur, rursus idem fatente referendario, & non negante, ab eodem abrasam fuisse, veniamque petente, quod eo tempore id perfecerit, cum a nobis dissidebat. Quare hæc synodalis actio, quæ rem revelat, nostro chartophylacio reposita est, ad posterorum securitatem, eorumque, qui librum percurrunt, utilitatem, cum inde discant puram atque incorruptam veritatem.

G. COSS. NOTA.

Non extant hodie illa Gregorii Nysseni verba in ea quam designat Beccus homilia: sed neque in quatuor aliis, quas in orationem Dominicam idem Gregorius scripsit. Ex quo intelligimus eas hac parte a Græcis truncatas ad nos pervenisse. Neque enim dubitare de Becci fide possumus, qui in oratione quam de Spiritus S. processione scripsit, locum integrum refert, ex quo decerpta ea verba sunt. Neque Beccus tantum, sed Hugo Etherianus, & Manuel Calecas, locum illum repræsentant.

Cæterum quod ab illo referendario in Nyssenum, idem a Photio in Chrysostomum admissum est. Cujus in homilia de Incarnatione Domini (vel certe ipsi tributa) cum apud Io. Beccum, & Man. Calecam, & in Anglicana Savilii editione legatur, τὸ ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα, Photius Cod. 177. particulam ἐξ omisit. Nimirum cum negent Græci S. Spiritum esse ἐκ τοῦ υἱοῦ, ex filio, sentiunt negare se non posse, quin sit τοῦ υἱοῦ, filij.

SYNODUS SANTONENSIS, Ann. Dom. MCCLXXX.

Ex codice constitutionum ecclesiæ Santonensis.

Constitutiones factæ per dominum G. de S. Bricio editæ in synodo hiemali, anno Domini MCCLXXX.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *Ne quis perturbet quæ in synodo agenda sunt.*

IN primis monemus in generali, primo, secundo, tertio, ac inhibemus, ne aliquis impediat aut perturbet nos, vel officium nostrum, circa ea quæ in præsenti

senti synodo sunt agenda: & si quis contrarium A fecerit, cujuscumque conditionis & status consistit, ipsum in his scriptis excommunicamus.

II. *Ut veniant omnes, qui tenentur, ad synodum, sub pœna suspensionis.*

Item monemus omnes & singulos rectores ecclesiarum, & alios quoscumque, qui ad hanc nostram synodum venire consueverunt, aut tenentur, de quibus nos & prædecessores nostri sumus & fuimus in possessione, ut veniant. Et si venire neglexerint, nisi legitime fuerint excusati, vel legitimo impedimento detenti, vel a nobis eorum excusatio sit dimissa, in his scriptis ab officio suspendimus: & si quis alicujus excusationem habeat, illam incontinenti prætendat. Illos vero qui se non excusaverint, vel legitimum impedimentum non habuerint, citamus peremptorie. B

III. *De nominibus rectorum ecclesiarum.*

Item præcipimus omnibus archipresbyteris in virtute obedientiæ, & sub pœna suspensionis, vel excommunicationis, ut quælibet nomina rectorum ecclesiarum, in suo archipresbyteratu, qui non venerint ad hanc nostram synodum, infra quindecim dies tradant in scriptis.

IV. *De sacris fontibus.*

Item præcipimus omnibus rectoribus ecclesiarum, ut sacros fontes teneant mundos, & ipsos renovent quotiescumque opus fuerit, & honestum: clausos sub sera teneant & custodiant, propter sortilegia. Adjicientes, quod si a nobis, archidiaconis, vel presbyteris visitantibus, inventi fuerint dicti fontes, vel alia C sacramenta ecclesiastica sine sera, capellanus illius ecclesiæ solvere tenebitur visitatoribus quinque solidos pro pœna.

V. *De sancto chrismate.*

Item cum alias statutum fuerit, quod honor, & reverentia singulis sacramentis ecclesiasticis debeat exhiberi, & nonnullis locis istius diœcesis invenerimus sanctum chrisma, & sanctum oleum, in vasis minus honestis: monemus & præcipimus, ut omnes capellani, & alii qui ad hoc tenentur, quærant in suis locis vasa seu repositoria honesta & decentia, D ad dicta sacramenta tenenda & conservanda. Illos vero, quos in hoc culpabiles inveniemus, graviter puniemus.

VI. *De numero patrinorum.*

Item præcipimus, quod ista constitutio synodi, qua cautum est alias, quod tres personæ ad plus ad levandum puerum de sacro fonte admittantur, firmiter observetur.

VII. *Qualiter se debent habere laici, quando corpus Christi defertur ad infirmos.* E

Item cum creatori nostro sit summa reverentia exhibenda, & ideo fuerit alias provide constitutum, quod laici moneantur, ut ubicumque viderint corpus Christi deferri, statim genua flectant, tanquam domino & creatori suo, & quocunque transierit, orent: nos ad excitandam ad hæc fidelium devotionem, omnibus, qui corde contrito presbyterum cum corpore Christi duxerint devote, decem dierum de condigna pœnitentia injuncta relaxamus: & hoc præcipimus in ecclesiis publice publicari.

VIII. *Ut quilibet sacerdos habeat præcepta synodalia.*

Item præcipimus, ut quilibet capellanus statuta synodalia, nova & vetera, habeat & observet ac provideat diligenter: ut cum in sequentibus synodis fuerit requisitus, sciat ea plane legere & intelligere, ac super officiis suis modo debito exequendis notitiam habeat pleniorem. Quos vero super hoc negligentes invenerimus, animadversione debita puniemus.

IX. *De arcis in ecclesiis positis, & doliis.*

Item cum ea quæ Divino cultui sunt deputata, humanis non sint usibus applicanda: grave gerimus & molestum quod in quibusdam ecclesiis reponuntur arcæ[a], & dolia, & alia supellectilia privatorum; & non tam ecclesiæ quam grangiæ videantur. Quocirca districte prohibemus, ne talia in ecclesiis de cætero reponantur, apposita amoveantur: nisi instante necessitate, puta incendii, vel alia: qua cessante, ea præcipimus amoveri.

[a] scriptum erat, archæ, pro illius ætatis more.

X. *De litteris recipiendis.*

Item frequenter contingit, ut executores quibus mandata diriguntur, excommunicationi debite demandata, adjecto, quod executione facta reddant litteras sigillatas, ipsas litteras, executione non facta, sigillatas reddunt, sic in præjudicium eorum contra quos impetratæ fuerunt, ipso facto mandatum astruentes, & crimen falsitatis minus quam oporteat formidantes: sub pœna excommunicationis id de cætero fieri prohibemus.

XI. *De eodem.*

Item frequenter litteræ contra aliquem impetratæ diriguntur non capellano ipsius, sed alii, executioni mandandæ: & sic multotiens excommunicatur, ignorante proprio capellano, & excommunicatus in sua parochia nunciatur: ex quo multa pericula proveniunt animabus. Prohibemus, ne a nobis, nec aliis judicibus nobis subditis, litteræ de cætero impetrentur alii dirigendæ, omisso proprio capellano: nisi judex aliqua de causa motus, hoc duxerit concedendum. Et tunc causa illa in littera exprimatur: executores vero alias non adimpleant quod mandatur.

XII. *De nominibus excommunicatorum.*

Item præcipimus, quod omnes capellani nomina excommunicatorum parochianorum suorum, & cujus autoritate judicis, & ad cujus instantiam, & a quo tempore, excommunicati fuerint, in scriptis redigant: hæc omnia nobis tradituri in scriptis, cum fuerint requisiti.

XIII. *Ne litteræ concedantur Judæis.*

Item inhibemus sub pœna excommunicationis, ne aliqui judices ordinarii, vel eorum vicarii, civitatis & diœcesis Santonensis, aliquas litteras concedant sigillis suis sigillatas, seu confessiones audiant, super tractatibus Iudæorum contra Christianos, nec aliquas litteras executorias executioni demandent, seu faciant demandare. Et si aliquæ litteræ pro ipsis contra Christianos emanaverint, easdem decernimus non valere: inhibentes sub pœna excommunicationis prædicta, ne aliquis judex ordinarius civitatis & diœcesis Santonensis, vel eorum vicarii, aliquos debitores compellant ad solutionem dictorum Iudæorum, etiamsi prædicti Iudæi super hujusmodi debitis, litterarum testimonio sint muniti.

XIV.

XIV. *De illis qui mittendi sunt ad episcopum.*

Sacerdotes in confessione majora majoribus reservantes, mittant ad episcopum pœnitentes de homicidio, & perjurio, seu fide merita *: item de injectione manuum in parentes seu in clericos, vel quoscumque religiosos: item de incendio & simonia, de litterarum falsitate, de incestu tam naturali, quam legali, & spirituali, videlicet qui consanguineam suam cognovit, & qui consanguineam uxoris, & qui consanguinei uxorem, & qui cognovit filiam spiritualem, scilicet filiolam, vel cujus confessionem audivit: item de lapsu carnis in masculo: item de lapsu carnis cum brutis, item cum monialibus, item de violatione cœmeteriorũ, vel ecclesiarum. item de hæresi, de schismate, de sortilegiis factis, de sacramento ecclesiæ, & omnes etiam qui ad hoc consilium & auxilium impenderunt. Item mittendi sunt ad episcopum, qui abortivum coeundo vel alio modo facere præsumpserunt, & qui ad hoc auxilium, & consilium præstiterunt: item clerici qui furtum commiserunt: item clerici quocunque modo facti irregulares: item qui bis se permiserunt baptizari, vel qui interfuerunt: item qui sine tonsura aliquem susceperunt: item qui in suscipiendis ordinibus saltum fecerunt: item qui quocumque modo per se, vel per alium, homicidium fecerunt, vel procuraverunt, vel judicio sanguinis interfuerunt, & qui autoritatem, consilium, auxilium impenderunt, vel consensum in aliquo præbuerunt, unde mors hominis, vel membrorum mutilatio sequeretur, vel occasio fuerit, seu aliqua causa: item qui litteras dictat, scribit, aut legit, aut aliquod adminiculum præstat ne aliquis mutiletur, vel occidatur: item clerici seu presbyteri, qui in suspensione vel excommunicatione promoti sunt, & sic Divina celebrarunt: item sacerdos seu minister, cujus negligentia aliquid circa sacramentum altaris inhonestum quocumque modo evenerit, ad episcopum vel ejus consilium sunt mittendi.

* f. violata:

XV. *Ne diffamentur fratres Prædicatores & Minores super detectione confitentium.*

Quia quidam presbyteri, quos conscientiæ reatus accusat, timentes quod si parochiani sui fratribus Prædicatoribus vel Minoribus confessi fuerint peccata * fingentes mendaciter contra ipsos, dicunt quod confessiones confitentium detegere non verentur, peccata notoria, de quibus in populo scandalum generatur: sub pœna emendæ, vel gravissimæ pœnæ, districtius inhibemus, ne dictos fratres super detectione confitentium audeant diffamare. Peccata notoria, de quibus in populo scandalum generatur, significent sacerdotes decano; & decanus archidiacono, vel episcopo: nisi forte per eos sint sopita: timentes ne pœnam incurrant, si per alios scandalum deferatur.

* Deest aliquid.

** SYNODUS PICTAVENSIS, Ann. Dom. MCCLXXX.

Ex MS. Collegii Parisiensis Soc. IESV.

Constitutiones factæ per fratrem Gualterum tunc episcopum Pictavensem.

TITULI CAPITULORUM.

CAPITULA.

I. *De sigillatione vacuarum litterarum.*

Multiplicata pericula quæ ex sigillatione vacuarum scedularum comperimus spiritualiter & temporaliter provenire, nos inducunt ut ad obviandum hujusmodi periculis, congruis remediis intendamus. Unde districtius inhibemus, & universos & singulos in generali monemus, ne quis fungens jurisdictione ordinaria, aut quacumque judiciaria potestate, vacuas scedulas, officii occasione sibi commissi, sigillare præsumat, vel sigillum suum alii tradere, ut vacuæ scedulæ apponatur, vel ut aliquid in fraudem nostræ inhibitionis quomodolibet attentet, nec etiam in hujusmodi scedulis sigillatis, sub nomine alterius quid scribatur, nec scriptis quis utatur. Si quis autem contra præmissa fecerit, vel in his præbuerit consilium aut consensum: ipsum excommunicationis sententiæ volumus subjacere. Cujus sententiæ absolutionem, & pœnæ super hoc imponendæ taxationem, nobis specialiter reservamus.

II. *De jurisdictione archipresbyterorum.*

Cæca ac damnosa cupiditas sic aliquorum animos occupavit, ut suis finibus non contenti, ad non usitata & non licita se inclinent. Nonnulli scilicet decani rurales & archipresbyteri nostræ diœcesis Pictavensis, lucrum quærentes proprium, non commodum subjectorum, varios in diversis locis officiales constituunt, generales vicarios vel ministros quosdam, pro citationibus in futuris causis seu negotiis faciendis, pro ineundis vel recognoscendis contractibus, vel testamentis, seu faciendis recognitionibus coram ipsis: causas etiam & lites audiunt, & causarum audientiam convocant, & exercent per se, vel per alios, in locis & villis pluribus, & diversis, in quibus ipsi & eorum prædecessores prædicta non consueverunt facere ab antiquo: necnon ipsorum officiales, vicarii, vel ministri, acta coram eis tam in judicio quam extra, ipsis decanis & archipresbyteris absentibus, sub eorum nomine, ac si præsentes fuissent, scribi faciunt, & litteris signatis vel oblatis ab eis super præmissis, apponunt sigilla propria eorundem archipresbyterorũ & decanorũ, & sigillata proprio ipsorum decanorum & archipresbyterorum sigillo, in eorum absentia sub eorum nomine approbant, & iis fidem adhibent, ac si coram illis præsentaliter essent facta. Unde considerantes quod occasione præmissorum, & occasione ipsorum vicariorum, officialium, & etiam ministrorum, injuria vel ignorantia, fraude seu malitia, eis seductis per gratiam, vel sordes, plures læsi fuerint, & quanto amplius facultas in talibus laxaretur, tanto amplius lædendi opportunitas panderetur: deliberatione provida statuimus, ne præmissa fiant de cætero; vel aliquid præmissorum; & ne aliquis decanus, vel ar-

ANNO CHRISTI 1280.

archipresbyter, in pluribus locis & villis archipresbyteratus & decanatus sui, causarum audientiam convocare, vel generaliter exercere præsumat, sed in uno loco tantummodo sit contentus: nisi sunt tales, qui vel quorum prædecessores consueverunt ab antiquo in duabus villis vel pluribus audientiam exercere. Et illi, duorum locorum ad hoc antiquitus assuetorum munerum non excedant, nec pluribus sigillis, sed uno ad causas & ad contractus utantur ad hoc. Cum ipsi archipresbyteri & decani, majores causas, & negotia maxima, quæ majores causas exigunt, non debeant pertractare: inhibemus, ne de causis matrimonialibus, sacrilegiis, sortilegiis, usuris, & aliis causis & negotiis criminalibus & famosis, sive criminaliter, sive civiliter intentatis ex officio suo, vel ad partis instantiam, se aliquatenus intromittant de eis cognoscendo, pœnam super his imponendo, & ne pro subeunda purgatione vel assecuratione protestanda, aliquos præsumant coram se ad judicium evocare, nisi pro tuitione jurisdictionis suæ, si aliquis litigantium, occasione litis motæ coram eis, alibi vexaretur, vel minæ vel violentiæ inferrentur. Eos qui contrarium fecerint, pœna viginti librarum Turonensium volumus & statuimus esse mulctandos. Quæ pœna a quolibet contrarium faciente, pro quolibet excessu exigi poterit, & quartam partem ejusdem pœnæ pecuniarum deferenti prædicta in publicam notitiam, & residuum pauperibus consistentibus in presbyterio vel parochia excedentis volumus applicari.

III. *De officio subcapellanorum.*

Cum sit ars artium regimen animarum, perniciosum debet non immerito reputari, quod hi quibus regimen est commissum, & quorum industria ad hoc specialis est electa, subcapellanos sibi associant, & assumunt, rudes maxime, & ignaros, quibus potestatem absolvendi, & administrationem sacramentorum ecclesiasticorum, & ea quæ ad curam pertinent animarum, committunt generaliter pro suæ libito voluntatis, in suorum & subditorum periculum animarum. Unde nos volentes super his conveniens adhibere medelam: firmiter inhibemus, & in generali monemus, ne rectores ecclesiarum parochialium, sæculares vel religiosi, subcapellanos vel presbyteros ad executionem hujusmodi potestatis in suis ecclesiis vel parochiis admittāt, & ne ipsi subcapellani, vel presbyteri eandē executionem usurpent sine nostra licentia speciali. Si quis hujusmodi nostræ inhibitionis temerarius violator extiterit post tres mēses a tēpore editionis ipsius, tam recipientes quam receptos excommunicationi volumus subjacere. Non tamen propter hoc eisdem rectoribus adimimus, quo minus ipsis, in necessitate inevitabili, vel causa rationabili temporaliter impeditis, liceat ad supplendum ea quæ sibi in dictis incumbunt, alios presbyteros invitare. Super impedimentis vero perpetuis, vel longo tempore duraturis, ad nos volumus haberi recursum.

IV. *Qui debent domino episcopo confiteri.*

Cum cura & solicitudo totius diœcesis nobis incumbere dignoscatur: præcipimus quod abbates, abbatissæ, priores, & alii prælati, qui pro suis conventibus, vel capitulis, tam sæcularibus quam regularibus, immediate nobis subjectis, archipresbyteri, decani, & sacerdotes curati, nobis vel pœnitentiariis nostris confiteantur, vel illis quos specialiter dederimus confessores: & inhibemus, ne aliquis eos absolvat, nisi super hoc a sede apostolica vel legatis ejusdem, vel a nobis, habuerit potestatem. Item inhibemus ne canonici in locis collegiatis constituti, vel aliæ personæ in conventualibus ecclesiis, vel congregationibus ecclesiasticis, sæcularibus vel regularibus non exemptis, constitutæ, quibus non præest a nobis superior curam habens ipsorum specialiter animarum, aliquem eligant confessorem, nec ab eo recipiant ecclesiastica sacramenta, nec ea aliqui sibi ministrent, vel ipsorum confessiones audiant in foro pœnitentiali absolvendo, quibus hoc non fuerit specialiter a nobis injunctum, vel quibus ab episcopo Pictavensi cura ipsorū commissa non fuerit animarū. Item interdicimus dictis abbatibus & prioribus, curam habentibus animarum, ne subditos suos attentent absolvere in causis, in quibus est a jure absolutio specialiter reservata, sed ipsos ad nos vel pœnitentiarios nostros remittant: nisi eis in casibus prædictis absolvendi licentiam dederimus specialem.

V. *De his qui absolvere non possunt.*

Abusum erroneum qui in nostra diœcesi ex perniciosa ignorantia inolevit, eradicari volentes: inhibemus, ne diaconi confessiones audiant, & ne in foro pœnitentiali absolvant: cum certum & indubitatum sit ipsos absolvere non posse, cum claves non habeant, quæ in solo sacerdotali ordine conferuntur: & contrarium facientes, post monitionem quam super hoc in generali facimus, excommunicationis sententia innodamus.

VI. *De servientibus Judæis & usurariis.*

Cum Iudæis, ne sub prætextu alendorum puerorum, vel pro servitio, vel alia, qualibet causa, nutrices vel servientes cujuscumque sexus fidem tenentes catholicam, in domibus secum habere præsumant, canonica inhibeant instituta: nos volentes inhibitionem hujusmodi, quam multorum fertur temeritas præterire, pœnæ adjectione innovare: statuimus quod quicūque Iudæus contra præmissa fecerit, pro quolibet excessu in quinquaginta solidos puniatur secūdum jura Iudæi possint ab illicitis per ecclesiam, etiam pecuniariter coerceri: quarta parte illius pœnæ, detegenti promissa, & deferenti in publicam notitiam, & residuo pauperibus parochiæ in qua delinquens Iudæus moratur, applicando. Christianus vero vel Christiana, qui contra inhibitionem nostrā & monitionem prædictā, quā super hoc in generali facimus, servitio institerit Iudæorum, excommunicationis ipso facto incurrat sententiam. Cæterum cum fere omnes Iudæi, in civitate & diœcesi Pictavensi, usuras utriusque testamēti pagina detestatas non vereātur publice exercere: nos considerantes quod eo magis adimetur Iudæis libertas vel opportunitas fœnebrem pecuniā exercendi, cum minor sibi aderit commoditas fœnerandi: districtius inhibemus, ne decani rurales, archipresbyteri, & alii subditi nostri, super contractibus Iudæorum, obligationibus, seu conventionibus, ad commodum eorum initis, litteras sigillare, vel eas scribere, vel auctoritatem impertiri præsumant. Item ne aliquis Christianus audeat Iudæis mutuo dare pecuniam, vel rem aliam consistentem pondere, numero, vel mensura, nec cum ipsis Iudæis alium contractum in fraudem mutui celebrare, nec ipsos Christianos a Iudæis, vel Iudæos a Christianis delegatos suscipere debitores, nec cum ipsis potu, vel cibo, vel medicamento, participare. Item inhibemus, ne aliquis Christianus, extra casum necessitatis, a Iudæis voluntariam pecuniā accipiat sub usuris, vel cum eis contractum ineat, sapientem usurariam pravitatem. Si vero necessitas ipsum Christianum compulerit recipere a Iudæis pecuniam, sub usuris eam non accipiat, nec super hoc se obliget, nisi sub duarum vel trium testimonium personarum: pœnam quinquaginta solidorum pro quolibet actu imponentes cuilibet contrarium facienti: quarta parte deducenti prædicta in plenam notitiam

ANNO CHRISTI 1280.

titiam, & aliis partibus, pauperibus parochiæ ubi delinquens morabitur, juxta nostrum arbitrium applicandis. Prædictum vero statutum de non sigillandis litteris super contractibus Iudæorum, vel obligationibus ad eorum commodum initis, volumus ad officialem nostrum, & ad auditorem nostri capituli Pictavensis, qui in hoc consenserint, extendi.

VII. *De purgatione.*

Sicut justis oppressorum petitionibus inclinari convenit judicantem, sic voces malignantium querelosas ipsum decet & convenit obaudire. Eapropter tam officiali nostro Pictavensi, quam auditori causarum curiæ nostri capituli Pictavensis, de consensu ipsius capituli, & aliis subditis nostris, qui judiciaria præeminent potestate, districtius inhibemus: ne B passim & indistincte, ad supplicationem & petitionem cujuslibet, præsumant quoslibet pro subeunda purgatione, vel securitate præstanda, coram se ad judicium evocare, nec sint nimis faciles in citationibus vel talibus concedendis: sed tunc demum ad hoc procedant, quando pensatis conditionibus & meritis personarum, & incumbentis negotii qualitate, consideratisque circunstantiis quæ circa hoc fuerint attentatæ, sive propter majoritatem vel gravitatem personæ conquerentis, & super hoc, personæ jurantis, sive propter adjunctionem duarum fide dignarum personarum, una cum ipso jurantium se credere in dicta littera purgatoria, vel assecuratoria, vera esse, verisimiliter præsumitur, quod si impetravit, aliquid ex malitia non procedit. C Item inhibemus, ne quis ad subeundam purgationem super lepra, ad judicium vel eorum superiorem valeat evocari: nisi per litteras patentes capituli, in cujus parochia moratur ille qui suspectus de lepra dicitur, vel per litteras sui decani, vel archipresbyteri, prima facie innotescat, quod ipse citandus, est super hoc publice diffamatus. Item prohibemus, ne aliquis judicum prædictorum, aliquem, pro perhibendo testimonio veritati, in causa litigantium aliquorum, præsumat ad judicium personaliter evocare, nisi prius inspectis actis causæ appareat manifeste, quod status ipsius requirit testium productionem fieri, & citationem hujusmodi concedendam. Si vero aliter quam superius exprimitur, citatio concessa fuerit in præmissis: nullius sit momenti, nec D processus qui secutus fuerit ex eadem.

VIII. *De subticentibus scripta prædecessorum.*

Cum bonæ memoriæ dominus Hugo prædecessor noster, privilegia & indulgentias, litteras, & scripturas, haberet tempore mortis, quæ erant ad certificationem & ad rectificationem episcopatus in spiritualibus & temporalibus, & certitudinem sive memoriam rerum ipsius episcopi, vel episcopatus, tam immobilium, quam mobilium, & se moventium: ne per occultationem, seu subtractionem litterarum, sive indulgentiarum scriptorum illorum, nos vel episcopatum nostrum damnificari contingat, omnes & singulos, tam clericos, quam laicos, cujuscumque status, dignitatis, vel conditionis existant, E generaliter una monitione præhabita pro omnibus * & hortamur attente ut si sint vel fuerint, post dicti prædecessoris nostri obitum, litterarum vel scriptorum dictorum detentores aliqui, quod ea nobis vel officiali nostro restituant si habeant, vel dolo habere desierint: alioquin in nostram vel officialis nostri notitiam deferant infra duos menses. Monemus etiam una monitione perhibita pro omnibus, & hortamur attente omnes, & singulos, ut si qui sciant vel retro sciverint aliquos, qui litterarum & scriptorum illorum, post mortem dicti prædecessoris nostri, sint vel fuerint detentores, super hoc nos vel officialem nostrum certificent plene infra dictum terminum. Alioquin extunc, tam istos, quam illos, excommunicamus in his scriptis. Item cum dominus prædecessor noster multa bona immobilia & se moventia tempore mortis suæ habuerit: monemus una monitione perhibita pro omnibus, ut quicumque dictorum mobilium vel se moventium, vel quorumcumque mobilium ipsius episcopatus, post mortem dicti prædecessoris nostri, sint vel fuerint quidam detentores, infra duos menses nobis vel officiali nostro restituant, si habeant, vel dolo habere desierint: alioquin in nostram vel officialis nostri notitiam deferant, ut exinde faciamus quod fuerit faciendum. Sed & si qui sciunt vel sciverint aliquos, qui dictorum mobilium vel se moventium, post mortem dicti prædecessoris nostri, sint vel fuerint occasione aliqua detentores: super hoc infra dictum terminum, nos, vel officialem nostrum, plene certificent: alioquin extunc, tam illos, quam istos, excommunicamus. Item monemus & una monitione perhibita pro omnibus, archidiaconos, & archipresbyteros, ut quidquid de proventibus ecclesiarum, & aliorum beneficiorum vacantium curam habentium animarum annexam, ultra quarentenas suas, sede vacante perceperint, & alios qui de prædictis aliquid habuerint, necnon omnes illos qui de bonis sacerdotum & clericorum beneficiatorum intestatorum aliquid habuerint sede vacante, nobis vel mandato nostro restituant infra mensem.

* Deest monemus.

IX. *De perturbantibus synodum.*

Monemus una monitione perhibita pro omnibus universos & singulos in generali: ne quis audeat sanctam synodum impedire, aut quoquo modo perturbare præsumat: & contrarium facientes excommunicationis sententia innodamus. Monemus in generali universos & singulos habentes ecclesias parochiales, vel capellanias, seu beneficia curata, ut faciant in eisdem residentiam personalem. Monemus in generali omnes illos, qui sede Pictavensi vacante, beneficia curam animarum habentia, vel capellanias, seu domos eleemosynarum sint adepti, vel ad ea præsentati, sede Pictavensi vacante, qui se nobis non præsentaverint, infra tres menses coram nobis ubi fuerimus se præsentent, titulum sibi competentem in præmissis ostensuri. Inhibemus sub pœna excommunicationis, ne rectores ecclesiarum parochialium admittant aliquos capellanos non beneficiatos ad celebrandum in ecclesiis suis continuo ultra duos dies, ubi ipsi capellani litteris nostris fuerint præmuniti, quod * sibi in nostra diœcesi.

X. *De quæstuariis, decanis, & archipresbyteris.*

Inhibemus sub pœna excommunicationis, ne aliquis quæstuarius recipiatur absque nostris litteris. Inhibemus archipresbyteris & decanis, ne recedant absque nostra licentia: & injungimus eisdem, quod antequam recedant, scribant & nobis referant excessus factos contra jurisdictionem ecclesiasticam. Item quod nos certificent de locis ubi morantur Iudæi in diœcesi Pictavensi, & de prioratibus ubi consueverunt esse duo monachi, & modo nulli sunt, vel unus tantum. Item & de illis qui habent capellanias, & beneficia curata, & non sunt promoti in sacerdotes, licet ea habuerint per annum & amplius.

XI. *De bissexto & aliis.*

Monemus in generali, quod de bissexto & aliis juribus episcopalibus reddant nobis, vel mandato nostro.

ANNO CHRISTI 1281.

nostro: item de synodo, parata, & aliis juribus archidiaconorum, Capicerii, & aliorum prioratuum ecclesiæ nostræ, sibi *ab his qui ad ea tenentur satisfactum, antequam recedant. Et inhibemus sub pœna excommunicationis, ne recedant satisfactione non facta. Suspendimus omnes, & singulos, qui ad synodum venire tenebantur & non venerunt, nisi impedimento canonico fuerint detenti. Anno Domini MCCLXXX.

* Corr. sit

ANNO CHRISTI 1281.

VITA ET EPISTOLÆ MARTINI PAPÆ II. VVLGO IV.

Martinus hujus nominis secundus, Simon ante dictus, natione Gallus, patria Briensis, quondam Turoni canonicus, vir pius & sanctus, post obitam in Gallia legationem sedis apostolicæ, ex cardinale presbytero tituli sanctæ Cæciliæ creatus est pontifex octavo Kalendas Martii anno Domini 1281. tempore Rudolphi imperatoris. Viterbii coronari recusavit, quod propter violentiam illatam illa urbs interdicto subjaceret. Sed Orvieti 23. Martii inauguratus est: ipso die paschæ sex cardinales creavit. Carolus rex Siciliæ ibi eum invisit: eique senatoriam dignitatem, non sine aliqua ignominiæ nota, restituit. E familia Vrsinorum cardinalem Romam misit, qui Vrsinos cum Hannibaldis reconciliavit: ubi Richardus, laqueo in collum injecto, ad pedes cardinalis humiliter se dimisit. Cumque Romanis concessisset, ut duos senatores deligere possent, Hannibaldus Petri Hannibaldi filius, & Pandulphus Gabellus electi fuere. Palæologum, quod promissis in reconciliatione ecclesiæ Græcæ cum Latina factis non stetisset, & Perusinos, quod de facto Fulgentium invasissent & contrivissent, Petrum etiam Aragoniæ regem, ideo quod a tempore pacis, se autore cum Carolo factæ, regnum Neapolitanum divexare, Siciliamque adiutus viribus Ioannis Procidæ, autoris illius truculentissimæ stragis, quam vesperas Sicilianas vocant, occupare non desineret, excommunicavit. Tandem Perusii, quo ipse propter certos tumultus inter Gibellinos & Guelphos exortos se contulit, morbo correptus, anno 1285. animam Deo reddidit, ac in ecclesia cathedrali sepulturæ honorem accepit, dum annis quatuor, mense uno, septemque diebus ecclesiæ præsedisset. Ad ejus sepulcrum plurimi ægroti, claudi ac cæci in ejus sanctitatis testimonium sanitati restituti sunt.

EPISTOLA I.

MARTINI PAPÆ IV.

AD FRATRES MINORES.

Eis privilegium concedit prædicandi, & confessiones audiendi.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis ministro generali, & provincialibus ministris ordinis fratrum Minorum, salutem & apostolicam benedictionem.

AD fructus uberes, quos in agro Dominico, prædicando pariter & exemplo, confessiones audiendo, & per alia virtutum exercitia satis ordo vester, & humiles ipsius ordinis professores produxerunt hactenus, & sperantur in futurum, Deo auspice, producturi, attentæ considerationis aciem convertentes, ut fratres ejusdem ordinis, prædicationis & audiendi confessiones officia eo liberius & efficacius exequi va-

A leant, quo citius de ipsorum circa eadem de autoritate apostolica constabit tibi, fili, ministro generali per te, vobis vero provincialibus ministris cum diffinitoribus in provincialibus vestris capitulis congregatis, committendi autoritate apostolica fratribus ejusdem ordinis sacra pagina eruditis, examinatis & approbatis a vobis, prædicationis officium, audiendi vero confessiones, absolvendi pœnitentes, salutares eis injungendi pœnitentias, & fratribus alias idoneis concedendi: eisdem quoque sæpe fati ordinis, quibus dicta officia per vos taliter concessa seu commissa fuerint, quod eadem libere valeant exercere, plenam damus & concedimus autoritate præsentium facultatem: districtius inhibentes, ne quis fratres ipsius ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeri-
B tis, ut præmittitur, sive etiam committenda in exercitio sive executione officiorum ipsorum, audeat quomodolibet impedire. Volumus autem quod hi, qui fratribus, confitebuntur eisdem, suis parochialibus presbyteris confiteri saltem semel in anno, prout generale concilium statuit, teneantur: quodque iidem fratres eosdem ad hoc diligenter & efficaciter secundum datam eis gratiam a Domino exhortentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis & inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum apud Vrbem veterem quarto Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno primo.

C

II. AD CAPITVLVM ECCLESIÆ SANCTI MARTINI TVRONENSIS.

De privilegiis ejusdem ecclesiæ.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis decano & capitulo ecclesiæ sancti Martini Turonensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem & apostolicam benedictionem.

ECclesiam vestram, in qua dudum in minori officio constituti, thesaurariæ officium gessimus, sin-
D ceræ dilectionis brachiis amplexantes, in his quæ personis in ea virtutum Domino famulantibus votiva secundum Deum fore prospicimus nos favorabiles exhibemus. Cum itaque ordo, qui circa celebrationem Divinorum officiorum in ecclesia ipsa consuevit hactenus observari, sit per aliquorum additionem & subtractionem etiam immutatus: nos intendentes super hoc salubriter providere, autoritate vobis præsentium indulgemus, ut in celebratione officiorum prædictorum, ordinem, quem ecclesia Romana in Divinis officiis celebrandis observat, uti libere, si eidem ecclesiæ videritis expedire, possitis: & nihilo minus
E speciales ipsius ecclesiæ vestræ festivitates, si velitis, more solito celebrare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum apud Vrbem veterem, Idibus Februarii, pontificatus nostri anno primo.

II. AD IDEM.

De privilegiis ejusdem ecclesiæ.

Martinus episcopus servus servorum Dei dilectis filiis decano & capitulo ecclesiæ beati Martini Turonensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem & apostolicam benedictionem.

SPecialis illa dilectio, quam ab olim ad venerabilem sancti Martini Turonensis ecclesiam ex sinceræ devotionis integritate concepimus, solicita nos pulsat instantia, ut ejus incommodis utiliter obviando, & ipsius quieti providendo, salubriter ipsam privilegiis decoremus, insignibus & condignis favoribus foveamus. Hæc enim gloriosi præsidis suffulta præsidiis, præter illa devotionis & honoris obsequia, quæ ad reverentiam ejus, cujus sacratissimum corpus in ea celebri memoria requiescit, toto orbe terrarum generaliter promeretur ab omnibus, eo specialius est a nobis amplioris honoris titulis extollenda, quo peculiaris quodammodo reverentiæ debito ratione multiplici ex cordis intimis eidem adstringimur, & dudum ante susceptum apostolatus officium, ab ipsa nos beneficia potiora meminimus percepisse. In hac siquidem veneranda Dei ecclesia magnificis laudum attollenda præconiis, quæ velut mater benefica, non sine suavitatis materna dulcedine, suis nos diutius lactavit uberibus, canonicatum, præbendamque ac personatum nobilem thesaurariæ suscepimus, ac ipsos cum multis honoribus, magnisque profectibus, per curricula temporum non parva tenuimus sic susceptos, donec Excelsi dexteræ mutatione mirifice in patrem vocati de filio, licet immeriti, ad apicem fuimus apostolicæ dignitatis assumpti. Digne igitur ad ipsam ecclesiam speciali prærogativa dilectionis afficimur: digne beneficia grata ab ipsa nobis exhibita debita gratitudine contemplantes, nos eis gratiosos gratanter offerimus, & ejus non immemores, uberum ipsam ubertate apostolicæ gratiæ fecundamus. Volentes itaque præfatam ecclesiam, quam prædicti sancti nec immerito merita clara clarificant, non tam ob memoriam munerum ab eo perceptorum, ut diximus, quam ob ejusdem sancti reverentiam, qui ibidem præcipue veneratur & colitur, nobili privilegio decorare: universitati vestræ autoritate apostolica indulgemus, ut in omnes qui ejusdem ecclesiæ bona, sive quæ ad vos communiter, sive quæ ad aliquem, seu aliquos vestrum specialiter, aut ad capellanos seu clericos prædictæ ecclesiæ ratione ipsius ecclesiæ pertineant, manifeste invaserint, vel occupaverint, aut rapuerint, seu prædati fuerint, vel vobis, seu capellanis, aut clericis præfatis, sive aliquibus ex vobis vel ipsis super hujusmodi bonis injuriari præsumpserint, nisi canonice a vobis moniti satisfactionem ex his exhibuerint competentem, possitis libere, sive clerici fuerint sive laici, appellatione remota censuram ecclesiasticam exercere. Ac si sano usi consilio satisfactionem impenderint, prolatas propter hoc a vobis in ipsos sententias juxta formam ecclesiæ relaxare, non obstantibus quacumque apostolica indulgentia quibuscumque sub quavis verborum forma concessa, quod excommunicari aut interdici nequeant, vel suspendi, & constitutione de duobus dictis edita in concilio generali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum.

A Datum apud Urbem veterem quarto Nonas Martii, pontificatus nostri anno I.

V. Excommunicationis sententia contra Petrum Aragoniæ regem Siciliæ regni invasorem.

Martinus episcopus servus servorum Dei ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

COgit nos temporis qualitas, & nequitia plurium detestanda solicitat, ut infra scriptorum prædecessorum nostrorum gesta*, quæ plenius in archivo conservantur, ecclesiæ ipsius providere quieti cautius studeamus. Sane felicis recordationis Innocentius papa IV. prædecessor noster, culpas graves, immo gravissimas ac multiplices, ac manifestos excessus B quondam Friderici olim imperatoris Romanorum, propensi maturitate consilii, recti judicii censura dijudicans, eique secundum prava sua opera reddens, ipsum honore imperii, regno Siciliæ, ducatu Apuliæ, ac principatu Capuæ, generali super hoc congregato Lugdunensi concilio approbante, ac justitia exigente, privavit, prout in universalem mundi notitiam non est dubium devenisse: nec ab eadem creditur verisimiliter alienum, qualiter Fridericus ipse aucto superbiæ spiritu, quamquam sic digne depositus, sic juste privatus, sententiæ hujusmodi privationis prolatæ in eum pertinaci animo parere contemnens, regnum & imperium supradicta, post ejusdem prolationem sententiæ, occupata detinere præsumpsit. Qualiter autem post jam dicti Friderici obitum quondam Conradus natus ejus, paternæ malitiæ imitator, dictum regnum C præsumptuosis ausibus occupavit, & tandem prædicto Conrado humanis rebus exempto, quondam Manfredus olim princeps Tarentinus, ejusdem ut dicitur Friderici filius, qui etiam absque privatione prædicta non injuste legitimæ successionis participium perdidit, quia ipsum partus legitimus non agnovit, utpote de damnabili commixtione susceptum, ad occupationem prædicti regni temerarias & occupatrices manus extendit. Gravibus ergo & enormibus admodum per potentiam & malitiam eorundem injuriis irrogatis ecclesiæ, ipsaque in suis afflicta multipliciter fidelibus: respexit Altissimus sponsam suam, & convertens illi nubilum in serenum, scelestam prædicti Friderici domum, quæ consueverat quantumvis malis abundare D personis, sic pene redegit in nihilum, sic illam jactura multimodæ dissipationis oppressit, ut de ipsa non scintilla unica remaneret. Cōradinus videlicet Cōradi filius supradicti, qui, cum in eo malitia suppleret ætatem, ipseque annorum suorum curricula nequitia superaret, progenitorum suorum nefarios actus sequens, ac illorum profanas iniquitates amplectens, mentisq; ambitiosæ vitio imperium expetens, sibi regnum intitulando Siciliæ, se ipsius regni regem denominare temere præsumebat: & cum nonnullis ecclesiæ inimicis, Lombardis, Tuscis, Marchianis, & Apulis præcipue de regno profugis prælibato, fraudulētis se implicando commerciis, in urbe Lombardia, Tuscia, & per alia diversa loca, suas disseminare litteras præsumebat, E sub expressione sui proprii nominis & præmissæ intitulationis temere sigillo regiæ majestatis impressas, per quas commovere populum, concitare gentes, ac turbare pacem ecclesiæ nitebatur, in ipsius ecclesiæ ac carissimi in Christo filii nostri Caroli Siciliæ regis illustris grave præjudiciū & discrimen. Unde piæ memoriæ Clemens papa prædecessor noster, cum sibi de his evidentius constitisset, diligenter attendens multam ipsius Conradini malitiam, & suorum conatuum perversorum volens obviare principiis, certum habuit contra eum in hac parte processum, prout vidit ratio-

* deest sequentes.

 nabiliter

nabiliter expedire, ac negotii qualitas persuasit. Demum præfato Conradino sublato de medio, eidem regno pax rediit, aurora tranquillitatis illuxit, sedatis turbationibus & fluctibus, quos ipsius Conradini prava studia suscitarant. Sed sicut nuper non sine multa turbatione, fide dignorum relatu percepimus, nonnulli proterve assurgentes, ad nostram necnon ecclesiæ dictique regis turbationem & scandalum aspirantes, in prædicto regno ignem turbationis emortuæ reaccendere moliuntur, ad id sua studia inique congerunt, ad id suarum virtutum potentiam coacervant, manus præsumptuosas apponunt, & etiam occulti favoris auxilium largiuntur. Testatur hæc inter cætera, horrendi sceleris feralis immanitas de novo in civitate Panormitana patrati, ubi sic debacchatus est gladius, ferrum infremuit, furor incanduit, rabies insa- B nivit, manus truculenta deſævit, quod, sicut rumor mœstus enunciat, non suffecit virorum ac mulierum multitudinem inibi cædi dari, nisi & hi, quos nondum in lucem natura produxerat, maternis apertis uteris necarentur, trucidarentur innati, & delitescentibus visceribus genitricum impiæ præfocationis exitium ferretur. Quia ergo præfatum regnum Siciliæ ad Romanam ecclesiam spectare dignoscitur, suique juris & proprietatis existit, ac propter hoc nos, qui una cum ecclesia ipsa medullitus in hac parte contingimur, & quasi cujusdam acerbæ punctionis aculeo excitamur: volẽtes tam gravibus hujusmodi malorũ initiis, prout possumus, obviare, ne tam horrenda principia convalescant, præsente hac fidelium multitudine copiosa, de C fratrum nostrorum consilio, universos & singulos, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, monemus attente, districte præcipientes eisdem, ne in prædicti regni vel ejus parte, nos & eamdem ecclesiam & præfatum Siciliæ regem, qui prædictum regnum ab eadem tenet ecclesia, per se vel per alium aut alios, molestent, seu impetant, aut perturbent, occupando vel invadendo hostiliter, seu occupari vel invadi hostiliter faciant regnum ipsum, vel aliquam partem ejus. Præcipimus insuper universis & singulis Christi fidelibus, specialiter autem marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus, & universitatibus castrorum, villarum, & aliorum quorumcumq; locorum Italiæ, & maxime jurisdictioni temporali ecclesiæ Romanæ subjectis, ne præ- D dictis in occupatione vel invasione hujusmodi prorsus intendant, & ne cum armis vel sine armis, ad turbandam in prædicto regno pacem ejusdem Romanæ ecclesiæ, ac præfati regis Siciliæ in eadem, præstent eis occupatione vel invasione prædictis consilium, auxilium, favorem, publice vel occulte, & ne super hoc societatem, conjurationem, aut fœdus aliquod ineant cum eisdem. Si qui autem contra monitionem & præcepta nostra præmissa, per se, vel per alium aut alios quoscumque, dolo, fraude, arte, vel machinatione fecerint, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententia, quam exnunc in illos proferimus, ipso facto se noverint innodatos. Civitates quoque & communitates E quaslibet, quæ contra monitiones & præcepta nostra prædicta, quocumque dolo, fraude, ingenio, arte, vel machinatione venire præsumpserint, ecclesiasticæ sententiæ interdicti, quam exnunc in illos proferimus, volumus subjacere. Aperte quoque prædicimus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, & aliis inferioris gradus prælatis, quod si contra monitionem & præcepta nostra præmissa, vel eorum aliquod, venire tentaverint, nos eos omni ecclesiasticæ dignitatis honore, cæteros autem clericos non prælationis officium, sed dignitatis forsitan, vel personatus, aut alicujus ecclesiastica beneficia obtinentes, & obtentis privare cu-

A rabimus, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout nobis facti qualitas suggeret, & justitia suadebit. Laicis vero, cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, & præcipue jurisdictioni temporali ecclesiæ Romanæ subjectis, denunciamus expresse, quod si contra monitiones & præcepta nostra hujusmodi, per se, vel per alium seu per alios temere veniendo, ea non curaverint observare, nos tantæ temeritatis audaciam non intendentes relinquere impunitam, ipsos feudis & aliis omnibus, quæ a prædicta, & aliis ecclesiis ac personis ecclesiasticis, obtinere noscuntur, privare, & vassallos eorum, quos habent, a fidelitatis juramento, quo tenentur, eisdem reddere penitus absolutos, & personis eorum citra mortis & mutilationis periculum expositis, ad expositionem bonorum eorum procedere, Deo autore curabimus, prout eorumdem culpæ exegerint, & videbimus expedire. Cæterum quia prædicta civitas Panormitana, & nonnulla castra seu villæ illarum partium, contra præfatum regem Carolum, qui regnum ipsum ab eadem tenet ecclesia, rebellionis spiritum assumpsisse dicuntur: nos circa illa nolentes in hoc juris rigorem observare, sed uti potius mansuetudinis lenitate, quam in actibus nostris libenter amplectimur, intendentes ac volentes eadem ab hujusmodi erroris initio paternis studiis revocare; comitatibus, civitatibus castrorum ac villarum prædictarum, districte præcipimus, ut, sublato cujuslibet difficultatis & dilationis objectu, ad nostra mandata & ecclesiæ ac regis prædictorum redire procurent. Eisdemque comitatibus districte præcipimus, ne prædictos molestatores, & turbatores, occupatores, seu etiam invasores, aut dantes eisdem in prædictis consilium, auxilium, vel favorem, in civitatem, castra & villas, seu districtus eorum, quovis modo recipiant, vel receptent, nec ipsorum vel alicujus eorum dominio vel regimine quovislibet se submittant; neque ipsis, vel eorum alicui, contra nos & eamdem ecclesiam ac regem prædictum in ea, impendant in prædictis consilium, auxilium, vel favorem, publicum vel occultum. Nos enim confœderationes seu colligationes quaslibet, si quæ inter communitates easdem, vel ipsos & quoscumque alios, initas vel factas super occupatione vel invasione prædictis, penitus dissolventes, ac juramenta de illis servandis, vel alio quocumque modo, prædictis hinc inde præstita, relaxãtes omnino; comitatibus ipsis aperte prædicimus, quod, nisi præmissa curaverint quantocius adimplere, contra eos & civitates & castra & villas eorum spiritualiter & temporaliter, autore Domino, procedemus, quod pœna dicente cognoscere poterunt, quam sit temerarium & superbum mandatis apostolicis contraire, ut aut, *&c.*

Datum apud Vrbem veterem in platea dictæ majoris ecclesiæ, in die Ascensionis Domini, pontificatus nostri anno secundo.

V. AD EDVARDVM I. REGEM ANGLIÆ.

Monet ut duellum inter Carolum regem Siciliæ & Petrum Aragonium prohibeat.

Martinus episcopus servus servorum Dei Eduardo regi Angliæ illustri.

DEcet excellentiam regiam, & saluti tuæ nihilo minus congruit, quod in te semper vigeat sic ordinatus affectus, ut animum libenter ad promovenda Christi negotia dirigas, tranquillitatem publicam votive promoveas, desideranter horum impedimenta præpedias, & prout ex alto conceditur, incrementa procures. Ideoque conventiones multa indecentia plenas,

plenas,& temeritate non vacuas, reprobas quidem & merito reprobandas, inter cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum illuſtrem Siciliæ regem, & Petrum, exigentibus ſuis exceſſibus per ſedem apoſtolicam vinculo excommunicationis aſtrictum, quõdam Aragonum regem, non abſque nimiæ animoſitatis inordinatione habitas: circa quod ambo, cuilibet eorum comitiva centum militum aſſiſtente, ad illud concurrant, altrinſecus inſimul confligant, celſitudini regiæ confidenter exponimus: & ut tibi earum qualitas plenius pateat, ſub bulla noſtra, ipſarum de verbo ad verbum ſeriem, prout eam a memorato Siciliæ rege recepimus, deſtinamus. Ex quarum circumſpectione, manifeſte circumſpectio regalis advertet, quantum ſint conventiones eædem obviæ Crucifixi negotiis, & præcipue terræ ſanctæ, quantumque toti Chriſtianitati damnoſæ: cum illarum perſecutio non ſolum memoratum regem ab eiſdem negotiis & ipſius Chriſtianitatis promovendis utilitatibus abſtrahat, ſed & alios principes & magnates, cæteroſque fideles, qui circa proſecutionem eamdem in ſe vel in ſuis occupantur, avertat: & proinde manifeſto exponatur terra præfata diſcrimini, dum ejus ſubſidium multis excogitatum vigiliis, multiſque ſumptibus & laboribus præparatum, damnabiliter impeditur. Nec minus attendere poterit ejuſdem tuæ circumſpectionis induſtria, quam periculoſa poteſt inter Chriſticolas ex proſecutione hujuſmodi excitari commotio: quantaque illis corporum & animarum pericula ingeri: ac quantum nobis, eccleſiæ, tibi, cunctiſque catholicis, quibus eſt eis quomodolibet obviare poſſibile, poſſet a Deo & hominibus negligentia imputari: ad quantam notam adſcribi, ſi talia procedere pateremur. Propter quæ, necnon & alia non facile numeranda diſcrimina, quæ dictarum conventionum executio, Chriſtiani procul dubio prodiga ſanguinis, animarum inimica ſaluti, publicæque pacis æmula & quietis, veriſimiliter comminatur: nos illis promptis remediis obſtare volentes, promiſſionem factam a memorato rege Siciliæ, ſuper dictis conventionibus obſervandis prorſus illicitam, utpote rem prohibitam expreſſius continentem, cum non ſolum in principibus, ſimilibuſque perſonis, ſed etiam in privatis duellum non ſit ab eccleſia tolerandum, reprobandam irritandamque duximus, & penitus vacuandam, & juramentum ſuper eis præſtitum, non ſolum temerarium declarantes, ſed & carere viribus, ipſumque regem Siciliæ ad illorum decernentes obſervantiam non teneri: abſolvendo eum nihilo minus ab eiſdem, quatenus proceſſerunt de facto: ſibi diſtricte præcipimus, ut a proſecutione promiſſorum & juratorum taliter prorſus abſtineat, & omnino deſiſtat: eidem nihilo minus ſub pœna excommunicationis, & comminationis proceſſus cujuſlibet, quam contra eum quomodolibet habere poſſet eccleſia, ne ad executionem tam damnati certaminis & tam nefandi procedat, & univerſis & ſingulis Chriſti fidelibus, ne illa ſibi proſequenda ſuadeant, neve conſilio, auxilio, vel favore, in illis proſequendis aſſiſtant, diſtrictius inhibẽdo. Cum itaque impediendi tam deteſtabilia, tam nociva, tibi ſit in promptu facultas, pro eo quod, ſicut earumdem conventionum docet inſpectio, loci determinatio ad hujuſmodi conflictus exercitium deputandi de arbitrio tuo dependet, & ſecundum earum conventionum tenorem idem conflictus, novo eorundem Siciliæ & olim Aragonum regum non interveniente conſenſu, abſque tua præſentia non procedit: expedit ut ad id te promptum exhibeas, ſolers & operoſus occurras, ne ſi, quod abſit, perturbare tam perverſa negligeres, ea fovere non immerito cenſereris; ſicque pœnæ & comminationis adjectæ in præmiſſa noſtra prohibitione

A periculum, ut decet tam catholicum principem, non vitares. Quocirca ſerenitatem regiam monentes, rogantes, & hortantes, ac obſecrantes in Domino Ieſu Chriſto, & per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obteſtantes, & nihilo minus in remiſſionem tibi peccatorum injungentes, mandamus quatenus conflictum hujuſmodi tam deteſtabilem, tam horrendum, ejuſque præparatoria, omni ſtudio quo potes impedias: dictorum Siciliæ & quondam Aragonum regum adventum ad civitatem Burdigalenſem, ejuſque territorium, quin etiam ad quamcumque partem Vaſconiæ, omni quo poteris remedio præpeditionis impedias, & apertius interdicas: tuam nihilo minus in his præſen-
B tiam denegando, & tuis inſuper in partibus illis vicariis & officialibus acrius injungendo, ne prædictorum regum guardiam recipere, vel ad dictum locum deputare certamen, aut aliquod aliud in his miniſterium exhibere præſumant: ſuper quibus eis omnem penitus adimas poteſtatem. Nos enim ad tam pernicioſa, tam noxia omnimodis evitanda, ne dictos Siciliæ ac dudum Aragonum reges, civitatem eamdem, ſeu quamvis, ut prædicitur, Vaſconiæ partem, ad hæc ingredi patiaris, neve in his præſentiæ tuæ copiam facias aut promittas, ſeu locum ſæpe fato certamini deputes, aut dictos tuos in eiſdem partibus vicarios ſive officiales in his aliquod miniſterium exhibere permittas, diſtricte ſubjicimus prohibitionis edicto: ac illa omnia & ſingula, quantumcumque in aliis regio intendimus ho-
C nori deferre, tibi & eis ſub pœna excommunicationis expreſſius inhibemus: ſub eadem pœna mandantes, ut ſi aliquid horum eſt proceſſum, illud ſtudeas cum celeritate qua poteris revocare. Et nihilo minus dilectum filium noſtrum, tituli ſanctæ Cæciliæ preſbyterum cardinalem, virum utique grandi ſcientia præditum, prudentia & morum honeſtate decorum, quem ſuæ probitatis obtentu grandi affectione proſequimur, cujuſque conſiliis te in his acquieſcere rogamus & petimus, ad id inter cætera deſtinamus, ut tam te, quam prædictos vicarios, & officiales tuos, per ſe, ſi facultas adfuerit, vel per ſuos nuncios vel litteras efficaciter moneat & inducat ad parendum præmiſſis apoſtolicis monitionibus, inhibitionibus & mandatis: alioquin
D per excommunicationis in perſonas, & interdicti ſententias, ſi opus fuerit, in regnum tuum, & alias tuas ac eorumdem vicariorum & officialium terras, apoſtolica, prout expedire viderit, autoritate compellat: non obſtantibus aliquibus privilegiis, vel indulgentiis, tibi vel eiſdem vicariis, ſive officialibus, ſub quacumque verborum forma ſeu expreſſione conceſſis, quod tu vel iidem vicarii & officiales excommunicari vel interdici non poſſitis, aut eadem regnum & terra nequeant eccleſiaſtico interdicto ſupponi, per litteras apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ſeu de verbo ad verbum de privilegiis & indulgentiis hujuſmodi, ſive obtinentium eadem nominibus, men-
E tionem; & qualibet alia ejuſdem ſedis indulgentia, cujuſcumque formæ vel tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, aut totaliter non inſertam, effectus earum quomodolibet impediri valeat, vel differri.

Datum apud urbem Veterem, Nonis Aprilis, anno tertio.

ᵃ** CONCILIUM SALTZBURGENSE,

ANNO CHRISTI 1281.

In cauſa eccleſiaſticæ diſciplinæ, tempore Friderici archiepiſcopi habitum anno Domini MCCLXXXI. ſub Martino papa IV.ᵃ

ᵃ Corr. II.

TITULI CAPITULORUM.

1. *De alienationibus eccleſiarum.*

2. *De*

ANNO CHRISTI 1281.

2. *De dispensatione & prælatorum ratione facienda.*
3. *De jejunio religiosorum.*
4. *De monachis & regularibus proprietatum.*
5. *De habitu religiosorum.*
6. *De discursu religiosorum.*
7. *De capitulis episcoporum, abbatum, & aliorum prælatorum.*
8. *De immoderatis sumptibus visitatorum.*
9. *De monialibus in claustris communem vitam non ducentibus.*
10. *De pluribus beneficiis curam animarum habentibus.*
11. *De residentia plebanorum.*
12. *De advocatis ecclesiarum.*
13. *De his qui violentas manus mittunt in clericos.*
14. *De his qui loca sacra execraverint violenta sanguinis effusione.*
15. *Contra patronos & judices, qui bona decedentium clericorum invadunt.*
16. *De psalmo,* Domine quid multiplicati sunt.
17. *De falsariis clericis & laicis quocumque modo.*
18. *De his qui a laïcis instituuntur.*

HAEC SUNT INSTITUTA VENERAbilis domini Friderici archiepiscopi ecclesiæ Saltzburgensis, apostolicæ sedis legati, instituta in provinciali concilio Saltzburgensi anno Domini MCCLXXXI.

PRÆFATIO.

CUm instantia nostra quotidiana esse debeat solicitudo ecclesiarum nobis commissarum, ideo ad laudem & gloriam domini nostri Iesu Christi, qui est omnium bonorum solidum firmamentum, nos Fridericus Dei gratia sanctæ Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, Hanno, Wilhelmus, Bruno, * Thunon, Bernhardus, Gerardus, Frisingensis, Ratisponensis, Pataviensis, Brixinensis, Chimensis, Secovensis, Laventinensis, episcopi, Saltzburgæ in provinciali concilio congregati, infra scriptas constitutiones ex causis rationabilibus solenniter ac communiter edidimus, & promulgatas publice mandamus per eamdem provinciam inviolabiliter observari.

CAPITULA.

I. *De alienationibus ecclesiarum.*

Quia multi prælati bona ecclesiastica alienant, vendunt vel distrahunt minus juste, vel etiam locationes longi temporis & nocivas faciunt: de eisdem statuimus, ut nihil talium de cætero attentare præsumant, nisi expresse autoritate episcopi, & consensu conventus monasterii accedente, alias locatio & alienatio prorsus sit irrita, & alienator ab administratione temporalium, & ab ingressu ecclesiæ tamdiu sit suspensus, donec ecclesiam reddat indemnem. Et ut circa hæc fraus & alienationis materia præcludatur, volumus ut sigillum capituli non apud abbatem, vel apud prælatum, sed apud maturiores & fide digniores tres fratres capituli, reservetur.

II. *De dispensatione & prælatorum ratione facienda.*

Item, ne etiam res ecclesiasticæ in usus indebitos convertantur, & fidelis dispensatio prælatorum apparentius elucescat: diffinimus, ut de bonis ecclesiæ semel in anno prælatus cujuslibet conventus ecclesiæ convenientium, suo de omnibus redditibus & proventibus monasterio plenam faciat rationem, præsente episcopo, vel ejus nuncio ad hoc specialiter deputato, si episcopus fuerit ad hoc requisitus: & bis vel ter in anno a suis officialibus, monachis & laïcis computationem discretam faciat & fidelem: alioquin incidit supradictam *. *f. pœnam*

III. *De jejunio religiosorum.*

Item a festo Martini ab omnibus religiosis usque ad Nativitatem Domini jejunium observetur: & a quinquagesima eisdem præcipimus jejunium in cibis quadragesimalibus inchoare: salvis omnibus jejuniis aliis a suorum regulis institutis.

IV. *De monachis & regularibus proprietatum.*

Item statuimus, ut monachi vel regulares, nisi a notitia præsentium infra dies quindecim, vel ante, ad manus suorum offerant prælatorum, usque ad restitutionem debitam, ab officio sint suspensi; & nihilo minus, si manifesta sit proprietas, carcerali custodiæ mancipentur.

V. *De habitu religiosorum.*

Item ut habitus debitus unicuique, religiosos & religiosas distinguat a sæcularibus, a quibus debent esse vita & moribus separati: volumus etiam, ut quilibet religiosi & religiosæ, tam monachi, quam extra monasteria, veste suæ religionis utantur, & vestes sæculares nullatenus assumere præsumant.

VI. *De discursu religiosorum.*

Item inhonestos & indecentes religiosorum discursus amputare volentes, determinamus ut quicumque prælatus monachum fugitivum vel ejectum, ad admonitionem episcopi, rectorum vel visitatorum ordinis, non receperit, extunc sit a temporalium administratione suspensus, donec recipiat monachum vagabundum: ut inquietos & inobedientes coercere possint per pœnas in sua regula constitutas, & mancipare carceribus penitus incorrigibiliter obstinatos, ubi magis visum fuerit expedire, quod de consilio ordinarii ad alia sui ordinis claustra destinentur.

ANNO CHRISTI 1281.

VII. *De capitulis episcoporum, abbatum, & aliorum prælatorum.*

Item, licet felicis recordationis Gregorius papa nonus providere[a] statuerit, ut in singulis regnis seu provinciis, prælati ordinis sancti Benedicti de triennio in triennium capitula regularia celebrare deberent, & nos idem statutum in provinciali duxerimus innovandum: quia tamen nullus fructus adhuc est ex prædicto statuto & innovatione; repetita vice decrevimus eadem capitula celebrari; jure tamen ordinariorum per omnia salvo.

[a] Corr. provide

VIII. *De immoderatis sumptibus visitatorum.*

Item, ne monasteria immoderatis visitatorum sumptibus graviter onerentur: statuimus, ut quilibet abbas, qui pro tempore visitator fuerit, vel etiam capitulum generale accesserit, octo evectionum numerum non excedat: inferiores vero abbates, paucioribus sint contenti.

IX. *De monialibus in claustris communem vitam non ducentibus.*

Item, cum dolore accepimus, quod quædam moniales in eodem monasterio communiter habitantes, communem vitam non ducunt, nec in eodem comedunt refectorio, sed seorsum per cameras speciales. Volumus igitur ut communiter regularia loca frequentent, & in eodem refectorio communibus cibis utantur. Et quod abbatissa ab adventu Domini usque in octavam Epiphaniæ, & a Septuagesima usque in octavam Paschæ, in dormitorio dormiat, & in refectorio comedat cum eisdem.

X. *De pluribus beneficiis curam animarum habentibus.*

Item, cum in nostro provinciali concilio proxime celebrato clericis plura beneficia curam animarum * habentibus duxerimus injungendum, ut infra certum terminum & tempus, dispensationis suæ fidem nobis facerent, ut ultimo eis remanente beneficio juxta Lateranense[a] concilium prioribus essent ipso jure privati: ex superabundanti expectantes expectavimus usque modo. Quare volumus districte præcipientes, ut durante tempore præsentis nostri concilii litteras suæ dispensationis nobis exhibeant: alioquin quod prius contra tales beneficiatos statutum est, efficaciter exequemur, hujusmodi beneficia, tamquam de jure vacantia, personis idoneis conferendo.

[a] Later. IV. c. 29.

A

XI. *De residentia plebanorum.*

Item licet rectoribus ecclesiarum qui a residentia excusantur, mandaverimus in proximo concilio, quatenus personas idoneas ordinarent in ecclesiis suis in perpetuós vicarios institui ac locari, trimestri tempore ad hoc exequendum indulto: tamen quia in hoc exhibuerunt se aliqui negligentes, nos institutionem hujusmodi vicariorum, seu locationem ecclesiarum, simul & moderamen præbendarum, præcise ad nostram providentiam revocamus, sublata eis B omni circa provisionem hujusmodi potestate: ut sic puniantur, ex eo in quo delinquere præsumpserunt.

XII. *De advocatis ecclesiarum.*

Item, sub velamento advocationis nonnunquam gravantur monasteria, conventualium, parochialium, & aliarum ecclesiarum libertas & [a] immunitas perturbantur: decrevimus, ut omnes qui occasione hujusmodi, aliquod jus sibi vendicant in C ecclesiis, nisi de jure suo ordinarium loci contractum[b] fecerint, ante festum sancti Ioannis Baptistæ, quem eis ad hoc terminum peremptorium assignamus; extunc super hoc de cætero nullatenus audiantur; & clericus, qui se non opposuit taliter usurpanti, pœnam sustineat nuper in Lugdunensi[c] concilio statutam.

[a] Manuscriptus habet, emunitas. Emendavit Binius, qui vocem illam relinquere debuisset, barbaram quidem, at minus politis seculis receptissimam.

[b] f. certum fec.

[c] c. 22.

XIII. *De his qui violentas manus mittunt in clericos.*

Item, cum hi qui violentas manus mittunt in clericos, incidant ipso facto in canonem D legitime promulgatum: districte præcipimus, ut in parochia, in qua tale delictum commissum fuerit, vel talis malefactor domicilium habuerit, rectores illarum ecclesiarum ipsum excommunicatum devitent, & denuncient singulis diebus Dominicis & festivis; ut sic rubore perfusus, ad matrem ecclesiam citius revertatur. Illos vero clericos, qui vel alios nominatim excommunicatos, vel interdictos, ad Divina E vel ecclesiasticam sepulturam scienter receperint, ab omni officio ecclesiastico suspensos decernimus remanere: utpote qui sua temeritate nituntur frangere nervum ecclesiasticæ disciplinæ. Et eū * qui in prædictam denunciationem, postquam sibi per ordinarium fuerit demandatum, negligens fuerit aut remissus, per quindecim dies ab ingressu ecclesiæ, & ab officio sit suspensus, & culpam reiteratam pœnæ reiteratio subsequatur. Monemus etiam religiosos quoslibet, ut circa prædictum statutum, ordinationem[a] recolendæ memoriæ domini Guidonis curent inviolabiliter observare.

[a] Concil. Vienn. ann. 1267. c. 4.

ANNO CHRISTI 1281.

XIV. *De his qui loca sacra execraverint violenta sanguinis effusione.*

Item statuimus, ut quicumque violenta sanguinis effusione cœmeterium vel ecclesiam execraverit, ad expensas pro reconciliatione impendendas, execrationibus hujusmodi * teneatur. Si solvendo fuerit rebellis, per censuram ecclesiasticam a rectore loci, autoritate hujus concilii arctetur: si vero solvendo non fuerit, alias pro ipsius diœcesani arbitrio puniatur.

* Hæc vocula in manuscripto desiderabatur, *ait Binius, qui primus edidit.*

XV. *Contra patronos & judices, qui bona decedentium clericorum invadunt.*

Item statutum bonæ memoriæ Guidonis contra patronos & judices & præcones editum, qui bona invadunt decedentium clericorum, pro necessitate temporis aggravantes: statuimus, ut raptores rerum hujusmodi vacantium ecclesiarum ipso jure excommunicationem incurrant: & in locis, ad quæ eadem bona violenter ablata, deducta illa eo * fuerint, postquam hoc ecclesiarum rectoribus innotuerit, cessetur tamdiu a Divinis; donec subrepta eadem, successori defuncti reddantur, & in loca pristina reportentur, & alias satisfactio competens subsequatur. Et hoc statutum non solum ad futura, sed ad præterita extendatur.

* f. deducta illico.

XVI. *De psalmo,* Domine quid multiplicati.

Item reminiscens Moysi servi Domini, qui hostes populi sui non ferro pugnando, sed prece orando dejecit: statuimus, ut per præsentis anni decursum in instanti adventu Domini inchoandum, in singulis cathedralibus, conventualibus & parochialibus ecclesiis, psalmus, *Domine quid multiplicati*, cum oratione Dominica, & versu, Fiat pax in virtute tua, Esto nobis turris fortitudinis, & collecta, Deus, a quo sancta desideria, clerus, provolutis in terram genibus, & erectis in cælum cordibus, in Missa post tertium Agnus Dei quotidie semel dicat: quatenus Dominus noster Iesus Christus, rex pacificus, sedatis tribulationibus, & ecclesiarum persecutoribus & invasoribus humiliatis, pacem in populo suo multiplicatis intercessoribus largiatur.

Psal. 3.

XVII. *De falsariis clericis & laicis quocumque modo.*

Item ad falsariorum malitiam reprimendam diffinimus, ut qui clerici vel laïci sigilla vel litteras principum vel prælatorum falsare, vel falsis scienter uti præsumunt, aut etiam falsam monetam cudere, vel quodcumque æs seu metallum adulterine fabrefacere, aut his omnibus vel similibus uti scienter præsumpserint, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Clericis nihilo minus, si de hoc convicti fuerint, carcere episcopali mancipandis: laïcis autem sæculari judicio condemnandis.

XVIII. *De his qui a laïcis instituuntur.*

Item constitutio concilii proxime celebrati, quæ clericis de manibus laïcorum, antequam per ordinarios instituantur, ecclesias recipientibus, pœnas ingerit & infligit, in eo, quod experientia deesse docuit, supplere volentes: statuimus, ut quicumque clericus contra processus pœnas, & ordinationes ordinarii, contra eum habens defensionem præsidio laïcorum, illaque ausus fuerit uti, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Verum cum parum sit jura condere, nisi sint qui eadem tueantur, præcipimus, quatenus salutaria nostra monita, ut moribus utentium approbentur, in quatuor temporibus anni, in singulis cathedralibus & conventualibus ecclesiis recitentur. Rectores vero ecclesiarum ipsa scripta habeant, & per singulas synodos ab archidiacono de earum rerum observantia interrogari præcipimus, & inquiri, & nihilo minus sine delectu personarum * præviemus in obedientiam, qui nostrarum sanctionum inventi fuerint contemptores.

** CONCILIUM LAMBETETHENSE,

ANNO CHRISTI 1281.

A Cantuariensis provinciæ antistibus celebratum anno Dom. MCCLXXXI.

ANno gratiæ MCCLXXXI. *ait VValsinghamus*, qui est annus regis Eduardi, a conquestu primi, octavus: frater Ioan. Peckhā Cantuariensis archiepiscopus, ne nihil fecisse videretur, convocat concilium apud Lambheyth, in quo constitutiones Othonis & Othoboni, quondam legatorum in Anglia, innovans, jussit eas ab omnibus custodiri.

Cōstitutiones fratris Ioannis de Peckham, quondam archiepiscopi Cantuariensis, editæ apud Lambeth, anno Dom. MCCLXXXI. & regis Eduardi primi, IX.

TITULI CAPITUM.

1. *De sacramento Eucharistiæ.*
2. *De annalibus celebrandis, & anniversariis.*
3. *De baptismo, & ejus effectu.*
4. *De sacramento Confirmationis.*
5. *Ne simul & semel quinque ordines conferantur.*
6. *De Confeßione.*
7. *De eodem.*
8. *De Pœnitentia.*
9. *De uno confessore in quolibet decanatu faciendo.*
10. *De informatione simplicium.*
11. *De hospitalitate tuenda.*
12. *De certificationibus faciendis.*
13. *De falsis procuratoriis non signandis.*
14. *Ne fiant clandestinæ inquisitiones.*
15. *De firmis.*
16. *De religiosis.*

ANNO CHRISTI 1281.

17. *De corruptoribus monialium.*
18. *Item in eodem.*
19. *Item in eodem.*
20. *De apostatis.*
21. *Ne religiosi, executores testamentorum fiant.*
22. *De habitu clericali.*
23. *De filiis presbyterorum.*
24. *De institutionibus.*
25. *De clericis plura beneficia occupantibus.*
26. *De advocatis.*
27. *De suffragiis pro archiepiscopis & episcopis habendis.*

PRÆFATIO.

AB exordio nascentis ecclesiæ Christianæ, orthodoxi patres, retroactis temporibus, errorum laqueis, morum corruptionibus, adversitatum molestiis, conciliorum tractatibus obviarunt. In eis siquidem sapientes se mutuo exacuunt, & congregati, sancti viri, Christi domini sensum & consilium faciliter impetrarunt, qui se spondet talibus sui nominis honorem zelantibus medium affuturum. Sanctorum patrum igitur vestigiis inhærentes, jurisque autoritate compulsi, ac necessitate multiplici ecclesiæ perurgente: nos frater Ioannes, permissione Divina, Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliæ primas, cupientes præsentibus incommodis obviare; sperantesque, Christi patrocinante gratia, ad hoc nos posse proficere, cum fratrum ac coepiscoporum nostrorum, ac cæterorum provinciæ nostræ prælatorum assistentia efficaci, de prudentum virorum consilio, hoc sacrum concilium mandavimus convocari. Intendentes, prævia Spiritus sancti gratia, opere & consilio, transgressores canonum corrigere; quædam etiam olim salubriter edita, non tamen satis moribus utentium comprobata, recentia stabilire; & contra novellas quasdam tergiversationes, quas in furno sulphureo nō cessat abyssi puteus exhalare, novis quibusdam remediis occurrere, ut valemus, in quo obtrectatorum dentes minime formidamus. Quoniam, etsi res Divinæ tanquam perfectissimæ in certis consistant finibus, humani tamen juris conditionem in infinitum currere cogit necessitas manifesta. Contemptum autem canonum immane esse piaculum, utriusque docet pagina testamenti. Decretis enim apostolicis, & conciliorum diffinitionibus obsistentes, a sanctæ matris ecclesiæ meritis sunt præcisi: utpote quos romphæa Mosaïca plectit sententia capitali; & sapientia incarnata illos, qui ecclesiam non audiunt, ethnicis & publicanis similes esse decrevit; ac contemptum autoritatis apostolicæ in contemptum patris omnium redundare. Quippe quos legum suarum Petrus ligat vinculis, in summi & cælestis

A imperatoris palatio sunt ligati. E contra tamen quosdam frivole de Christiani nominis titulo gloriantes, tam clericos quam laïcos, quotidianis angustiis experimur jugum abjicere, & apostolicas sanctiones arrogantia diabolica conculcare, illius gloriosi martyris Thomæ patriarchæ nostri immemores, qui se pro hujusmodi juribus defensandis murum opposuit pro ipsis, primum sustinens exilium, & postea passionem. Lateranensis igitur concilii autoritate præmoniti, faciemus canonicas regulas revocari. Et quia Lugdunense concilium ultimo celebratum, eo B enormius, quo recentius infringitur: ne quis possit se in temeritate hujusmodi per ignorantiam excusare, ipsum volumus in principio recenseri, non solum ut omnibus innotescat, verum etiam, ut si quid in ipso videatur intolerabile istius regionis consuetudini, quæ in multis ab omnibus aliis est distincta, circa illud, temperamentum apostolicæ clementiæ humiliter imploretur. Quoniam, sacro testante eloquio, *melior est obedientia quam victimæ*: & quia *peccatum ariolandi est repugnare; & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* (1. Reg. 15.) C Hanc enim inobedientiam credimus esse causam mutationis utriusque parentis" ecclesiæ Anglicanæ. (" f. partis) Secundo, constitutiones sanctæ memoriæ domini Othoboni eo legi faciemus reverentius, quo ipse in eisdem statutis suis hoc mandavit fieri hujusmodi per singulos annos ab archiepiscopis, episcopis, in synodis suis, de verbo ad verbum, postea ad honorem apostolicum sub imatus. Tertio, vero recitari volumus concilium de Lametheth, quod, sanctæ memoriæ, prædecessor D noster Bonifacius cum fratribus & coepiscopis sui temporis noscitur salubriter edidisse: ut circa ipsum quod dicitur fuisse appellatione suspensum, qualiter procedi debeat videatur. Vltimo vero adjicimus quæ nobis videntur necessario ordinanda.

CAPITULA.

I. *De sacramento Eucharistiæ.*

ALtissimus de terra assumpti corporis creavit humani generis medicinam in septem vasculis repositam, quæ ecclesiæ septem sacramenta: quæ a plerisque E nec cum condigna tractari reverentia, nec cum debita diligentia dispensari, fide didicimus oculata. In his igitur præsens correctio sumat exordium, & præcipue circa corporis & sanguinis Domini sacramentum, quod est sacrum & sacrificum sacramentum, sanctificans manducantes, & sacrificium oblatione sua universis tam vivis quam defunctis proficiēs, pro quorum suffragiis immolatur. Multos igitur esse numero, & paucos merito. Dñi sacerdotes, quotidianū " scandalū experimur: inter quorū damnabiles acedias, hāc plangimus præcipue, quod ad hoc ipsum Eucharistiæ (" f. per quot. scand.)

ANNO CHRISTI 1281.

ſacramentum ſe irreverentes exhibent ſupra modum, quod ex eccleſiaſticis * linguis conficiunt, cõtemptibiliter cuſtodiunt, & reponunt, & ipſum tanto tempore negligunt immutatum, donec corrumpantur ſpecies continentes, ut ſalutis autor, qui infinito amore ſe in viaticum dedit eccleſiæ, pro tantæ irreverentiæ injuria offendatur. In cujus remedium diſcriminis, ſtatuimus, ut quilibet ſacerdos, quem canonica neceſſitas non excuſat, confiteatur omni hebdomada ſaltem ſemel, & ut in qualibet eccleſia parochiali fiat tabernaculum cum clauſura, decens & honeſtum, ſecundum magnitudinem & eccleſiæ facultates, in quo ipſum corpus Domini in pyxide pulcherrima & lineis tegumentis, ſed nullatenus in loculo, propter comminutionis devitandum periculum, collocetur: quod in omni Dominica præcipimus renovari. In elevatione vero ipſius corporis Domini pulſentur campanæ in uno latere, ut populares, quibus celebrationi Miſſarum non vacat quotidie intereſſe, ubicunque fuerint, ſeu in agris, ſeu in domibus, flectant genua, indulgentias conceſſas a pluribus epiſcopis habituri. Sacerdotes autem in cuſtodia Euchariſtiæ negligentes puniri præcipimus, ſecundum regulas concilii generalis, cap. *ſtatuimus*, & gravius, ſi negligentia perſeveret. Circa deportationem vero Euchariſtiæ ad ægros, ſervetur honeſtas, alias & alibi conſtituta. Attendant inſuper ſacerdotes, quod cum cõmunionem ſacram porrigunt ſimplicibus, Paſchali tempore vel alio, ſolicite eos inſtruant ſub panis ſpecie ſimul eis dari corpus & ſanguinẽ Domini, immo Chriſtum integrum, vivum, & verum, qui totus eſt ſub ſpecie ſacramenti. Doceãt etiam eos, illud quod ipſis eiſdem temporibus in calice propinatur, ſacrum non eſſe, ſed vinum purũ eis hauriendum, traditum ut facilius ſacrum corpus glutiant, quod perceperunt. Solis enim celebrantibus, ſanguinem ſub ſpecie vini conſecrati ſumere, in hujuſmodi minoribus eccleſiis eſt conceſſum. Inſtruant etiam eoſdem, ſumptum ore ſacramentum non nimis dentibus comminuere, ſed tritum modice ſorbere perfecte, ne particula aliqua eveniat in dentium interſtitiis, vel alibi remaneat. Parochiales inſuper ſacerdotes caveant diligenter, ne alicui dent corpus Domini, niſi prius conſtet eis, ipſum fuiſſe cõfeſſum, teſtimonio vel judicio fide digno, & hujus certificationis onus ipſi ſuſcepturo imponimus ſacramentum, qui habet ea quæ ſalutis ſuæ ſunt neceſſaria procurare. Nullus ergo ſacram communionem præbeat parochiano alterius ſacerdotis, ſine ipſius licentia manifeſta: quam ordinationem non intendimus ad peregrinantes extendere, ut nec neceſſitatis caſui derogare.

Laterã. IV.

II. *De annalibus celebrandis, & anniverſariis.*

Sacerdotes inſuper caveant univerſi, ne Miſſarum peculiarium ſeu familiarium ſe celebrationi obligent, quo minus valeant canonico officio commiſſam ſibi eccleſiam officiare, ut tenentur. Nec præſumat aliquis annalia celebranda ſuſcipere, niſi pro defuncto celebret quotidie, vel procuret ſpecialiter celebrari. Nullus inſuper plura recipiat annalia celebrãda, quam habet ſocios celebrantes: illo caſu excepto, in quo procurans ſuffragia fieri pro defuncto conſentit expreſſe, defuncti memoriam alibi vel aliis copulari. Nec credat celebrans ſe dicendo Miſſam unam, poſſe ſatisfacere pro duobus, pro quo utroque promiſit ſpecialiter & in ſolidum celebrare. Licet enim dicat de conſecr. diſt. v. c. *non mediocriter*, capitulum, quod licet minus accipitur, cum Miſſa una pro cunctis dicitur, quaſi pro unoquoque eorum una diceretur: loquitur tamen de iis Miſſis, quæ anxiato corde dicuntur. Abſit enim hæc a quoquam catholico credatur, tantum intentione prodeſſe Miſſam unam devote celebratam mille hominibus, pro quibus forſan dicitur, quantum ſi mille Miſſæ pro eis devotione ſimili canerentur. Licet ipſum ſacrificium, quod eſt Chriſtus, ſit infinitæ virtutis, non tamen in ſacrificio ſuæ immenſitatis ſummam plenitudinem operatur: alioquin, pro uno mortuo nunquã oporteret niſi unã Miſſam dicere. Operatur enim in hujuſmodi myſterii diſtributione, certaſuæ plenitudinis, quam ipſe eiſdẽ lege infallibili alligavit. Illos autem, qui pro annalibus ſeu anniverſariis celebrandis ſtipendia receperunt, nec ex certa malitia vel acedia ſatisfaciunt, ut tenentur, monemus, ut omiſſa ſuppleant, & ad plenum ſatisfaciant in futurum. Et quandocunque id fecerint, fructus taliter perceptorum pro annalibus eorum qui eis talia contulerint, erogent pauperibus: aut ſi utrumque iſtorum ſponte neglexerint, ſicut fraudatores fidelium ab ordinariis ſuis aſpere corrigantur.

III. *De Baptiſmo & ejus effectu.*

Circa ſacrum baptiſmum quoſdam reperimus deliquiſſe. Cum enim periclitantibus parvulis, pro neceſſitatis inevitabilis articulo, quibuſcunque laïcis vel mulieribus ſit conceſſum in caſibus hujuſmodi periclitantes taliter baptizare, & hujuſmodi baptiſmum ad ſalutem conſtet ſufficere, ſi forma debita obſervetur; nec debere baptizatos taliter, iterum baptizari: quidam tamen ſtolidi ſacerdotes ſic baptizatos parvulos, non ſine ſacramenti injuria rebaptizant. Quod ne de cætero fiat, firmiter inhibemus: ſed ſuper ſic baptizatos exorciſmi & catechiſmi * propter reverentiã eccleſiæ facientes. Forma autem ſacramenti in lingua vulgari conſiſtit, non ſolum in ſignificatis, verum etiã in ordine eorum, quo ipſum ſacramentum eſt Divinitus inſtitutum: quo Chriſtus dominus illis verbis & taliter ordinatis, ut ſunt, lingua Latina, regenerativam contulerit poteſtatem. Dicitur ergo ſic a taliter baptizãtibus, *Ich criſtin the in the faderes nome, &c.* vel aliter in lingua Latina, ſecundum patriæ conſuetudinẽ, vel in Gallico ſic; *Ie baptize tey en noun del peere, &c.* Quod ſi ſacerdos rationabiliter dubitet, an parvulus baptizatus fuerit in forma debita, tenens modum decretalem cum exorciſmo & catechiſmo dicat; *Si non es baptizatus, ego te baptizo, &c.* Attendant etiam ſacerdotes, ne Latina nomina, quæ ſcilicet prolata ſonant Latinam, imponi permittant parvulis baptizatis, ſexus præcipue fœminini. Et ſi fiat contrarium, per confirmantes epiſcopos corrigatur.

IV. *De ſacramento Confirmationis.*

Confirmationis inſuper ſacramentum multi negligunt temerarie, quia deſunt forſan ad talia vigiles hortatores: adeo ut plures *, immo innumeri, inveterati dierũ malorum, qui nondum Confirmationis gratiam receperunt. Cui negligentiæ damnabili obviantes, ſtatuimus, ut nullus ad ſacramentum corporis & ſanguinis Domini admittatur, extra mortis articulum, niſi fuerit confirmatus, vel niſi fuerit a receptione Confirmationis rationabiliter impeditus.

* *Deeſt ſint*

V. *Ne ſimul & ſemel quinque Ordines conferantur.*

Cum, ſecundum doctores theologicos, militia clericalis ſeptem muniatur ordinibus, ſingulorũ characteribus in anima conſignata, per ſingulos etiam augmentum recipiens gratiæ, niſi ordinati, ficte ordinem ſuſcipiant crimine irretiti: expedit plurimum ipſos ordines minime inculcatos, quoniam inculcatio reverentiam minuit, gloria per conſequens per irreverentiam repercutitur ab ingratis. Contra dignitatem igitur tam reverendiſſimi eſſe dinoſcitur ſacramẽti, quinque ſimul Ordines, ſcilicet ordines non ſacros cũ uno ſacro alicui uni homini exhibere, unde in nõnullis aliis provin-

ANNO CHRISTI 1281.

provinciis quatuor minores Ordines nō simul faciliter conceduntur, aut conferuntur, ut ascendentes clerici ad Christi mysteria, quasi graduum canticum continentes, cum probati extiterint in minoribus officiis, gradatim demum procedant ad majora. Quia igitur ex singulis ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæque honesta sunt tenemur eligere, & ea tanquam fasciculum in angelorum * colligare: præcipimus, ut episcopi in his sequantur canonicas sanctiones. Minores etiam Ordines, quando id potest fieri, bono modo, pro sacramenti reverentia dentur aliquotiens combinat. Et recipientes eos, seu simul, seu sigillatim, in vulgari lingua publice instruantur de distinctione Ordinum, officiorum & characterum, ut de profectu gratiæ, quæ in singulis Ordinibus digne accedentibus augmentetur.

VI. *De Confessione.*

Sacramentum Pœnitentiæ, naufragantium remedium singulare, per quorundam insipientium * sacerdotum debito caret fructu: & qui credit a fluctibus emergere, perniciosius in damnationis pelagum demergitur, dum de facto absolvunt plurimos, quos de jure absolvere nequeunt, & *vivificant*, ut ait propheta, *propter pugillum hordei & fragmentum panis, animas quæ non vivunt*, utpote absolventes de facto, excommunicatos de jure, & præcipue ab Oxoniensi concilio, propter læsionem seu perturbationem ecclesiasticæ libertatis, vel propter consimilia scelera in eodem concilio simili pœna damnata, seu decimas, seu alia jura ecclesiastica detinentes. Quibus obsistentes ut seductoribus animarum, & pulvillos consuentibus sub cubitis reproborum: omnibus cautis provinciæ confessoribus, sub nobis & coepiscopis nostris constitutis, districtius inhibemus, ne de cætero per absolutionis signaculum, quod novimus sine satisfactione debita & speciali commissione archiepiscopi & episcopi tenere, dum sunt in suis sceleribus pertinaces. Existimantes nihilo minus hujusmodi, non tam confessores, quam fovearum diaboli confossores, peccare gravissime, cum convincantur saltem tacite eisdem sceleribus consentire, & scelerosos in sua perfidia confortare. Unde caveant ipsi, ne eodem cum talibus excommunicationis laqueo involvantur.

* Corr. insipientiam

Ezech. 13.

Mendosus locus.

Cum insuper nos dudum pluralitatem beneficiorum sacrilege usurpatam cohibere volentes, inhibuerimus sub pœna excommunicationis, ne quis de facto ad tales in suis furtis & sacrilegiis contumaces manus extenderet absolvendos: quidam tamen sacerdotes post Belial, quamdiu salvatoris contrarium facere præsumpserunt, occidentes animas Christi sanguine redemptas, & enervantes disciplinam ecclesiasticam. Istos igitur, quasi vulpes demolientes vineas Domini veraciter reputantes, sub pristina districtione iterato præcipimus, quatenus a talibus absolvendis de cætero abstineant, & ad renunciandum beneficiis illicite obtentis vel retentis solicite inducant: alioquin, sciant se certissime diem *maledictionis fulgere feriendos.

* f. in die maled. fulgere fer.

VII. *In eodem.*

Sunt præterea nonnulli, qui prætextu quorundam privilegiorum generalium a sede apostolica obtentorum, spreta contra intentionem apostolicam autoritate pontificali, ipsorum pontificum irrequisito beneplacito & assensu, ingerunt se subditorum eorundem confessionibus audiendis. Quorum præsumptiones volentes reprimere, ut tenemur, prohibemus sub pœna excommunicationis, ne quis de cætero, absque episcopi licentia expressa vel probabiliter præsumpta, confessiones suorum audiat subditorum, nisi in audiendis confessionibus a jurisdictione ordinaria diœ-

A cesana & metropolitica expresso tenore sui privilegii sit exemptus. Et si qui contrarium fecerint, procedatur contra eos, sicut contra privilegiorum temerarios abusores.

VIII. *De Pœnitentia.*

Præterea, cum juxta sacros canones peccata graviora ut incestus, & similia, quæ vulgatissima suo scandalo totam commovent civitatem, sint solemni pœnitentia castiganda: quorundam tamen negligentia id agente, hujusmodi pœnitentia videtur quasi in oblivionem tradita, & crevisse per consequens audacia hujusmodi horrenda facinora & flagitia perpetrandi. Quocirca præcipimus, ut hujusmodi Pœnitentia solemnis de cætero imponatur secundum canonicas sanctiones. Absolutionem autem ab homicidio voluntario, tam publico, quam occulto, solis episcopis, extra necessitatis articulum, reservamus: per quod minorum intendimus refrænare audaciam, & non majorum reverentiæ in aliquo derogare.

B

IX. *De uno confessore in quolibet decanatu faciendo.*

Licet a sanctis patribus jampridem fuerit ordinatum, ut in quolibet decanatu unus sit rector, aut vicarius, litteraturæ sufficientis illustratus, gratiæ famæque laudabilis assignatus, ad confessionem rectorum, vicariorum, aliorumque sacerdotum, ac ministrorum ecclesiæ audiendam, injungendasque pœnitentias, ut sit mare fusile in templi introitu, juxta templi typica sacramenta: hoc tamen hactenus non fuit cleri moribus approbatum non sine multis Dei injuriis, ac celebrationibus * quæ extractionibus potius dicerentur. Ordinationem igitur prædictam a dissuetudine revocantes, præcipimus, ut ipsa de cætero inviolabiliter observetur. Ex hoc minime inhibere intendimus quin possint, si voluerint, ad alios communes pœnitentiarios, dum tamen constet pro sacramento pœnitentiæ, convolare.

C

X. *De informatione simplicium.*

Ignorantia sacerdotum populum præcipitat in foveam erroris: & clericorum stultitia vel ruditas, qui diffinitione canonica filios fidelium instruere jubentur, magis aliquando ad errorem profuit quam doctrinam. Quidam etiam cæteris prædicantes non semper loca visitant, quæ magis constat mentis lumine indigere: testante Propheta, quod *parvuli petierunt panem, nec erant qui frangerent*: & alio clamante: *Quia egeni & pauperes quærunt aquas, lingua eorum siti aruit.* In quorum remedium discriminum statuendo præcipimus, ut quilibet sacerdos plebi præsidens, quater in anno, hoc est, semel in qualibet quarta anni, die uno solemni vel pluribus, per se, vel per alium, exponat populo vulgariter, absque cujuslibet subtilitatis textura phantastica, quatuordecim fidei articulos, decem mandata decalogi, præcepta evangelii, duo scilicet geminæ caritatis, septem opera misericordiæ, septem peccata capitalia cum sua progenie, septem virtutes principales, ac septem gratiæ sacramenta. Et ne quis a prædictis per ignorantiam se excuset, quæ tamen omnes ministri ecclesiæ scire tenentur: ea perstringimus summaria brevitate.

D

Thren. 4.

Isa. 41.

E

Sciendum igitur septem esse fidei articulos pertinentes ad mysterium Trinitatis: quorum quatuor pertinent ad Divinitatis intrinseca, tres vero ad effectus. Primus est unitas Divinæ essentiæ in trium personarum indivisibili Trinitate, juxta illud, *Credo in unum Deum.* Secundus est credere patrem ingenitum

ANNO CHRISTI 1281.

esse Deum. Tertius est, credere Filium genitum esse Deum. Quartus est, credere Spiritum sanctum, nec genitum nec ingenitum esse Deum, sed a Patre & Filio pariter procedentem. Quintus est, creatio cæli & terræ: hoc est, omnis visibilis & invisibilis creaturæ, a tota indivisibiliter Trinitate. Sextus est sanctificatio ecclesiæ per Spiritum sanctum, & gratiæ sacramenta, & cætera omnia quæ communicat ecclesia Christiana. In quo intelligitur, quod ecclesia cum suis sacramentis & legibus, per Spiritum sanctum omni homini quantumcunque peccatori sufficit ad salutem: & extra ecclesiam non est salus. Septimus est confirmatio ecclesiæ per gloriam æternam, in anima & carne veraciter suscitanda, & per oppositum intelligitur damnatio reproborum.

Item alii septem articuli pertinent ad Christi humanitatem. Primus est Incarnatio, seu vera carnis assumptio ex sola per Spiritum sanctum virgine gloriosa. Secundus est vera incarnati Dei nativitas ex virgine incorrupta. Tertius est veri Dei Christi passio & mors in cruce, sub tyrannide Pilati. Quartus est descensio Christi Dei ad inferos in anima, quiescente corpore in sepulchro, ad spoliationem Tartari. Quintus est vera Dei Christi resurrectio. Sextus vera eius ad cælos ascensio. Septimus est eius venturi ad iudicium certissima exspectatio.

Item, decem mandatorum veteris testamenti, tria ordinantur ad Deum, quæ dicuntur mandata primæ tabulæ: septem vero ad proximum, & dicuntur mandata secundæ tabulæ. In primo prohibetur omnis idololatria, cum dicitur: *Non habebis Deos alienos coram te.* In quo implicite prohibentur omnia sortilegia & omnes incantationes, cum superstitionibus characterum & hujusmodi figmentorum. In secundo, cum dicitur: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*: prohibetur principaliter hæresis universa, & secundario omnis blasphemia & irreverens Dei nominatio, præcipue in perjurio. In tertio mandato dicitur: *Memento ut sabbatum serves*: præcipitur cultus religionis Christianæ, ad quem differenter clerici & laici obligantur. Vnde sciendum est, quod obligatio ad feriandum in sabbato legali, secundum formam veteris testamenti, exspiravit omnino cum cæteris in lege ceremoniis, & successit in novo testamento modus vacandi cultui Divino diebus Dominicis, & cæteris diebus solemnibus: quibus diebus modus vacandi non est sumendus a superstitione Iudaica, sed a canonicis institutis. Primum quidem mandatum secundæ tabulæ: *Honora patrem & matrem.* In quo explicite præcipitur temporaliter & spiritualiter parentes honorare: implicite vero & secundario omnis homo, pro sui gradus merito, ex eodem mandato intelligitur honorandus. In hoc autem mandato intelliguntur non solum pater & mater carnaliter: verum etiam spiritualiter, ut pater sit prælatus ecclesiæ mediatus vel immediatus: mater autem ecclesia, cujus sint filii catholici universi. Secundum est: *Non occides.* In quo explicite inhibetur illicita personæ interemptio, consensu, opere, verbo, & favore: implicite hic omnis injusta personæ læsio inhibetur. Vnde spiritualiter occidunt, qui non reficiunt indigentes: civiliter occidunt, qui detrahunt, vel qui innocentes opprimunt & confundunt. Tertium mandatum: *Non mœchaberis.* In quo explicite inhibetur adulterium, implicite vero fornicatio, quæ explicite prohibetur Deuter. XXIII. ubi dicitur: *Non meretrix de filiabus Israel neque scortator.* Inhibetur etiam in eodem mandato omnis conjunctio viri & mulieris, quam bona matrimonii non excusant: omnis etiam voluntaria pullutio, quocunque modo aliter studiose procurata. Quartum mandatum est: *Non furtum facies.* In quo explicite prohibetur clandestina rei alienæ[a], invito domino: implicite vero omnis injuriosa seu per fraudem, seu per usuram, seu per violentiam, seu per metum, rei usurpatio alienæ. Quintum mandatum est; *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* In quo explicite prohibetur falsa testificatio ad nocendum: implicite vero falsa testificatio ad indignum contra merita promovendum. In hoc etiam mandato omne mendacium, licet[b] perniciosum, condemnatur. Sextum mandatum, *Non concupisces rem proximi tui*, supple, ex injuria. In quo mandato implicite inhibetur cupiditas possessionis immobilis, catholici præcipue cujuscumque. Septimum mandatum est: *Non desiderabis uxorem ejus, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.* In quibus omnibus cupiditas possessionis alienæ quantum ad res mobiles condemnatur.

[a] Corr. usurpatio, vel aliquid simile.

[b] Corr. scilicet

His autem decem mandatis duo superaddit evangelium; dilectionem Dei scilicet & proximi. Deum diligit, qui ex amore, non ex timore principaliter[c] custodit. Proximum autem debet quilibet diligere sicut seipsum: ubi hæc conditio, sicut, non dicit æqualitatem, sed conformitatem; ut videlicet diligas proximum tuum ad quod te ipsum: hoc est, ad bonum, non ad malum; & quomodo te ipsum; hoc est spiritualiter, non carnaliter, secundum quod carnalitas dicit vitiū: Item, quantumcumque te ipsum; hoc est in prosperitate & adversitate, sanitate & infirmitate. Item, quantumcumque teipsum respectu temporalium, pro tanto ut plus diligas omnem hominem & singulum, quam omnem affluentiam temporalem Item, sicut teipsum, pro tanto, ut plus diligas proximi tui animam, seu animæ salutem æternam, quam tuam vitam temporalem; sicut animæ tuæ vitam debes vitæ præponere carnis tuæ. Item, qualiter te ipsum, ut videlicet omni alii in necessitate subvenias, sicut tibi velles in necessitate subveniri. Et hæc omnia intelliguntur, cum dicitur, *Diliges proximum tuum*, &c

[c] Deesse videtur mandata

Septem sunt opera misericordiæ, quæ ex Matthæi evangelio patefiunt: videlicet, famelicum pascere, potare sitibundum, hospitio recipere peregrinum, vestire nudum, visitare infirmum, consolari carceri mancipatum. Septimum ex Tobia tollitur, scilicet sepelire corpora mortuorum.

Septem exceptiones verum matrimonium impediunt, ne effectum debitum sortiatur, vel in quibuscunque causis, ut contra justitiam processus ecclesiæ diutius suspendatur.

Item, excommunicantur omnes illi, qui gratia lucri vel favoris malitiose imponunt crimen alicui, cum apud bonos & graves non fuerit infamatus, ut sic ei indicatur purgatio, vel alio modo gravetur.

Item, excommunicantur omnes, qui vacante ecclesia, malitiose opponunt, vel opponi procurant quæstionem de jure patronatus, ut verum patronum a collatione ipsius ecclesiæ saltem impediant illa vice.

Item, excommunicantur omnes illi, qui malitiose contemnunt exequi mandata regis de excommunicatis capiendis, vel eorum impediunt captionem, seu procurant eorum injustam liberationem contra decreta ecclesiasticæ disciplinæ.

Item, excommunicantur in concilio bonæ memoriæ Othoboni, omnes illi, qui pro impedimento pacis, seu compositione litigantium, quicquam recipiunt, donec ipsum sic receptum restituerint donatori.

Item, excommunicantur per eundem quicunque de domibus, maneriis, vel grangiis, vel locis archiepiscoporum, episcoporum, vel aliarum personarum ecclesiasticarum, contra ipsorum voluntatē, vel custodū rerum earūdem, aliquid auferunt aut consumunt, vel injuriose contrectāt: qua sententia ligantur, nec absolvi

ANNO CHRISTI 1281.

vi possunt, donec de injuria satisfecerint competenter.

Item, excommunicantur ab eodem quicunque abstrahunt violenter reum, ad ecclesiam, vel cœmeterium, vel claustrum fugientem, vel qui ei victum prohibent exhiberi, vel qui res alienas in locis ipsis depositas violenter asportant, vel asportari faciunt, vel qui asportationem talem factam nomine suo vel a familiaribus suis, ratam habent, vel qui ad hoc publice vel occulte consilium vel auxilium præbuerint seu assensum.

Item, excommunicati sunt omnes, qui veniunt aut faciunt contra magnam chartam Angliæ, quæ sententia est per sedem apostolicam pluries confirmata.

De hac publicatione inquirant archidiaconi diligenter: & quoties presbyteros invenerint prædictam moralem instructionem, seu prædictas excommunicationum sententias, statutis temporibus minime populo prædicasse, toties eos arguant a pœna canonica castigandos, & supplere compellant quod temere omiserunt.

B

XI. *De hospitalitate tenenda.*

Præterea, cum, sacro testante eloquio, pastores greges sibi creditos pascere teneatur, ac os bovis triturantis non debeat alligari: statuimus, ut rectores ecclesiarum, qui in ecclesiis suis non faciunt residentiam corporalem, nec habent vicarios, per œconomos suos hospitalitatis gratiam exhibeant, juxta quod sufficiunt ecclesiæ facultates: adeo ut parochianorum pauperum saltem necessitati subveniatur extremæ, & ut qui ibidem transeuntes prædicant verbum Dei, recipiant necessaria corporis alimenta: ne ecclesiæ eorum, inopiæ violentia, a prædicantibus merito deseratur. *Dignus est operarius cibo suo*: nec quisquam tenetur propriis " militare.

C

Matth. 10. " Deest, stipendiis. Vide 1. Cor. 9. 7.

XII. *De certificationibus faciendis.*

Quidam ruralium decanorum, in citationibus faciendis contra communem juris ordinem, de Luciferiana versutia merito diffamatur: qui videlicet certificationẽ subdolam vendunt, pro pecunia, filiis falsitatis, nulla citatione ad notitiam citati ante certificationem hujusmodi, vel post eam, aliquatenus veniente: unde frequenter evenit ut innocens damnetur. In cujus nequitiæ remedium statuimus, ut nulli concedatur certificatorium, nisi die solemni, inter Missarum solemnia, in ecclesia ubi citatus fovet larem, vel amplius conversatur, publice recitatum: hoc adjuncto moderamine, ut citatus sufficientes habeat inducias, ut die & loco sibi præfixis competenter valeat comparere. Quod si casu aliquo tantum tempus arcet, quod dilationi non pateat locus: citatione publice facta coram testibus, detur certificatorium in ecclesia vel alio loco publico, coram testibus fidedignis. Ita quod dies citationis & locus in ipso certificatorio exprimantur, & nulla fiat certificatio ante citationem: quod jurent se fideliter facturos decani.

D

E

XIII. *De falsis procuratoriis non signandis.*

Exhorrenda quorundam malitia perpendimus accidisse, quod, aliquo pastore ecclesiastici beneficii in remotis agente, aliquis dolosus ipsius adversarii, domum ejus vel rem aliam contra inhibitionem diu concupiscens, spiritu satanico se in lucis angelum transfigurans, fingit mendaciter prædictum absentem vocari coram judice, & se ipsius procuratorem existere, & vocare " nomine absentis ad causam ejus in judicio defendendam. Prætendens etiã falsum procuratorem " alicui decano vel superiori forsan supplicat in hæc verba: *Quia sigillum meum paucis est agnitum, peto ut sigillum autoritatis vestræ meo procuratorio apponatis*: & sic, data mercede iniquitatis, obtinet quod requirit. Deinde, obtento falso procuratorio, altero se ipsius fingente adversariũ mendaciter, litem ingreditur, & in hac fraude procedens, possessionẽ nanciscitur per sententiam, vero Domino, cujus status sic de facto subvertitur, hoc penitus ignorante. Volentes igitur tam detestandis fraudibus obviare, statuimus: ut nullus decanus seu archidiaconus, vel ejus officialis, seu etiam officialis episcopi, sigillum suum alicui procuratorio apponat: nisi hoc ab eo petatur publice in judicio vel extra judicium, & is, qui procuratorem constituit, quem constet esse verum dominum, præsens corporaliter hoc requirat, ut fraus quælibet excludatur. Quicunque vero decanus, archidiaconus, vel officialis ejus, vel etiam officialis episcopi, ex certa malitia, contrarium fecerit: per triennium postea ab officio & beneficio sit suspensus. Quicumque etiam advocatus, hujusmodi facinus procuraverit, suspensus sit per triennium ab officio advocationis, & inhabilis ad beneficium ecclesiasticum obtinendum. Quod si sit uxoratus aut bigamus, excommunicationi subjaceat ipso facto: eo quod per talem procuratorem actum fuerit vel procuratum, modis omnibus pro infecto penitus reputato. Procurator etiam ipse, totius falsitatis incentor, ab omni actu legitimo perpetuo repellatur: & ii qui nihilo minus super hoc convinci valeant, parti læsæ ad interesse & restituendum omnia damna teneantur.

" Corr. vocari
" Corr procuratorium

XIV. *Ne fiant clandestinæ inquisitiones.*

Per provinciam nostram frequenter perpendimus, multos ecclesiasticorum beneficiorum possessores suis beneficiis fraude diabolica spoliari. Dum enim nonnulli infernalis ignis facibus agitati, in ipsorum beneficia oculos ambitionis infigunt: procurant se per patronos præsentari ad eadem, impetrantes clandestinas inquisitiones fieri per decanos & alios, & possessiones nacifcuntur beneficiorum hujusmodi, justis eorundem possessoribus hoc penitus ignorantibus. Unde contigit de petitore perfido fieri possessorem, & de possessore vero fieri actorem, omni justitia reclamante. Nos autem cupientes a provincia nostra tantam nequitiam funditus extirpare: statuimus, & perpetuo ordinamus, ut nullus decanus, seu quivis prælatus alius, exceptis personis episcoporum, quorum hac ordinatione autoritas non arctatur, inquisitionem faciat de præsentationis hujusmodi negotio, nisi in pleno loci capitulo, eo, cui possessio ecclesiæ incumbit, vocato legitime, sub tanti temporis spatio, quo possit ibi prudentum virorum consilio prospicere, & defensioni status sui sufficienti remedio providere. Quicquid autem contra hanc ordinationem nostram fuerit attentatum, decernimus penitus non tenere. Ad satisfactionem vero nihilo minus de omni damno, quod idem possessor perpessus fuerit, decanum vel prælatum alium taliter clandestine inquirentes, præsentis sanctionis concilio condemnantes: ambitiosum ipsum ab alio beneficio, sic nequiter ambito, excludentes perpetuo, & nihilo minus eundem ab omnis obtentu ecclesiastici alterius beneficii per triennium suspendentes.

XV. *De firmis.*

Vendentes & ementes qui de templo dudum cœpit ejicere, si cœpta penitus perfecisset, non fraudarentur pauperes firmarum contractibus, quibus convertitur in mammonam quod est Christi visceribus infundendum. Huic igitur pesti remedium apponentes, præcipimus firmiter observari, quod circa firmas in Oxoniensi cõcilio salubriter est provisũ: ut videlicet ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1281.

fiæ ad firmam minime tradantur, nisi ex causis necessariis per suos episcopos approbatis. Statuimus insuper, ut nulli tradantur ad firmam nisi personis ecclesiasticis sanctis & honestis, quos locorum episcopi libere valeant cohercere: proviso etiam, parochiæ pauperibus de firmis hujusmodi pinguis portio juri consona, secundum arbitrium episcopi assignetur, sub testimonio quatuor fidelium parochianorum eisdem fideliter eroganda. Et ut ab hujusmodi firmis omnis contractus imaginarius subducatur, quia in personis clericorum falso suppositis, vel sub nomine ballivatus ecclesiæ, ad firmam laicis conceduntur, sacro approbante concilio, ordinamus: ut si quis clericus in tali versutia repertus fuerit, puniatur secundum statutum bonæ memoriæ Othoboni; & gravius, si prælatis visum fuerit expedire.

XVI. De religiosis.

Plures religiosas domos invenimus ordinis sancti Augustini, quæ, eo quod olim quibusdam matricibus ecclesiis ultramarinis adhæserant, a quibus modo, immo diurno tempore separatæ noscuntur, occasione quarundam ceremoniarum a dictis matricibus receptarum, per quas discrepant a cæteris ejusdem ordinis domibus in Cantuariensi provincia constitutis, nec conveniunt cum cæteris in capitulo generali singulis triennis, juxta generale concilium celebrando. Sed quia turpis est pars, quæ non convenit suo toti: statuimus, ut de cætero omnes hujusmodi domus, salva sibi ceremoniarum observantia speciali, moneantur per locorum episcopos, ut veniant cum aliis canonicis in capitulo generali, de regimine & reformatione ordinis communiter tractaturi; vel si inter eos, quantum ad substantiam religionis, sit notabilis diversitas, igitur ipsis constituant capitulum generale; alioquin, hoc facere per censuram ecclesiasticam compellantur.

XVII. De corruptoribus monialium.

Tantum invaluit detestandæ lubricitatis enormitas, ut quidam nec legibus nec canonibus deferentes, ad castitatem sanctimonialium custodiendam editis, cum ipsis sacrilegum incestum committere non formident. Cui horrendo flagitio remedium apponere cupientes, omnes tam clericos quam laicos hujusmodi turpitudinis patratores, majoris excommunicationis sententia innodamus, solum[a] episcoporum hujusmodi absolutionem sententiæ reservantes: excepto mortis articulo, in quo absolvi valeant a quolibet sacerdote: ut[b] si convaluerint, piaculum suum hujusmodi teneantur, sub pœna prædicti anathematis, infra trium mensium spatium, propriis episcopis confiteri; aut sede ipsa vacante, custodi spiritualitatis aut decano ecclesiæ cathedralis.

[a] for. solorum

[b] for. at si

XVIII. Item in eodem.

Sanctimoniales plurimæ in vagationis vitio delectatæ, Dinæ vagantis exemplo in consimile corruptionis scandalum, immo longe perniciosius, assidue prolabuntur. Cui periculo providentes, magis intendentes earum saluti consulere, quam vanis earundem desideriis complacere: sub pœna excommunicationis totaliter inhibemus, ne qua illarum, etiam cum socia, ne dum sola, apud parentes vel affines, quantumcumque propinquos, ne dum apud extraneos, quantumcunque famæ, vel eminentiæ, vel religionis existant, ultra tres dies naturales, causa recreationis perendinare, vel pro necessitate vel occasione, ultra sex dies, cessante infirmitate, commorari præsumant: nisi locorum episcopis aliud ex causa necessaria aliquoties videatur; de quo eorum conscientias in tremendo judicio oneramus. Hanc autem ordinationem ad illas non extendimus, quæ exterius coguntur mendicare, sibi quærere necessaria dum mendicant.

XIX. Item in eodem.

Item, moniales quædam tantum desipiunt, ut cum sint ætatis legitimæ, & doli capaces, postquam ultra annum inter moniales monastice vixerint, putant se non esse professas, ac sibi licere redire ad sæculum, pro eo quod benedictionem episcopalem cum solemnitate voti emissi minime receperunt. Nos vero errorem hujusmodi excludentes, præsentis concilii autoritate declaramus, eas ipso facto professas existere reputandas, postquā ultra annū vitā sponte in collegio duxerint regularē: adeo ut ad sæculū redire nullatenus permittatur, nihilo minus ab episcopis cum solemnitate debita consecrandas suo tempore vel velandas. Idem etiam, quantum ad professionis vinculum, sentimus de monachis & religiosis aliis quibuscunque, nisi obsistat canonicum: & eos, si ultra annum, religionis habitum in monasterio sponte detulerint, & ipso facto ad sæculum redierint, esse sicut apostatas ab ecclesiasticis officiis repellendos, & ad repetenda sua monasteria, secundum juris exigentiam, esse compellendos. De quibus diligens fiat inquisitio per arch[a]....... quoniam multos hujusmodi, sub ovino vellere, lupinum animum noverint palliare.

[a] leg. archidiaconum

XX. De apostatis.

Præterea, sunt nonnulli, quos apparet per facti evidentiam sæculum intendere perpetuo relinquere, & per certa indicia in claustri excubiis velle suo toto tempore Domino militare. Qui cum, prævalente in eis carnali desiderio, redeunt ad vomitum, sæculum repetentes inter sidera errantia computandi. Quavis[a] igitur jura manifeste definiunt hujusmodi non posse habitum religionis omnino deserere, quin saltem in religione aliqua perpetuo maneant: luxuriari quidam cum attritæ frontis audacia, apostaticæ infamiam non verentes, postquam absolute se velle sæculum relinquere ostenderunt, relicta Ierosolyma, redeunt in Ægyptum. Quocirca statuimus, ut ordinarii locorum tales cum omni diligentia investigent, & subtractione, tam officii, quam beneficii ecclesiastici, si quod habent, ad statum pristinum vel laxiorem regulam cogant pertransire. Quod si sint laici hujusmodi apostatæ: & ipsi ad salutis suæ studia per censuram ecclesiasticam compellantur. Hanc autem ordinationem ad illos non extendimus, cum quibus sedes apostolica aliter ordinavit.

[a] leg. Quāvis

XXI. Ne religiosi, executores testamentorum fiant.

Religiosa sinceritas ab omni sæcularis implicationis macula est eo salutius[a] observanda, quo devotionis sanctæ simplicitas facibus[b] retardatur, cum in curis extrinsecis mentis oculus distractus, ab unitatis studio præpeditur. Quocirca in concilio Lambethensi salubriter est provisum, ne aliqui religiosi, cujuscunque professionis, sint executores testamentorum, nisi de ordinariorum licentia & voluntate procedat. Cui statuto adjiciendum duximus, ut nullus religiosus permittatur executor alicujus existere testamenti, nisi suus superior sufficienter caveat pro religiosis hujusmodi, quod exsequentur fideliter & reddent integre rationem de residuis, si quæ fuerint: de damnis, si quæ per ipsos evenerint, loci ordinario absque difficultate qualibet responsurus. Et quia nonnulli religionis habitum deferentes, licet non sint executores, tamen distributores defuncti bonorum efficiuntur temeritate propria vel imprudentia aliena, ex quo magnam provenire vidimus

[a] for. solicitius

[b] Corr. facilius

ANNO CHRISTI 1281.

vidimus bonorum hujusmodi læsionem. Idem circa hujusmodi distributionem præcipimus observari, quod circa executionem superius est provisum, ne aliter se executioni vel distributioni se immisceant, sub pœna anathematis inhibentes. Unde qui sufficienter cavere non poterunt, sciant se tam ab executione, quam a distributione bonorum hujusmodi, præsentis diffinitione concilii perpetuo elongatos.

XXII. *De habitu clericali.*

Quamvis nomen religionis vitæ monasticæ loquentium usus appropriet, habet tamen clericalis honestas religiosæ vitæ gradum eximium, si ea custodiat vita & habitu, quæ sacri canones decernunt clericis observanda. Sed (proh pudor!) clerici plurimi hujus inclytæ religionis, judiciorum antequam infamiam immutantes, qui gregos glorias paternis honoribus prætulerunt, dum verecundantur clerici apparere, militari se contegunt apparatu: ut stultis placeant, quos constat cunctis sapientibus displicere, & fatuos reputari. Et cum corona sit character ecclesiasticæ militiæ, & revelati cordis ac patuli radiis cœlestibus insigne, ipsi ut veraciter ostendant se hujus characteris titulum erubescere, tena coronas abscondunt, quasi cœlestes radios repellentes, & indiciorum infra * corda sua gerentes, erroris velamine obscurata. Statuto igitur adhærentes domini Othoboni, nihilo minus ordinamus & districte præcipimus, ut clericus quilibet in sacris ordinibus constitutus vestem exteriorem gerat dissimilem militaris: utpote anterius & posterius non birratam, vel saltem ex forma sua militari vel laicali congrua dissimilem honestate. Et qui secus facere præsumpserit, quamdiu formæ contrariæ vestem tulerit, ab ingressu ecclesiæ suspendatur. Et prædictus legatus contra portantes infulas, aut tenas coram prælatis aut coram populo publice deferentes: statuit, ut si moniti se minime emendaverint, ipso facto ab officio suspensionem incurrant. In qua si tres menses perstiterint, a beneficio sint suspensi, a qua suspensione absolvi nequeant, nisi data sexta parte ecclesiasticorum bonorum suorum per manus episcoporum eroganda, nihilo minus pœnis aliis puniendi juxta arbitrium prælatorum. Nos igitur statutum hujusmodi advertentes modicæ efficaciæ hactenus extitisse, pro eo quod inferiores prælati hujusmodi clericos monstrosos non audeant monere; propter quod in pœnas a dicto legato statutas videntur pusillanimitatis suæ merito incidisse, & raro episcoporum aspectibus clerici hujusmodi se præsentant: statuimus, ut omni monitione cessante, cum clericos ignorantia* excuset, prædicti clerici suæ proterviæ merito quotiescunque publice coram populo vel prælatis hujusmodi infulas portaverint, nisi forsitan in itinere, in pœnas omnes incidant supradictas. Caveant omnes illi, de quibus loquitur legatus, qui moniti infularum insolentiam publice detulerint, per prætaxati temporis spatium, ne in suspensionem ab officio & beneficio inciderint merito culpæ suæ. Mandamus etiam in posterum, ut de talibus fiat per decanatus singulos inquisitio specialis, & cujuscunque fiat gradus vel excellentiæ, contra eos in forma canonica procedatur.

Mendosa hæc, & consequentia.

* *Corr.* non excus.

XXIII. *De filiis presbyterorum.*

Cum a jure sit inhibitum, ne absque dispensatione apostolica præficiantur filii presbyterorum aut rectorum in ecclesiis, in quibus patres eorum immediate seu proximo ministrarunt, & constet ipsa beneficia vacare, si contrarium fuerit attentatum: præcipimus, ut prælati de ecclesiis sic vacantibus diligenter inquirant, & juxta juris exigentiam de eis differant ordinare, cautius præcaventes de cætero, ut clericos ad hujusmodi beneficia nullo modo admittantur, nec contra justitiam in hereditate Crucifixi, per surreptionem, locus pateat successioni.

XXIV. *De institutionibus.*

Ex solito cursu causarum multos comperimus conquerentes, quod nonnulli coepiscopi nostri clericos præsentatos ad vacantes ecclesias admittentes, litteras testimoniales eis recusant impendere facti sui: propter quod suboriente inter hujusmodi præsentatos & alios materia quæstionis, subcumbit plerumque veritas falsitati. Nos autem ecclesiasticis regulis adhærentes, quæ fidem gestorum ex legalibus colligunt instrumentis: statuimus, ut unusquisque episcopus clerico, quem ad ecclesiam aliquam admittit, litteras patentes de sua admissione concedat: inter alia continentes in quo assistat ordine, & quo titulo ad hujusmodi beneficium admittatur.

XXV. *De clericis plura beneficia occupantibus.*

Languor prolixior gravat medicum, nec faciliter evellitur plantatio infernalis, quæ in innumeris perditionis filiis est infixa; nec alicui mortalium legitur esse concessum, similem totam convertere multitudinem impiorum, sacra pagina testante: *Deus (inquit) consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes.* Sane ecclesia Anglicana a membris putridis ac falsis clericis ab olim constituit plagas duras, qui pompæ & avaritiæ æstubus inflammati beneficia cum cura, absque dispensatione apostolica, ac contra canones, acervantes, nec veriti sunt hactenus animas perdere adquisitas sanguine redemptoris; nec erubuerunt fures existere, & vitam infamem agere tamdiu, donec horrenda morte, ut in multis vidimus, Divinæ severitatis flamma percussi, de medio sunt sublati. Quoniam* plagam paulatim atque per partes sanare cupientes, hujusmodi multiplicationem in futurum salubriter inhibuimus, circa adventus nostri principium, sub certa forma rigoris, ne quis auderet extunc hujusmodi pluralitate se involvere ullo modo; præteritam etiam minis salubribus decernentes, quas minas intendimus, autore Deo, effectui mancipare; ut sic, juxta sacra eloquia, radicatam nequitiam valeamus paulatim quidem*, dicente Scriptura: *Non poteris eas delere pariter, ne forte multiplicentur contra te bestiæ terræ.* Hujusmodi autem processus nostris conatibus boni fructus ex ordine contulit pietas redemptoris, dum saltem ex prophetica pristina effrænatio beneficia hujusmodi sine scrupulo admittendi quibusdam dedit compunctionis spiritum, ut damnatæ pluralitatis suæ magnam partem absciderint: quibusdam insuper vel ut superfluitatem suam nostræ submiserint discretionis arbitrio moderandam. Qua submissione noverint universi, hujusmodi excessus non purgari vitium, cum non possimus cum ipsis in talibus dispensare, licet purgationem hujusmodi quodammodo, quamvis tenuiter, inchoare. Cæteros autem omnes & singulos hujusmodi pluralitatem damnabiliter occupantes, & in suæ adhuc persistentes supercilio arrogantiæ monemus primo, secundo & tertio, quia cum parata sit eis absorbendis, nisi citius pœnitentiam egerint, vorago infernalis, mola asinaria deprimente, ulteriori deliberationi nulla potest concedi dilatio, quatenus hujusmodi beneficium libere & absolute infra sex mensium spatium in episcoporum suorum manibus omnino resignent; satisfacientes nihilo minus, ut eorum status patitur, ecclesiis sic fraudatis: nunquam per se vel per alios clam, vel palam, vere vel imaginarie, aliquid de hujusmodi fructibus illicite recepturi. Salvo nobis jure de illis beneficiis ordinandi, quorum collatio est ad nos per lapsum temporis devoluta: alioquin, extunc contra

Deut. 7. 22.

* *Corr.* Quorũ plagam

* *Deest* evellere, aut quid simile

Deut. 7. 22.

Mēdis scatens locus.

ANNO CHRISTI 1281

contra ipsos, favente Altissimo, in forma canonica procedemus. Interim autem hac monitione nec nobis, nec fratribus coepiscopis nostris præjudicare intendimus, quin contra hujusmodi ordinario progressu particulariter procedatur.

XXVI. *De advocatis.*

Veloces ad audiendum, & tardos ad loquendum existere beatus Iacobus imperat, & a juventute usque ad maturitatis annos edoctum decet cæteris præstare ducatum. In schola siquidem Pythagoræ, quinquennale tenebant auditores silentium, priusquam de illa vel de alia gentium sapientia differere finerentur. Cujus prudentiæ disciplinam plurimi advocatorum hujusmodi temporis non sectantur: quin potius post unum librum juris vix auditum, arrogant sibi officium in causis ecclesiasticis publice postulandi. Et quia veritatem juris ignorant, ad fraudes horribiles impeditivas processus judicialis tantummodo se convertunt. Cui pesti remedium apponere cupientes: statuimus, ut nullus de cætero admittatur advocationis officium publice exercere, nisi prius ad minus per triennium audierit cum diligentia jus canonicum & civile. Hujusmodi autem fidem nec condigno * apparet testimonio, nec per facti evidentiam proprio faciant sacramento.

XXVII. *De suffragiis pro archiepiscopis & episcopis habendis.*

Ingratitudinis vitium plurimum est detestandum, & subditorum præcipue ad prælatos, qui solicite pervigilant, tanquam rationem redditurі pro sibi creditis animalibus. Quocirca statuimus, ut archiepiscopo vel episcopo decedente, quilibet sacerdos tam religiosus quam sæcularis, qui defuncto subditus exstiterit, pro ipso Missam unam dicere teneatur. Fratres etiam & coepiscopi omnes, in congregatione sua sequenti proxima faciant solemne officium simul pro defuncto: singuli nihilo minus in capellis suis condigna suffragia exhibentes, sicut desiderant sibi in casu consimili exhiberi.

Datum apud Lameheth ultimo die concilii, scilicet, die Veneris sexto Idus Octobris, E. littera Dominicali, anno Dom. MCCLXXXI. Indictione nona, Pontificatus domini Martini papæ quarti primo: & anno regni regis illustris domini Eduardi nono, & consecrationis nostræ vicesimo tertio.

ANNO CHRISTI 1281.

LITTERÆ IOANNIS ARCHIEPISCOPI Cantuariensis, Edvvardo ejus nominis regi Angliæ, post conquestum primo, de libertate ecclesiæ.

Editæ a collectore Anglicano, ex MS. in registro principali archiepiscopi Cantuariensis, nuncupato Peckham.

Excellentissimo principi, ac domino Edvvardo, Dei gratia illustri regi Angliæ, domino Hyberniæ, & duci Aquitaniæ, ac ejus consiliariis litteratis, frater Ioannes, permissione Divina, Cantuariensis ecclesiæ minister humilis, totius Angliæ primas, cum omni reverentia & honore orationes anxii peccatoris.

AUtore Domino præcipimur majestatem regiam honorare, & ad idem beneficiis innumeris obligamur. Quia tamen oportet Domino magis quam hominibus obedire, ad prævaricationem legum illarum, quæ Divina autoritate absque omni dubio subsistunt, nulla possumus humana constitutione ligari, nec etiam juramento: quoniam quicquid Divinis beneplacitis adversatur, est illicitum & damnatum. *Væ qui condunt leges iniquas.* Quia igitur ab antiquo tempore, inter reges ac magnates Angliæ ex parte

A una, & archiepiscopos & episcopos ac clerum ejusdem regni, ex altera, duravit amara dissensio, pro oppressione ecclesiæ, contra decreta summorum pontificum, contra statuta conciliorum, contra sanctiones orthodoxorum patrum, in quibus tribus summa autoritas, summa veritas, summaque sanctitas consistunt: supplicamus regiæ majestati, quatenus pro honore Dei, ac animæ suæ, suorumque salute, ac prosperitate stabili successionis suæ ab imperatore omnium obtinēda, in cujus redundat injuriam ecclesiæ, contra prædicta conculcatio huic periculosa regno, & perniciosa clero discedit, dignemur finem imponere salutarem, cui finis aliter imponi non potest, nisi vos sublimitatem vestram prædictis tribus, scilicet decretis pontificum, statutis conciliorum, & sanctionibus orthodoxorum patrum, juxta Domini beneplacitum, cum catholicis

B imperatoribus dignemini inclinare. Ex his enim tribus sunt canones aggregati, & jura coronæ vestræ, Christi coronæ subponenda, cujus sunt diadema ac sponsæ suæ monilia, universæ ecclesiasticæ libertates, ipso per prophetam dicente: *Quasi sponsum decoratum corona, & tanquam sponsam ornatam monilibus suis.* Isai. 61. Decretis autem summorum pontificum, autoritatem dedit omnium Imperator, dicens Petro in evangelio Matthæi: *Quidquid ligaveris super terram, erit ligatum & in cælo.* Matth. 16. Ligat siquidem summus pontifex, non vinculis corporalibus, sed spiritualibus, sacris saltem legibus, quibus tenentur universi homines obedire; dicente eodem Domino per Moysen in Deute-

C ronomio: *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo suo, & decreto judicis, morietur homo ille.* Deuteron. 17. Ab hac autem obedientia non est altitudo regia absoluta, sed plus quam cæteri laici ea inferiores, eidem obnoxia. Unde subjungitur consequenter: *Postquam sederit rex in solio regni sui, describet Deuteronomium sibi legis hujus in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt, ut longe ipse regnet, ipse & filius ejus.* Ibid. Tenetur igitur rex ipse ex præcepto legis expresso, summo pontifici obedire: quod si non fecerit, timere potest rex legis insinuatione, ne regni sui prolongatio minuatur. Item Salvator ipse di-

D xit in Lucæ evangelio discipulis congregatis: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Quod exponens dicit beatus Dionysius: Hierarchis in his quæ agunt hierarchice obediendum est, sicut a Deo motis: ergo nulla obstante consuetudine obediendum est canonicis hierarchice impositis; hoc est sacris arbitriis prælatorum. Sed dicet forsitan ecclesiæ inimicus, quod non pertinet ad summum pontificem, juga hujusmodi legum vel canonum imponere principi sæculari, cujus nos cum universali ecclesia, & omnibus mundi sanctis & sapientibus, ex adverso contrarium affirmamus. Huic autem dissidio si quæratur qualiter debeat pacis remedium adhiberi: docet Dominus in Deuteronomio ut supra, dicens: *Si difficile & ambi-* Deuteron. 17.

E *guum apud te judicium esse prospexeris, & judicum intra portas tuas videris verba variari: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit dominus, & docuerint te juxta legem ejus.* Ergo ad summum pontificem pertinet omnis controversiæ terminatio, quæ non potest per inferiores judices quoscunque terminari.

Itē quantæ autoritatis sit ecclesia, in concilio, Christi nomine congregata, patet ex evangelio Matthæi, dicente

ANNO CHRISTI 1281.

dicente Domino: *Ubi sunt duo vel tres congregati in* A *nomine meo, ibi ego sum in medio eorum.* Et ibidem: *si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Qui igitur ecclesiæ non obediunt, in concilio præcipue congregatæ, hæretici sunt censendi. Item quantæ autoritatis sit, sanctorum patrum sincerissima doctrina, patet testimonio salvatoris dicentis in evangelio Matthæi: *Non vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.* Idem est ergo sanctorum patrum diffinitionibus resistere, quod Spiritus sancti oraculis adversari. (Matth. 10.)

Hæc attendentes imperatores catholici, leges suas omnes sacris canonibus subdiderunt, ne schismatici vel hæretici putarentur. Cum igitur ad vos, excellentissime domine rex, pertineat pax inclyta imperii: & vos etiam teneminileges vestras canonibus subjicere, & contrarias abolere. Turpis est pars quæ suo non convenit universo. Constantinus insuper rex B Angliæ, & orbis nihilo minus imperator, universa concessit quæ petimus, & specialiter personas clericorum, a solis prælatis ecclesiæ judicandas esse decrevit. Hoc idem Vvyghredus rex Cantiæ, canones affirmans esse servandos, fieri concessit: ut patet ex concilio a Brighevvaldo archiepiscopo celebrato, anno Domini septingētesimo nonagesimo quarto. Hoc & rex Kanutus de personis ecclesiasticis, in suis scriptis legibus diffinivit. Sanctus etiam Edvvardus in regnum Angliæ sublimandus, prius juravit se leges Canuti regis inviolabiliter servaturum. Vvillielmus etiam rex, cui sanctus Edvvardus regnum contulit, leges ipsius sancti servandas esse concessit: Ut siquis pacem ecclesiæ infregerit, ab episcopis sit justitia exercenda, & non a regis justitiariis, nisi propter episcopi C impotentiam vel neglectum. Et plura alia sanctissima sancivit: quæ servata, honori Domini proficerent, & regis merito coram Deo. Ecclesiam etiam hujus insulæ credimus fuisse in possessione libertatum quas petimus, tribus temporibus regum diversarum linguarum insulæ supradictæ: tempore scilicet regum Britannorum, sicut patet de parte illius ecclesiæ, quæ hactenus mansit in partibus Vvalliæ, quæ contra libertates hujusmodi non didicit conculcare. Item tempore regum Anglorum, utpote regum, Cnuti, & Ardecnuti; & præcipue ac indubitanter tempore sancti Edvvardi. Item tempore regis primi Normannorum triumphatoris inclyti, domini Vvillielmi D primi, & oppressiones quas plangimus, credimus sumpsisse exordium tempore regis Henrici primi, & præcipue regis Henrici patris Henrici junioris, quando noluit articulos gravaminum, per consensum sancti Thomæ archiepiscopi, & cæterorum pontificum Angliæ confirmari. Quibus quia noluit consentire, sustinuit exilium; & hujus occasione postea passionem. Si igitur martyrem non facit pœna, sed causa, illiciti & damnabiles sunt articuli, quibus quia assentire noluit, sustinuit agoniam: cujus injuriæ totiens repe- E tuntur, quotiens clerus vel ecclesia contra canones illos opprimitur, quos voluit observari.

Qua igitur, excellentissime domine, ista vobis metu conscientiæ cogimur scribere, sicut volumus in tremendo judicio respondere: supplicamus humiliter, quatenus istis nostris exhortationibus aurem dignemini inclinare, qui & juramento nostro * teneminini, a regno nostro malas consuetudines extirpare; nec juramento aliquo potestis ad ea quæ repugnant libertati ecclesiasticæ obligari. Et ex abundanti ab omni vos juramento absolvimus, quod potest conscientiam vestram contra ecclesiam aliqualiter excitare: & firmiter opinamur, quod vos nec animæ vestræ potestis salubriter prospicere, nec stabilitati regni vestri in posterum providere, nisi exhortationem nostram dignemini exaudire, pro qua tot sancti patres, & penultimus sanctæ memoriæ dominus Bonifacius, illustris genetricis nostræ avunculus, tam anxie laborarunt: Ad quod bonitatem cordis vestri, credimus esse proclivem, nisi vos decipiant impii suggestores: quod si fecerint, Altissimo supplicamus, ut eos sic temporaliter feriat, ut ipsorum animæ salvæ fiant. Datum apud Lamethe, quarto Nonarum Novembris, anno Domini MCCLXXXI. consecrationis nostræ anno III.

* Corr. vestro

ANNO CHRISTI 1281.

** QUÆ DEBEANT IN ECCLESIIS inveniri per rectores, & quæ per parochianos.

Edidit collector Anglicanus, ex MS. bibl. Cotton.

Statuta fratris Ioannis Peckham Cantuariensis archiepiscopi, ad doctrinam præsentium & memoriam futurorum.

Cum plerumque altercatio inter rectores ecclesiarum in provincia Cantuariensi constitutos, eorumque parochianos, super variis ornamentis, rebusque ecclesiasticis, quæ & quāta & quomodo ad rectores pertineant infrascripta; quæ autem ad eorum parochianos: & sic altercatum plerumque teneas pro doctrina quæ sequitur, ut docti existant parochiani in singulis subsequentibus certiores: sciant, intelligant, & observent taliter universi: quod calix, missale, vestimentum ipsius ecclesiæ principale, videlicet casula, alba munda, amictus, manipulum, zona, cum duabus tuellis, crux processionalis, alia crux minor pro mortuis, feretrum, turibulum, lucerna, cum tintinnabulo, velum Quadragesimale, manuales, vexilla, campanæ, vas ad aquam benedictam, cum sale & pane, osculatorium pacis, cereum paschale, cum candelabro, campanæ in campanili & chordæ, fontes cum seruris earundem, reparatio navis ecclesiæ interius & exterius, tam in altaribus, quam in imaginibus, fenestræque vitreæ, cum clausuris cœmeteriorum, ad ipsos parochianos pertinent omnia supradicta. (Hæc memoranda.)

Cætera autem omnia, tam in reparatione cancelli, quam ornamenta hujusmodi, interius & exterius, secundū diversas ordinationes & constitutiones approbatas, debent a locorū rectoribus seu vicariis reparari.

ANNO CHRISTI circiter 1282.

** CONCILIUM AVENIONENSE, Ab Arelatensis provinciæ præsulibus celebratum anno Domini circiter MCCLXXXII.

Ex MS. eminentiss. cardinalis Chisii.

Concilium domini Bertrandi Amalrici archiepiscopi Arelatensis.

TITULI CAPITULORUM.

ANNO CHRISTI 1282.

PRÆFATIO.

Mutuatus est Bertrandus Simonis legati præfationem concil. Bituric. ann. 1277. Vide.

BErtrandus miseratione Divina sanctæ Arelatensis ecclesiæ archiepiscopus, ad futuram rei memoriam. Inter pressuras præsentis temporis multiplices, atque curas quæ nostro cohærent officio servitutis, illa præcipue nos affligit, visceribus nostri cordis infixa profundius, atque solidius radicata, nostrum incessanter pungens animum suarum aculeis punctionum: ut ecclesiæ comprovinciales, ac ministri earum nostro subjecti regimini, solicitæ provisionis remedio, prout nobis desuper ministratur, a malignorum defendantur incursibus, cohibeantur injuriæ & violentiæ, ac omnis materia malignandi radicitus extirpetur, & adversis omnibus propulsatis in pacis pulchritudine delectentur habitantes in eis, & ut hostium sublata formidine, & " tranquillitate serena & serenitate tranquilla, pacis autori, cujus mancipantur obsequio, eo devotius quo tranquillius, & quo devotius eo acceptius, valeant famulari.

" *Corr.* in

Ex præfatione concilii Bituric. hic lineam restituimus, sine qua hiulcus erat locus.

Libenter itaque assiduos labores amplectimur, quãquã nostris impares humeris ad portandũ, nocturnis pariter & diurnis insistentes vigiliis, nonnunquã etiam supra vires, ut personis ecclesiasticis infra sortem nobis traditam constitutis, molestationum, iniuriarum crebrarum turbinibus relegatis, Divino fulti præsidio, nostris laboribus pacem, & propria solicitudine quietem opportunæ provisionis commercio præparemus. Sane in concilio quod nuper cum prælatis nostræ provinciæ apud Avinionẽ duximus convocandum, & autore domino feliciter celebrandum: quædam statuta ad honorem Dei, matris eius reverentiam, apostolique eius Trophimi almi nostri patroni, & sancti Stephani protomartyris gloriosi, animarum lucrum, ecclesiarum pacem, & ministrorum ipsorum quietem tranquillam edenda decrevimus, de venerabilium fratrum suffraganeorum nostrorum consilio & assensu: quæ brevi stilo, omni curiositate repulsa, sunt inferius annotata.

CAPITVLA.

I. *Contra usurarios.*

IN primis nostræ considerationis oculos dirigentes, ac pleno intuitu clarius intuentes, quod morbis noviter irruentibus opportuna sunt antidota adhibenda: ne totam terram inficere valeant infigentes rapaces oculos bonis alienis, quorum substantias exhauriunt infelici commercio usurariæ pravitatis, quæ quasi passim colitur a nonnullis divitibus, & aliis qui se solo nomine asserunt mercatores, quos, ut loquamur rectius, direptores possumus merito appellare: ne ulterius eorum promptuaria eructantia ex hoc in illud, quorum fæces adhuc exinaniri nequeunt, quin in malignis caloribus pericula mortifera per pravitatem usurariam ministrent assidue pauperibus & egenis, ut facilius ad extremæ paupertatis discrimina perducant eosdem, & etiam quamplures divites, ut rei evidentia & clamor validius attestatur: statuimus, quod omnes usurarii sint ipso facto vinculo excommunicationis innodati: intelligentes usurarios etiam eadem sententia fore ligatos, qui pannos, bladum, vinum, oleum, vel alias quascunque ", mobiles vel se moventes, præsertim ad sostam, sive ad solutionem post tempus aliquod faciendam, carius vendunt propter temporis dilationem, quam essent alias vendituri, si tempore solutionis esset venditio facienda: & etiam illos, qui quoscunque contractus alios faciunt in fraudem usurarum, quocunque alio nomine censeantur: & quod contra tales, Ordinarii procedant ex officio ad inquirendum super id, & etiam ad puniendum, & maxime ad denunciationem conquerentium, vel ad famam: a qua quidem sententia non possint absolvi, etiam si in foro pœnitentiali satisfactionẽ præbuerint, nisi dumtaxat a suis diœcesanis, vel ab eo cui hoc specialiter duxerint committendum. Excipimus autem evidens mortis periculum, exclusis malitia qualibet atque fraude: quas ab aliquibus circa talia nonnunquam audivimus adhiberi.

" *Deest* res

II. *Vt pro ecclesia preces fiant.*

Cum juxta scripturæ testimonium, qui pro alio orat, pro se Dominum interpellet, multumque *valeat iusti deprecatio assidua*, eoque, *oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum*, ut Psalmista testatur: pia deliberatione duximus statuendum, ubicumque Christianus fidelis devotas orationes & pia vota prosternere curaverit, in Missarum præsertim solemniis, ante Divinæ majestatis conspectum, a quo cuncta bona procedunt ", ut per suam ineffabilem misericordiã nobis clementer annuens, sacrosanctam ecclesiam matrem cunctorum fidelium & magistram conservet, pacificet, & regat, ac custodire dignetur, fidemque catholicam toto orbe terrarum multiplicare & conservare, una cum patre beatissimo domino nostro papa, ac cardinalibus universis. Et ut facilius deprecationes servorum suorum, quanquam exiles, Deus miserator exaudiat: præcipimus, & volumus etiam, quod quilibet sacerdos parochialis dicat singulis diebus Dominicis in Missa parochiali pro ipsis orationem pro populo: *Ecclesiæ tuæ, quæsumus Domine, preces placatus intende.* Et moneant populum publice, & diligenter inducant, ut fideliter orent pro eisdem Dominum, significantes ipsis quod quotiescunque pro prædictis humiliter oraverint, quod nos cum fratribus nostris, tamen vere pœnitentibus & confessis, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis eis misericorditer relaxamus.

Iacob. 5. *Psal. 33.* " *Deest* orent

VIII. *Vt bona ecclesiastica non alienentur.*

Quoniam sacrorum statuta canonum, principum decreta, & cæteræ legitimæ sanctiones, prohibent manifeste, ut possessiones

ANNO CHRISTI 1281.

sessiones, prædia, census, & alia quævis bona, usibus cælestium * deputata, ex quorum proventibus veri Dei ministri vitæ percipiunt necessaria, & sustentant pauperes & egenos, aliquo alienationis titulo distrahantur, vel quodcumque ad cætera eadem commercium habeatur: ideo statuimus, ne aliquis possessiones ecclesiasticas, redditus, aut quæcumque alia jura ecclesiastica, alienet quocumque titulo, in quascumque personas, cujusvis status, religionis, ordinis, aut dignitatis existant, sine diœcesani consilio & assensu: & qui contra fecerit, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto.

* f. ecclesiarum

IV. *Ut sint procuratores, qui citationes beneficiatorum coram judicibus non suis, communibus omnium impensis prosequantur.*

Attendentes quod aliqui Divinum judicium non timentes, prælatos & rectores ecclesiarum, & cæteros beneficia ecclesiastica obtinentes, coram diversis judicibus fatigant laboribus & expensis, & ipsos indebite ac fraudulenter vexationem suam compellunt redimere, propter vexationem indebitam & injustam: statuimus quod omnes prælati, rectores ecclesiarum, & cæteri beneficia ecclesiastica in nostra Arelatensi provincia obtinentes, unum vel plures procuratores constituant, qui citationes factas & faciendas, & litigia indebita, coram non suis judicibus, vel etiã peregrinis, expensis communibus omnium prosequantur contra quascunque personas cujuscumque præeminentiæ, dignitatis, religionis, conditionis, ordinis, aut status existant: quousque a vexatione indebita cessaverint, & justitia suum consequatur effectum. Et quod omnes prædicti, in expensis super hoc faciendis contribuant, juxta taxationem super his faciendam per venerabiles viros Cavallensem & Auraicensem episcopos: privilegiis, honore, beneplacito, & autoritate sedis apostolicæ ac legatorum, omnibus semper salvis.

V. *Ut fideles non contemnant parochiales suas ecclesias.*

Insuper advertentes, quod parochiani ecclesiarum, in plerisque locis parochiales ecclesias deserunt, & quasi contemnentes easdem, ad villas vel alias ecclesias accedunt: præsenti concilio statuimus, quod quilibet parochiani, saltem quibuslibet diebus Dominicis & solemnibus, venire ad suas parochiales ecclesias, cessante impedimento canonico, teneantur: & in eis * Missarum solemnia Eucharistiæ nostræ peregrinationis viaticum a propriis presbyteris, corde contrito, devotione & reverentia debitis, recipere, omni cunctatione postposita, studeant diligenter, præsertim in festis Resurrectionis Domini, Pentecostes: * tunc contingat & alia sacramenta ecclesiastica ab eisdem. Qui si venire recusaverint seu recipere, eorum ordinarii, juxta datam a Deo sibi providentiam, ipsos puniant & castigent: & quod parochiales presbyteri, singulis Dominicis diebus & festivis, moneant & inducant, dum Divina celebrantur, populum, ut prædicta observare debeant solicitudine diligenti.

* Videtur deesse inter

* Deest aliquid

VI. *Ut privilegiati sententias prælatorum non violent.*

Quia, sicut ait Scriptura, sententia pastoris tenenda est, & per omnia a quolibet observanda: ne forte apud Dominum, qui antea ligatus non erat, per contemptum damnabilem merito se involvat sententia in ipsum occasione aliqua prius lata: statuimus, quod si privilegiati seu exempti, prætextu suorum privilegiorum quibus utuntur, inhærendo intellectui litterali dumtaxat vel cortici eorumdem sententias prælatorum & censuram ecclesiasticam ausu temerario præsumpserint quomodolibet contemnere, seu etiam violare: quod in suis querelis hujusmodi descendentibus prius non audiantur, donec super his satisfecerint competenter: salvis in omnibus sedis apostolicæ privilegiis & indulgentia, autoritate, beneplacito, & mandato ejusdem.

VII. *Ut in causis ecclesiasticis non adeatur curia sæcularis.*

Frequens & detestanda præsumptio apud plures invaluit clericos, & etiam regulares, juris ordinem pervertentes, ut clerici necnon laici, clerico * suo relicto pontifice, non expaveant, in eversionem juris manifestissimam utriusque, ad judicia sæcularia pertrahere passim, ac eosdem ad reddendum * conantur compellere coram judicibus peregrinis: sicque inique de ecclesiæ consortio judicant, quod universa ecclesia * male sentiendo de judicio poscunt auxilium sæculare, cum privatorum causas Apostolus ad ecclesiam deferri, ibique præcipiat terminari. Volentes igitur hujusmodi morbis salubre antidotum præparare: præsenti concilio statuimus, quod si aliquis super causis spiritualibus vel ecclesiasticis negotiis quoquolibet vel per se vel per alium adiverit curiam sæcularem, & monitus infra tres dies desistere recusaverit, eo ipso sit excommunicationis sententia innodatus.

* Corr. clericos

* Deest rationem

VIII. *Ut colligationes & confratriæ non fiant.*

Quia vero colligationes, societates, confratriæ,

ANNO CHRISTI 1281.

fratriæ, seu conjurationes, quocumque nomine censeantur, reprobatæ noscuntur a canonibus, & humanis legibus introductæ, & constitutionibus conciliorum factorum per legatos Apostolicæ sedis in partibus & provinciis istis, & omnino cassatæ, & sententia excommunicationis lata in fautores: ideo nos approbatione & assensu præsentis concilii, prædictas factas & faciendas in posterum conjurationes, colligationes, societates, clericorum, regularium, cujuscumque ordinis, status, conditionis existant, in nostra provincia Arelatensi, ubicumque & civitatum, castrorum, baronum & omnium aliorum existentium in civitatis, villæ, dominio ecclesiastico subjectis, contra statuta canonum & conciliorum facta relaxantes, dissolvimus & cassamus: decernentes sacramenta præstita, ad prædicta observanda, illicita, a quibus eos qui hujusmodi sacramenta præstiterant, absolvimus, & pro juramento incaute præstito seu illicito volumus ut a confessoribus suis pœnitentiam recipiant salutarem. Et ubi infra decem dies post publicationem præsentis statuti se ad invicem absolverint, denuncientur autores, fautores, tractores, defensores, & fidejussores pro his observandis excommunicati: & frequenter hæc dissolutio * excommunicationis sententia per prælatos in suis diœcesibus, in suis synodis, diebus festivis & solemnibus, publicetur; & faciant per subjectos sibi prælatos vel presbyteros publicari.

Mendosa, sed intellectu facilia.

* f. diss. & excom.

IX. *Ut privilegiati non effugiant sententiam excommunicationis, nisi clarum privilegium ostendant.*

Advertentes quod nonnunquam plerique exempti, pro aliquibus casibus, nostra statuta contemnere non formidant, in suarum periculum animarum, ecclesiarum damna, & non modicum plurimorum scandalum, & enervationem ecclesiasticæ disciplinæ: & quoniam per prædicta, licet sint exempti, non est dubium ipsos extra locum exemptum excommunicationis sententiam incurrisse: præsente approbante concilio statuimus, ut si aliqui exempti, occasione statutorum nostrorum, excommunicationis sententia taliter fuerint involuti, quod in ecclesiis, ex quo certum fuerit, seu constiterit, ad requisitionem ordinarii per totam nostram provinciam excommunicati publice nuncientur: nisi probare possint, & etiam fidem facere pleniorem, quod per sua privilegia debeant lucidius, & absque dubitatione qualibet excusari, quo minus hujusmodi sententiis involvantur.

X. *Ne quis faciat testamentum sine suo parochiali presbytero.*

Quia quidam prædecessores nostri retroactis temporibus deliberatione provida statuerunt, & quasi quodammodo per abusum statuta hujusmodi in desuetudinem abierunt, ut scilicet aliquis non auderet sine suo parochiali presbytero condere testamentum, propter damnum, & animarum pericula, potissime quæ circa restitutionem male acquisitorum in ultimis voluntatibus ex debito faciendam aliquotiens obvenerint, præsertim cum decubunt in loco ægritudinis, a quo liberari eosdem a medicis immerito * desperantur, quia ubi majus periculum vertitur & finale, ibi cautiori solicitudine & finali industria est agendum, ut lucrifacere subditorum animas Dei cooperante gratia valeamus: præsenti approbante concilio, statuimus, ne quis testator sine suo parochiali presbytero, si absque magno periculo expectari possit, maxime ad pias causas, non faciat aliquatenus testamentum, vel condere præsumat aliam quamvis ultimam voluntatem: in qua præcipimus ut caveatur in primis, quod absque moræ dispendio post testatoris obitum, seu convalescentiam, male acquisitorum quomodolibet fieri debeat restitutio integra, quamdiu ejus sufficere potuerint facultates, antequam legata quæcumque favorabilia persolvantur. Statuentes nihilo minus quod homines in ecclesiis moneantur diebus Dominicis & festivis, ne intersint talibus testamentis.

* Corr. merito

XI.

Præterea injungimus parochialibus presbyteris, quod statutum editum per dominum Portuensem, tunc Arelatensem archiepiscopum, contra illos qui in.......

Cætera desunt.

SYNODUS SANTONENSIS,

Anno Dom. MCCLXXXII.

ANNO CHRISTI 1282.

Ex codice constitutionum Santonensis ecclesiæ.

Constitutiones domini Gaufridi de sancto Bricio, promulgatæ in synodo Paschali, anno Domini MCCLXXXII.

TITULI CAPITUM.

1. *De sepultura excommunicatorum.*
2. *De * sepeliendis excommunicatis per capitulum * absolutis.*
3. *Ut ab ecclesiarum rectoribus publicentur constitutiones.*
4. *Qualiter se debent habere prælati in procurationibus.*
5. *De testamentis.*

* leg. non sepel.
* leg. capellanum

CAPI-

ANNO CHRISTI 1282.

A

CAPITULA.

I. *De sepultura excommunicatorum.*

CUm in diœcesi Santonensi corruptela inoleverit, quod cadavera excōmunicatorum defunctorum ita prope cœmeteria, vel intra, a quibusdam contemptoribus nervi ecclesiasticæ disciplinæ intumulantur, ut vix discerni possint sepulturæ profanæ excommunicatorum, a sepulchris fidelium: hæc de cætero fieri prohibemus, sub pœna excommunicationis, cui subjacere volumus violatores constitutionis hujus ipso facto. Adjicientes sub pœna prædicta, ne excommunicatorum corpora tradantur sepulturæ prope sacra cœmeteria, per spatium duorum terræ jugerum circumquaque, nec ultra quam duo corpora excommunicatorum ponantur simul extra metas prædictas: ne propter multitudinem credatur ab aliquibus cœmeterium sacrum esse.

B

II. *De* [a] *sepeliendis excommunicatis per capitulum* [b] *absolutis.*

[a] *Corr.* De non
[b] *Corr.* per capellanū.

Cum quidam obstinato animo diutius sustinere excommunicationum sententias non verentes, expectant sub confidentia, quod in mortis articulo per sacerdotem proprium absolvantur, & tradantur ecclesiasticæ sepulturæ, non dubitātes quo minus in mortis articulo absolvi possint per proprium sacerdotem: districtius inhibemus sub pœna excommunicationis, ne, quanquam in mortis articulo per capellanos suos fuerint absoluti, eorum corpora tradantur ecclesiasticæ sepulturæ: nisi de licentia eorum judicum, quorum autoritate excommunicati fuerint, si sint ordinarii judices eorum. Si sententiam excommunicationis publicæ per duos menses sustinuerint, debent compellere brachium sæculare, ut ipsum compellant ad sanctæ matris ecclesiæ unitatem, mittendo manus suas in ipsum & res ejus.

C

III. *Ut ab ecclesiarum rectoribus publicentur constitutiones.*

Præcipimus universis ecclesiarum rectoribus nostræ diœcesis, ut constitutiones provinciales, synodales, & Gregorianas habeant, & teneant: & publicent in ecclesiis suis, quas eis expedit publicare.

D

IV. *Qualiter se debeant habere prælati in procurationibus.*

Cum illis quibus prædicamus, non debeamus existere onerosi: considerantes ecclesiarum istius diœcesis facultates, statuimus, quod archidiaconi, archipresbyteri, duobus ferculis in suis procurationibus, cum eas receperint, sint contenti: & quod archidiaconi, quatuor evectionibus & quatuor personis, dum visitant, sint contenti, cum & nos secundum hujusmodi formam evectionum nostrarum numerum moderemur. Nullus quoque in procurationibus prædictis, vel in nostra, aliquem invitare præsumat: ne possit dici, ex procurationibus prædictis aliquem plus debito prægravari. Sola nocte pernoctent iidem archidiaconi & archipresbyteri in locis, quibus ratione procurationis, visitationis, duxerint declinandum. In mane sine prandio exinde recedentes, quæstas in frumento, vino, avena, vel aliis quibuscumque, facere non præsumant, cum in jure sint exactiones hujusmodi interdictæ: per ipsosque teneri ibidem assisias prohibemus. Sed de causis minoribus cognoscere poterunt, dum ecclesias visitabunt. In omnibus autem præmissis casibus transgressorum pœnam excommunicationis infligimus ipso facto.

E

V. *De testamentis.*

Cum ad episcoporum spectet officium, ut decedentium ultimæ voluntates, quæ pro lege servantur, secundum jura civilia, & canonicas sanctiones, debeant executioni debitæ demandari: sunt nonnulli, qui eas in toto vel in parte annihilare cupientes, videlicet tam heredes, quam executores, ipsorum defunctorum testamenta seu ultimas voluntates detinent, occultant, & celant: ac etiam bona ipsorum decedentium in proprios usus convertunt. Ex quo accidit, quod redditus & legata relicta ecclesiis, monasteriis, & aliis locis & personis, ab ipsis defunctis pro anniversariis suis, & parentum suorum, faciendis, per hujusmodi detentiones, occultationes, & celationes, penitus amittuntur. Nos volentes huic morbo, celeri remedio providere, præsenti constitutione præcipimus, statuendo, ut omnes capellani, subcapellani, infra duos menses, ex quo parochianus eorum mortuus fuerit, nobis afferant vel mittant testamentum defuncti, si in scriptis factum fuerit, vel ad minus transcriptum, si originale non possunt habere. Quod si neutrum haberi potest, vel si dictum testamentum factum fuerit sine scriptis: mittant nobis sub sigillis suis nomina heredum & executorum: ut super his canonice consilium apponamus. Capellanos vero, & subcapellanos, & alios curam animarum habentes, quos in hoc invenerimus negligētes, graviter puniemus. Dictos autem detentores prædictorum testamentorum, ut voluntatum occultatores, & celatores fraudulenter, & qui bona dictorum decedentium in proprios usus convertere ausi fuerint, nisi in quantum jura permittunt, excommunicationis sententiam volumus incurrere ipso facto.

Item sæpe contingit, quod personæ decedentes suam ultimam voluntatem, in aliquorum seu alicujus dispositione & voluntate committunt: præcipientes quod de bonis suis ordinent, & disponant pro libito voluntatis, secundum quod saluti animarum decedentium viderint expedire. Ipsi vero, qui tales executiones seu dispositiones recipiunt, modico quandoque vel nihilo de bonis defuncti ipsius erogato, residuum, quodcumque fuerit, retinent, & in suos usus proprios convertunt: quod est contra Deum, & ipsorum decedentium voluntatem. Ideoque excommunicamus & excommunicationis sententia innodamus omnes illos, qui tales executiones, vel dispositiones in se suscipiunt: qui quidquam de bonis ipsorum defunctorum scienter vel fraudulenter duxerint retinendum, nisi quantum jura sibi permittant, vel decedentiū processerit voluntate.

Præterea sunt & alii, qui postquam infirmus loqui non potest, vel intelligibiliter suam non potest exprimere voluntatem, vel etiam est alienatus a mente, eidem faciunt testamentum; seu fingunt, quod ordinationem bonorum suorum in eorum dispositione, seu voluntate commisit: & tales ultimas voluntates sigillari procurant, quod non potest dici testamentum, cum mentis ipsius defuncti testatio non existat. Incidunt enim tales in vitium falsitatis. Quare nos talia præsumi & fieri de cætero prohibemus: illos qui contra hanc inhibitionem nostram talia testamenta, sive ordinationes fecerint, seu sigillaverint, vel sigillari procuraverint, excommunicationis vinculo innodamus.

CONCI-

ANNO CHRISTI 1282.

** CONCILIVM TVRONENSE,

A Ioanne archiepiſcopo & ſuffraganeis epiſcopis celebratum anno Dom. MCCLXXXII.*

Ex duobus MSS. altero Collegii Pariſ. Soc. IESV, altero donato ab Ægid. Menagio V.Cl.

TITVLI CAPITVLORVM.

PRÆFATIO.

AD honorem omnipotentis Dei, & ad reformationem ſtatus eccleſiarum provinciæ Turonenſis: nos Ioannes Dei patientia archiepiſcopus Turonenſis, intimo mentis deſiderio corrigere cupientes, ea quæ correctione legitima circa perſonas eccleſiaſticas, viſitando nuper illam provinciam, novimus indigere: convocatis venerabilibus in Chriſto fratribus, ejuſdem provinciæ epiſcopis, ſuffraganeis noſtris, necnon abbatibus, capitulis, conventibus, & aliis qui fuerant evocandi, apud Turones, provida deliberatione habita & tractatu, communicato quoque præſentium ipſorum ſuffraganeorum conſilio prout decet, ac volentes adverſus quorundam clericorum & laïcorum, qui eccleſiaſticum forum frequentant, calliditatem & verſutiam providere, qui fraudulenter illos contra quos non habent aliquid quæſtionis, ſæpe faciunt quandoque per ſe, quandoque per alios, vexari multipliciter & citari, ut pro redimendis vexationibus hujuſmodi, prædam* poſſint aſſequi ab eiſdem. (*al. quædã)

CAPITVLA.

I. *De vexatoribus.*

STatuimus omnes tales, ut ita dixerimus, vexatores, præter pœnam damnorum & expenſarum, in quibus volumus eos per locorum ordinarios illis quos tali fraude & dolo vexari faciunt, taxatione legitima præcedente, prout jura ſtatuunt, condemnari, excommunicationis vinculo, donec a tanta præſumptione reſipiſcant, percellendi.

II. *De incitantibus ad lites.*

Item præſentis approbatione & autoritate concilii prohibemus, ne quis de cætero ad lites excitet, vel ad rixas, ſicut a nonnullis, qui ad hoc per villas, oppida, & tabernas diſcurrunt, ut cauſam vexandi ſimplices homines habeant, comperimus eſſe factum. Qui vero contra hanc prohibitionem noſtram in aliquo venire præſumpſerint, cenſura ſimili compeſcantur.

III. *Vt clerici & religioſi tabernas non frequentent.*

Item ſtatuimus clericos, in ſacris præcipue ordinibus conſtitutos, & religioſos, tabernas, contra cleri honeſtatem, & prohibitionem canonum, frequentantes, niſi peregrinationis neceſſitate compulſos, modo ſimili prohiberi.

IV. *De furantibus libros, & ornamenta eccleſiaſtica, & folia librorum ſcindentibus, aut corrumpentibus.*

Item illos qui ſe eſſe dixerint* ſacerdotes, qui eccleſiarum calices, libros, aut cruces, reliquias, vel alia eccleſiaſtica ornamenta, furtive ſubtraxerint: ſtatuimus præſentis autoritate concilii excommunicationis ſententiæ ſubjacere; & aliter per locorum ordinarios, prout furti qualitas exegerit, corporaliter puniendos, donec reſtituerint ſic ſubtracta, & competentem egerint pœnitentiam de commiſſis. Quam pœnam extendi volumus ad omnes illos, qui librorum eccleſiarum ſciderint folia, aut diminuerint, ſeu deleverint, aut corruperint malitioſe in eis ſcripta, in eccleſiarum præjudicium quoquomodo. (*al. illos, præcipue ſacerdotes, qui)

V. *De proceſſionibus faciendis.*

Item pro eo quod in faciendis proceſſionibus, ob devotionem populi antiquitus introductis, multi eccleſiarum rectores & alii miniſtri ſe exhibent negligentes: præcipimus eos ad proceſſiones hujuſmodi, diebus Dominicis & aliis, ubi & prout fieri conſuevit, faciendas, ut per hoc, loca ipſa in majori reverentia habeantur, & devotio fidelium augeatur, per locorum ordinarios cenſura eccleſiaſtica, niſi tempeſtas temporis, vel alia neceſſaria cauſa eos impedierit, fore cogendos.

VI. *De uſurariis puniendis & vitandis.*

Item quia multi in obſervatione canonis a felicis recordationis Gregorio X. ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ ſummo pontifice, de manifeſtis uſurariis, de omnium & ſingulorum fidelium terris penitus expellendis, & habitationibus non locandis eiſdem, dudum in concilio Lugdunenſi editi, ſe exhibent negligentes: præcipimus in virtute obedientiæ, & ſub anathematis vinculo, injungentes

ANNO CHRISTI 1282.

jungentes, sententiam prædicti canonis, usque ad proximum provinciale futurum concilium, in singulis cathedralibus, collegiatis, ac etiam parochialibus ecclesiis provinciæ Turonensis, diebus Dominicis publicari: ut saltem rubore confusi ipsius canonis contemptores, ad ejus observantiā inducantur.

VII. *De opprimentibus ecclesiasticas personas, & perturbantibus jurisdictionem ecclesiasticam.*

Item potestates sæculares, ecclesias ecclesiasticasve personas opprimentes (quas statuta conciliorum volentia immunitati ecclesiæ providere, statuunt usque ad satisfactionem cōgruam excommunicationis sententiæ subjacere) præcipimus præsentis provisione concilii excommunicatas per omnes cathedrales, collegiales, & parochiales ecclesias hujus provinciæ, diebus Dominicis nunciandas, necnon omnes & singulos, qui jurisdictionem ecclesiasticam ordinariam, antiquas ecclesiasticas consuetudines, & etiam libertates, impedire, diminuere, turbare, vel in aliquo usurpare præsumpserint; & omnes illos qui consilium, auxilium, autoritatem, mandatum opemve præbuerint ad præmissa, clam vel palam, cujuscunque conditionis, ordinis, atque status existant, autoritate hujus concilii, excommunicationis sententia innodamus. Qui vero super denunciationibus præmissorum faciendis inventi fuerint negligentes, per locorum ordinarios puniantur.

VIII. *De purgatione præstanda super turbata jurisdictione, & pœna non purgantium.*

Item omnes illos qui de oppressionibus, usurpationibus, læsionibus aut diminutionibus, perturbationibus aut impedimentis, aut aliquo prēmissorum, suspecti fuerint, nisi ad mandatum ordinarii se purgaverint, tanquam de hoc convictos merito (quos autoritate præsentis cōcilii usq; ad satisfactionem cōgruam excōmunicationis sententiæ volumus subjacere ipso facto) præcipimus nominatim simili modo publice nunciari.

IX. *Contra illos qui ponunt comestores vel custodes in domibus ecclesiasticorum.*

Item statutum provincialis concilii contra illos qui ponunt comestores in religiosis domibus dudum editum, ad illos extendimus, qui ponunt hujusmodi comestores vel custodes in domibus prælatorum, aut aliarum ecclesiasticarum personarum quarumcunque: quos simili sententia, autoritate præsentis concilii, innodamus.

X. *De applegiamentis.*

Item præcipimus, potestates, baillivos, & quoscunque alios justitiæ sæcularis ministros, qui amodo personas ecclesiasticas, pro eo quod super possessionibus, redditibus, & rebus aliis quibuscunque, quas ecclesiarum & beneficiorum seu administrationum suarū nomine & ratione possident, se applegiaverunt, vel contraplegiaverunt coram eis, ut ita dixerimus, hujusmodi possessionibus, redditibus, & rebus aliis quibuscunque, in quibus sunt autoritate ecclesiæ merito defendendi, privare, aut possessiones ipsas alias eis auferre, & in illos qui de personis hujusmodi ecclesiasticis super his conqueruntur, in aliosve transferre vel in manu sua tenere præsumpserint possessiones ipsas, redditus, & res alias quascunque, personis ecclesiasticis sic ablatas, excommunicationis sententiam cum suis consiliariis & autoribus, præsentis autoritate concilii, incurrere volumus ipso facto.

XI. *De inhibentibus subditis suis ne participent cum personis ecclesiasticis.*

Item, quia nonnulli laïci falcem appetentes in messem ponere alienam, hominibus quidem suis, vel alias sibi subditis, ne personis ecclesiasticis, cum quibus habent aliquid quæstionis, ignem aut aquam ministrent, & ne aliquid eis vendendo seu emendo, aut aliter communicent quoquomodo, districtius inhibere præsumunt in suarum periculum animarum: ipsos Iudæis quodammodo comparantes, dum eis alios communicare non sinunt, præsentis provisione concilii statuimus, hujusmodi præsumptores excommunicationis sententiæ subjacere.

XII. *De decimis.*

Item omnes illos, cujuscunque status aut conditionis existant, qui personas ecclesiasticas, aut ecclesiarum ministros, quo minus possint decimam ad ipsos seu eorum ecclesias pertinentem colligere, percipere, aut ad firmam tradere, cui aut quibus expedire viderint, impedire præsumpserint quoquomodo, post inhibitiones & monitiones eis in generali competentes factas, præcipimus excommunicationis vinculo generaliter innodandos, & excommunicatos usque ad satisfactionem congruam nunciandos.

XIII. *Ut statuta priorum conciliorū observentur.*

Item omnia & singula statuta provincialia, tam a nobis, quam a prædecessoribus nostris bonæ memoriæ archiepiscopis Turonensibus, hactenus edita, renovantes, præsentis autoritate concilii confirmamus.

Actum Turonis, die Mercurii post festum beati Petri ad Vincula, continuata seu expectata a die Lunæ præcedente. Anno Domini MCCLXXXII.

** PROCESSUS CONTRA PETRUM regem Arragonum, ejusque fautores ann. MCCLXXXII. & MCCLXXXIII.

Continetur negotium hoc totum, Martini pontificis epistolis, seu potius sententiis tribus, quarum prime

ANNO CHRISTI 1282.

ma, ne quid de Binii ordine mutaremus, superius edita est, pag. 1146. inter Martini epistolas: continetque sententiam excommunicationis, ipso Ascensionis Domini festo ann. MCCLXXXII. latam Urbevetere, in eos qui Siciliam Romanæ ecclesiæ stipendiariam, & Caroloregis Francorum fratri jure fiduciario traditam, invaderent. Male ergo vocavit Binius, sententiam excommunicationis in Petrum Arragonum regem, eique hunc titulum præfixit. Nihil enim illic contra eum nominatim decretum est.

Secunda Monte Flascone anno eodem, festo dedicationis basilicæ SS. Petri & Pauli, nominatim in Petrum Arragonum regem ejusque asseclas lata est. Tertia, in eosdem, Urbevetere ann. MCCLXXXIII. Martii 23. Utraque ab eruditissimi viris Franc. Duchesnio, tomo V. histor. Franc. & Luca Dacherio tom. II. uberrimi Spicilegii, jam edita est: atque hic a me illorum ex editionibus repræsentanda, ut Labbii nostri, qui eas non inter Martini epistolas, sed hoc loco edendas spopondit, fidem liberem.

ANNO CHRISTI 1282.

** Sententia Martini PP. in Petrū Arragonum regem ejusque sectatores, Monte Flascone lata XIV. Kal. Decembr. anno MCCLXXXII. Martini papæ secundo.

Martinus episcopus, servus servorum Dei, ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Longa retro series, ipsiusque diffusa narratio, cui vix tempora multa sufficerent, tædio grandi nimiū audientes afficeret, si quondam Friderici, olim Romanorum imperatoris, posterorumque suorum, culpas horrendas & excessus nefandos, contra Deum & Romanam ecclesiam commissos; ac processus perinde, per Romanos pontifices prædecessores nostros, rite habitos contra ipsos, pœnasque iuste illis indictas, repetitio seriosa narraret. Ideoque summa rerum fastigia, prout imminentium casuum necessitas exigit, absque seductionis injuria materia patitur, decrevimus persequenda.

Et quidem communem non credimus latere notitiam, qualiter felicis recordationis Innocentius papa * IV. prædecessor noster, memoratum Fridericum, qui se, per eosdem suos excessus & culpas innumeras, indignum imperio & regnis, omnique honore ac dignitate, reddiderat, in concilio Lugdunensi, eodem approbante concilio, propter suas iniquitates, a Deo, ne regnaret vel imperaret, abjectum ostendit, & denunciavit omni honore ac dignitate privatum a Domino, & nihilo minus sententiando privavit, ut in ejusdem prædecessoris sententia contra Fridericum lata plenius continetur. Qualiter etiam post ejusdem Friderici obitum, quanquam regnum Siciliæ ad dispositionem Romanæ ecclesiæ, cujus juris & proprietatis existit, esset libere devolutum, dictusque prædecessor se de illo publice in eodem prædixisset concilio provisurum, quondam Conradus prædicti Friderici natus, licet in eodem regno ex ipsius sui genitoris successione nullum penitus jus haberet: tamen, sicut ex præmissis apparet, nec ille mortis suæ tempore habuisset, nec alias prædicto Conrado jus competeret in eodem, ipsum regnum, præsumptione temeraria occupavit. Nec illius recentioris facti memoriam obliteravit oblivio, videlicet quod ipso Conrado sublato de medio, quondam Manfredus, tunc princeps Tarentinus, quem velut de copula damnata susceptum, a dicti regni successione, non solum præmissa ejusdem Friderici privatio, sed etiam macula illegitimæ nativitatis arcebat, contra juramentum fidelitatis quod dicto prædecessori præstiterat, temere veniens, sub quondam Conradini nati dicti Conradi sui pronepotis, simulata protectione tutoria, ad quasdam civitates, castra, & alia loca regni ejusdem, manus occupatrices extendit. Propter quod & alios suos actus nefarios, & graves offensas, piæ memoriæ Alexander papa IV. prædecessor noster, ipsum ex causis variis, excommunicationis vinculo innodatum, Tarentino principatu, honore Montis sancti Angeli, omnibus comitatibus, terris, feudis, dignitatibus, & honoribus aliis, ac bonis & juribus quæ in præfato regno, & quæ alibi etiam ab ecclesiis & personis ecclesiasticis obtinebat, necnon & vicaria in quadam ipsius regni parte sibi ab apostolica sede concessa, & etiam omnibus concessionibus, donationibus, largitionibus, confirmationibus & privilegiis, sive a prædictis, Friderico patre, vel Conrado fratre suis, sive a sede apostolica in regno sibi factis eodem, vel alibi etiā ab ecclesiis quibuscūq; vel personis ecclesiasticis, tāquam rebellem & hostem ecclesiæ Romanæ, ac violatorem fidelitatis sibi præstitæ manifestum, suorumq; jurium invasorē, occupatorem, & detentorem sacrilegum, & tanquā sociatum nefando fœdere Sarracenis, eorumq; cōplicem, ductorem & protectorē publicū, apostolica autoritate privavit.

Cumque Manfredus memoratus nec iis aliisve remediis contra malitiam ejus adhibitis, in sua iniquitate remissior, sed in committendo quotidie prioribus deteriora ferventior, postmodum fraudulenter præfati nepotis sui morte conficta, dictum regnum proprio nomine occupans, & regium in illo titulum & nomen usurpans, se, ortus sui non erubescens primordia, in eiusdem regni regem inungi & coronari fecisset: idem prædecessor noster, eius iniquitates & fraudes abominans & detestans, cassavit & irritavit, cassum & irritū nunciavit, quicquid circa dictum Manfredum per unctionem, sed potius execrationem, & coronationē, quas recipere de facto præsumpserat, quasq; nullas esse constabat, extitit tam temerarie, quam dolose præsumptū.

Eisdem vero Manfredo, & demum Conradino (qui ætatem præveniendo malitia, a dictorum prædecessorum suorum iniquis semitis non declinans, sed ad eadem imperium & regnum adspirans, præfatam ecclesiam, & carissimum in Christo filium nostrum Carolum Siciliæ regem illustrem, insidiis multis impetiit, & multipliciter apertis conatibus infestavit, propter quod contra ipsum & fautores suos per recolendæ memoriæ Clementem papam prædecessorem nostrum varii habiti sunt processus) sua sorte succisis, " nobis, & regi ac regno prædictis, pacis & quietis serenitas arrideret, in subitas tempestates acta est æstiva tranquillitas, bellum in media pace surrexit, facti sunt hostes ex subditis: & qui eidem regi Siciliæ ad fidelitatis debitū tenebantur, rebellionis spiritum infideliter assumentes, non solum hostilia, sed etiam tyrannica patraverunt. Sicut enim gravis clamat infamia, processit adeo Panormitanæ civitatis & civium præsumptuosa rebellio, quod rebellandi audacia & iurium interversione regalium, suique, quātum in eis fuit, abiectione domini non contenta, ferinæ immanitatis dexteras ad crudelitates inauditas exposuit: dum eorum exitialis iniquitas, non solum quos ex devotis regis ipsius concepta potuit præoccupare nequitia, sine sexus ætatisve delecta inhumaniter occidit; verum etiam partus, quos adhuc viscerum portionem claustra materna celabant, illis sæve defectis, sic præcipiti festinatione produxit in lucem, quod eis minus procul dubio naturaliter lucis usum, antequam concederet natura, subtraxit: ipsis adeo præmatura & impiissima cæde cæsis, quod eorum principia vitæ prævenit occasus.

" add. cum

Quia vero sicut ex tunc plurimorum habebat assertio, & jam probat exitus evidenter, hæc in nostram & ejusdem

ANNO CHRISTI 1282.

ejusdem ecclesiæ turbationem & dispendium tentabātur; & plurium ad hoc intentio laborabat & studium, ut fornacis quasi extinctæ recenter, nos, ecclesia, & rex idem, renovata eo graviora sentiremus incendia, quo solent nocere gravius pericula recidiva: nos tantorum malorum cupientes obstare principiis, ne sero medicina ipsis jam procedentibus pararetur, in festo Ascensionis Domini præterito, nuper apud Urbem veterē, præsente multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio, universos & singulos, cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut status, attente monuimus, eisque districte præcepimus, ne in prædicto regno, vel ejus parte, nos, & eamdem ecclesiam, aut præfatum Siciliæ regem, qui regnum Siciliæ tenet ab ipsa, per se, vel per alium molestarent, impeterent, vel etiam perturbarent, occupando, invadendo, seu occupari aut invadi B faciendo regnū ipsum, vel aliquam partem ejus. Præcepimus insuper universis & singulis Christi fidelibus, & specialiter marchionibus, comitibus, baronibus, civitatibus, communitatibus, & universitatibus castrorum, villarum, & quorumcumque locorum Italiæ, maxime ipsius Romanæ ecclesiæ temporali jurisdictioni subjectis, ne prædictis molestatoribus, impetitoribus, perturbatoribus, occupatoribus, vel invasoribus, seu occupari vel invadi facientibus dictum regnum, vel aliquam partem ipsius, in præmissis intenderent: & ne cum armis vel sine armis ad turbandam in eodem regno pacem, præfatorum ecclesiæ ac regis scilicet, præstarent illis auxilium, consilium, vel favorem, publice vel occulte; neve super hoc societatem, conjurationē, aut fœdus aliquod cum ipsis inirēt. Si quis autem contra nostram monitionem, & præcepta præmissa, per se vel per alium, quibuscumque dolo, fraude, vel machinatione facerent, cujuscumque forent præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, excommunicationis sententia, quam ex tunc in eos protulimus, ipso facto se noscerent innodatos. Civitates quoq; ac communitates quaslibet, quæ contra monitionem & præcepta eadem, quocumque dolo, ingenio, arte, vel machinatione, venire præsumerent, interdicti ecclesiastici sententiæ, quam ex tunc in illos promulgavimus, voluimus subjacere.

Ad hæc prædiximus patriarchis, archiepiscopis, abbatibus, & aliis inferioris gradus prælatis, quod si contra monitionem & præcepta præmissa, vel eorum aliqua, venire attentarent, nos eos omni ecclesiasticæ dignitatis honore; cæteros autem clericos (non prælationis officium, sed dignitates forsitan vel personatus, seu alia beneficia obtinētes) & privare curaremus obtentis, & inhabiles reddere ad alia obtinenda, prout facti qualitas suaderet. Laicis vero, cujuscumq; præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, & præcipue temporaliter ipsi Romanæ ecclesiæ subjectis, expresse denunciamus, quod si monitiones & præcepta hujusmodi, contra per se vel per alium veniendo, temere non servarent: nos tantam temeritatem impunitam remanere nolentes, ipsos feudis, & aliis omnibus quæ ab eadem vel aliis tenerent ecclesiis, privare; vassallos eorum, si quos haberent, a fidelitatis juramento quod tenerentur eisdem reddere, penitus absolutos, & personis eorum, citra mortis periculum & mutilationis, expositis, ad expositionem bonorum procedere illorum, prout culpæ ipsorum exigerent, & videretur expediens, curaremus.

Et licet Panormitanæ civitatis & civium, nonnullorumque castrorum illarum partium, quæ contra eundem regem Siciliæ rebellarant, culpa gravis, acerbiorem processum exigeret: nos tamen desiderantes, quod civitatem, cives, & loca prædicta, mansuetudo corriperet, & a tanti erroris invio revocaret: erga eos non rigorem sed mansuetudinem prosequentes, universitatibus prædictorum civitatis, & castrorum, aliorumque A locorum, districte præcepimus, ut cujuslibet difficultatis & dilationis objectu sublato, ad nostra & ecclesiæ ac regis eorundem mādata redirent; quodq; prædictos molestatores, turbatores, occupatores, invasores, aut dātes eis in hoc auxilium, consiliū, vel favorē, in dictis civitate, castris, villis, seu districtibus eorūdem, nullo modo receptare vel recipere attentarēt; nec ipsorum, aut alicujus eorum dominio vel regimini se quoquo modo submitterent, neve ipsis vel eorum alicui, cōtra ecclesiam vel regem prædictos, impenderent in prædictis consilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum. Et nihilo minus confœderationes seu obligationes quaslibet, si quæ inter universitates easdem, vel inter ipsas & quoscumque alios, initas sive factas super occupatione & invasione prædictis, & juramenta de illis servandis, vel alia pro prædictis hinc inde præstita, relaxātes omnino, universitatibus ipsis aperte prædiximus, quod nisi præmissa celeriter adimplerent, contra civitatem castra, & villas earum, spiritualiter & temporaliter sic procedere autore Domino, curaremus, quod pœna docente, suæ temeritatis & superbiæ recognoscerent qualitatem.

Cæterum licet dum iis & aliis modis & viis, filiorum salutem paterna venabatur affectio, reliquorum, civitatum, castrorum, villarum, cæterorumque locorum, civium & incolarum Siciliæ, in nostram notitiam perlata rebellio (& præcipue Messanensium qui eorundem Panormitanorum imitati sævitiam, quamplures ex ministris & devotis ejusdem regis ipsius, post C securitatem illis præstitam, crudeliter trucidasse dicuntur, castrum regium ejusdem loci temerariis ausibus occupantes) multæ commotionis causam induceret: nos tamen propterea non desistentes a cœptis, venerabili fratre nostro G. episcopo Sabinensi ad partes illas, cum plenæ legationis officio, tanquam pacis angelo destinato, bona in illis & pro illis partibus quæsivimus, nec venerunt; pacem expectavimus, & turbinis gravioris tempestas apparuit: machinatis jamdudum, ut communis quasi fert opinio, & subsecutorum consideratio satis indicat evidenter, dolis & insidiis revelatis.

Siquidem Petrus rex Arragonum, quem carum filium nominari non patitur exprimendus inferius status ejus, de procedendo adversus Africam quæsito co- D lore, insulam Siciliæ, terram utique peculiarem ipsius ecclesiæ, militum & peditum caterva stipatus, invadens & occupans, ac in illa eiusdem ecclesiæ pacem turbans, gravem seditionem excitans contra eam, graviterque populum concitans: in eam temeritatis prorupit audaciam, quod cum civitatibus aliisque locis, universitatibus, civibus & incolis eiusdem insulæ (quibus ratione uxoris, filiæ scilicet memorati Manfredi, natorumque suorum, se tueri prætendit) confœderationibus, pactis, & conventionibus, ut fertur, quin potius conspirationibus & scelestis factionibus initis, regium in regno prædicto nomen usurpat, se regem Siciliæ nominat, & gerere pro Siciliæ rege præsumit: in E maioris præsumptionis augmentum, regi Carolo supradicto in suis litteris regni Siciliæ titulum subtrahēdo. Sicque non solum Panormitanos, quos alias pluries per nuncios ad hoc solicitasse dicitur, in incœptæ contra dictum regem Carolum seditionis & rebellionis contumacia obfirmavit, eos per se ac gentem suam fovens, ipsisque favens in illa; & tam ipsos, quam cæteros insulæ memoratæ rebelles, adeo contra eandem ecclesiam, eorum specialem matrem & dominam, concitavit, quod nonnulli ex eis, & specialiter Messanenses, qui ante ipsius in insula memorata præsentiam, dicti legati nuncios humiliter admittebant, dominium eiusdem recognoscentes ecclesiæ,

ANNO CHRISTI 1282.

clesiæ, nomenque publice invocantes; eos postea contumaciter admittere denegarunt, baculo arundineo, eidem scilicet regi Arragonensi, prætextu dictorum uxoris & filiorum ipsius, ut dicitur, innitentes. Quos tamen uxorem & filios, sive regem per eos, seu ipsorum ratione, in eadem insula, vel aliqua dicti regni Siciliæ parte, jus aliquod non habere, præmissa declarant; & nos nihilo minus decernimus, & etiam declaramus.

In quæ autem crimina, falsa regiæ dignitatis, immo & simplicis magistratus assumptio, seditio, violentiæque cum armis commissio, incidant, quibus addicendi sint pœnis talium patratores: non est opus exprimere, quia id nota & vetustissima decreta sanxerunt. Nec leve his pondus adjicitur, si ejusdem regis & regni Arragonum conditio explicite describatur. De archivo namque ipsius ecclesiæ munimenta prodeunt manifeste testantia, qualiter piæ memoriæ Innocentius papa IV. prædecessor noster, quondam Petrum regem Arragonum, dicti Petri Arragonensis regis avum, Arelatensi ejus temporis archiepiscopo, & aliis personis ecclesiasticis, necnon & quampluribus suis associatum proceribus, per mare ad sedem Apostolicam accedentem, ut inibi ab eodem prædecessore Innocentio militare cingulum & regium acciperet diadema, honoravit multipliciter, honorifice ac benigne recepit; & in ecclesia sancti Pancratii martyris trans Tiberim, per bonæ memoriæ Petrum tunc Portuensem episcopum faciens in regem inungi, deinde propriis manibus coronavit; & regalia insignia universa, mantum videlicet & colobium, sceptrum & pomum, coronam & mitram, quæ ad opus ipsius non solum speciosa, sed etiam preciosa parari fecerat, ex more in regum coronationibus observando, munifice largitus eidem, ab ipso corporale juramentum recepit. Per cujus religionem memoratus rex inter cætera fidelitatem & obedientiam ipsi summo pontifici, ejusque successoribus, & ecclesiæ Romanæ; regnumque suum in ipsius obedientia fideliter conservare promisit. Ac demum idem rex, cum multo tripudio & applausu coronatus, juxta ipsum prædecessorem nostrum Innocentium, ad basilicam S. Petri rediens, super illius altare sceptrum & diadema deposuit, & militarem ensem de manu ejusdem prædecessoris accepit: dictumque suum regnum, antea censuale a suis prædecessoribus eidem ecclesiæ constitutum, cupiens principali post Deum, ipsius beati Petri & apostolicæ sedis protectione muniri, prædecessori eidem Innocentio, & per eum ipsi sacrosanctæ apostolicæ sedi obtulit; illudque sibi & ejus successoribus in perpetuum, Divini amoris intuitu, & pro remedio animæ suæ, & progenitorum suorum, novo adjecto censu constituit censuale: pollicendo adjiciens, & adjiciendo pollicens, quod ipse ac successores sui, specialiter eidem sedi fideles & obnoxii teneantur. Hæc autem perpetua lege fore servanda decernens, ut hujusmodi regalis concessio firmitatem inviolabilem obtineret, ipsam in scriptis redactam, de procerum curiæ suæ consilio, præsentibus dicto Arelatensi archiepiscopo, quondam Sancio patruo suo, Hugone de Baucio, & Arnaldo de Faciano, suis baronibus, sigilli sui munimine roboratam eidem Innocentio prædecessori concessit.

Numquid igitur præmissa, collata pariter & solerti examinatione discussa, dictum regem Arragoniæ nepotem, fidelitatis (ad quam memoratus avus suus, cujus est in eodem Arragoniæ regno heres, ipsum sicut & successores, suos cæteros, tam publice, tam solenniter obligarat) eidem ecclesiæ debitorem ac violatorē publicum, reum grandis infidelitatis & damnabilis non accusant? Profecto fidei debitæ violatio, violantem procul dubio arguit infidelē: præsertim cum præmissa non leviter aggravet fraudulenta confictio, qua idem rex Arragoniæ nepos, non absque fraudis commento notabilis, finxisse detegitur, & apud nos, etiam per solemnes nuncios affirmasse, quod cum sumptuoso & solicito apparatu ad Dei & ecclesiæ servitium, & exaltationem catholicæ fidei, potentiæ suæ brachiū dirigebat. Quod tamen contra fidei ejusdem utilitatem, dictum regem Carolum, cruce signatum in terræ sanctæ subsidium, & publice ad Dei ejusdemque fidei obsequia persequenda dispositum, nulla diffidatione præmissa, quod multorum judicio proditionis notam non effugit, hostiliter impetendo; necnon & contra ipsam matrem ecclesiam, ejus, ut prædicitur, terram invadendo & occupando, direxit. Nec eum excusat, sed accusat potius, quod ad partes Africæ, insulæ prædictæ vicinas, diebus aliquibus declinavit. Id enim ipsum ideo concinnasse probat, immo & convincit eventus, ut opportunitate captata commodius iniquitatem quam cōceperat parturiret: maxime cum per suos nuncios missos exinde pluries, dictos Panormitanos solicitasse, ac ipsis in præsumpta malitia consilium & auxilium attulisse dicatur: nec sit verisimile, quod eamdem Africam, terram quippe diffusio vastam ambitu, refertam incolis non prorsus imbecillibus, crebris munitionibus, ut habet fama, non vacuam, opibus & aliis opulentam, cujus invasionem vix multorum regum principumve quorumcumque potentia coacervata præsumeret; ipse ad hoc procul dubio divitiis impar & viribus, cum comitiva tam modica bellatorum, solus assumeret invadendam.

Numquid & iterum hæc non patenter ostendunt, quod sæpe fatus rex Arragoniæ nepos, tanquam insulæ memoratæ, dicti regni Siciliæ partis non modicæ, manifestus invasor & occupator, ac Panormitanorum rebellium, & seditionis, commotionis, seu concitationis, pacisque turbationis, contra præfatum regem Carolum motæ, notorius factor & fautor, & adversus ipsam ecclesiam actor & factor, suique complices, comites, satellites, & ministri, præmissam per nos in festo prædicto latam in omnes nostris monitionibus, præceptis & inhibitionibus non parentes, excommunicationis sententiam incurrerunt? nec absolutionis vassallorum suorum a juramento fidelitatis, si quo tenentur eisdem, privationis feudorum, quæ ipsi a Romana vel quibuscumque aliis tenent ecclesiis, & expositionis personarum citra mortem & mutilationem, bonorumque suorum, comminatum in eodem festo periculum evitarunt?

Universos autem sæpe fatæ rebelles insulæ, scilicet Messanenses, Agrigentinenses, & cæteros civitatum, castrorum, villarum, aliorumque locorum ejusdē insulæ cives, habitatores, & incolas, cujuscunq; sint præeminentiæ, dignitatis, cōditionis, aut status, qui dictis Panormitanis in pertinacia rebellionis assūptæ saltem se illis simili audacia sociando, ac illos proinde validiores & firmiores in illa reddendo, nec non societatibus, confœderationibus, pactionibus, pœnarum & juramenti adjectione firmatis, ut dicitur, juvando faverunt: & tam alios, quam Panormitanos eosdem, qui præfato regi Arragonum nepoti, contra prohibitiones & monita nostra præmissa, intendere in invasione aut occupatione prædictis, ipsum recipere ac receptare, se illius regimini submittere, sibique, contra ecclesiam vel regem Carolum prædictos, favorem, & auxilium impendere præsumpserunt, eidem sententiæ subjectos & periculo esse procul dubio liquet expositos: civitates vero, castra, villas, & alia loca prædicta, necnon & universitates ipsorum, ecclesiastico supposita interdicto. Hæc sunt igitur, quæ per eundem regem Arragoniæ nepotem Deo & ecclesiæ servitia offerebantur. Hæc sunt, quæ ipsius ecclesiæ prosequi

se

ANNO CHRISTI 1282.

se jactabat obsequia. Hæc fidei catholicæ incrementa: sic exaltationem religionis Christianæ prosequitur, & sic procurat: sic Dei, fidei, ecclesiæ ac religionis earumdem hostes persequitur, sic impugnat: talibus in se regalem dignitatem intitulat: talibus titulis vitam suam, famam, genusque decorat.

Licet itaque tantis excessibus excedentiumque demeritis, processus gravior deberetur, & ad executionem præmissarum comminationum prosecutionem procedere non injuste possemus; immo etiam, sicut prædictorum consideratio perhibet, deberemus: quia tamen nescit a curis caritas etiam læsa recedere, inducta paternæ caritatis inducimur, ut cum simus, licet insufficientibus meritis, illius vicarii, qui non mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant se velle fatetur, regem Arragoniæ & alios præfatos, denunciationibus, monitionibus, mandatis, prohibitionibus, & comminationibus, ad conversionem celerem, ne in peccatis, iniquitatibus, & sententiarum laqueis, quibus se, ut præmissa docent, apertius involuerant, in morte obdormiant, excitemus.

Ideque præsente hac multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio, denunciamus eosdem, Petrum regem Arragoniæ nepotem, suos comites, complices, satellites & ministros, ac insulæ memoratæ rebelles, ex supradictis causis, excommunicationis; civitates, castra, villas, & alia loca præfata, necnon & universitates ipsorum, interdicti, præmissis sententiis latis per nos subjacere: de novo tam in regem & alios sæpe fatos, quam in universitates, castra, villas, & loca prædicta, ex causis eisdem, & propter auctam eorum contumaciam in non parendo nostris monitis & præceptis, & a nobis prohibita pertinaciter prosequendo diutius, similes sententias promulgantes. Ipsum autem regem, & cæteros, universos & singulos, qui cum eo aut alias, in auxilium præsentis turbationis sive rebellionis, istam insulam intraverunt, vel inibi existentes eidem turbationi seu rebellioni quomodocumque faverunt, attente monemus, eisdemque districte præcipimus, ut ab hujusmodi suis excessibus & offensis desistentes, eamdem insulam penitus exeant, nunquam illuc in nostrum, ecclesiæ, vel regis Caroli, quoad præmissa, qualecumque præjudicium redituri. Adjicientes: ne quis de novo ad id eamdem insulam intret, vel aliquam ejusdem regni partem, publice vel occulte impetat, turbet aliquatenus, vel molestet. Universis quoque civibus, incolis, habitatoribus & universitatibus civitatum, & aliorum locorum ipsius insulæ, cum similibus monitione ac districtione jubemus, ut regem Arragonum, & excommunicatos memoratos, de ipsa insula prorsus expellerent, nunquam eos vel alios ad præmissa vel similia inibi recepturi. Districtius insuper inhibemus, ne idem rex Arragoniæ se regem Siciliæ nominet, sigillum regium sub intitulatione regni Siciliæ assumat, vel utatur assumpto; neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona vel jura quæcumque, in eo, aut aliqua ejus parte, concedat, vel tamquam rex Siciliæ quidquam agat; neque dominium vel subjectionem aliquam in quascumque singulares personas aut terras ipsorum, seu potestariã, vel quamlibet rectoriam, sive officium, quocumque nomine censeantur, in civitate vel quovis alio loco, maxime ipsius regni Siciliæ, aut alicujus partis Italiæ, in nostrum, ecclesiæ, ac regis Caroli eorumdem, quodcunque vel qualecumque gravamen, per se vel per alium, recipiat vel acceptet, aut cum eis vel eorum aliquo in ipsorum ecclesiæ ac regis gravamen, ut prædicitur, societatem sive aliam confœderationem contrahat, vel conservet qualitercunque contra-

A ctam: neque singulares personæ præmissæ, vel aliæ undecumque civitates, vel alia loca, eidem, in ecclesiæ ac regis Caroli prædictorum persecutione hujusmodi persistenti, vel alii pro eo, seu in favorem ipsius, præmissa concedant, vel aliquem præmissorum, aut alium pro eo, vel in favorem ipsius, ad prædicta vel eorum aliquod eligant, nominent, recipiant, vel assumant: nec ipse rex Arragoniæ, vel quivis alius, easdem singulares personas, civitates & loca, vel universitates ipsorum, specialiter autem cujuscumque partis regni Siciliæ, ut se vel terras suas ejusdem regis Arragoniæ dominio vel obedientiæ cuicunque supponant, aut eum vel alium pro eo, seu in favorem ipsius, in potestatem, rectorem, vel ad aliud quodcumque officium, B ut prædicitur, eligant, nominent, vel admittant, sive cum eo societatem vel confœderationem aliquam contrahant, vel qualitercumque contractam observent, seu quod cives, incolæ, habitatores, civitates, vel alia loca prædicta, sive universitates eorum, præsertim cujuscumque partis ejusdem regni Siciliæ, a nostra, ecclesiæ, ac regis Caroli prædictorum fidelitate seu devotione, quomodolibet avertantur, vel aversa etiam in hujusmodi aversione persistant, per se, nuncium, vel litteras inducere, aut donis, promissionibus, seu alio quovis modo allicere, seu sollicitare præsumant: neve singulares personæ, civitates, castra, villæ, aut loca præfata, se dicti regis Arragonum, hu-C jusmodi ecclesiæ ac regis Caroli persecutioni quomodo libet insistentis, dominio, regimini vel obedientiæ qualicumque subjiciant, sive in nostrum, ecclesiæ, sive regis Siciliæ, præjudicium vel gravamen, ut prædicitur: ipsum regem Arragonum litteras vel nuncios suos, vasa quævis apta cuicumque navigio, gentemve recipiant vel receptent, vel ad ipsum vadant, ipsive litteras mittant, aut sibi, genti, vel nunciis suis, aut aliis pro eis, maxime in aliqua parte ipsius regni Siciliæ, obediant vel intendant, fodrum ministrent, equos, arma, vel vasa hujusmodi, sub venditionis titulo, aut aliter, quomodocumque concedant, seu ab ipso rege Arragonum, vel alio pro ipso, immunitates, feuda, & largitiones quaslibet in eodem regno Siciliæ, D quas constat, & nos nihilo minus declaramus, & decernimus non tenere; vel alibi, occasione instantis negotii ejusdem regni Siciliæ, aut stipendia ubicumque, contra nos, ecclesiam, vel regem Carolum prædictos, recipiant, vel pro receptis promissum audeant servitium exhibere, aut alias præstare consilium vel favorem, publicum vel occultum: nec cum ipso rege Arragonum, vel alio pro ipso, seu in favorem ipsius, societatem, colligationem vel quascumque conventiones, in nostrum, ecclesiæ, aut regis Caroli eorumdem, qualecunque dispendium contrahant, aut contractas, etiam sub vinculo juramenti, vel quarumlibet adjectione pœnarum seu pactorum, audeant observare.

E Singulariter autem Michaelem Palæologum, qui se imperatorem nominat, quemque super his, & præcipue super impenso in prædictis memorato regi Arragonum nepoti, contra nos & præfatos ecclesiam ac regem Carolum, consilio, auxilio, vel favore; necnon pactis, conventionibus, & confœderationibus, initis cum eodem, argumenta verisimilia deferunt, vox præterea publica & communis quasi assertionis incessat*; omnesque sibi de facto vel quomodocumque subjectos, attente monemus, eisque districte præcipimus, ut omnia, monitiones, præcepta, inhibitionesque præmissa, quæ Michaelem & subditos contingunt, vel possunt quoquo modo contingere, vel in eis seu quæ ad eos qualitercumque locum habere (quæ omnia & singula volumus pro nominatis singulariter, & expresse repetitis haberi, & velut taliter repetita robur

* f. incusat

Anno Christi 1281.

robur efficaciamque sortiri) diligenter observent, eisque studeant in omnibus & per omnia humiliter obedire.

Alioquin tam ipsos, regem Arragonum nepotem, & Michaelem Palæologum, quam alios universos & singulos, dictis nostris monitionibus, præceptis, vel inhibitionibus non parentes, cujuscumque sint præeminentiæ, dignitatis, conditionis, aut status, ecclesiastici vel mundani, excommunicationis sententiã quã in eos de ipsorum fratrum consilio ex nunc ferimus, perinde innodatos esse decernimus ipso facto, ac si expresse fuissent in hujus processus nostri serie nominati.

Civitates vero, castra, & alia loca quælibet, necnon universitates, quæ jam dictis monitionibus, præceptis, vel inhibitionibus, non parebunt, ecclesiastico interdicto quod ex nunc promulgamus in illa, esse volumus eodem modo subjecta. Interdicta vero præmissa sic arcte præcipimus observari: ut in locis quæ inciderunt in ea, vel in futurum inciderint, nulla ecclesiastica sacramenta (exceptis dumtaxat baptismate parvulorum & pœnitentiis morientium) ministrentur; nulla Divina celebrentur officia, nisi solum Missarum solemnia, quæ in cathedralibus, vel aliis collegiatis, & parochialibus ecclesiis, ad conficiendum corpus Christi morientibus ministrandum, submissa voce, clausis januis, interdictis & excommunicatis prorsus exclusis, semel tantum in septimana permittimus celebrari. Nonobstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis, Cisterciensibus, Prædicatoribus, Minoribus, vel aliis religiosis, aut sæcularibus personis, dignitatibus, civitatibus, castris, locis, vel universitatibus quibuscunque, sub quavis forma vel expressione verborum ab eadem sede concessis: quæ omnia, quoad hoc, omnino viribus vacuamus.

Et nihilominus societates, colligationes, conventiones hujusmodi, & quaslibet alias factas, vel etiam faciendas, in favorem dicti regis Arragonum, quæ ad instans negotium ejusdem regni Siciliæ, aut in ecclesiæ seu regis Caroli prædictorum qualecumque dispendium vel gravamen (etiamsi fuerint juramentorum, pœnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roboratæ) de potestatis plenitudine dissolventes, & carere decernentes omni robore firmitatis, universos & singulos qui se ad earum observationem quomodocumque, seu quacumque solemnitate astrinxerunt, ad eas observandas decernimus non teneri; nec pro eo quod ipsas deinde de cætero non servaverint, de reatu perjurii, aut ratione pœnarum vel conventionum quarumlibet adjectarum in illis, posse in judicio vel extra judicium impeti seu aliquatenus molestari. Quinimmo eos ab illarum observatione, sub pœna excommunicationis quam ex nunc ferimus, & ipsos si secus fecerint incurrere volumus ipso facto, præcipimus penitus abstinere.

Sane omnibus tam personis ecclesiasticis & sæcularibus, quam civitatibus, locisque aliis & universitatibus supradictis, quæ hujusmodi mandatis nostris, præceptis, & inhibitionibus contumaciter non parebunt, aperte prædicimus: quod non solum ad exequendum comminationes præmissas, sed & alias, gravius spiritualiter & temporaliter contra eas, & specialiter contra civitates quas contigerit in hujusmodi contumaciâ deprehendi, ad privandum eas archiepiscopali vel episcopali dignitate; cõtra memoratos vero rebelles insulæ supradictæ, ad interdicendum ipsis cum quibuslibet aliis, & aliis quibuscumque cum eis, omne commercium, quando & prout facti suaserit qualitas, & expediens fore viderimus, procedemus.

Ad hæc præfatis, regi Arragonum, Michaeli Palæologo, & aliis universis, qui contra præmissa nostra monita & præcepta, vel inhibitiones, prædictum regnum Siciliæ in præfata insula, sive in reliquis ejusdem regni partibus, invadere, turbare impetere, seu molestare quomodolibet præsumpserint, publice vel occulte, hoc generali & publico denunciamus edicto, quod nisi rex ipse Arragonum, aliique prædicti, in eisdem insula & regno Siciliæ, ac vicinis seu quibuscumque Italiæ partibus, commorantes, infra instans festum Purificationis beatæ virginis, alii vero magis remoti infra Kalendas mensis Aprilis, ac dictus Palæologus infra Kalendas Maii proxime futuras (quod tempus eis ad hoc pro peremptorio termino assignamus) humiliter ad nostra & ecclesiæ mandata redierint, præcise nostris pariturі beneplacitis, & tam nobis & ecclesiæ, quam memorato regi Carolo, de contumacia & contemptu, damnis & injuriis, omnique interesse, satisfactionem plenariam, competenti tempore quod eis ad id præfiximus, impensuri; ex nunc personas eorum, citra mortis & mutilationis periculum, & omnia bona mobilia, exponimus, a quibusli bet fidelibus libere occupanda: ipsosque feudis, bonis & juribus, quæ a Romana, vel a quibuscumque tenent ecclesiis, privilegiis, indulgentiis, & gratiis quibuslibet, ipsis ab eadem sede sub quavis forma concessis, apostolica auctoritate privamus; vassallos eorum a juramento fidelitatis, quo forsan tenentur eisdem, penitus absolventes. Lapso vero dicto termino, quandocumque nobis visum fuerit, ad privandum eumdem regem Arragonum, ipsius etiam absentia non obstante, præfato regno Arragoniæ, omnibusque aliis terris suis, seu ad ipsa regnum & terras similiter exponenda, quoad ipsum regnũ, & terras præfatas: semper nostro & ejusdem Romanæ ecclesiæ jure salvo. Et nihilominus contra eum pro qualitate criminum, quibus, ut præfatum est, eum obnoxium superiora prætendunt, quantum nostrum officium patietur, facti qualitas suggeret, & nobis expedire videbitur, autore Domino procedemus.

Præmissas vero excommunicationis sententias prohibemus, absque speciali mandato sedis apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, relaxari. Quo casu nisi absolutionis beneficium obtinentes, infra tres menses postquam restituti fuerint sanitati, de loco interdicto, si forsan ibi fuerint, recedentes, apostolico se conspectui curaverint præsentare, satisfacturi de suis excessibus pro quibus hujusmodi sententias incurrerunt, & ipsius sedis beneplacitis pariturі, eo ipso in easdem sententias relabantur.

Ipsas quoque sententias sic firmiter & inviolabiliter volumus observari, quod absolvendi ab eis vel relaxandi easdem, nisi forsan in mortis articulo, ut dictum est, tam omnibus nostris pœnitentiariis, quam aliis quibuslibet confessoribus, sive generalibus, sive specialibus, seu familiaribus quarumcumque, vel quantumcumque sublimium personarum, ubilibet consistentium, adimimus potestatem: etiamsi a nobis vel aliquo prædecessorum nostrorum, sub quacumque verborum forma, generalem vel specialem, aut liberam, absolvendi aliquem vel aliquos a sententiis hominis vel canonis, seu alias quomodolibet relaxandi, obtinuerint facultatem. Si quis autem sine dictæ sanctæ sedis speciali mandato, ex nunc obtinendo, contrarium forte præsumpserit, tam absolventem a prædictis sententiis, seu relaxantem easdem, quam hujusmodi absolutionem vel relaxationem recipientem, in quacumque dignitate, præeminentia, statu, vel ordine fuerint constituti, ex hac causa, excommunicationis vinculo innodamus: relaxationem etiam hujusmodi sententiæ, sedi præfatæ similiter

ANNO CHRISTI 1282.

similiter reservantes, mortis articulo dumtaxat excepto: & tunc nisi sanitate recepta, infra tempus competens, juxta locorum distantiam, ad eandem sedem venerint, suum humiliter recogniturì reatum, & ipsius sedis beneplacitis pariturì, relabantur in easdem sententias ipso facto. Ab iis vero mulieres in hoc tantum excipi volumus, ut si solum ratione præstiti favoris in hujusmodi sententias forsan inciderint, possint per diœcesanos suos, juxta formam ecclesiæ, absolutionis beneficium obtinere.

Vt autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur: chartas sive membranas processum continentes eundem, in præsentis ecclesiæ sancti Flaviani martyris appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo indicio publicabunt: ita quod dicti Petrus rex Arragonum, & Palæologus, ac alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignoraverint eundem: cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Montem Flasconem, ante prædictam ecclesiam S. Flaviani, in festo dedicationis basilicæ principis apostolorum, pontificatus nostri anno II. sub anno Domini MCCLXXXII. Indictione XI.

ANNO CHRISTI 1283.

** Altera sententia in Petrum Arragonum regem a Martino papa IV. lata, Vrbevetere, XII. Kal. April anno Dom. MCCLXXXIII.

Martinus episcopus servus servorum Dei; ad certitudinem præsentium & memoriam futurorum.

DE insurgentis in regno Siciliæ fremitu tempestatis, quod execranda Panormitanæ rebellionis audacia inchoavit, & reliquorum Siculorum malitia Panormitanam imitata prosequitur, ad sedem apostolicam infausto rumore perlato: nos post processum in hac Vrbevetana civitate, in festo Ascensionis Domini transacto novissime habitum, ad compescendam tempestatem eandem, quia procellarum illius spiritus non cessabat, sed per insidias Petri regis Arragonum, quem stilo circa reges solito non describi, subscripta ejus demerita meruerunt, invalescere potius videbatur: ut ejusdem regis, qui regiæ dignitati non deferens, & generis sui claritati non parcens, dictorum rebellium se ducem constituit & aurigam, nequitia revelaretur apertius, & ecclesiæ Romanæ instantia contra eum evidentius appareret: pridem in festo dedicationis basilicæ principis apostolorum præterito, nuper in platea ecclesiæ S. Flaviani Montis Flasconis Balneoregiensis diœcesis, præsente tunc multitudine numerosa fidelium duximus recensendum, qualiter felicis recordationis Innocentius papa IV. prædecessor noster quondam Fridericum, &c. *Vt supra pag* 1187. *ubi asteriscus ad marginem notatus est; usque ad has voces,* absolutionis beneficium obtinere, *hac ipsa pagina, lin.* 10.

Tantis itaque ac talibus, per præmissas monitiones, prohibitiones, & pœnarum comminationes, memoratis Petro regi Arragonum nepoti, rebellibusque Siculis, ministris, complicibus, & satellitibus, & fautoribus eorundem, tanquam[a] apertis datis significationibus ut a facie arcus fugerent, & se ab instantia recti judicii merita duritia liberarent: non humiliatum, sed obduratum est in suis perversitatibus insipiens cor eorum. Nec enim acquieverunt monitionibus, nec prohibitionibus paruerunt, nec comminationum horruere sævitiam, nec ab earum instantia expaverunt: sed eis contemptis, omnimodis suas non solum continuatione aggravavere nequitias, verum etiam multiplicationibus variis ampliarunt, ad alias partes regni Siciliæ extra sæpe fatam insulam constitutas hostiliter impetendas, suos, sicut fertur, conatus nefarios extendentes.

[a] f. tamque apertis

ANNO CHRISTI 1283.

Ne igitur tam justæ comminationes, fiant injustæ[a] ludibrio, si eorum justitia persecutione debita fraudaretur; neve sine vindicta gravis adeo crescat insania: dignum putavimus, ut memoratum Petrum nepotem regem Arragonum, tantamque ipsius proterviam ultrix sententia prosequatur. Et ideo regnum Arragoniæ, cæteraque terras regis ipsius, de fratrum nostrorum consilio exponentes, ut sequitur, ipsum P. regem Arragonum eisdem regno & terris, regioque honore, sententialiter, justitia exigente privamus: & privantes, exponimus eadem regnum & terras occupanda catholicis, de quibus, & prout sedes apostolica duxerit providendum, in dictis regno & terris ejusdem, Romano ut præmittitur jure salvo: vassallos ipsius, quos, ut præmissa declarant, a juramento fidelitatis, si quo tenebantur eidem, jam absolvimus, denunciantes penitus absolutos, & denuo ab eodem & a quolibet fidelitatis vinculo & homagio expressius absolventes, ac eosdem P. quondam regem, Siculos, complices & fautores eorum, omnesque alios singulares qui prædictas monitiones, inhibitiones, & comminationes, damnabiliter contempserunt, præmissæ excommunicationis; universitates vero, castra, civitates & loca cætera, denunciamus interdicti sententiis subjacere; ipsos & ipsa ex causis eisdem, & propter continuatam auctamque ipsorum contumaciam, similibus sententiis supponentes.

[a] f. justo

Vniversis præterea Christi fidelibus, cujuscumque conditionis, præeminentiæ, sive status, etiamsi dignitate pontificali seu regia forsitan decorentur; & specialiter archiepiscopis, episcopis, aliisque inferioris gradus prælatis, & personis ecclesiasticis, religiosis cujuscumque religionis aut ordinis, & sæcularibus, ipsique P. quondam regi Arragonum, comitibus, vicecomitibus, baronibus, universitatibus civitatum, castrorum, cæterorumque locorum, ac universis incolis & habitatoribus eorum regni & terrarum, quibus dictum P. tunc Arragonum regem privavimus, districtius inhibemus, ne ipse P. de dictis regno & terris se de cætero aliquatenus intromittat, neve cæteri supradicti, eidem P. dudum regi, vel aliis quibuscumque contra dictas privationem & expositionem, persequentes easdem (per quos dicta regnum & terras occupanda sedes eadem providebit) tentantibus se opponere, assistant, vel qualitercumque faveant, sive præstent in hoc consilium, auxilium vel favorem, publicum vel occultum, quacumque occasione quæsita, vel prætextu alicujus homagii, vel cujuscumque colligationis, confœderationis, societatis, seu cujusvis conventionis, aut jure contractæ hactenus, sive in posterum contrahendæ: etiamsi colligationes, confœderationes, societates, & conventiones hujusmodi, & alia supra dicta, pœnarum adjectionis, litterarum, vel juramenti, seu cujuslibet alterius sint vinculo firmitatis innexa. Nos enim colligationes, confœderationes, societates, conventiones, cæteraque hujusmodi præmissa, quoad hoc, de potestatis plenitudine dissolvimus, juramenta super illis præstita pœnasque propter ea promissas penitus relaxantes, & vniversos & singulos qui eas contraxerunt, se ad earum observantiam quantumcumque solemniter astringendo, ab ipsarum in præmissis observatione penitus absolventes.

Specialiter autem archiepiscopis, episcopis, & cæteris

ANNO CHRISTI 1283.

teris personis ecclesiasticis, comitibus, vicecomitibus, A baronibus, incolis, & habitatoribus supradictis earumdem regis Arragonum terrarum, prohibemus expresse, ne dictum P. olim regem Arragonum, pro rege vel domino recipiant vel habeant; neve sibi obediant vel intendant, aut ipsi, vel alii pro eo, de redditibus vel obventionibus sive juribus regalibus, seu ratione dominii debitis, respondeant. Alioquin memoratum P. quondam regem, & omnes singulares personas, cujuscumque præeminentiæ, conditionis, aut status, ecclesiastici vel mundani, etiamsi regalis dignitatis honore præfulgeant, excommunicationis; civitates vero, castra, villas & loca cætera, necnon universitates ipsarum, quæ dictas inhibitiones vel earum aliquam præterire propria temeritate præsumpserint, interdicti sententiis, quas ex nunc ferimus, decernimus subjacere. B Non obstantibus quibuslibet privilegiis vel indulgentiis, quibuslibet imperatoribus, regibus, principibus, archiepiscopis, seu quibuslibet prælatis aliis, Cistercienfibus, Prædicatoribus, Minoribus, Hospitalariis, Templariis, seu religiosis aliis aut sæcularibus personis, etiam in dignitate qualibet constitutis, civitatibus, castris, locis, communitatibus, collegiis vel quibusvis universitatibus, sub quacumque verborum forma vel expressione ab eadem sede concessis; & quibuslibet aliis indulgentiis ejus sedis, per quas præsentis processus effectus impediri valeat vel differri. Quæ quidem omnia privilegia & indulgentias, quoad hoc, omnino viribus vacuamus. C Et nihilo minus contra hujusmodi præsumptores, & specialiter contra dictos prælatos, religiosos, comites, vicecomites, barones, incolas, habitatores, civitates, castra, villas, & alia loca, & universitates ipsorum, ad privandum eos, & ea, quibuslibet privilegiis, indulgentiis, immunitatibus sive gratiis, ipsis ab eadem sede concessis, necnon terris, feudis & juribus, quæ a præfata Romana vel aliis quibuscumque tenent ecclesiis, seu personis ecclesiasticis, ac alias gravius spiritualiter & temporaliter, quando & sicut facti suaserit qualitas & expedire viderimus, prævia Divina gratia procedemus.

Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur: chartas sive membranas, processum continentes eundem, in majoris D ecclesiæ Urbevetanæ appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus: quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio, & patulo indicio publicabunt: ita quod idem Petrus, vel alii quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem prætendere, quod ad eos talis processus non pervenerit, vel quod ignorarint eundem: cum non sit verisimile remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur.

Actum apud Urbemveterem, in platea dictæ majoris ecclesiæ XII. Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

E

ANNO CHRISTI 1284.

*** CONCILIUM PARISIENSE anno Domini MCCLXXXIV.

Chronicon Dionysianum ab optimo & eruditissimo viro Luca Dacherio editum, tomo II. Spicilegii, hæc habet ad annum MCCLXXXIV. Eodem anno, tertia die octavæ B. Virginis Assumptionis, Ioannes Cholet apostolicæ sedis legatus, apud Parisias congregavit concilium: & advenit ibi maxima multitudo prælatorum. *Hoc tantum.*

ANNO CHRISTI 1284.

*** SYNODUS NEMAUSENSIS circa annum Domini MCCLXXXIV.

Ex codice MS. bibliothecæ Chisianæ, cujus copiam Alexander VII. Pont. Max ad hanc editionem benignissime fecit.

Incipit liber synodalis ecclesiæ Nemausensis editus a domino B*. episcopo Nemausensi.

*Bertrando

QUoniam in sacramentorũ collationibus, & animarũ regimine, cautela multiplex debet necessario adhiberi; idcirco nos B. miseratione Divina episcopus Nemausensis, considerantes non sine cordis dolore simplicitatem & insufficientiam quorumdam presbyterorum nostræ diœcesis, quibus circa curam eis commissam diversæ frequenter quæstiones, & casus periculosi emergunt multipliciter, & occurrunt: ad instructionem, & vitæ reformationem clericorum, præcipue curam regentium animarum, atque laicorum contra ecclesias & viros ecclesiasticos etiam insurgentium malitiam refræna idam, & ad procurandam eorundem salutem animarum: cum consilio, & assensu venerabilium fratrum nostrorum, præpositi, & capituli Nemausensis, quædam utilia & necessaria sub certis titulis in hoc contenta opere sub compendio notavimus: quæ de diversis collecta autoritatibus & statutis, aut sunt de jure, aut rationi consona, atque juri. In hoc igitur opere:

Primo tractatur de Baptismo. Secundo de Pœnitentia. Tertio de sacramento Eucharistiæ. Quarto de Missarum celebratione. Quinto de veneratione ecclesiarum. Sexto de alienatione rerum ecclesiasticarum, & obligatione ipsarum. Septimo de vita, & honestate clericorum. Octavo de testamentis. Nono de sepulturis. Decimo de decimis, & primitiis. Undecimo de sponsalibus, & matrimonio. Duodecimo de sententia excommunicationis, & interdicti; & quomodo infirmis absolutionis beneficium sit impendendum. Decimotertio de perjuris, & pœna ipsorum. Decimoquarto de Iudæis. Decimo quinto & ultimo quædam ponuntur capitula, & præcepta, speciales rubricas seu titulos non habentia. Et quia longum esset ad plenum tractare de materiis supradictis, ea quę pro majori parte ad contentiosam jurisdictionem & causarum strepitum pertinent, omittentes, in subsequentibus specialiter tractabimus de iis, quæ ad regimen ecclesiarum, & curam pertinent animarum.

Verum quia prodest parum statuta promulgari, & mandata fieri, nisi ad eorum observationem arctentur improvidi transgressores: idcirco nos prædictus episcopus Nemausensis districte præcipimus & mandamus, ut clerici nostræ diœcesis in sacris ordinibus constituti, & maxime ecclesiarum rectores, & capellani habentes curam animarum, hæc statuta præsentia, & prohibitiones synodales, frequenter legant, & diligenter intelligant, & observent: ut si super his eos delinquere contigerit, se non possint postmodum per ignorantiam excusare; sciturí pro certo quod transgressores hujusmodi pœna debita puniemus. Et quæ de infrascriptis, fuerint clericis intimanda, eis per rectores, & parochiales presbyteros intimentur: & ea quæ tangunt laicos, eisdem laicis, diversis temporibus & diebus, secundum quod opus fuerit, intimentur. Et ibi maxime ubi est populi multitudo: ut sic clerici in bonis moribus & honestis actibus informentur, & laici ab ecclesiarum & clericorum gravaminibus refrænentur.

De

ANNO CHRISTI 1284.

De Baptismo.

QVoniam Baptismus omniũ sacramentorum janua est, & etiam fundamentum, merito de ipso hic primitus est tractandum. Præcipimus itaque, ut infans quã cito natus fuerit, si periculum mortis sibi immineat, ita quod presbytero nequeat præsentari, a circumstantibus masculis, si præsentes fuerint, baptizetur in aqua calida, vel frigida, non in alio liquore, & in vase mundo, ligneo, vel lapideo, vel quolibet alio. Vel si vas haberi non possit, fundatur aqua super caput baptizãdi, & dicantur verba, quibus debet aliquis baptizari. Vel si masculi præsentes non fuerint, a circumstantibus fœminis baptizetur, etiam a patre, vel a matre, si alii non fuerint a quibus valeat baptizari. Sed quamdiu fuerint, a patre, vel a matre nullatenus baptizetur. Et si ex necessitate, a patre proprio vel a matre infans fuerit baptizatus, matrimonio inter eos in sua firmitate manente nulla propter hoc pœnitẽtia injungetur baptizanti, qui ex hoc potius debet commendari. Si vero malitiose pater, vel mater baptizavit, vel catechismo, seu in confirmatione tenuerit infantem uxoris suæ ex alio viro procreatum: matrimonio ut dictum est in suo robore permanente ad nos transmittatur, de tanto excessu a nobis pœnitentiam suscepturus. Si autem casu, vel ignorantia illud accidit, non sunt propter hoc in aliquo puniendi. Ne vero propter imperitiam laicorum, infans absque forma debita baptizetur: districte præcipimus, ut frequenter admoneant, & instruant plebẽ suam, ut cum ex necessitate prædicta aliquem baptizari contigerit, hanc formam in traditione ipsius baptismi cum diligentia studeant observare. Sed [a] ut infantem ter injungendo in aqua baptizans dicat sic: Petre, vel Martine, ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Si tamen una tantum immersio facta fuerit, erit nihilo minus baptizatus: & licet proprium nomen infanti non fuerit impositum: licet etiam paternum, vel maternum non habuerit, nec dictum fuerit, ego: dum tamen infantem immergendo in aquam, a baptizante dictum fuerit, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. Amen. Idem dicimus, scilicet infantem baptizatum esse, si baptizans dixit: Baptizo te in nomine Christi. Quod tamen non est laicis exprimendum, ne a forma prædicta statuta per ecclesiam recedatur. Si quis autem se ipsum baptizaverit, talem non esse baptizatum ecclesia judicabit, eo quod formam baptizandi non servavit a Domino traditam qui dixit, baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Scilicet ipse etiam Dominus se ipsum non baptizavit, sed potius ab alio, scilicet a sancto Ioanne Baptista, voluit baptizari. Et idcirco talis est denuo ab alio baptizandus: quamvis si continuo decederet, ad cælestem patriam protinus evolaret propter sacramenti [b] fidẽ, etiã si non propter fidei sacramentum. Si tamen tanta copia aquæ haberi non possit, ut infans in ea totaliter mergi possit: cum scutella, vel scypho, vel alio vase, aliqua qũtitas aquæ super infantem effundatur a baptizante, & effundendo dicat baptizans: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Et erit baptizatus infans.

[a] Corr. scilicet inf. ter immergẽdo

[b] Vulgo in scholia, votum sacramenti.

Hæc omnia supra dicta, si quando a laicis baptizetur, præcipimus in necessitatis articulo observanda: sed necessitate cessante, omnibus laicis, & etiam clericis, nisi fuerint in presbyteros canonice ordinati, catechismum faciendi, baptizandi, atque in Dominicis diebus exorcizandi, & mortuos sepeliendi, interdicimus potestatem. Sustinentes quod diaconi & subdiaconi possint prædicta facere, ubi sacerdos non est præsens vel ea facere nõ potest, & necessitatis articulus noscitur imminere. Cũ vero secundũ formã prædictam infans in necessitate a laico fuerit baptizatus: præcipimus, si supervixerit, ut presbytero, quam citius fieri poterit, præsentetur, qui inquirat solicite, qualiter fuerit baptizatus: & si forma prædicta non fuerit servata, faciat catechismum, & baptizet infantem juxta ecclesiæ formam.

A Si autem dubitaverit an legitime fuerit baptizatus, quia forte baptizans non recordatur ad plenum de verbis in baptismo prolatis, vel circumstantes discordant, vel forte infans expositus inventus est juxta ecclesiam vel alibi, nec habetur certitudo, vel aliud signum utrum sit baptizatus, vel non: in his casibus faciat sacerdos catechismum, & baptizet eum sub iis verbis: si baptizatus es, non te baptizo sed si baptizatus non es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Sed in tali dubio statur unius testimonio, si plures testes haberi non possint. Si vero infans a laico baptizatus, mortuus fuerit antequam presbytero præsentetur, & presbyter dubitaverit an fuerit in baptismo debita forma servata: si de hoc certificari non possit, in tali dubio infans B debet in cœmeterio ecclesiastico sepeliri. Et idem credimus posse fieri, quando expositi juxta ecclesias, vel alibi mortui reperiuntur, nec de baptismo ipsorum potest haberi aliqua certitudo. Si autem in baptismo infantis a laico baptizati, & mortui antequam presbytero præsentetur, inventum fuit formam debitam non fuisse servatam; vel infantem expositum, & mortuum inventum, constitit per scripturam, vel per alia signa, baptizatum non esse: non debet in cœmeterio ecclesiastico sepeliri.

Ad hæc si sacerdos invenerit, infantem a laicis juxta formam ecclesiæ baptizatum, ita quod non sit de hoc aliquatenus dubitandum: non rebaptizet, nec faciat catechismum, sed inungat eum in pectore & inter scapulas C oleo benedicto, secundum illam interrogationem, abrenuncias, & tunc dicendo, *Ego te linio*, &c. Tutius enim est, licet non necessarium, quod fiat prædicta unctio. In hoc casu inungat etiam eum chrismate sacro in vertice, dicendo orationes, quæ dicuntur post baptismum, & faciendo alia, quæ post baptismum fieri consueverũt, sicut in libris baptismalibus continetur. Si vero infanti pro baptismo ad presbyterum apportato non potest propter mortis periculum secure fieri catechismus: baptizet eum presbyter incontinenti, dimisso catechismo, & inungat eum oleo benedicto, & chrismate sacro: & alia quæ fiunt post baptismum, sicut superius continetur.

Prohibemus autem districte, ne in patrinum aliquis D regularis admittatur, nec aliquis alius, qui excommunicationis vel interdicti est sententia ligatus, vel qui non est baptizatus, vel etiam confirmatus. Tamen si aliquis de prædictis patrinus fuerit, nõ nocet aliquid baptizato. Præcipientes ut in catechismo, & baptismo, & confirmatione, unus tantummodo sit patrinus, hoc est, unus in quolibet sacramento. Si vero per negligentiam sacerdotis, vel per errorem, infantem inungi contigerit oleo, loco chrismatis: nihil propter hoc iteretur, sed caute suppleatur quod incaute fuerat prætermissum, & illa unctio chrismatis tantum fiat, quando per negligentiam vel errorem fuerat prætermissa. Si autem chrismate loco olei inunctus fuerit baptizandus, nihil propter hoc ite-E retur, nec fiat unctio olei prætermissa, quia in chrismate, quod ex oleo fit & balsamo, oleum continetur.

Districte etiam præcipimus, ut fontes cooperti, mundi, & nitidi teneantur: & quod chrisma, & oleum sacrum, sub fideli custodia, & clavibus adhibitis teneantur. Præcipientes, ut singulis annis in hebdomada sancta, presbyteri parochialiũ ecclesiarũ, per se ipsos, vel diaconũ, seu subdiaconum, vel clericos adultos, chrisma novũ & oleũ, a nobis vel archipresbyteris nostris suscipiãt, sicut est cõsuetũ. Sed antequã chrisma novũ & oleũ suscipiant, vetus chrisma & oleum effundant infra fõtes ecclesiæ baptismalis, & ampullas suas diligẽter abluãt in eisdẽ, & denuo [c] chrismate & oleo per totũ annum inungant pueros baptizandos. Et si forsan contigerit, oleũ vel chrisma deficere: incõtinenti mittãt ad archipresbyteros pro chrismate & oleo: & si ab eis haberi non possunt, vel absq; periculo expectari, si aliquid residui fuerit, admisceãt presbyteri cũ illo residuo olei vel chrismatis aliud oleũ non cõsecratũ, & ex eis unctiones faciãt supradictas.

[c] f. de novo chr.

ANNO CHRISTI 1284.

Districte autē præcipimus, & sub pœna excōmunicationis officii, & beneficii, mandamus, ut quocumque tēpore, & quacūque hora diei, vel noctis, sacerdos pro baptismo & pœnitentia fuerit requisitus, omni occasione & mora postpositis, ad conferendū ea exhibeat libenter sese paratū. Verumtamē si propriam capullam propter paupertatē, vel aliam quamcumque causam, non habuerit, vel habere nequiverit: baptizandus, capulla etiam alia, cum qua alius baptizatus fuerit, quā sacerdos præcipue gratis exhibeat, baptizetur. Si vero matre in partu laborāte infans extra ventrem matris tantū caput emiserit, & in tanto periculo infans positus nasci nequiverit: infundat aliqua de obstetricibus aquam super caput infantis dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Postremo quoniā frequenter contingit matrem in puerperio decedere, & partus in matricis visceribus adhuc creditur esse vivus: ex quo pro certo mulierem mortuam esse constitit, si partum credant vivere obstetrices, aperiatur mulier per aliquem, vel per aliquā, sine mora, & partus si vivus fuerit baptizetur. Et ut quilibet ad hoc se exhibeat promptiorē, quicumque aperiendo mulierem partum procuraverit baptizari, in remissionem sibi proficiat peccatorum, & hoc per ecclesias annis singulis publicetur. Si autē partum cum matre simul mori contigerit, sine apertione in cœmeterio ecclesiastico tumuletur.

De Pœnitentia.

POenitētia est, ut ait Ambrosius, mala præterita plangere, & plangenda non committere. Omnis autē pœnitens vere debet dolorem habere de peccatis commissis, & voluntatem & propositum iterū non peccandi. Sunt enim in vera pœnitentia principaliter necessaria tria, videlicet cordis cōtritio, oris confessio, si confitēs loquitur, & operis satisfactio juxta posse: alioquin vere nō est vera pœnitentia, sed simulata potius, atque ficta. Confessio vero est corā sacerdote vera declaratio, seu revelatio peccatorū. Et quia post lapsum peccati est necessaria vera pœnitentia ad salutē: statutū est, quod omnis utriusque sexus fidelis, postquā ad annos discretionis pervenit, omnia peccata sua solus confiteatur fideliter saltem in anno semel proprio sacerdoti, & injunctā sibi pœnitentiā studeat pro viribus adimplere (quod & de clericis, scilicet quod cōfiteātur proprio sacerdoti in cujus parochia cōmorantur, districte præcipimus observari) alioquin vivēs, sive clericus fuerit, sive laicus, ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura. Et hoc salutare statutū publice in ecclesiis annis singulis proponatur. Si quis autē clericus, vel laicus, alio sacerdoti justa de causa voluerit sua confiteri peccata: licentiā præsens postulet, & obtineat ab ipso sacerdote. Præcipientes districte, ne aliquis presbyter super hoc requisitus, præsumat alicui malitiose licentiā hujusmodi denegare. Notandū tamē est, quod in quinque casibus sine licentia proprii sacerdotis, potest aliquis alieno presbytero cōfiteri. Primus est cum episcopus hoc alicui specialiter delegavit. Secūdus cū quis peccat in aliena parochia, & de illo peccato sacerdoti illius parochiæ confitetur. Tertius si causa domicilii, se duxerit ad aliam parochiā transferendū. Quartus est eum vagabundus circumit. Quintus cum imminet sibi mortis periculū, & non potest habere propriū sacerdotē, in quo casu possunt etiā laico* confiteri. Verū quoniā periculosum est valde, moram facere in peccato: præcipimus quod parochiales presbyteri frequenter moneant plebes suas, ut ad confessionē veniāt quā cito poterunt post cōmissum peccatū, & hoc propter incertitudinē horæ mortis; item quia in extrema ægritudine vix potest aliquis de peccatis nedum pœnitere, sed nec etiā cogitare, quia, ut ait Ioannes, cum ægritudine opprimeris vix aliud potes cogitare quā sentis, & illuc rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris. Debet autē se ipsum confitens accusare, non alium, nec personā nominatim exprimere, cum qua peccavit, nec sacerdos quærere: nisi peccati circumstantia talis esset, quod alius non posset confiteri peccatū, ut si cognovit matrem, sororem, filiā, vel hujusmodi qui non posset se ipsum aliter liberare. Item non debet confiteri per nunciū, nec per scripturā, sed viva voce, ore proprio, & præsentialiter, ut qui per se peccavit, per se ipsum confiteatur, & erubescat. Item non debet confiteri verbis, vel nominibus peccatorum seu criminum, palliatis, sed quodlibet peccatum suo proprio nomine quantumcunque turpe exprimat, & etiā circumstantias quantumcumque turpes, ut sic tota peccati sanies expellatur. Debet etiam confiteri singula peccata, quæ commisit, distincte & separatim, non confuse, nec etiam in transcursum. Si qui vero confitentium surdi fuerint, cæci, vel muti: inducat eos presbyter, prout melius poterit, ad contritionem & pœnitentiam, verbis, nutibus, atque signis exprimendam. Nullus autem presbyter, vel sacerdos sæcularis, vel regularis, cui a nobis animarum cura commissa non fuerit, parochianum alterius ad confessionem rapiat, etiam de licentia proprii sacerdotis, absque nostra licentia, & assensu, nisi necessitatis articulo imminente, aut parochiali sacerdote in ægritudine constituto, vel nisi tanta esset parochianorū multitudo, quod ad confessiones audiendas parochialis sacerdos sufficere non valeret: concedimus, quod tunc possit de licentia proprii sacerdotis. Districte vero præcipimus, quod illi qui confessiones audierint, in loco patenti audiant confitentes, non in occulto, & præcipue si fuerint mulieres. Debet ergo sacerdos solicitudinē diligentem adhibere, ne, dum audit confessiones, in faciem respiciat confitentes, & præcipue mulieres: sed si cappam habeat indutam capucium, indutum in capite teneat, & etiam inclinatum. Et si peccatum horribile intellexerit, non spuat, non faciē neque caput avertat, aut retorqueat huc illucque, aut signum aliquod, aut nutum faciat, sed nec aliquod verbum proferat, per quod abominari peccatorem, vel peccatum videatur, ne peccator rubore vel verecundia confusus, peccata reliqua, vel similia, timeat revelare. Cum vero peccator primo ad sacerdotem venerit, quærat ab eo, si non sibi notus, utrum parochianus ejus, & si dixerit quod non, quærat ab eo utrum venerit de licentia proprii sacerdotis; & si responderit, quod non, dicat ei, frater non debeo te audire, vade ad tuū sacerdotem. Si autem sit parochianus ejus, vel venerit de licentia sui episcopi, vel proprii sacerdotis: quærat primo ab ipso utrum aliqua excommunicationis sententia, vel interdicti, sit ligatus. Et si dixerit quod sic, dicat ei, frater non audiam te nisi prius fueris absolutus: & si occulte excommunicatus fuerit, occulte dicat ei; si autem publicum fuerit eum excommunicatum esse, publice pœnitētiam denegabit, quia nullus excommunicatus, vel interdictus, debet recipi ad pœnitentiam, nisi prius faciat se absolvi. Si vero dixerit se non esse excommunicatum, vel interdictū, debet eum primo interrogare presbyter, utrū sciat, *Pater noster, Ave Maria, Credo in Deum*: & si nesciat moneat eum, ut addiscat. Deinde admoneat eum familiariter ac benigne, ut omnia peccata sua confiteatur humiliter, nec ob verecundiam celet aliquod peccatum, vel timore, quia non est homini locuturus sed Deo, cujus personam ipse presbyter repræsentat, qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, & vivat, & dicendo sibi quod ipse sacerdos est*, & quod ipse confitens non potest tot, & tanta commisisse peccata, quin alii majora & plura cōmiserint, & quod illi, qui bene pœnitent, magis postea diligūtur a Deo, sicut patet in B. Petro, Paulo, Latrone, Maria Magdalena, & multis aliis: & tota cælestis curia gaudet de pœnitentia peccatoris, quia gaudium est angelis Dei super uno peccatore pœnitentiā agente. Dicat etiā: Cōfiteor frater, quia homines sumus, & sine peccato in hoc mūdo esse non possumus. Nā si vere confessus fueris, & contritus, & proponis amplius non peccare, Deus sine dubio tibi remittet culpam, & ego autoritate Dei absolvam a pœna. Si autem nolueris confiteri in hac vita, confiteberis in alia invitus in conspectu angelorum, amicorum, inimicorum, & damnaberis in perpetuum. Deinde confessionem ejus audiat diligenter, qua audita incipiat interrogare, si vult alia peccata dicere

* nō absolvi

* Deest peccator

ANNO CHRISTI 1284.

dicere, ſolicitando eum, ut cogitet ſtudioſe ne peccatũ aliquod prætermittat, quod ſi dimidiaret dividendo peccata inter diverſos ſacerdotes, vel celando, vel omittendo ſcienter aliquod mortale peccatum, ſibi talis pœnitentia vel confeſſio non prodeſt. Et ſi peccator dixerit ſe non alia habere confiteri, incipiat interrogare ordinate & diſcrete cõfitentẽ, ita quod interrogationibus faciẽdis, ad peccata ſpecialia, vel ſpeciales circũſtãtias, nõ deſcẽdat: quia multi forte propter multas interrogationes in his peccarẽt, quæ neſcirẽt aliter cogitare.

Interroget igitur ſacerdos confitentem, ſi aliquando tentetur ad peccatum aliquod faciendum, & qua tentatione*, & qualiter tentationi reſiſtat, & ſic indirecte aperiet confitens peccatũ ſuum, quod celabat. Item interroget ſi exerceat officiũ aliquod, & ſi dixerit quod ſic, interroget de circumſtantiis pertinentibus ad officium quod dixerit ſe habere. Si regularis fuerit, interroget eum ſpecialiter de tribus ſubſtãtialibus circũſtantiis regulæ: ſcilicet ſi obediat in omnibus licitis & honeſtis ſuo ſuperiori, & an ſit proprietarius, & an cuſtodiat caſtitatem, Item de ſimonia, utrum receptus fuerit pecunia mediante, vel ſi conſenſerit quod aliquis alius reciperetur per ſimoniam. Itẽ an loquatur in locis prohibitis, & horis indebitis, & utrum in capitulo reſiſtat, vel contradicat malitioſe, cum eſt aliquid ordinandum, vel faciendũ. Circa clericos ſæculares, interroget utrum commiſerint ſimoniã pro ſe ipſis, vel pro aliis, ſeu alii pro ipſis. Item de mercatura, & aliis quæ pertinent ad avaritiam, & cupiditatẽ. Item de dilapidatione, ſi habeat beneficium eccleſiaſticum, & utrum de pecunia de rebus* acquiſita emerit aliquas poſſeſſiones nomine proprio, vel nomine conſanguineorum ſuorũ, & utrum bona eccleſiaſtica expenderit in uſus licitos & honeſtos. Item utrũ interſit Divinis officiis, nocturnis pariter & diurnis, præcipue in eccleſia in qua eſt prælatus. Item de irregularitate: item de ludo alearum, & talorum. Circa principes, caſtellanos, & milites, & eorum bajulos, interroget, an fecerint, vel fieri fecerint conſtitutiones ſeu præcepta contra eccleſiaſticã libertatem, & an bonam reddiderint juſtitiam cuilibet cõquerenti, & an homines ſibi ſubditos gravaverint indebitis talliis, collectis toties, vel quoties. Item de rapinis. Circa mercatores, burgẽſes, & alios miniſtrales, quærat ſacerdos de mendacio, dolo, uſura, pignoribus, & baratis, & de injuſtis põderibus, & menſuris. Circa agricolas, interroget de furto, maxime circa decimas, & primitias, tributa, quartas, & taſcas, & de eradicatione terminorum, & de occupatione alienarum terrarum. Item de talis, & incendiis. Circa mercenarios, bubulcos, ſerviẽtes, paſtores, & perſonas ſimiles, quærat ſacerdos, an fideliter cuſtodiant res dominorũ ſuorum, & utrum fideliter ſe habeant in operibus, & ſervitiis ſibi impoſitis.

* *Deeſt, eccleſiaſticis, vel aliquid ſimile.*

Item interroget quemlibet confitentem prout ſecundum conditionem perſonæ viderit faciendum. Scilicet de perjurio, invidia, odio, detractione, de ſuperbia, & utrum injuſte habeat, vel detineat alienũ. Item de fornicatione, adulterio, & inceſtu. Et ſi dixerit, ſe peccatũ incontinentiæ commiſiſſe, quærat utrũ peccaverit cum monacha conſecrata, vel non conſecrata, vidua, virgine, ſeu corrupta, Chriſtiana, Iudæa, vel Saracena, & utrũ in loco ſacro, vel non ſacro, & an in diebus Dominicis, vel feſtivis, & temporibus jejuniorum, & utrum unam cognoverit, vel plures, & quoties, & an in aliis peccatis alios invitaverit, vel induxerit ad peccandum: ut ſic omnibus cum diligentia inquiſitis, & conſideratis peccatorum circumſtantiis, intelligat preſbyter quale peccatori præbere debeat conſilium, & cujuſmodi remedium adhibere, quærendo ab ipſo an proponat amplius non peccare, & agere condignam pœnitentiam de commiſſis; & ſi reſpondeat ſe a peccatis abſtinere non poſſe, aut nolle, vel quod a quibuſdã vult abſtinere, & in aliquibus remanere, ejus confeſſionem ſacerdos de-

A bet nihilo minus audire, & ei de peccatis confeſſis conſilium exhibere: ſed antequam det ei conſilium, ſibi exprimat diligenter, quod ſi totus mundus ſuus eſſet, & pauperibus erogaret, & in pane & aqua jejunaret toto tẽpore vitæ ſuæ, nil ſibi proficeret ad vitã æternã conſequendã, quamdiu in peccato commiſſo remanebit, vel voluntate & propoſito peccatũ iterum committendi: nec ipſe ſacerdos eum abſolvere poteſt ab aliquo peccato, niſi de omnibus pœniteret, & haberet propoſitum iterum non peccandi: & hoc ſæpius dicat monendo ipſum dulci, pio, ac ſuavi eloquio, ut de omnibus pœniteat, & abſtineat in futurũ, & exprimendo ipſum timorem de die judicii, & pœnas perpetuas quas in inferno, niſi veram egerit pœnitentiam, perpetuo ſuſtinebit.

Si autem ad veram confeſſionẽ, & pœnitentiã, ipſum B inducere nequiverit, debet ei de peccatis confeſſis in hunc modũ conſilium exhibere: Frater, dico & conſulo, quod jejunes, ores, & eleemoſynas facias, & alia bona. Dicat ei etiam, quod licet dicta bona quæ ipſe ſibi pro peccatis confeſſis conſulit facienda, non ſint ei fructuoſa ad vitã æternã habendam cum in peccato commiſſo remaneat vel voluntate peccandi: ea tamen conſulat facienda, ut per ipſa bona quæ faciet, dignetur Dominus cor ejus ad veram pœnitentiam illuſtrare & ne diabolus in eo tantã habeat poteſtatẽ, quantã haberet, ſi mala continue exerceret. Et facta confeſſione generali, ſcilicet *Confiteor Deo*, non abſolvat eum a peccatis, ſed dicat ei quod recedat, & faciat juxta conſiliũ ſibi datum. Dicat etiã ei quod non recipiat corpus Chriſti quandiu C in peccato remanebit cõmiſſo, vel voluntate, & propoſito peccatum iterum faciendi. Caveat tamẽ ſacerdos in quantũ poterit, ne inducat in deſperationis periculũ.

Si autem de omnibus confitetur, & pœnitet, & propoſitum habet in poſterum abſtinere, conſideret ſacerdos, an tale peccatum inter alia confeſſus fuerit, propter quod ad epiſcopum ſit mittendus. In quo caſu ad epiſcopum ipſum mittat, ſi poteſt: ſin autem, impoſita ſibi pœnitentia de illo, & de aliis peccatis confeſſis, conſideratis peccatoris circumſtantiis, & peccati: & licet ſecundum canones pro quolibet peccato mortali ſeptennis eſſet regulariter pœnitentia injungenda, ſacerdos tamen injungat minorẽ, vel majorem, prout ſecundum quantitatem peccati, & contritionem, & qualitatem peccatoris, ſaluti ejus viderit expedire.

D Ut autẽ poſſit ſacerdos cõtraria cõtrariis curare, imponat pœnitentiã ipſi peccato per contrariũ reſpondẽtem: ut ſi peccaverit per ſuperbiam, injũgat ei orationem, & ſuadeat humilitatem. Si per avaritiam, injungat eleemoſynarum largitatem. Si per guloſitatem vel nimiam comeſtionem, abſtinentiam ciborum. Si peccaverit per luxuriam, injũgat ei jejunium, orationem, peregrinationem, diſciplinas, & alias carnis macerationes. Si tamen talis luxurioſus, ſenex, & dives fuerit, & dixerit ſe jejunare non poſſe: aggravabit eum ſacerdos orationibus, eleemoſynis, & relevabit jejuniis. Si autem peccator fragilitatem alleget, & recuſet recipere aſperitatem pœnitentiæ, quam ſacerdos vult ſibi imponere: debet primo ſacerdos inducere ut animum habeat paratũ ad omnem ſatis- E factionem, oſtendendo ſibi magnitudinem peccatorũ, quæ ſibi confeſſus eſt, & quot, & quanta perdidit bona, propter illa quæ commiſit peccata, quæ omnia recuperabit per pœnitentiam. Si vero non poſſit inducere ad pœnitentiã pro ſuo arbitrio ſibi imponendã, imponat talem ei ſatisfactionem, ſeu pœnitentiã, cum voluntate ipſius peccatoris, quam ſimiliter velit, & poſſit portare, ne forte peccet poſtea deterius, pœnitentiã infringẽdo.

Impoſita ſibi pœnitentia, & facta generali confeſſione, ſcilicet *Confiteor Deo*, dicat Pater ſic: Ego injungo tibi talem pœnitentiam propter peccata quæ confeſſus es. Et ponens manus ſuper caput ipſius, dicat: *Indulgentiam abſolutionẽ & remiſſionem omniũ*

ANNO CHRISTI 1284.

peccatorũ tuorum tribuat omnipotẽs Dominus: Et ego te absolvo autoritate domini nostri Iesu Christi, & beatorum apostolorũ Petri & Pauli, & officii mihi cõmissi, ab iis peccatis, quæ confessus es, & aliis oblitis. Item dicat ei quod si reducentur aliqua alia peccata postea ad memoriam, quæ non fuerit confessus, redeat ad eum, & confiteatur. Circa infirmos non est taliter procedẽdum, quia non debet eis sacerdos pœnitentiam injungere, sed tantum innotescere, seu declarare dicendo sic cum ejus peccata audiverit: Si tu esses sanus, pro tot peccatis quæ commisisti, & confessus es, deberes tot annis pœnitere: sed quia tu es infirmus, non impono tibi pœnitentiam, sed injungo tibi quod si de hac infirmitate te mori contigerit, facias tantum dari pauperibus, vel piis locis, loco prædictæ pœnitentiæ, vel facias Missas celebrari, vel illud fieri. Si tamen convalueris injungo tibi talem pœnitentiam. Et his dictis, imponat manus super caput ejus, & absolvat eum a peccatis suis sicut dictum est de sano. Si vero infirmus petierit sacerdotem pro pœnitentia recipienda, vel aliqua alia signa pœnitentiæ fecerit, & interim dum sacerdos veniret, obmutuit infirmus, vel factus est amens, aut freniticus, sacerdos veniens, sive ad nutum infirmi, sive ad testimonium eorum qui audierunt ipsum petentem pœnitentiam vel presbyterum, vel alia signa pœnitentiæ facientem, debet ei quidquid humanitatis vel consolationis poterit, impendere, absolvendo eum, & reconciliando, orationes dicendo, & crucis osculum, si præsens crux fuerit, sibi dando.

Qualiter autem absolvi debeat infirmus in mortis articulo constitutus per proprium sacerdotem, vel per alium, si proprius haberi non possit sacerdos, infra in tractatu de sententia excommunicationis continetur. Sane considerandum est diligenter, quod quædam sunt peccata, de quibus nullus potest vere pœnitere, nisi restituat, vel emendet, si potestatem habeat emendandi, videlicet rapina, furtum, sacrilegium, incendiũ, usura, & indebita extorsio talliæ, quæstæ, vel touttæ. Item retentio censu quarti, quinti, contra voluntatem dominorum quibus debentur. Item damna data contra justitiam, & generaliter cujuslibet alienæ rei scienter indebita detentio. Et in his omnibus præcipiendum est pœnitenti quod incontinenti satisfiat juxta posse. Et si peccata occulta fuerint, occulte præcipiendum est pœnitenti: & talis occulta restitutio debet fieri per ipsum sacerdotem, vel aliquam religiosam personã suppresso nomine pœnitentis. Si autem non habet pœnitens rem, quam debet restituere, neque mobilia, vel etiã im nobilia, unde cõmode incontinenti satisfacere possit, vel licet habeat, non est tamen præsens nec esse potest ille, cui facienda est restitutio, & appareat vere pœnitẽs, & contritus, & proponat satisfacere cum poterit ei pœnitẽtia injungatur; & si talis fuerit infirmus, præcipiat suis heredibus, quod illi satisfaciant pro eodẽ si de illa infirmitate contigerit ipsum mori. Omnibus autem pœnitentibus sanis, vel infirmis, qui tenẽtur aliis satisfactionem facere, seu emendã, est solicite intimandũ quod non excusantur, nec liberantur ab illo peccato præcipiendo suis heredibus quod restitutionẽ faciant pro ipsis, vel emendã, nisi ipsi principales raptores, usurarii fures, seu alienarũ rerum detentores illiciti, in toto vel in parte faciant restitutionem vel emendam, si eam facere possunt commode, sicut superius cõtinetur. Tenetur enim raptor, seu alienæ rei detentor ad restitutionem, tenentur etiam ejus heredes quantum hereditas ipsius sufficere potest, si ad restituendum fuerit necessaria hereditas tota. Tenentur etiam ad restitutionem omnes illi, qui scienter rem raptam, vel alienã emerant cum mala fide, scilicet animo sibi retinendi eam domino suo, nec taliter ementes possunt recuperare, seu petere precium, quod dederunt pro ipsa, nec possunt recuperare, seu retinere expensas, si quas fecerunt ipsam rem custodiendo, vel meliorando, & hoc propter malam fidem, quam habuerunt emendo. Debet etiam restitui res aliena, sive rapta, nõ deteriorata: sed si deteriorata fuerit, vel casu fortuito perierit, vel restitui non possit, restituatur integre quantum valeat cum omni utilitate, quam consecuti sunt ex ipsa re; si cum mala fide, ut dictum est, pervenerit ad eosdem. Sed facta restitutione integraliter ab uno, cæteri liberantur quantum ad restitutionem domino faciendam: sed nihilo minus debent agere pœnitentiam juxta arbitrium sacerdotis, quia rem alienam fraudulenter, & invito domino tenuerunt. Facienda est autem domino rei restitutio, vel ejus heredibus, si poterunt inveniri: sed si diligenter inquisiti, & expectati non inveniuntur, vel ignorantur, tunc cum consilio sacerdotis pœnitentialis, res illa distribuatur in pias causas, & maxime in pauperum sustentationem, pro anima illius cujus fuerit res illa. Verum si persona scitur cui est solutio, vel restitutio faciẽda; sed si tamen est in remotis partibus, nec speratur quod debeat redire: mittatur ei si commode fieri possit, & secure: alioquin pro anima ejus cum consilio ecclesiæ pauperibus erogetur, & hoc fiat si res sit modica, quæ restitui debet in expensis: si res est magni valoris mitti debet in expensis detentoris ad illum absentem cui est restitutio facienda. Qui vero invenit pecuniam vel aliam rem in via vel alibi, debet eam reddere illi, qui eam perdidit, si eum potuerit invenire: & si nescit cujus fuerit, publicetur per sacerdotes in ecclesiis, & in locis quibus est inventa; & si diu expectatus non invenitur cujus fuerit, pauperibus pro anima illius, cujus fuerit, erogetur. Si autẽ aliquis voluntarius, & causa cupiditatis, lucratus fuerit aliqua in ludo, quod restituat sibi est in pœnitentiali judicio injungendũ. Caveat autem omnino sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quolibet modo prodat, seu revelet aliquatenus peccatorẽ: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personæ caute requirat: quoniã qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum vel dictum præsumpserit revelare, non solũ deponetur, verum etiã in arctum monasterium detrudetur ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Præcipimus autẽ quod nomina illorum omnium, qui peccata sua confessi fuerint, scribentur singulis annis a propriis capellanis, qui confessiones audierint eorumdem, ut de ipsis possint laudabile testimonium perhibere. Item præcipimus medicis corporum, ut infirmos ante omnia moneant, & inducant, quod medicos advocent animarum, ut postquam fuerit infirmo de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinæ remedium salubrius procedatur. Et si quis medicorum hoc non servaverit, supponatur ecclesiastico interdicto, quousque satisfecerit competenter: sub intimatione anathematis eisdem medicis prohibentes, ne quis eorũ aliquid pro corporali salute infirmo suadeat, quod in periculo animæ convertatur.

Concedimus autem ex gratia, ut sacerdotes, & rectores parochialium ecclesiarum nostræ diœcesis alios sacerdotes ejusdẽ diœcesis, si viciniores fuerint suis ecclesiis, sibi possint eligere confessores, prout saluti animarum suarum viderint expedire, & præcipue archidiaconos, archipresbyteros, fratres Minores, & Prædicatores, quibus scilicet fratribus licentiam cõcedimus, quando venerint ad ecclesias causa prædicationis, confessionis clericorum, & laicorũ nostræ diœcesis, possint audire, & eis injungere pœnitẽtias salutares. Præcipiẽtes quod nomina eorum, quorũ confessiones audierint, dicant, vel in scriptis reddant in Quadragesima saltẽ, & in Adventu Dom. parochialibus sacerdotibus, ut de parochianorum suorũ sacerdotes pœnitentiis valeant esse certi. Volumus tamen, & præcipimus quod quando dicti fratres causa confessionis audiendæ accesserint ad infirmos, de salute animæ ipsorum tractent cum parochialibus sacerdotibus, prout viderint expedire. Nolumus

ANNO CHRISTI 1284.

mus tamen quod prædicti fratres, confessiones infirmorum audiant absque licentia proprii sacerdotis, nisi tamen infirmis mortis periculum immineret, quam scilicet licentiam eis præcepimus liberaliter concedendam. Item nolumus quod dicti fratres testamentis ipsorum infirmorum intersint, nisi sacerdos proprius præsens esset, vel in expectatione ipsius sacerdotis periculum immineret. Cæterum licet sacerdotes possint facere commutationes jejuniorum, vel alterius pœnitentiæ ab ipsis impositæ circa parochianos suos, discrete tamen, & propter justam causam votorum tantum commutationes per eos fieri prohibemus[a] cum nostra licentia speciali, quia in eis est cum majori providentia procedendum. Districte etiam prohibemus, ne aliquis sacerdos provincialis inducat aliquem confitentem ad votum emittendum seu promissionem faciendam de non committendis peccatis, &maxime de illis quæ non possunt de facili evitari, sicut quidam presbyteri faciunt aliquando hoc fieri indiscrete. Nam contra votum, seu promissionem peccando dupliciter fiunt rei, & culpabiles apud Deum, & ideo gravius sunt puniendi.

[a] Add. nisi

Isti sunt casus in quibus pœnitentes ad episcopum sunt mittendi.

SI quis confitebitur se credere aliquam hæreticam pravitatem. Item simoniacus quocumque modo commiserit simoniam. Item clerici excommunicati majori excommunicatione, vel interdicti, aut suspensi qui ante absolutionē Divina officia celebrarunt, scilicet Missam cantando, evangelium, epistolam, vel alias horas canonicas dicendo, faciendo principaliter officium suum in ecclesia. Item clerici per saltum promoti aliquo ordine prætermisso. Item clerici, qui ab alieno episcopo se fecerunt ordinare nostra licentia non obtenta. Item incendiarii. Item illi qui suos filios occiderunt studiose, vel etiam negligenter. Item illi, qui tractaverunt in malos usus Eucharistiam, seu chrisma. Item illi, qui tractaverunt facto verbo, consensu, vel alio modo, homicidium. Item sacrilegi, & violatores ecclesiarum. Item illi, qui luxuriam expleverunt cum matre, sorore, vel aliqua consanguinea sua, vel uxore fratris, vel cum sanctimoniali consecrata, vel non consecrata. Item illi, qui in ecclesia luxuriam commiserunt. Item illi, qui cum Iudæa, vel Saracena, vel bruto animali coire ausu nefario præsumpserunt. Item mulier quæ de adulterio concepit infantem quem maritus credit esse suum, propter quem legitimi liberi fraudantur hereditate paterna. Item illi, qui cum mulieribus aliquid faciunt propter quod fecerint abortivum, mulier etiamsi hæc fecerit vel sibi fieri procuraverit transmittatur. Item illi, qui contra aliquos falsum tulerint testimonium in aliquibus causis. Item illi, qui contractis sponsalibus cum aliquibus præstito juramento, & non dissolutis postmodum, contrahunt cum aliis sponsalia, vel matrimonium, contra juramentum prius temere veniēdo. Item qui excommunicati vel nominatim interdicti a quocumque judice, ingerunt se Divinis in ecclesia ante absolutionem invito proprio sacerdote, nec ad monitionem sacerdotis volunt exire de ecclesia, Divinum officium perturbantes. Item illi, qui in cœmeterio ecclesiastico præsumunt scienter excommunicatorum corpora sepelire. Si vero prædicti confitentes, ad mandatum & monitionem sacerdotis ad nos venire noluerint, in suis peccatis & duritia remanentes, & peccata occulta fuerint: eis a sacerdotibus pœnitentia injungatur; & nihilo minus sacerdotes postmodum cum poterunt commode a nobis, vel a fratribus Prædicatoribus, vel Minoribus, super hoc habeant consilium, & requirant. Si autem manifestum fuerit aliquem commisisse aliquod peccatum de prædictis, ad nos mittatur, nec ei ab aliquo presbytero de illo peccato manifesto pœnitentia injungatur sine nostra licentia speciali, nisi senex fuerit, vel corporali impedimento detentus, seu in mortis articulo constitutus.

De sacramento Eucharistiæ, & Extrema unctione.

QUia post receptam pœnitentiam, infirmis atque sanis, & præcipue Paschali tempore, exhiberi consuevit Eucharistiæ sacramentum: ideo de sacramento Eucharistiæ sequitur hic tractatus. Ne propter incuriam seu negligentiam sacerdotum, Divina indignatio gravius inardescat: districte præcipimus, quatenus a sacerdotibus Eucharistia in loco singulari mundo, & clavi firmato, semper honorifice collocata, devote ac fideliter conservetur. Sacerdos vero quilibet in ecclesia Eucharistiam semper habeat paratam, quam in qualibet hebdomada præcipimus renovari in hunc modum: videlicet quod sacerdos duas vel plures, si opus fuerit, consecret hostias, quarum unam recipiat, & ea recepta incontinenti ante receptionem sanguinis recipiat reservatam, & in loco illius quam servaverat ponat noviter consecratas, & postea recipiat sanguinem, & alias receptiones sicut mos est in ecclesia Nemausensi. Et quando ab infirmo, vel confesso fuerit requisitus, statim eum communicet, ne sine communione moriatur, quam etiam sub honesto habitu, cruce, lumine, squilla, procedentibus, & sub posito mundo velamine, ipse sacerdos per se, & nunquam per alium ferat, & referat caute, & manifeste, ante pectus, cum omni reverentia & honore: ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur: prohibentes districte, ne aliquis qui non sit in presbyterum ordinatus, Eucharistiam communicantibus præbeat. Diaconus tamen hoc facere potest de licentia sacerdotis, ubi idem sacerdos hoc per se non potest facere, vel quia absens est presbyter, & necessitatis articulus noscitur imminere, & in hoc ultimo casu non est necessaria licentia sacerdotis. Volumus etiam & mandamus, ut quilibet fidelis postquam confessus fuerit ad minus in Pascha reverenter suscipiat singulis annis Eucharistiæ sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio, ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus receptione duxerit abstinendum: alioquin vivens ab ingressu ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiastica careat sepultura: præcipientes, ut sacerdotes vinum purum habeant paratum in ecclesia, quod statim tribuant populo postquam receperint corpus Christi, prohibendo communicantibus ne a præsentia ipsorum sacerdotum recedant, donec de vino aliquantulum biberint, & diligenter abluerint os suum. Sacerdotes autem habentes curam animarum, ante communionem parochianos suos moneant publice in ecclesia diebus illis, in quibus est generalis communio facienda, ne aliquis in peccato mortali constitutus, occulto vel manifesto, præsumat accipere corpus Christi. Et si videant vel sciant aliquem in mortali peccato constitutum, paratum communicare: trahant ipsum ad partem, & eum severe moneant ne communicet ullo modo, nisi prius de illo peccato contritus fuerit, & confessus: dicentes sibi, quod si taliter communicaret, in damnationem animæ suæ redundaret. Et si monitus noluerit abstinere non debet ei publice communio denegari. Si a solo sacerdote, nemine alio præsente, communionem petet: non est audiendus, sed potius repellendus. Verumtamen si peccatum fuerit manifestum, & non est de ipso confessus: vere ante satisfactionem condignam debet ei manifeste & publice communio denegari. Manifestum autem intelligimus in hoc casu, quod potest sufficienter & legitime probari per testes idoneos contra ipsum, præcipue si de illo pec-

ANNO CHRISTI 1284.

peccato fuerit per sententiam condemnatus vel sponte confessus in judicio, vel fuerit adeo manifestum seu notorium per rei evidentiam, quod nulla possit tergiversatione celari. Et hæc eadem in osculo crucis dicimus, & volumus observari, cum in die Veneris sancti ab omnibus generaliter adoratur. Hostias autem de alio, quam de puro, & mundo, & electo grano frumenti, fieri prohibemus. Caveat autem sacerdos, ne aliquid de sanguine Christi extra calicem cadat. Quod si per negligentiam ejus acciderit, & in tabula stillaverit, lingua lambatur, & tabula radatur. Si vero non fuerit, comburatur, & cinis infra altare, si fieri potest, vel juxta altare abscondatur: & quadraginta diebus ille cui acciderit pœniteat. Si vero super altare stillaverit sanguis, & tangat tantummodo pannum primum, ita quod non transeat ad secundum, sorbeat minister B stillā incontinenti, si fieri potest, & tribus diebus pœniteat; & si stilla usque ad secundum pannū pervenerit, tantum pœniteat quatuor diebus; si autem ad tertium pannum pervenerit, novem diebus pœniteat; & si ad quartum pannum pervenerit, viginti diebus pœniteat: & linteamina, quæ tetigerit stilla sanguinis, tribus vicibus, & tribus aquis, minister, seu presbyter, vel diaconus tantum, abluat calice supposito, & aqua ablutionis juxta altare recondatur. Si quis per ebrietatem, vel nimiam comestionem evomuerit Eucharistiam, si laicus est, quadraginta diebus pœniteat; si clerici fuerint, vel religiosi, vel diaconi, vel presbyteri, septuaginta diebus pœniteant: & si per infirmitatis causam evomuerit, septem diebus pœniteat.

Qui chrisma, vel eucharistiā reliquerit incaute in loco clavibus nō firmato, & clavibus fideliter nō custoditis, tribus mēsibus debet ab officio suspendi. Et si per ejus incuriā, seu negligentiam mus, vel aliud animal comederit, ultra tres prædictos menses quadraginta diebus pœniteat. Si vero aliqua enormia, seu nefaria inde fieri contigerit, graviori subjaceat ultioni. Ubicumque autem dicitur quadraginta, vel octuaginta, seu pluribus, vel paucioribus diebus pœniteat, sic debet intelligi, ut per omnes illos dies aliquam pœnitentiam agat secundum arbitrium imponentis. Si hostia inventa fuerit sub palla altaris, & dubitetur utrum fuerit consecrata, dicimus quod sacerdos in fine Missæ post receptionem sanguinis potest eam recipere, & idem dicimus de aliqua parte hostiæ, si ita inventa fuerit in altari, & dubitatur utrum fuerit consecrata.

De unctione vero extrema, quæ fit infirmis a presbytero oleo infirmorum, hic non tractatur, quia de modo inungendi infirmos, & orationibus tunc dicendis, instruitur quilibet sacerdos per libros ecclesiarum juxta consuetudinem ecclesiæ Naumausensis. Verumtamen iterari potest, quoties aliquis graviter infirmatur, & ab infirmo unctio postulatur.

De celebratione Missarum.

QUia inter Divina officia, Missarum solemnitates propter excellentiam, & reverentiam corporis & sanguinis Iesu Christi, cum omni humilitate & devotione sunt ab universis presbyteris celebrandæ: prohibemus sub pœna suspensionis, ne quis sacerdos Missam cantare præsumat, nisi prius plene expleverit officium Matutinum. Nec extra ecclesiam in oratorio privato, vel in domo, Missam celebret sine nostra licentia speciali. Nullus quoque, post cibum potumque minimum sumptum, audeat celebrare.

Sacerdos vero postquā Missam incepit, nō præsumat dimittere imperfectā, nisi repētina infirmitate & intolerabili fuerit occupatus: & tunc si alius sacerdos præsens fuerit, qui non celebraverit, per ipsum, inceptum officium compleatur, qui debet officium incipere ubi noscitur dimisisse. Si vero nescitur ubi alius dimise-

A rit quia defecit forsitan in secretis: incipiat a capite secretorum. Verumtamen si secundus sacerdos præsens non fuerit, quacumque hora diei usque ad Nonam haberi poterit, quæ primus sacerdos dimisit, secundum doctrinam quæ superius est expressa, poterit supplere. Si autem sacerdos usque ad Nonam haberi non poterit, remanebit officium non completum.

Præcipimus etiā quod in calice magis de vino, quā de aqua ponatur, & quod sacerdos postquā totum acceperit corporis & sanguinis Christi sacramentum, duas receptiones faciat juxta consuetudinem ecclesiæ Nemausensis. Videlicet primam de vino puro tantum, secundam de vino, & aqua, & cum ista secunda simul perfundat digitos super calicem, & postea recipiat; nisi cum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, quia tunc non debet nisi sanguinem, quod si faceret, celebrationem secundam impedit.

Prohibemus ne Missa nisi cum vino puro possit & aqua, & calice aureo vel argenteo, vel etiam stanneo, aliquatenus celebretur, nec quisquam celebrare præsumat in corporali serico, aut tincto, sed in puro linteo ab episcopo consecrato, quia corpus domini nostri Iesu Christi in sindone linea & munda sepultum fuit.

Illud autem districtissime prohibemus, ne aliquis in mortali peccato constitutus, Missam celebret, nisi prius confessus fuerit expresse & nominatim de illo peccato, si sacerdotem inveniat, cui valeat confiteri. Si vero non possit alium sacerdotem habere, cui confiteatur, non celebret: nisi necessitas immineat quæ sine C gravi scandalo nequeat præteriri, ut si dies festivus advenerit, & populus jam convenerit ad Divina, vel corpus alicujus parochiani defuncti præsens sit in ecclesia, vel nubentes ad ecclesiam convenerint matrimonium contracturi: propter quæ ut scandalum evitetur, ipsum oporteat celebrare. In ipsis vero casibus si veram cōtritionem habeat sacerdos de illo peccato mortali, in quo est constitutus, & proponat quam cito poterit, confiteri alio sacerdoti: credimus, magistrorum nostrorum sententiis inhærendo, quod valeat celebrare. Sed si eam contritionem non haberet, nec propositum confitendi, celebrare in his casibus non præsumat: quantamcumque necessitatem, vel scandalum videat imminere. Si autem sacerdos, postquam Missam inceperit, reducat ad memoriam se commisisse ali- D quod peccatum mortale, de quo non fuerit confessus, & de quo antequam Missam inciperet non recolebat, nec habebat sacerdotem, cui incontinenti valeret confiteri: perficiat ministerium jam inceptum, si tamen contritionem habeat de illo peccato, & proponat, quam cito poterit confiteri. Si vero contritionem veram non habeat, nec propositum confitendi, & nondum verba confessionis*, seu consecrationis expresserit, videlicet, Hoc est corpus meum, dimittat officium inceptum, quia tunc ipsum implere non debet. Si autem post consecrationem reducat ad memoriam primo illud peccatum mortale, indistincte compleat officium quod incepit, & contristetur, atque doleat, quia tarde pœnitet, & confiteatur quam cito poterit E habere copiam sacerdotis. Si pollutio in somnis ex infirmitate, seu superfluitate naturæ, alicui advenerit, non est a celebratione Missæ ideo abstinendum, nisi ob devotionem vellet aliquis abstinere, quia in hoc casu nullum est peccatum, cum magis pati, quam agere videatur. Si vero ex intemperantia, vel potatione nimia acciderit, honestum est, non tamen necessarium, quod a celebratione Missæ abstineat illa die, si nulla fuerit necessitas quare debeat celebrare, quia in hoc casu est tantum veniale peccatum: nisi nimia crapula vel potatio ex prava consuetudine consueverit provenire, & tunc quousque fuerit confessus tenetur a celebratione Missæ necessario abstinere, quia tunc reputatur

* f. confectionis.

tatur

ANNO CHRISTI 1284

tatur peccatum mortale. Si autem contigerit ex turpi imaginatione præcedenti vel inhonesta confabulatione, & illicita: tenetur a celebratione & perceptione Eucharistiæ abstinere quousque contritus fuerit, & confessus, si habere poterit copiam sacerdotis, quia in hoc casu est peccatum mortale. Et licet in duobus his casibus, post contritionem & confessionem factam non teneatur a celebratione Missæ necessario abstinere: honestum tamen est quod a celebratione Missæ abstineat illa die, maxime si non fuerit necessitas quare debeat celebrare. Si vero habere non poterit copiā sacerdotis, contritionem tantum habuerit, & propositū confitendi: celebret, si necessitas fuerit, sicut dictum est & distinctum superius de alio presbytero peccatore, quoniam necessitatis articulus noscitur imminere.

Nullus sacerdos in altari, in quo episcopus Missam cantaverit, eodem die Missam cantet. Prohibemus autem districte ne aliquis sacerdos duas Missas celebret una die. In die tamen natali Domini idem sacerdos tres Missas poterit celebrare. Aliis vero diebus potest in casibus infra scriptis cantare duas Missas, scilicet unam de die, & aliam pro defunctis, videlicet propter necessitatem nuptiarum. Item in Pascha, & Pentecoste, & in festo Ascensionis Domini & S. Ioannis Baptistæ, & omnium Sanctorum, & in festo Apparitionis Domini. In istis solemnitatibus, & festivitatibus supra proxime dictis, si omnes parochiani ad unam Missam simul non possunt convenire, eo quod in diversis locis habitant distantibus ab ecclesia, & remotis, sicut est in montanis, nec sunt in ecclesia duo sacerdotes, & dicta prima Missa postmodum parochiani venientes postulent Missam aliam sibi dici, poterit tamen * sacerdos Missam aliam celebrare. Tamen si in prima Missa post receptionem corporis Christi & sanguinis, profusionem acceperit, non debet secundam Missam in prædictis casibus celebrare. Caveant sacerdotes, ne primam Missam de die dimittant in magnis locis & populosis celebrare, propter aliam quæ non sit de die illa: hoc salvo, quod de officio beatæ Mariæ singulis hebdomadis celebrando a nobis noscitur constitutum. Studeant etiam horas suas dicere juxta ecclesiam Nemausensem.

* leg. poterit tum

De veneratione ecclesiarum.

QVia quidam clerici ecclesias sic exponunt supellectilibus, & arsinis ipsius, & etiam alienis, ut potius domus laicorum, quam Dei basilicæ videantur: idcirco firmiter prohibemus, ne hujusmodi supellectilia seu arsinæ, in ecclesiis admittantur, nisi propter bellum, aut incendia repentina seu alias necessitates urgentes, ad eas oporteat habere *, sic tamen, ut necessitate cessante res in loca pristina reportentur. Ligna, seu lapides ecclesiarum, in aliis usibus non ponantur, nisi in usibus ædificio, vel reparatione alterius ecclesiæ, vel hospitalis, seu claustri, dormitorii, vel in clausura cœmeterii, seu in alio honesto ædificio ad opus clericorum ecclesiis servientium deputato. In laicorum autem ædificiis seu usibus non ponantur. Et idem observetur de vestimentis, cortinis, & cæteris ecclesiasticis ornamentis: præcipientes, ut ecclesiæ vasa, altaris corporalia, pallæ altaris, vestimenta ministrorum, munda & nitida conserventur. Ad corporale autem lavandum habeatur proprium vas, in quo nihil aliud fiat, & lavetur per sacerdotem, aut diaconum tantum, & aqua ablutionis in ecclesia ubi conculcari non possit, recondatur. Vestimenta, & ornamenta ministrorum, ecclesiarum cruces, & calices benedicti, consecrari debent per episcopum, antequam Divino officio deputentur, nec post benedictionem debent a laicis contrectari Corporale, aut pallæ altaris, & vestimenta ministrorum ecclesiæ, si fuerint vetustate consumpta, & in

* f. recursū habere,

A aliis usibus ecclesiasticis non sint apta, comburantur, & cineres eorum in ecclesia recondantur, ubi nullus transitum faciat, ne introeuntium pedibus conculcentur. Prohibemus, ne laici in ecclesia, vel extra, ad processionem vel ad aliud Divinum officium utantur vestibus benedictis, nec laici qui nesciunt cantare, vel legere, infra cancellos in choro cum clericis stent, vel sedeant, dum Divina officia celebrantur: maxime ubi sunt impedimento clericorum, non possunt laici in choro commorari. Nec aliqua fœmina, seu monialialis * alia sæcularis, præsumat presbytero dum celebrat ministrare, vel juxta altare, vel infra cancellos sedere, dum Divina officia celebrantur. Item prohibemus ne in ecclesia consecrata, sanguinis aut seminis effusione polluta, priusquam per episcopum reconB ciliata fuerit, Divina officia celebrentur. Si vero in ecclesia non consecrata hæc fieri contigerit, aqua per presbyterum exorcizata protinus aspergatur, priusquam in ea Divina officia celebrentur; est tamen, quā cito fieri poterit, consecranda. Si autem in cœmeterio hæc fieri contigerit, ante reconciliationem per episcopum factam non sepeliantur in ea corpora defunctorum. Districte etiam prohibemus ut nullus præsumat ædificare ecclesias, capellas, oratoria, hospitalia, vel alia loca religiosa, in diœcesi Nemausensi, seu altare erigere in ecclesia consecrata, sine nostra licentia speciali: præcipientes, ut quælibet ecclesiæ nostræ diœcesis, calicem argenteum habeant cum patena, & alia vasa pulchra & nitida, Divino officio necessaria, atque C apta. Item inhibemus, ne judices sæculares, vel ballivi, officiales, seu nuncii curiæ sæcularis, in ecclesiis causas, lites, contentiones, seu placita audiant laicorum, nec in ipsis ecclesiis vel cœmeteriis præsumāt aliqui choreas ducere, vel facere, vel dicere cantilenas. Item sub pœna excommunicationis præcipimus, quod nullus laicorum, seu officialium curiæ sæcularis, aliquem hominem, vel bona ejus, seu res de ecclesia, cœmeterio, hospitali, vel domo religiosa, extrahat violenter, quantumcumque gravia maleficia *, nisi publicus latro, vel nocturnus fuerit, depopulator agrorum, seu qui homicidium, vel mutilationem membrorum in ipsis ecclesiis, vel earum cœmeteriis cōmittere non verentur, qui nisi per ecclesias ad quas fugiunt, crederent D se defendi, nullatenus ipsa maleficia in ipsis ecclesiis, vel cœmeteriis, fuerant commissuri. In aliis autem casibus confugientes ad ecclesias, vel prædicta loca religiosa, cum rebus suis in eis existentibus, a rectoribus & clericis ecclesiarum defendantur, nec ab aliquo extrahantur sine nostra licentia speciali.

* f aut alia sæc,

* Deest fecerit,

De alienatione rerum ecclesiarum, & obligatione ipsarum.

PRohibemus districte, ne quis prior, seu rector ecclesiarū nostræ diœcesis, calicem, libros ecclesiasticos, vestimenta sacerdotalia, seu alia ornamenta ecclesiastica, aut res mobiles aut arsinas domus, aut immobiles, ut domos, terras, vineas, prata, seu quaslibet alias possessiones, census, quartas, tascas, usatica, & similia ad ecclesias pertinentia, præsumant permutare, E vendere, dare, permutare in emphyteusim, seu in acap. * concedere, vel quocumque alio modo alienare, absque nostra licentia speciali. Quod si fecerit, contractus non habeat firmitatem, & rem alienatam ipsi ecclesiæ restituere compellantur: districte præcipientes, quod ea quæ cum nostro consilio, occasione venditionis, seu permutationis, vel alienationis rerum ecclesiasticarum *, habeant firmitatem, vel recepta in ecclesiarum utilitatibus committantur: prohibentes, ne in ipsis ecclesiis præsumat aliquis titulum alicui assignare sine nostra licentia speciali. Sed nec ad ipsas ecclesias ad collationem nostram spectantes, vel res,

* Deest aliquid

ANNO CHRISTI 1284.

res, seu possessiones earum, aliquod * fidem habendo, vel alio modo obliget pro debitis alienis, nec etiã pro se ipso, sine nostra licentia speciali, ultra centum sol. Turonens. quantitatem. Quod si fecerit, ad solutionem talium debitorum, ultra quantitatem prædictam, successor vel ecclesia nullatenus teneatur: nisi creditor manifeste * pecuniam in utilitatem ecclesiæ fuisse conversam: tunc enim volumus, & districte præcipimus, quod in solidum persolvat, & hoc per ecclesias publicetur, ne creditores valeant defraudari. Prohibemus ne rector, seu prior alicujus ecclesiæ, per se vel per alium, emat de pecunia ratione ecclesiæ acquisita, possessiones, seu redditus suo nomine, seu etiam alieno: sed ad opus ecclesiæ emat, & ipsius nomine ecclesiæ faciat confici instrumenta. Qui autem contra prædicta fecerit, tanquam fur & sacrilegus punietur, & pœnam amissionis ipsius beneficii poterit merito formidare. De iis autem & super his quæ sub dominio, & jurisdictione ecclesiarum, clerici & laici tenent ad opus ecclesiarum, & nomine earundem, rectores earum, si nondum factum est, faciant fieri recognitiones, & publica instrumenta, ut sic in futurum ecclesiarum utilitatibus caveatur. Verum quia considerandum est, & procurandum studio vigilanti, ut honor, & reverentia exhibeatur ecclesiis universis, & præcipue illis a quibus redditus percipimus & proventus: districte præcipimus, ut priores & rectores ecclesiarum nostræ diœcesis, in ædificiis, reparationibus ipsarum, & domorum etiam earundem, in libris, ornamentis, & aliis Divino cultui necessariis, juxta facultates ecclesiarum studeant, cum opus fuerit, taliter se habere, quod eorum exemplo ad hoc cæteri invitentur, & fidei devotio augmentetur: maxime cum priores & rectores earum ad hoc cogi possint, & debeant, secundum canonicas sanctiones.

* Corr. aliquam

* Add. ostẽdat vel quid simile.

De vita, & honestate clericorum.

VT clericorum mores & actus in melius reformentur, continenter & caste vivere studeant clerici universi, præsertim in sacris ordinibus constituti ..... in conspectu Dei omnipotentis, puro corde ac mundo corpore valeant ministrare. A crapula & ebrietate omnes clerici abstineant diligenter, nec officia seu commercia sæcularia exercere præsumant, maxime in honesta: sed nec possessiones in pignus recipiant: in vinus * joculatoribus, & histrionibus non intendant, & tabernas prorsus evitent, nisi causa necessitatis in itinere constituti: ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint, nec ad luctas laicorum accedant: coronam & tonsuram habeant congruentem, se in officiis ecclesiasticis, & aliis bonis studiis cum diligentia exercendo: pannis rubeis, aut viridibus, necnon manicis consutitiis, aut sotularibus rostratis vel cordellatis, non utantur, nec frænis, sellis, pectoralibus deauratis: enses non deferant, nec cultellos acutos, nec lanceas, seu falsones, nisi forte ex causa probabili tuitionis, seu guerræ. Prohibemus districte ne clerici fœminas secum teneant, de quibus suspicio incõtinentiæ possit esse. Sed * rectores ecclesiarum matrem, sorores, amitam, vel alias consanguineas juvenes, secum in domibus ecclesiarum tenere præsumant: & alibi, si pauperes fuerint, eis necessaria, si voluerint, subministrent. Quicumque autem clericorum manifeste secum tenuerit concubinam, ipso jure ab officio ecclesiastico noverit se suspensum, ita ut Missam non cãtet, nec evangelium legat, nec epistolã, nec in choro stet cum aliis clericis, qui Divina officia celebrant. Sub pœna excommunicationis inhibemus districte, ne clerici, per se truncationes membrorum faciant, aut indicent inferendas, licentiam * sanguinis dictando, vel etiam proferendo, aut scribendo, nec in loco, in quo talia exercentur, dum fiunt, interesse præsumant. Nullus quoque clericus in sacro ordine constitutus aliquam chirurgiæ artem exerceat, quæ ad ustionem, vel incisionem inducat, nec tabellionis fungatur officio in curia sæculari. Nulli clerici beneficiati, aut in sacro ordine constituti, procurationes, seu baylias villarum, aut judicaturas sæcularium principum, recipere aut tenere præsumant, aut procuratores existere quorumlibet laicorum, vel tutores, curatores, seu advocati in curia sæculari, nisi pro se ipsis, & ecclesiis suis, & personis miserabilibus & consanguineis suis. Hæc etiam omnia universis religiosis & sacerdotibus districtius inhibemus, præcipientes ut clerici, & præcipue sacerdotes, sine rationabili causa & probabili, mercata seu nundinas non frequentent, & tunc incedant in decenti habitu, & honesto. Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum deserviat in ordine, quo ipsius ecclesiæ onus requirit, in ipsa personaliter residendo, sicut jura præcipiunt & requirunt: inhibentes districte, ne sacerdotes, vel ii * qui in episcopatu Nemausensi, causa faciendi moram alibi exeant, nec alienæ jurisdictioni, aut judicio alicujus judicis non sui se subjiciant, absque nostra licentia speciali. Hospitalitatem quoque in ipsis ecclesiis teneat secundum quod facultates ipsarum poterunt commode sustinere: præcipue circa fratres Prædicatores, & Minores, cum causa prædicationis, vel qualibet alia, ad eas contingit declinare: eos enim præcipimus districte ab omnibus rectoribus ecclesiarum nostræ diœcesis caritative recipi, & benigne. Districtius inhibemus ne sacerdotes, vel alii clerici, in annualibus, seu anniversalibus, comedant carnes diebus Mercurii, & sabbati, nec se inebrient, sed vinum sibi temperent, & bene ac modeste se habeant, & mature, atque recipiant & comedant pacifice, ac sine murmure, quod eis fuerit appositum, nec sibi faciant delicata cibaria præparari. Præcipientes quod ibi legatur lectio a principio prandii, usque ad finem, ubi propter hoc conventus decem sacerdotum, vel plurium, congregatus est: & præcipue cum fuerint annualia in ecclesiarum domibus, sive claustris, ut sic ab illicitis confabulationibus compescantur, qui cupiunt in prandio loqui superflua, ac vana: non in fine prandii, fiat sermo, sive prædicatio, quia tunc non hora prædicandi conveniens, neque apta. Annualia quoque seu anniversalia non fiant in hebdomada sancta, nec in septimana sancta Paschali, nec in septimana Pentecostes, neque in septimana natalis Domini, nec in vigiliis, festivitatibus beatæ Mariæ, nec in festivitatibus Apostolorum, nec aliis diebus solemnibus, sive festis: sub pœna excommunicationis inhibentes, ne presbyteri pro faciendis annualibus seu anniversariis congregati, inter se vel * aliis rixentur, seu verbis contumeliosis disputent, vel contendant, maxime post prandium, sicut quidam faciunt aliquando parati ad lites, & contentiones, & animo non modico crapulati, propter quæ vituperatur ministerium sacerdotum.

* f. divinis

* Corr. nec

* Corr. sententiam

* Corr. vel alii clerici, in ep.

* leg. vel cum aliis

De testamento.

IN Tolosano concilio noscitur constitutum, cum aliquis voluerit condere testamentũ, hoc faciat sub testimonio sui presbyteri, vel alterius ecclesiasticæ personæ, si proprius haberi nõ possit sacerdos, adhibitis bonæ opinionis viris, quos ad hoc voluerit advocare: & testamenta aliter facta non habeant vigorẽ, nec sint alicujus momenti. In concilio Narbonensi additum est, quod testator careat ecclesiastica sepultura, donec de hujusmodi mandati contemptu ecclesiæ per successores ipsius defuncti satisfactum fuerit competenter. Notario autem qui absque solemnitate superius expressa notare vel scribere præsumpserit testamenta, vel

ann. 1228. can. 16.

ann. 1227. can 3. *Existimavit forte, Narbonense esse Tolosano posterius: sed falso, ut suis locis ostendimus.*

vel ultimas voluntates, usque ad satisfactionem condignam introitus ecclesiæ denegetur: & hæc consimilia præcipimus observari. Volumus, & mãdamus secundum constitutionem Alexãdri papæ, ut relicta ad pias causas, quæ parochiani coram presbyteris suis, & tribus, vel duabus personis idoneis, fecerunt in extrema voluntate, firma debeãt permanere: sub pœna anathematis prohibentes, ne quis præsumptione qualibet audeat recidere hujusmodi testamenta. Illi autem qui testamenta defunctorum publicare, & compellere quantum ad relicta ad pias causas, post competentem monitionem noluerint: excommunicationis sunt vinculo innodandi, sicut statutum fuit in concilio Narbonensi. Illud quoq; irrevocabiliter observetur, ut bona decedentium clericorum, quæ occasione ecclesiæ fuerint acquisita, nullus præsumat laïcus occupare, aut illicite retinere: sed ad utilitatem ecclesiæ conserventur, cujus intuitu fuerant acquisita. Licet autem mobilia per ecclesiam de jure in alios, pro arbitrio beneficiati clerici morientis, transferri non possint, consuetudinis tamen est non improbandæ, ut de bonis mobilibus ipsarum, pauperibus, & locis religiosis, qui clerico beneficiato viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur ab ipso infirmo, vel a successore suo solvantur, seu reddantur, secundum quod idem infirmus moderate duxerit ordinandum. Cæterum quæ ex hereditate vel artificio, vel doctrina, vel dono consanguineorum, vel amicorũ, vel alio quocumque modo, non habẽtia respectum ad ecclesiam, ad clericũ pervenerint sæcularem, sive sit beneficiatus, seu non, distribuantur pro arbitrio clerici decedentis: quia potest de iis licite condere testamentum, seu ultimam voluntatem. Si autem infirmus nil de iis ordinaverit, bona ipsa ad consanguineos devolvantur: & si consanguineos non habuerit, penes ecclesias, quarũ rectores vel beneficiati fuerint, bona ipsa volumus remanere. Si nulla vero ordinatione vel dispositione facta de bonis suis decedentes clerici, consanguineos, vel ecclesias, seu beneficia non habuerint, bona ipsorum debent arbitrio sui episcopi ordinari. Ad hæc, quidquid habent clerici de bonis ecclesiasticis, deductis expensis honestis & necessariis, pauperum debet esse. Credimus de æquitate posse rationabiliter ordinari, & sic etiam ordinamus, & volumus observari in diœcesi Nemausensi: quod clericus beneficiatus in ægritudine constitutus, expensis necessariis usque ad fructus colligendos illius anni ad sustentationem ministrorum ecclesiæ sibi commissæ reservatis, & omnibus debitis ipsius ecclesiæ persolutis, quidquid mobile residuum fuerit intuitu ecclesiæ acquisitum, sive in pecunia, sive in rebus comestibilibus, sive animabus, sive bestiis, quæ agriculturæ illius ecclesiæ prius fuerãt deputatæ, licite Christi pauperibus ante sui obitum dare possint. Et si ejus archipresbyter præsens fuerit cum ipsius consilio ista fiant, ad quod præsentem esse volumus, & vocari si commode interesse possit. Verumtamen non credimus aliquem clericum beneficiatum posse percipere, quod post sui obitum conferantur, nisi aliquid & moderate sicut continetur superius in illo.

De sepulturis.

SAnctis patribus, & antiquis............ .... esse noscitur, ut unusquisque sepeliatur cum suis parentibus, qui certam non elegerit sepulturam. Nulli tamen negandum est, quin possit, ubicumque voluerit & discrete elegerit, sepeliri, ita tamen quod si in aliena ecclesia elegerit sepeliri, & de iis quæ sibi legaverit, & aliis, quæ occasione sepulturæ ipsius pervenerint ad eamdem, parochialis ecclesia canonicam habeat portionem, videlicet tertiam partem secundum con-

A suetudinem ecclesiæ Nemausensis, exceptis casibus in quibus portio non est danda. Nullus tamen religiosus, vel clericus sæcularis, faciat pactum cum aliquo in sanitate constituto: sed nec aliquem in infirmitate constitutũ blanditiis, munusculis, sive donis, vel deceptionibus inducat, ut in suo cœmeterio eligat sepulturam: quod si fecerit pactũ, non teneatur, nec electio sepulturæ, quinimmo & corpus, & quidquid occasione sepulturæ ipsius perceptum fuerit, totaliter parochiali ecclesiæ reddatur. Si vero aliquis in sanitate, vel infirmitate de qua non moritur, intrat aliquam religionem, se & sua reddendo: non debet parochialis ecclesia de bonis ipsius habere canonicam portionem. Idem dicendum est si infirmus in una parochia facit se mutari in infirmitate in aliam parochiam, & B moritur de illa ægritudine: quia sicut supra ecclesia parochialis debet habere canonicam portionem, si quis assumatur in confratrem alicujus loci religiosi, bonis suis retentis nec oblatis, & ibi sepeliatur, parochialis ecclesia debet habere canonicam portionem. *Mẽdose hæc.* Ne autem lites ex litibus oriantur, sciendum est, quod si parochianus alicuius ecclesiæ transfert domicilium suum in aliam parochiam, & ibi moratur: erit statim parochianus illius ecclesiæ, ad quam transfert suum domicilium, & illi ecclesiæ subiectus erit quoad jus parochiale; videlicet in Divinis officiis audiẽdis, oblationibus, & pœnitentiis obtinendis, recipiendis sepulturis mortuariis, & in recipiendis ibidem aliis ecclesiasticis sacramentis. Et in his omnibus subtra- C hitur, & eximitur incontinenti per translationem a jurisdictione ecclesiæ, in cuius parochia ante translationem domicilium morabatur. Verum quia nullus debet jurisdictionem alterius usurpare: prohibemus districte, ne aliquis parochianos alterius recipiat ad ecclesiastica sacramenta, nisi ad baptismum, & pœnitentiam, necessitatis articulo imminente, vel nisi de licentia proprii sacerdotis. Prohibemus etiam specialiter, ne aliquis parochianus alterius in cœmeterio suo sepelire præsumat, nisi ibi elegerit sepulturam. Quod si fecerit, corpus sepultum, & omnia, quæ occasione ipsius percepit, ecclesiæ parochiali reddantur: nisi peregrinus fuerit, vel viator de remotis, qui si alibi sepulturam elegerit, potest licite sepeliri. Si ve- D ro parochianus alicujus ecclesiæ, sive in sanitate, vel in infirmitate, ad aliam parochiam vicinam iverit, seu transtulerit, non domicilium mutandi causa, & ibi aliquo eventu sine electione sepulturæ mortuus fuerit: sepeliendus ad suam parochialem ecclesiam deportetur, vel sepeliatur in illa parochia, in qua mortuus fuit, si parentes ejus, vel consanguinei, & sua parochialis ecclesia hoc duxerit concorditer concedendum. Nec illa ecclesia, in cujus parochia mortuus fuit, potest quærere canonicam portionem ab ecclesia parochiali illius defuncti, de iis quæ occasione sepulturæ, vel legati, pervenerint ad eamdem. Mulier autem astante matrimonio, & etiam mor- E tuo viro suo, eligere potest, ubicumque voluerit, sepulturam. Si vero sine electione decesserit sepulturæ, sepeliatur in cœmeterio ecclesiæ parochialis in sepulchro viri sui, si ipse mortuus fuerit, & in eadem parochia sepultus.

Isti sunt casus, in quibus deneganda est ecclesiastica sepultura.

SVnt autem quidam casus, in quibus debet denegari ecclesiastica sepultura: scilicet omnibus hæreticis, & excommunicatis majori excommunicatione, & etiam minori, & interdictis. Item illis, qui in torneamentis moriuntur. Item usurariis, & proconibus manifestis. Item omnibus illis, quos manifestum constitit in mortali peccato decessisse. Item illis qui se ipsos suspenderunt, aut se gladio interfecerunt.

Hæc autem intelligenda,& servanda sunt,nisi in morte manifesta signa pœnitentiæ apparuerint, videlicet quia petiit presbyterum, vel pœnitentiam, vel alia signa pœnitentiæ, si amiserat jam loquelam. Et si talis erat excommunicatus vel interdictus, & morte præventus non potuit absolutionis beneficium obtinere: potest,&debet absolvi post mortem. Sed ab illo prælato,vel judice absolvetur, per quem,dum vixerat, fuerat absolvendus. Et ad probanda signa pœnitentiæ sufficit,ut dicunt fere omnes doctores, unus testis,si plures ad hoc probandum non poterunt inveniri. Verumtamen licet signa pœnitentiæ præcesserint, si non fuerit in infirmitate vel mortis articulo absolutus, non debet ante absolutionem in cœmeterio ecclesiastico sepeliri: sed juxta cœmeterium poni poterit in aliquo ligneo monumento, vel intra sepeliri, & postmodum cũ debebit absolvi,debet exhumari, & absolvi* in cœmeterio ecclesiastico sepeliri. Si vero corpus alicujus excommunicati,in cœmeterio ecclesiastico aliquo casu contigerit sepeliri: cum de hoc plene constiterit,incontinenti extumuletur, si ossa excommunicati discerni poterunt ab ossibus fidelium defunctorum: & quousq; cœmeterium reconciliatum fuerit aspersione per episcopũ solemniter benedictæ,non sepeliatur corpora defunctorũ in eo. Prohibemus autẽ districte, laïcos intra ecclesiã sepeliri,sine nostra licentia speciali.

* Add. & postea

De decimis, & primitiis.

CUm Dominus expresse dari præcipiat decimas & primitias,atque solvi,& nolentes solvere excommunicationis sint vinculo innodandi: districte præcipimus, ut decimæ & primitiæ solvantur integraliter parochialibus ecclesiis, in quarum parochiis prædia, ex quibus fructus proveniunt, fuerint cõstituta. Et debent solvi statim cũ fructus percipiuntur, & antequã inde separentur census, & tributa,vel quarti, vel taschæ. Si tamen primo fuerit facta talis separatio, sicut agricola tenetur decimare & primitiare quod sibi remanet; ita dominus quod de acervo accepit non decimato. Si vero ille qui decimam tenetur solvere, vendat acervum blatorum non decimatũ, vel aliam rem non decimatam,de qua decima debet solvi: potest ecclesia petere decimam a venditore, si voluerit, vel etiam ab emptore,quia res transit cum onere suo ad quemlibet possessorem. Decimæ autem agrorum, hœdorum, caseorum,lanæ,porcellorum,& pullorum,ecclesiis quibus debentur fideliter persolvantur: agnos tamen,hœdos, porcellos, & pullos,non dare debent deteriores, nec meliores tenentur solvere, sed debent dare mediocres: vel sicut transeunt per ostium, vel sub virga,& ille qui decimus venerit, pro decima habeatur. De primitiis vero dicimus, & juri esse consentaneum reputamus, & sic in Nemausensi diœcesi præcipimus observari: quod primitiæ ecclesiæ, illi dentur de proventibus,seu fructibus prædiorum decimæ persolvantur, cum non debeat una eademque ecclesia censeri. Nomine autem primitiarum, seu pro primitiis, ad minus sexagesima pars de vino, & blato,ecclesiis debet solvi: non obstantibus aliquibus compositionibus, seu consuetudinibus, quæ a sede apostolica non fuerint approbatæ. Non tamen prohibemus quin priores, & rectores quarundam ecclesiarum nostræ diœcesis, observent,si voluerint, antiquas consuetudines ecclesiarum suarum, quæ consueverunt recipere & habere a parochianis certam quantitatem vini, vel bladi pro primitiis annuatim. Sub pœna excommunicationis prohibemus,ne priores,seu rectores ecclesiarum Nemausensis diœcesis,sive sint regulares,sive sint sæculares,occasione decimarum,vel primitiarum,inter se cũ clericis, nec etiam cum laicis occasione qualibet prælientur; nec aliquis clericus a possessione percipiendi decimas,vel primitias, vel alios quoslibet fructus,possessorem seu possidẽtem præsumat autoritate, propria spoliare. Si quis contra præsentem prohibitionem possessionem alterius in hoc casu invadere præsumpserit: fructus, quos per invasionem seu per violentiam abstulerit, ipso facto amittat,& restituat: spoliato in expensis, quas spoliatũ ob hoc fecisse cõstiterit, condemnandus, etiam si jus proprietatis percipiendi decimas hujusmodi, & primitias,vel alios redditus temporales, noscatur ad spoliatoris ecclesiam, vel ad hereditatem propriã pertinere,gravius etiam,si culpæ qualitas postulaverit, puniendus. Non enim justum est,neque bonum,quod aliquis jus in causa propria sibi dicat. Sed si contra aliquem, prior seu rector alicujus ecclesiæ,pro decimis & primitiis habuerit quæstionem coram nobis,vel archidiacono,seu officiali,vel archipresbyteris nostris,seu aliis personis ecclesiasticis communiter ex utraque parte electis, seu secũdum jurisdictionem vel amicabiliter suam justitiam prosequatur: generaliter prohibentes,ne super primitiis, vel aliis juribus spiritualibus,clerici in laïcos compromittant, quamvis in ipsos laicos de rebus temporalibus valeat cõpromitti. Districte etiam prohibemus,ne clerici bladum, horologia*,vel quælibet alia decimare præsumant, nisi præsentibus & ad hæc vocatis dominis rerum illarum, de quibus decima ecclesiis debet dari: nisi super hoc domini requisiti,malitiose noluerint interesse,nec decimandi excedant debitam quantitatem.

* Corr. hordea

De sponsalibus, & matrimonio.

SPonsalia sunt promissio futuri matrimonii contrahendi. Debent autem contrahi post septennium:& si ante septimum annum completum contracta fuerint,non habent aliquam firmitatem. Tamen si adveniente & completo septimo anno,consenserint sponsalibus prius contractis: ex tunc ratificari incipiunt, & valere. Ætas vero ad matrimonium cõtrahendum est in masculo quartus decimus annus completus, & in puella duodecimus. Vt autẽ diversa pericula circa matrimonium evitentur, statutum fuit in concilio generali, & sic præcipimus observari: ut matrimonia non contrahantur clandestino, sed cum fuerint contrahẽda,in ecclesiis per presbyteros publice proponantur competenti termino præfinito,ut infra illum, qui voluerit,legitimum impedimentum opponat: & ipsi presbyteri nihilo minus investigẽt,utrum aliquod impedimentum obsistat. Cũ autem probabilis apparuerit conjectura,vel impedimentum,contra matrimonium contrahendum: contractus matrimonii interdicatur expresse,donec quid fieri debeat, manifestis constiterit documentis. Sane parochialis sacerdos, qui tales conjunctiones inhibere contempserit, aut quilibet regularis qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur: gravius puniẽdus,si culpæ qualitas postulaverit. Sed illis qui taliter copulari præsũpserint,condigna pœnitentia injungatur. Districte autem inhibemus,ne aliqui, qui sponsalia contraxerint, seu promissionem fecerint de matrimonio contrahendo,præsumant cum aliis contrahere secunda sponsalia, seu matrimonium,nisi prius a vinculo priorum sponsaliũ fuerint absoluti. Et si aliquis,vel aliqua,contraxerit secunda sponsalia,vel matrimonium,contra promissionem super primis sponsalibus prius præstitã veniendo temere: tale secundum matrimonium nec denũcietur in ecclesia, nec taliter nubentibus detur benedictio nuptialis sine nostra licentia speciali, quia nolumus quod talis malitia remaneat impunita. Quia vero sponsalia & matrimonia indiscrete multoties contrahuntur,aliquando per simplicitatem,& juris ignorantiam aliquorum, & aliquando propter excogitatam malitiam atque fraudem: de multis impedimentis pauca quæ frequentius sunt in usu hic ponimus: volentes

Later. IV. c. 51.

ANNO CHRISTI 1284.

volentes ut possimus in talibus occurrere periculis, & peccatis.

Sciendum est igitur, quod si quis contraxerit sponsalia cum aliqua muliere tempore legitimo ad sponsalia contrahenda, scilicet septimo anno completo, sicut superius continetur, sive ipsam accipiat in uxorem, sive non: nunquam postea aliquam aliam de consanguinitate ipsius mulieris desponsatę habere poterit in uxorem, nec mulier desponsata illa aliquem de consanguinitate illius viri desponsati habere poterit in maritum. Item si aliquis desponsaverit aliquam in uxorem, & antequam eam cognoscat carnaliter, vel matrimonium cum ea contrahat, ejus consanguineam cognovit carnaliter: non debet postmodum cum illa quam desponsaverat, neq; cum aliqua alia de consanguinitate ejus, matrimonium contrahere; & si contraxerit, debet matrimonium separari. Item si aliquis alicui mulieri fidem dederit, vel promiserit quod eam recipiet in uxorem, si post talem promissionem cognoverit eam carnaliter: nō potest ea vivente cum alia matrimonium contrahere, immo debet compelli quod eam teneat in uxorem, & maritali affectione pertractet, si alia rationabilis causa non impediat quare ipsam habere non debeat in uxorem. Item nullus debet spōsalia, vel matrimonium contrahere cum aliqua de consanguinitate sua in primo & secundo, tertio vel quarto gradu: quod si fecerit, debet matrimonium separari. Si vero aliquæ personæ attinent sibi ex una parte in secundo, tertio, quarto gradu cōsanguinitatis, vel affinitatis, ex alia vero parte in quinta linea transversali: licite potest inter eos matrimoniū celebrari. Qui autē votum emittunt vel faciunt de religione intranda, seu castitate servanda, matrimonium contrahere prohibentur. Item nullus debet contrahere matrimonium cum sua commatre, vel filia sua spirituali: quod si fecerit, debet matrimonium separari. Item si quis contraxerit matrimonium cum filia compatris sui, non tamen cum illa filia, per quam contracta est compaternitas, sed cum alia: licet sit honestum a tali conjugio abstinere, non tamen est propter hoc, matrimonium separandum. Item nullus debet contrahere matrimonium cum illa, quam suis manibus baptizavit: quod si fecerit, debet matrimonium separari. Item nullus debet contrahere matrimonium cum illa, quam pater ejus baptizavit; & si fecerit, erit matrimonium separandum. Item omnes filii & filiæ compatrum duorum, vel duarum cōmatrum, sive ante compaternitatem, sive post geniti fuerint, possunt inter se matrimonialiter copulari. Illa tamen persona excepta per quam compaternitas est contracta, quia illa persona nunquam potest copulari alicui filiorum patris sui spiritualis. Verum utrum aliquis duas commatres possit habere uxores, unam post aliam, aliquando ab aliquibus dubitatur. Super quo considerandum est diligenter, an commaternitas contrahatur post contractum matrimonium, sive ante. Nam si ante, ut verbi gratia, uxor tua, antequam cum ipsa matrimonium contraheres, & eam cognosceres carnaliter, tenuerat infantem alterius mulieris in baptismo, seu cōfirmatione: mortua uxore tua tu poteris matrimonium contrahere cum illa cōmatre uxoris tuæ: & sic in hoc casu duas commatres, unam post aliam, habere poteris in uxores. Si vero uxor tua postquam fuit a te carnaliter cognita, suscepit infantem alterius mulieris, illa cujus infans suscipitur, efficitur tibi commater per factum uxoris tuæ: & ideo mortua uxore tua non poteris illam habere in uxorem. Et e contra eamdem compaternitatem uxori acquiri intelligas per maritum, & in hoc casu duas commatres non poteris habere in uxores. Si vero filium uxoris tuæ, quem de alio viro generavit, aliqua mulier in confirmatione tenuerit, seu baptismo: illa

A mulier est commater uxoris tuæ, & non tua: & ideo mortua uxore tua, talem commatrem ejus habere poteris in uxorem. Idem est si filius tuus ab aliquo suscipiatur, quem genuisti de alia muliere. Et ita in hoc casu aliquis duas commatres poterit habere in uxores, & aliqua duos compatres, unum post alium, in maritos. Nunc videndum est utrum adulter cum adultera matrimonium contrahere possit. Et quidem si aliquis adulterat cum aliqua conjugata, & ipsa, vel ipse adulter, machinatur in morte mariti ipsius adulteræ, vel uxoris ipsius viri adulteri, ad hanc intentionem ut adulter & adultera contrahant matrimonium postmodum: si mors propter hoc fuerit assecuta, non debent inter se matrimonium contrahere: quod si fecerint, debet matrimonium separari. Item si adulter promiserit adulteræ, quod ducet eam in uxorem post mortem uxoris ipsius adulteri, si est conjugatus;
B vel post mortem mariti adulteræ, si est conjugata: si ante, vel post fidem datam, vel promissionem factam de matrimonio inter se contrahendo, prædictus adulter cognovit carnaliter prædictam adulteram vivente marito ipsius adulteræ, vel uxore ipsius adulteri, numquam possunt nec debent inter se matrimonialiter copulari: quod si fecerint, erit matrimonium separandum. Item si adulter contraxerit matrimonium de facto, quia de jure non potuit, cum adultera quæ sciebat ipsum habere aliam uxorem, si ante, vel post contractum de facto matrimonium inter ipsos, prædictus adulter cognovit carnaliter prædictam adulteram vivente marito ipsius adulteræ, vel uxore ipsius adulteri, si est conjugatus, numquam debent inter se matrimonialiter copulari mortuo marito ipsius a-
C dulteræ, vel uxore ipsius adulteri, non debent in contracto matrimonio de facto remanere. Si vero nullus istorū trium casuum supra proxime dictorum intervenerit, & adulter mortua uxore sua, vel mortuo marito adulteræ, contraxerit matrimonium, quoniam jus polluerat per adulterium, non debet propter hoc matrimonium separari. Inhibemus quoque districte ne aliqua mulier, absente viro suo quantorumque annorum numero causa peregrinationis, vel ex quacumque alia causa absens fuerit, præsumat contrahere aliud matrimonium donec ei constet quod vir ejus decessit ab hac vita. Et si contrahere voluerit, ejus parochialis sacerdos fieri nullatenus permittat
D id: & idem in viro decrevimus observandum. Si tamen aliqui contra prohibitionem nostram matrimonium contrahere præsumpserint, ad nos mittantur, ut super hoc fiat quod fuerit mediante justitia faciendum. Prohibemus autem, ne aliquis sacerdos personas ignotas de remotis venientes matrimonialiter copulare præsumat, sive ambæ ignotæ fuerint, sive altera illarum, nec etiam hujusmodi matrimonium faciendum denunciet in ecclesia, nisi de nostra licentia speciali. Si vero personæ contrahentium
E clandestina matrimonia notæ fuerint, & ea voluerint in facie ecclesiæ publicare: nisi causa rationabilis impediat, videlicet consanguinitas, vel aliud legitimum impedimentum, ab ecclesia recipienda sunt, & comprobanda, tanquam a principio in conspectu ecclesiæ contracta: ita scilicet quod confiteātur publice coram sacerdote, & aliis pluribus personis, se matrimonium contraxisse: vel si de novo matrimonium contrahant de præsenti, eisdē detur benedictio nuptialis, prius tamen injuncta pœnitentia, pro eo quod clandestine contraxerunt. Rursus interdicimus districte, & sub pœna excommunicationis, ne pro benedictionibus nubētium, vel exequiis mortuorū, seu cæteris ecclesiasticis sacramētis, a presbyteris vel clericis aliquid exigatur, prætextu etiā alicujus cōsuetudinis, quæ dicenda si potius corruptela, sed gratis & liberaliter conferātur omnia

ANNO CHRISTI 1284.

omnia sacramenta ecclesiastica: gratanter tamen, & cum gratiarum actione possunt postea recipere quæcumque sponte ipsis fuerint præsentata. Item prohibemus, ne aliquis parochialis sacerdos recipiat ad matrimonium contrahendum parochianum alterius, ignorante proprio sacerdote. Si vero sponsus & sponsa de diversis parochiis fuerint, matrimonium poterunt contrahere, & benedictionem nuptialem, in quacumque ecclesia voluerint: proviso quod litteras vel certos nuncios suorum presbyterorum habeant & ostendant, continentes quod in ecclesiis, quarum sunt parochiani, matrimonium denunciatum fuerit contrahendum, & quod ipsi presbyteri nullum sciant, vel audierint impedimentum, quo minus legitime possit matrimonium celebrari. Licet autē parochianus ecclesiæ alicujus eximatur a jure parochiali personæ ecclesiæ, per trāslationem domicilii in parochiam alienā: nihilo minus fiat denunciatio matrimonii contrahendi in illa ecclesia, in cujus parochia volentes matrimonium cōtrahere longam fecerint moram, & in illa in quam suum transtulerūt domicilium, & morantur: maxime, si de novo se transtulerint in parochiam alienam. Verumtamen quia verba inutilia, & inconvenientia multoties ab aliquibus proferuntur tunc, cum datur benedictio nuptialis: præcipimus, quod in fine Missæ arræ benedicantur, & detur benedictio nuptialis. Quia sæpe cōtingit, quod propter aliqua impedimenta, sponsus & sponsa volentes matrimonium contrahere, tarde post celebrationem Missæ ad ecclesiam veniunt, & benedictionem nuptialem postulant sibi dari: licet Missam non audierint illa die, detur eis benedictio nuptialis. Honestum tamen est, quod si potest fieri commode, Missam prius audiant, & in fine Missæ benedictionem accipiant nuptialem. Sunt autem quædam tempora, in quibus solemnitates nuptiarum fieri non debent, nec dari benedictio nuptialis: videlicet ab Adventu Domini usque ad octavas Epiphaniæ, & a Septuagesima usque ad octavas Paschæ completas, & a tribus diebus ante Ascensionem Domini, usque ad Dominicam primam post Pentecosten. Et in ipsa Dominica post Pentecosten, & deinceps, possunt nuptiarum solemnitates legitime celebrari.

De sententia excommunicationis, & interdicti, & quomodo sanis & infirmis beneficium absolutionis sit impendendum.

QUia periculosum est, maxime prælatis & ecclesiarum rectoribus, in subditos majoris excommunicationis sententiam promulgare: prohibemus ne aliquis prior, seu rector, capellanus alicujus ecclesiæ Nemausensis diœcesis, aliquem majori excōmunicatione præsumat generaliter, vel specialiter excommunicare, etiamsi alicui per litteras nostras mandemus, quod aliquem per censuram ecclesiasticam coerceat: quia tale mādatum, cum ipsum aliquādo facimus, extendi volumus tantummodo ad sententiam interdicti: quam sententiam interdicti, rectores & sacerdotes ecclesiarum parochialium curam animarum habentes proferre proterunt autoritate sua, justa de causa, cum viderint expedire. Dicitur autem major excommunicatio, cum dicit prælatus, excommunico te: & tali excommunicato nullus debet in aliquo participare, nisi in casibus superius notatis, quia talis excommunicatio major separat excommunicatum a communione fidelium, & participatione, ac perceptione sacramentorū. Minor autem excommunicatio dicitur, cum quis communicat excommunicato majori excommunicatione: & tunc participans excommunicato, est remotus a perceptione sacramentorum: ita non debet recipere Eucharistiam, vel alia sacramenta, quousque fuerit absolutus. Interdictum dicitur, cum dicit prælatus, in-

A terdico te, vel dicit, suppono te ecclesiastico interdicto, vel interdico, seu prohibeo tibi ingressum ecclesiæ: & talis interdictus, & ille qui est majori excommunicatione ligatus, non debent intrare ecclesiam quamdiu sunt in sententia, sed nec juxta ecclesiam stare, quando Divina officia celebrantur, nec debent recipere aliqua sacramenta ecclesiastica. Sententia suspensionis dicitur quando prælatus dicit clerico, suspendo te ab officio: & non debet tunc taliter suspensus aliquod officium principaliter facere in ecclesia, sed potest intrare ecclesiam, & audire cum aliis officium in choro: si tamen* suspensus est ab officio Missæ, tunc præter Missam potest alia Divina dicere, & audire, & percipere, ac conferre alia ecclesiastica sacramenta. Quia vero superius diximus, quod rectores, & sacerdotes ecclesiarum possunt proferre sententiam interdicti: B caveant, & diligenter attendant, quod sive mandato nostro, sive autoritate propria, sententiam proferre voluerint interdicti, generaliter, vel specialiter, ipsam in scriptis proferant, & causam expresse conscribant, propter quam interdicti sententia proferatur, & eam scriptam in manibus teneant, & legant cum proferunt: quam sententiam formare poterunt in hunc modum. Cum ego P. rector, vel capellanus talis ecclesiæ Nemausensis, monuerim semel, secundo, & tertio, ut de talibus decimis, & pecunia, is satisfaceret, seu legatis, vel tale quid faceret ut tenetur, & ipse non curaverit obedire: ideo propter ejus contumaciam, in scriptis suppono eum ecclesiastico interdicto; vel dicat sic, in scriptis ei ingressum ecclesiæ interdico: & sic dicet cum vult interdicere aliquem nominatim. Si autem in genere velit ferre sententiam interdicti, dicet sic. Cum C ego rector, vel capellanus talis ecclesiæ, monuerim generaliter omnes in tali ecclesia primo, secundo, & tertio, ut quicumque talam talem fecerit, vel ignem apposuerit, vel tale furtum commiserit, ut satisfacerent in die tali jam elapso, & nullus satisfacere curaverit, ideo eum, vel eos, qui prædicta fecerint, in scriptis suppono interdicto ecclesiastico. Sciendū tamen est, quod ille, qui profert talem sententiam, debet & tenetur exemplum scripturæ hujus sententiæ ei, qui interdictus fuerit, tradere infra mensem post diem latæ sententiæ, si fuerit requisitus: super qua receptione debet fieri publicum instrumentum, vel litteræ testimoniales cōfici sub sigillo authentico consignatæ. Qui autem non servata forma prædicta sententiam tulerit interdicti, D per mensem unum ab ingressu ecclesiæ, ac Divinis, ipso jure noverit se suspensum, prout in decretali nova plenius continetur, & ad expensas & omne interesse condemnabitur interdicto: nihilo minus alia pœna condigna juxta superioris arbitrium punietur. Caveat ergo quilibet, ne prædictam suspensionis pœnam incurrat: quoniam si contigerit aliquem sic suspensū Divina officia celebrare, vel exequi sicut prius, videlicet Missam cantando, evangelium, vel epistolam legendo, seu alias canonicas horas inchoando, orationes, & capitula principaliter dicendo in ecclesia, irregularitatem incurret secundum canonicas sanctiones, super qua non nisi per summum pontificem poterit dispensari. Et quia periculosum est propter prædicta, E interdicti sententiam promulgare: præcipimus consulendo, quod ad ferendam sententiam prædictam non sint aliqui nimis prompti, & semper præcedat trina monitio coram testibus sententiam interdicti. Prohibemus autem, ne excommunicato majori excommunicatione, aliquis clericus, vel laicus, scienter communicare præsumat in oratione, cibo, potu, vel osculo, nec salutet eum: quod si fecerit, minorē excommunicationem incurret: & tali excommunicato communicans, ante absolutionem non poterit, sine mortali peccato recipere ecclesiastica sacramenta, potest

ANNO CHRISTI 1284.

*leg sitantū

ANNO CHRISTI 1284.

test tamen recôciliari a simplici sacerdote absque juratoria cautione. Si vero ille cum quo participat excommunicatus esset cum omnibus participantibus suis, vel communicantibus sibi, vel si eidem excommunicato majori excommunicatione scienter communicet, præstando ei consilium, auxilium, vel favorem, in facto illo, seu crimine, pro quo est excommunicationis vinculo innodatus: majorem excommunicationem incurrit ille, qui tali excommunicato taliter communicat, & debet absolvi præstito juramento, nec potest absolvi nisi per illum judicem, qui excommunicavit eum, cum quo participat in cibo, oratione, potu, osculo, salutatione, vel dando ei in eo pro quo excommunicatus est, consilium, auxilium, vel favorem: excepto mortis articulo, in quo quilibet excommunicatus potest absolvi, etiam a simplici sacerdote vel[a] clerico, sicut inferius continetur. Ille autem qui communicat ei, qui propter participationem alicujus excommunicati, sicut dictum est, excommunicationis vinculo est innodatus, nullam propter hoc excommunicationem incurrit, quia in tertiam personam excommunicatio nulla transit. Si vero duos presbyteros simul, propter participationê alicujus excommunicati, minori contigerit tantum excommunicatione ligari: credimus quod alter alterum nihilo minus absolvere possit. Sunt autem quædam personæ quæ sine pœna minoris excommunicationis possunt participare, seu communicare illis, qui majore excommunicatione sunt ligati, dum tamen non communicent in crimine pro quo sunt excommunicati. Prædictæ personæ in quodam capitulo Gregorii intimantur: videlicet uxores, quæ possunt communicare maritis excommunicatis sine pœna minoris excommunicationis. Item filii in patris potestate, possunt participare patribus suis excommunicatis. Item servi & ancillæ, sicut sunt Saraceni baptizati, & Saracenæ baptizatæ, qui & quæ possunt participare dominis suis excommunicatis. Item servientes, sicut sunt bubulci, pastores, portarii, pedisequi, & consimiles personæ, quæ serviunt pro mercede dominis suis, quæ possunt dominis suis excommunicatis communicare; si tamen ipsi domini, excommunicati fuerint postquam prædictæ personæ inceperunt stare cum eis: quia non obstante sententia excommunicationis debent eis servire usque ad terminum suum, sed ultra non remanere cum eis, nisi ante fuerint absoluti: quod si fecerint, minorem excommunicationem incurrent. Item possunt participare dominis suis excommunicatis, consanguinei, nepotes, vel nutriti: qui cum ipsis dominis ante excommunicationem morabantur, & si ab eis recederent, unde viverent non haberent. Verumtamen si filii, uxores, nepotes, consanguinei, servi, ancillæ, bubulci, pastores, & personæ consimiles superius nominatæ, excômunicatæ fuerint: credimus quod patres, mariti, & domini prædictarum personarum, eas teneantur vitare quamdiu excommunicatæ fuerint, quia citius propter hoc absolvi procurabunt. Illi autem qui communicant alicui excommunicato, nescientes quod excommunicatus esset, non incurrunt minorem sententiam excommunicationis. Item peregrini, & viatores, qui transeunt per terram excommunicatorum, possunt ab eis emere necessaria sua, & victualia, si non inveniant alios non excommunicatos a quibus emere possint. Item si excommunicatus petat eleemosynam, cum non habet unde vivat, potest sibi dari causa sustentationis ne pereat fame, & etiam indumenta ne frigore moriatur: & ille qui dat, & qui communicat hac de causa, non incurrit minorem excommunicationem, immo bene facit. Item si excommunicatus debet alicui aliquid, potest petere ab eo debitum sine aliqua pœna. Item potest quilibet monere ex-

A communicatum, quod se absolvi faciat, & loqui cum eo de correctione, & aliis, quæ pertinent ad salutem animæ excommunicati: & licet tunc verba alia incidentia forsitan interponat, ut apud eum magis proficiat, non ideo minorem excommunicationem incurrit. Si vero aliquis clericus, vel laicus, minori excommunicatione ligatus tantummodo sit, videlicet quod participavit simpliciter cum excommunicato, qui non erat excommunicatus cum participantibus suis: tutius facit si non intraverit ecclesiam, nec dixerit officium suum cum aliis in choro, si clericus est, antequam fuerit absolutus. Si tamen intraverit ecclesiam causa orandi, cum ibi nihil dicitur, præsertim ecclesiam non consecratam: non videtur peccare taliter[b], quia minori excommunicatione ligatus, non est remotus nisi B a receptione sacramentorum, quæ nec recipere, nec ministrare debet. Presbyter qui in tali excommunicatione scienter celebrat, peccat graviter: sed nullam propter hoc irregularitatem incurrit. Peccat etiam, si conferat ecclesiastica sacramenta: sed ab eo collata, virtutis non carent effectu, cum propter talem minorem excommunicationem non videatur esse remotus a collatione sacramentorum, sed a receptione, sicut superius in eodem titulo est expressum. Item si aliquis clericus sciens se esse excommunicatum majori excommunicatione, vel etiam interdictum, aut suspensum ab officio, Divina officia ante absolutionem celebrare præsumpserit principaliter, scilicet cantando Missam, evangelium, seu epistolam, vel in ecclesia alias horas canonicas, orationes, seu capi- C tula dicendo, in ecclesia ea efficiendo: irregularitatem incurret, super qua non nisi per summum pontificem poterit dispensari. Debent tamen extra ecclesiam nihilo minus dicere officium sub silentio horas suas clerici excommunicati majori excommunicatione, & interdicti, si sunt in sacris ordinibus constituti. Suspensus vero ab officio tantum, poterit intrare ecclesiam, & cum aliis clericis officium suum simpliciter audire, non principaliter dicere: sicut superius circa principium hujus tituli est tractatum. Ad hæc si excommunicatus publice majori excommunicatione ecclesiam intret, dum Divinum officium celebratur: moneatur publice quod exeat. Et si exire noluerit, officium dimittatur, nisi sacerdos canonem incepe- D rit: quia tunc debet perficere officium jam inceptum. Sed omnes alii, qui tunc in ecclesia fuerint, debent exire de ecclesia, præter ipsum presbyterum celebrantem, & unum, vel duos clericos, qui pro serviendo ei presbytero possunt & debent remanere. Completo autem canone, & sumpto corpore & sanguine Iesu Christi, excommunicato præsente non est in Missa amplius procedendum, sed in ecclesia. . . . . . ., . & excommunicatus noluerit de ecclesia exire, potest requirere dominum sæcularem, quod ipsum expellat. Et potest, & debet etiam talis excommunicatus, propter talem rebellionem seu contumaciam suam iterum excommunicari a suo prælato, & denunciari publice excommunicatus: nec debet ab hujus sententia absolvi nisi per sedem apostolicam, si- E cut est in Valentino[c] concilio constitutum. Verum si occultum est, illum esse excommunicatum majori excommunicatione qui intrat ecclesiam, & est ibi aliquis qui secreto sciat eum esse excommunicatum: monendus est a eo secreto, quod exeat caute de ecclesia, ille qui scit secreto ipsum esse excommunicatum: ita quod alii, qui eum excommunicatum ignorant, non possint hoc cognoscere: quia cum occulte sciat ipsum esse excommunicatum in occulto, vitandus est ab eo, ut saltem verecundiæ rubore confusus pro patenti excessu satisfacere compellatur. In publico autem seu manifesto, talis occulte excommunicatus vita-

ANNO CHRISTI 1284.

[a] Id falso non nulli ea ætate credebât. Vide S.Th. 4.d.17.q.3.a.4.

[b] f. mortaliter

[c] An. 1248. c.17.

ANNO CHRISTI 1284.

ri non debet, ne propter ipsius peccatum excommunicatio aliis reveletur. Eodem modo si sacerdos sciat pro certo aliquem esse excommunicatum majori excommunicatione, non debet eum vitare publice, seu manifeste, in ecclesia vel extra, nisi possit per testes, vel alio modo legitime hoc probare; tunc enim potest & debet eum vitare publice, licet talis excommunicatus nondum sit in ecclesia, vel per ecclesiam, publicatus. Sed si per testes, vel alio modo legitimo, non potest sacerdos probare eum excommunicatum, videlicet quia ipse solus vidit, vel cum uno socio tantum, vel ipse in secreto hoc sibi revelavit: debet eum monere secreto, & vitare secreto, ita quod a nemine cognoscatur, sicut superius proximo est expressum. Item si dicatur alicui sacerdoti in ecclesia, vel extra, quod aliquis parochianus suus sit excommunicatus, quia percussit clericum, vel alia de causa: licet plures hoc afferant, non tamen sacerdos debet eum tamquam excommunicatum vitare in ecclesia, vel extra, nisi coram eo & testibus confessus fuerit, vel nisi publica fama fuerit eum esse excommunicatum, vel nisi sacerdos hoc viderit, & probare possit, vel nisi aliquis judex ecclesiasticus sibi mandaverit, quod eum tamquam excommunicatum faciat evitari. Quamvis enim aliqui vellent coram sacerdote probare, talem esse excommunicatum: non debet tamen sacerdos autoritate sua testes super hoc recipere, cum super hoc non habeat potestatem. Sane quia aliquando excommunicatur aliquis a diversis judicibus jurisdictionem in eum habentibus, & pro causis diversis: si fuerit ab uno de illis judicibus pro una causa absolutus, adhuc tamen tanquam excommunicatus vitandus est, quousque ab omnibus judicibus, a quibus fuerat excommunicatus, fuerit absolutus. Si autem ab uno judice tantum, pro causis diversis, & pluries fuerit excommunicatus, & ille judex absolvat eum una causa tantummodo in absolutione expressa: adhuc remanet excommunicatus, & vitari debet, donec de omnibus causis, pro quibus excommunicatus fuerat, satisfecerit, & fuerit pro omnibus absolutus. Excommunicatos quoque, & nominatim interdictos, sive a nobis, sive ab aliis quibuscumque judicibus fuerint excōmunicati, vel interdicti, per totam nostram dioecesim ab omnibus regularibus, & saecularibus exemptis, districte praecipimus evitari in Divinis officiis, & ecclesiasticis sacramentis, quia nullis possunt apostolicis privilegiis se tueri, quo minus excommunicatos, & nominatim interdictos teneantur, & debeant in Divinis officiis evitare. Quod si Templarii, & Hospitalarii, vel alii regulares quicumque, etiam exemptos vel nominatim interdictos recipere praesumpserint ad Divina, vel ecclesiasticam sepulturam, vel celebrare in ecclesia interdicta: ecclesiae, in quibus ista praesumpserint, subjaceant interdicto, salvis privilegiis Templariorum, & Hospitaliorum, quibus a sede apostolica est indultum, ut semel in anno ad ecclesiasticum officium admittantur in ecclesia interdicta, ita tamen quod tunc non sepeliantur ibi corpora defunctorum. Sunt haec omnia in concilio Lateranero, & in decretali Alexandri papae tertii continentur. Illi enim qui in ecclesiis interdictis praesumunt scienter Divina officia celebrare: ab officiis, & beneficiis sunt suspendendi. Cum aliquam civitatem, villam, seu castrum, supponi contigerit ecclesiastico interdicto: omnibus parochianis illius loci negentur ibi omnia ecclesiastica sacramenta, praeter baptisma parvulorum, & poenitentias morientium, & corpus Christi, quod non debet decedentibus in poenitentia denegari. Et ideo permissum est ecclesiarum ministris tempore talis interdicti, non pulsatis campanis voce submissa, januis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis: semel in hebdomada Missarum solemnia celebrare causa conficiendi corpus Domini, quod, ut dictum est, non est decedentibus in poenitentia denegandum. Recipientibus etiam signum crucis non est tempore talis interdicti poenitentia cum eā postulaverint, denegāda: quod etiam servari debet in aliis peregrinis. Clerici quoque decedentes, qui servaverint interdictum, in coemeterio ecclesiae sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus, tempore talis interdicti cum silentio tumulentur. In conventualibus etiam ecclesiis tempore talis interdicti, bini & bini, vel simul tres, horas canonicas valent legere potius, quam cantare, januis clausis, interdictis & excommunicatis exclusis, & voce demissa, quod exterius audiri non possit. Si autem clerici alicujus loci, qui locus ob culpam hominis, vel domini ejusdem loci, est suppositus interdicto, ad alia loca non interdicta advenerint, vel se transtulerint: licite possunt audire Divinum officium in locis non interdictis, & etiam Divina officia celebrare. Volumus etiam, & concedimus, ut cum a nobis aliqua ecclesia nostrae dioecesis, ob culpam rectoris vel prioris ejusdem, fuerit interdicto supposita, conferantur nihilo minus ibidem omnibus parochianis ejusdem ecclesiae omnia ecclesiastica sacramenta, praeter Missas, & alias horas canonicas, quas prohibemus in ipsa ecclesia, quandiu interdicta fuerit, celebrari. Et si tunc aliquem parochianorum ejusdem ecclesiae mori contigerit: sine campanarum pulsatioue, & cessantibus aliis solemnitatibus, quae fiunt in ecclesia in exequiis mortuorum, simpliciter mittatur intra ecclesiam, & postmodum in coemeterio tumuletur: & haec ex gratia concedimus, ut laicorum scandalum evitetur. In hoc etiam casu, parochiani illius ecclesiae a nobis interdictae poterunt audire alibi Divina officia, si ad alias ecclesias accesserint, quae non sint suppositae ecclesiastico interdicto. Ultimo videndum est qualiter, & a quibus, infirmi excōmunicati vel interdicti, in mortis articulo sint absolvendi. Et quidem si infirmus, vel aliquis alius in mortis articulo constitutus, excommunicatus vel interdictus fuerit, occulte vel manifeste, propter violentam manuum injectionem in clericos factam, vel propter violationem ecclesiarum, incendium, furtum, contumaciam, vel propter quamlibet aliam causam, sive sit excommunicatus, vel interdictum a papa, archiepiscopo, episcopo, judice delegato, sive a quolibet alio judice: absolvat eum sacerdos, sive sit ejus parochianus, sive non, vel etiam quilibet clericus, si sacerdos haberi non potest, servando diligenter absolutionis formam, quae inferius continetur. Si enim propter violationem ecclesiarum, incendium, furtum, rapinam, decimas, primitias, legata, debita, talas, forisfacta, vel propter damna alicui contra justitiam illata; infirmus autem in mortis articulo constitutus, sit excommunicatus occulte, vel interdictus, & occulte sibi petat a sacerdote absolutionem & poenitentiam exhiberi: praecipiat ei sacerdos occulte antequam eum absolvat, quod, si habet rem illam, incontinenti restituat, vel ejus pretium, si illa res haberi non poterit: & restituetur per illum sacerdotem suppresso nomine poenitentis, & si in toto non potest satisfacere, faciat juxta posse. Et praecipiat suis heredibus, quod si de illa infirmitate cōtigerit ipsum mori, ad cognitionem sacerdotis satisfaciant pro eodem: & recepto juramento ab ipso infirmo interdicto, vel excommunicato, quod stabit mandatis ecclesiae, absolvat eum occulte sacerdos dicendo psalmum, *Miserere mei Deus*, vel *Deus misereatur nostri*, & *Kyrie eleison*, *Pater noster. Salvum fac servum tuum Domine. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus Deus cui proprium est misereri.* Postea dicat: Autoritate qua fungor, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis,

Later. III.

ANNO CHRISTI 1284.

nis, quo ligatus eras pro tali facto, & præcipio tibi, quod de cætero talia vel consimilia facere non præsumas. Si autem propter gravem infirmitatem, mortis periculum excommunicato immineat, & occasione restitutionis faciendæ non potest differri absolutio sine periculo magno: si excommunicatus restituendi habeat voluntatem, recipiat statim sacerdos ab ipso excommunicato juramentum de stando mandatis ecclesiæ, & absolvat eum præcipiendo sibi occulte in virtute præstiti juramenti, ut quam cito commode poterit satisfaciat juxta posse, & quod præcipiat suis heredibus, quod satisfaciant pro eodem. Si vero talis infirmus occulte interdictus, vel excommunicatus, tam pauper sit, quod non habeat in toto, vel in parte, unde satisfacere possit: recepto ab ipso juramento de stando mandatis ecclesiæ, injungat ei sacerdos quod si convaluerit, & ad pinguiorem fortunam pervenerit, satisfaciat juxta posse, & absolvat eum juxta formam prædictam. Cæterum si manifestum est, vel fuerit, aliquem infirmum excommunicatum esse vel interdictum propter rapinam, decimas, primitias, debita, vel aliqua alia, ad quorum restitutionem vel emendam teneatur: præcipiendum est ei manifeste, quod restitutionem, vel solutioné incontinenti faciat. Quod si forte nõ habet ré, quæ debet restitui, nec ejus precium, vel non est præsens ille cui restitutio facienda: recipiat sacerdos firmam securitatem ab ipso infirmo per fidejussores, seu pignora, quod ipse vel heredes sui, restitutionem vel emendam facient juxta posse. Facta securitate recipiat sacerdos nihilo minus publice juramentum ab excommunicato vel interdicto, quod stabit mandatis ecclesiæ, vel judicis, si propter hoc a judice excommunicatus erat: & absolvat eum juxta formam prædictam. Si autem talis infirmus manifeste excommunicatus, vel interdictus, tam pauper sit, quod nec ad restitutioné, vel in toto, vel in parte, possit satisfacere, nec securitatem præstare recepto juramento ab ipso de stando mandatis ecclesiæ, vel judicis, si propter hoc a judice excommunicatus erat: injungat ei in virtute præstiti juramenti, quod si convaluerit, & ad pinguiorem fortunam venerit, satisfaciat juxta posse de eo, pro quo est excommunicatus, & absolvat eum juxta formam prædictam. Si autem infirmus fuerit excommunicatus propter contumaciam, videlicet quod citatus a judice noluerit stare juri, vel judicio comparere: recipiat sacerdos simpliciter juramentum ab ipso coram testibus, quod stabit mandatis illius judicis, qui eum excommunicavit. Quo recepto absolvat eum juxta formam prædictam, & præcipiat ei, quod si convaluerit, compareat quam cito cõmode poterit, coram illo judice, facturus quod de jure fuerit faciendum. Si vero propter verberationem clerici, vel alicujus religiosæ personæ, infirmus excommunicatus sit: recipiet sacerdos similiter juramentum ab eo, quod stabit mandatis ecclesiæ, & absolvat eum, præcipiendo sibi quod si convaluerit, accedat personaliter ad dominum papam, vel ejus legatum, mandatum ipsius humiliter recepturus. Si tamen talis excommunicatus sit senex, vel femina, vel unum pedem tantum habens, vel puer infra quartum decimum annũ constitutus: prædicto juramento ab ipsis, & absolutione exhibita, præcipiendum est eis, quod si convaluerint, ad suum episcopum accedant, ejus mandatum humiliter recepturi. Ne vero ipsum infirmum, licet absolutum, mori contigerit nulla satisfactione præstita clerico de injuria, venia non petita: præcipiat sacerdos eidem, quod ab ipso clerico, si præsens cõmode haberi potest, petat veniam de injuria, quam sibi fecit, & etiam alia damna, si quæ propter hoc passus est. Vel si non posset incontinenti de expensis, & damnis datis satisfacere clerico injuriam: passo præcipiat infirmus suis heredibus, quod de

A prædictis satisfaciant pro eodem. Si autem excommunicati in infirmitate, juxta formas prædictas fuerint absoluti, & recuperata sanitate facere noluerint, quod jurarunt: mittantur ad nos cum litteris, de absolutione obtenta & juramento præstito continentibus veritatem, ut ad faciendum quod jurarunt, per censuram ecclesiasticam compellantur. Verumtamen licet aliquis excommunicatus, sanus vel infirmus, de parendo mandatis ecclesiæ vel judicis præstiterit juramentum, vel aliam cautionem: non est tamen communicandum eidem, quousque fuerit absolutus.

De perjuris & pœnis ipsorum.

B QVia ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpe contingit: statutum est in jure, & nos præcipimus fortiter observari, ut nullus clericus præsumat jurare absque nostra licentia speciali, nisi super publicationibus testamentorum, & causis ecclesiarum suarum, in quibus damus eis jurandi licentiam generalem. Statutum est etiam in clero Nemausensi, ut quicumque in transgressione juramenti manifeste fuerit deprehensus, in ecclesia denuncietur perjurus. Quod si admonitus satisfacere noluerit, tunc excommunicetur candelis accensis, & pulsatis campanis, singulis diebus Dominicis, & festivis, & denuncietur intestabilis, & infamis, nec ad testimonium, vel ad alios C actus legitimos admittatur. Et hanc pœnam præcipimus frequenter in ecclesia publicari. Sed nolumus quod aliquis sacerdos aliquem parochianum suum denunciet perjurum, vel infamem: nisi a nobis, vel archidiacono nostro, seu officiali nostro, vel alio judice, mandatum super hoc receperit speciale. Statutum est etiam in concilio Avenionensi[a] per legatũ sedis apostolicæ celebrato, contra publice perjuros, seu convictos
de periurio, & eos, qui pertinaciter in excõmunicatio- »
ne per sex mẽses permãserint, pro eo quod sunt faciles »
homines ad periuria, & ad censurã ecclesiasticam con- »
temnendam: ut nulli episcoporum liceat absolvere hu- »
iusmodi excommunicatos, qui per sex menses excom- »
municationem sustinuerint animo indurato; sed ad se- »
D dem apostolicam absolvendi, sicut sacrilegi & incen- »
diarii, transmittantur. Periuris vero, præter aliam sa- »
tisfactionem, ut dictam sedem apostolicam adeant, in »
pœnitentia iniungatur. Si forte clerici fuerint, in utro- »
que casu ab officio & beneficio ecclesiastico penitus »
repellantur: ad quorum neutrum restitui valeant, nisi »
per summum pontificem, vel legatum ipsius. Et hoc »
statutum præcipimus per ecclesias publicari, ne aliquis possit postmodum per ignorantiam excusari.

[a] An. 1209. can. 3.

De perfidis Iudæis.

PRæcipimus ut Iudæi in Nemausensi diœcesi commorantes, omni tempore in medio pectoris rosam E portent, ut per hanc a Christianis discernantur: & in diebus lamentationum, & Dominicæ passionis, in publicum non procedant: nec occasione puerorum suorum nutriendorum, vel alia qualibet causa, nutrices, seu servientes teneant in domibus suis Christianas: & si contra præsumpserint, omnibus Christianis inhibeatur districte, ne cum eis audeant aliquod commerciũ exercere. Interdicimus quoque, ne Iudæi ipsi in diebus Dominicis & festivis, præsumant publice operari; & ne carnes suas vendant, vel eas comedant publice in Quadragesima, seu aliis diebus, in quibus ab esu carnium abstinent Christiani. Quod si contra prædicta fecerint, Christianorum participatio, seu communio, usque ad satisfactionem condignam, eis in commerciis & omnibus aliis denegetur. Sub pœna excommunicationis inhibemus, ne quis Christianorum, carnes refutatas[a] a Iudæis in macello Christianorum præ-

[a] f. factas. Vide Concil. Narb. ann. 1227. c. 1. Et Biterr. an. 1246. c. 38.

sumat

ANNO CHRISTI 1284.

sumat vendere, vel alibi infra villam, præcipientes, ut omnes Christiani vitent convivia Iudæorum, nec eos ad convivium recipiant: quia cum ipsi apud Christianos cibis communibus non utantur, indignum, atque sacrilegum est eorum cibos a Christianis sumi, cum ea quæ Domino Iesu permittente nos sumimus, ab illis judicentur immunda. Nullus etiam Christianus, vel Christiana, azyma Iudæorum manducet, aut cum eis in eadem domo habitet, nec aliquẽ eorum pro medico in infirmitatibus vocet, aut aliquam medicinam recipiat, aut cum eis balneo se lavet: nec eis supra Christianos bailiviæ, aut aliqua publica officia committantur, ne in Christianos occasionem habeant sæviendi. Christiani vero qui non servaverint prædicta, monitione præmissa, excommunicationis sententiæ supponantur. Item volumus, & districte præcipimus, ut nullus invitos vel nolentes paganos, Iudæos, seu quoscumque alios infideles, ad baptismum venire compellat. Si quis autem eorum ad Christianos causa suscipiendæ fidei confugerit: postquam voluntas ejus fuerit ecclesiæ patefacta, Christianus efficiatur, absque contradictione & calumnia aliquorum, & etiam dominorum: nec a possessionibus, seu aliis bonis suis, propter hoc ullatenus excludatur. Baptizati tamen servitia debita & consueta non minus debent propriis dominis exhibere: si tamen eorum domini fuerint Christiani, quia in hoc casu servi remanent post baptismum. Tamen si eorum domini Iudæi fuerint, vel alii infideles: baptismus a talium dominorum servitio ipsos penitus liberavit.

Post omnia supradicta ponuntur hic quædam capitula non habentia titulos speciales.

DIstricte prohibemus, ne aliquis rectoriam, seu vicariam alicujus ecclesiæ sitæ in diœcesi Nemausensi, præsumat ab aliquo recipere, nisi nobis prius fuerit præsentatus, & a nobis illius ecclesiæ curam receperit animarum. Inhibemus autem, ne aliquis curam animarum alicujus ecclesiæ a nobis sibi commissam, vel committendam, singulis annis in synodo beati Lucæ præsumat usque ad aliam synodum ejusdem festi beati Lucæ dimittere, nostra licentia non obtenta. Præcipientes districte, quod rectores, vel sacerdotes parochiani, singulis annis ad utramque synodum veniant, & stent in synodo beati Lucæ cum cappis rotundis, & in synodo Paschali cum superpelliciis, in ecclesia dum synodus celebratur. Inhibemus ne aliquis præsumat curam duarum ecclesiarum recipere, nec etiam exercere sine nostra licentia speciali, nisi una dignoscatur ex altera pendere. Item prohibemus ne aliquis prior, vel rector alicujus ecclesiæ, sive regularis fuerit, sive etiã sæcularis, præsumat in ecclesiam suam ponere aliquem capellanum ad curam animarum exercendam, sine nostro consilio & consensu. Item in ecclesiis parochialibus, in quibus monachi habitant, populus per monachos non regatur, nec singuli monachi, per quascumq; ponantur ecclesias parochiales, sed in majori conventu, aut cum
Later. III. c. 10. aliquibus fratribus suis maneant, sicut est in Lateranensi concilio constitutum. Præcipientes autem autoritate domini papæ, qua fungimur in hac parte, quatenus statuta super rememoratione* monachorum a
*f. commoratione
felicis recordationis domino Gregorio papa edita, monachi studeant observare. Inhibemus quoque ne ab abbatibus, vel quibuscumque regularibus, seu sæcularibus clericis nostræ diœcesis, novi census imponantur, nec veteres augeantur, nec partes redditũ præsumant suis utilitatibus applicare nec portionem debitã & antiquam clericorum, qui per eos ad ecsiam præsentantur, diminuant; nec ecclesias, cum vacaverint, propriis usibus applicent, ad quas consueverint clerici sæculares pro rectoribus, seu perpetuis vicariis, præsentari. Si quis vero contra fecerit: irritum, quod egerit, habeatur. Item prohibemus districte, ne aliquis futuros redditus alicuius ecclesiæ nostræ diœcesis emat, recipiendo ad firmam ipsam ecclesiam cum redditibus ipsius ecclesiæ sub certo pretio, sine consilio & assensu*: nisi prior, seu rector illius ecclesiæ, ad studium theologiæ ire voluerit: & tunc etiam
*Add. nostro
regularibus, vel laicis, ad firmam ecclesiam etiam ante factum concedere non præsumat. Item prohibemus, ne aliquis prior seu rector alicuius ecclesiæ Nemausensis diœcesis, præsumat tenere aliquem sacerdotem alterius diœcesis: nisi prius eum cum litteris testimonialibus sui episcopi præsentaverit coram nobis. Item inhibemus, ne aliquis presbyter qui professionem fecerit, seu obedientiam regularem, licet nondum habitum susceperit, præsumat sine nostra licentia curam animarum exercere in diœcesi Nemausensi: districte præcipientes, quod regulares conversi*, sive clerici, sive laici fuerint, deferant habitum regularem, & vivant sine proprio, atque caste. Item prohibemus, ne
*f. regul. universi.
capellani parochialium ecclesiarum nostræ diœcesis, à parochianis suis in infirmitate constitutis donationes recipiant bonorum suorum: nisi eis aliqua consanguinitatis linea sint conjuncti, vel nisi nomine ecclesiarum donationes receperint supradictas: quia in fraudẽ ecclesiarum, & ipsorum etiam infirmorum, qui tales donationes capellanis seu sacerdotibus parochialibus faciunt, multoties ab ipsis sacerdotibus occulte hæc procurantur fieri sub specie caritatis. Sub pœna excommunicationis & suspensionis officii districte præcipimus omnibus sacerdotibus nostræ diœcesis, ne damna data, seu forisfacta, sibi, ut aliis restituant, in pœnitentia restituta, differant restituere, vel sibi retinere præsumant, sed illis restituant integraliter sine mora, & fraude, quibus est restitutio facienda. Qui autem cõtra hæc fecerit, comperta super hoc veritate, quæ receperit, cum verecundia compellatur reddere, & tantundem pauperibus erogare: & si restituere, vel de pœna satisfacere nequiverit, alia pœna gravi juxta nostrum arbitrum punietur.

Quia pro certo didicimus quod quidam clerici, ob amorem & gratiam clericorum amicorum suorum, vel etiam laicorum, possessiones aliorum violenter invadunt, vindemiando vineas, segetes & fructus alios colligendo, atque aliquos occasione hujusmodi frequenter verberant, & etiam vulnerant, propter quod contra clericos magnum scandalum in populo generatur. hæc sub pœna excommunicationis fieri districtissime prohibemus. Et si quis contra fecerit, fructus, quos de possessionibus aliorum contra quos quæstionem non habet, ob amorem & gratiam alicujus collegerit, reddere compelletur. Et si plures hoc simul fecerint, unusquisque totaliter compelletur, donec plene, quod oblatum est, fuerit restitutum: & alia pœna juxta nostrum arbitrium a nobis nihilo minus punietur. Qui vero occasione invasionis prædictæ vel alia de causa ob gratiam & amorem alterius, vulnerare aliquem, seu verberare præsumpserit: de nostra diœcesi expelletur, graviori pœna, si culpæ qualitas postulaverit, puniendus: nec restituetur, donec passo injuriam satisfecerit petenti. Quidam clerici sibi dono vel precio a laicis cedi faciunt actiones, ut adversarios ad ecclesiasticum forum trahant, & eos quousque cum eis composuerint, fatigent laboribus, & expensis: quod fieri de cætero prohibemus. Eleemosynarum quæstores, quorum quidam se alios mẽtiendo, abusiones nonnullas in sua prædicatione proponunt, admitti, seu recipi, nisi apostolicas, seu nostras, vel domini archiepiscopi Narbonensis litteras veras exhibeant, prohibemus: & tunc præter id, quod in ipsis litteris continetur

ANNO CHRISTI. 1284.

tinetur, nihil populo proponere permittantur; nec A cartelli, seu cedulæ recipiantur ab eisdem, nec remissiones factæ per alios, quam per dominum proprium, vel dominum Narbonensem archiepiscopum, seu per nos, in ecclesia recitentur; nec cruces, seu aliquas reliquias populo ostendere permittantur, nec ab eisdem quæstoribus occasione faciendi quæstam aliquid requiratur.

Præcipimus quod festa, quæ tam a clericis, quam a laicis Nemausensis diœcesis; ecclesia præcipit coli, & etiam venerari, non frangantur occasione eleemosynæ, piis locis vel pauperibus erogandæ: Item ad tollendam quorumdam dubietatem de celebrando festo beati Matthiæ, & jejuniis quatuor temporum in Septembri, statutum fuit in Concilio Narbonensi, ut semper in anno Bissextili posteriore B die celebretur festum S. Matthiæ, & in quarta feria, quæ tertia proximo primo mense Septembri occurrerit, jejunia quatuor temporum celebrentur.

Statuimus præcipiendo, quod quilibet presbyter, in principio sui presbyteratus, faciat fieri & habeat vestes sacerdotales proprias, cum quibus valeat, cum mortuus fuerit, sepeliri.

Prohibemus districte, ne aliqui clerici Nemausensis diœcesis, ab alieno episcopo se permittant vel faciant ordinari, sine nostra licentia, & assensu: quod si fecerint, executionem ordinis non habebunt, ad quem non restituentur, quousque condignam egerint pœnitentiam de transgressione hujusmodi & contemptu.

Quia parochialis sacerdos erga parochianos, in C omnibus suis actibus atque dictis, patientem se debet ostendere, & benignum, ut per ipsius sacerdotis vitam laudabilem, & humilitatis exemplum eos invitet ad devotionem Divini officii, & peccatorum suorum confessionem eidem sacerdoti libentius & securius faciendam: districtius inhibemus, ne aliquis sacerdos parochialis præsumat temeritate qualibet, suam parochianam vel parochianum verberare, aut eis verba contumeliosa & injuriosa dicere per quæ præsumi possit, eos furtum, adulterium, seu alia crimina commisisse. Quia illi qui talia verba dici audiunt a parochialibus presbyteris credunt de facili D esse vera, cum peccata parochianorum suorum audierint in pœnitentia, quod verbo, signo, nutu, non debet alicui revelare. Presbyter vero qui contra præsentem prohibitionem nostram facere præsumpserit, ab illa parochia, in qua ista commiserit, removebitur: nec ibi, nec alibi recipiet curam animarum, donec de tanto excessu dignam egerit pœnitentiam, & passis injuriam satisfecerit competenter.

Districte præcipimus, ut in illis locis, in quibus post sonitum campanæ seu buccinæ, de nocte laici ire sine lumine prohibentur, clerici eamdem prohibitionem debeant observare. Alioquin pœnis, quæ propter hoc laicis imponuntur, eos volumus subjacere: E quas per capellanos locorum illorum, nomine nostro ab ipsis clericis exigi volumus, & mandamus. Et si eam noluerint solvere requisiti, eamdem pœnam duplicatam solvere compellentur. Et idem de banno fructuum districte præcipimus observari, ut per hoc laicorum scandalum evitetur, & clerici ab illicitis arceantur.

Cum ex officii nostri debito teneamur excessus corrigere subditorum, ne sanguis ipsorum de nostris manibus exigatur, & publicæ utilitatis intersit, ne crimina maneant impunita: volumus, & sub pœna excommunicationis præcipimus districte, ut si quis clericus homicidium, sacrilegium, incendium, vel furtum**, in nostra diœcesi manifeste repertus fuerit, vel aliquem atrociter, nisi fecerit defendendo, vulnerasse, capiatur per archidiaconum, si præsens fuerit, vel per archipresbyterum, vel si archipresbyter præsens non fuerit, per priorem canonicum, vel per rectorem, seu capellanum illius ecclesiæ, in cujus parochia prædicta crimina commissa fuerint, capiatur, & captus apud Nemausum ad nos per clericos adducatur, adjunctis aliquibus laicis si opus fuerit ad violentiam repellendam, si forte per aliquos inferri timeretur.

** Deest fecisse.

Districte præcipimus quod clerici conjugati volentes gaudere privilegio, coronam, & tonsuram publice portent, si tamen bigami non fuerint; vilia non exerceant, nec portent vestes rubeas, vel virgatas.

Item prohibemus......... *Cætera desunt.*

** SYNODUS PICTAVENSIS

ANNO CHRIS. I. 1284.

Galteri episcopi, anno Dom. MCCLXXXIV.

Ex MS. Collegii Paris. Societ. IESU.

Constitutiones synodales factæ in synodo S. Lucæ, præsidente Galtero Dei gratia Pictavensi episcopo, anno Dom. MCCLXXXIV.

TITULI CAPITUM.

1. *Ut præsentibus excommunicatis Divina non celebrentur.*
2. *Ne obtinenti ecclesiam capellania conferatur, aut contra.*
3. *Ne quis sacramenta accipiat a sacerdote potestatem non habente.*
4. *De decimis.*
5. *Quod in prioratibus vacantibus sufficiens provisio dimittatur.*

CAPUT PRIMUM.

Ut præsentibus excommunicatis Divina non celebrentur.

SACRIS canonibus est definitum, quod cum excommunicatis majore excommunicatione, quæ a participatione sacramentorum, & communione fidelium separat, cibo, potu salutatione vel osculo, locutione vel oratione, aut aliter, nisi in his quæ ad salutem animæ pertinent, non est voluntarie participandum, immo fugiendi sunt a Christi fidelibus sicut ethnici, seu etiam publicani: & quia contrarium facientes mortale peccatum committunt, & notam minoris sententiam excommunicationis, quæ a participatione sacramentorum separat, incurrunt. Hoc non advertentes multi ecclesiarum rectores & prælati, ac simplices sacerdotes, excommunicatos, sive ab homine, sive a canone, sive a provincialibus, sive a synodalibus constitutionibus, & publice denunciatos, non verentur ad Divina & sacramenta ecclesiastica admittere, & cum eis cibo, potu, oratione, benedictione, salutatione, & aliter, participare damnabiliter. Ex qua quidam participatione non solum se inficiunt, immo & alios lædunt, quibus contemnendi excommunicationem & censuram ecclesiasticam tribuunt incentivum. Cum ergo tales sint gravius puniendi, quam laici, quos debebant a talibus coercere, eisdem exemplum abstinendi a talibus impertiri præsenti constitutione specialiter inhibemus, vel potius inhibitionem a jure circa hoc factam, pœnam adji-

ANNO CHRISTI. 1284.

ciendo, innovamus: scilicet, ne ecclesiarum rectores vel prælati, seu quilibet sacerdos, præsentibus excommunicatis majoris specie excommunicationis, in ecclesiis, postquam ipsos ibi esse sciverint, Divina audeant celebrare, sed requirant vel requiri faciant, ut inde exeant. Et si ipsi excommunicati inde exire noluerint, vel sine scandalo exire potuerint": non solum ab ipsorum Divinorum inchoatione desistant, sed etiam inchoata dimittant; excepto canone Missæ, qui " si a sacerdote, postquam adverteret & sciret excommunicatum esse in ecclesia, fuerit inchoatus, cum contumacia exigat aliquatenus intromitti": ita tamen quod tunc non alta, sed submissa voce, dicatur; & quod excommunicatis, vel etiam interdictis, benedictionem nuptialem, ecclesiasticam sepulturam, vel alia ecclesiastica sacramenta, non audeat ministrare; nec cum dictis excommunicatis, potu, cibo, salutatione, locutione, oratione, vel aliter, nisi in casibus a jure permissis, communicationem vel participationem aliquam habere. Quemlibet vero contrarium facientem statuimus, pro offensa qualibet hujusmodi, quadraginta solidorum pœna mulctandum, juxta episcopale arbitrium in usus pauperum convertenda: quam tamen pœnam, secundum modum delicti, & secundum facultatem delinquentis, poterimus minuere vel augere: pœnis a jure permissis contra ipsos, & alios participantes cum excommunicatis, in suo robore duraturis.

" *leg.* non pot.

" *Videtur tollendum* qui.

" *leg.* intermitti.

II. *Ne obtinenti ecclesiam capellania conferatur; aut contra.*

Cum vero invenietur aliquis, qui commissum sibi officium regiminis animarum per se sufficienter possit explere: absurdum videtur, quod aliqui tantum de se præsumant quod ad regendas parochiales ecclesias, & etiam capellanias una cum ipsis ecclesiis, se idoneos reputantes ipsas capellanias cum ipsis ecclesiis parochialibus retinere ac recipere non verentur. Ex quo contingit in ipsis parochialibus ecclesiis sæpius curam negligi damnabiliter animarum; quia dum ad utrumque festinant, neutrum peragunt prout decet. Verum super hoc nos occurrere volentes, statuimus quod nullus parochialem habens ecclesiam, ad capellaniam; vel habens capellaniam, ad parochialem ecclesiam, de cætero præsentetur, nec eidem conferatur, nec ad eamdem admittatur, nisi fuerit fundator capellaniæ; vel nisi hoc processerit de novi fundatoris capellaniæ assensu; vel nisi parochialis ecclesia & capellania in reditibus & proventibus ita sint tenues, & exiles, quod neutrum prædictorum beneficiorum per se sufficiat ad congruam rectoris vel servitoris proprii sustentationem. Et intelligimus in hac parte beneficium non esse sufficiens ad congruam provisionem rectoris, vel servitoris proprii, cujus redditus vel proventus non valent, nec existimantur quindecim libris monetæ in illis partibus usitatæ.

III. *Ne quis sacramenta recipiat a sacerdote potestatem non habente.*

Cum secundum canonicas sanctiones, omnis utriusque sexus ecclesiastica sacramenta eidem necessaria seu convenientia, singulariter a proprio debeat recipere sacerdote; & nonnulli laici subditi nostri, sacerdotibus quibus cura animarum non est ab episcopo, vel ab alio habente autoritatem apostolicam, vel alias competentem super hoc potestatem, ecclesiastica sacramenta, absque licentia nostra vel proprii sacerdotis, & etiam nonnunquam a prohibito, scienter recipere non formidaverint, nec formident, in suarum periculum animarum, cum a tali absolvi nequeant vel ligari: nos volentes huic periculo cautela qua possumus obviare, ne sanguis eorum de nostris manibus requiratur, talia fieri generaliter prohibemus. Et si qui, post monitionem & inhibitionem eisdem ex parte nostra super hoc specialiter & nominatim faciendas, a prohibito sacerdote in casu non concesso scienter receperint aliquod de ecclesiasticis sacramentis, excommunicationis sententiam ipsos incurrere volumus ipso facto.

IV. *De decimis.*

Cum jure canonico sit prohibitum, ne laici decimas cum animarum suarum periculo detinentes, in laicos possint quoquo modo transferre; & si quis eas receperit, & ecclesiæ non reddiderit, ecclesiastica careat sepultura; & laici qui decimas novalium receperint, vel detinent illicite & scienter, & illi qui de terris, vineis, & aliis rebus quas possident, de quibus, vel de quarum similibus, alias in partibus illis communiter solvi decima consuevit, nulli decimam solvunt, nec hactenus persolverint, simili pœnæ debeant subjacere, si eas ecclesiæ cui debentur, non curaverint exhibere: statuimus, ne laicis dictas decimas novalium, & rerum prædictarum, de quibus decima non fuit hactenus persoluta, detinentibus, & retinentibus in suarum periculum animarum, nisi eas ecclesiæ cui debentur reddiderint, denegetur ecclesiastica sepultura.

V. *Quod in prioratibus vacantibus sufficiens provisio dimittatur.*

Cum alias fuerit synodali provisione statutum, quod in prioratibus vacantibus, abbates, sive priores qui abbates superiores non habent, quibus subsunt dicti prioratus vacantes, omnia quæ ad instructionem locorum faciunt, cum omni integritate dimittant; & quod de mobilibus, quantum ad sustentationem priorum dictorum locorum, & eorum familiæ, & provisionem hospitii usque ad sequentem collectam ibidem sufficere valeat, secundum facultatem exigentiam dimittant ibidem; alioquin abbates & priores qui scienter contrarium fecerint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto: nos statutum hujusmodi ad parochiales ecclesias vacantes, quæ subsunt abbatibus, & prioribus abbates non habentibus, ordinis sancti Augustini, extendi volumus; & idem in his, sub eadem pœnæ adjunctione, statuendo firmiter observari. Inhibemus nihilominus abbatibus & prioribus hujusmodi, sub pœna amissionis fructuum & proventuum, quos erant vacatione hujusmodi percepturi, ne in ipsis ecclesiis parochialibus, quamdiu vacaverint, sacerdotes pro administrandis ibidem ecclesiasticis sacramentis ponere præsumant, absque nostra approbatione vel licentia speciali.

FINIS PARTIS I. TOMI XI.



